1052

A
6052



12/63



BIBLIOTHECA VIRGINALIS

SIVE

MARIÆ MARE MAGNVM.

TOMVS SECVNDVS

Qui implet quasi Phison sapientiam, & sicut Tygris in diebus nouorũ. Qui adimplet quasi Euphrates sensum: qui multiplicat quasi Iordanis in tempore messis. Qui mittit disciplinam sicut lucem, & assistens quasi Gehon in die vindemiæ. Qui perficit primus scire ipsam, & infirmior non inuestigabit eam. A Mari enim abundauit cogitatio eius, & consilium illius ab Abysso magna. Ego sapientia effudi flumina. Ego quasi trames aquæ immensæ de fluuio. Ego quasi fluuij Doryx, & sicut aquæductus exiui de paradiso, dixi: Rigabo hortũ meum plantationum, & inebriabo prati mei fructum. Et ecce factus est mihi trames abundans, & fluuius meus appropinquauit ad mare: quoniam doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus, & enarrabo illam vsque ad longinquum. Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino. Adhuc doctrinam quasi prophetiam effundam, & relinquam illam quærentibus sapientiam, & non desinam in progenies illorum vsque in ævum sanctum, videte quoniam non soli mihi laboraui, sed omnibus exquirentibus veritatẽ.

Ecclesiastici 24. Capitulo.

MATRITI, Ex Typographia REGIA,
Anno M. D C. XLVIII.

D. ALBERTVS PIVS.

NOTA.

LItteratissimus, ac Religionis zelo contra Hæreticos Anthagonista acerrimus, D. D. Albertus Pius, siue Phigius (vnum eundemque esse iudico, licèt R. P. Antonius Possevinus in suo Apparatu Pium, & Phigium, vt distinctos enumeret) natus Campis, Transisalanæ ditionis oppido, ad meridionalem Occeani sinũ, & Carporum in Italia Princeps emeritus, vt Autbertus Myræus, alijque adstruunt. Aldi Manutij in humanioribus litteris discipulus, legationibus ad Iulium II. Leonem X. & Clementem VII. Pont. Max obitis clarissimus, ex quibus constat floruisse ad annum nostræ reparationis MDIII. vsque ad annum MDXXX. circa annũ obitus eius Auctores dissentiũt, posthumã Pij celebrauit famã Pius Theologus, Philosophus, ac Historicus insignis Ioãnes Genesius Sepulueda Cordubẽsis in Antopologia. Pro tuẽda orthodoxæ fidei integritate, scripsit Pius noster Hierarchiã Ecclesiasticã, & alia, quàmplura, quorum Cathalogũ inuenies apud Nomenclatores. Martinum Luterum, Erasmum Reterodamũ, aliosquè Nouatores stylo egregio oppugnauit; de qua materia libri tres, ac viginti extant, typis mandati in fol. per Lucam Antoniũ Florentinum, anno MDXXXI. & pag. 114. habet Opusculum, cuius titulus est: De sanctorum Cultu, & reliquiarũ veneratione: Item de præconijs, Titulis, & innocentia Deiparę Virginis. *Auctor grauis est, doctus, & vndique Pius; Liber antiquus, ac in vetustissimis solum Bibliothecis delitescens rarò, vel à paucissimis inuentus, vel cognitus: ac tandem ab aliquibus citatur sub hoc titulo,* Albertus Pius de præconijs, Titulis, & innocentia Deiparæ Virginis. *Ne ergo ex tanto titulo existiment litterati, ac studiosi Opusculum, seu librum esse integrum de B. Virg. MARIA, (quod & ipse aliquando iudicaui) nec tanti auctoris pietas iniuria temporis interea libuit hic pauca, quæ ad Virginem expectant, transcribere.*

DE SANCTORVM CVLTV, ET RELIQVIARVM veneratione: Item de præconijs, Titulis, & innocentia Deiparæ Virginis.

AT saltem Deiparę Virginis pepercisses honori, illam reueritus propter eum quem nobis genuit seruatorem, si incomparabilis singularissimèquè eius virtutis, ac dignitatis nullam rationem voluisses habere, si cæteris sanctis maligno impetu animi ad id te compellentis indulgentiæ non valuisses. O audatiam inauditam! Quisnam pietate tam frigidus esse potest, qui æquis auribus, qui patienti pectore tales risus, tam ludibriosa verba, tam calumniosa proferri de sanctis omnibus de amicis Dei, de ipsa superexcelsa, intemerataquè Virgine Dei parente ferre possit? Hæc autem persequeris: primum sanctos omnes in vniuersum vellicas, eorum honorem, & cultum insectans. Postea ipsam glorioſissimam MARIAM, quæ nobis eum edere meruit, qui verè per essentiam solus sanctus est, per cuius gratiam quotquot beati sunt, fuere sanctificati, derides, prestringis, illiquè infande derogans contendis, ijs elogijs, & titulis, quibus sanctum eius nomẽ colitur indignè celebrari, vtpotè non ei conuenientibus: ac in summa plus honoris à mortalibus, quam liceat, deceat vè illi præstari, in eamquè insectanda eo vsque dementatus es, vt non formidaueris eius verbis effingere epistolam Glauco Pluto transcriptam,

tam, quam profanæ gẽtes de Venere, aut Vesta effingere etiam ludentes grande piaculũ duxissent. Tertiò reliquiarum venerationem procacissimè deridens, simul, & eam pietatẽ fidelium detestaris. Postremo ijs nondum satiatus, vt in dubium etiam reuoces, an ij verè sancti sint, qui pro sanctis coluntur: simul, & Ecclesiæ institutum condemnas, inductum morem referendi illos in diuorum album, siue (vt aiunt) canonizandi carpis, & quo ad vales inuidiosissima orationi taxas. Quo circa non erit, quod graueris, si & tu fortè quædam malè audies quãdo tibi respondebitur, vt qui antea pios diuorum cultores, tot, & tãta male audire de diuis ipsis coegeris. Quis enim tam modestus esset, vt prorsus à verbis temperare posset, audiens tam procaciter insultari heroibus nostris; Ecclesiæ Catholicæ proceribus; sanctorum omnium parenti, omnipotentisquè Dei sponsæ, & matri? Namque si omnes sancti membra Christi sunt, Virgo autem intemerata ipsius Christi mater, conuincitur, & omnium sanctorum matrem esse, &c. Hoc scommate cæteros titulos, qui intemeratæ Virgini à pijs mortalibus illam venerantibus tribuuntur, vt indecedentes pariter infæcisti, nec eos tantum, quos verbis expressisti? Vt Reginam cœli, Dominam mundi, portumquè salutis verum, & alios multos, sic enim habent tua verba: præterea multis alijs illi blandiebantur, quos illi nunquam tribuunt sacræ litteræ. Videntur tibi Erasme his sublimiores tituli, quam Deiparæ Virgini conueniant, elogijsquè, tam magnificis non esse celebrandam, vt quæ illi sacræ litteræ nõ tribuant? Verè falsum niteris colligere non esse tribuenda. Sed aì, quæ sponsa Dei est, an ne iure Regina cœli dicetur, quæ regis vniuersi mater est, iniuria mũdi domina vocabitur? Quæ salutis auctorem nobis edidit, qui fluctibus agitatos, qui imò demersos erigeret, qui nos fluctibus, & procellis erectos in tutissima littora conferret, portus salutis per translationem indignè nuncupabitur? Maiora nempè, ac magis præclara, longequè excelsiora conueniunt elogia tantæ Virginis dignitati. An non tãta mortalis ingenij vis, vt paria, ac decentia ad eam celebrandam inuenire possit. Quæ nam lingua, quæ mens ad eius celsitudinem explicandam dignè valeat accedere? Quæ vè illius virtutem celebrari dignis laudibus queat, illiusquè decora prædicare? Imbecilla tamen mortalitas, pio affectu illa ei tribuit elogia ad quæ contingere potest, non autem, quæ vellet, eiquè iusto debentur. Verba deficiunt, eloquentia emutescit, stupet mens donorum magnitudine territa, multiplicitate doctiũ fastigij celsitudine, in quo collocata est MARIA, solus diuinus spiritus, qui illã tot decoribus ornauerat, sublimẽq; effecerat, titulos MARIÆ cõgruos exprimere potuit. Quid? Quæ iure mater Dei dicitur iniuria Regina cœli nuncupabitur? Quæ ab omnipotente plenitudinis gratiæ titulo insignitur? Stella maris portusquè salutis indignè vocabitur? Quæ ab Archangelo Gabriele celebratur, quod Dominus sit cum ipsa (& quis Dominus?) Omnipotens inquam, de quo scribitur Deus misericordiarum tu es, mater misericordiæ perperam dicitur? Et quomodo, Dominus, cum ipsa? Per gratiæ plenitudinem. Inquit enim Gabriel illam salutans; *Aue gratia plena*. Quo elogio quidnam possit esse excelsiùs? Quid sublimiùs? Quid denique glorioſiùs, vel saltim par: cùm dignitas omnis à sola diuina gratia proueniat? Solus enim omnipotẽs quidquid est per gratiam non est, sed per naturam. Quamobrem, nec plenus gratiæ dicitur; sed rationali creaturæ, quam condidit gratiam suam, impertitur. Quid autem maiùs præstare potest, quam suæ gratiæ plenitudinem? Testatur enim ipsius summi Dei internuncius verbis Dominicis illi tributam fuisse, nec hoc solo titulo decoratam. Audias, & alium, prosequitur: *Dominus tecum*. Quid hoc beatius? Quid celsius? Quid magis glorioſum, quàm quod omnipotens perpetuò sit cum ipsa: cum puella inquam Virgine humili, & paupere, quam etiam animaduertendũ Verbum illud Dominus tecum, quodque nemini dixerit, tu es cum Domino per gratiã, vel in gratia Domini, sed tecum Dominus? Nonne cum illa Dominus, quem gestatura erat in vtero, qui & tunc ipso salutante Angelo in corde erat per gratiã? Prosequitur & Angelus accumulãs eloga elogijs, dicens: *Benedicta tu in mulieribus*, hoc est præ cæteris mulieribus. Quid fœlicius? Ac magis illustre, ac singulari benedictione? Deinde sic pergit Archangelus. *Virtus altissimi obumbrabit tibi*. Et quod ex te nascetur vocabitur Filius Dei. Quid hæc sibi volunt, nisi quia mater Filij Dei sit futura? ò triumphale, ò glorioſissimum, & superexcelsum elogium, ea decora continens hos titulos, quibus pares, nec similes vnquam tributi fuere, nec in futurum tribuentur: quibus etiam, nec maiores, saltim excogitare possent tantum abest, vt pares: quid nam simile, aut equum dici potest huic, mater Filij Dei es? Non dixit Archangelus mater. Vnius Angeli, vel sancti hominis es futura, sed Filij Dei viui: Et quo modo? Inquit, Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. His inquam titulis omnipotens MARIAM ornauit κεχαριτωμένη ὁ κύριος μετὰ σοῦ ἡ ὑλογημένη σὺ ἐν γυναιξί. Confert modo hos titulos mortalibus, qui MARIÆ tribuuntur, & quoscumque alios potiores, qui tribui possent cum his. Et agnosces, quam vilescant, quasi interuallo ab illis distent, quamque humiles,

& abiecti sunt. Cùm igitur Dominus illam his, tam insignibus præconijs ornauerit, dicere tamen audes ima, & abiecta tribui, quibus illam mortales celebrant et blandientes: quod nec aliud est dicere, quam immodicos vlle, & propterea non conuenire. Si enim à blandientibus tribuuntur, non ex vero, non iure impenduntur At nobis tantummodo titulis Virgo purissima scripturis ornatur, sed alijs, quam plurimis. Non enim solum ex nouo Testamento de MARIA agitur, verum etiam in veteri per spiritum propheticũ celebratur. In Canticis siquidem spiritus Domini plures illius titulos decantat, eam spõsam Domini vocans, amicam, sororem, Immaculatam, pulcherrimam, ac coronandam, nec his contentus metaphoricos, etiam titulos tribuit. Eamque columbam Domini nuncupat, decoram, vt Ierusalem, quam viderũt filiæ Sion, & beatissimam prædicauernnt, & quam laudauerunt Reginæ. Insuper fontem hortorum, terribilem, vt aciem, castrorum ordinatam. Rursus idẽ spiritus: *Quæ est ista quasi aurora cõsurgẽs pulchra, vt luna, electa vt sol?* Quæ autem hęc mysticæ scripta ad ipsam referantur (licet etiã ad Ecclesiam referri possint metaphorica namque locutio plura indicare potest) sancti Patres loca illa enarrantes declarauerunt. Inter quos audi Hieronymum. Ita enim (inquit) canitur in Canticis de MARIA hortus conclusus, fons signatus, emissiones tuæ paradysus. Hortus deliciarum, in quo sunt consita, vniuersa florum genera, & odoramenta virtutum, sicque signatus, vt nescíat violari vllis insidijs, fraudibusve diaboli. Fons itaque signatus sigillo totius Trinitatis, &c. Illud quoque, quod in Psal. scribitur ad MARIAM referendum, (licet etiam ad Ecclesiam deduci queat) *astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circũdata varietate*, quæ autẽ hi magnifici sint tituli insignes, præclari æstimare possunt, qui illos legerint. Regina appellatur, soror, sponsa, amica, perfecta, columba Domini, fons viuus, puteus aquarum scaturientium, hortus conclusus; & alijs, auroræ denique, ac soli comparatur. Quæ omnia in primis quadrant virtuti gratiæ, illiusquè pulchritudini, sed fortè inquies quid hoc refert? &c.

A

B

Cant. 6.

Psal. 44.

F. AMBROSIVS ANSBERTVS.

NOTA.

E Loquio eruditus, Ambrosius Ansbertus, aut Autbertus; vel Authbertus, siue Authpertus; vel Ansertus Benedictinus fuit, ex Galliarum prouincia ortus, intra Samy regionem, apud Monasterium Martyris Christi Vincentij, maxima ex parte diuinis rebus imbutus; temporibus Pauli Pontif. Romani, necnon, & desiderij Regis Longobardorum. Fuit Abbas Cassinensis creatus die 26. Octobris ann. nostræ salutis DCCCXXXIV. Inter alia, quæ scripsit, extat sub eius nomine Sermo de Purificatione S. MARIÆ Virginis, excussus in Homliario Alcuini, & Surij, necnon in Bibliotheca Homiliarum Laurenti Cundi, nec dissentit Theophilus Raynaudus in suo Nomenclatore Mariano fol. 36. Arnoldus verò de Vuion in Ligno vitæ lib. 1. fol. 14. loquens de nostro Ansberto hæc habet: Scripsit nõnulla Opuscula, videlicet, de Purificatione S. MARIÆ Virginis sermonem vnum, qui excussus est in Homiliario Alcuini, sed diuersus est ab illo, qui apud me est M. S. &c. *Hæc Vvion. At in operibus S. Ambrosij Mediolanẽsis E. D. Tom. 5. vltimæ impressionis Parisiensis editæ anno MDCXXXII. fol. 641 Sermo iste sub nomine, & Titulo S. Ambrosij (licèt ex magna parte truncatus) in lucẽ prodijt, repertus (vt ibidẽ dicitur, & P. Antonius Possevinus confirmat in suo Appar. fol. 62.) in vetustissimo Codice M. S. in Monasterio Massanensi S. Placidi. Res igitur dubia est, & quid in hoc tenendum sit, ignoro.* SER-

SERMO DE PVRIFICATIONE BEATÆ MARIÆ

S. Ambrosij Mediolanensis, vel Ambrosij Ansberti.

SI subtiliter à fidelibus, quæ sit huius diei festiuitas perpendatur, eo deuotionis affectu hanc celebrandã suscipient, quo dominicæ Natiuitatis, Circunciſionis, atque Apparitionis solemnia sunt prosecuti. Illius est ista solemnitas, cuius, & illa: sed nec minor ista, quàm illa. Quod vtique in hoc sermone apertis monstrabimus documentis. Huius quippe diei solemnitas sicut à quibusdam Christianis ignoratur, sic à multis præ cæteris anni solemnitatibus honoratio habetur: maximè autẽ eo loco, quo primatum Ecclesia Catholica in primo Pastore sortita est. In tãta enim reuerentia ab illis habetur, vt ea die cuncta ciuitatis turba in vnum collecta, immensis cereorum luminibus coruscans, missarum solemnia deuotissimè concelebrent: nullusque aditum publicæ stationis intret, qui lumen manu non tenuerit: tanquam scilicet Dominum in templo oblaturi, immò etiam suscepturi fidei lumen, quo interiùs fulgent, exteriùs oblationis suæ religione demonstrent. Hodiè namque iuxta legem, atque euangelium peractis à natiuitate Christi quadraginta diebus, in templo est à parẽtibus idem Dominus præsentatus. Hodiè à sancto Simeone susceptus, patrique cũ sacris muneribus oblatus. Hodie redemptionem Israel expectantibus, ab eodem Simeone & Anna publicè prædicatus. O quàm pium spectaculum, quo non nisi pij delectari probantur!

Celebritas festi Purificationis

Piæ contemplationes de festo Purificationis

Stat hinc virgo, & mater, nõ cuiuscũque, sed Dei. Suscipitur hinc paruulus Virginis filius, cuius diuinitatem non capit mundus. Occurrunt hinc inde Prophetæ, atq; vterque sexus de puero prophetat: offertur oblatio pro puero, non tamẽ quæ delicta emundet, sed quæ sacramenta declaret. Et quia huius diei præconium attollere cupio, libet ipsam euangelicam lectionem colloquendo transcurrere, in qua ista narrari agnosco: quatenùs ad ea, quæ dico, illa respõdeat: immò ad ea, quæ illa narrat, vox exhortationis meę respõdeat. Denique Lucas Euangelista veritatis historiam de Christi incarnatione pleniùs, atque ordinatiùs cæteris Euangelistis exequens, post annuntiationem eius ab Angelo factam, post natiuitatem angelorum vocibus declaratam, post circunciſionem octaui diei in domo parentum, hæc in ordine sequitur, dicens: *Postquã impleti sunt dies purgationis matris eius, secũdũ legem Moysi, tulerunt illũ in Hierusalẽ, vt sisterẽt eũ Domino, sicut scriptũ est in lege Domini: Quia omne masculinũ adaperiẽs vuluã, sanctũ Domino vocabitur.* Cũctis fidelibus liquet, nequaquã redẽptoris matrẽ ex eius natiuitate maculã cõtraxisse, qua illorũ dierũ spatio à sacris ædibus abstinens purgaretur, quæ sine humana concupiscentia, sine humano concubitu virgo concepit, sine aliqua carnis corruptione virgo pepegit, & sine fine virgo permanfit. Ac per hoc nec masculus ex ea natus vuluam eius aperuit, sed hoc iuxta legis narrationẽ Euangelista cõtegens, claudit impijs sacramentũ diuinæ incarnationis, matremque legẽ obseruantẽ introducit. Sed nec mirũ, si mater obseruaret legẽ, quã eius filius nõ venerat soluere, sed adimplere. Sciebat enim, quo ordine cõceperat, quo vsu pepererat, & quis esset quẽ genuerat. Sed legẽ cõmunẽ obseruãs, expectauit purgationis diem, celauit filij maiestatem. Hinc est, quòd eũ in templo duodecim annorum inter doctores legis inueniens, filium Ioseph vocat, dicens: Fili, quid feciſti nobis sic? ecce pater tuus, & ego dolentes, quærebamus te. Quem proculdubiò sciebat se sine concubitu Ioseph concepisse, sine corruptione virginali edidisse. Sed cur abscondit conceptionis, ac natiuitatis illius sacramentum, quem nouit Deum immensum? Nunquid nam quia inuidet alijs, quem ad templum deferẽs, sancti senis tradidit manibus? Absit. Sed vt spiritu prophetiæ repleta, redemptionem mundi impijs non aperiat. Sciebat enim iam tunc gratia plena, spiritu diuinitatis afflata, quia si hunc huius seculi principes cognouiſſent, nunquàm pro salute nostra crucifixiſſent. Offer ergo beatiſsima virgo, tanquàm legem obseruans, in templo quem edidisti, vt non omnibus, sed paucis reueletur, quis est quem genuisti. Appareat interìm lapis humilis abscisſus de monte sine manibus, vt reprobetur ab ædificantibus, vsquequò statuam in pedibus percutiens, crescat in montem magnum, impleatque vniuersum orbem terrarum. O quàm paruus, ò quam magnus est quem peperisti: paruus in humanitate, magnus in diuinitate. Paruus in regno Iudæorum, magnus in regno gentium. Sed non ab omnibus in regno Iudæorum paruus æstimatus. Nam & ipsa quæ, hunc genuisti, ex ipso populo Israel in virga creuisti. Virga enim de radice Ieſſe surrexisti, & floruisti. Virga Aaron fronduisti, & nucem peperisti. Et quia præ omnibus immensitatem eius agnouisti, quem tam puriſsimum ex te natum vidisti: proculdubiò quem infantem genuisti, Deũ omnipotentem tremens adorasti, adorans tremuisti: quem tamen, quia secundùm humanitatem filium recognouisti, lactasti, fouisti, aluisti. Quis putas, nobis posſet indicare, inter huiusce modi obsequia, animi tui sẽsum ò beatiſsima virgo, cum hinc cerneres ex te natum tantillum infantem, illinc attenderes Deũ immensum: hinc creatum, illinc creatorẽ: hinc in firmum, illinc fortiſsimum: hinc alendum, illinc alentẽ: hinc non loquentem, illinc Angelos docentem? Quis, inquam, tui pectoris arcana nobis referare valeat, quibus modis cogitatum ad vtraque flectebas, cùm vnum eundemque Dei atque hominis filium manibus tenens, hinc adorares vt Dominũ, illinc osculareris vt paruulum? Quis

Virgo perpetua fuit de legi purificationis.

Mat. 5.

Luc. 2.

1. Co. 2.

Dan. 2.

Esa. 11. Nu. 17. Pijssimæ meditationes de Christo & matre eius.

ad tam ineffabile miraculum non obstupescat? A Quis non pene elinguis fiat? Generat puella suũ, & omnium creatorem: nutrit suum, & omnium nutritorem: portat ad templum suum & omnium creatorem. O admirandum spectaculum, ad quod non solùm humana, verum etiam angelica stupescit natura! Ad hoc, fratres charissimi, fidei oculos erigite, ad hoc pietatis affectu conuenite. Ibi Christum suscipite pro vobis in carne humiliatum, sed adorate in sua diuinitate Deum excelsum. Amplectimini parũulum, sed cogitate immensum. Amate humiliatum, sed timete excelsum. Iam verò dilectissimi si quæritur, quid mysticè significatum fuerit in eo, quòd redemptor noster à matre, & parentibus ex propria ciuitate in Hierusalem ad templum Domini se portari voluit: inuenimus ipsam gloriosam matrem, & Virginem eiusque propinquos figuram gessisse illius Ecclesiæ, quæ ex Iudæa in Apostolis credidit. Quando enim Ecclesia non virgo, cuius membra Apostolus affatur, dicens: Despondi vos vni viro, virginem castam exhibere Christo? Quando ipsa non mater, de qua per Psalmistam dicitur: Mater Sion, dicet homo, & Dominus in Euangelio: Quicumque fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, soror & mater est? Quando electi non propinqui, qui fratres, & sorores sunt appellati? Mater itaque ac propinqui, redemptorum nostrem a † Nazareth in Hierusalem ad templum Domini deferunt, quia primitiua illa in primis discipulis Ecclesia à Iudæis repulsa, eiusdem redemptoris dispensationem ad notitiam gentium perduxit. Ipsa enim Ecclesia non solùm ex gentibus, verùm etiam ex Iudæis Hierusalem (id est, visio pacis) rectè vocatur, de qua per Psalmistam dicitur: Hierusalem, quæ ædificatur, vt ciuitas, cuius participatio eius in idipsum. Ipsa & templum, sicut per Paulum fidelibus dicitur: Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Ac per hoc cùm Apostoli ex Iudæa Christum annuntiantes veniunt ad gentes, nimirùm & Hierusalem ad Hierusalem cõuenit, & templum ad templum occurrit, cùm hi omnes vna sint Hierusalem ciuitas, vnum & templum. In hac itaq; ciuitate, atq; in hoc templo ab Apostolis oblatus Christus excipitur. Vnde & ipsa Ecclesia Psalmistæ voce Deo patri loquitur, dicens: Suscepimus Deus misericordiam tuam, in medio templi tui: Subaudis, In medio Ecclesiæ, quæ est templum tuum: Siue autẽ iuxta historiam, siue iuxta mysticum intellectum, cur Christus à parentibus, ad sanctam ciuitatem & templũ ducatur: causa manifestatur cũ subiungitur: *Vt darent hostias secundũ quod dictũ est in lege Domini par turturũ, aut duos pullos colũbarũ.* Præceptũ siquidem legis fuerat, vt si cui forte agnus defuisset, & vnũ horum, id est, aut par turturum, aut duos pullos colũbarũ inuenisset, Deo in oblatione filij offerret. Nec præiudicaretur ex altero, quòd vnũquodlibet horum obtulisset. Sed quia vterq; Christi, Ecclesiæq; sacramẽta significat, credendũ est vtrumq; ad sacrificiũ matrẽ inuenisse, atq; obtulisse. Deniq; in hac oblatione auiũ, illa præfigurabatur oblatio, quæ pro salute mũdi oblata est vespera diei, Domini videlicet passio, per quã sumus Deo reconciliati. De hac quippe hostia per Paulũ fidelibus dicitur: Ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsũ pro nobis oblationem, & hostiam Deo, in odorẽ suauitatis. Et rursũ: Qui dilexit me, inquit, & tradidit seipsũ pro me. Quia verò omnes electi mẽbra sunt Christi, in turture scilicet turtures, atq; in colũba columbæ: designat etiam hæc auiũ oblatio mortificationem electorum, quibus per eundem Apostolum dicitur: Obsecro vos per B misericordiã Dei, vt exhibeatis corpora vestra, hostiam viuentem, sanctam, Deo placẽtem. Sed nulla esse potest accepta Deo mortificationis oblatio, in quibus nõ fuerit veræ fidei castitas, verę charitatis concordia. Proinde nõ sine causa sacrificium, quod pro Domino mystice oblatum perhibetur, ex turturibus, & columbis fuisse narratur. In turture enim castitas inuenitur, & in columba charitas commendatur. Turtur nanque intemeratam seruat vni viro fidem: columba verò aliarum cohabitantium non deserit vnitatem. Catholicus igitur Christianus tunc verè spiritualis turtur efficitur, si veram Trinitatis fidem firma credulitate conseruet, & hæreticæ prauitatis sensum, tanquam fornicationis C inquinamenta repudiet. Tunc verè erit columba, si longanimiter vsque ad finem in catholica societate permaneat, & contra tentationum scãdala immobili firmitate persistat: vt nec hæretica fornicatio corrũpat in corde fidei castitatẽ, nec amara dissentio ecclesiasticæ charitatis dissipet vnitatem. Hæc est enim Ecclesia Catholica, quæ fidem vni Domino tanquam legitimo viro conseruat, & congregationem multorum in fide multiplicat. Sequitur: *Et ecce homo erat in Hierusalẽ, cui nomen Simeon, & homo iste iustus & timoratus, expectans consolationem Israel: & Spitus Sanctus erat in eo. Et responsum acceperat de Spiritu Sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini, & venit in spiritu in tẽplũ.* Nihil minùs de sanctitate isti specialiter homini adscribitur, qui & in Hierusalẽ, id est, in visione pacis cõmoratur, & fidei operatione iustus, & reuerentia timoratus, & Israelis consolatione attonitus, & Spiritu sancto repletus, eiusq; responsione de incarnati verbi visione roboratus fuisse perhibetur. O quàm ardenti desiderio homo iste expectabat secundùm Spiritus Sancti promissionem, videre incarne redemptorem. Quæ putamus fuerit instantia orationis eius, qua diuino responso meruit firmari de his, quæ petebat! Quæ erant eius gemituum continuata verba in sancta deprecatione? Non enim in petendo cessauit, vsquequò respõsum acciperet super his, quæ poscebat. Fuerunt siqui-

In Christo vtraque natura vt attendẽda.

2 *Co.* 11

Psal. 86
Mat. 12

† *fortè Bethlehem.*

Psal. 121.
1. *Cor.* 3

Psal. 47

Leu 12.

Ephes. 5

Gal. 1.

Rom. 12

Castitas Charit.

Catholicus Christianus turtur. Columba.

Ecclesia Catholi.

Simeonis laus.

siquidem in retroactis temporibus multi simili desiderio accensi, Domino attestante, qui ad discipulos ait: Multi reges, & Prophetæ voluerunt
Luc.10. videre, quæ videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. Sed ex illis hoc
Phil.1. isti soli concessum est, qui in plenitudine, tẽporis, horum vltimus apparuit. Sed si vigilanti studio subsequentium sanctorum attendimus desiderium, quibus Christus viuere est, & mori lucrum, inuenimus eos non minoris anxietatis ardore diuinitatem eiusdem Saluatoris intueri velle, quàm ille concupiuit inspicere carnem.
Ibidem. Hinc Paulus dicit: Cupio dissolui, & esse cum
Psal.41. Christo: multò autem melius. Hinc Psalmista ex persona Ecclesiæ dicit: Sitiuit anima mea ad Deum viuum, quando veniam & parebo ante faciem Dei? Quis ergo iam hinc nõ videat, in vno Simeone multos, per vnum cunctos significari electos, qui nunc iusti ex fide, atque operatione, & timorati ex futura expectatione, & attoniti inueniuntur ex ventura consolatione?
Rom.5. In quibus etiam Spiritu Sãctus inesse cognoscitur, quia & per Apostolum dicitur: Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Et rursùm fidelibus
1.Cor.6 dicit: Corpora vestra templum sunt spiritus sancti, quem habetis ex Deo. Quiq; responsum accipiũt à spiritu sancto, non visuros se mortem: nisi priùs videant Christum Domini: quia in hac adhuc corruptibili vita eiusdem spiritus sancti gratia reuelanti, apertis fidei oculis eum,
Mat.28 qui se cum illis vsque in finem seculo mansurum esse repromisit, aspiciunt, non iam carne paruulum, sed diuinitate immensum. Qui etiam cum
2.Co.5. Apostolo dicunt: Et si noueramus Christum secundùm carnem, sed iam nunc non nouimus, Habitãt etiam isti in Hierusalem, atq; in spiritu in templum, quò Christus introducitur, veniũt.
Ierusalẽ qui sint. Ipsi enim sunt Hierusalem, qui habitant in Hierusalem: ipsi & templum qui veniunt in templum, in quibus, & à quibus Christus excipitur. Breuiter fratres ista percurrimus, ne dum quæ sint huius diei sacramenta, quodque sanctum piumque pręconium indicaro, studemus, cuilibet in fastidium veniamus. Sequitur: *Et cùm inducerent puerum Iesum parentes eius, vt facerent secundùm consuetudinem legis pro eo, & ipse accepit eum in vlnas suas, & benedixit Deũ & dixit: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secũdùm verbũ tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Hinc vnius, hinc multorum, immò etiam omnium adimpletur expectatio iustorum. Sed dicamus priùs de vno, & sic loquamur de omnibus. Cupimus enim ad hoc studium nostrum inflectere, vt quod de vno dicitur, de omnibus veraciter sentiatur. Et ecce dũ
Virginis Mariæ prudentia. specialiter de vno venerabili sene cupimus loqui, occurrit prædicãda virginis prudentia, nõ humana industria fulta, sed spiritu diuinitatis afflata: quæ filium oblatura veniens, suæque naturæ humilitatem seruans, Prophetæ tradidit

A manibus offerendum. Non ignara vtiq; quis esset, cuius manibus Deus hominemq; tradebat sacrificio dedicatum. Offert autem Dominum Prophetarum Prophetæ, offert vnicum vni, immo omnibus in vno, quæ omnibus eundem peperit Saluatorem. Non enim desinit nuncusque offerre quem genuit, cùm suis sanctis interuentionibus eundem redemptorem electis vniri facit. Et vt verũ fatear, materno affectu idipsum
S. Maria bonos omnes filiorum locohabet. pijssima facit. Omnes enim filios deputat, quos diuina gratia Christo consociat. Quando non ipsa mater electorum, quæ fratrem genuit eorum? Si, inquam, Christus credentium frater, cur non ipsa, quę Christum genuit, sit credentium mater? Quamobrem obsecro, mi beatissima Virgo, offer nobis Christum pijs suffragijs,
B quæ nescis inuidere filijs. Sed nec attendas filiorum iniurias, à quibus non vt dignum est honoraris. Tolerat enim pia mater irreuerentiam filiorum, quia amore vincitur generationis. Foue ergo, etsi tantis meritis indignos, pijs orationibus, quos in vno genuisti. Deprecare vnicum filium pro excessibus multorum filiorum. Sed iam, fratres charissimi, Christũm in vlnas suas suscipiens, quid vnus specialiter. Simeon dicat, audiamus. Ait enim: *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace: quia viderũt oculi mei salutare tuum.* Ac si diceret: Longa me expectatione fatigasti, diù retinuisti: sed tandem viso quem expectaui, iam
C de humanæ vitæ scandalis in pace dimittis. Dimittis in pace, quia secundùm promissionem tuã per incarnati verbi mysterium salutis inimicitijs, tibi merui recõciliari. Dimittis in pace, quia video pacem. Ipse est enim pax nostra, qui
Eph.2. facit vtraq; vnũ. Hoc deniq; & omnes electi dicunt, qui Christum in vlnas suscipiunt, qui fidei oculis salutare Dei conspiciunt. Quid enim est
Christũ accipere in vlnas. Christũ in vlnas suscipere, nisi pijs hunc operibus in membris suis amplecti? Per vlnas enim id est, brachia, virtus operationis exprimitur. Cũ enim in alio esurientẽ Christum satiant, in alio sitientem potant, in alio hospitem suscipiunt, in alio nudũ operiunt, in alio infirmum, vel in carcere positum visitant, his proculdubiò deuotis
D † actionibus tanquã brachijs, quotidie eundem † *actibus* ipsum puerum amplectuntur. Et quia hæc agentes, illum se in his suscipere plena fide cognoscunt, illum se in his videre non dubitant, qui dixit: Quandiù feciſtis vni de his minimis meis,
Mat.25. mihi feciſtis: atq; eisdem operibus, vt ad pacem Dei redeant, à peccati scandalo absolui se credunt, rectè idẽ Simeõ exclamauit, dicẽs: *Nunc dimittis seruum Domine, secundũ verbum tuũ in pace: quia viderũt oculi mei salutare tuum.* Ac si electi dicant: Ideo nos à peccati scãdalo secundùm promissionem tuam absoluens, iam in pace recõciliatos, passibus amoris propinquare cœlestibus facis, quia fidei oculis salutare tuũ, id est, Dominum Iesum Christum in membris † *operibus* eius intueri, eumq; pijs † operationibus ample

cti meruimus. De quo adhuc, siue ille, siue isti, Deo patri dicũt: *Quod parasti ante faciẽ omniũ populorum.* Nisi à toto pars intelligẽda sit populorũ, quæ saluatorem in carne viderit, iuxta literam ratio non stabit: quia eum nec carnis, nec fidei oculis omnes populi cõspexerunt. Ante faciem ergo omnium populorum hoc salutare dicitur præparatum, quia ex omnibus populis in eum crediderunt, qui eum credentes fidei oculis aspexerunt. Nam quod Dominus Thomæ dicit, Quia vidisti me, credidisti, beati, qui non viderunt, & crediderũt: hoc de visione corporali locutus est, de quo & subditur: *Lumen ad reuelationem gẽtiũ, & gloriã plebis tuæ Israel.* Hoc itaq; lumine de tenebris reuelatæ, hoc inuentæ, hoc illustratæ sunt gentes, sicut scriptum est: Gentium populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: sedẽtibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. De hoc lumine Ioannes Euangelista testatur, dicens: Erat lumẽ verum, quod illuminat omnẽ hominem veniẽtem in hunc mundum. De hoc in epistola sua dicit: Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ. De hoc lumine idem in Euangelio ait: Lumen venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucẽ. Et iterũm: Quãdiù sum in mundo, lux sum mundi. Quod cùm sit etiam gloria gentium in eo, ad gloriam Israelis dicitur præparatum. Quia siue in Patriarchis, Prophetis, atq; Apostolis, immò etiã ipso omnium capite Christo, siue in eloquijs Dei, amplius gẽs illa, quã † gentes gloriosa monstratur, Apostolo attestante, qui ait: Quid ergo amplius Iudæo? aut quæ vtilitas circuncisionis? Multũ per omnem modum. Primùm quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei. Et rursùm: Quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamẽtum, & legislatio, & obsequiũ, & promissa: quorũ patres, & ex quibus Christus secundùm carnem, qui est benedictus Deus in sæcula, Amen. Sequitur: *Et erat Ioseph, & MARIA mater eius mirãtes super his, quæ dicebãtur de illo.* Quibus mirãtibꝰ etiã nos ipsi miramur, cur ipsi sint super his, quę de illo à prophetis sancto dicebãtur, mirati. Nũquid enim Ioseph iã in somnis ab Angelo nõ audierat, Ioseph filij Dãuid, noli timere accipere MARIAM cõiugẽ tuã; quod enim in ea natum est, de Spiritu Sãcto est. Pariet aũt filiũ, & vocabis nomẽ eius Iesũ. ipse enim saluũ faciet populũ suũ à peccatis eorũ? Nunquid & ipsa sacratissima virgo, quæ salua virginitate filiũ se genuisse sciebat, priùs quàm pareret, ab angelo nõ audierat, Aue gratia plena Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres: spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ideoq; & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei? Quid ergo admirãtur super his, quæ de illo narrãtur, nisi quia cæteris mirãtibus, vt Sacramentũ impijs occultent, quid ũbi velint talia, quæ de tantillo infantulo ab homine sene dicuntur, & ipsi mirantur? Sed audiant adhuc de illo potiora, audiãt adhuc de illo maiora. Deniq; sequitur: *Et benedixit illis Simeon, & dixit ad MARIAM matrẽ eius: Ecce positus est hic in ruinã, & in resurrectionẽ multorũ in Israel, & in signũ cui cõtradicetur.* In vna redẽptoris nostri Dei, hominisq; persona, perfectã Dei, perfectãq; hominis ineile cõfitemur naturã: & ex vna quidẽ Dominũ, ex altera seruũ, ex vna fortẽ, ex altera infirmũ: ex vna magnũ, ex altera paruũ: ex vna creatẽ, ex altera creatũ; ex vna pascẽtẽ, ex altera esurientẽ: ex vna recreantẽ, ex altera sitientem: ex vna miraculis coruscantem, ex altera iniurijs succumbentem: ex vna viuificantem, ex altera morientem, ex vna suscitantem, ex altera hunc prædicamus suscitatum. Et eùm aliud sit in eo Dominus, aliud seruus: aliud fortis, aliud infirmus: aliud magnus, aliud paruus: aliud creans, aliud creatus: aliud pascens, aliud esuriens: aliud recreans, aliud sitiens: aliud miraculis coruscans, aliud iniurijs succumbens: aliud viuificans, aliud moriens: aliud resuscitans, aliud resuscitatus: Non tamen alius Dominus, alius seruus: alius fortis, alius infirmus: alius magnus, alius paruus, alius creans; alius creatus: alius pascens, alius esuriens: alius recreans, alius sitiens: alius miraculis coruscãs, alius iniurijs succumbens: alius viuificans, alius moriens: alius resuscitans, alius resuscitatus: sed vnus idemq, Dei, atq; hominis filius, ex vno (vt dictum est) Dominus: ex altero seruus: ex vno fortis, ex altero infirmus: ex vno magnus, ex alterò paruus: ex vno creans, ex altero creatus: ex vno pascens, ex altero esuriens: ex vno recreans, ex altero sitiens: ex vno miraculis coruscans, ex altero iniurijs succũbens: ex vno viuificans, ex altero moriens: ex vno resuscitans, ex altero intelligitur resuscitatus. Quiq; ante oculos mortaliũ positus, ex vno venerabatur, vt Deus, ex altero despiciebatur vt homo: Deniq; cùm hũc Iudæorum populus cerneret de quinq; panibus tot millia hominum pascentem, infirmos curantem, leprosos mundãtem, ac mortuos suscitãtem, Deũ esse arbitrabatur. Rursùm cùm eundem aspiceret esurientem, sitientem, lassescentem, dormientem, atq; iniurijs succumbẽtem, purum esse hominem suspicabatur. Et hæc quidem apud incertas turbas, sed non apud discipulos. Neq; enim ita in cordibus eorũ variabatur, qui illius assiduis, priuatisq; eloquijs fruebantur, quibus & ab ipso dicitur: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei: cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes nõ intelligant. At vbi ventum est ad passionem mortis, perijt fides, ablata est omniũ spes Deniq; vt Euangelista testatur, omnes eo relicto fugerũt. Ex quibus dum vnus vinctum à longè sequitur, ad atriũ perueniens, eundem se cognouisse denegat. Et quis in mortis passione, illo ruente, non rueret, cùm eum præcipuus eius amator, cùm auidus eius imitator, vnius ancillæ voce territus, non semel, sed ter abnegauerit? Sed illo

Ioan. 20

Esai. 9.

Ioan. 1.

1. Ioã. 1.

Ioan. 3.

† *gentilitas.*

Rom. 3.

Rom. 9.

Matt. 2

Luc. 1.

Gemina in Christo natura.

Vnde diuersæ de Christo Iudæorũ opiniones.

Mat. 13

Mat. 26

lo in carne à mortuis resurgente, resurrexerunt in anima discipuli. Vtrumque autē ante passionē eius, eadem quatradebatur nocte, in discipulis somno perfidiæ lapsis, ac suscitatione eiusdem redemptoris designatum est. Mors ergo eius, facta est ruina multorum, resurrectio verò, vita multorum. Dicatur itaque: *Ecce positus est hic in ruinā, & resurrectionē multorū in Israel.* Ac si diceretur: Eo moriēte, multi exstātibus ruēt: eo resurgēte, multi ex lapsis resurgēt. Quia verò illo, qui dē moriēte multi ruent, illo resurgēte multi surrexerūt, sed in eū, qui ex mortuis resurrexit, nō omnes crediderūt, rectè subiungitur: *Et in signū, cui cōtradicetur.* Quod enim signamus, ab aliorū notitia abscondimus. Quid autē ante infideliū oculos aliud fuit caro redēptoris, quā quoddā diuinitatis eius sigillū absconsionis? In signū itaq; redemptor noster positus fuit: sed cui, nisi illi cui contradictū fuit? Quæ causa cōtradixit? Quid cōtradixit? cui cōtradixit? Vt autē tāquā interrogāti cuilibet breuiter respōdeā. Quæ causa cōtradixit, nisi mors carnis? Quid cōtradixit, nisi nō esse Deū, qui mori potuit ab hominibus vt homo? Cui cōtradixit, nisi omni incredulo? Quæ videlicet & contradictio quibusdā in scandalū, quibusdā versa est in stultitiā, Apostolo attestāte, qui ait: Nos autem prædicamus Christū crucifixū, Iudæis quidē scandalū, gentibus autem stultitiam. Sequitur itaq; venerabilis senex, iustus ac propheta, & dicit matri Iesu: *Et tuā ipsius animā pertransibit gladius, vt reuelētur ex multis cordibus cogitationes.* Solet nōnūquā in scriptura sacra gladij, nomine, téporalis tribulatio figurari Psalmista attestāte, qui illatas à persecutoribus passiones in ipsos exoptat reflecti, dicēs: Gladius eorū intret in corda eorū. Hinc idē Psalmista de Ioseph loquitur, dicēs: Ferrū pertrāsiuit animā eius, donec veniret verbū eius. Ac si diceret: Tādiu fuit in illa seruitutis, vel carceris tribulatione, donec illud, quod prædixerat futurum, veniret. Sed nec aliud hoc loco per gladiū intelligimus figurari. Quāquā autē multę tribulationes animā trāsfoderint beatissimæ virginis, illa tamē hic specialiter designatur, quæ Domino in cruce moriēte, materna viscera trāsfixit. Dicatur ergo eidē à sāctoPropheta: *Et tuā ipsius animā pertrāsibit gladus, vt reuelētur ex multis cordibus cogitationes.* Ac si diceretur: Maternis viscerib⁹ tribulationis gladio transuerberatis, videbis in cruce pēdēte, quē angelo nūtiāte virgo cōcepisti, manēte virginitate filiū edidisti: quatenùs per hoc factū & Iudæorū insultantiū iniquitas, & discipulorū fugiētiū infirmitas denudetur. Denig; illo in cruce pendente, Iudæi præsentes insultabāt, vt descēderet: Apostoli fugiētes, de cruce illū descēdere posse non credebāt: quæ vt fierēt, necesse fuit, materna piaq; viscera ex eiusdē redēptoris passione gladio tribulationis trāsfigi. Sed iā ista, vt cœpimus, quid typicè significent, breuiter demonstremus. Quis enim intra sanctā Ecclesiā cōstitutus, nō videat in morte redēptoris nostri illos cadere, qui hūc aut solūmodò hominē mortalē fuisse, aut verā carnē in passione vel in resurrectione nō habuisse asseuerāt? Et quis in eius resurrectione nō cōsideret illos resurgere, quia à perfidia malæ credulitatis diuina gratia separati, & in vera hūc carne, salua diuinitatis suæ impassibilitate, veraciter passū, & in veracarne veraciter à sua maiestate suscitatū, affirmāt? An nō alijs in ruinā, alijs verò in resurrectionē Christ⁹ fuerat, eū Paul⁹ dicit esse, suisq; socijs diceret: Christi bon⁹ odor sum⁹ Deo, & in his, qui pereūt, & in his qui salui fiūt: & alijs odor mortis in mortē, alijs odor vitæ in vitā? De illis verò, quibus humanitas carnis, diuinitatē abscōdit saluatoris, ita dicit: Et si opertū est euāgeliū nostrū, in his, qui pereūt, est adopertū. Iā verò si deuotè (vt decet) attēdamus, ipsā beatā Virginē, cuius animā gladios trāsfodisse perhibetur, typū Ecclesiæ prætēdisse reperimus, cuius animā gladius † pertrāsisset, scilicet verbū prædicationis. Quod enim per gladiū prædicatio sancta figuretur, Paulus Apostolus testatur, dicēs: Et gladiū spiritus, quod est verbū Dei. Gladius enim animā MARIÆ trāsuerberat, quia verbū Dei electorū corda penetrās, ab errore mortificās, in veritatē vitæ cōmutat. *Vt reuelētur*, inquit, *ex multus cordibus cogitationes.* Ac si diceret: Id circò diuini verbi gladius sanctorū corda funditùs ab errore mortificans, in veritatis doctrinā cōmutat, vt dū quorōdā vitia virtutesq; loquēdo examināt, vnicuiq; quibus loquūtur, intima sua manifestent. Hinc Paulus ait: Si omnes prophetēt, intret autē quis infidelis, vel idiota, cōuincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus: occulta enim cordis eius manifesta fiunt: & ita cadēs in terram adorabit Deū, pronūciās, quòd verè Deus est in vobis. Qui autē essent isti prophetæ, ipse paulò inferiùs aperuit, dicēs: Prophetæ duo, vel tres dicant, & cæteri dijudicēt. Oremus autē, necesse est, vt idē gladius nostra corda transfigat, quatenùs fidelū turbis nobis prædicātibus, & singulorū virtutes, ac vitia exponētibus, vnicuiq; interiora sua patefiāt. Sequitur: *Et erat Anna prophetissa filia Phanuel de tribu Aser, hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua: Et hæc vidua vsq; ad annos octoginta quatuor: quæ non discedebat de templo ieiunijs & obsecrationib⁹ seruiēs nocte, ac die. Et hæc ipsa hora superueniēs, cōfitebatur Dño & loquebatur de illo omnib⁹, qui expectabāt redēptionē Hierusalem.* Hæc iuxta historiā aperta sunt, nec

Mors Christi quibus scandalo sit.

Resurrectio quibus causa resurgendi.

Gladius mysticè. Psal. 36

Ps. 104.

Gladius doloris viscera matris Dei fodit.

1. *Cor.* 1

2. *Cor.* 8

2. *Cor.* 4

† *pertransiit*

Eph. 6.

1 *Cor.* 14

Ibidem.

nec habent aliquid obscuritatis. Commendant autem castitatem beatæ mulieris, instantiam ieiuniorum atque obsecrationum die noctequè templo Dei inhærentis. Sed latent in his quædam Ecclesiæ sacramẽta. Quæ enim per Annam, quæ gratia Dei interpretatur, nisi electorum Ecclesia designatur? Ad cuius membra Apostolus loquitur, dicens: Gratia salui facti estis per fidem. Quæ benè etiam filia Phanuel, ac de tribu Aser fuisse perhibetur. Phanuel quippe interpretatur facies Dei: Aser verò vocatur beatus. Et qui alij per faciem Dei figurantur, nisi qui Spiritu Sancti gratia repleti, ad cognitionem Dei humana corda primi perduxerunt? Quia enim per faciem quilibet agnoscitur, iure facies Dei vocantur hi, per quos cognitio * veritatis reuelatur. Quique non immeritò Aser, id est, beati vocantur, quia ad æternam paternitatem, siue per inspiratam interiùs naturam, siue per datam exteriùs legem erudiri meruerunt. Vnde scriptum est: Beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. In quibus verbis apertè monstratur, electorum Ecclesiam filiam esse Patriarcharum, ac Prophetarum, quæ scilicet siue in spiritu, seu in verbo, rectè etiam Prophetissa nuncupatur. De qua adhuc subiungitur: Et vixerat cũ suo viro annis septẽ à virginitate sua. Et quis eius aliꝰ est vir, nisi ille, de quo per Esaiã Prophetam dicitur: In die illa apprehendent septem mulieres virum vnum, dicentes: Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur, tantummodò inuocetur nomen tuum super nos: aufer opprobrium nostrum? Quis alius huius est vir, nisi ille, de quo in Ioannis Apocalypsi dicitur: Ciuitatem sanctam Hierusalem nouam vidi descendentem de cœlo, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo? Quæ etiam antequam Christo sociaretur, ideo virgo vocabatur, vel quia tunc idola non colebat, vel certè quia non incorrupta, sed infœcunda erat. Tunc autem hanc sibi Christus vniuit, cùm naturam humanam suscipiens, Euangelium exorsus fuit. Quod itaque annis septem cum viro suo à virginitate vixisse describitur, tempus eiusdem prædicationis ipso septenario numero figuraliter concluditur, in quo & septiformem Spiritu Sancti gratiam ab ipso accepit, & ipsa in septem mulieribus, vel septem Ecclesijs mysticè eidem vniri meruit: & quia illo ascendente ad cœlos, humanitatis eius præsentia desolata est, iure etiam vidua remansisse narratur. An non vidua rectè vocatur, de qua per beatum Iob hæreticorum facta mentione dicitur: Pauit sterilem, quæ non parit, & viduæ benè non fecit? Illud itaque gaudij tempus, quo præsentia viri in carne fruebatur; illudque tristitię, quo eius præsentia desolanda erat Ecclesia, idem vir eius

Anna typus Eccles.

Eph. 2.

** diuinitatis.*

Psal. 93

Esai. 4.

Apo. 21

Eccles. Christo coniuncta.

Ecclesia vidua.

Iob. 24.

A designans, dicit: Non possunt ieiunare filij sponsi, quandiù cum illis est sponsus. Veniet tempus, cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt. In numero autem annorum octogintaquatuor, quibus vidua esse describitur, totum tempus vitæ præsentis exprimitur. Legimus enim filios Israel, vsquequò terram repromissionis ingrederentur, quadraginta, & duas mansiones in itinere habuisse. Quibus scilicet quid aliud, quàm peregrinatio vitæ præsentis figuratur, in qua eremi tribulationibus exercemur, vsquequò ad terram viuentium veniamus? Sed propter geminum testamentum, vetus scilicet, & nouum, idem quadragenarius, ac secundus numerus duplicatur, & fiunt octoginta quatuor. Sicut enim B propter vtrunque testamentum duodenarius numerus duplicatus, in vigintiquatuor senioribus Ecclesiam designat: sic etiam propter eadem duo testamenta quadragenarius, ac secundus duplicatus, in octogenario quarto præsens Ecclesię tempus figurat: Et quod ibi per mansiones, hoc hic explicat per annos. Vtrunque enim concorditer peregrinationem eiusdem Ecclesiæ denunciat, de qua & benè subiungitur: Quę nõ discedebat de tẽplo, ieiunijs, & obsectationibus seruiens nocte, ac die. Ipsa enim est templum, quæ & vidua, ieiunijs, & obsecrationibus seruiens in templo. Quæque ablata sponsi sui corporali C specie, quia hunc necdum corporis oculis intueri valet, ad nil aliud magis, quàm ad ieiunium, & orationem vacat. Hinc Psalmista ait: Fuerunt mihi lachrymę meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Vbi est Deus tuus? Dignè itaq; præmittit ieiunia, ac deinde obsecrationes coniungit. Quæ enim esse potest obsecratio, vbi regnat commessatio? Que esse potest deprecatio, vbi dominatur assidua potatio? Sed hęc dicens, cordis etiã vult intelligi ieiuniũ: quo nisi quis ab immũdis cogitationibus ieiunare studeat, obsecrationibus Deo vniri non valet. Siue autẽ isto, siue illo ieiunio, simulque obsecrationibus fulta, die, ac nocte seruire describitur: subaudis, Et in prosperis, & in diuersis ab hoc opere nõ cessat. Sequitur: *Et vt perfecerãt omnia secundùm legem Domini, reuersi sunt in Galilæam, in ciuitatem suam Nazareth.* Hìc iam figuraliter vltima Iudæorum conuersio designatur, quando Enoch, & Elia prædicantibus, Christus ad eos reuertitur, per actis scilicet omnibus in Hierusalem, id est, in Ecclesia gentium, secundùm legem Domini, noui videlicet testamenti. Quasi enim peracto sacrificio, ab Hierusalem in ciuitatem suam Christus cùm parẽtibus reuertitur, cùm adimpleta plenitudine gẽtium, nouissimè cum prædicatoribus sanctis ad eos colligendos, ex quibus carnem susceperat, regreditur. Sequitur: *Puer autem crescebat, & confortabatur, plenus*

Mat. 9.

Quadraginta duæ mãsiones.

Apo. 4. & 5 24. Seniores Ecclesiã designant.

Ecclesia templũ.

Ieiuniũ & oratio.

Psal. 41

Ieiuniũ cordis.

Iudeorũ conuersio extrema.

plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo. Hæc de illo secundùm humanitatem dicta sunt, non secundùm diuinitatem. Neq; enim in sua natura crescit, in qua plenus est: sed in nostra, in qua paulò minùs, quàm Angeli minoratus est. Nec in sua cõfortatur, in qua omnũ fortitudo est: sed in nostra, in qua pro nobis cõfirmat⁹ est. Nec in sua adimpletur sapiẽtia, in qua plenitudo sapientiæ est: sed in nostra, in qua pro nobis exinãit⁹ est. Nec in sua gratiæ indiget, in qua omnibus gratiam tribuit: sed in nostra, in qua ea, quæ cum patre habet, accepit. Quæ scilicet omnia meliùs ad eius corpus, quod est Ecclesia, quàm ad ipsum caput referri possunt. Vsquequò enim illud consummetur, quod Apostolus dicit, Donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, & vt iam nõ simus paruuli: quotidiè crescit in fide puer Iesus, quotidiè confortatur virtutibus puer Iesus, quotidiè verbo sapiẽtiæ adimpletur puer Iesus, quotidiè gratia solutionis iustificatur puer Iesus. Hæc de tanti diei solemnitate breuiter diximus, hæc de tam mysticis sacramentis succinctè transcurrimus: quia & prolixitatem Euangelicæ lectionis attendimus, & ad hæc agenda moras breues habuimus. De cætero dilectionem vestram admoneo, charissimi fratres, si tamen animos vestros hæc locutio fecit intentos, vt attendatis, qua deuotione huius diei solemnitatem, de reliquo celebrare debeatis. Nõ sit vile illud spectaculum, in quo filius Virginis Deus, & homo complectitur, in quo & virgo, & mater ostenditur, in quo Prophetæ, immo Prophetarum omnium expectatio adimpletur, in quo multa Ecclesiæ sacramenta declarantur. Quod ip *huiꝰ diei* se cordibus vestris imprimere dignetur, qui hodierna die sanctum iustumque Simeonem Spiritu Sancti illustratione interiùs pulsans, ad templum, quò ipse à parentibus offerebatur, docuit, immo certè compulit ire: qui cũ Deo patre, & eodem Spiritu Sancto, æquali potestate, æquali virtute, æquali æternitate, æquali maiestate viuit, & regnat in

secula seculorum,

Amen.

Psal. 8. *Heb. 2.* *Eph. 4.* *Ecclesiæ quotidiana incrementa.*

R. D. AMBROSIVS CATHERINVS.

NOTA.

REuerendissimus D. D. Ambrosius Catherinus Politius, natione Hetruscus, Patria Senensis, Archiepiscopus Compsanus, humanarum literarum, ac Iuris etiam Canonici peritissimus, in Theologia præclarè exercitatus; omne disciplinarum genus diligentissimè excoluit, ante quàm Christo se dedicaret, atque habitũ sanctissimi P. N. Dominici Religionis sumeret, Cathedram iuris Canonici moderatus fuerat, in quo discipulum habuit Iulium Tertium, à quo fuit primò Minoriensis, deinde Compsanus creatus Archiepiscopus, & ad onus Cardinalatus, quod ei mors præripuit destinatus. Floruit potissimum, quo tempore Synodus Tridentina habebatur; obijt verò anno à Virgineo partu M. D. LII. vir acris ingenij, atque iudicij extitit; ideo ab aliquibus de auiditate plùs æquò notatus. Plura scripsit, quæ latissimè referunt Placentinus, fol. 325. de Scriptoribus Prædicatoriæ Familiæ, Antonius Possevinus, & Gesnerus. Inter eius varia Opuscula, quæ primo Lugduni apud Matthia Bonhomme, anno M. D. XLII. Deinde Romæ apud Antoniũ Bladum, anno M. D. LII. in folio, & alibi sæpè excussa extant. De Immaculata, purissimaquè Virginis MARIÆ Conceptione absque omni labe, nodo, cortice, contagione, vel pruritu in vtero matris præseruatæ in primo suæ creationis instanti, opusculum satis eruditum edidit; in quo aperto Marte, scriptura, & rotionibus, Theologia, & iure: piam, & magis piam à dextris, & à sinistris nostram tuetur, & defendit opinionem. Iutrent ergo

in

in hoc Mare-Magnum Marianum dulces vndique aquæ, & fluenta gratissima omni salsugine, & amaritudine penitus relegata. Neve quis à reddendo Virgineo mari tributo riuus videatur exemptus, & hic MARIÆ intemeratæ sua persolvat Elogia. Scripsit etiam tractatulum de Consummata gloria solius Christi, ac Diuæ Virginis, quod etiam tibi damus. De nostro Catherino vide Sixtum Senensem lib. 4. Bibliothecæ Sanct. Possevinum tom. 1. apparat. sac. Alfonsum Fernandez Placentinum, Antonium Lusitanum, & alios.

F. AMBROSII CATHERINI POLITI SEN.

in disputationem pro Immaculata Dei Genitricis Conceptione.

Præfatio ad Lectorem.

VEterator Ille, ac mirè callidus antiquus Draco, Satan, Diabolus, vetus odium, ac rabidum liuorem in illam exercens, de qua in sententia maledictionis suæ audiuit ab ore
Gen. 3. Dei, *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius*, non cessat assiduè hanc circa rem (de qua propositus est nobis sermo) simplicium corda varijs imposturis auertere à veritate. Nam cùm in hac quæstione, quam sanè ipse diu fouit, planè videat hac via disputationis magis, ac magis illam, quam nos probamus, & quam ipse semper, ac mirificè odio habuit, veritatem illustriorem reddi, alia via, pro more suo, nunc tandem aggreditur. Mutatus enim in Angelum lucis, quasi homo pacis, & qui abhorreat à contentionibus, & his quæ non sunt solidæ pietatis, quæ autem sunt vnitatis, & concordiæ diligat, & exquirat, omnem huiusce rei disquisitionem vituperare incipit, ac detestari. Adornat ergo buccinatores suos, vt ferant in vulgus, hac de re disputationem non modò esse inutilem in Christiana Repub. sed etiam valde noxiam: vt potè ex qua magnæ contentiones, & lites, & scandala excitentur, ac foueãtur. Quare perpetuo, ac sempiterno illam obuoluendam, ac sepeliẽdam esse silentio. Erasmus enim vnus ex his, quib⁹ est vsus ad, multa zizania in agro Domini interserenda, illo spiritu plenus, non est veritus effutire, hanc esse vnam de Genealogijs illis interminatis, quas Apostolus præcipit deuitari. Hanc verò parabolam cum quidã in me obijcerent, primũ vehementer admiratus sum, non valẽs conijcere quid simile haberet hæc disputatio cum Genealogijs illis interminatis: sed ignorabam magistrum, à quo id prouerbij didicissent: vt verò Erasmum comperi auctorem, desij subitò admirari. Hoc tamen dolui vehementer, ac doleo, quò his Dæmonum versutijs ita multi persuadentur, vt ni palam hæ detegantur, atq; ostentẽtur, omnem mihi viam disputationis præcludant. Quid enim, agas cùm his, qui semel persuasi sint, scire hæc Christiano homini operæ pretium non esse, nec ad ædificationem pertine-

Erasm. in soliẽtia. 1. ad Tim. 1.

A re, sed ad destructionem, ni priùs hanc eorum ex animo falsam persuasionẽ auellas? Quamobrem hoc mihi necessarium esse facilè perspexi, ante quàm ipsius propositæ disputationis denuo tractatum aggrediar (Nam iam dudum idem argumentum tractaui) perscicuè ostendere huius rei sedulam retractationem non solùm non inutilem, aut seditiosam amãtibus veritatem, verumetiam valde necessariam esse, atque ad sedanda scandala, & schismata in Ecclesia Dei, vt idem dicamus omnes, nunc maximè necessariam. Itaque le-
B ctor, si amicus es veritatis intende: scio certò, persuadeberis.

DISPVTATIONIS PRO IMmaculata Conceptione Diuæ Virg.

LIBER PRIMVS.

De æstu Diaboli quo semper vsus est, vt nos auertat à considerat ione dignitatis Christi Matris, & nostræ.

C PRimùm nolo nescire quenquam, non esse nouum hunc serpentis æstum, vt illas potissimùm veritates quæ Dei charitatem, & munificentiam, & dona erga genus nostrum immensa ostendunt, maximopere supprimere curet, ac sepelire. Nam in magnis illis turbis, quas malignus ille per Arrium egregium discipulum suum in orbe vniuerso commouit, postquam Christi diuinitatem ea disceptatione in multorum mẽtibus, saltẽ dubiã, constituit, cùm postmodò perspiceret maiore tractatu, & perscrutatione, atque indagine
D scripturarum, certiorem, ac lucidiorem continuè reddi (qua luce incredibiliter cruciabatur) hanc rursus falsam pietatem, id est, pacis & concordiæ prætextum, ob oculos cœpit obijcere, & tanquã canens receptui, suadere vt à contentione discederetur, atque ita persuadebat malignus, vt plurimos alioqui religiosos, ac pios viros, in eam sententiam traheret. Extat enim (quod vehementer sum admiratus) Constantini Pij, Principis Christianissimi, Epistola ad Alexandrum, & Arrium,

Diaboli cum artificium tempore Arrij.

quam

quam non dubito malignum aliquem spiritum tenebrarũ, versum in Angelum lucis inspirasse, vt mitterentur *in errorem, si fieri posset, etiam electi.* Alexãder autem ille erat Episcopus Alexandrinus, qui primus Arrij blasphemiã detexit, & detestatus est. Ambos ergo ille princeps his verbis adorsus est. Dici natam præsentis quæstionis originem, quando tu, O Alexander à Præsbyteris requirebas, quid vnusquisque eorum de quodam loco in lege conscripto, magis autem pro vanæ cuiusdam quæstionis parte, sentiret? Tuque, ò Arri (quod neque principio cogitari debuerat, aut cogitatum taciturnitati tradi potius competebat) illud improuidè protinus obiecisti, vnde discordia inter vos emergente mysteria contemnuntur. Sanctus verò populus in vtraque diuisus, communis corporis congruentia separatur. Ergo vterque vestrum ex æquo voluntatem præbens, in quo confamulus vester iustè monet, obediat. Hoc itaque neque requirere dignum est, neque de talibus respondere quærẽtibus. Huiusmodi enim quæstiones, quæ non alicuius legis necessitate requirũtur, inutilis quęstionis vacationis tempus exquirunt. Et licèt causa cuiuspiam exercitij fiant, tamen debemus eas intra sensum claudere, & non promptè in conciliabula publica deportare: nec omnium auribus inconsultè committere. Quantus enim est vnusquisque hominum, vt possit ita magnarum rerum, & valdè difficilium virtutẽ, aut ad profectum inspicere, aut interpretari digne? aut si quis hoc facere, difficile tamen possit, quantæ parti populi suadebit? Ergo in talibus fugienda sunt multiloquia, ne fortè dum infirmitate nostræ naturæ, minimè quod proponitur, explicatur, mentes discentium auditorum, pro tardiore intellectu ad perfectam quæstionis perceptionem peruenire non valentes, ad necessitatẽ blasphemiæ, aut schismatis populus adducatur, &c. Et paulò post: Hoc ergo, quod vobis inter alia contentionem excitauit, quoniam non attinet ad totius legis virtutem, separationem quandam, & seditionem inter vos non debet efficere, &c. Hæc ille. Et abundùs de suo spiritu eloquens, friuolas illas quæstiones vocat: nec tanti esse, vt propterea scindere deberent Ecclesiam. Vide ergo, prudẽs lector, quid inter friuolas quæstiones asserebatur à tanto Principe: nimirum, quòd erat summum fidei nostræ fundamentum, Christi diuinitas. Admirarer hoc etiam magis, nisi & hoc idem nostris temporibus accidisset. Ille enim cœli sensor, ac terræ Erasmus in causa illa Arrianę perfidiæ, eius partes misericorditer deplorans, his verbis conqueritur. Expulsus est Arrius ob vnam vocula̅m. Et vt intelligas id suo iudicio, non prudenter fuisse factum, in hunc modum subdit:

2. *ad Corin.* 11.

Mat. 24

Constantini ad Alexandr., & Arrium Epistola.

Ego si quid auctoritatis habuissem in illis synodis, in quibus de orbis concordia tractabatur, suasissẽ præstare nescire, quid sibi vellet Homusij verbum in personis diuinis, quã tanto rerum tumultu, vel tueri, vel impugnare. Hæc ille. Quis autem crederet hæc de viro, qui fereretur Christianus, nisi fidelibus oculis ea perspiceret? non enim hìc (inquit) quod alio loco (quanquam inepte) dixerat, præstabat iacturam facere illius vocule homusion, sed amplius etiam ait, præstabat nescire, quid sibi vellet vox illa. Hoc verò non aliud, est quàm dicere, præstabat nescire Christum esse Deum, & Patri suo consubstantialem. Et hoc non aliud erat, quàm Christi gloriam simul, ac nostram obscurari, ac sepeliri in sempiternã. Quis igitur admiretur quòd etiam hìc homo scripserit hanc de Genitrice Dei pulcherrimam sententiam, quòd esset sine labe peccati concẽpta, vnam esse de Genealogijs interminatis, quas Apostolus præstare lites magis, quàm ędificationem aiebat? Nam & hoc spiritu plenus amabilẽ suam quandam Ecclesiæ concordiam meditatus est, in qua, magno Luciferi miraculo, si valeret, cum lupis oues, & cum Christo Belial fate git componere. Hoc item spiritu Mauritius Imperator non est veritus Gregorium Pontif. tantæ sanctitatis, ac doctrinæ virum, fatuum appellare, & eundem arguere, quòd ille Ioannem Episcopum Constantinopolitanum idcirco increpauerit, quòd se Episcopum vniuersalem vocaret, eò quòd propterea videretur de re friuola contendens, Ecclesiæ concordiam scindere: cui tamen tanta mansuetudine, & prudentia respondit Gregorius, vt quid contrà hìsceret, non haberet. Rescripsit enim illi in hæc verba. Rogo, vt imperialis pietas pensęt, quia aliqua sunt friuola valdè innoxia, alia vehementer nocitua. Nunquid non cùm se Antichristus veniẽs Deum dixerit, valdè friuolum erit? sed tamen nimis pernicioſum. Si quantitatem sermonis attendimus, duæ sunt syllabæ: si verò põdus iniquitatis, vniuersa pernicies. Hæc Gregorius ad illum. Hic insuper illusionis spiritus similiter multis imponit, qui illam quæstionem, vtrum si Adam non peccasset, Christus venisset in mundum, inutilem arbitrantur: minùs considerantes, quòd huius quæstionis veritate comperta, multò maior de bonitate, & prouidentia Dei, & excellentia Christi, notitia accipitur. Nam hoc articulo sanè perspecto, magnus aditus aperitur ad intelligentiam scripturarum, & ad amorem ipsius clementissimi patris excitandum, vrgentissima ratio rectè deputantibus ministratur. Hic item spiritus malus nonnullorum corda nunc etiam exagitat, qui, malæ conciliabilis concordiæ gratia, vellet, vt vox, & memoria meritorum Deiparæ, ac Sanctorum Dei, in Ecclesia

Erasmi impia pietas.

Mauritij Imp. conuicium in S. Greg.

Gregor. epist. modestiæ plena.

Dolus Dæmonis contra Christi eximiam præd.

Spiritus malignus contra cultum, & merita sanctorum.

cleſia ſancta aboleretur, aduerſùs antiquiſsimum, ac receptiſsimum omnium Eccleſiarum Catholicarum ritum, nec minus aduerſum ipſorũ ſanctorũ doctrinã, & contra ſacrarũ ſcripturarũ inuictiſsima teſtimonia. Deinque ad abolẽdam memoriam precioſorũ donorum, quæ Deus Optim. Maxim. contulit humano generi, vt eſſent in nobis, quanquàm nõ ex nobis. Sed de his alibi fuſiùs. Hæc enim ideo huc attulimus, vt prudens lector agnoſcat, non eſſe nouam hanc Diaboli technam ad deterrendum nos, prætextu concordiæ, ab ijs ſtudijs, & notitia earum veritatum, quæ Chriſti gloriam, ac ſimul totius generis humani dignitatem declarant: cui tam magna, tam precioſa dona ſaltem in eximijs; membris, collata ſunt. Quod vt in re propoſita certiſsimis argumentis demonſtrem, obſecro non deſit hìc mihi, mi bone frater, æquitas tua, ſi diligis veritatem. Ego enim vnum me eſſe profiteor ex filijs Iſraël, de quibus ſcriptura teſtatur, quòd ad certandum proceſſerunt mente pacifica.

Quòd hæc veſtigatio, & tractatio de Immaculata Genitricis Conceptione multis, ac magnis de cauſis ſic multæ vtilitatis, & opportuniſsima in Eccleſia Dei, vt deciſionem perfectam accipiat.

SI, quòd hæc tractatio, ac diſputatio ſit inutilis, ij ſolummodo iactitarent, qui manifeſtè ſunt illiterati, nec verba ponderant, quæ effutiunt, profecto nihil me mouerent, vt effutito ſermoni obſiſterem. At quoniam qui hæc ferunt in vulgus, profitentur ſe magiſtros eſſe, & habere diuinarum ſcient iam litterarum, vt poſsint etiam alios erudire, & docere: & propterea tenentur ſatisfacere omni poſcenti rationem de dicto ſuo, non pigebit in hos maximè dirigere ſermonem meũ, vt videam vtrum id ex iudicio proferant. Illos igitur adorior, qui Eraſmi parabolam in me obiectant, quòd intenderim quæſtioni inutili, aut Genoalogiæ interminatæ, quam Apoſtolus præcipit deuitari. Si enim hoc verum eſt, cur ergo tot viri, tantæ ſcientiæ, tantæque ſanctitatis, & gloriæ, quòd longum eſſet enumerare, tantopere hac de re diſquiſiuerunt, ac pertractarunt, Diuus Thomas, Bonauent. Albertus, Alexander, Ægidius, Scotus, Durandus? Quis non? Nobilium enim Theologorum, & eorum, quos voſmetipſi veſtros profitemini Auctores, quis (rogo) ab huius quæſtionis tractatione temperauit? ac tunc vel maximè quùm diuerſæ ſcholæ magiſtrorum in varias cœperunt ſcindi ſententias? Quid ergo? Nunquid illi inutiliter quoque, & ad ſcandalum? Equidem non moleſtè feram eiuſdem me culpæ reum ſimul cum tantis viris inſimulari. Reſpondebit forſan aliquis paulò argutior, Id illis olim licuiſſe quum nondum eius inquiſitionis vanitas, & infelix exitus apparebat. Nunc verò poſtquã iam ſatis ſuperque ſatis diſceptatum eſt, nec inde quicquam bonæ frugis, ſed contra, excitamenta potiùs, ac fomenta contentionum, & ſchiſmatum exoriri videamus, velle etiam atque etiam in eodem inſiſtere, & (quod dicitur) idem ſaxum perpetuò voluere, pertinaciæ dandum eſſe. Ego verò contra, Cur, ſi hoc eſt, hæc in me ſolùm obijciuntur, qui immaculatam defendo Conceptionem ſyncerè, & ex veritate? Ex veritate audeo dicere, quàm confidentiſsimè, nec ad ſcandalum vllum, quòd ex me eſt. In eos verò qui illam aſſerũt in communi lapſu, ac labe derelictam à Deo ſuo, & filio Chriſto, nihil mouentur? Quid dico nihil mouentur, cùm inſuper eos recipiant, legant, probent, terant manibus, ſeruent in Bibliothecis ad inſtruendum nouitios, qui poſtmodò huiuſmodi imbuantur doctrinis, ac zelo? Ego enim fateor primo anno profeſsionis meæ, cum paulò curioſior in huius rei diſquiſitione eſſem, incidi in huiuſmodi quorundam tractatus, quos vt legi, facilè fateor, ſeductus ſum, & ad eas partes tractus, quas nunc ab omni veritate prorſus deſtitui exiſtimo. Nam pro illa quam ſuſtinent opinione, tot, ac tanta congeſſerant, vt eam, quam nunc arbitror veritatem, penè blaſphemiam exiſtimarem. Non enim tunc benè callebam argumenta ſophiſtica, nec deprehenderam citationes falſas: denique totam diſputationem ex contentione, ac zelo magis tractatam, quàm ſyncerè, & ad veritatis manifeſtationem, non ſanè perſpiciebam. Dent obſecro mihi veniam in gratiam veritatis, qui hæc moleſtè ferunt, non enim hæc ſic aſſererem, teſte Chriſto, niſi cõperta haberem, & in promptu etiam, cuius poſtalanti poſſem oſtendere. Neque verò, cum hos accuſo velim quiſquam exiſtimet, me cunctos alios, qui contrà dimicarunt, putãre vacaſſe à zelo, & à ſpiritu contentionis, & nõ multa potiùs indignè, & per calumniam cõmentos eſſe, atque obiecìſſe in noſtros: Sed quia iuſtus eſt primùm accuſator ſui ipſius, in noſmetipſos potiſsimùm calamum acuo. Etenim circa huius quæſtionis tractatum, quid non iure poſſet obijci in Caietanum? Iterum præfamur hìc veniam, ſi ferro veritatis vſquam aduiuum penetro, idque ſeco, quod certè ſanam carnem malo contagio valeret corrumpere. Ipſe enim hac de re ſcribens, atque decernens, primùm Roman. Eccleſiæ, immo ipſi Spiritui Sancto os præcludere, ac modum ſtatuendi præfigere non veretur. Non enim vult Romanum Pontificem, ac Synodum vniuerſalem iure poſſe pro hac ſententia determinare, niſi euidentiſsimè fieret verum, ac indubitatum miraculum, expreſsè ad teſti-

Obiectio

Dilutio

Actoro-lim quo pacto deceptus.

Caietana audita.

Refutatur Eraſmi parabola de Genealogijs. Ab auctoritate ſanctorum.

testificandum hoc esse verum. Quod dictum, quàm sit falsum, & derogatorium illius Apostolicæ Sedis, & consequenter ipsius Spiritus Sancti, qui illam sedem semper, & vario modo direxit, vt non fuerit necesse tentari Deũ, viderint doctiores. Ego verò abunde in nobis, quas in eum reconcinnaui annotationibus id mihi videor ostendisse. Sed quid non est ausus in eo libello vir ille? Postquam enim Romanæ Ecclesiæ normam dedit determinãdi de hac re, omnes Vniuersitates, quę hoc iam olim ferè à centum annis determinarũt, præsumptuosas vocat: càm tamen sint clarissimæ toto orbe, ac tanto tempore per tot magistrorum successiones in eadem determinatione perstiterint, Romana interim Ecclesia tacente, ac per hoc tacitè consentiente, & probante, quòd illæ ad sedanda plurima scandala in populis, quæ foueri per improbas contentiones, & augeri assidue videbantur, prudentissimè, ac necessario determinarunt: præsertim cùm ipsa Romana Ecclesia eãdem immaculatam Conceptionem solemni ritu suscipiens, & sacris indulgentijs honorans, celebret, ac veneretur. Quare admiratus sum valde altitudinem cordis viri huius, & censuram tantam. Sed neque hìc finis. Nam & Basilien-

Consiliũ Basiliẽ.

se Concilium, quòd idem quoque determinarit, Synagogam Satanæ vocat, cùm tamen Concilium illud multæ Catholicæ Ecclesiæ ipsa etiam Romana tacente, & consentiente, hac saltem parte, susciptãt, & venerentur. Et hic vnus homo tantum verbum contrà pronuntiare tam audacter non dubitat, quod nunquam Romani Pontifices ausi sunt, ad quos tamẽ eam vocem emittere, si conuenisset, potiùs pertinebat. Quin ipsemet Eugenius. IV. aduersus quem nonnulla in eo Concilio tractata, & acta sunt, illud Concilium se

Eugen. Pap.

venerabiliter suscipere, & eius acta professus est. Similiter, & Nicolaus Quintus proprijs decretis, & confirmatione, eius Concilij acta comprobauit: quanquam non omnia, id est, ea quæ contrà Romanum Pontificem gesta sunt, quibus ipsi sunt aduersati. Et nunc huius quæstionis gratia tantùm, quam tamen ij soli faciunt quæstionem (nisi enim illi se opponerent iam decisa esset, nec esset quæstio) audimus priuata sententia talem Synodum, Synagogam Satanæ pronunciari, Quantò modestiùs, si dixisset, non se astringi huius Cõcilij auctoritate, quã appellando Synagogam Satanæ eos, quorum neminem tandem condemnauit Ecclesia, sed

Nicol. V.

pro Catholicis semper habuit? Sed nec ista pronunciatione contentus, etiam Diuæ Birgittæ canonizationem vocauit in dubium: quæ tamen, & in Constantiensi Concilio decreta, & à Rom. Pontifice specialiter confirmata, & ab omni recepta Ecclesia, quauis ratione considerata, non minorem debet habere vigorem, & firmitatem, quàm quælibet alia, cuiusuis alterius sancti canonizatio habeat. Vide ergo, lector, quantùm valeat zelus, & semel iactæ positionis pertinacia.

Pro canoniza. B. Virgittæ.

Ad hæc ne putes, & hic esse finem censuræ hominis huius, præter hæc enim cuncta miracula, & signa, quæ circunferuntur, & quibus viri probi attestãtur diuinitus edita sub hoc nomine conceptionis, literisque fidelium memoriæ prodita, & commendata, & in sacris aris depicta, tanquam conficta, aut quasi ab ipso Satana ad illusionem composita confidenter asseruit. Reuelationes quoque, quæ hanc circa rem etiam antiquis temporibus vsque ad hæc nostra tempora, etiam scriptis nonnullorum traduntur, venisse cœlitus, & de hac veritate instruxisse nonnullos seruos, & ancillas Christi, à sacra Synodo esse ablegandas, & mulierculis relinquendas, tanquam certè falsas, aut fictas, aut ab Angelis Satanæ proculdubiò venientes, pariter secura assertione pronuntiat. Pietas item illa, quæ in mentibus fidelium hanc sententiam, quam probamus, tutam, fidelemq; esse, & omni acceptione dignam, mirifica suasione confirmat, si hunc tantum Cẽsorem, & Iudicem audimus, non iam est vera pietas, sed error potiùs, & phantasia: atque idcircò offensiones piarum aurium, quæ vel primo auditu oppositæ opinionis in multorum cordibus creantur, à zelo procedere non secundùm scientiam, non à vera pietate. Scandala item, quæ exoriuntur in populis à defensione, & prædicatione contrariæ positionis, sunt scandala (vt iste inquit) passiua, & insipientiũ, & Pharisæorum, declarata illis veritate: scilicet quemadmodum ipse declarauit, qui tamen ab ipsa veritate coactus, id, quod tenemus, nec repugnare scripturæ, nec rationibus conuelli: quin pium, ac probabile esse fatetur, nisi aduersarentur illi dicta Sanctorum: Quasi verò Sanctorum sententijs, quæ nec scripturis roborentur, nec certa ratione suadeantur, id quod alioqui est ex se pium, ac probabile improbabile reddatur, ac minùs piũ; cũ locus ab auctoritate sit omnium infirmissimus. Quan quã & quod de Sãctis iactitant, præsertim antiquis, quàm sit verum suo loco tractabitur. Communem autem tandem Doctorum concursum, qui in hanc sententiam (his exceptis qui addicti sunt sectæ) magno consensu à pluribus annorum curriculis conuenerunt, facere quidem probabilitatem aliquam: sed vulgarem inquit: quoniam non verè docti sunt, & sapientes qui eam probant. Opponit enim huic probabilitati id, quòd sapientibus videtur, etsi pauciores sint. Quo in loco, vt planè cernis, sapiẽtes ab insipiẽtibus suo iudicio, & hac nota discernit, quòd ij demũ sapiant, qui tenẽt Diuã Virginẽ sub peccato illo fuisse: Cæteros autẽ præ his minùs sapere. Ritũ verò

Prosapnis, & miraculis.

rò celebrandi omnium Ecclesiarum sub nomine Conceptionis, nam verè sub hoc nomine festum istud in vniuerso Christiano orbe ab omnibus celebratur Ecclesijs, quem ritum, & iam communiter omnes Ordines (vt par erat) receperunt, nostro duntaxat exceptò, qui etiam in hoc diuisus est: nam in toto Christianissimo Regno sub eo nomine absque vllo scrupulo Fratres nostri eam celebrãt solemnitatem: hunc inquam tam communẽ ritum hic noster minùs rationabilem esse contendit. Quòd verò etiam Sancta Romana Ecclesia eum ritum certa sententia susceperit, & indulgentiarum fauore honorauerit, ac iam tot annis in eo perseuerauerit, ita despicit, ac floccifacit, vt coram isto iudice in hac tantùm causa nihil ponderis habeat. Hęc igitur, quæ ab hoc viro sunt scripta, licèt veriùs effutita dici deberent, quæso nunquid à vobis probantur, qui sanctificatis nobis silentium super hac re? Nunquid hoc ad sedanda scandala promouet, & ad pacem seruandam in grege Christi? scilicet coriphæum vestrũ (Scio enim ad quos loquor, & ipsi me intelligunt) de Sanctorum Canonizatione, de miraculis, de reuelationibus, de Concilijs, de vniuersitatibus, de doctis, & sapientibus, de vera pietate, de solemni ritu omnium Ecclesiarum, tanta confidentia, tam liberè, atque expeditè, ac tam grauibus sententijs decernere? Sed neque hìc etiam quiescunt, qui zelo malo agũtur. Est enim, & ex vestris alius qui vsque adeo ausus est, vt non sit veritus in medio Ecclesiæ etiam opusculis editis, hanc (quam vniuersa ferè recepit Ecclesia, ac sicut diximus, festiua celebritate, solemnibus officijs, ac missis honorat) non iam vt opinionem, sed vt sententiam hæreticam esse asserere. An quæso Ecclesiasticæ sapientiæ est, in diuinum cultum opiniones assumere? Nunquid in diuino cultu opiniones nostras, an fidẽ potiùs profitemur, vt doctè D. Thomas testatur? *Ergo quod etiam hæreticas opiniones Ecclesia Dei celebret tanta festiuitate*, quis hominum ausit dicere, nisi qui phanatico, & erroris spiritu agitetur? Et tamen hæc edun tur, publicantur, leguntur ad vestræ iuuentutis corruptelam, & labem. Hinc enim zelus, & contentio, & illa æmulatio parua, quæ scindit Ecclesiam: ego sum Pauli, ego sum Cephæ. Si sanctum est obuoluere hanc quæstionem silentio, & non præbere scandala: cur hæc non comprimuntur, quæ tam manifestè sunt scandalosa, & opprobrium obiectant in Ecclesiam Dei? An id forsan vestra sanctificatione silentij intenditis ijs demum non licere loqui, qui illi fauent sententiæ, quæ dominam nostram semper immaculatam fuisse ab omni labe pronunciat? (Nam hos demum ad scandalum loqui, & schisma) eos verò contra, pacem alere, charitatem fouere, & adæ-

Opiniones à cultu diuino explodendas, fidemq; requiri.

1. *Ad Corint.* 1. *Propria obiectione retũditur aduersarius.*

dification em moliri, qui hanc dicunt opinionem hæreticam, & Vniuersitates etiam præsumptuosas, & Cõcilia, ac decreta, quæ illam probarunt, eiusque solemnitatem commendarunt, fuisse Synagogam Satanæ, aut irrationabiliter decreuisse? At id quàm sit iniquum, atque nimium, ij (obsecro) cernant, qui non penitus ab affectione praua sunt excæcati: nec mihi quæso indignentur, quòd nimis apertè pronunciem veritatem. Scio enim, quòd veritas odium parit. Sed absit, vt potiùs hominem timeam, quàm spiritũ Dei: quo procul dubiò impellor, indicare veritatem his, qui velint esse ex veritate, & non ex contentione. Absit etiam (vestri causa hoc dixerim) vt in ea sitis tam iniqua sententia, vt idem factum quod in me reprehenditis, videlicet, hac de re disputare, quisquam vestrum commendet in alijs, aut in semetipso: cùm sit rationi maximè consentaneum, quod & ciuili lege sancitum est, vt quod quisque iuris in alium statuerit, ipse eodem iure vtatur. Nec velim, quisquam existimet obscurari gloriam Ordinis per hoc, quòd veritati studens non patior quicquam irrepere in Ordinem, quod sit alienum à veritate, & ab ea veritate, quam vos agnoscere, atque amplecti valde opportunum existimo. Verùm ne id, quod me rectè agere puto hac de re tractans, ab exemplis, aut factis aliorum, vel defendam, vel excusem, claris, & solidis, & quæ viuum tangant rationibus ostendam super ista quæstione intendere, ac differere non modò non esse inutile, sed opportunum admodum, ac necessarium.

Regula iuris.

Argumenta probantia huius quæstionis vestigationem, ac certam tandem eius resolutionem nedum vtilem, sed necessariam esse.

SVnt ex nostris, qui asserant Diuum Thomam diffinire hanc positionem, quæ habet, quòd Beata Virgo sit concepta sine peccato originali, esse erroneam, & contra scripturas, idque ex mente Augustini, & veterum sanctorum Patrum. Si id ergo putant esse verum, cur volunt taceri? Nunquid quod erroneum est, id est, contra scripturas, prudenter arbitrabuntur esse silentio prætereundum? Sin autem hoc Thomæ dictum non probant, cur ipsimet etiam hoc iudicium tacent in præiudicium iuuentutis nostræ, quæ sic Thomæ sentẽtijs perpetuò addicitur ex zelo, qui non est secundùm scientiam, vt ad contentionem armetur, volens ad literam quodcumq; defendere, quod ille protulerit & hoc præsertim, quòd in contentionem venit? Ergo id primum ipsi expungant, & de eorum libellis cancellent, quod scripserunt, videlicet quòd hæc sententia sit hæretica: & quòd qui eam ptobat (vt aiunt illi Augustinum dicere) de-

detestandus hæreticus inuenitur, & doceant nec Thomam, nec Augustinum hoc vnquam sensisse, sicut de Augustino non dubito: vel si fortè hoc senserint, deceptos in hac re fuisse, vt homines, & deprehensum eorum errorem iam fuisse, cum non sit bonum per eorum errorem duci quoslibet ad putandum tantum inopinabile, videlicet vniuersam penè Ecclesiam suscipere, & venerari hæreticam opinionem. Sin fortè dubitant de Thomæ dicto, quomodo ergo possunt sustinere in re tam graui, & necessaria irresolutionem huius puncti, id est, An hæc res verè ad fidem pertineat, vt alteram quæstionis partem cogamur suscipere? Nam quæ sunt præcipuæ Theologi partes (quæso) nisi docere, quæ ex Dei reuelatione nos certa fide suscipere debeamus? Vide igitur, vt iuxta hanc primam considerationem, quoquò se vertant, coacti sunt profiteri huius quæstionis resolutionem necessariam esse, si necessarium esse constituunt (vti debent) resolutos esse articulos, quibus assentiri ex fide Christianum hominem necesse sit.

Adhæc, constat eorum nouitios Auctores inter se maximè dissentire circa Thomæ sensum in hoc, quòd eorum quidam putant ex mente, ac verbis Diui Thomæ haberi nostram hanc, quam tamen nos verissimam arbitramur, sententiam (vt diximus) esse erroneam, & hæreticam. Vt ille, quem particulariter subnotauimus. Nam sic habent etiam libelli eorum, quos (vt diximus) seruant in Bibliothecis suis: licèt in hac parte sint à decreto Summi Pontificis condemnati. In hanc etiam sententiam venit Magister Ord. Franciscus Ferrariẽsis, videlicet, quòd ex doctrina D. Thomæ clarè habetur, quòd hæc sententia sit erronea, & idcirco pertinere ad fidem. Quanquàm ipse huic Thomæ sententiæ se non hærere sapienter protestetur, non sicut alius, qui plenus stomacho effudit inde, quòd habuit. Caietanus verò contra, sedulò Thomistas monuerat, & docuerat, nec reuera quæstionem hanc pertinere ad fidem, vt alteram partem necesse sit agnoscere tanquam ex scripturis probatam, quòd & elicit ex doctrina Thomæ. Vnde & Thomistas admonet, vt sint cauti, quum de Beatæ Virginis Conceptione aut tractant, aut disputant, ne dicant in zelo, non secundùm scientiam, erronea, quæ non sunt erronea. Cùm ergo hæc ita sint, & ipsimet, qui contrarias fouent partes, videlicet contra immaculatam Virginis Conceptionem, secum dissideant per Auctores suos, tum de re ipsa, tum de Thomæ sensu: quomodo potest hoc in loco cum ratione suaderi silentium, nec indagari super his veritatem, sed ferri etiam inter se tãtùm schisma? Nam hi duo recentiores Magistri contra Caietanum hac parte, etiam citatis verbis, senserunt, & scripserunt. Quorum alter, quem ex nomine non appellaui (nam ipse vel hac nota quòd in Caietanum scripserit, se nobilissimum fecit) etiam acerbissimè in illum inuectus est. Nos autem, vt nauci, & nihili homines, omninò contemnendos, præterijt: quod æquo etiam animo ferimus. Doleo, quòd inuicem nequiuimus illum silentio præterire, adeo terribiliter, & insignitè loquitur, atque adeo acutè, vt spinam esse facilè putare queas: sed mittens iocos in re valdè seria. Si hac de re omnino cogitatum non fuisse, neque tractatum hactenus à Theologis, posset aliqua ratione, noua de ea re quæstio dissuaderi, ne moueretur, ne pareret contentiones, & schismata in Ecclesia. At verò cũ iã mota sit, cũ tot voluminib⁹ pertractata, cũ iam scissæ sint in contrarias partes sectæ, & quælibet se veritatẽ defendere, quàm pertinacissimè asserat, & iam videamus tot per nouos scriptores fata esse semina ad omnia scandala, & schismata: quomodo creditur esse possibile iam seruari silentium? Audiam ego tantum Ecclesiarum, & præsertim Romanæ, contemptum? Item in præclarissimas Vniuersitates, in Concilia, in canonizationes, in reuelationes, in miracula, denique in omnem Christianum orbem censuram tanta auctoritate indigne prolatam, & potero conticere? Non potero: Catulus enim Domini sum: vnde & me mordacem vocant amici mei, itaque protestor, ni mihi clauserit os, quam violentissimè, qui solus potest, clamabo, & fortè etiam mordebo, si sagaci nare deprehendero bestiam: & excitabo Pastores, & patrem familiæ domus, si quando ab alijs curis auersus, ad hæc dirigat oculos prouidentiæ suæ, vt vel catulum tandem compescat, si fortè falliturs, vel certè lupos, & bestias malas, si nare certa deprehenderit, atque ostenderit feram.

Non esse silentio prætereundum, quod à tãtis est pertractatum.

Adhæc, cum scrutari nunc sacras litteras plurimi velint, & intellectum verum earum assequi, & incidan, tneceſſe sit in loca multa, quæ de hoc peccato loquuntur, cum inde quælibet harum partium afferat ad suam sententiam comprobandam, nõnulli Diuam Virginem sub peccato constitui, quidam verò contra: Et ferè passim hæc occurrunt, & nunc præsertim (vt dixi) cum scripturæ versantur in meditatione hominum, quis potest continere legentem ab huius quæstionis consideratione, quæ sese offert, & ingerit, velim⁹ nolimus? Quis ergo inde non in aliquam partem magis inclinet, in quam ipsa scriptura, vel innuere, vel certo argumẽto impellere videatur? cuius rei exemplavidebimus in disputationis processu. Quis igitur possit ab huius rei cogitatione auerti, & adhuc, ne quod sentiat, proferat, nisi semel prorsus determinet de scripturarũ verò intellectu Ecclesia sancta, & imperet, vt idipsũ dicam⁹ omnes, & non

Franc. Ferra. magist. Ord.

Caiet. admonitio.

Ad intellectum scriptũrarum facere huius q. resolutionem.

non sint inter nos schisinata? Ergo cùm ex harum scripturarum illucidiori excusione verus ipsarum resultet sensus, & consequenter quæstionis huius, quo modo potest, vt inutilis, hic tractatus prohiberi?

1. *Ad Corint.* 1.

Adhæc ex Thomæ, & sectatorum doctrina habetur, quòd hæc sententia, quam probamus, derogat Christo: & id nobis obijciunt, qui negant Virginis Conceptionem immaculatam, eò quòd consequenter negemus Christum eius redemptorem, conciliatorem, Saluatorem, medicum, & huiusmodi: Si hoc verum sit, nunquid est bonum, eos tacere, & ferre tantam diminutionem in Christo? Quod si illud multò sit verius, quod audacter asserimus, adeo hanc sententiam nostram non derogare Christo, quod ipsi in nos obiectant, vt etiam illi plurimùm arroget; nunquid est bonum silere, & calumniam manifestam non depellere, ac manifestare his, qui non videant illam? Absit, vt cordatus homo consentiat.

Adhæc, persuadetur prima facie multis, quod etiam in eorum argumentis ij habent, quòd si conceditur Diua Virgo sine originali peccato, iuxta nostram sententiam: iam æquatur illa Christo. Nunquid ergo, si hoc verum ipsi arbitrantur, possunt salua conscientia silere, & nos qui certò perspicimus id esse falsum, & hac stante sententia, illam longo interuallo relinqui post Christum, immo & magnificari ipsum Christum præ illa, est bonum silere hoc, & non eorum nouitijs, qui tam falsis eorum argumentis imbuuntur, prospicere ne rapiantur in zelũ, non secundũ scientiã, & facilè procedant in contentiones?

Quæ inquirantur de B. Virgine.

Adhæc, ista quæstione contenditur, an Beata Virgo fuerit sub originali concepta peccato uecne? & cõsequenter an aliquando maculata, & subiecta peccato, necne? & consequenter quandoque sub ira Dei, & sub potestate, ac dominio Diabolinecne? hæccine igitur sunt inutilia, ac nullius momenti, vt inquirantur de Matre Dei?

Adhæc, cùm è conuerso præter scripturas, & rationes multas pro hac nostra sententia, producãtur miracula, & signa de cœlo: & cõtradicentes tanquam conficta esse, aut falsa citra vllam cognitionem tam expedite iudicent; nunquid etiam circa hoc rectè iubetur silentium? siue sint vera miracula (vt putamus) cùm non sit tacendum quod Deus etiã miraculis probare dignatur, vt etiam colatur, siue sint falsa, cùm falsa miracula non sint adeo temere inculcãda pro veris: & quòd valdè pernitiosum est etiam ad testificandum pro re, vel inutili, vel falsa, vel (vt asserunt qui supra modum audent) etiam hereticà? & quod de miraculis dixi, etiam de reuelationibus dici potest. Si enim reuelationes, quæ circumferuntur veræ sint, nonne eas etiam patere bonũ est, vt agnoscamus, quas

Thob. 12

A nobis Deus reuelans, vult coli veritates? Ad hoc enim quippe reuelat: Et scriptum est: Reuelare, & conteri opera domini honorificum est. Quod si hæ reuelationes, aut falsæ, siue fictæ, aut commentitiæ contenduntur, Nonne valdè noxium in agro Dominico eas recipi pro veris, & tanquam cœlitus allatis? præsertim cum asserantur esse seruorum Dei & ancillarum Christi, & earum, quas in Sanctarum Cathalogo connumerauit Ecclesia Sancta: vt de Sancta Birgitta asseritur? Et nunquid (quæso) etiam id nullius momenti est in Ecclesia, vt eius canonizatio huius quæstionis gratia vertatur in dubium: O tempora cæca! & adhuc sanctificatur silentium!

B Mitto & alias, quas secum trahit magni præiudicij quæstiones, hæc quæstio (videlicet) de Conciliorum decretis, & ipsius adeo Pontificis, de ritu Ecclesiarum de determinationibus Vniuersitatum, de pietate vera, vel falsa, denique de cultu diuino, in quo subesset falsum aliquod, & mendacium, idque per Ecclesiam Dei, quod esset, si cõcederemus hanc sententiam esse falsam, valdè perniciosum, & ad scandalum fidei maxime faciens. Nam hæc omnia per istos accidunt, qui pertinaces in opinionem, tandem coguntur ea pernegare absurda esse, à quibus tamen Sanctus Thomas (quem ipsi præcipuum auctorem habent) vehementer abhorruisset. Ita me ipse Thomas amet, obsecro, & adsit mihi:

C cuius etiam deuotè imploro auxilium, & patrocinium in causa ista, vt hæc ex eius mẽte profero, & ex eiusdem syncerissima doctrina.

B. Virginem nõ debere honorũ titulis propter falsam pacem priuari.

Ex dictis arbitror iam satis patere, non solùm huius rei tractationem non esse inutilem, verùm etiam multis de causis oppidò necessariam, quòd & multas, & magnas, ac magni ponderis secum ferat animaduersiones: Quare illud vanum, & friuolum, & meræ fallaciæ est ad imponendum simplicibus, quod obijciunt quidam, videlicet superfluè nouos honorum titulos inquiri ad collaudandam Virginem, quando satis ei sint illi multi, quibus ab antiquis Patribus est ornata, & commendata, vel hic solus quòd dicitur Mater

D Dei, hinc exclament: Quantò prudentiùs, si Pauli exemplo, nihil aliud nos scire profiteremur, *quàm Iesum Christum, & hunc quidem crucifixum.* At nos ex aduerso dicimus, Nunquid ergo detrahenda est illi laus, hæc si vera sit, quòd alijs pluribus abundet? Nonne peccatum est homini, si cuipiam detrahat, vel in vno, quamuis in cæteris etiam laudet? aut (quòd multò est iniquius) idcirco in alijs laudet, vt fidem aucupetur in quo vituperet? At simili argutia negari posset & Dei Mater, sicut olim quidam, & dicere. Quenam tãdem superstitio hæc, vt cogamur eam dicere Matrem Dei? An fortè desunt aliæ præclaræ MARIÆ laudes? Ecce profitemur illam Virginem

1. *Ad Corint.* 1. *Occasio ad periculũ detrahẽdi B. Virgini si non defendatur absolutè eius honor.*

ginem, & fœcunditatis gloria singularẽ, præ dicamus eam humilitate præstantẽ, innocentia puram, illustrem fide, spe sublimem, charitate flagrantem, omni insuper gratia, & virtute ornatam, atque refertam: denique Christi matrem. Quid igitur etiam super hæc negotium nobis facitis, vt Dei quoque matrem illam confiteamur, quasi verò ipsam illa genuerit deitatẽ, quod horribile est, vel dictu? O vulpes, vulpes, sed inciderunt in laqueos:

Apoc. 5. *Et vicit Leo de tribu Iuda:* & datus est honor suus matri, & insonuit vniuersa Ecclesia ore consono, MARIA Mater Dei, non solũ Mater Christi. Atque ita perijt memoria impiorum cum sonitu, vt iam pro meritis viuat in pœnam, & contumeliã. Quòd si & nunc similiter Deo placet, vt certe placet, vt ex hoc admirabili conceptionis eius priuilegio maternus hic honor agnoscatur ab omnibus, atque probetur: qui sumus nos miseri, qui eius

Ad laudem Mariæ maximè attinere præseruatã esse à labe peccati. volũtati posse resistere speremus? Nam quòd insuper adijciunt, parum ad laudem Dominę attinere hoc, quod illi adscribimus, priuilegiũ, prorsus inopinabile est. An quæso parum mali existimant, peccati fœditatẽ, Dei iram, atque inimicitiam, Diaboli seruitutem, etiã si quis paruo momento his tantis malis teneatur? At non ita sentiunt qui spiritualibus oculis rem perspiciunt. Quare ab hac adeo misera cõditione singulari dono seruatam fuisse,

Lucæ 1. magnum esse arbitrantur: sicut & illa exultans in spiritu professa est, *quia fecit mihi magna qui potens est.* Quòd si parum etiam ex se hoc donum profiteremur, magnũ tamen profectò fieret, tum præstantia donatoris, tum etiam singularitate eius, cui soli donatũ sit. Nam, vt quidã egregiè dixit: A magnis principibus, etiam minutulis donis, honestari, magnum, & fauorabile censetur. Denique si vir

Plinius in epist. Ex August. argumentũ à minori ad maius. ille spiritualium rerum diligẽs examinator, atque æstimator prudens Augustinus, carnẽ MARIÆ iam demortuam, pro quouis temporis puncto obnoxiam corruptioni non poterat sine horrore cogitare (vt ipsemet testatur) quantò hoc certè minùs de sacratissima anima illa cogitãdum, quòd peccato corrupta, quòd Diaboli potestati subiecta, quòd Deo tandem inimica, etiam pro quouis momẽto, verè dici potuerit? Sed quid vlterius moror cum & hoc in loco isti ex diametro cum sententia Beatæ Thomæ depugnent. Nam quod ipsi adeo paruifaciunt, Thomas ipse contra adeo magnifacit, vt idcircò neget MARIÆ conuenire, quòd nimis excelsum videbatur, eò quòd per illud æquari videretur Christo. Nos tamen, vt suis locis declarabimus, & magnum esse fatemur, nec tamẽ adeo magnum, vt ad Christi maiestatem ascendat. Quare friuolum est penitus, quod addebant, satis esse eam, vt Dei Matrem celebrari, idquè solùm loco omnis laudis. Nam hac ipsa ratione

A ne conc luderent, ne laudetur, vt Virgo, ne colatur, vt sanctificata, taceatur, & assumptio eius gloriosa: & alij prærogatiuarum tituli, quibus abundat. Adhæc dum ipse mecum animo, & cogitatione contemplor, quã grande, ac magnificum sit esse excelsam Dei Genitricem: tum quàm vile, & indignum computari sub macula, & fœtore peccati, & sub ira omnipotentis, magna profectò dissonantia offendor. Piæ enim aures cacophoniam istam facilè sentiunt, cùm hinc Matrem Dei, inde illam ipsam sub ira Dei audiũt. Hinc rursum Matrem Dei, inde sub fece, ac fœtore peccati. Neque verò dubito, si sectarum affectione remota, etiam vos ipsi

B (ò amantissimi fratres) in cordibus vestris rem eam tranquillius tractaretis, proculdubiò hanc absurdam dissonantiam sentiretis. At quia nunc magistrorum traditionibus addicti, atque idcirco male affecti sunt quidam, nihil mirum, si à re quantumuis absona, non patiuntur. Nam quid est illud quæso, quod obijciunt: nõ iudicaui, me aliud scire, nisi Iesum Christum, & hunc quidem crucifixum? Hoc enim in Catholicos Faustus Manichæus obijciens, responsum accepit ab Augustino præclarum: quo & ego nunc in proposito vtar. Multa enim (inquit ille)

C sub hac Iesu Christi crucifixi sententia continentur. Ego verò in hoc ipso crucifixi libro hoc eximium MARIÆ priuilegium lego, & agnosco: quia nobilissimo modo eam redimi decebat, de qua caro illa accepta est, quæ meruit redemptionem. Quòd si fortè non ita beati quorundam oculi, vt hæc videant, saltem, ne sint nequam, vt his qui vident, inuideant. Nam vt etiam aliquid in spiritu meo audeam, confidenter asserо, qui Iesum Christum, & illum præsertim crucifixũ, à MARIA diuiungit, hic profectò, & Christum scindit, & mysteria salutis non integrè capit. Est enim ab æterno prædestinatus Iesus, at cum MARIA: dictum est pro illo. Adorent eum omnes Angeli eius: at non sine illa

D quæ audiuit, & lætata est, eò quòd & ipsa super eos est exaltata (vt confidenter canit Ecclesia) ad cœlestia regna. Venit Angelus à Deo Patre de cœlo, vt euangelizet *in terris Verbum* bonum. At quis dignus qudire mysteriũ, nisi sola hæc Virgo, quæ vt priùs illud in mente conceperat, ita audito verbo, & præsto pro se, & humano vniuerso genere, consensu, subitò concepit in ventre? Incarnatus ergo est ipse, & natus ex tempore: sed de MARIA. Reclinatus est in præsepio, sed ab illa. Adoratus est ibi à militia cœlestis exercitus, sed primũ, ac potissimùm à MARIA. Illa enim eũ ineffabili charitate excepit in gremiũ miro feruore, mundissimis *pannis inuoluit*, incredibili lætitia ad materna vbera applicuit. Inuenitur à pastoribus mysticis muneri-

Non decere Matrẽ Dei, Deo inimicam, & Diabolo subditam fuisse.

Addicti sectis nõ facilè veritatem cernit. Importuna obiectio. Aug. in Faustũ.

Luc. 1. & 2.

B. Matris Dei cum filio assidua coniunctio. Mat. 2.

B bus,

bus, à sanctis Magis recognoscitur, semper tamen adest MARIA, quæ conseruat omnia verba illa in corde suo. Implet legis munia, sed non sine MARIA: fecedit fugiens Herodianam rabiem infans in Ægyptum, sed individua comes MARIA. Prædicat turbis, contendit audire MARIA. Nam hinc verè Beata, quia præ omnibus audijt *Verbum Dei*, & custodiuit illud. Pendet in Cruce Iesus, sed prima *iuxta crucem* MARIA: cęteri, siue mares, *Luc.11.* siue fœminæ, vel fugisse, vel à longè iesunctos, aut stantes esse leguntur. Deponitur de *Ioã.19.* cruce, & inuoluitur in syndone munda, hic elegans contemplator in syndone illa facile agnoscit eam, quæ verè munda circundedit virum. Sepelitur in sepulchro nouo, quod excisum fuit in petra, in quo nullus alius antea positus fuerat: hic ęquè licet beato oculo spectare MARIAM, in qua verè reconditus est Iesus, & seruatus. Ipsa enim excisa proculdubiò in petra: Petra autẽ erat Christus. Nullus autẽ antea quisquam positus fuit in ea: quia nullus ibi locus Diabolo vnquã fuit, cum esset ab initio sacrariũ Spiritus Sancti, & mox gazophilacium æternæ virtutis, ac sapientiæ. Resurgens apparuit mulieribus, ac discipulis, sed vt multò est credibilius, primò MARIÆ. Ascendit in cœlũ Iesus, sed vt prima, & electissima, & purissima dona accipiat in MARIA, & ineffabilia, quæ non licet homini loqui, communicet. Mittit *Spiritum Sanctum*, sed assistente, & orante MARIA. Sedet filius ad dexteram Dei Patris, sed consecẽdere facit & matrem, vt dignissimam Regi- *Act. 1.* nam in gloria consummata, in vestitu deaurato, circum amictam varietate. Deniq; venturus speratur ad iudicandum: Quis non etiam cum illo venientem, atque etiam assistentem eius lateri contempletur MARIAM, sicut scriptum est, quòd *prudentes virgines occur-* *Mat.25* *rerunt obuiam sponso, & sponsæ?* Vbi sunt ergo contemplatores isti, qui Iesum Christum prædicant, & illum crucifixum, & tamen possunt ibi non spectare MARIAM, quæ tunc maximè, vt præclarè meditatus est Augustinus, tunc inquam maximè à Christo respecta est, quum caro illa (quam de ipsa trahere dignatus est) pro omnium salute pendebat? quantò ergo magis pro eius salute, quæ causam salutis edidit vniuersis?

Quod item postremò de scandalis afferunt, nihil est. *Et enim necesse est, vt veniant scandala, sed væ homini per quem scandalum venit.* *Mat.18* At quisnam auctorem scãdali illum censeat, qui cum Ecclesia loquatur gloriosa de Matre Dei, quæ ad filij etiam maiorem gloriam faciunt. Quòd si quidam inde scandalum patiuntur, vnde & in fratrem suum odio excitentur, ipsi sibi testimonio sint, necne verè seruos Dei esse declarent, qui à re pia offenduntur, neque satis (quod plus admonent) obseruant, cum ipsi nõ sint mansueti ad omnes. Neque enim alij sunt, qui hac de re scandalũ patiantur, præter eos qui Magistrorũ sectis afficiuntur, & qui ab his rumoribus prætextu pietatis subuertuntur. Cæteros verò doctrinam, ædificationem, exultationem in Domino potiùs capere: quod, & tantò magis facerent, quantò minùs hæc veritas haberet impugnatores. Ipsi igitur magis scandalorũ auctores sunt, qui mentes pusillorum, atq; simplicium perturbant, & subuertunt gratis. Illud tamen certò constat, multos tanti consideratione mysterij in deuotionem, ac gratiarum actiones, & deprecationes, vehementiùs excitari: Alios ad misericordiã, & beneficentiã in Christi pauperes cõuerti: plurimos sub ea cõmemoratione salutares offerre hostias: nonnullos etiã sanitatũ beneficia, & alia dona per huius rei fidem, ac professionẽ, vt deuotè implorant, ita feliciter impetrare: quanquam hoc amici isti nostri derideant. Adde, quòd sub hoc titulo nonnullæ institutæ sunt (quas vocãt) Fraternitates ad diuinas laudes, erecta etiam templa, ac sacella, quæ latiùs patent. Quis igitur hæc, quæ huiusmodi sunt, scãdala vocare possit, nisi cui & ipsa religio, & misericordia, & sacrificiũ, & opera Dei, & eius honor, & gloria in eius matre amplificata displiceant? Neque tamẽ mirũ, si non hæc sine contradictione procedant. Ita enim sem- *Non sine conflictu perspici in rebus diuinis veritatis splendorem.* per obseruatũ est in rebus Dei, vt & gloriosior fiat ex cõtradictione victoriæ: vt ita quasi aurũ in igne probata veritas, rutilantiùs eluceſcat. Debuit enim & mater filio, aut spõsa sponso assimilari, de quo prophetauit Simeõ, futurum illum signũ, cui cõtradicetur.

Vt igitur contra hos huius importuni silentij suasores, ac falsæ pacis, & concordiæ sanctificatores, breuiter rem perstringam, te tandem alloquor prudens Lector, & veritatis amator. Si huius rei, & quæstionis inquisitio, & indagatio talis est, de qua nullus nobilium Theologorum à trecentis annis lapsis, ad hũc diem non disputauerit: Si ab eius elucidatione multarum verior scripturarum sensus accipitur, ac longe illustrior (id quod putamus ex hac disputatione veritatis amantem posse agnoscere) si antiquorum sententias Doctorum, atque sanctorum sana interpretatione intellectas, non solùm huic nostræ sententiæ non aduersari, verũm etiam potiùs fauere, contra quod contradicentes arbitrantur, hic manifestè ostenditur. Si hæc item aperta veritas, non solùm non derogat eminentiæ Christi, vt ipsi putant, verùm etiam seruat eam, ac magis conspicuam facit, cùm non minùs ad eius, quàm ad matris gloriam amplificandam pertinere doceamus: Denique si huius sententiæ elucidatio est pietati conueniens: Doctorum diffinitionibus, ritui Ecclesiastico, sedatrix discordiarum,

Studiũ piorum excitatum ardentiùs ad bona opera.

Summa eorum quæ inferius probantur.

rum, si recipiatur ab omnibus vt deberet (Nã hæc omnia, nõ proteruis mẽtibus efficaciter hoc tractatu persuadentur) si hæc inquam ostendantur manifestissime (vnde & rotundi tur nonnullorum insolentia, qui zelo perciti non secundùm sententiam, multa indignè nec solùm imperitè, verum etiam, vt ex parte ostendimus, contumeliose iactarunt) profectò opportunum est non silere, vt hæc tam pulchra veritas honoretur, & obseruetur in gloriam, & laudem omnipotentis Dei, & Domini nostri Iesu Christi, ac sanctissimæ matris eius. Amen.

Nostra igitur positio, pro qua ingenua, & liberali disputatione certamus, & quam fidelem, & omni acceptione dignam arbitramur, hæc est.

Diuam Virginem Domini Dei sui, ac nostri Matrem, ab illa communi labe, quæ in omnes homines primorum parentum culpa processit, singulari prærogatiua, ob excellentissimam eiusdem filij sui gratiam, ac merita pro illa, & ob singularem eius charitatem in illam, à Deo patre summo semper exceptam præseruatamque fuisse.

Quoniam contra hoc adeo nobile priuilegium sacræ Virginis instruxerunt aciem aduersarij, duas nobis ordine turmas obijcientes. Primam, quæ continet rationes, quas de scripturis educere sibi videntur. Secundam, quæ sententias auctorum complectitur, quæ hoc priuilegium Dominæ oppugnare videntur, opportunum censui primum gladio veritatis his obuiam procedere, vt dissectis illis, ac profligatis, confidenter tandem valeamus ostendere quot, & quantis, hæc pulcherrima veritas, & quidem inexpugnabilibus fulciatur præsidijs.

Ratio procedẽdi in hac disputatione.

DISPVTATIONIS PRO IMmaculata B. Virginis Conceptione.

LIBER SECVNDVS.

De prima contradicentium acie, & turmis, à rationibus de scripturis collectis.

Præcipua contradicentium oppositio.

PRima igitur aduersantium ratio, & omnium aliarum principium, & radix, qua contradicentes huic nostræ sententiæ aduersantur, illa est: Quicunque conceptus ex viri semine est Adæ filius sub hoc peccato concluditur: non est autem dubium B. Virginem hoc pacto conceptam, fuisse Adæ filiam, Ergo, &c. Nos autem respondentes dicimus verum esse, quòd quicunq; est Adæ filius, ex vi huius generationis, debet sub hoc peccato concludi: quòd autem de facto concludatur, nihil necesse est. Quo circa qui diceret B. Virginem ex seipsa, & suo ipso iure ab hoc peccato excusam esse, aberraret prorsus à veritate: Qui verò dicit, quòd illa, licet ipso iure deberet hoc peccato teneri, ex priuilegio tamen, & in gratiam filij sui, & propter eius merita, præseruata est, ne vnquam illo corã oculis Dei implicaretur, quod nos dicimus, profectò vniuersam aduersantium machinam in ruinam mittit.

Respõsio.

Corruit enim primò id, quod aiunt. S. B. Virgo nõ fuit sub hoc peccato, non fuit Christus eius redemptor, & liberator, & saluator, aut iustificator, & medicus, & sanctificator. Nam ex hac sentẽtia nostra tantũ abest, vt id consequatur, vt oppositũ potiùs colligatur: videlicet, ergo fuit magis eius redẽptor, & liberator, &c. quam omniũ aliorũ, quoniã cum alioqui deberet in peccatum ruere, & Diaboli faucibus dimitti, sustẽtata est præseruatione, ne rueret, & in Satanæ potestatẽ veniret: atq; idcirco longè excellentiùs quã alij liberata, & redempta. Non enim vt quis indigeat redimi, ac redẽptus dicatur, requiritur, quòd fuerit de facto captiuus: sed satis est, quòd ex se fuerit obnoxius captiuitati, & redimatur à captiuitate incurrenda, ne incurrat. Quod genus redẽptionis tantò certè est dignius, quãtò etiã melius est (vt aiunt Iurisconsulti) ante casum occurrere, quã post casum vulneratã adhibere remedium. Et quod dicimus de redẽptione, etiã de saluatione, iustificatione, liberatione, medela, & huiusmodi dictũ volumꝰ. Quare & sanctus Dauid dixit: *Qui redimisti Dauid seruum tuũ de gladio maligno*, hic est enim punctus, & intelligitur de gladio Saulis, à quo tamẽ tactus nõ fuit. Et post hæc subdit: Erue me, & libera me de manibus filiorũ alienorũ: & tamen sub eorum manibus nõ erat, à quibus petit erui, & liberari: sed quia esse poterat, & peccata sua videbantur mereri, ideo acsi sub eis esset, petit erui, ac liberari. Sed aiunt: *Non est opus medico benè valẽtibus, sed malè habentibus*. Bene, Sed nec sunt inter benè valentes cõputandi, qui ex seipsis morbidi essent, nisi præseruans medela morbũ propelleret. Quare & rectè circa hoc Augustinus. Sicut sunt duo officia medicinę: alterũ, quo sanatur infirmitas, alterũ, quo custoditur sanitas: sic & duo dona gratiæ, vnũ, quod aufert carnis cupiditatem, alterum, quod facit animæ perseuerantem virtutem: ita vt vterque indigeat medico, & qui est infirmus, vt infirmitas sanetur, & qui potest infirmus fieri, vt seruetur in sanitate. Hæc August. Bern. etiã in suis canticis magis audet, ita vt in ipsis Angelis cõstituat redẽptionẽ: ait enim: Qui erexit lapsum hominẽ, statim dedit Angelo ne laberetur: sicut illũ de captiuitate eruẽs, sic hũc à captiuitate defendens. Et hac ratione fuit Christus vtriq; redẽptor, soluens illũ, ac seruãs istũ. Hieron. etiã Angelos gratuita gratia saluatos dicit. Durãdus item, licèt cõtrariam opinionem teneat contra Virginis cõceptionem, non tamen ita durus fuit, vt non

Obiectio Quomodo Christus sit B. Virg. saluator redemptor, &c.

Psal. 43

Mat. 9.

Aug. de vera innocent.

Duplex medicinæ genꝰ.

Ex D. Bernar. Angelos redemptos.

hoc fateatur quod dicimus, etiam hominem indigere redemptione, qui in periculo sit captiuitatis: vnde si eruatur, ne fiat captiuus, etiam verè dici redemptum. Quod similiter, & Caietan. ingenuè confessus est ijs verbis: Non solùm indigere redemptione, qui actualiter captiuus est, sed etiam qui obnoxius esset captiuitati. Et adiecit. Et hæc benè notabis tu Thomista, ne nimio zelo non secundũ scientiam dicas erronea, quæ non sunt erronea, quum de B. Virginis conceptione disputas, aut prædicas. Non me latet quendam contra Caietanũ argumentatum esse hoc pacto. Nullus (inquit) potest dici peccato obnoxius, antequam sit. Si igitur B. Virgo aliquando fuit peccato obnoxia, profectò fuit quando iam erat, & ita saltem primò instanti suæ conceptionis. Tunc autem quando erat obnoxia, nequaquam poterat dici præseruata, & sine peccato. Et nos dicimus quòd iste arguẽs non percepit Caietani mentem, & dictum nostrum. Non enim simpliciter confitemur MARIAM obnoxiam captiuitatis, sed ex se & suapte naturæ conditione: Ille verò perinde accipit, acsi simpliciter diceremus, eam aliquando obnoxiam captiuitati, errans ea fallacia, qua accipitur simpliciter pro eo quod est secundùm quid. Sed instant & alij apud Capreolum, negantes posse dici MARIAM incurrisse peccatum, ob id, quòd debuerit incurrere: sicut nec potest dici Iudam non prodidisse Dominum, eò quòd debuit non prodere. Sed non vident & ipsi fallaciam, quòd idem verbum (debuit) aliter, atque aliter accipiunt. Nam quod dicimus: MARIA debuit incurrere illud peccatum, nõ significat, quòd esset obligata actiuè ad committendum delictum illud, sed passiuè ad suscipiendum: quoniam ex se non poterat non suscipere, seu nõ incurrere: & ideo ex se dicitur incurrisse. At Iudas debuit non prodere actiuè, id est, debuit abstinere à proditione, quod quidẽ ex se facere poterat. Cũ igitur ex se prodiderit, recte dicitur prodidisse, nõ autẽ nõ prodidisse. Quod tamen dici posset, si quantũ in se erat non prodidisset, si fortè aliquo modo prodere potuisset, non ex se, sed coactus, & à causa extrinseca. Nam accipe hìc exemplum benè congruum: Abraham ex Dei iussu debuit nõ parcere filio suo, sed occidere: Scriptura dicit quòd non pepercit ei, cùm tamen non occiderit eum de facto, & ita pepercerit. Vide ergo quòd dicitur nõ peperciſſe, quia quantum in se fuit, nõ pepercit, sed ab extrinseca causa, id est, ab Angelo iussus est parcere. Ita ergo rectè dicimus, MARIAM hoc peccatum ex se incurrisse, quia quòd nõ incurrerit ab extrinseco factum est: ipsa autẽ suo marte, aut quouis facto suo, vitare non potuisset. Quòd si pergant negare, posse liberari quemquã à malo, nisi priùs illud incurrerit: quęso respondeant quidnam illi orent in Litanijs, cum dicunt: Ab ira tua: ab improuisa morte: à pœnis inferni: à cæcitate cordis libera nos Domine. An (quæso) orant, vt priùs veniant super se mala illa, & cæcitas cordis, & pœnæ inferni, & alia huiusmodi, vt sic deinde valeãt liberari? Profectò non existimo ita cæcos esse corde, vt hoc orent, sed id potiùs, vt Dei gratia præueniens prohibeat illa mala, ne veniant: ac per hoc potiori liberatione liberentur. Porrò de sanctificatione Virginis mirè paralogizant, qui sic arguunt: MARIA fuit sanctificata, ergo subiacuit peccato. Quasi verò sanctificatio de se præsupponat peccatũ. Christus ergo, qui sanctificatu se profitetur, fuisset aliquando in peccato. Quod horrendũ est, vel cogitare. Ergo, vt declarat bene B. Thom. sanctificare est, aliquid sanctum facere: fit autẽ per se aliquid ex opposito (vt ait Philosophus, vt album ex non albo: Ex contrario autem, id est, ex nigro per accidẽs; ita sanctus fit quispiam per se ex non sancto: ex immundo autem, & peccatore, per accidens, sicut lignum incendere, non est inde humores expellere, nisi per accidens, si fortè insint: ita & sanctificare non est amouere peccatum, nisi per accidens, si inueniatur. Quin immo etiam hi effectus distinguuntur à D. Paulo, qui ait: *Sed abluti estis, sed sanctificati estis*: vt ablutio ad sordem peccati amouendã pertineat, sanctificatio ad gratiæ accessionem. Quod & planè declarat idem Thomas super cap. 2. ad Roman. Et Hieronymus super eam quæ ad Ephesios. Adhæc etiam illud addo, quòd tantò est dignior sanctificatio, quantò quod sanctificatum est, abfuit à peccato, vt præcipua sanctificatio sit illa Christi: proxima verò illa matris. Sicut & incẽsio ligni erit facilior, atq; efficacior, quæ inuenerit ipsum siccius, & ab omni humore alienius, qua de causa, & illud patere potest, quàm imperitè vulgus immaculatam sanctificationi cõceptionem opponat, quasi repugnent. Et nos dicimus, quòd tantò nobilior fuit sanctificatio Virginis, quantò illa fuit alienior à peccato, quod non oportuit amoueri. Idcirco B. Ioannes Chrysost dixit B. Virginem sublimiori genere sanctificationis mundatam: nõ dixit copiosiori sanctificatione, vt isti volũt, sed sublimiori genere sanctificationis: quod certè fuit in MARIA, quia non est sanctificata à peccato, quod vnquam incurrerit, sicut alij omnes sumus. Sed rursum arguunt, B. Virgo non fuit sanctificata ante animationẽ, ergo post: & ita aliquo instanti inuenta est, non sanctificata, ac per hoc sub peccato. Ineffícax sanè processus, quod & Caietanus ipse fatetur: Quid enim prohibet in eodem instanti, quo creata fuit anima illa benedicta, etiam fuisse sanctificatam? sicut & de Christo, immo & de Angelis, & primis parentibus dicimus.

Vere dici redemptũ, & saluatũ qui ne incidat in periculũ retinetur Hieronym. Duran. Caietã. Franc. Silueſt. sup. Th. contra Gẽtiles.

Solutio loci apud Capreolũ.

De perditione Iudæ.

Exemplum ab Abrahã.

Gen. 22.

Obiectionis dilutio.

B. Tho. 1. q. 34. art. 1.

1. Co. 6.

Thom. Hieron.

Sanctificationi immaculatã conceptionẽ non esse oppositã contra vulgi errorem. Chrysostom.

Obiectio Caiet 3. q. 17. art. 2.

Tractatur locus Exodi de tabernaculo, &c.

cimus. Vnde & quod afferunt Exod. cap. vltimo: *Postquam perfecta sunt omnia, operuit nubes tabernaculum testimonij, & gloria Domini impleuit illud.* Vt ex hoc tanquam ex figura colligant priùs fuisse B. Virginem, quæ per tabernaculum significatur, quàm nube sanctificationis fuisset operta. Nihil est, tum quia figura illa est secundæ sanctificationis, quando concepit in vtero filium Dei, Tunc enim potissimùm *superuenit* in eam *Spiritus Sanctus*, & gloria Domini, hoc est, Christus impleuit eam. Similis est locus apud Ezech. cap. 43. vbi legitur: *Ecce impleuit gloria Domini domum eius.* Quem locum sic exponit & B. Thom. Tum verò, quia nihil prohibet dici priùs esse B. Virginem, quàm esse sanctificatam: priùs autem non tempore, sed natura. Quamobrem iam vides, bone lector, hoc argumentum non solùm non pugnare contra sententiam hanc, sed adiuuare illam magis, vt constituatur filius suæ amantissimæ matris, & sponsæ singularis, singularis etiam, & eximius Redemptor, & liberator, & sanctificator, &c.

Exo vl. *Lucæ 1.* *Ezech.*

Corruit & secundò quod aiunt: Si B. Virgo non fuit sub hoc peccato, derogatur Christo, cuius hoc debuit esse singulare, sicut scriptum est: *Virum de mille vnum reperi, mulierem ex omnibus non inueni.* Et nos dicimus singularitatem circa hoc Christi, sanctam, tectam per nos manere. Singulare enim hoc fuit Christi, non solùm hoc peccato non teneri, sed ipso iure, & ex vi conceptionis, & natiuitatis suæ non teneri, nō autem ex priuilegio. At nos matrem ab hoc peccato ex priuilegio excipimus, non quidem ipso iure, sed ob gratiam Christi, & merita. Itaque tantùm abest vt derogemus in hoc ipsi Christo, vt etiam contra plurimùm arrogemus: quem constituimus eximium redemptorem, & seruatorem suæ dilectissimæ matris: ac simul matri suam reddimus (quæ illi debetur præ alijs) prærogatiuam singularem. Desinant ergo obijcere manifestam calumniam, videlicet quod non amplius concedamus Christo: multum enim, & omnifariam illi tribuimus. Christus enim nec liberatus est, nec indigens liberatione: MARIA verò contra, & liberatione indigens, & liberata. Et quò maior accedat gloria Christo per ipsum liberata, & quidem modo eminentissimo: vt vtrique sua seruetur maiestas. Vt enim rectè docet B. Thomas hoc singulariter, & proprium Christi fuit, habere talem plenitudinem, vt redundaret in omnes, vt dicitur. De eius plenitudine omnes accepimus: sed B. Virgo talem plenitudinem accepit, vt esset propinquissima auctori gratiæ. Sit igitur ipse Christus per nos, & sententiam nostram primus auctor gratiæ, non MARIA: sed huius gratiæ sit illa particeps prima, & modo summo, vt sic

Eccl. 7.

Quomodo Virgo à peccato liberata ad maiorem filij gloriam.

Christi & Virginis in nascendo discrimē 3. quæst. 17. art. 5. Post Christū B. Virgini primū gradum gratiæ obtinere.

A

B

C

D

fiat propinquissima Christo: alioqui non satis verificatur Thomæ doctrina pro Matre Dei, si ab hoc loco, & gradu gratiæ, qui est post Christum, & Christo propinquissimus, exploderetur. Verè autem est derogare Christo, non concedere eum meliorem pro matre sua redemptorem. Si enim est illi gloria, & honor in redimendo, nonne in magis redimendo maior quoque gloria illi, & honor accedat? Quare nec verum est, quod quidam obiectant, nos æquare Annam Virgini. Anna enim non immunis fuit ab originali, at Virgo fuit: Anna matrem Dei concepit, Virgo ipsum Deum: Anna sterilis ex viro concepit Virginem, Virgo autem ex Spiritu Sancto redemptorem: Anna mater fuit eius, quæ natura subdebatur peccato, Virgo mater fuit eius, qui per omnia à peccato liber, omnium extinxit peccatum. Nunquid igitur hoc est æquare Virginem Christo? aut Annam Virgini? scilicet Redemptori redemptam, & prę seruatæ non præseruatam? & hic habes etiam saluum testimonium scripturæ dicentis, *virum de mille vnum reperi.* Nam sicut rectè B. Thomas ipse exponit, hoc ibi viri singulare declaratur, id est, Christi: quòd ipse solus fuit salutis omnium auctor, non vlla mulier. Conuertatur ergo suum ipsorum hoc telum in illos, & dicamus: Cum hæc nostra sententia manifestè attineat ad gloriam Christi (cuius gratiæ effectum amplificat in matre sua, & ita etiam ipsi Christo magis arrogat) certè fidelis sermo, & omni acceptione dignus.

Annæ, Mariæ comparatio. *Eccl. 7.*

Corruit & tertiò quod obijciunt, Si MARIA non fuit sub illo peccato, cur igitur eius peccati pœnas luit, fomitem habens, dolorem subiens, & mortem? & si defuncta fuisse, ante Christum, non intrasset in gloriam? Respondemus enim de fomite, primùm quæso ostendant nobis hoc ex scripturis, quòd illa fomitem habuerit, & satis erit. Non enim possunt hoc ostendere, nisi ab effectu fomitis, quod est peccatum, sicut ait Paulus: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati.* Nunquid enim vllum actuale peccatum incurrit vnquam Beata Virgo? Non profectò, vt iam omnis piorum Ecclesia credit: & Augustinus, & Thomas manifestè asserunt. Quo pacto igitur fomes in ea cuius effectum non cernas? Ergo potiùs contra seipsos nobis præbent signum. Quòd enim fomitem non habuerit, hoc suadet, quòd à peccato immunis fuit. Sed aiunt ligatum fuisse per Spiritum Sanctum fomitem, & ideo non peccasse: quanquam, & quomodo, & quando, non satis inter se consentiant. At si Spiritus Sanctus nolebat fomitem suum effectum producere in illa Virgine, nonne expeditius erat illum penitus sufferre, quàm ligare? Certè has fomitis ligaturas, & scri-

Rom. 7.

Augustin. Thom.

Nota.

pturæ ignorant, & dignitas tantæ Virginis, & gratiæ plenitudo iam melius tota Ecclesia non admittit. Nam illis, qui eam peccato subdebant, etiam fomitem in ea ponere erat necesse. At nunc iam cùm prorsus immunem à peccato profiteamur per gratiam filij, minimè opus est fomitem admittere, vt sit opus ligaturis istis. Neque per hoc illam æquamus Christo, per cuius gratiam, & meritum hæc illi obuenisse, non autem proprio iure, fatemur. Alioquin cur non dicunt æquare illam Christo eos, qui dicunt eam resurrexisse, & cum corpore glorioso beatam esse in cœlo, quod iam tacitè probauit Ecclesia? Sed vt ait B. Thomas, cùm hoc habuerit ex priuilegio, non ex debito conformitatis ad Christum, minimè propterea æquatur Christo: sicut nec Apostoli æquabantur Christo propter signa eadem, aut etiam interdum maiora, quæ faciebant: quia Christus propria virtute, illi autem per Christum ea faciebant. Denique tunc esset æquare eam Christo, quando quæ propriè conuenirent Christo, illi arrogaremus. Sed absit hoc à mente Catholica. Nos autem vel ob hoc ipsum maximè inæqualem ostendimus, quòd quidquid habuit, & post Christum, ac propter ipsum, & per ipsum, illam habuisse contendimus.

Tho. in 4. Signorum, & miraculorum Christi, & Sanctorum differentia.

Ioan. 14

Amplius arguunt, quia non decebat (inquiunt) ante carnem Christi, vllam aliam carnem integritatem accipere. Respondeo, si de perfecta integritate, quæ solùm conuenit statui præmij, intelligunt, vera dicunt, vt est gloria corporis, & immortalitas. Et hanc ante Christum illam Virginem habuisse nemo ponit. At carere fomite, non constituit perfectè carnem integram. Nam & in statu meriti, talis quilibet fuisset, si Adam non peccasset. Adde quòd tantò minus caro MARIÆ erat in sua integritate quam nunc habet, quantò magis interim subiacebat innumeris infirmitatibus. Nec est absurdum, quòd quæ non repugnant statui meriti, immo pertinent ad statum meriti, quia iuuant ad virtutes facilius adipiscendas, multi ante Christum secundùm tempus acceperint: vt sunt gratia, & dona quælibet, quæ faciant ad salutem. At ipsum præmium perfectum non decuit vllum gustare ante ipsum præmij auctorem, *vt sit ipse primogenitus mortuorum, & Princeps regum terræ.* Alioqui, si fateamur ante Christi carnem, non fuisse carnem MARIÆ integram, iam ipsi derogãt Christo, quem ex carne non integra natum constituunt: quod est abominabile auditu. Nam quid egit Spiritus Sanctus anteà superueniens in illam? Nunquid non penitus potuit ligaturas illas absumere, & omnem fomitem extinguere? Vide bone lector, vt concluduntur, qui huic tam pulchræ veritati repugnant, quoniã ipsimet iterum arguentes in nos, hoc fatentur, quòd

Obiectio Nullus ante Christũ immortalitate donatus est.

Apoc. 1. Pro integra carne Virg.

A MARIA per superuenientiam Spiritus Sancti omninò reddita est integræ carnis, & tamen oportuit esse hoc ante conceptionem filij, quia Spiritus Sanctus præuenit eam. Nam pro hoc etiam Damascenum adducunt, & contra nos, qui dixit, quòd superuenit Spiritus Sanctus in eam, purgans eam: & intelligunt à reliquijs illis fomitis. Quasi verò & Angeli iuxta Dionysium) non dicantur assiduè purgari, non quidem ab vllo peccato, cũ nullum habeant, sed vt fulgorem illius eximiæ maiestatis excipiant. *Quoniam nec luna splendet, nec stellæ mundæ sunt in conspectu eius.* Et secundùm hoc similiter intelligendus est Beatus Ambrosius, qui dixit, quòd B Spiritus Sanctus superueniens, eam ab omni vitiorum sorde castificauit: quoniam omnis creatura, præsertim mortalis, etsi munda, tamen dici potest sordescere, composita ad æternam illam, & inaccessibilem lucem. Propter quod & Beatus Iob dicebat: *Si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ, tamen in sordibus intinges me, & abominabuntur me vestimenta mea.* Nam hæc nostra lutea domus, & carnis infirmitas, atque fragilitas, non potest non aliquantulum, & quandoque à supernis retrahere animam, tametsi mundam, & omni gratia plenam, qualis erat sacratissimæ Virginis, nondum tamen Beatæ, & gloriosæ. Quare & C elegantiùs hoc exprimens Beatus Hieronymus dixit. Ante ipsum conceptum, sanè vterus Virginis quamuis mundus, quamuis impollutus, & alienus à contagione peccati, quamuis sanctus, tamen adhuc vilitate humanitatis induitur (vt ita dicam) acsi lana mundissima, suoque colore dealbata, ad quam sanè cùm accessisset Spiritus Sanctus, quasi & ipsa eadem lana, cum inficitur conchilij sanguine, vel muricis, vertitur in purpuram, versa est & ipsa sine coitu in matrem: vt non sit iam amodo quæ fuerat, sed purpura mundissima ad indumentũ, & gloriam summi Regis aptissimè dedicata, vt nulli deinceps vti ea liceat, nisi Deo: Quippe (vt ita loquar) Beata Virgo, & gloriosa MARIA, quamuis dudũ incomparabilis vniuersis, quę sub cœlo sunt virginibus, vt decenter posset suscipere in se diuinitatis admixtionem, salua vtraque natura, tamen cum gratia repletur, cum Spiritu Sancto perfunditur, cum virtute altissimi obumbratur, fit pretiosior meritis, celsis sublimior fastigijs, pulchrior sanctitate, glorioſior suorum prærogatiuis meritorum; ita vt nullis vsibus sit mancipanda, nisi diuinis. Hæc Beatus Hieronymus. Quæ certè verba omnem hanc nobis fomitis, & ligaturarum commentitiam traditionem feliciter frangunt, & dissipant; & in nihilum vertunt. Quare hactenus iam de fomite.

Damasc. de fide orthodoxa.

Dion. in cælest. hierar.

Iob. 25. Super Luc.

Iob. 9.

Hier. in serm. de Assump.

Pulchra similitudo.

D

Illud

De morte, ac doloribus Virg. solutio.

Illud nunc de eius doloribus, ac morte soluendum est: quoniam mors videtur esse pœna peccati illius; Iniustus autem constituere tur Deus infligens pœnam, vbi nullum fuisset peccatum. At dicant nobis quæso ij viri, Nonne baptismus aufert originale peccatum etiam quoad reatum? Cui dubium? Cur igitur adhuc manet pœna peccati omnibus? Quidquid hìc probabile dixerint, vt soluant hoc, etiam nos vtemur ad dissoluendum eorum argumentum. Sed si volunt recipere, hæc est vera, ex Augustini doctrina, solutio, quòd quæ ante baptismum, & remissionem peccati erant supplicia peccatorum, post remissionem facta sunt certamina, & exercitationes iustorum. Et propterea similiter benè habet, quòd Beata Virgo non fuit præseruata à morte, licet fuerit à peccato, sicut cæteri, qui mundantur à peccato illo, non tamen seruantur à morte, & alijs doloribus: quia non decebat, vt sub capite spinoso membra essent delicata. Etenim si vilium mẽbrum hoc non decebat, profectò minimè gentium decebat illud omnium sine controuersia honorabilissimum, id est, B. illam Virginem, quæ maximè debuit conformari redemptori suo, vt adimpleret, ea, quæ deerant passionum Christi, pro corpore eius, quod est Ecclesia. Nam si de hoc Paulus Apostolus gloriatur, quantò magis debuit posse huius rei nomine gloriari B. Virgo, cuius animam pertransiuit gladius? Nunquid enim voluisset vnquam illa non mori, videns filium tam diræ morti subiacuisse? profectò si hunc agonem sustulisset Dominus, etiam meriti causam sustulisset, & consequenter coronæ, ac præmij dignitatem. Quòd verò si Virgo illa obijsset ante Christum, non intrasset in gloriam, nihil obstat huic præseruationi: Immo hoc ipsa præseruatio potiùs postulabat, quia decebat illam expectare eum, cui acceptam referre tenebatur gloriam suam. Non enim decebat sponsam ante sponsum intrare in Regnum sponsi; & corpus ante caput, & saluatam ante salutis auctorem: nec quenquam hominum consummari, & ingredi portas cœli, ante consummatorem ipsum, & cœlorum clauigerum, immo Dominum, cui soli aperti sunt cœli, ita vt si nullus vnquam mortalium peccasset, & nihilominus Christus venisset (vt mihi probabilissimum semper est visum, nec Beatus Thomas ausus est reprobare) tamen nullus ante ipsum Christum potitus fuisset gloria in cœlestibus, sed venisset ipse Christus ad glorificandum illos, quotquot inuenisset, & adducendum illos in dexteram Patris. Et hæc est ratio quare Ioannes Baptista sanctificatus in vtero, & baptizatus à Christo, & omninò ab illo peccato purgatus, tamen ante Christi obitum, & gloriam defunctus, expectauit cum cæteris Patribus ipsum gloriæ Dominum, & Saluatorem suum: vt verum fieret, quòd ipse erat *primogenitus mortuorum, & Princeps regum terræ*. Et hæc est vera huiusmodi solutio, & aliter dicere (ni fallor) non est soluere, sed inuoluere. Vide ergo Lector circa hoc alios, & confer, & elige quod volueris. *Apoc. 1.*

Verùm contra primam responsionem nostram instant quidam, quoniam scripturæ videntur concludere sub illo originali peccato omnes, non solùm secundùm meritum, propter patrem Adam, quod nos fatemur, verum etiam de facto. Apostolus enim ad Roman. 3. dixit: Omnes in Adam peccauerunt. Sic enim citant locum illum quidam, quos & Caietanus in suo opusculo sequi videtur. Sed hìc primò falluntur: quoniam ibi non legitur, *Omnes in Adam peccauerunt*, sed absolutè, omnes peccauerunt. Et locus ille, vel ipso Caietano teste in suis Comentarijs, de actualibus peccatis loquitur, sub quibus omnes concludit. Quod si verum est, iam inuenietur, non tantùm sub originali, sed etiam actualibus Beata Virgo: & quidem sub grauissimis. Nam de huiusmodi Iudæos præcausatus erat, & Græcos, videlicet idololatriæ, superbiæ, auaritiæ, luxuriæ, sacrilegij, & aliorum pessimorum criminum: quod ibi latiùs patet. Quid igitur? nunquid sub huiusmodi criminibus constituent Beatam Virginem, à quibus etiam multi Sanctorum immunes fuerunt? Absit. Deo gratia est quòd vel ipsimet, qui Beatam Virginem ponunt sub originali, liberam tamen profitentur ab omni actuali. Ergo, missis alijs varijs interpretationibus, intellectus huius loci, iuxta doctrinam Augustini, & Thomæ, hic est, quòd ideo nullus est iustus, & faciens bona, & omnes dicimur declinasse, & peccasse, quia ex se omnis homo talis est, ac talis esset, nisi ex Deo, & eius gratia erigeretur, ac seruaretur: Quare Beatus Augustinus ita dixit, hic est verior intellectus, vt nemo intelligatur fecisse bonitatem, nisi ille monstrauerit, ita quòd de quolibet homine, quamuis iusto, & sancto, verificetur, quòd fuerit iniustus, corruptus, abominabilis, non intelligens Deum, non faciens bonum, & alia, quæ ibi dicuntur: quia talis ex se fuisset, nisi Deus adiuuisset. Quod nisi sic exponas, certè inextricabiles nodos incurres: quoniam per contrarium ipsæmet scripturæ multis, graue testimonium seruatæ legis, ac iustitiæ reddunt. Si ergo hic est verus sensus, quem vel ipsemet Caietanus tandem vidit, videlicet, quòd nullus hominum præter solum Deum, & Dominum Iesum Christum, iuxta suæ naturæ conditionem, & ex seipso

Nota Aug. ve ran sententiã.

Bernardi sententia. Not. cõgruẽtia Matris ad filiũ intolerãdo.

Al Colos. 1. Lucæ 2.

Caiet.

Ad Roman. 1.

Aug. & th. sensus circa locum Paul.

Super Psal. 23

Caiet. in com. ad Paul.

seipso iustus vnquam fuit, & faciens bonum. Sed quilibet ex se peccator, non solùm originaliter, sed etiam actualiter, & mortaliter: quoniam talis fuisset, nisi gratia Dei seruatus esset, nihil periculi est etiam gloriosam Virginem huic subdere conditioni (salua illi nihilominus hac prærogatiua) quòd ab omni labe sit præseruata. Nam & ipsa ex se, & suæ conditione naturæ peccasset, sicut & qui de facto peccauerunt, nisi gratia Dei præueniens seruasset eam. Qua propter ipsa quoque sicut, & alij multi iusti, cum cæteris qui supra modum peccauerunt, connumeratur. Et hæc est via prima, ac pene sola ad huius solutionem quæstionis: qua & multæ huiusmodi scripturæ, ac doctorum sententiæ rectiùs intelligentur. Sic enim resolui oportet, & quod ex eadem Epistola Pauli citant capitulo quinto: Sicut per vnum hominem peccatum in mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt. Et paulò post concluditur: Igitur sicut per vnius peccatum in omnes homines in condemnationem, ita & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ. Nos enim absque cauillo respondentes, confitemur planè verum esse quod ait Paulus, Omnes in Adam peccasse: sed eo modo verum, quo & illud verum est, quod similiter ipse ait, omnes in Christo iustificatos. Hæc enim (vt patet) æqualance ab Apostolo disponuntur. Sicut ergo de Christo, quòd in eo iustificati sint omnes secundùm factì veritatem, manifestè falsum apparet, sed hoc intelligere oportet secundùm rationem meriti ipsius Christi, ita planè intelligatur, omnes in Adam iniustos, videlicet non secundùm facti veritatem, sed inspecto merito ipsius Adæ. Cùm enim æqualance paritentur & Christi iustitia, & Adæ peccatum (nam Adam typus erat Christi, vt ibi docet Apostolus) cur cogimus Paulum, vt dicat peccatum Adæ damnasse omnes de facto, si iustitia Christi non saluauit omnes de facto? Ergo quod erat in meritis vtriusque, Adæ videlicet, & Christi, expendebat ibi Apostolus. Nam quod erat secundùm facti veritatem mox subiecit, mirabiliter dicens: Sicut enim per vnius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius obeditionē iusti constituentur multi. Vide ergo (acute lector) vt quum quod erat secundùm effectum declarauit Paul. non dixit omnes peccatores constitutos per Adam, sed multos: sicut nec per Christum omnes iustos constituendos, sed multos. Hoc est ergo quod dicimus B. Virginem subiectam peccato secundùm Adæ meritum: At simpliciter, id est, etiam secundùm facti veritatem, nequaquam; quoniam præueniens

Quomodo resoluendus Pauli locus ad Rom. 5.

Ad Roman. 5.

Apost. inductio efficax.

A Christi gratia pro illa, obex fuit peccato nē coinquinaretur ab illo. Si enim vel propria, vel parentū culpa obstare potest gratiæ Christi, quomin⁹ multi iustificentur per ipsum, quare non multò magis obstiterit ipsi peccato gratia Christi pro matre sua, ne sub illo comprehenderetur? cape hæc bone lector, & à cunctis liberaberis angustijs, vt facilè resoluas omnia quæ in contrarium adducuntur: Id verò quum contingit, magnum est profectò signum (teste Philosopho) compertæ veritatis. Nam & per hæc soluitur quod proferūt ex capitulo quinto 2. ad Corinth. Si Christus mortuus est pro omnibus, ergo omnes mortui sunt: quod ipsi exponunt de morte

B gratiæ, quanquam reuera de morte peccati intelligi debet, cui omnes mortui sumus in morte Christi, in quo vetus homo simul crucifixus est: quod ibidem declarans Paulus subdit: *Et pro omnibus mortuus est Christus, vt & qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est.* Vnde & ad Colossenses dixit: *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo.* Sed siue de morte gratiæ loquatur ibi Paulus, siue de morte peccati, similiter probatur, quòd in Adam omnes sumus mortui gratiæ, sed eo modo sicut omnes sumus mortui peccato in Christo, hoc est, secundùm merita, non autem de facto. Hanc autem expositionem pla-

C nè docet nos Paulus ad Ephes. cum dixit: *Eramus omnes natura filij iræ.* Non dixit simpliciter, Eramus, sed circunspectissimè loquutus adiecit, natura, vt ex eo loco duo hæc singularia nobis innueret, Alterum pro Christo, qui nullo modo in hac sententia cōcluditur, cùm nec natura fuerit filius iræ, qui erat filius Dei, & non humano, & naturali modo ex semine peccatorum conceptus. Alterum pro matre, quam non licet simpliciter dicere, & intelligere iræ filiam, sed cum hoc adiuncto, natura, hoc est, suæ naturæ, siue originis conditione in specta: vtpotè quæ, sicut aliæ, processit ex semine: non autem inspecta Christi filij sui præueniente grātia, secun-

D dùm quam (quod & mirabilius fuit) potuit etiam concipere sine semine. Vnde ex hac propositione, MARIA fuit natura iræ filia: non licet inferre, ergo simpliciter fuit iræ filia. Et ob istam gratiam temperauit sermonem Paulus adijciens modum illum, natura, sicut ex illa propositione, Adam ab initio erat natura mortalis, non rectè colligis. Ergo erat omnino mortalis: cum dona, & adminicula Dei prohibuissent, ne mori posset. Vide ergo vt hic locus Apostoli, quem etiam in nos adducunt, mirè, & opportunè retorquetur in illos. Hactenus de prima acie, quæ scripturis, & rationibus inniteba-

Ad Roman. 5.

2. cnp.

Nota.

tur.

De

De secunda contradicentium acie, ac turmis à sententijs Catholicorum.

QVoniam ergo hãc primam eorum aciem iam olim profligatam cernunt, quæ in rationibus, & scripturis innitebatur: Secunda, quę hominum opinionibus, & auctoritate fulcitur, pertinacissimè inhærent, magnificantes hunc locum, qui tamen (vt verè dicitur à Philosophis) omnium est infirmissimus. Verùm quid illis supererit, si & ab hoc etiam propellentur? Sed non credunt. Age experiamur; verùm quò id commodiùs faciamus, illos, quos in nos obijciunt, auctores in tres turmas diuidam. Prima dabitur antiquioribus, vsque ad scholasticos. Secunda scholasticis prioribus. Tertia ijs, qui recentiores fuerunt, & ferè nostro seculo claruerunt.

Quantum ergo attinet ad primam turmam, cùm nullus ex proposito hanc quæstionem tractauerit, quàtum ex eorum scriptis licet animaduertere, nisi quòd obiter aliquid potuit circa hoc excidere contra Pelagianum dogma, idque præsertim Augustino, qui latiùs super ea quæstione disseruit: Idcirco ipsius Augustini sententias, quibus aduersarij maximè nituntur, paulò diligentiùs perscrutabimur, vt tandem agnoscant, qui noluerit proteruire, Augustinum ita contra nostram sententiam nihil scripsisse, vt etiam contra illorum, quam maximè. Omnis Augustini doctrina, quæ ad rem propositam affertur, tribus finitur conclusionibus. Prima est, Omnes præter vnum Christum sub originali concepti sunt. Secunda, Omnes præter vnum Christum sub originali nati sunt. Tertia, Omnes præter vnum Christum actualiter peccauerunt. Has verò tres conclusiones contra Pelagianos, & scripturarum auctoritate, & sacrorum Theologorum sententijs ita probat, vt etiam in his nostræ fidei fundamenta consistere arbitretur. Pro his enim Ambr. Hierony. Hilarij, Cypria. Hirenei, Grego. Basilij, Olympij, Reticij, & aliorum citat sententias. At contradicentes aduersùm nos primam duntaxat conclusionem accipiunt, cum, & ipsi duabus alijs vulnerentur, quando latè iam patet, & ipsi fateantur, quòd MARIA nata est absque peccato, & nullum etiam actuale commiserit; Et tamen beatus Augustinus omnes ponit non solùm conceptos, verùm etiam natos similiter sub peccato, & actualiter peccasse, præter vnum Christum. Quamobrem quidam hunc nodum dissimulant: alij (quod, & calumnioßius fuit) non fideliter Augustini sententias interdum citant, sed vbi ille omnes natos sub peccato testatur, ipsi mutant, & scribunt, conceptos: Et quia id tandem latere non poterat, exposuerunt natiuitatem, id est, conceptionem: quoniam conceptio quædam natiuitas est, iuxta illud. *Quod in ea natum est, &c.* Verùm, quòd hæc expositio, & contra verba Augustini, & contra mentem sit, facillimum est ostendere. Nam ipse post quã Ambr. cõtra Nouatianum produxit, qui ita scripserat: Omnes homines sub peccato nascuntur, quorũ ipse ortus in vitio est, sicut habes lectum, dicente Dauid: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis peperit me mater mea.* Et super Lucam: Solus per omnia ex natis mulierum Dominus Iesus Christus, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus nouitate non sensit, & cœlesti maiestate depulit, statim subiecit concludens. Concipimur ergo in peccatis parentum, & in delictis eorum nascimur. Quòd si quis hic exponat nascimur, id est, concipimur, iam manifesta resultat nugatio: inuenitur enim idem bis dictum sic, concipimur in peccatis, & concipimur in peccatis. Adde & quod ibi expressiùs declaratur de partu, statim enim subditur: Sed & partus ipse habet contagia sua. Ad hæc alibi idem Augustinus ita scribit: Solus sine peccato natus est, quem sine virili complexu, non concupiscentia carnis, sed obedientia mentis, Virgo concepit: vbi similiter natiuitatem à conceptione distinguit. Et alibi etiam clariùs exprimit inquiens. Nullus hominum, præter Christum est sine peccato, infantilis ætatis exorsu, etiam si vnius diei sit super terram. Vnde, & antiqui doctores illud Psalm. ita producebant: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis peperit me mater mea. Et ita Hieronym. secundùm Hebraicam veritatem transtulit, quanquam alij aliter, quæ etiam elegantior videtur, ne postquam dictum est: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, idem superfluò repetatur, dicendo. Et in peccatis concepit me mater mea. Alibi quoque August. Graue illud iugum, quod dixit Ecclesiastes, super filios Adam à die exitus de ventre matris, originale esse peccatum declarat. In quo (inquit) omnes nascimur. Quid hic fingi potest, cum expresse dicat, à die exitus de ventre matris, & non ingressus in ventrem? Vnde & ex Mileuitano Concilio vbi Pelagius damnatus est, ita legitur: Placuit, vt quicumque paruulos recentes ab vteris matrum: dicit, nihil ex Adam contrahere originale, anathema sit. Ab vteris (inquit) ergo matrum recentes, non in vteris conceptos. Quin, vt penitus ora contradicentium obstruantur, ipsemet Augustinus hanc istorum cauillosam, calumnioßamque interpretationem reijcit, atque damnat, ijs verbis ad Dardanum scribens: Hoc ergo excepto lapide angulari, non video, quomodo ædificentur homines in domum Dei, ad habendum in se habitantem Deum, nisi cùm fuerint renati, quod nondùm esse possunt antequam nati;

Matt. 1. *Aug. cõ. Pelagi. li. 2. & de bapt. paruul.* *Psal. 50* *Ambro.*

Aug. cõ. Iuliani.

Hypog. libr. 5. *Eccl. 40*

Aug. ad Darda.

Augustin. doctrina circa hãc materiam.

Nota, hæc lector, & noli proteruire.

nati. Quòd si quisquam iam natum esse hominem, etiam cum adhuc est in vtero matris, dicat, testimoniumque adhibeat Euangelium,
Mat.1. quia dictum est Ioseph: *Quod in ea natum est*, nunquid num huic natiuitati accedat secunda natiuitas? Alioqui iam non erit secunda, sed tertia. Dominus autem cum hoc loque-
Ioan.3. retur: *Nisi quis renatus fuerit denuò*, eam scilicet computans natiuitatem, quæ fit ex vtero non, quæ fit in vtero, (neque enim renatum dicimus hominem, quem mater peperit, tanquam iterùm natus sit, quia semel in vtero iam natus fuerit) sed illa natiuitate non computata, quæ grauidam facit, natus dicitur homo partu, vt possit renasci ex aqua & Spiritu Sancto, secundum quam ex matre natiuitatem etiam ipse Dominus in Bethleem Iudæ nascitur. Hæc Augustinus ad literam, vt clarè videas, quod hanc istorũ Glossam, qui natiuitatem pro conceptione positam ab Augustino contendunt, priùs vidit ipse, ac reprobauit, quàm isti facerent. Manent ergo Augustini, & antiquorum sententiæ, non minùs contra illos, quàm contra nos, quando asserant omnes sub originali, etiã in natiuitate, quæ ex vtero est, immò (vt dixi) etiam sub actuali præter vnum Christum. Nam in libr. 5. contra Iulianum, ita plane scribit: Nullus hominum præter Christum, qui peccatum non fecerit, grandioris ætatis accessu. Et ibidem: In carne sine peccato viuere solius est Redemptoris. Et in libr. de S. Virg. Omnes baptizati orant, dimitte nobis debita nostra: Præpositi, & plebes, pastores, & greges, à spiritualibus, vsque ad carnales, ab Apostolis vsque ad pœnitentes, ideò neminem debere gloriari, tanquam ab omnibus peccatis, sit in hac vita immunis. Et ad Marcellum: Teneamus ergo indeclinabilem fidei confessionem: solus vnus est, qui sine peccato, inter aliena peccata vixit, sine peccato mortuus est propter aliena peccata. Et in libr. de fide, ad Petrum: Tria hæc simul perstringit: Solum Christum conceptum, natum, & mortuum, sine peccato,
Concil. Floren. quod similiter, & in Cõcilio Florentino sub Eugenio Quarto determinatum est. Et super
Psal.87 illo Psalm. versu, *factus sum sicut homo, sine adiutorio inter mortuos liber*, ita ait: In his verbis maximè persona Domini apparet. Quis enim alius inter mortuos liber, nisi qui in similitudine carnis peccati, inter peccatores solus ipse sine peccato? Neque verò putes solum Augustin. hæc dicere, bone lector: hæc est enim omnium antiquorum doctrina, Am-
Ambro. brosius enim super Lucam, dixit: Ideò solus Christus à peccato abstinuit, quia solus ipse
Hilari. Psal.118. de Spiritu sancto natus. Hilar. super Psalm. illo versu: *Spreuisti omnes discedentes, &c.* Ita scribit, si Deus peccatores sperneret, vtique omnes sperneret, quia sine peccato nullus est. Cyprian. etiam dixit. Quisquis se in-
Cypria. Psal.13 culpatum dixerit, aut stultus, aut superbus est. Sed adhæc probanda, & suadenda producebant ex scripturis innumera testimonia, vt ex Psalm. *Non est iustus quisquam, nec vnus,* *Psal.116.* *Omnes declinauerunt, Omnis homo mendax:* *Psal.119.* *si iniquitates obseruaueris Domine, &c. Non* *Psal.142.* *iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Et ex Salomone, *Quis gloriabitur castum se* *Pro.10.* *habere cor, mundus sum à peccato? Non est,* *Eccle.2.* *qui faciat bonum, & non peccet.* Et Dominus *Luc. 2.* in Euangelio de cunctis indifferenter, *si vos cum sitis mali, nostis bona dona dare filijs ve-* *stris.* Et iterum, *Quid me dicis bonum? solus* *Mat 19* *Deus bonus.* Et de seipso singulariter, *quis ve-* *Ioan.8.* *strum arguet me de peccato?* Et Petrus singu- *1.Pet.2* lariter de illo: *Qui peccatum non fecit.* Et *1.Ioa.2* Ioannes: *Si dixerimus, quia peccatum non* *Ad Ro 3* *habemus, ipsi nos seducimus.* Et Paulus, *Om-* *nes peccauerunt, & egent gloria Dei.* Et Iaco- *Iac. 3.* bus: *In multis offendimus omnes.* Si igitur hæc simpliciter, vt verba sonare videntur, accipiantur, profectò & Beata Virgo inuenietur sub originali etiam in natiuitate, & sub actuali postmodò, & in vita, & in morte: quæ tamen, ipsi contradicentes non admittunt, nec tamen soluunt nodum, eiusmodi: Nos verò iuxta expositam doctrinam hæc omnia admittimus esse verissima secundùm naturæ conditionem; quoniam solus Christus immunis ab omni perfecto fuit: cæteri autem subiecti omni perfecto, etiam Beata Virgo, scilicet ex se, & inspecta natura, non autem gratia. Quòd verò hæc Glossa non solùm necessaria sit iuxta mentem sacrarum scripturarum (vt superiùs latè ostensum est) verum etiã ipsos Doctores sanctos hoc ipsũ, & respexisse, & sẽsisse, & declarasse, facile est ex multis locis colligere. Augu. enim in Pelagianos disputans, cum à Pelagio multi iusti inducerentur, & commendati in scripturis, ita respondit: Non attinere hoc ad quæstionem, vtrùm fuerint, sed hoc tãtùm se defendere protestatur, quod si fuerint, per gratiam Christi fuerint. Vnde, & addit in illos: Vestrum dogma id persuadere conatur, velut inculpatæ prædicatione naturæ, & potentiæ liberi arbitrij, & legis siue naturalis, siue Mosaicæ, vt, & si sit opus, necesse tamen non sit ad Christum pro æterna salute transire. Et alibi: De hac re cum istis tota vertitur quæstio, ne gratiam Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro, peruersa naturæ defensione frustremus. Vnde, & exclamans ait: Pro Christi gratia clamo, sine qua nemo iustificatur. Et alibi, qui dicunt esse posse in hac vita hominem, sine peccato, non est eis continuò incauta temeritate resistendum: Si enim esse posse negauerimus, & hominis arbitrio, qui hoc volendo appetit, & Dei misericordiæ, qui hoc adiuuando efficit, derogabimus.

Necessaria esse ad sensũ scripturarũ ex positionẽ de statu naturæ, & gratiæ. August. de nat. & gratia.

Not. Pelagianũ dogma.

Et

ad Mar. de bapt. paruul. Et alibi: piè, & Christianè dubitari posse, vtrùm aliqui tanta gratia prædíti fuerint, vt omninò à peccato immunes fuerint? sed si hoc fuit, per gratiam Christi fuit: Et alibi testatur, se scire catholicos viros tenere, posse esse hominem in hac vita sine peccato per gratiam, & adiutorium Dei, neque audere se illos reprehendere. At eos, qui Dei gratiam excludunt, omnium ore anathematizandos. Et alibi, etiam si fuisse concedam homines in hac vita sine peccato, nullo tamen modo potuisse, vel posse confirmo, nisi iustificati gratia per Iesum Christum. Et addit, quid veriùs dici potest, & breuiùs, quàm possibilitatem non peccandi, quantacumque est, vel erit, non nisi à Deo debere reputari? Si hoc dicunt, id & nos dicimus: iungamus dexteras. Hæc Augustin. & similia in libr. de perfecta iustitia: De natura, & gratia, de S. Virg. & contra Iulianum, & alijs locis. Satis ergo iam certi sunt, eam semper Augustinum mentem fuisse, cùm poneret omnes, & eodem modo sub peccato, & originali, & actuali, & in conceptione, & in natiuitate, & in vita, & in morte, quòd hoc intelligebat secundùm conditionem naturæ lapsæ, & seclusa Christi gratia, pro qua clamare se ait, & cum illis dexteram iungere, qui Dei gratiam assererent. Ergo tantò magis nobiscum dexteram iungit: quàm cum illis Augustinus: quantò nos etiam magis, quàm ipsi Christi gratiam erga matrem prædicamus, qua illam prorsus ab omni peccato conseruatam profitemur, quod isti negant. Quòd autem ea sit Augustin. doctrina, etiam Caietan. tandem negare non potuit: cuius hæc verba sunt. Est necessarium secundùm fidem credere, quòd omnis vtriusque sexus ab Adam, secundùm seminalem rationem proueniens, ex ipsa sui generatione sit abnoxius peccato originali: & contra Pelagianos dicentes oppositum Augustinum differir, & diffinit: de solo autem Iesu Christo verum est, quòd ex ipsa sui generatione, nulli obnoxius est peccato, iuxta verbum Angeli ad beatam Virginem, dicentes: *Quod ex te nascetur sanctum.* Hæc ille: & certè validum est ab aduersario testimonium, quia illud non alia res, quàm vis ipsa veritatis exculpit. Adde, quòd si aliter prædictas Augustini sententias velint intelligere, videlicet, quòd inspecta Christi gratia nullus fuerit præter ipsum solum immunis à peccato, vel originali, vel actuali, etiam in natiuitate, & in vita: & quòd aliter asserere sit euertere fundamenta fidei Christianæ, vt dicit expressè Augustinus in prædictis sententijs in libr. contra Iulianum, & in Epistola ad Optatum, & alibi multis locis, iam inueniretur ipsa, quæ dicitur Catholica, & Apostolica Ecclesia, & viri sancti, & totus penè Christianus orbis in hac hæresi detestanda, qua fidei fundamenta subuerterentur: quod non verentur quidam scribere arrogantissimè, ac schismaticè. Vnde & hoc monstrum ingens, atque horrendum consequitur, videlicet quòd Ecclesia Romana circa idem non solùm contraria sentiat, verùm etiam contraria statuat. Statuit enim iam olim, (vt isti volunt) quòd hæc assertio, quæ poneret Beatam Virginem esse ab originali immunem, est hæretica. Sic enim aiùt & Zozimum, & Innocentium Pontificem Romanum determinasse. Quamobrem proculdubiò hæretici putandi essent, quicunque illam tenerent. Et rursum Xisti decreto decisum est, huiusmodi assertionem, quæ diceret, asserentes assertionem prædictam, esse hæreticos, esse falsam, erroneam, & penitus à veritate alienam, cùm Romana Ecclesia ipsius Diuæ Virginis immaculatam Conceptionem receperit celebrandam. Vide monstrum, quod contigit ijs hominibus, vt fateri cogantur Ecclesiam vnam, quod iam semel, vt hæreticum damnauit, iterum, vt catholicum recepisse, & quæ olim dextruxerat, denuo ædificasse, & inuenietur simul in eius sermone fidem nobis tradente, modo est, modo non est, & hodie vnum, & cras aliud. Sed quis vnquam hoc vidit in Ecclesia Dei, & quomodo staret ita in seipsam diuisa? Sed vt etiam agnoscas, quòd hunc sensum omnes antiqui Doctores viderunt, ac penetrarunt, quoniam assueti erant in scruratione Scripturarum: Audi, Ambrosius in hunc modum scribit: Solus per omnia Dominus Iesus contagia corruptelæ, immaculati partus nouitate non sensit, & cœlesti maiestate depulit. Quòd ergo ait, per omnia, quid est aliud, nisi quod dicimus, quòd neque de facto, neque ex merito vllo, idque ob immaculati partus nouitatem, quia non humano more, sed Spiritus Sancti opere conceptus, & natus est? Vnde & cœlesti maiestate sua depellere potuit contagia hæc, etiam ab alijs, quantò ergo magis à sacerrima ista Virgine, & Sponsa sua, & Matre? Vis etiam eundem Ambrosium expressiùs hoc dicentem? Audi, in libr. 3. de Trinitate, ita ostendit Spiritum Sanctum Deum, quia (inquit) sine peccato est, ideò creatura non est. Et statim subdit: Omnis enim creatura peccatorum capacitati obnoxia est: sola enim est à peccato immunis & immaculata sempiterna diuinitas. Quid hoc expressius testimonio? Vbi vides; nec ipsos Angelos excipi à peccato, & ob hoc tantùm, quia ex seipsis, vt creaturæ sunt, peccatorum capaces sunt: quod & alibi dixit, Deus solus sine peccato. Vis & Gregorium huic nostræ attestantem manifestæ sententiæ? Audi illum: Ipse enim tractans illud Iob: *Non adæquabitur ei Topatium de Æthyopia*: ita scribit, Ne acceptis quis-

Aug. de perfect. Iust.

Nota.

Caieta. sup. 1.2 q. 18.

Luc. 1.

Augustin. mult. in locis.

Not. periculum non ferè fuit.

Xisti decretum.

In Eccl. Dei semper eadē fides, & non contrar. circa fidem sententiæ

Ambro.

Gregor. Iob, 28.

quisquè virtutibus extollatur, à Sancto viro nunc dicitur: Non adæquabitur ei Topatium de Æthyopia, acsi apertè dicat: Nullus Sanctorum, quibuslibet virtutibus plenus, ex ista tamen nigredine mundi collectus, se æquare potest ei, de quo scriptum est: *Luc. 1.* *Quod enim ex te nascetur Sanctum.* Nos quippe, etsi sancti efficimur, non tamen nascimur, quia ipsa naturæ corruptibilis conditione restringimur, vt cum Propheta dicamus: *Psal. 10* *Ecce in iniquitatibus cõceptus sum, & in peccatis peperit me mater mea.* Hæc ille, licèt, & hunc locum contradicentium quidam falsò allegent, mutantes verba Gregorij, quia secum ferebant verùm, & syncerum intellectum, & responsionem ad eorum obiecta inania. Nota igitur verba lector acute: Nos (inquit, Gregorius) etsi sancti efficimur, non tamen nascimur. Accipit ergo tanquam oppositа hæc, effici sanctum, & nasci sanctum: quia ille verè nascitur sanctus, qui suapte natura ita nascitur: MARIA autem, quia sancta egressa est ex vtero, sed non naturæ propriæ maiestate, ideò effecta est sancta, non nata: quod, vt etiam abundiùs declararet, Sanctus ille Pont. subdidit: Aliud est enim natos homines gratiam adoptionis accipere: Aliud vnum singulariter per diuinitatis potentiam, Deum ex ipso conceptu prodijsse. Vide, vt mirificè loquitur. Non enim solùm Christum in ipso conceptu sanctum asserit, quod & de Virgine dici potest, sed ex ipso conceptu, id est, ex vi, & modo conceptionis, per potentiam Diuinitatis, eximio. Vis nunc & Hieronymum audire super eo loco: *Non iustificabitur in conspectu eius omnis viuens?* & hæc sunt eius verba. Non ait omnis homo, sed omnis viuens, id est, non Euangelista, nõ Apostolus, nõ Propheta: ad maiora cõscẽdo: Nõ Angeli, nõ Throni, nõ Dominationes, non potestates, cæteræque virtutes: *solus Deus*, in quò non cadit peccatum, ab Apostolo solus iustus dicitur, & solus immortalis, non quò Angeli iniusti sint, & mortales, sed quo ipse ita sit immortalis, & iustus, cui collata vniuersa iustitia, iniquitas non inuenitur. Hæc ille. Vis & Athanasium? Audi illum. Christus (inquit) singulariter sanctus erat, & in hoc ab alijs sanctis in sanctitate dissimilis, quia sanctitatem simul cum natura suscepit. Nunquid nunc etiam alios desideras huius veritatis testes, post tam gloriosa lumina? Audi ergo: Nemo nescit hoc singulariter de Christo ab Angelo assertum esse: Quod ex te nascetur sanctum. Quod tamen verum non esset, nisi sic exponeretur, quod ipse solus vi ipsa natiuitatis est sanctus. Ita enim coactus à veritate Caietanus exponit: Ita & Albertus noster, qui contra istorum ineptam Glossam, qui natum, id est, conceptum exponunt, non penetrantes angelicum sensum etiam tectè disputat, & concludit. Multa enim, & alia de Christo dicuntur, siue in scripturis, siue in sententijs Doctorum, tanquam singulari modo in illũ competentia, id est, secundùm naturam, & essentialiter, quæ tamen ex gratia similiter alijs conceduntur. Ecce enim (sicut dixit Angelus,) quod ex te nascetur sanctum, ita dicit scriptura: Non dabis sanctum tuum videre corruptionem; hoc de Christo singulariter dicens, & nihilominus id etiam de MARIÆ corpore recipit Ecclesia, quòd non vidit corruptionem. Quid ita? si de Christo singulariter illud fuit dictum, nisi quia, & singulariter de illo intelligitur, quia de se, & sui natura illud habuit. Quapropter, & Ecclesia hymno canit angelico: tu solus sanctus, & tamen ipsa eadem multos & sanctos, & dominos vocare non veretur. Ille Filius Dei solus, & vnigenitus vocatur, cùm tamen multi filij Dei sint, videlicèt ipsi Angeli, *& ad quos ipse sermo Dei factus est*, (vt ait Scriptura,) ille singulariter de se dicit: *Quis vestrum arguet me de peccato?* Et tamen Iob ait: *Si fuero iudicatus, scio quòd iustus inueniar.* Et Paulus: *Quis accusabit aduersus electos Dei?* De ipso dicitur singulariter: *Quod in ore eius non est inuentus dolus:* Et tamen ipsemet testimonium dat Nathanaëli illud: *Ecce verè Israëlita in quo dolus non est.* Ipse etiam de se singulariter ait: *Ego sum pastor bonus.* Et cui dubium multos quoque pastores fuisse bonos? Cur ergo solus ille pastor bonus, nisi quia, vt Gregorius, ibi rectè exponit ipse solus essentialiter bonus? Nam de hoc verè, & summè dicitur, quòd bonus sit, qui scilicet essentialiter bonus est. Vnde, & ipse dixit: Solus Deus bonus. Quomodo solus Deus bonus, cùm & Scriptura dicat: Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona? Dicimus & solum ipsum esse, vt dicat: Ego sum, qui sum. Et Dominus sæpiùs hoc de se prædicans dixit: Ego sum. Et tamẽ multa alia esse dicimus præter Deum, ideò vt Augustinus declarat, eminenter hæc de solo Christo intelliguntur. De Christo etiam singulariter dicitur, quòd *ei aperti sunt cœli:* Et tamen omnibus, qui in ipso inuenientur, aperientur. Ille solus singulariter ex viventibus in hoc mundo, fuit in quo, *Princeps mundi huius nihil iuris habuerit*: Quouis modo, quia perfectè ab illo immunis per seipsum. *Ille solus inter mortuos liber:* Et tamen scriptum est: *Beati mortui, qui in domino moriuntur.* Quomodo verò Beati essent, nisi etiam liberi essent? Ergo hæc omnia ita intelligere oportet, & ita se intelligere profitentur charissimi Doctorum, atque Sanctorum, quòd Christo propter naturam sui, singulariter ista conueniant, cæteris autem eius gratia. At quia isti amici nostri nolunt, aut ne-

Nota, egregiũ distinct.

Hieron. supr. Ps. 142.

1. Pet. 2 *1. Ti. 1.*

Alb. su. Luc. vt in cathena aur. citatur.

Alb. su. Lucam.

Quæ Christo cõueniũt naturaliter pluribus ex gratia tribui.

Mariæ, corpus cor. expers.

Ioan. 10 *Ioan. 8.* *Iob, 13.* *ad Ro. 8* *1. Pe. 2.* *Isr. 63.* *Ioan. 1.* *Ioan. 10* *Gregor. in hom.*

Mat. 19 *Gen. 1.* *Exod 3.*

Aug. de perfect. iustitia.

Mat. 3. *Ioan. 14* *Psa. 87* *Apo. 14*

nequeunt capere, ideo inter illos computandi sunt, *qui inuoluunt sententias*. Augustinus enim circa illud Iacobi, *Nemo potest domare linguam suam*. Eleganter subnotat contra Pelagium, quòd Apostolus non simpliciter dixit: Nullus potest domare linguam suam, sed nullus hominum, id est, iuxta humanam conditionem; quia cùm domatur, Dei misericordia, Dei adiutorio, Dei gratia domatur. Paulus quoque postquam multa se fecisse commemorauit, non absque hoc intellectu adiecit: *Non ego, sed gratia Dei mecum*: Aut quæ est in me: vbi seipsum à semetipso separare videtur, eademque fecisse, ac non fecisse testari. Non fecisse quidem, vt homo in puris naturalibus consideratus; fecisse autem, vt alius, quàm homo, id est, super hominem per superadditum esse diuinæ gratiæ. Secundùm hoc & illud dixit: *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei*: Ijs enim verbis ad literam idem Augustinus hoc dictum contra Pelagianos interpretatur. Quid est, inquit, egent? nisi nemò idoneus per se, eo quòd carnaliter nascitur, nemò operibus meritorum vitam recipit perditam; alioquin multi tunc erant in patria, quomodo ergo egebant eo, quod possidebant? ò veritas, quã potens es, quàm clara non habentibus obscuratam mentem, per sectas improbas, & factiones! Possem autem sexcenta huiusmodi congerere, vt confirmarem: at si hæc non sint satis, puto, nec Angelus de Cœlo suffecerit ad persuadendum. Quis enim persuadeat, aut obstinato, aut praue disposito? Supersunt tamen duo loca ex August. quæ & Capreolus, & Caietanus tanquam irrefragabilia proferunt, satis fatentes in reliquis sensum nostrum. Nam exponens August. Psal. versiculum. *Ego autem cum mihi molesti essent, induebar cilicio*, sic ait (vt ipsi adducunt) Adam mortuus est propter peccatum, MARIA propter peccatum, Christus autem ad delẽdum illud. Et nos dicimus, quòd etiã falsò hunc locum adducunt. Non enim absolutè ibi dicitur: MARIA mortua est propter peccatum, sed hoc dicit de Adã, sed propter peccatum Adę, nec id obstat eius præseruationi à peccato, cùm valuerit, immo etiam debuerit à peccato præseruari, non autem à morte, vt conformis fieret filio suo: Nam & nos cum fide, & Sacramento liberamur ab eo peccato, non tamen liberamur à morte: sicut satis superiùs diximus. Alter locus est ex August. in libr. super Gen. ad literam, vbi carnem MARIÆ vocat carnem peccati, & qui hoc negat, detestandus hæreticus inuenitur: quasi verò ex hoc ipso sequatur apud eruditos, quòd MARIA de facto contraxerit peccatum originale. Esse enim carnem peccati, non aliud significat, nisi esse propagatam naturaliter, & ex peccatoribus, non ex Spiritu sancto, quod, qui negat de Virgine, verè detestandus hæreticus inuenitur: & non significat peccatum actualiter esse in carne (vt indocti credunt) cum non caro, sed anima sit subiectum peccati: nec esse carnem peccati necessariò secum fert animam esse coinquinatam, cùm etiam per gratiam mundata omnis caro, adhuc dicatur caro peccati, vtpotè de peccatore propagata. Quòd autem hæc sit August. mens, manifestè declarat subijciens, & quid incoinquinatius illo vtero Virginis, cuius caro, etsi de peccati propagine venit, non tamen de peccati propagine concepit. Et subdit: Proinde corpus Christi, quamuis de carne fœminæ assumptum est, quæ de illa carnis propagine concepta fuerat, tamen quia non sic in ea conceptum est, quomodo fuerat illa concepta, nec ipsa erat caro peccati, sed similitudo carnis peccati. Hæc ille: quibus quid potest esse euidentius, vt declararet carnem peccati dici, quæ communi modo concepta est ex peccatoribus; nec tamen ideò sequi, in carne ipsa reuera inueniri peccatum, sed solùm peccati debitum, nisi per Christum inueniatur quouismodo solutum? Ideò caro Virginis non æquatur in puritate carni Christi, quæ de Spiritu sancto concepta fuit. Et hoc est, quod ait August. quòd qui negat, detestandus hæreticus inuenitur: sic enim seipsum declarat. Alioquin, quì potuisset verè dici detestandus hæreticus, qui id diceret, quod nunc etiam celebrat Ecclesia? Hic inconstantiam Caietani demiror, qui aliàs rectè docuit hanc positionem non esse erroneam, & August. contra Pelagianos scribentem, nihil contra eam asseruisse, & diffiniuisse. Et hoc in loco producit ex Augu. sententiam, quasi huic positioni cõtrariã, quã qui negat detestandus hæreticus inuenitur. Ecce vidisti loca (lector) irrefragabilia. Accipe & alia: Producit Caietanus, quod ait Ambrosius. Venit Dominus in carne, quæ peccato in Matre fuerat obnoxia. Sed & hic primùm non ex fide citant Ambrosij verba. Quid autem fœdius, quàm mutare verba Doctorum, & illa post hæc in argumentum inducere? Quod cum tam sæpè faciant, satis indicant, se non veritatem, sed victoriã, & illam falsam, atque sophisticam quærere. Ego autem in alio libello, simpliciter esse adductum locum existimans, simpliciter quoque suscepi, atque dissolui ex data Glossa. Postmodò verò ita se habere locum comperi: Solus est (ait de Christo Ambrosius) quem retia non inuoluerunt peccatorum, omnes intra retia erant, immò intra retia sumus, quia nemo sine peccato nisi solus Iesus, quẽ non cognoscentem peccatum, peccatum pro nobis fecit Pater: etenim tradidit eum laqueis, tradidit eum retibus, mittens eum non in peccato, in quo erant omnes homines, sed in

Iob 38. *Iacob 3* *Auguſt. de nat. & grat.*

1. Co. 15

Rom. 3. *Auguſt. Hyp. li. 30.*

Not. ad intelligẽtiã locorum ex Auguſt. magnipõderis. Pſal. 34

Libr. 5. cap. 9.

Caieta.

Rom. 8.

in similitudinem carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum in carne. Peccatum erat caro secundùm illud, quia hæreditario erat damnata maledicto. Peccatum erat illecebra & ministra peccati, venit Iesus, & in carne peccato obnoxia militiam virtutis exercuit. Hæc ibi Ambros. Non ergo ait in carne, quę in matre fuerat peccato obnoxia (vt isti citant,) sed ita: Venit Iesus, & in carne peccato obnoxia militiam virtutis exercuit: Et manifestè de carne Christi loquitur, quam peccato obnoxiam vocauit, quia reatum peccati omnem in se contraxit: Vnde & Christum factum peccatum dixit, vt per passionem, & mortem illo absumpto, etiam peccatum extingueretur. Quòd verò idem Doctor omnes intra retia ponat præter solum Christum, manifestè iuxta naturæ conditionem intelligi oportet, cùm & ipse declaret, quòd hæreditario iure id perueniebat, quod est natura, vt sæpius declarauimus. Quare etiam dixit intra retia sumus, cùm tamen per Christi gratiam ipse, & alij multi retia euasissent. Igitur iuxta naturam, sequestrata gratia, omnes etiam intra retia sumus. Ex dictis igitur, & iam disputatis, abundè patere potest, antiquiores illos, & primæ classis doctores minimè pugnare pro illis aduersùm nos: quòd verò potius è contra in illos, & pro nobis irrefragabiliter pugnet, non erit difficile demonstrare, & potissimùm de B. Augusti. quare obsecro te, Lector, attende.

Loca ex Augustino pro eximia præseruatione Beatæ Virginis ab omni peccato.

Regula ex Aug. BEatus Augustinus, quasi regulam firmissimè statuit, quòd quicunque sub originali fuerunt, etiam sub actuali concluſi sunt. Si autem Beata Virgo fuit sub originali, ergo etiam sub actuali ex data regula ab Augustino. Non autem sub actuali fuit, (vt planè fatetur ipse Augustinus) ergo stante sua regula, nec sub originali. Augustinus enim cõtra Iulianum libr. quinto, his penè verbis hanc regulam statuit. Propterea nullus est hominum, præter Christum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu, quia nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exordio. Hæc ille: Vnde & concedit, quòd etiam Christus peccatum fecisset, si paruulus habuisset. *Not. diligenter* Quid hic ergo dicant argutuli? Capreolus enim sentiens vim argumenti, & declinare volens, exponit peccatum fecisset, id est, fomitem habuisset: quasi verò habere fomitem sit facere peccatum, aut quasi necesse sit expectare grandiorem ætatem ad habendum fomitem, & ita peccatum. Quis non videat his glosis manifestè verborum clarissimum sensum violari? Quare Gregorius de Arimino fassus est argumentum concludere, vt penè propterea fateretur Beatam Virginem etiam sub actuali concluſam. At quanto satius erat etiam excludere originale peccatum ab ea, cùm iam proculdubiò ab omni Ecclesia, & ex Thomæ doctrina, & Augustini, ipsam ab omni actuali seruatam fuisse recipiatur. Quòd verò hæc regula ab antiquis Patribus esset profecta, etiam Ambrosius testari videtur, ijs verbis: Seruatum est, vt ex viro, & muliere conceptus nemo videatur expers delicti: & loquitur de actuali delicto manifestè, cùm dicat, ideò abstinuit à peccato Christus, quia de Spiritu Sancto conceptus est. Abstinere autem à peccato, non conuenit nisi, respectu actualis. Hæc enim erat generalis Doctorum sententia, vt quicunque esset sub originali, etiam actuale quãdoque committeret, grandioris ætatis factus. Vnde & Origenes super ea Simeonis prophetia: *& tuam ipsius animam pertranbit gladius*, ita scribit: Quis est iste gladius? Apertè scribitur, quòd in tempore passionis omnes sint Apostoli scandalizati, ipso Domino dicente: *Omnes vos scandalizabimini in nocte hac*. Ergo scandalizati sunt vniuersi, vt Petrus quoque tertiò denegarit, quid? Putamus quòd scandalizatis Apostolis, Mater Domini à scandalo fuerit immunis? si scandalum in Domini passione, non passa est non est mortuus Iesus pro peccatis eius, si autem *omnes peccauerunt, & egent gloria Dei, iustificati gratia eius, & redempti*, vtique, & MARIA illo tempore scandalizata est, hæc Origines ibi. Et alibi etiam idem homo vult, quòd MARIA indiguerit purgatione à peccato, atque idcircò edito partu obseruauit legem purgationis: quæ non ob hoc adduxerim, quasi vera concludat, cùm hæc sint reprehensa, & ab omni Ecclesia meritò iam explosa, quæ asserit, Beatã Virginẽ nulla indiguisse purgatione, cum non suscepto semine conceperit. Lex autem illam demum esse impuram, & purgatione indigentem declarabat, quæ suscepto semine concepisset. Fatetur similiter Ecclesia etiam solam ipsam Beatam Virginem sine scandalo, & constantissimè permansisse in fide, Crucis tempore: & solam passionis Domini participem per gladium illum doloris, qui pertransiuit animam eius, quem illi soli (puto) benè intelligunt, qui verè, & perfectè diligunt Christum. Sed hæc adduxi, quoniam hæc erat antiquorum opinio, vt qui esset sub originali etiam ipsi actuali quandoque subesset. Quia ergo Origenes hoc accipiebat, MARIAM sub originali fuisse, ideo etiam concludebat eam sub actuali, quod à scandalo Crucis declarabatur. Nos verò contra, cùm iam expeditum sit, illam sub actuali non fuisse, & nunquam scandalum passam super filio, con-

Ambro.

Origen.

Luc. 2.

Mar. 14

Rom. 3.

Nota, vim argumẽti.

consequenter ex accepta regula destruimus originale. Nec tamen putare te velim, bone Lector, Origenem ea perpetuò asseuerasse de gloriosa Virgine, sed vt secum in multis alijs inuenitur pugnans, ita & in hoc, quod adduximus. Nam vide, vt alibi de hac Beata Virgine, quæ gloriosa sunt, prædicet. Tractans enim egregiè illud Matth. *Ioseph cùm esset vir iustus, & nollet eam traducere*: Postquã in immensum ferme extulit Virginem, vt eam Dei Matrem diceret, dignã digni, immã culatã immaculati, sanctã sancti, vnã vnius, vnicã vnici, & alijs verbis, & planè diuinis laudibus commendaret, introduxit & Angelum ita admonentem Ioseph: Accipe ergo eam sicut commendatum cœlestem thesaurum, deitatis diuitias, sicut plenissimam sanctitatem, sicut perfectam iustitiam: Accipe eam sicut vnigeniti mansionem, sicut honorabile Templum, sicut Domum Dei, sicut Creatoris omnium propriam, sicut Regis Cœlestis, sponsi domum immaculatam. Hæc ille. An hæc quæso videntur sonare in MARIA, vitium, aut sordem, vt opus fuerit purgatione? Et (quod horreo dicere.) An videatur admittere Crucis scandalum, vt Tẽplum Dei sit scandalizatum? Absit, Absit, Absit à fidelium mente tam dira cogitatio, & indigna de sacrario illo Spiritus Sancti. Quòd si quis vrgeat, quòd Augustinus ibi statuit de solo Christo verum esse, quòd non fecerit peccatum, quia nec paruulus habuit, quod & Ambros. clarè dixit. Primùm respõdemus, quòd sic non tam contra nos arguunt, quàm contra communem etiam contradicentium, & Catholicorum sententiam, & communem omnium piorum conceptionẽ: immò ipsummet Augustinum, qui proculdubiò Beatam Virginem omnino liberat ab actuali. Deinde, ne secum illum in hoc pugnare fateamur, quod non est necesse, ab ipsomet Augustino instructi respondemus, quòd à pleriſque, à quibus solus Christus excipitur, etiam ipsa Beata Virgo in ipso Christo excepto excepta intelligitur. Verbi gratia, de solo Christo specialiter dicitur: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, & quòd mors ab Adam ducta omnibus eius filijs dominetur, & maneat illud singulare in Domino: ita enim legitur in libro de Dogma Eccles. Et tamen idem Augustinus hoc extendit etiam in Virginem. Quare? Quia Christus, & Beata Virgo vnum quodammodo erant, vnus spiritus, & vna caro: iuxta quod scriptum est: *Qui adhæret Deo, vnus spiritus est cum eo*. Et iterum erunt duo in carne vna. Quamobrem, & in Pelagianos, quia ponderabant, quòd non dixerat Apostolus per duos homines, sed per vnum hominem peccatum ingressum in mundum, vt ex hoc suaderent, quòd non loqueretur Paulus, ibi de peccato originali, quòd Catholici dicebant, ipse ita argutè respondit Augustinus: Si cordis oculos non amisistis, attendite dictum esse. Iam non sunt duo, sed vna caro. Nam verè per vnum hominem dixit Apostolus, quia cum in viro suo mulier sit vna caro, in semine progenies imputatur. Hæc Augustinus; idem notauit Hieronymus & Hilarius, & alij multi: quod & ipsa Scriptura satis indicat, his verbis: *Ad similitudinem Dei fecit illum, masculum, & fœminam creauit eos*, vt per hoc, quod dixit, illum ambos intelligeremus. Ad similitudinem enim Dei etiam fœmina creata est. Et sequitur: et benedixit illis, & vocauit nomen eorum Adam in die, qua creati sunt. Vide, vt hoc nomine, Adam, ambo comprehenduntur? Quòd si illud in figura. (Nam primus Adam fuit figura secundi,) cur non, & hoc in ipsa veritate fateamur?

Est & alia pro hac veritate grauissima Augustini sententia, quam vniuersa venerabiliter recepit Ecclesia, in hæc præclarissima verba: Excepta Virgine MARIA, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, volo habere quæstionem iam enim scimus, quò ei plus gratiæ collatum fuit; ad perfectum omni parte vincendum, quæ illum concipere, & parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatũ: hac inquam Virgine excepta, si omnes illos Sanctos, & Sanctas, quos ille enumerat, congregare possemus, & interrogare, vtrùm essent sine peccato? Quid fuisse responsuros putamus? An quod Pelagius, an quod Ioannes dicit? rogo vos; quantilibet fuerint in loco, corpore, sanctitate, si de hoc interrogari potuissent, vna voce clamassent: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, &c.* Hæc Augustinus, at contradicentes hanc sententiam adeò pinguem, adeò magnificam pro perfectissima Virginis innocentia conati sunt angustare, vt de actualibus tamen peccatis, non de originali intelligatur: quod etiam suadere nituntur.

Primò, quia, vt aiunt, de actualibus sermo erat contra Pelagium, qui induxerat Beatã Virginẽ, & alios plures fuisse iustos, & per hoc absque perfecto actuali.

Secundò, quia non poterat dici de sanctis, quòd haberent originale, à quo erant liberari.

Tertiò, verba illa, scimus, quòd ei plus gratiæ collatum fuit ad peccatum omni parte vincendum, arguunt, quòd de actuali loquebatur. Non enim cum originali est pugna, vt vincatur.

Quartò, quia illa sententia, quam citat Augustinus, si dixerimus, &c. de actuali intelligitur, non de originali.

Quintò, addunt, & Magistrum sententiarũ, qui

Origen. de B Virgine. Mat. 1. *Nota.* *Aug. de nat. & gratia.* *Psa 15. Ad Ro. 1* *In serm. de assumptione.* *1. Co. 2.* *li. Hyp.* *Gene. 1.* *1. Ioã. 1.*

qui vult eam Augustini sententiam intelligi veram ab eo tempore, quo Beata Virgo cœpit esse Christi Mater. Tunc enim verè fuit ab omni peccato immunis. Hæc illi: at nos contra, quòd Beatus Augustinus de quouis genere peccatorum, immò precipuè de originali ibi loquatur, confidentissimè asserimus. Nam hæc erat præcipua, & principalis cum Pelagio controuersia: De actualibus enim incidenter disputabatur. Pelagius enim, vt ibi recitat Augustinus, conabatur ostendere naturam hominis minimè vitiatam peccato: quod cum inter cætera argumenta probare sibi videbatur, ex eo quòd Scriptura Sancta multos iustitiæ nomine commendabat, quod non rectè fieret, vt arbitrabatur, si natura hominum illo peccato esset infecta. *Vis arg. Pelagij.* Vis enim argumenti eorum, vt Iulianus declarabat, in hoc maximè consistebat, quoniam (vt etiam Catholici fatentur) necesse erat, quemlibet hominem actualiter peccare, qui sub originali comprehenderetur. Quapropter nullus potuisset simpliciter dici iustus, si omnes illo peccato essent obnoxij: cõmemorabantur autem multi simpliciter iusti in Scripturis Sanctis. Quod de gloriosa Virgine non confiteri, impium esse aiebat. Quamobrem & cõcludebat, credamus igitur quod legimus, & quod non legimus, credamus, nefas astruere. *Respon. Aug. ad obiect. Pelagij.* Ad quod argumentum respondens Augustinus primò negat eos, quos proferebat Pelagius iustos, ita iustos fuisse, vt nullo penitus peccato tenerentur, præter gloriosã Virginem. Deinde, vt vim argumenti penitus frangeret, & dogma illius pessimum non probari, hoc exemplo, manifestaret, sed naturam etiam in Beata Virgine corruptam doceret, adiecit, quòd MARIA excipiebatur, non ex vi naturæ, sed ex vi gratiæ excellentis, & propter honorem Christi. Vnde & contra Pelagij conclusionem opportunè concluſit in illum: ò vtinam nihil vellet ille astruere, præter id, quod in sacris literis legitur! fideliter enim, & obedienter audiret, quod scriptum est. *Rom. 5.* *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors; & ita in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccauerunt,* & non infirmaret tanti medici gratiam, dùm fateri non vult naturam humanam esse vitiatam, ò *Actu. 4.* vtinam, sicut Christianus legeret: Præter Christum Iesum nullum esse nomen sub cœlo, *in quo oporteat nos saluos fieri,* & non possibilitatem naturæ ita defenderet, vt homo per liberũ arbitrium, etiam sine isto nomine saluus esse credatur! hæc August. & tandem etiam circa alios Sanctos, & eorum iustitiam, quanta, aut qualis fuerit, discedens à *Nota,* contentione, ita scripsit. Neque illud nimis curo, vtrum fuerint hìc aliqui, vel sint, vel esse possint, qui perfectam (cui nihil addendum esset) habuerint, vel habeant, vel habituri sint charitatem. Ipsa enim est verissima, plenissima, perfectissima iustitia: quoniam quòd voluntate hominis adiuta per gratiam Dei fieri possit, confiteor, & defendo quando, vel vbi, vel quando fiat, nimis certare non debeo. Hæc Augustinus, vt agnoscamus ex illius sensu, quòd non certaret inquenquam, qui quamlibet poneret in homine perfectam iustitiam, & ab omni peccato immunem, quantominus in eos, qui hanc asserant in MARIA, quam ille manifestè excipit? Sed pondera quæso te, bone Lector, magnifica, & amplissima August. verba pro absoluta innocentia B. Virginis. Primò ait, cùm de peccatis agitur: nõ dixit cũ de actualibus agitur, sed simpliciter cumde peccatis agitur: Aiũt, erat ibi quęstio solũ de actualibus, falsũ imò de originali maximè, & propter illud de actualibus, vt originale excluderetur exclusis illis. Deinde adiecit, nullam prorsus volo habere quæstionem, ò plenam circa hanc rem omni veritate sententiam! Non enim tantũ absoluitur ab omni penitus peccato Beata Virgo, sed omnis etiam quæstio circa hoc amputatur. Quæstio enim apud quosdam est vtrùm MARIA actualiter peccauerit? reijcitur ab Augustino, alia est: vtrùm saltem originaliter, & hæc igitur reijcitur? alia est de romite, qui ex peccato descendit. Et hæc pariter exploditur. Quare? quia non debet esse quæstio super eo, quod iam certò sciri debet. Audi quæso verba confidentiæ, iam enim scimus (inquit) quòd ei plùs gratiæ collatum fuit, &c. Non dixit, credo; non dixit, opinor, aut quid tale formidinem indicans: neque dixit, scio, quasi hæc illi soli adesset scientia, sed dixit: Scimus, vt hunc esse Catholicum sensum innueret. Sed vnde hoc scire possumus ò Augustine? audi, & cape, qui potes: Ex hoc (inquit) scimus, quod concipere, & parere meruit illum, quem cõstat nullum habuisse peccatum. Hic quæso attendat diligenter, qui contradicit, & putat August. solum loqui de actualibus. Nam quæso cum de Christo ait, quem constat nullum habuisse peccatum, an loquitur de actualibus tantùm? Absit, hæc igitur ratio, quæ vtrumque peccatum à Christo excludit, pariter militat, vt vtrumque à matre excludatur. Si enim immunis, ideò dicitur ab actuali, quia ipsa eum meruit concipere, & parere, qui venit tollere actuale, cur non, & ab originali similiter immunis dicatur, cum eum meruerit concipere, & parere, qui venit tollere etiam originale? immò ipsum maximè: Certè vrget ratio hæc: tali enim argumento vtitur August. cum illam vendicat ab incineratione, & perfectam eius Resurrectionem astruit. Ait enim: Decens fuit, vt esset integraliter viuens, quæ omnium integram, perfectamque genuit vi-

Not. & cape tãdè ò contradictor sui.

Nota,

Rat. cui dens.

Aug. in serm. de assump.

vitam, ita hoc in loco, decuit immunem es- A se ab omni prorsus peccato, quę meruit illum concipere, qui nullum omnino habuit peccatum. Denique accipe totius huius sententiæ radicem. Propter honorem Domini (inquit) nullam prorsus volo habere quæstionem. Quomodo ergo isti prætendunt honorem Domini, eò quòd illam statuunt sub peccato? Si hoc dicant ex proteruia, detestatione indigent non confutatione. Sin imperitè, misericordia, qui quod adeo perspicuum est, non vident. Quis enim non videat, quòd si ad honorem saluatoris attinet saluare, & magis saluare etiam magis ad eius honorem attinebit, cum res digna maiore salute proponitur? Quis autem neget B magis esse saluare, ab omni delicti genere constituere immunem quempiam, quàm si ab vno? Quis item neget matrem Dei dignam omni genere salutis, quæ ipsam veram sibi priùs, & maximè vitam, & salutem effudit? Quod verò contradicentes aiunt, quòd de sanctis non poterat dici, quòd haberent peccatum originale, cùm essent ab illo liberati per gratiam, ostendunt, parum se considerasse scripturas, & Augustini, & aliorum veterum loquendi morem, qui reliquias eius peccati, quæ & post gratiam manent in sanctis peccatum vocant. Vnde & illa scriptura: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus*, quæ procul dubiò complectitur omnes, vt vult C Augustinus, etiam pueros, non de actualibus solù peccatis verificatur, sed & de originali: immo propter originalis reliquias illud est dictum. Nam sine actuali potest esse homo teste Augustino, & Thoma pro aliquo tempore: & ideo pro illo saltem tempore, posset dicere, peccatum non habeo, & falsa esset illa sententia, & propterea eius veritas in originali peccato saluatur. Neque verum est, quod non pugnetur aduersùs hoc peccatum, donec destruatur per gratiam Christi, immo aduersùs illud continuò est colluctatio; quoniam propter illud maximè in nos ingruunt tentationes à multis miserijs. Porrò quod ait Magister sententiarum, videlicet quòd D hæc Augustini sententia intelligitur vera ab eo tempore, quo illa filium suum concepit, à B. Thoma non recipitur, nec est recipienda: quia violat litteram, & angustat Christi gratiam in illa, præsertim si de actualibus loquitur, vnde simpliciter est intelligenda non solùm respectu omnis temporis, vt fatetur D. Thomas, Bonauentura, & communiter omnis Schola, verùm etiam respectu omnis peccati, vt rectè sensit ipse Magister. Sunt & aliæ, quæ sparsim ex Augustino sententiæ proferuntur, quæ manifestè illam mundissimam, & ab omni sorde peccati immunem constituunt, quas alio opusculo indicaui, & nunc breuitati studens omitto. Attuli & ex Hieronymo sententias. Nam alicubi nubem diei declarat esse B. Virg. quoniam non fuit in tenebris, sed semper in luce: quod certè de nullo dici potest, qui aliquando sub tenebris peccati comprehensus est. Alibi confidenter asserit totam Christi plenitudinem refusam fuisse in B. Virg. quamquam aliter: vt quod Christus iure proprio habuit, Beata Virgo eius gratia, & beneficio, acceperit. Comparatam etiam illam fuisse velleri declarat, quoniam vellus cùm sit de corpore, nescit corruptionem. Sic enim MARIA, cùm esset de corpore, & massa illa peccati, quasi vellus, incorrupta per Christi gratiam est inuenta. Alibi comparauit eam diei Dominico, illi quidem S. Paschæ, vt sicut hic dies inter reliquos principatum obtinet, ita mater Domini inter reliquas mulieres: Et sicut Sabbatum antiquum mutatum est in hunc diem, ita Euæ erectio in gloriam MARIÆ, vt non deceat in ea vlla seruitus: & sicut dies Dominicus est vnus è septem, & extra septem, ita MARIA secundùm naturam inter reliquos homines computanda est, electione verò, & gratia, extra alios, & super omnes: soli Deo dicata, & vsibus mancipata diuinis. Adhæc, cùm illam super omnes Angelos exaltatam diceret (quod de nullo quouis sanctorum fas est dicere) ne id incredibile videretur, adiecit. Hoc priuilegium, non naturæ, sed gratiæ est B. MARIÆ Virginis, de qua natus ipse Deus, & homo, idcircò & ipsa plus meritis est, & non natura, quàm Virgo, & homo. Quod & Augustin. eodem spiritu dixit, cùm illam perfectè gloriosam mirificis argumentis in cœlis cum filio consedere persuasit. Reliqua, quæ & ipse, & Ambros. & alij Sancti illi antiquiores de hac Virgine gloriosa, & eius prærogatiuis prædicant, ob quas inquiunt, stupere cœlum, non afferam, alio libello pauca de multis perstrinxi, quæ certè ita possunt illi congruere (si quoduis vnquam peccatum habuit) sicut lux clarissima conuenire cum tenebris. Quare vna Hieronymi sententia hunc locum concludam. Nulli dubium (inquit ille) quin totum ad gloriam filij pertineat, quidquid dignè Genitrici suæ impensum fuerit, ac solemniter attributum. Qui igitur verè studebunt gloriæ filij, non dubitabunt hunc honorem matri eius impędere, ac solemniter attribuere, cùm hactenus antiquorum doctrinam videre possint, non solùm nō obstare, verùm etiam huic sententiæ maximè fauere. Igitur ad secundam aciem descendendum, eorum scilicet, qui Scholastici fuere, & abhinc circiter trecentis annis in Gymnasijs litterarum floruere.

Notent qui aliter sapiunt.

Ad Roman. 3.

1. Ioã. 1.

Hier. 1. per. Psal. 77

Inferm. de Assumpt.

Inferm. de Pascha Domini.

Inferm. de Assumpt.

Hie. veneranda sententia.

Dilutiones auctoritatum eorum, qui de Conceptione Beatæ Virginis, olim aliter senserunt.

NOn eo inficias, nobilissimos Scholasticorum, quales fuere in primis Beatus Thomas, Bonauentura, Albertus, Durādus, Ægidius, & alij complures præclaræ, ac spectatæ doctrinæ, videri illam opinionem tenuisse, quibus addo & Beatum Bernardum, licèt inter Scholasticos non sit ponendus. Neque hoc magnopere mirandum, tum quia tunc homines erant, & ipsi verè sub originalis peccati tenebris adhuc detenti, vt possent errare: Tum quòd non est nouum in Ecclesia Dei, per temporum incrementa nota fieri diuina mysteria, quæ tamen antea etiam multos sanctos latuerant, vt hoc nunc nosse, sit beneficium temporis: non quòd simus meliores nos, quā patres nostri. Mirabitur fortè quispiam, quòd dixerim, illos videri tenuisse illā opinionem, quasi reuera non tenuerint. Nemo, quæso, miretur, nam periculo meo audeo asserere, quòd verè non tenuerunt, quod paulò post polliceor, me quàm euidentissimè ostensurum. At interim cum ijs agens qui minùs idonei sunt, vt persuadeantur, aliter, & multis modis respondebo.

No. Occurrit. obiectioni.

Primò, quòd hic locus ab auctoritate est infirmissimus, vt ait Philosophus. Vnde & eleganter Augustinus dixit, ordo discendi est, vt rationem præcedat auctoritas: infirma enim ratio videri potest, quæ cùm reddita fuerit, auctoritatem postea, per quam firmetur, assumat. E conuerso enim est, vt infirmitatem auctoritatis ratio confirmet.

Ord. discēdi ex B. Aug.

Secundò, vt clauus clauo truditur, ita auctoritas contraria auctoritate exploditur. Non enim defuerunt magni, & glorioſi Doctores, qui nostræ sententiæ faueant: sicut de antiquioribus id ostendimus, de modernioribus autem non est dubium, cùm nullus sit iam, qui audeat aliam partem sustinere. At ipsi primò numerant auctores suos, & quidem ad ducentos circiter: Alij fermè etiam ad trecentos extendunt. Caietanus vltimò ad tredecim reduxit numerum, qui videbantur explicitiùs, & irrefragabiliter illud probare. At quàm verè irrefragabiliter, hic ex parte, sed in nuper editis annotationibus in eius commentaria abundè, ac planè deteximus: Alij multos memorant infimæ classis, quos nescimus, vtrùm aliquando hanc vitam vixerint: vt isto modo perfacile fuerit complere numerum. Nonnullos etiam cognunt inuitos, vt sibi astipulentur, qui vel non probant, quod ipsi volunt, vel etiam contrarium potiùs docuere: Ita vt præter alios, quos alio opusculo indicaui, etiam Scotum ad se trahant, vt ex hoc vno, quid ausi fuerint, de alijs facilè valeas coniectare. Pluri-

Clauū clauo trudere.

Caieta.

not. aduersari. adprobā dum, an gust. & fluctua tionem.

A mi etiam sunt, qui zelo, & contentione magis, quàm ex iudicio, & amore veritatis scripserunt. Quod vtinam non indicassent plus satis. Nonnulli etiam fuerunt, qui (vt fieri solet) non exactè rem considerantes, secuti sunt potiùs alios, quàm ipsi rem proprio iudicio comprobarint. Denique postquam eò redacti sunt, vt hos nobis obijciant fumos, numerando auctores, respondebo de cuiusdam prudentia, qui dixit: Pauperis est numerare pecus. Nam, qui ex aduerso in illos pro nobis stant, innumerabiles sunt: videlicet Vniuersitates famosissimæ totius Christiani orbis, & gymnasia, præter plurimos magni nominis viros. Et, quod longè B est validius, ij nostri, hanc, quam defendimus positionem, non iam vt opinionem, sed vt quasi certæ, ac exploratæ veritatis sententiam asserunt, sicut iam antiqua determinatione firmarunt; ita vt apud celeberrimam Parisiorum facultatem nemo dignus magistri titulo censeatur, qui in hunc articulum non se astrinxerit, etiam iuriiuran-

Virg. in Buco.

no quid Paris. facultas pro conceptione agat.

di religione. Quæ autem huius rei gratia euomuerit contra Vniuersitates Caietanus, quas & præsumptuosas vocat, quia non nisi indignæ contumeliæ sunt, hic non referam. Satis enim de hoc in Annotationibus nostris nuper editis: Quod tamen ad rem pertinet, si quis dixerit, ad Vniuersita- C tes huiusmodi non pertinere, rem fidei determinare, fateor hoc regulariter. At nihilominus cùm res ipsa postulat, ad sedanda scandala, & schismata in Regnis illis, & pro bono vnitatis, & pacis, & præsertim Romana Ecclesia hæc tolerante, ac propterea tacitè approbante, quando & Ordo noster in eis locis consenserit, minimè fuit præsumptio eam quæstionem decidere in illis locis, sed fuit prudentia, & diuinū consilium, nec sine spiritu Dei acceptum. Olim Episcopi, qui in Synodis cogebātur, similia sanciebāt, quæ ad pacē, & vnionē Reipublicæ Christianæ spectare perspiciebant: quia Summus Pontifex vbique esse non potest, & multi eorum D alijs fortè curis prohibentur. Nunc autem propter scientiæ claritatem hoc Episcoporum munus Doctorum Vniuersitates sibi meritò vendicarunt, ipso Pontifice & sciente, & volente. Sunt enim quædam satis certæ fidei apud doctos: Cur autem hæc declarare non pertineat ad illas, si res postulet? Et sunt quę apud quasdā Prouincias certiora facta sunt per miracula, & reuelationes Sānctorum, vt necessaria sint præsentanea remedia propter factiones, vt est constantissima fama hac de re, quæ reuelationibus, & miraculis comperta est, & illustrata. Quid ergo mali, si Vniuersitates, hac veritate ita comperta, pro vnione, & pace Regnorum illud determinarunt, quod etiā Ecclesia sancta

Quomodo pertineat ad Vniuersitates nonnunquā de fidei dogmatib⁹ decernere.

Episcoporū antiquain Syn. consuetudo Vniuer. Episco. munus obire in dubijs.

fusce-

Ver. præsumptio susceperit? quo minus debuerunt argui Vniuersitates istæ præsumptionis: immò in ea parte potius præsumptio est, quæ id arguit, quod Ecclesia probat. Quod ergo etiam addit idem Caietanus, quod iste concursus, & consensus Vniuersitatum, & populorum, nihil habet probabilitatis, nisi apud indoctos, quid mereatur pro responso, alij viderint. Hæc enim verba latè significant, quòd Vniuersitates, & quicunque in hanc sententiam conueniunt, indocti sunt: Et illi soli sapiunt, qui contra tenent. Sed hoc, effutire est, non probare. At aiunt quidam, quòd cum aliquando florebat illa Vniuersitas, oppositum determinauit his verbis, vt ipsi citant ex Alberto Magno: Esse sanctificatam MARIAM ante animationem, conclusum fuit hæresim esse in Parisiensi gymnasio, quia contraxit peccatum originale. Sed certè apud Albertum verba hæc: Quia contraxit peccatum originale, non leguntur, sed addunt de suo. Quòd si illiberale penitus est, per falsitatem defendere etiam veritatem, quanto magis defendere, quod falsum est? Nos igitur fatemur, non solùm hæreticum, verùm etiam stultum esse ponere MARIÆ sanctificationem ante eius animationem: quod nihil aliud esset, quàm ponere esse MARIAM antequam esset. Et hæc satis ad numerum, & multitudinem quam obijciunt. Videntes igitur, quòd nec hoc in loco consistunt, videlicet in multitudine Doctorum, cùm hæc nostra sententia sit iam communis, nec sit opus de tertia turma, id est recentioribus Magistris facere quæstionem, cùm omnes nobiscum consentiant: hùc tandem confugiunt, quòd pro illis sunt, qui sanctitate præstarunt: quasi verò desint & Sancti, & deuoti Virginis in parte nostra, sicut alio opere ostendi: verùm propter infirmos, ne hoc prætextu fallantur, mitto, quòd non est necesse omnibus assentiri, quæ Sanctis visa sunt vera. Non enim ita perfecta sanctitas in hac misera vita contingit, vt ab omni nescientia, & errore, sicut, nec à peccato penitus mortales liberet. Nam & ad Sanctos illud pertinet: *Diminutæ sunt veritates à filijs hominum*. Et quod Iacob Apostolus, dixit: *In mundis offendimus omnes*. Docet Thomas non quæcumque dixerunt, aut scripserunt Sancti, vera esse, & à Spiritu Sancto profecta. Augustinus præter Canonicas Scripturas, alios ita legisse testatus est, vt quanta libet sanctitate, vel doctrina pollerent, non idcircò verum esse putaret, quod illi diceret: sed quia, vel ratione, vel Canonica auctoritate quod dicerent, etiam persuaderent. Hoc verò in loco & rationes, quibus mouebantur, non cogere, & Canonicam potiùs auctoritatem vehementer oppositæ sententiæ fauere, iam perspicuum est, nisi velimus

no quid olim determinauit vniuersitas Parisiè. ex Albe. Mag. supr. 3. se.

Psa. 11. Iacob. 3 Tho. in quod li. 12. Augusti.

A nosmetipsos fallere. Denique res ipsa indicat in plurimis, & grauibus quæstionibus erratum esse ab his, quos meritò veneramur, vt Sanctos. Extat animosa Polycratis Epistola ad Victorem Papam, vbi plures testatissimæ sanctitatis viros enumerat, qui contra rem Romanæ Ecclesiæ Pascha Sanctum Iudæorum more celebrarunt: quorum freti auctoritate Asiani Episcopi Romano Pontifici restiterunt, sed anathemati cuncti traditi sunt. Cyprianus quantùm contenderit pro rebaptizandis his, qui ab hæreticis baptizati erant contra Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, cuius etiam sententię tot docti, & Sancti viri, etiam in Concilijs subscripsere, notissimum est. Sed quid Augustinus de illo? Nota quæso, Lector, aurea verba, quibus etiam obiectam in se Cypriani auctoritatem retundit. Ego (inquit) viri huius laudem assequi non valeo, eius multis literis mea scripta non comparo, eius ingenium diligo, eius laude delector, eius charitatem miror, eius martyrium veneror: hoc, quod aliter sapuit, non accipio, quia Ecclesia non accipit, pro qua ille sanguinem fudit. Hæc Augustinus ita vere, sicut humiliter, quod & maximè à nostris considerari velim. Ioannes quoque Damascenus, & nonnulli, qui in Sanctorum numero habentur circa Trinitatem mirificè aberrarunt dicentes: Spiritum Sanctum à solo Patre procedere. Vnde clamat Beatus Hieronymus in suo contra Pelagium Dialogo, & ait: Quis mortalium aliquo errore non tenetur? quem Hæreticorum, & falsorum dogmatum venena non maculant? Ideircò omnes & timere, & humiliari, & confiteri debent, quòd *omnis homo mendax*. Si enim vertex ille Apostolorum Petrus post suæ dilectionis ternam professionem, & post plenitudinem superuenientis Spiritus, tamen: *Non ambulare secundum Euangelij veritatem* deprehenditur: nec ipse solùm, sed & frater Domini Iacobus, & Barnabas, columnæ Ecclesiæ Sanctæ, in eam imprudenter venerant simulationem: Quid mirum si & posteriores, & inferiores alios error aliquis inuoluerit? O altitudo scientiæ, & sapientiæ Dei. Quis nouit consilia eius, aut quis prior dedit illi, & retribuetur? Nonne scriptum est, Diuisiones gratiarum sunt, & Spiritus Sanctus est, qui diuidit vnicuique prout vult? Placuit ergo Spiritui dare aliquid Paulo, quod Petro non dedit: præstantior enim Paulus prædicatione, Petrus potestate sublimior: Cyprianus martyrij gloria Augustinum præcellit, Augustinus acumine, & Scripturarum Doctrina felicior. Thomas Augustino præstat virginitate: Ille pastorali præfectura insignior: & ne longiùs à

Quid sãctis prisc̃is contigerit olim. Polycr. ad Vict. pp vide Hist. Eccles. & Her. de Virg. illust. Cypria.

Hie. verba pond.

Psa. 115

Gala. 2.

Rom. 11.

1. ad Co. 12. Gratiæ sanctis diuisæ.

re propositâ diuagẽr, hoc tandem persuasum esse velim: Non omnibus seculis omnia innotuisse. Ideo nec magnopere mirandum, si hoc Reginæ nostræ priuilegium Thomam latuit, aut Bernardum, aut Bonauenturam, & alios: Satis enim, superque satis accepit Thomas Aquinas, qui quasi sapientiæ cœlestis abyssus, tantis salutaris doctrinæ aquis exundat, vt penè dixerim, cunctam solus ille valeat irrigare Ecclesiam. Neque propterea detrahimus quicquam Thomæ doctrinæ, nec impugnamus eam, (vt quidam imperitè putant:) Nam pro eminenti eius scientia ego frequenter illud vsurpare soleo. Ille sciat, se valdè profeciſſe, cui Thomas valdè placebit: Recipimus & nos præclarissima summorum virorum testimonia de eius doctrina. Et quod quidam Pontifex de illo testatus est, obseruatum esse, nullum vnquam eius impugnasse doctrinam, qui non fuerit de veritate suspectus, facilè comprobamus: certò tamen scientes, multos ignorare, quid sit impugnare doctrinam Thomæ. Ille enim verè Thomæ doctrinam impugnat, qui in vniuersum, aut bonæ ex parte, quasi non valde vtilem improbat, & contemnit, aut (quod est horrendius,) quasi minùs Catholicam, immò Hæreticam, & tanquam vnam ex phialis iræ Dei fuisse, blasphemant: id quod Lutherus, in ea responsione, quam mihi, & operi meo (quod in illius blasphemias edideram, Diabolico furore actus obiecit) non timuit pronunciare. Ille impugnat Thomæ doctrinam, qui non cum reuerentia, & formidine, sed parùm sobriè, & vt sectarum zelus, aut propriæ arrogantiæ trahit impetus, de illa in vniuersum iudicat, & obloquitur. At verò in vno, aut altero, & vbi ratio postulat, aut aliorum etiam, præsertimque Ecclesiæ auctoritas mouet, saluis modestiæ finibus ab eo dissentire, quod magni, & glorioſi viri fecerunt, etiam qui de huius Sancti fontibus hauserunt, tantùm abest, vt hic impugnet doctrinam Thomæ, vt etiam magis saluam illam velit: quando ea demum sit vera doctrina, & ille verus Doctor, qui malit præhonorari veritatem. Ille igitur potiùs impugnat eius doctrinam, qui ita pertinaciter illi inhæret, vt velit ad vnum, & minimum iota pro illa contendere, & eius auctoritatem æquare Scripturis, & superiorem facere etiam Pontificum Decretis, & ita præbere se Doctis ludibrio, hæreticis occasionem porrigere blasphemandi in illam, æmulisque indignandi causam in hoc nostrum supercilium, tam immodestum. Ille denique potius impugnat doctrinam Thomæ, qui fraternam violans charitatem, ideo fratrem suum odit, quia de Beatæ Virginis Conceptione aliter docet, quàm aliquando Thomas senserit, cùm vel ipse Thomas in primis docuerit, magis esse sequendam Ecclesiæ vocem, quàm suam, quod in vltimo vitæ suæ spiritu (quando felix eius anima recedebat in Cœlum,) toto corde contestatus est, vt in Bulla Canonizationis suæ non ab re exprimitur. Et quod de Thoma, etiam de Bonauentura, & Bernardo, & alijs dictum puta, quorum quilibet magnis, & peculiaribus donis honoratus à Domino fuit. Quocirca illud Augustini in re proposita libenter vsurpabo, homines sumus, & aliter sapere quàm se res habeat, humana tentatio est: nimis autem amando sententiam suam, vel inuidendo melioribus, vsque ad præscindẽdæ cõmunis pacis, & cõdendi schismatis, vel hæresis sacrilegium peruenire, Diabolica præsumptio est: in nullo autem aliter sapere, quàm res habeat, angelica perfectio est. Quia itaque homines sumus, quandiu perfectionem Angeli non habemus, præsumptionem Diaboli non habeamus. Qui habet aures audiendi, audiat.

Verissimũ Pap. pro Tho. doctri. testimo.

Quid sit impug. doctri. na Tho.

Luther. veneno sa respo.

Vera doctrinam ver. ced.

Nota,

Augusti. præclara admonit.

Quàm variè, & inconstanter scripserint penè omnes de peccato originali, & innocentia Beatæ Virginis.

AD hæc, sicut in illo collegi opusculo de Conceptione MARIÆ, & diligentiùs in tractatu alio de peccato originali: De quæstione hac, & circa huiusmodi peccatum adeo variè, & contrariè inuicem senserunt Doctores, vt de nulla alia re magis: ita etiam obscurè, & inuolutè (vt ait Magister sententiarum) vt vix intelligi possit, quid ipsi senserint. Augustinus etiam ipse nonnulla circa hæc ignorare ingenuè profeſſus est. De Beato Thoma, etiam qui insignes Thomistæ habentur, Capreolus, & Caietanus fatentur ingenuè, in nonnullis eum variè scripsisse: & posteriùs, quæ antescripserat, retractasse. Quinetiam ipsos Thomistas in plerisque de Thomæ sensu inter se disceptare, quinimmò, (si verum amamus) Beatus Thomas ex Anselmi sententia pro immaculata Beatæ Virginis Conceptione, apertè pronunciauit, ita scribens: Puritas intenditur per recessum à contrario: & ideo potest aliquid creatum inueniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati sit inquinatum, & talis fuit puritas Beatæ Virginis, quæ à peccato originali, & actuali immunis fuit: fuit tamen sub Deo, in quantum in ea erat potentia ad peccandum. Neque verò quæ afferuntur à Thomistis glossæ, ad hunc locum recipiendæ sunt. Primò quidem, quia nec inter se conueniunt. Nam quidam dicunt, (vt Capreolus,) quod

Obscur. quæst. de peccato origin.

Magist. sentent. Augusti.

Tho sen ten. aliquã pro immaculata conceptione in 1 dis. 46. art. 3. ad 3.

quod Thomas intellexit eam immunem ab originali, post primam sanctificationem, quæ fuit in vtero: quidam verò à die secundæ sanctificationis, quando Verbum Dei concepit. Deinde, quia Beatus Thomas simpliciter, & absolutè prædicauit Virginem immunem ab originali, sine vlla temporis distinctione. Præterea, vox illa (immunis) perpetuam significat absolutionem, ab ea re, à qua dicitur quia immunis. Vnde ipse Beatus Thomas: virginitas, hoc inquit importat, quòd persona cui inest, immunis sit ab omni concupiscentiæ aduſtione. Quæ certè diffinitio falsa esset, nisi illa voce, (immunis) perpetua significaretur immunitas. Adde quod & validùs est, quòd sanctus Doctor copulat duo hæc originale, & actuale peccatum, à quibus illam immunem dicit: sed de actuali, haud dubium quin perpetuam immunitatem dixerit Beatus Thomas: cur ergo non pariter, & de originali, cum hæc ambo, quo ad immunitatem, ita iungantur, vt æquari videantur? quia ex regula ad rectè interpretandum ducente, vna determinatio, quæ plura respicit determinabilia, debet ea pariformiter determinare. At verò monstro se claudicaret Sermo ille, si ab actuali immunis perpetuò diceretur, ab originali verò, à prima sanctificatione: vel quod absurdius esset, & à secunda, quando concepit filium. Ad hæc, contra eos, qui dicunt post primam demum sanctificationem fuisse illam immunem ab originali, pecialiter arguitur, quoniam si habuit adhuc fomitem (vt volunt) non nituit ea puritate, qua nequit maior intelligi sub Deo: quod tamen ibi asserit Thomas. Præterea puritas, quę non est perpetua, non potest dici maior puritate, quæ sub Deo est, etiam per recessum à contrario (vt Beatus Thomas docet in expositione salutationis Angelicæ. Postremò, vt claudantur omnium ora, ibi declarat ipsemet Sanctus Doctor, quomodo sub Deo intelligi debeat illa immunitas Beatæ Virginis, videlicet per recessum à contrario, id est, à peccato, quoniam ipse quidem Deus à peccato liber est, non secundùm actum solum, verum etiam secundùm potentiam: sub Deo ergo erit semper Beatæ Virginis puritas, si ponatur à peccato immunis, secundùm actum perpetuò, quia non ponitur per hoc immunis secundùm potentiam. Et hæc est puritas, quam illi tribuit Beatus Thomas, cui satis fuit, vt esset sub Deo. Ex quibus arbitror non valdè proteruos persuaderi satis posse, quòd Beatus Thomas, hanc aliquando sententiam probauit, quod neque Capreolus omnino negare est ausus, neque audet Caietanus, sed aiunt, quæ scripsit in Summis Thomas, sunt eius vltimum testamentum, cui standum est. Cur ergo Caietanus nonnunquã probat magis, quæ

Not. in cõstãtia aduers. in exponendis. Tho. ve.

Tho. 2. 2 q. 152.

Reg. ex iure cõsultis accepta.

A

B

C

D

super sententijs scripsit? Ego verò optima mihi videor coniectura colligere, sanctus Doctor eo lumine veritatis, quo interiùs afficiebatur, hoc aliquando probauit, quod & nos sentimus. At quia tunc alia erat communis magistrorum doctrina, cui etiam antiquorum sententiæ astipulari primafacie videbantur, neque Dei Ecclesia quicquam interloquuta erat hac de re, ipse (vt erat verè humilis) maluit hoc spiritu impulsus, aliorum sensui cedere, quàm proprium retinere, vt sic magis placuerit Deo, non error ille, sed humilitas illa. Verum vtcunque res habeat, hìc rem cõcludo, quòd cum tot viderimus varietates, titubationes, ignorantias, perplexitates, cõtradictiones horum Doctorum in hac materia, & humana diuinaque iura testibus variè, & contrariè loquentibus, aut inuolutè atque obscurè, nec de propria scientia testificantibus, haberi fidem prohibeant, idque præsertim aduersùs rem vllam piam: etiam nos iure optimo, ac meritò, & cum bona horum Doctorum pace, & gratia (vt non dubito) eorum dicta, & si sancti fuerint, tamen contra sanctissimæ Virginis prærogatiuam hanc, non recipimus, &c. Nam cùm duorum alterum necesse sit nobis fateri, aut peccatum Virginis, si hos non errasse concesserim, aut eorum errorem, si potius illam ab omni peccato immunem defendam, profectò expedito consilio, ac sanè pio iudicio, magis eligam, vt illos errasse, ingenua confessione profitear, qui & potuerunt errare, & in multis etiam errasse deprehensi sunt, quàm vllam patiar gloriæ Matris Dei indignam inuri maculam: vt clarè intelligant omnes, me non tam contra horum sanctitatem dicere, quàm meliorem sanctitatem tueri. Nullus enim sanctorum fuit, aut erit vnquam, qui sanctitatem suam ausit sanctitati tantæ Virginis comparare, quam solam præelectam idcirco dicimus, quòd non est assignare vllum spatium, quo in mente diuina torno, & irato oculo ab ipso Deo sit inspecta: quod de nullo alio sanctorum fas est dicere.

cur Tho. tãdem à veriore opinione recesserit?

Quòd reuera omnes Sancti tenuerunt hanc sententiam immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis.

SEd vt aliquando profligentur, qui in hac eorum acie, iam ab omni parte concussa, & debilitata confidunt, pro re certa statuere audeo, quòd omnes Catholici, quamuis Sancti, quamuis deuoti, & docti, immo quantò magis docti, deuoti, & Sancti, tantò quidem impensiùs nostræ, quàm contradicentium accessere sententię: Miraris fortè quod loquor: mirari desines Lector, cũ intelliges. Intelliges autè, si capere voles. Quippe hoc om-

omnium Catholicorum fuit, magis Ecclesiæ Romanæ sensum, præsertim in his, quæ huiusmodi sunt, probare, quàm proprium. Quis autem nunc iam dubitet de Ecclesiæ sensu, qui tum verbo, tum facto immaculatam Dominæ conceptionẽ recepit, & celebrat, ac per hoc etiã tacitè approbat? Quod & inferiùs luce clariùs demonstrabimus. Primũ verò, quòd omnes sancti & docti, & ij maximè, quibus aduersarij fidũt, hoc docuerint, quòd in huiusmodi imitari, ac sequi primam Romanã Sedẽ, omnium aliarum Ecclesiarum magistram debeamus, perfacile est videre. B. enim Thomas ita consuetudini Ecclesiæ innititur, vt nõ solùm censeat faciendum esse, quod ipsa facit, verùm etiam (quod longè est maius) non faciendum, quod ipsa non cõsueuit; quapropter cũ non baptizandos esse Iudæos inuitis parentibus defenderet, hoc maximi loco argumenti adduxit, his verbis: Dicẽdum est, quòd maximam habet auctoritatẽ Ecclesiæ consuetudo, quę est in omnibus ęmulanda: quia & ipsa Catholicorum doctrina ab Ecclesia auctoritatem habet: Vnde magis stãdum est auctoritati Ecclesiæ, quàm Augustini, vel Hieronymi, vel cuiuscunque doctrinæ. Hoc autem Ecclesiæ vsus nunquam habuit, quòd Iudæorum filij inuitis parentibus baptizentur. Hæc Thomas. Vbi aduerte, quòd non in his loquitur, quæ Ecclesia expressè determinat & mandat; sed in his, quæ absque determinatione in vsum recipit: immò (quod multo est mirabilius) in his, quæ non recipit, ob quam certè gratiam timuerunt eo tẽpore viri Dei hanc beatę Virginis Cõceptionẽ admittere, quia tũc Ecclesia Romana nõ admittebat: vt hinc planè accipias, quod si admisisset, & ipsi ambobus pedibus, & certè hilariter, secuti essent. Quòd autem hoc sit verisimum, audi quæso. Cũ pro immaculata B. Virginis Cõceptione arguens Thom. assumeret, quòd de re non sancta non debeat celebrari festum, simulque induceret consuetudinem quarumdam Ecclesiarum, quę festum Conceptionis huius celebrabãt; respõdit his verbis: Licèt Romana Ecclesia non celebret, quia tamen tolerat alias Ecclesias ita celebrantes, tãlis celebratio non est totaliter reprobanda. Vide quanti faciat Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, vt non solùm, quod probat, recipiendũ sit, verùmetiam, quod scienter tolerat, etiam tolerandum. Et post hæc, vt accommodaret eam celebrationem Ecclesiarum illarum, sensui, quem putabat esse Romanæ Ecclesiæ, interpretatur illius festi celebrationem, sanctificationis esse potiùs, quàm Cõceptionis; dictã tamen Conceptionis, quia mox vt concepta fuit, etiam sanctificata fuit. At iam nunc, quãdo certissimum est Ecclesiam Romanã recepisse festum, & Officium Conceptionis, in sensu claro videlicet, non vt exponebat Thomas, referendo ad sanctificationem, sed planè respiciendo ad ipsam sanctam, & immaculatam Conceptionem (vt patet ex ipsa extrauaganti) quis dubitet, quòd nec ipse Thomas suũ sensum iam vlterius contra sensum Ecclesię defẽderet, cũ ideò illo modo sẽsisset, quia sic Ecclesiam sentire putabat? Nec se vellet à quoquam defendi; quoniam non tam defenditur isto modo eius doctrina, quàm impugnatur, cùm semper, & verbo, & facto docuerit non sibi in huiusmodi, sed magis illi Ecclesiæ credendum esse? Nam audi quæso orationem, quam consultò, & ex certa scientia recipit iam olim Ecclesia: & agnosce, quàm perspicuè declaret, quod dicimus. Deus qui per Immaculatam Virginis Conceptionem dignum filio tuo habitaculum præparasti: concede quæsumus, vt sicut ex morte filij sui pręuisa, eam ab omni labe pręseruasti: ita nos quoque mundos eius intercessione, ad te peruenire concedas: Hæc est oratio prima, & similia in Secrera dicuntur. Quæ certè oratio, si mendacium contineret, etiam diram precationem haberet, videlicet, vt ita nos mundi accedamus ad Deum, sicut illa conceptio sine labe: sed illa non sine labe (vt volunt), ergo id precatur Ecclesia ea die, vt ipsa immunda perueniat ad Regnum, quod est blasphemia, cùm nihil *coinquinatum* intrare possit, Quis enim ferat (vt in Concilio Mileuitano dixit Pontifex decernens contra Pelagium) orantem ad Deum mentiri? quantò autem horribiliùs orantem dira precari, aut blasphemare? Sed hoc noui magistri nostri temulentissimè blasphemãtes concedunt, videlicet, quòd Ecclesia Sancta celebrat rem, non solùm falsam, verùmetiam hæreticam; & cum celebrat blasphemiam dicit, quibus iam nihil respondebo. Responderat sancta Synodus: tu verò pie Lector audi etiam in Extrauaganti, Graue nimis de reliquijs, & veneratione Sanctorum, quàm explicitè hanc, quam receperat, solemnitatem, & officium immaculatæ Conceptionis, & quàm considenter confirmet. Ait enim, cum Sacrosancta Romana Ecclesia de intemeratæ, semperque Virginis Conceptione publicè festum, ac solemniter celebret, & speciale, ac proprium super hoc officium ordinauerit, nonnulli (vt accepimus) Prædicatores in suis sermonibus ad populum publicè, per diuersas Ciuitates, & terras affirmare non erubuerunt, & quotidie prædicare non cessant, omnes illos qui tenent, aut asserunt eandem gloriosam, & immaculatam Dei genitricem, absque originalis peccati macula fuisse conceptam, mortaliter peccare, vel esse hæreticos, eiusdemque immaculatæ Conceptionis Officium celebrantes, & audientes Sermones illorum, qui eam sine huiusmodi macula conceptam affirmant, peccare gra-

Prosensu S. Ro. Eccl. no. & cape.

Tho. 3. q. 68 & 2.2. q. 10 art. 12.

Nota, quæ. oli. viri Sa. & timorati non recipiebant immaculatã Conceptionẽ Tho. 3. quæ. 27. art. 2.

no. Tho.

B. Tho. Ecclesiæ nõ proprium se quisens.

Or. quã rece. Eccles per Concep. immac. B. Virg.

Apo. 21

Intolerest in Eccles. ortem a Deũ mentiri.

re grauiter, sed & præfatis prædicationibus non contenti, confectos super his assertionibus libros in publicum ediderint, & infra: Nos igitur huiusmodi temerarijs ausibus, ac peruersis assertionibus, ac scandalosis, quantum nobis conceditur, obuiare volentes, motu proprio, & cætera huiusmodi assertiones Prędicatorum eorumdem, & aliorum quorumlibet, qui affirmare præsumerent, eos, qui crederent, aut tenerent, eandem Dei genitricem ab originali peccati macula in sua Conceptione præseruatam fuisse, propterea alicuius hæresis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare: aut huiusmodi Officium celebrantes, seu huiusmodi sermones audientes alicuius peccati reatum incurrere, vtpote falsas, & erroneas, & à veritate penitus alienas, editosque desuper libros prædictos id continentes, quodad hoc auctoritate Apostolica tenore præsentium reprobamus, & damnamus. Et quàm manifestè declarat, quale officium Conceptionis ipsa celebret Ecclesia, nimirum proprium, & speciale, scilicet Conceptionis immaculatæ, in qua, sicut explicitè habet oratio, ab omni labe peccati est præseruata. Cùm igitur iam latè pateat, Ecclesiam Romanam, & iam cæteras omnes sub hoc titulo, & in hoc sensu, immaculatam celebrare Conceptionem: quis ambigat de mente Sancti Doctoris Thomæ, quòd libentissimè in hanc sententiam conueniret, cùm semper in obsequium Sedis illius promptus fuerit captiuare intellectum? Nam audi quæso Caietanum, qui cùm de irregularitate commentaretur Beati Thomæ dictum, contra quod postmodo Pontificis sanctione declaratũ fuit, sic rectè annotat: Si ea Decretalis fuisset tempore Thomæ, Thomas non scripsisset illud: Quin etiam audi opportuniùs ad rem propositam: cum Beatus Thomas clarè docuisset, Papam super voto religionis dispensare nõ posse, & hoc nosset, Caietanus, tamen ita contra scripsit ad verbum. Teneo, quòd apud sanctum Thom. potest Ecclesia dispensare in voto religionis, & Ordinis, quod autem hoc sit de mente sancti Thomę, manifestè potest concipi ex initio, & fundamento positionis suæ in contrarium in secunda secundæ: si quidem ibi cõcludere volens, quòd Papa non posset dispensare cum Religioso, pro radice positionis assumit auctoritatem Decretalium, dicens, sed quia Decretalis: Cùm ad Monasteriũ, manifestè dicit, &c. & deinde vt conformaret se decretali adinuenit illam adaptationem de consecratione, vt ibi patet: Ex quibus omnibus, passione semota, quilibet perspicacis ingenij elicere potest, quòd si tempore suo summus Põtifex dixisset oppositum verbo, vel facto (vt postmodum fecit) quòd ipsi quoque accommodasset rationem in obediẽtiam Sedis Apostolicæ, & propterea illa opinio non est sua, nisi pro quanto sustentatur ab illa Decretali. Hęc ille, per quę voluit concludere, quòd probandum sumpserat, videlicet illam opinionẽ non esse suam, id est, ipsius Thomæ, quia per illam Decretalem iuxta veriorem sensum non sustentabatur. Cur igitur in re proposita non mihi liceat eodem argumento, ac prudẽtia coniectare, quòd opinio Beati Thomæ cõtra immaculatam Dominæ Conceptionem, pro tanto est sua, pro quanto sustentari videbatur à sensu Ecclesiæ, quæ tunc ignorabat hoc Virginis priuilegium? At nunc quando seipsam apertè Ecclesia declarauit, asserens, celebrare se talem conceptionem, videlicet immaculatam, iam planum resultat, quod ea est verè beati Thomæ sententia, quę iam cõspicitur esse ipsius Ecclesiæ, & non quæ olim Thomæ videbatur. Nam huc omnes Catholici Doctores semper, fidei oculo respiciebant, videlicet quid Ecclesia illa sentiret, quod ex eius facto indagabant, vnde sanctus Bonauentura, cùm de hac solemnitate, quæ tunc in diuersis Ecclesijs pullulare incipiebat, tractaret, nec satis eam probaret, adiecit rationem: quia (inquit) sancti Patres, qui alias solemnitates Virginis, Spiritu sancto docẽte statuerũt non docuerunt celebrare conceptionem. Intelligebat autem per sanctos Patres ipsos Põtifices, ad quos id negotij principaliter attinebat: acsi expressè dixisset, vtique se probaturum fuisse, quando cũque id ab Ecclesia reperetum videret. Ioannes etiam de Neapoli, Ægidius, Capreolus, & alij multi, eũ illud obiectaretur in eos, quod B. Ansel. dixisse ferebatur, nõ esse amatorẽ B. Virginis, qui eius cõceptionẽ colere recusaret, ita respõdere solebãt. Rom. Eccl. supponitur vera amatrix B. Virg. quæ tamẽ hãc solemnitatẽ non celebrat. Hãc nunc responsionem abstulit à nobis Deus, fratres, ne valeamus excusare celebrationem. B. Ioannes Dominicus Florentinus nostri Ordinis, & S. Antonini nostri magister ita scripsit. Libenter hoc MARIÆ concederem, si Ecclesiæ non repugnaret. Quin ipsemet Scotus non sine formidine hanc nostram probauit sententiam, hæc verba adiungens: Nisi Scripturæ, & Ecclesiæ obstet auctoritas, vt appareat, quòd tunc non satis exploratum erat de Ecclesiæ auctoritate, quæ magis videbatur obstare, eo solo, quòd eam celebritatem non susceperat. Quo in loco obiter adnotanda est Caietani falsa citatio, qui citat Scotum, quasi dixerit: Nisi Sanctorum auctoritates obstarent, cùm verè dixerit, de auctoritate Ecclesiæ, & Scripturarum, non autem Sanctorum. Sed afferunt contradicentes Bernardum, quem hoc in loco in Cœlum efferunt, vt Sanctum, vt deuotum Virgini. Gaudeo prorsus, cum audio tantoperè extolli Sanctos, siue in veritate, siue per occasionem:

Tho. 2. 2 quæ. 54. art. 7.

Caieta. 1. quoli. quæ. 12.

not. per sens. doctorum, Sanct.

Vide Capreolũ si placet.

B. Ioan. Domin. præcep. S. Antõ.

Gauderem tamen magis, si quæ sunt verè de notionis, & spiritus, ad formanda corda, fide, spe, charitate, humilitate, paupertate, castitate, obedientia, disceremus ab illo viro, æmulatores existentes eius perfectionis. Non hæc dico, quòd eius auctoritatē etiam in dogmatis non admittam: Nam & nos, vel hoc in loco (& quàm maximè) recipimus Bernardum, obsecro te hic, Lector intende, persuadeberis
Ber. de can. Lu. niproteruus sis. Quid quæso agit Bernardus? Obiurgat (inquiunt) Canonicos Lugdunen. qui cæperunt hanc Beatæ Virginis conceptionem celebrare, ac festum ipsum vituperat. Sed quare obiurgat illos? Et quare solemnitatem illam vituperat? Audiamus virum suis verbis loquentem: Miramur (inquit) satis, quòd visum fuerit hoc tempore quibusdam vestrum, voluisse mutare colorem optimum, nouam introducendo celebritatem, quam ritus Ecclesiæ nescit, &c. Ecce primùm quidnam vituperat, & cur obiurgat, nempè à rei nouitate permotus, & simplicitatem putabat eorum, qui sic inconsultò, (vt illi videbatur) nouam celebritatem admisissent, & cùm honor Virginis illi obijceretur, respondit, honorandam Virginem cum iudicio: Iudicium autem declarans, ab his, quæ celebranda iam recepit Ecclesia sumendum censet. Vnde subdit, honora integritatem carnis, vitæ sanctitatem; mirare fœcunditatem in Virgine, prolem venerare diuinam extolle nescientem; vel in concipiendo concupiscentiam, vel in pariendo dolorem: Prædica reuerendam Angelis, desideratam gentibus: Patriarchis, Prophetisque pręcognitam, ele
not. verba Ber. omnino. ctam ex omnibus, prælatam omnibus: Magnificam gratiæ Inuentricem, Mediatricem salutis, Restauratricem seculorum. Exalta denique exaltatam super Choros Angelorum ad cœlestia Regna. Hæc mihi de illa cantat Ecclesia, & me eadem docuit decantare. Ego verò quòd ab illa accepi, securus & teneo & trado: quod non, scrupulosius (fateor) admiserim: hæc ille. Vide ergo, candide Lector, Vnde se fuisse permotum declarat contra illam celebritatem, videlicet à nouitate rei, quòd ab Ecclesia non acciperet authoritatem. Nondum enim tale quid traditum erat ab ea. Nunc verò id locum non habet: iam enim quod aliquot seculis seruatum fuit, ac semper in Ecclesijs creuit, ipsa quoque sedes Apostolica suscepit, & probat. Ego verò, inquit Beatus Bernardus, quod ab Ecclesia accepi, securus & teneo & trado. Cur tu ergo, mi frater, qui mihi Bernardum obiectas, quod iam vbique, & tantopere canit Ecclesia, adhuc trepidas recipere, cùm sit Bernardus securus? Quomodo ergo consentis cum Bernardo, si in quo ille securus est, tu trepidas adhuc? Et quod ille absque scrupulo iam traderet, & doceret, tu è conuerso

A adeò durus obsistis? nec solùm non recipis absque scrupulo, verum etiam, qui recipiunt damnas? Vnde tibi tanta fiducia hæc? Nam audi etiam continenter Bernardum ipsum, qui & adiecit. Nam si sic videbatur, consulenda erat prius Apostolicæ sedis auctoritas, & non ita præcipitanter, atque inconsulte, paucorum sequenda simplicitas imperitorum. Hæc ille: Ecce igitur iam olim consulta Apostolica fedes hanc celebritatem recepit, & dono indulgentiarum honorauit, & quidem motu proprio, & ex certa scientia: Quod factum cùm ab ijs (quos etiam nomine prę sumptionis ipsa accusat,) reprehenderetur, denuò confirmauit, obstruens etiam
B ora ipsorum, qui temere, & imperitè ex aduerso obloquebantur. Nunquid ergo etiam resistere ausus esset, hæc videns Bernardus? Quid dico resistere? Immò nunquid ausus esset iam certus de Ecclesiæ sensu, non idem & sapere, & tradere, & docere? iam verba suæ quæ exposita sunt, planè indicant: quòd etsi verba non indicarent, vita tamen ipsa, & sancti mores persuaderent. Tu verò si quid etiam amplius desideras, audi illum adhuc: Postquam enim satis de proprio sensu, zelo sancto permotus conrra eam celebritatem inuenctus est, Spiritu Dei proculdubiò tandem impellente, vt ijs, quæ non secundùm scientiam, & veritatem effuderat, efficaciam omnem, ac neruum adimeret. Hæc verC ba sapienter adiecit. Quæ autem dixi absque præiudicio sanè dicta sint, saniùs sapientis, Romanæ præsertim Ecclesiæ auctoritati, atque examini totum hoc, sicut & cætera, quæ huiusmodi sunt vniuersa, reseruo: ipsius, si quid aliter sapio, paratus iudicio emendare. Hæc ille, & Catholicè quidem & piè, immò etiam doctè. Totum hoc, (inquit) & cætera, quæ huiusmodi sunt, Romanę auctoritati, & examini reseruo: Scie bat enim posse quidem Ecclesiam illam errare in multis, quæ ad rem priuatorum attinent, & particularia facta respiciunt, (vt sanè docet Thomas.) At verò in ijs, quæ
D huiusmodi sunt, id est, in cultu Dei, vbi maximè fidei nostræ versatur professio, & protestatio, impossibile est illam errare, cùm diuina regatur prouidentia per Spiritum Sanctum, qui illi Sedi singulariter ore Domini promissus fuit, iuxta Beati Thomæ sanam, claramque doctrinam. Quis ergo ausit posthac Bernardum producere aduersus celebritatem hanc, quando ipse iam maximè illam suis verbis confirmet? cùm per derogatoriam clausulam appareat eum emendasse quicquid ab ipsius Ecclesiæ, & Romanæ Sedis iudicio discreparit. Sed aiunt quidam: Non sumus hæretici si nō sequimur in hoc sensum Ecclesiæ, Cautum est enim, ne quis nos hæresis nomine damnet, si

Ber. per iud Ro. Ecclesiæ

In quibus labi possit Ecclesiæ

Thom. quodli. 9. ar. 16.

ali-

aliter sapiamus quàm illa receperit. Non nego. Sed illa, vt pia, & suauissima Mater, non consueuit repentè vinculis præceptorum filios astringere, ne fortè ad contumaciam, ac rebellionem prouocaret. Sic enim (vt Aug. eleganter dixit) multitudinibus per schismata, & hæreses pereuntibus plerunque subuenire solet: piorum autem filiorum non est, in omnibus expectare præceptum, & interim eius indulgentia, & benignitate abuti, idque ad elationis suæ malum conuertere, quod ipsa tolerat, propter pacis bonum. Satis ergo hactenus fuit piæ matri facto, & exemplo suo monstrare, quid & nos facere debeamus, ad quos attinet æmulari illam, vt magistram, & matrem: sicut & se facere profitebatur Ambros quod & innumera pene decreta Pontificum docent. S. enim Calixtus primus, admonuit his verbis. Non decet à capite membra discedere, sed iuxta scripturæ testimonium, omnia membra caput sequantur. Nulli verò dubium est, quin Apostolica Sedes sit mater omnium Ecclesiarum. S. quoque Pius primus quum mãdat. S. Pascha celebrari die Domini co, vt omnes cõcorditer id agãt, illud simililiter inducit, decere membra corporis, caput sequi. Innocentius primus. Decentio Episcopo respondens ad informationem, vel reformationem suæ Ecclesiæ, circa ritus Ecclesiasticos seruandos, satis esse censuit, quòd ille venisset ad Vrbem, & quemadmodum ibi seruarentur, perspexisset. Quæ certè etiam latiùs patere deberent. Sed aiunt nonnulli, Pontif. illè qui illud officium Cõceptionis admisit, erat Ordin. Minorum, vt non sit mirum, si voluit fauere partibus suis: Profectò in his quæ huiusmodi sunt ad cultum Dei, & fidei protestationem pertinentia, si ita liceat excusare, nihil iam firmum haberemus, & cuncta penè Pontif. placita, & Decreta in dubiũ reuocarentur. Canonizatio enim Diuæ Catharinæ Senens. suspecta dici posset, vt impiè dixit Erasmus, qui in gratiã Vrbis, & Ordinis canonizatam fuisse, scripsit: Similiter B. Bonauenturæ sanctitas in dubium vocaretur, quoniam probata fuit à Xisto illius Ordin. Ecclesia Orientalis multa iam damnata rursum excitare posset, si huic excusationi daretur locus, videlicet quia Occidentalis Pontif. illa decreuerit: ita Græca contra Latinam, & de alijs similiter, vt & nunc hæretici faciunt, qui Rom. Ecclesiam floccifaci faciunt sub huiusmodi, secundùm carnem, prętextibus. Sed anathema sit, qui talia blatterat, & confusionem, perturbationemque in Ecclesiam inuehit his coloribus. Erat quidem Xistus Ordin. Minorum. Et *Caiphas* erat extremæ vir impietatis, & tamen, quia Pontifex, in re attinente ad Deum & prophetat. Cur igitur & Xistus, non à spiritu S. similiter directus sit in re, præsertim spectante ad Ecclesiam vniuersalem? Cur Pontifices nostri Ordinis non secus statuerunt aliquando, aut alij quicunque, quos iactant, oppositam probare sententiam? Cur ij, qui post Xistum venerunt, non reuocarunt Decreta à Xisto, si rem detestabilem continebant, quæ tamen nouem iam succedentibus Pontificibus durat? Certè quid detestabiliùs, quàm in Dei Ecclesia celebrari cultu Diuino mendacia? Sed quibusdam nihil est absurdi, mendacia in Ecclesia celebrari: & hoc nobis exhibent signum sanè præclarum, quòd sunt egregij veritatis zelatores, vt planè videri volunt. Quamobrem tandem magno hunc locum, & constanti animo concludam, quòd omnes Sancti, & Deuoti, & docti viri in rei veritate, & secundùm interiorem spiritum Christi fide illuminatum, concorditer hanc nostram, quam esse sanctæ Dei Ecclesiæ sententiam ostendimus, magis probarunt, quàm suam vllam exteriùs ab eis de proprio sensu prolatam opinionem: cùm planè omnes semper testati sint, se velle illud sequi, quod Ecclesia sequeretur. Tunc non sequebatur illud, quod non agnouerat, ideo & ipsi probabili coniectura, nõ sunt ausi afferre, sed magis deprimere. Nunc postquam id agnouit Ecclesia, quis dubitet homo prudens, quòd idipsum illi etiam si viuerent, toto Spiritu amplecterentur? Quod si quis contentiosus sit, quid aliud durius in eum obiectare potest Apostolica Sedes, nisi: *Nos hunc morem nõ habemus, neque Ecclesiæ Dei*? Palam enim est (ait Augustin.) quòd in re dubia, ad fidem, & certitudinem valeat auctoritas Ecclesiæ Catholicæ, quæ ab ipsis fundatissimis Apostolorum sedibus, vsque in hodiernum diem, succedentium sibimet Episcoporum serie, & tot populorum consensione firmatur. Et certè nullus vnquam, aut contendisse, aut secessisse ab ea sede in historijs legitur, qui non sibi ipsi fregerit caput. Quadantenus enim æmulatorem esse paternorum traditionum humana quædam tentatio est, sed non eò vsquequo in stimulum calcitretur.

Auguſt. pulchra entent. in Donatiſtas.

Calixt⁹ 1. Hæc in decretis habẽtur.

Pius. 1.

Innoc. 1

Nota cõ traimperitas exceptiones.

In Eraſmum.

Nota exemplũ. 1. Ioã. 11

Concluſio veriſſima.

1. Ad Cor. 1.

Aug. ſententia veriſſima.

DISPVTATIONIS PRO IMmaculata B. Virginis Conceptione.

LIBER TERTIVS.

POstquam superiore libro ita contradicentium obiecta resoluimus, vt etiam in illos illa militare perspicuè ostenderimus, superest nunc, vt pro hoc Dominæ priuilegio eius iterum inuocato præsidio disseramus: Mittam verò Doctorum auctoritates, nam sola illa Augustini tam pulchra sententia, de qua supra satis egimus, potis esset, quam contra omnes opponeremus; quia enim hic locus infirmior est, & alio libro satis tractatus, procedam ad fortiora.

Est

Est igitur secundo loco pro testimonio veritatis huius, determinatio Vniuersitatum, quòd certè tantò est grauiùs, quantò collectus animorum cõsensus multò validior est, quàm dispersus: & quantò præstat aliquid determinatè asserere iudicando, quàm simpliciter de suo sensu testari enunciando. Adde & temporis diuturnitatem, qua perduravit semper statutum hoc, vt in Gallijs iam non sit memoria in contrarium. Dixit autem verè, sicut & eleganter Orator egregius: Veritas est filia temporis. Vnde & Gamalielis dictum prudens iam locum habuisset: si hæc ex Deo non esset: iam dudum enim non stetisset. Hoc verò non considerant, qui ad pauca respicientes, temerè iudicant, tanquam nulla sit Dei prouidentia in Ecclesia sua.

Nota hæc.

Cic.

Act. Apoc. 1.

Tertiò attestatur Basilienſis Concilij determinatio. Quòd enim Caietanus vocarit illud congregationem Satanæ, quod nullus Pontificum ausus est, quàm iniuriâ dictum fuerit, censeant sapientes, nos de hoc satis diximus à principio.

Attestatur & quartò populorum concursus, atque consensus, vt priorum aures vix quod obijcitur ex aduerso, valeant sustinere. Sapienter autem Philosophus dixit, non posse omninò veritate carere, quod quasi via mente populorum vox intonat. Quid autem etiam ad hoc respondeat Caietanus, & superiùs diximus, & alibi satis reprehendimus.

Lib. 1. cap. 2.

Adijcitur & quintum testimonium Ecclesiarum vniuersi Christiani orbis, quæ tanto tempore, & annorum serie, hanc celebritatem seruarunt. Sunt enim penè quingenti anni, ex quo hoc festũ cœpit alicubi celebrari, qui mos creuit semper, vt & Romana Ecclesia circiter annos, octoginta eam celebrationem magno cum fauore, atque indulgentiarum honore recepit, cuius certè sola auctoritas persuadere deberet, siquidem, & particulares aliquæ Ecclesiæ tantæ sunt auctoritatis, vt & maiorum, clarorumque Doctorum sententijs earum cõsuetudines præferantur, vel ipso Caietano teste, cuius verba hæc sunt. Ad quæ fundamenta (quorundam enim sacrorũ Doctorum opiniones præmiserat) si liberè respexerimus, nullam cogentem inuenitur habere rationem, nisi vltimum (id est, aliquarum consuetudo Ecclesiarum) propter auctoritatem Spiritus Sancti gubernantis Ecclesiam: Nam ob similes particulares consuetudines venerabiliter sustinent Theologi plures sacerdotes consecrare eandem hostiam. Si ergo alibi Thomæ auctoritas, & aliorum plurium aduersùs paucarum Ecclesiarum ritus reijcitur, quia præferenda est Spiritus Sancti auctoritas gubernantis Ecclesiam. Cur hoc non similiter in re proposita pro Christi Matre non recipitur? cùm omnes tandem Ecclesiæ, & quæ est omnium aliorum mater, & magistra hoc ipsum ore apertissimo celebret? Nolo tamen latere quenquam, etsi nostri celebrent in Italia de sanctificatione, nihil tamen contrarium veritati eos celebrare: quod multi nesciunt. Non enim repugnat Conceptioni immaculatę sanctificatio, quæ tantò melior in ea fuit, quantò fuit Conceptio mundior, vt superiùs declaratum est. Verum est tamen, quòd celebritas conceptionis magis exprimit præseruationis prærogatiuam, cum sanctam fuisse conceptionem illam significet, & sine peccato, eò quòd ab Ecclesia coram Deo non celebretur, nisi res sancta, vt B. Thomas, & alij rectè testantur. Hoc autem non exprimit vox ipsa Sanctificationis, licèt nec repugnet: quod & valde notandum est, ne quis putet ab ordine nostro in Italia celebrari mendacium, & contrarium celebrationi conceptionis. Quod si esset, minimè esset ferendum: nec Spiritus Sanctus hoc permitteret in cultu Dei, vnde rectè B. Thom. docuit Ecclesiarum consuetudines in cultu diuino in nullo repugnare veritati, & ideo seruãdas esse, quas pręterire etiam illicitum esse ostendit. Superfluè tamen sanctificatio B. Virginis celebraretur, nisi sublimius quid piam haberet, quàm illa Ioan. Baptistæ. Nam in ipsa celebratione Natiuitatis eius subintelligeretur, vt antiqui Doctores sapienter interpretabantur, quando non erat festum sanctificationis, quod satis recens est.

Celebrationem sanctificationis nihil falsi continere.

2. 2. q. 93. ar. 2

In lib. Anno.

Sup. 3. par. 74. art. 3.

Sextum testimonium è cœlo est. Nonnulli enim exploratæ sanctitatis viri, & mulieres ancillæ Christi, id se diuinitus reuelatum accepisse testati sunt. De qua re etiam veterum, quæ ego legi, extant monumenta. De B. autem Birgitta nemo dubitat: Siquidẽ in eius reuelationibus id planè legitur. Caiet. autem ad hoc. B. Birgittæ testimonium respondẽs, eius canonizationem in dubium reuocare audet, eò quòd in Cõcilio Constan. à Benedict. ix. in sua obedientia canonizata est, dum schisma esset. Et non vidit primò, quòd si quæ dicit vera, sunt multa illius Concilij acta, quæ totus orbis suscipit, ac veneratur, verterentur in dubium: nec sanè considerauit, quòd illius. S. viduæ canonizatio, non solùm plausibiliter toto orbe recepta est. Verùm etiam specialiter à Martino, qui in eo Concilio Pontif. legitimè electus fuit, probata est, & ita probata, vt indignationem Dei, & Apostolorum suorum Petri, & Pauli comminetur ijs, qui talem Decreti sententiam conarentur infringere. Quoad alias etiam reuelationes, quæ plurimæ asserũtur, idem Caietan. ijs verbis respondet, quòd tales reuelationes Angelum Satanæ in Angelum lucis transformatum, aut phantasias, vel etiam figmenta sapientibus ingerere videntur. Hæc ille, sed non ex Consilio eius, qui dixit: *Prophetias nolite spernere, omnia probate: quod bonum*

B. Birgitta.

Nota quid audeant tãdem.

Martinº Papa.

Paulus 1. ad Thes. 5.

num est tenere. At iste citra vllam cognitionem clausis oculis reprobat, quæ non cognouit, nihil formidans, ne tunc fortè illud ipsi vere contingeret, quod in alios obiectauit, videlicet quòd aut phantasticè, aut Angelo Satanæ illi inspirante talia effutiuerit. Nam quod inter sapientes proprio testimonio se componat, admodum suspectam reddit nobis hanc sapientiam, quæ sibi adeo placet, vt spernat cæteros: verendum est enim ne sit illa, de qua dixit Dominus: *Perdam sapientiam sapientum*, nec enim ab re dixit Paulus: *Quæ stulta mundi elegit Deus, vt confundat sapientes.* Quis autem ausit B. Birgittæ reuelationes, aut esse phantasticas, aut ab Angelo Satanæ inspiratas obijcere, quæ tamè in Constan. Concilio, etiam in iudicio contradictionis, probatæ sunt & commendatæ? Quantò autem & cautiùs, & modestiùs B. Bonauen. qui eo tempore, cùm noua esset illa celebritas, & incerti auctores, & solùm rumor esset quidam, quòd hoc inceptum de cœlo venisset, & prudèter timuit credere, cùm authentica nondum essent, quæ ferebantur, & cautè non audet reprehendere, cùm vera esse possent. Hæc enim huius. B. viri verba sunt. Non audeo reprehendere: quia (vt quidam dicunt) hæc solemnitas non cœpit humana inuentione, sed Diuina reuelatione celebrari; quod si verum est, sine dubio bonum est in eius conceptione solemnizare, sed quia hoc authèticum non est, non compellimur credere: quia etiam contra fidem rectam non est, non compellimur negare. Hæc olim ille. Nō enim indicat quæ nescit. Sciens & obseruans dictum: *Nolite iudicare, ne iudicemini*, sed prudenter tunc dubitauit ob dictas causas. At nunc iam manifestata hac veritate, & ab Ecclesijs testificata in cultu diuino, cui dubium, quòd. S. ille huiusmodi sanctorum reuelationes cœlitus fuisse demissas, prorsus crederet? si, cùm in dubio est animus, paulò momento huc illuc impellitur, quantò magis tot, ac tantis momentis? Sed hic instant, quòd B. Catharina ex reuelatione habuit oppositū, quod tamen nullibi inuenitur. Nam B. memoriæ vir Raimundus Magister Ord. eius confessionis auditor, & comes assiduus vitam illius virginis diffusissimè scripsit, & eius reuelationes diligentissimè collegit, de hac re penitus verbum nullum. Similiter, & alij plures, qui illius sanctissimæ mulieris gesta cōscripsere, vt. B. vir Stephanus Carthusiensis eius perpetuus comes, & frater Thomas Senensis, alter eius confessionis auditor, nihil huiusmodi penitus memorant. B. etiam Antoninus in Chronicis suis, dum vitam eius perstringeret, nihil eius rei meminit, nisi quod in vita S. Birgittæ, id quod ferebatur à nostris de B. Catharina, opposuit contra Birgittæ illas assertas reuelationes de immaculata Conceptione, nihil tamen producens præter rumorem. Credo enim zelatores quosdam, vt haberent, quod B. Birgittæ testimonio opponerent, de B. Catharina, id confinxisse: vnde vehementer suspicor illorum quempiam in calce cuiusdam orationis, quæ illi inscribitur, istam coronidem adiecisse, non tamen quasi reuelatam, nec in modum orantis expressam, sed quasi disputantis cum Deo, ac persuadere illi conantis, quòd ita esset, etiam ratione adiecta, at quàm friuola, pudet pigetque referre. Qui velit, videat. Hoc satis nunc nobis, quòd id, quod asserunt nullibi legitur: sed fama malum, quo non aliud velocius vllum, mobilitate viget, viresque acquirit eundo, id mendacij nobis attulit impellente zelo.

Vir. Ænei. 4

Septimum æquè de cœlo testimonium sequitur, quòd dignatus est Dominus Deus hanc veritatem, etiam multis miraculis manifestare. Caietan. autem, sub eadem censura, vt videmus, reuelationes, & miracula inuoluens, pro mulierculis esse asserit, non pro S. Synodo, & indigna censet, de quibus verba fiant, nec tamen vllam suæ huiusmodi censuræ rationem profert, aut quòd miracula fortè comperta sint, non vera, sed ficta, aut quòd huius famę auctores sint, vel obscuri, vel alioquin indigni, quibus habeatur fides, aut quòd quæ afferuntur, non sint verè miracula, sed apparentia: aut tandem, quòd esse nequaquam potuerint, eò quòd constantissimum sit in Ecclesia id, quod illi tenēt, ac per hoc dominū non posse signis vllis nostro attestari mendacio. Si enim horum quodlibet, aut plura, aut omnia attulisset, atq; probasset, iustè potuisset tanta censura circa hanc rem contemnere reuelationes, atque miracula. At cùm nihil horum proferat, vt certè proferre non poterat, recte possumus in eum intorquere, quòd hæc ita inconsideratè effusa (nequid durius dicam) verè non sunt pro sacra Synodo, vbi non satis est effutire pro sensu proprio, sed oportet persuadere rationum momentis, & luce veritatis. Non satis est, alios appellare mulierculas, & se sapientes, & aures, quæ piæ à Summo Pontif. in decretis appellantur, vocare insipientes: & vocare Pharisæos, aut indoctos, quicunque ab his dictis adeò insolentibus offenduntur, & præsumptionis nomine Vniuersitates tam gloriosas reprehendere, ac sanctæ viduæ canonizationem, in Concilio probatam legitimè, confirmatam robustè à Pontif. summo, receptam nullo refragante ab omnibus populis, in dubium reuocare. Denique sine ratione, proprioque sensu inconsultò, & indifferenter omnes circa hanc rem reuelationes, & signa omnia quæ circunferuntur, reprobare. Hæc certè existimo non esse pro sacra Synodo, nisi ad persuadendum magis hanc veritatem, cui non potest nisi me

Nota.

Bonau. in 2.

Mat. 7.

1. Ad Cor. 1.

A B C D

ris verbis,& cordis duritia, & indignissimis contumelijs resisti. Non me latet fuisse alios, qui alia via hìc occurrentes benigniùs responderunt, non esse mirum, si ex fide simplicium vehementi illa signa euenerint, sicut legitur (inquiunt) de latrone illo, qui credebatur Martyr, & à paganis pro Christi fide occisus, ad cuius sepulcrum infirmi concurrebant, & sanabantur. Cùm autem B. Martinus illuc semel aduentasset, vidisset que altare constructum plenum vndique votis, & imaginibus, &c. Hæc isti ex historia B. Martini referunt, vt hac instantia interimant argumentũ, quod à signis, & miraculis pro hac re afferebatur. Nec hoc etiam puduit, historiam illam his fœdare falsitatibus. Nam de miraculis sanitatum, aut alijs vllis signis, & de votis, & imaginibus nullum penitus ibi verbum, nulla mentio. Nam si fuissent vera signa, profectò attestata fuissent sanctitati, & martyrio. Itaque si in nomine huius rei, & ad probandam B. Virg. immaculatam Conceptionem, & ad eius laudem, & gloriam hoc nomine amplificandam, signa cœlitus data sunt (id quod asseritur in proposito, & ego confidenter testari valeo) non est dubium, quin idoneè probent, vt est doctrina B Thomæ, & ratio etiam manifestissima: quia nescit summa veritas attestari mendacio. Sed hìc aliud nouum, & admirabile adiecit Caietanus, quòd nisi coram ipsa Ecclesia Romana euidentissimè fieret verum, & indubitatum, non mirum, sed miraculum expresse ad testificandum hoc esse verum, non deberet Roman. Pont. determinare aliquam fidei ambiguitatem ex hac via. Hæc ille. Et addit rationem: Quia habemus (inquit) à Deo ordinariam viam decretorum fidei, in tantum, *vt si Angelus de cœlo* oppositum huius ordinariæ viæ diceret, non esset ei credendum, vt Apostolus dicit ad Galat. Sed quid est hoc, obsecro, quod ait? an fortè dicit, quòd ex decretis fidei constare possit de hac veritate? sed ipse contrarium docet: Et tamen si hoc ait, cur ergo illi non constat, quòd MARIA excepta sit ab illa labe? si dixerit constare sibi oppositum, vnde hoc probat? Et cur ex signis legitimè productis, ac testificatis, non potest iudicare, & censere Ecclesia, sicut & aliàs fecit, & facit in canonizatione sanctorum? Et vbi habet, quòd oporteat euidentissimè in facie ipsius Ecclesiæ signa fieri, vt propterea valeat Pontifex determinare? Quid hoc est aliud, quàm tentare Deum, & Spiritum Sanctum, sicut tentarunt illi, qui petebant *signa de cœlo*? S. Pius Pontif. Paschæ celebrationem die Dominico ab omnibus obseruari Apostolica auctoritate instituit, quoniam Hermes Doctor fidei, & scripturarum ita se admonitum fuisse ab Angelo in habitu Pastoris sibi apparente, testatus est: quod inducit ille Pont. in suo

Nota. *Ad Galat. 1.* *Mat. 16* *Hermes.*

A Decreto ad corroborandas animas eorum, qui dubitarẽt: nec expectauit signum de cœlo, nec Angelum Dei in propatulo apparentem quisquam poposcit. Spiritus enim Sanctus, qui gubernat Ecclesiam, & docet veritatem, arcanis inspirationibus informat corda Pontif. vt & ipsi interdum ignorent quid agat, aut quò tendat spiritus. Addit ibidem & alia quædam Caietan. ad infirmandas canonizationes Sanctorum contra doctrinam B. Thomæ, & cõtra verum Ecclesiæ sensum. Sed de his, alijs in libellis, & in Annotationibus nouis aduersùs illum nuper editis satis dictum. Inde petat, si quis abundantiùs his desiderat, & ad persuasionem.

De consec. cap. Nosse in decr.

B Octauum testimonium ab inferno. Non enim est obscurum, quòd Pater mendacij Diabolus quosdam, qui illo zelo contra hãc Virg. prærogatiuam cruciabantur, eò impulit, vt quibusdam illius arte fabricatis præstigijs, & signis, conati sint persuadere plebibus MARIAM Virg. sub ea labe conceptam fuisse: sed hic non defuit cœlestis prouidentia per Ecclesiæ suæ Pastorem. Nam statim compertum est figmentum, & artificiũ Diaboli: & qui peccarunt, meritas dedere pœnas. Non oportet circa hoc aliud indicare, satis fuerit dicere Bernense flagitium, vt vel hinc discas, bone lector, quòd quando signa afferuntur de cœlo ad contestandum pro re aliqua ad fidem, & cultum Dei, attinente, si falsa fuerint, & pro re falsa confirmanda adducantur, non patitur diuina bonitas diu latere figmentum, aut artem mendacis Diaboli. Adde & hoc in loco, quòd noui hæretici, qui proculdubio spiritu erroris ducuntur, inter cæteros, quos dogmatizant, articulos, miro etiam astu Dæmonis, vt aliquos ex nostris aucupentur, hunc proponunt, scilicet MARIAM huic peccato fuisse subditam: vt hæc sit Lutheri illius furiæ nefasta professio. Nullum festum magis odi, quàm festum Conceptionis MARIÆ, & corporis Christi. Neque verò parum est pro hac veritate, habere aduersos, qui se vanitatis, & spiritus erroris filios ostentant.

Nota. *Lutheri professio.*

C D

Radix omnium rationum, ac persuasionum pro hac veritate.

POst hæc verò tanta testimonia, sequuntur multarum rationum momenta, quàm valdissima. Prima, ergo & summa omnium rationum, quæ est omnium persuasionum radix, & fundamentum, hæc est: si Deus potuit hoc matri suæ priuilegium dare, ergo etiam dedit; potuit autem. Ne quis verò me derideat, non meus est hic processus, sed Augustini, certè fidelis, & omni acceptione dignus, si subtiliùs examinetur, nec proteruè excipiatur. August. enim excipere volẽs hãc B. Virg.

ab

ab ea generali sententia, pulvis es, & in pulue A rem reuerteris: hoc modo processit: Potuit Deus hoc facere, vt eam ab eo opprobrio præseruaret, ergo etiam fecit: quoniam ad benignitatem eius id facere attinebat. Et contra negantem processum hunc, ita adiecit, si confitetur, Christum potuisse, proferat rationem quare non fuerit decens, etiã voluisse, ac per hoc non fecisse? Attende lector, & cape Aug. sententiam, in hac enim materia cùm tractatur de gratia Dei, & priuilegijs erga matrẽ, satis habuit Augustinus vt suaderet, collatum fuisse illi priuilegium, si non negetur, Deum hoc potuisse conferre. Nam conferri etiam decuisse quidquid ei conferri potuit (nisi ex aduerso manifesta probetur indecentia) quasi ex se notum, & manifestum suo iure accepit. Porrò quis vllam probare valeat indecentiam huius prærogatiuæ? Immo quis non decentissimè id ei fuisse impensum, vt præseruaretur à tãta labe persuadeatur? si modò Virginem illam verè diligat, ac secum animo tranquillo plurimas tantæ prærogatiuæ persuasiones euoluat, quas dedit nobis spiritus considerare, & spero dabit proferre. Obsecro, frater, amator esto veritatis, & illucebit tibi.

Nota

B

Prima persuasio tantæ prærogatiuæ ab amore sponsi erga sponsam primariam.

PRimùm, nemo nescire debet, Christũ Dominum sponsum esse Ecclesiæ suæ: & quod de vniuersa collectim dicitur Ecclesia, hoc de quauis particulari anima dici, & sine controuersia id multò magis de illa, quæ singulariter præ cæteris dilecta fuit ab eo. Nemo autem dubitat, præ omnibus B. Virg. illi dilectam, vt præ hac iam cæterę omnes non sponsæ, sed *adolescentulæ*, & *concubinæ* vocentur. Nam & quæ Reginarum nomine dignæ habitæ sunt, ideo tales fuere, quia ad hãc summam Reginam, virtutum imitatione, & gratiæ donis, quantùm fas fuit, potuerunt accedere, iuxta illud: *Adducentur Regi virgines post eam, proximè eius afferentur tibi. Afferentur in lætitia, & exultatione: Adducentur in templum Regis.* Hæc est igitur vera sponsa, quam dixit Dominus (quod pauci animaduertisse videntur) quando aiebat tunc: *Simile erit Regnum cœlorum decem virginibus, quæ acceptis lampadibus suis, exierunt obuiam sponso, & sponsæ.* Si enim per illas decem virgines intelligebatur vniuersum corpus Ecclesiæ, & ita illæ erant sponsæ, quæ ergo manebat sponsa, cui obuiam exire deberent? Accipe, benigne lector, & vi ipsa veritatis suadere. Virgo illa Benedicta cum filio suo sponso, sponsa præcipua est, cui exire obuiam cum accensis lampadibus omnes debemus, ideſt fide, & charitate, vt tandem comprehendamus, & comprehendamur ab eis. Ipsa est enim vera, ac primaria sponsa, quæ veniet, vt iudicet mundum cum sponso suo, quam ipse dignabitur habere sociam ad iudicandum, quia dignatus est habere sociam in innocentia perfecta: Alioquin quomodo iudicatura esset mundum, nisi perfecta illi adfuisset iustitia? Paulo teste ad Rom. Nec verò me latet, quòd noui scripturarum translatores, immo in quibusdam potiùs corruptores, illud (sponsæ) quod in Latinis legimus, abiecerunt, quoniam (vt aiunt) non habetur in Græcis, cùm tamen & Origenes, & Chrysostomus Græcè ita legant, & Aug. & Hilarius, & alij Latini. Nec est quisquam, qui adnotauerit non debere legi, sponsæ. Fateor autem multos non exponere: fortè, quia non occurrebát illis, de qua sponsa intelligi posset, ponentibus B. Virg. cum reliquo Ecclesiæ corpore, quod est sponsa, non videntes, quòd illa est primaria sponsa, & ita sponso suo cõiungitur, atque à cæteris adeo segregatur, vt ita efferatur super omnes (vt quidam dixit) Sicut lenta solẽt inter viburna cupressi. Hęc est illa, de qua maximè dicitur in Canticis cãticorum, & totiens repetitur, & vix tamen audimus: *Pulchra es, pulchra es, & tota pulchra es, & macula non est in te*, hæc est illa de qua dicitur: *Vna est columba mea, perfecta mea, vna est matri suæ, electa*, siue vt alij dicunt, immaculata, Genitri. i suæ, cùm tamen sexaginta Reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentulæ sine numero essent, quæ Regi Salomoni placuerint, hæc tamen vna columba perfecta, soror, siue socia, atque singulariter sponsa clarè dicitur, & sine cõtrouersia ab omni Christiano recipitur, quod & latius inferiùs (quum de testimonio scripturarum agetur) comprobabimus: ad hanc enim suspexit Ioannes, quando dixit: Qui habet sponsam, sponsus est. Cùm igitur ita sit. Quis quæso ita excors, & vt, Græce magis exprimam, quod volo, ἀσοφος, qui decens esse censeat Regis filium, qui sedeat à dextris patris sui, & sponsam sibi valeat optare, quam velit, immo etiam facere, videlicet primam, atque primariam, eam tamen sibi deligere, quæ aliquando ab hoste dici potuerit captiua, & vitiata? cùm potuerit eam ab eius manibus præripere, ac præseruare, ne vnquam potestati hostis succumberet? obsecro, hoc discat homo à prudentia seculi. Nunquid enim non id primùm in nuptijs conuenienter exigitur, vt sponsa maximè sponso conueniat, forma, ætate, pulchritudine, fortuna, moribus? Alioquin claudicare videretur matrimonium. Quid ergo? Prudentiores erunt filij tenebrarum ipsa luce, & vera sapientia? Absit. Quis enim iure poterit existimare, sponsum speciosissium præ filijs hominũ *impollutum, & segregatum per omnia à peccatoribus*, non eam

Cant. 4. & 6.

C

D

*Cant.*6.

*Psal.*44

*Matt.*25

Pro intellectu parabolæ de decem vir.

*Ad Hebr.*7.

eam sibi delegisse in sponsam, quæ similiter talis esset, cum ipse talem condere posset, & formare sibi ab initio, quæ nunquam tacta esset, ac temerata? Nam post hanc primariam, quæ decebat penitus esse illibatam, alias habere non omninò intactas, sed ab hoste ereptas, ac postmodũ ab illo vendicatas, & in libertatem assertas, nihil absurdi est, modò suus honor ipsi primariæ Reginæ manserit perpetuò illibatus. Hanc verò suasionem, quàm maximè confirmant humana iura, & instituta. Constat enim Principes, & Imperatores orbis eis priuilegijs suas participare sponsas, quibus ipsi suo iure fruuntur. Qua propter egregius quidam Iuris consultus dixit: Etsi non sit legibus soluta Augusta, sicut ipse princeps; attamen eadem illi tribuit Augustus priuilegia, quæ ipse habet. Quid aptius ad rem propositam? si Reges terræ cùm ipsi sint mali, tamen propter semetipsos communicant sponsis priuilegia sua, vt solutæ & ipsæ sint ab *oneribus legum*, hoc cœlorum Rex non faciet? hoc benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei electissimæ, & amãtissimæ sponsæ suæ non concedat? & ita prudentior erit, & melior prouidentia seculi, quàm prouidentia Dei? Tute ipse considera lector, num ita credere dignum sit. Nec enim dedignatur Paulus ad suadenda diuina placita ea inducere, quæ humana prudentia constituit inter homines.

Vlpianus in l. Princeps. Digestis de legibus.

Secunda persuasio ab amore primariæ sponsæ erga sponsum.

DEcebat secundò, decebat inquam, vt quæ electa erat à summo Rege in sponsam filij, atque adeo ab ipso, amaret ipsum sponsum perpetuo, ac perfecto amore, vt nunquã inueniretur ipsa existens, non amans, & non sponsa. Hic verò perfectus amor sponsæ, malè conuenit cum hoc, quod dicitur aliquando derelictam inimicam fuisse, sub ira, & odio sponsi. Semper enim nescio quid interest, quod debiti amoris perfectionem in sponsa erga sponsum imminueret, si non omnem rationem habuisset, vt amaretur à sponso suo, vt sic posset redamare perfectè. Non autem habuisset omnem diligendi illum rationem, si non perpetuò fuisset per illum innocens, & grata, & speciosa. Aut igitur nulla creatura perfectè dilexit Christum, quia non omnem rationem habuit, & causam diligendi, quę potuit excogitari (quod est absurdum confiteri) aut si hæc vna fuit, & sola (vt decebat esse) ergo ipsa omnem causam habuit diligendi, vt consequenter amorem, & perfectum, atque perpetuum haberet: quod non fuisset, nisi perpetuam, perfectamque causam habuisset amandi, aut potiùs redamãdi. Nam vt dilectus Discipulus, inquit: *In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris.* Hoc ergo ipsi sponsæ præ cæteris impendi debuit eminenter, vt illi esset propitiatio à peccatis, iuxta modum perfectissimum, qui est præseruatio. Nam si vulgò prostituta mulier audiuit verba illa clementiæ: dimissa sunt ei peccata multa, *quoniam dilexit multum*, quid existimabimus competere in sponsam illam perfectam, immaculatam, quæ omnes charitatis numeros explens tanto amoris æstu deprecatur, *fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo?* Nunquid non perfectè dimissa illi censeantur, quæ, seruante Domino non commisit? vt ait Augustinus.

1. Ioã. 4.

Lucæ 7.

Cant. 2.

Augusti. in lib. de virg.

Tertia persuasio ab vnione summa carnis Christi cum carne Virginis.

ATtende hìc, Lector, persuadeberis. Haud enim dubium, quòd caro Virginis duplici modo fuit vna caro cum carne Christi, & primò quidem, sicut caro mulieris fuit à principio caro viri, quia mulier ex viro processit secundùm carnem, ita & caro Virginis, vtpotè sponsæ Christi, fuit eiusdem Christi caro, secundùm spiritum: sicut declarat B. Paulus, qui ait: *Membra sumus corporis eius de carne eius, & de ossibus eius.*

Ephes. 2. Quomodo carnẽ Christi Virg. esse intelligi debeat.

Decuit ergo, vt illud, per quod Christus salutem attulit mundo, illi primùm, ac maximè prodesset, cuius fuit, & à quo ille accepit. Cui verò dubium, quòd caro Christi organum salutis nostræ, & redemptionis omniũ fuit? A qua autem carnem illam, in qua extinctum est omne peccatum, accepit Christus, nisi ab hac Virgine, & sponsa? Vnde & sua erat quodammodo, cuius illa auctor fuit, vt in hoc verificetur Verbum Dei illud: *Erunt duo in carnem vnam.* Ergo decuit, vt primus, ac maximus fructus eius carnis illi maximè concederetur, quæ illam carnem genuit. Cùm autem fructus eius carnis, redemptio nostra sit, & salus; ergo maximus fructus eius maxima quoque erit redemptio, & maxima salus Hæc autem quid est aliud, quã præseruatio à labe peccati, & ira Dei, & captiuitate Diaboli? igitur præseruata est MARIA per carnem Christi, & meritò, quia caro sua erat. Alioquin ausim in spiritu meo confidenter dicere. Si hunc fructum, qui certè dari potuit, non retulit caro illa B. Virgini, aut eius non fuit, neque ab ea accepta (quod est hæreticissimum dicere) aut illi fuit ingrata, quod est infandissimum: Fuit enim, fuit inquam MARIÆ, caro illa salutifera Christi, & illi imprimis retulit gratiam, quam sui nouerat auctorem, & ideo fecit eam esse idem cum carne sua, id est, semper mun-

Gen. 2.

Audiat benignè qui contra dicit.

mundam, & immaculatam, vtpotè semper sibi inhærentem, vt sponsam ab æterno, & ante secula prædestinatam. Quamobrem adiuro vos filiæ Ierusalem, & per hanc benedictam carnem, vnde vobis salus, obtecro, atque obtestor, nolite negare matri eius primum, & excellentiorem salutis fructum, ne vos fortassis, quod vehementer nolim, excludamini à fructu eius. Nam errare, hominis est, & venia dignum: At proteruè nimis in errore vel le perstere, iram prouocat, & iudicium.

Quarta persuasio ab honore matri debito ab optimo filio.

HOnor, quem filius matri debet, hanc eandem suadere facilè decétiam potest. Lex enim diuina, à qua, nec ipse Christus excipi voluit, honorem reddi parentibus iubet. Honor autem præcipuè in subueniendo, & occurrendo necessitatibus, & miserijs consistit: vt si fieri potest, etiam propellantur, ne occurrant. Quis enim bonus filius, qui patiatur calamitatem venire, & opprimere matrem, vt ita deinde subueniat, & subleuet, ac non magis venientem, aut imminentem antequã attingat, propulset? Si igitur vidit Dominus Iesus (vt certè vidit) matrem suam obuoluendam peccato ex parentum merito, & delicto, atque ob hoc ipsum incursuram summi patris iram, & suam, & cùm posset, in hac necessitate illi non occurrit, sed casum priùs, & ruinam, atque miseriam eius expectauit, vt proinde succurreret, profectò legem hanc de honore parentum iubentem non impleuit. Vbi est ergo illud, quod ipse ore suo testatus est: *Non veni soluere legem, sed adimplere?* *Mat. 5.* Et quàm credibile est, vt qui in cæteris omnibus deprehenditur, impleuisse legem, solùm defecerit pro matre sua? cui tamen subdi non est dedignatus (vt ait scriptura.) *Lucæ 2.* Et hoc certè non meum est, sed in primis *August.* August. argumentum, vt suaderet etiam, nec cineri obnoxiam, sed in cœlos glorioſam esse MARIÆ carnem, propter debitum sibi honorem à filio suo. Lex enim sicut honorem præcipit (inquit ille) matri suæ haberi, ita multò magis inhonorationem damnat. Quis ergo tantum nefas de optimo filio erga optimam matrem sibi valeat persuadere? Neque verò dicat mihi quisquam, quòd tunc matri honorem debuit, quando iam mater erat: non autem erat mater, quando permisit eam esse captiuam: Hoc enim in eo dici posset, qui non prænosset eam matrem sibi futuram. At Dominus ante matrem erat, qui dixit: *Ioan. 6.* *Antequam Abraham esset, ego sum* Et iam prænorat eam, immo & in matrem sibi elegerat. Cùm igitur ignominiam futuræ matris *Nota.* prospiceret, quæ & illam perpetuò comitaretur, eo etiam tempore, quo mater esset, cùm semper ei obiectari posset à Diabolo, tu Dei mater, aliquando præda mea cum cæteris fuisti, vtpotè iræ diuinæ, ac peccato subiecta: si non illam ab ea seruasset, iniuriam profectò intulisset in matrem, cùm, salua iustitia, sui gratia eam seruare ab illo opprobrio valuisset. Nam vt prorsus hæc fuga præcludatur, non est dubium, quòd multa alia priuilegia habuit à Domino B. Virgo, etiam antequam mater eius esset, & ob illam gratiam habuit, quia iam electa erat in matrem, ac præelecta, vt August. Hieronymus, Thom. Bernard. & alij omnes penitus vnanimi consensu testantur. Non igitur honoranda erat tantùm mater pro eo tempore, quo esset mater, sed pro omni tempore quo futura mater præuidebatur: quoniam ignominia antecedens sequebatur eam, etiam eo tempore, quo mater esset: ideo non hoc passus est bonus filius. Nam & antequam mater esset *gratia plena* ab Angelo dicta est. *Lucæ 1.* Ait scriptura: *Gloria filiorum parentes eorum,* & conuerso inquit Thom. ignominia parentum redundat in prolem. *Pro. 17.* Quis igitur dubitet, quòd hæc ignominia matris etiam ad ipsum filium pertinuisset, ac tantò indigniùs, si potens prohibere nõ prohibuisset? Quare & hic Augustini similiter verba vsurpare licet. Si hoc formidatis dare matri, saltem dare hoc filio non dubitetis pro matre sua. Si hoc illam honore dignam non censetis, saltem ipsum filium non censeatis indignum, qui proculdubiò in suorum thesauris meritorum & hoc habuit, vt posset, & iustè posset, concedere matri suæ.

Quinta persuasio à muliere ad quod obeundum ipsa, diuina prouidentia electa est.

HAnc quoque decentiam valdè probat, ac persuadet illud, ad quod ipsa electa fuit glorioſum redemptionis opus, vt esset adiutorium quodammodo Christo, non quòd ipse Christus nõ sufficeret, sed quoniam & hoc bonum, & decens fuit, vt haberet *adiutorium* *Eccl. 25* *simile.* Nam sicut à *muliere initium mortis fuit*, ita & à muliere similiter initium vitæ esse oportuit. Hæc est enim omnium antiquorum constantissima sententia, propter conuenientiam antidoti. Vnde & August. Irenæum citans, ita dicentem ad litteram testatur: Quemadmodum astrictum est morti genus humanum per virginem, soluitur per virginem, æqua lance dispositа virginalis inobedientia per virginalem obedientiam. Extãt & Irenæi verba in hunc modum: Sicut Eua inobediens facta, & sibi, & vniuerso generi humano causa facta est mortis, sic & MARIA habens prædestinatum virum, tamen Virgo obaudiens, & sibi, & vniuerso generi humano causa facta est salutis. Et conuenientiam hãc *Irenæus Valentinũ lib. 3*

statim probans, adiecit: Quia nõ aliter, quod colligatum est, solueretur, nisi ipsæ compagines alligationi reflectantur retrorsum, vti primæ coniugationes soluantur per secundas, secundæ rursum liberarent primas: & euenit primam quidem compaginem à secunda coniugatione soluere, secundam verò colligationem primum solutionis habere locũ. Hæc Irenæus, & hanc eius sententiam esse Catholicam testatur August. Igitur Lector attende, proculdubiò persuadeberis. Dispone colligationes. Eua primum inobediens excitat Adam, vt præuaricetur: Adam excitatus à muliere, & consentiens illi, primus, & principalis destructor nostri generis est inuentus. Hæc igitur prima colligatio, videlicet nocens mulier, & nocens vir perfectè, sub quibus omnes nocentes constituti sumus. Da ergo secundam colligationem, qua prima soluitur. MARIA, & Iesus Christus: mulier, & vir, mulier autẽ prima quidem sua obedientia quodammodo virum excitans, aiens perpetuò (quod aliquando expressit.) *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*, pars colligationis secundæ facta est. Hinc excitatus vir Christus factus est: *Et factus obediẽs cũ illa vsq; ad mortẽ, mortẽ autẽ Crucis*: & hic perfecta colligatio facta est, in qua ipse Christus factus est principalis omnium Redemptor, & Saluator, sicut ille principalis destructor omnium, etiam Euæ mulieris, quæ & ipsa maximè nocens inuenta est: ita hic principalis omnium Saluator, & maximè huius mulieris, à qua excitatus est ipse, & quæ cooperata est ad salutem. Nam sicut prima colligatio omninò inuenta nocens, ita & secundam colligationem (vt esset decens Antidotum) oportuit inueniri omninò innocentem, & omninò separatam à contagio primæ colligationis, alioquin minùs fuisset idonea ad dissoluendum primam, propter quod Paul. ait eminenter de Christo, *Talis decebat, vt nobis esset Pont. sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus*. Si igitur hæc in Christo decentia requisita adfuit, propter hoc opus redemptionis, vt idoneus inueniretur ad illud, & consequenter, & simili quodammodo idipsum in socia operis ipsa B. Virgo requirebatur, vt coniugatio non claudicaret, sed inueniretur illa similiter mediatrix idonea, & viro auxiliatrix aliquo modo propter congruentiam antidoti, non quòd ipse vir Christus auxilio indigeret, sed quòd ad decentiam, & antidotum, conueniens attinebat habere auxilium, immo ipsum auxilium sibi prouidere, & inuenire mulierem fortem, in qua confideret, vt digna esset socia, & cooperatrix; quod non solùm non derogat ipsi Christi excellentiæ, sed arrogat multò magis (vt sæpe dictum est) quia ex eius meritis hoc totum factum est, vt ipsa talis esset, vt & posset hoc facere. Nam audi analogiam mirabilem inter vtranque compaginem. Sicut enim Adam fuit principale caput nocens, cuius delictum solum efficax fuit ad perdendum omnes, quoniam ex eo pendebat pactum, & conditio nostri, siue felix, si paruisset, siue misera, si inobediens fuisset, vt fuit: Eua verò, quia cooperata est ad illud, nec enim in ea principaliter pactum consistebat, ideo ipsa secundariò dici potest, & non principalis auctor ruinæ, sed cooperans ad ruinam. Ita proportionabiliter Christus, & Virgo. Ille caput, & origo perfecta salutis, & ideo ille ex seipso verè innocens, & perfectè, & proprio iure, idoneus propugnator ad saluandum. B. autem Virgo post eum, immo etiam per eum in secundo innocentiæ gradu, videlicet non vt ex seipsa innocens, aut iure proprio, sicut Christus, sed ex gratia eius, ac priuilegio, innocens tamen re ipsa omninò, & absoluta à colligatione prima, vt idonea fieret, ad soluendum illam, & dignè applicaretur viro summè innocenti. Quis enim vnquam colligatus cum cæteris, dignè, atque idoneè poterit admitti, vt primus adiuuet ad dissolutionem cæterorum, excitando eum qui soluere possit solus? Cape hæc, Lector inquam, sed non omnium est intelligentia, & præsertim proteruorũ. Adiuuat tamen lex, & regula Iurisconsultorum, dicens. Nihil est tam naturale, quin eodem vinculo, quo colligatum est, dissoluatur.

Analogia pulchra.

Lex iuris.

Nota.

Lucæ 1.

Ad Philip. 2.

Nota cõsiderans profundam Dei prouidẽtiam.

Ad Hebr. 7.

Sexta persuasio à fide constantissima matris in cruce filij.

ADiuuat & quæ diximus, integra, & perpetuò B. Virginis constantissima fides: quam non ab re Euangelium, & S. Ecclesia laudat, atque commemorat singulariter. Est enim iuxta antiquorum regulam, & doctrinam, hoc quasi principium acceptum, inter ea quæ fidei sunt, vt omnes oporteret aliquando aliquomodo infideles esse, aut scandalum fidei aliquod pati: vt in hoc referrent primos parentes, qui in fide non fortes Diabolicæ tentationi succubuerũt. Quamobrem & idem Episcopus Irenæus non dubitauit ita loqui de Virgine. Sic autem & Euæ inobedientiæ nodus solutionem accepit per obedientiam MARIÆ: quod enim alligauit virgo Eua per incredulitatem, hoc Virgo MARIA soluit per fidem. Hæc ille, propter quòd & Elisabeth Spiritu Sancto plena & hoc mysterium agnoscens, dixit: *Et B. quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino*. Quare & in hoc aliquando erranit Origenes, & quidam antiquorum pene in hunc errorem prolapsi sunt, existimantes etiam B. Virginem aliquid scandali passam circa

Lucæ 1.

circa fidem, vnde & sub peccato illam concluserant, vt superiùs diximus. At nunc (Deo gratiæ sint, & illi Virgini) quòd longè aliud persuasum est Ecclesiæ sanctæ: vnde & in passione Crucis verba illa Domini dicentis: *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista*
Mat. 26 *nocte, scriptum est enim, percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis*, ad Virginem non pertinuerunt. Ab hac igitur singulari constantia perpetuę fidei, singulare hoc quoque perpetuæ innocentiæ priuilegium meritò, nec ineptè colligitur.

Septima persuasio à compassione, & Martyrio Crucis eximio eiusdem Virginis.

B

COrroborat item quod dictum est, singulare eius martyrium, quo & ipsa cooperari visa est multifariam cum filio ad humani generis salutem. Prægustauit enim & hæc secunda mulier sicum fatuam, sed salubrem, & propinauit similiter viro suo, sicut prima Eua prægustauit sicum sapientem, sed noxiam, & viro dedit vt perderemur. Hoc certè fuit, quod Simeon iustus in Euangelio le-
Lucæ 2. gitur prophetasse. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Hic enim glaudius ab amarissima illa ficu vibratus, & illi sanctissimæ animæ fellis gustum præbens, eam dulcedinem, quam in ficu sua gustauit Eua, etiam
C abunde compensauit. Et tunc perfectè hic cibus propinatus est Christo, & illum deuorauit, & absorta est omnis mors, & damnum peccati, in victoria ista. Decuit igitur, vt hæc sola benedicta virgo, quæ stetit sub ista ficu, & lignum contemplata est, visu quidem horrendum, & ad vescendum amarissimum, paratum filio suo, & contempto dolore ausa est prælibare, ac deinde porrigere dilecto, decuit inquam, vt eius etiam rei fructum prægustaret ipsa sola. Lege contemplator, & attende fideliter, & neminem penitus iuxta crucem astantem inuenies, qui aliquando nõ
Mat. 36 à longe fuisse, & aufugisse describatur: Nam
D qui feruentior videbatur, ac fidei laudem super alios meruit ex discipulis, huic obijcitur: *Amen Amen dico tibi, ante quàm gallus cantet bis, ter me negabis* Hic & scribitur primo
Ioan. 18 fugisse cum cæteris, tum secutum esse Dominum à longè tum etiam ter negasse *cum iuramento, & detestatione*. De sanctis quoque mulieribus quod à longè essent, etiam illa quæ caput vnxerat, & omnibus fidelior, ac feruentior apparebat, euidenter in Euangelio describuntur, nec ab re, nec sine huius my
Luc. 23 sterij doctrina, Lucas enim, vt omnes complecteretur, & mares simul, ac fœminas, dixit: *Stabant autem omnes noti eius à longè, & mulieres quæ secutæ erant eum à Galilea, hæc videntes.* De sola autem hac felicissima virgine nunquam legitur quòd esset à longe, sed ipse dilectus discipulus, cui soli datum est hoc Euangelium tradere, quoniam singularia quædam ei singulariter seruabantur, id nobis de illa insinuauit: *Stabant autem iuxta* Ioan. 19 *crucem Iesu, mater eius, & soror matris eius, &c.* Vt & hoc etiam, insuper adnotes, quòd si qui inueniuntur aliquando iuxtà crucem, ij sunt, qui à MARIA matre tandem colligun tur, quos tamen à longe stetisse aliquando ne cesse est, vt illi soli sit hæc prærogatiua, quæ simul cum filio calcauit torcular, quonia m vna caro erat cum illo. Et ob eam causam Propheta ille in persona Domini effatus. *Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum*: non ausus est dicere. Non est mulier mecum, sed non est vir mecum. De muliere enim hoc semper verum, quod & *ab Angele* eminenter prædictum de illa fuerat, *Dominus tecum*. Erat ergo cum Domino mulier torcular calcans, nec dormiebat, vt Apostoli, vel ipse Petrus, cui dictum est: *Non potuisti vna hora vigilare mecum*, quia omne quod calcabat Dominus, ipsa expressum excipiebat, sic enim scriptum est: *Torcular calcauit Dominus virgini filiæ Iuda.* O quam benè Hieronymus, neque sine spiritu, vt arbitror, interiùs suggerente, hanc Virginem etiã plusquam martyrem fuisse testatus est, quam eò plùs doluisse censet, quò plùs etiam dilexisse certissimum esse debet. Quod & cæteri sancti viri, meritò susceperunt. Hæc enim illa fuit, de cuius dilectione scriptum est, *fortis est, vt mors dilectio*. Sed aiunt quidam. Nec littera, nec historia docet, ex hac vita MARIAM corporalis necis passione migrasse. Neque nos hoc audemus dicere, neque credere, videlicet illam materiali gladio peremptam, sed gladiũ doloris dicimus, quo transuerberata est eius anima, iuxta prophetiam, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes, vt aliquando appareat, qui iuxta crucem colliguntur, vt sint aliquãdo cum MARIA. Sed stultus ego, qui quæ nondum intelligo, loquor. Quando enim fui ego sub cruce, vt hæc valeam scire, & enarrare? Proferam tamen hic Gregorium Nisenum, qui mirè super hac Simeonis prophetia prophetans, ita scribit: Hæc siquidem de filio dicuntur: spectant tamen ad eius genitricem, dum singula sibi assumit, simul periclitata, & glorificata: nec tantùm prospera, sed illa denúciat etiam dolorosa. Hæc ille: per quę omnia id tantisper persuasum velim, quòd sicut sola in cruce Christi singulariter compatitur fidelis Virgo, vt socia passionis, ita sola sit innocentiæ singularis, & gloriæ socia cum illo. Verùm quæ dixi, magis sub Christi ipsius cruce, & ex latere, illo vnde fluxit & aqua, & sanguis, nõ aqua solú, sed aqua, & sanguis, discũtur, quã verbis valeant abundiùs persuaderi.

Prærogatiua virg. *Isai. 63.* *Lucæ 1.* *Mar. 14* *Tren. 1.* *Hier. in serm. de Assump.* *Cant. 8.* *Gregor. Nyseni verba notãda.* *Nota pie Lector, & proba.*

Octaua persuasio à præseruatione omnis actualis peccati.

ASTruit & hanc fidem satis illud, quod iam persuasum est Ecclesiæ, quòd B. Virgo præseruata fuit ab omni actuali peccato, etiam minimo veniali: ex quo sequi videtur, quòd etiam ab ipso originali: Etenim præter quam quòd obseruatum fuit, vt suprà diximus antiquorum doctrina, quòd qui sub originali constitutus fuit, etiam sub actuali inueniretur: illud maximopere vrget, quòd omnis ratio, quare ab ipso actuali præseruata est. *Thom. 3 q. 27. ar. 4.* B. Virgo, iuxta doctrinam Beati Thomæ, æquè militat in originali. Sanctus enim ipse Doctor, vt concludat eam prorsus immunem ab omni actuali, sic arguit, quoniam alioqui non fuisset idonea mater Christi, si cui peccato succubuisset. Id autem quatuor rationibus euincit: prima est, quia sicut gloria filiorum est gloria parentum, ità è conuerso ignominia parentum redundat in prolem: ac per hoc inferretur ignominia Iesu Christo, si mater peccatrix assereretur. At certè hæc ratio non minùs de peccato originali concludit, immo tantò de eo magis, quantò etiam ignominiosius hoc est, quàm actuale, veniale tamè. Nam per illud abominabiles sumus omnes coram Deo, & subira eius, & in Satanę potestate, quod certè veniale non facit eum non auferat gratiam, & possit esse ita leue, ac minutum, vt vix quicquam ad expiandum requiratur: quæ & latiùs patent. Secunda ratio, est singularis affinitas, quam habuit cum Christo, qui de ea carnem accepit: dicitur autem 2. ad Corinth. 6. Quæ conuentio Christi ad Belial? Hæc Thom. Quæ certè ex spiritu Dei locutus est, vt per eius etiam doctrinam concludatur hæc veritas. Nam quod (quæso) peccatum facit conuenire magis cum Belial, siue Diabolo, originale, an veniale? certè absque controuersia originale, cuius gratia exorcismis, & exsufflationibus vtitur Ecclesia ante Baptismum. Veniale autem nequaquam iungit nos Diabolo: igitur magis ab origin. erat præseruanda: quoniam & id rationabiliter ipsa maluisset. Tertia ratio ex ipsa sacra Scriptura, quæ testatur: *In maleuolam animam non intrabit sapientia*, nec in corpore subdito peccatis. Sed quid est, quod animam verè reddit maleuolam, & corpus delictis subditum? originale, an veniale? Cui dubium quod originale? quod Prophetа deplorans querebatur: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis peperit me mater mea.* Quarta ratio est, eò quòd impleri oportuit, quod scriptum erat *Tota pulchra es, & macula non est in te.* Non autem (inquit ipse) impleretur, si peccasset, siue mortaliter, siue venialiter. Tu verò adde, quòd nec etiam impleretur, si saltem originaliter peccasset. Quis enim dixerit impletam scripturam, absolutè negantem maculam, si tamen aliqua ponatur macula? Et tamen. B. Thom. vult (& hoc rectè) eam scripturam impleri. Ad hæc nota quod ibi adijcitur, & à Caietano adnotatur, videlicet, quòd illæ B. Thomæ rationes optimæ sunt, & quòd sensus Ecclesiæ est grauis auctoritatis. Ecclesia enim illum locum. Tota pulchra es, specialiter aptat ad Virginem. Tu ego ad de modò, quòd & specialiter aptat Ecclesia in solemnitate Conceptionis, quando illam celebrat ab omni labe immunem. Hanc enim scripturam. Tota pulchra es, & macula non est in te: pro hoc priuilegio, iam palam celebrans ipsum, manifestè vsurpat. Quis autem quæso tam insanæ mentis, si sciret vtriusque peccati pondus, videlicet originalis, ac venialis, & rogaretur, vtri mallet obnoxius esse, si necessarium fuerit alterutri succumbere, qui non absque vlla deliberatione, & consilio in re tam clara, continuò eligeret sub veniali teneri potiùs, quàm sub originali? Et profectò hoc MARIA à Domino maluisset, non solùm in sui gratiam, verùm etiam propter ipsum Dominum. Non ergo fas est vllo modo putare in ista gratia habuisse repulsam, aut potiùs non præuentam, antequam ipsa petere posset, poscente nimirum Spiritu Sancto pro illa, immo filio suo longè ante id procurante pro illa. Non me fugit, quòd magis proprie voluntarium sit veniale peccatum, quàm origin. respectu nostri: at non propterea magis abominandum: immo tanto minùs, quanto propter originale magis elongamur à Domino, & eius gratia, quàm ob veniale.

Nota Thomista, & ponderа verba Thomæ.

Nota.

Nota.

Sap. 1.

Psal. 50

Cant. 4. Deniq; nota.

Nona persuasio, quòd iam manifestum est, ab omni reliqua pœna, opprobrium aliquod inferente, illam præseruatam fuisse.

PErsuadet & hanc sententiam egregiè certa iam omni Ecclesiæ persuasio, quòd ab omni reliqua pœna opprobriosa, quæ ex illo antiquo peccato venit, tam in mares, quàm in fœminas, præseruata à Deo fuit: vt satis indignũ videri possit cuilibet prudenter existimanti, hãc solam fuisse, à qua immunis nõ esset, à qua tamen maximè immunis esse debuisset. Primò ergo iam de peccato quolibet actuali dictum est, quòd ab his præseruata est, cùm tamen fructus essent originalis, vt Paulus, & frater Domini docent, quoniam ex *peccato* fomes, ex fomite libido, & *concupiscentia*, vnde & peccatum: quod vtinam nõ magis experientia doceret. Secundò, præseruata est ab omni maledicto, quod in Euam inflixit Dominus. Inflixit autem primò

Paul. 7. Iac. 1.

ærum-

Maledictio ærũnarum non pertinuit ad Mariam. Gen. 3.

ærumnarum adiectionem, quæ sunt opprobria mulierũ propria, vt quidã non male exponunt. Vnde & iuxta Hebraicam veritatem legitur. Multiplicans multiplicabo ærumnas tuas: ac si manifestiùs dixerit, etiam super illas, quæ tibi cum viro communes erunt, proprias tibi assigno. Hæc enim sententia specialis in ipsam Euam à Domino pronunciata est, vt in omnes fœminas extenderetur, quibus tamen caruit immaculata Virgo: nihil enim in ipsa immundum, nihil fœdum, aut turpe, ac denique muliebre ponendum est: quoniam hæc est reuera virago illa secundùm Spiritum, quæ de viro sumpta, nihil fœmineum accepit, aut contraxit. Secundò inflicta

Conceptuum multiplicatio non pertinuit ad Mariam.

fuit conceptuum multiplicatio: sed neque hæc contigit B. Virgini, quæ vnico conceptu contenta, & illo sanctissimo, effudit vitam mundo, vt nihil amplius prolis desiderare potuerit, cùm per eam solam ipsa verè facta sit mater omnium viuentium, ac vera vita. Tertiò inflictus fuit dolor in partu: dictum

Dolor in partu non pertinuit ad Mariã. Isai. 37.

est enim. In dolore paries filios. At gloriosa Virgo cum maximo gaudio & concepit, & in vtero habuit, & peperit, iuxta quod scriptũ erat. Germinans germinabit exultabunda, & laudans. Quartò subdita fuit viro, & sub eius potestate, vt ad illum omnis appetitus eius verteretur: sed & ab hac seruitute excepta fuit

Subiectionem viri ignorauit Maria.

B. Virgo, Aug. teste, atque ipso. B. Thoma, qui inducens, & probans Augustini verba, sic ait. B. Virgo MARIA vera æstimatione à quibusdam generalibus excipitur, quia nec conceptus multiplicauit, nec sub viri potestate fuit, quæ integerrimis visceribus de Spiritu Sancto Christum concepit: & ideò nõ debuit mediante viro instrui, sed mediante Angelo: Quin & ipse Aug. ait, Ioseph vt famulum datum Virgini. Quid est ergo quod isti volunt de matre tua, optimè Deus? scilicet, vt quam non es passus esse sub viro, & coniuge suo, tamen sub Diaboli laqueis, ac potestate volueris illam teneri? Quis hæc, si secum semota animi quauis iniqua affectione cogitauerit, possit admittere? vt quæ non conceditur subiecta viro (tametsi hoc exigeret antiquum delictum) eadem tamen subiecta Diabolo cõcedatur? Venio ad pœnas viro, & omni generi humano, in eo inflictas. Primò illi dicitur: *Maledicta terra in opere tuo*, terræ autem appellatione plura in scripturis sanctis significantur: & primùm quidem ipsa terra, vnde corporales cibos accipimus, quæ maledictum accepit in hoc, quòd cum laboribus, ac sudoribus viri redditura esset illi fructus ad vitam, vnde & homines mirum in modum impediuntur à cœlestibus contemplationibus, vt incumbant operibus terræ pro vita carnis, ne alioqui terra tribulos potiùs, & spinas germinaret, vt ait scriptura. Sed sub hoc maledicto existimo non comprehensam

Nota argumentum fortissimũ.

Gen. 3. Terram variæ accipi in scripturis.

Nõ fuit maledicta terra pro Virgine. Mat. 4.

A fuisse B. Virg. quam assiduè cœlestibus contemplationibus pastam, & in sublime cœlorum raptam, conuersationem credimus habuisse in cœlis, illudque maximè post Christum in se expertam fuisse: *Non de solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit ex ore Dei.* Secundò, *terra* accipitur pro corde hominis, vt ipse Dominus dignatus est exponere in parabola seminis: in hoc enim accepit maledictum cor hominis, quoniam nostra opera, & labore multo excoli oportet, ad artes, & scientias capessendas, & virtutes acquirendas. Nam anima nostra iuxta suam naturam, cui reddita est ex peccato, est sicut tabula, in qua nihil depictum sit (vt Philosophus ait) idcirco oportet multis laboribus, B ac sudoribus, ad aliquam frugẽ peruenire: neque id fieri potest sine erroribus, & peccatis, quæ sunt spinæ, & tribuli, videlicet opere nostro. Nullus enim ita felix in hoc mundo post peccatum repertus est, qui non aliquando errauerit, aut peccauerit quouismodò, vno excepto Christo, cui propter ipsum etiam B. Virginem adiungimus. Quare? quia terram hanc excoluit Deus, non homo: de Christo enim nulli dubium, ita vt mirarentur qui illum audirent, & dicerent: *Quomodo hic litteras scit cùm non didicerit?* Nescientes quòd patrem haberet Doctorem Deum, vt ille dicebat: Mea doctrina non est mea, de B. etiam Virgine fas est credere, quòd Spiritus Sanctus, & cœlestes ipsi spiritus, eam docuerint, non vllus mortalis homo, vt sicut nullo peccato, ita etiam nullo vnquam errore comprehensa fuerit. Propter quod non oscitanter illud aduertendum est, quod ait Dominus in opere tuo, nimirum, vt illa terra maledicta intelligatur, quæ opere hominis indiguerit, & culta fuerit, sicut reliqui homines vniuersaliter indigent, vt alter ab altero discat artes, atque imbibat disciplinas. Tertiò, terræ nomine ipsa mulier intelligitur, quæ à viro tanquam excolitur semine iniecto, vt fœcundetur, & prolem reddat: vnde omnis mulier intelligitur maledicta in D opere illo viri, quod coram Deo immundum est redditum post peccatum, quoniam quidquid ex illo opere procedit, sub ira Dei comprehensum est, & vt immundum respectum. Attende, & cape Lector, quod loquor, quoniam in his verbis Christiana, & Catholicorum doctrina est: propter quod dicitur: Spinas, & tribulos germinabit tibi, hoc est, filios peccato, & errori obnoxios, omnes enim spinæ, & tribuli sumus, quicumque humano semine producimur ex fœmina hac sola terra excepta, de qua è conuerso scriptum fuit: *Benedixisti Domine terram tuam.* Sed vide hoc priuilegiũ (obsecro) in hac scriptura mirificè patefactũ, si capere potes, Maledicta terra in opere tuo, nimirum in opera viri.

Anima tanquã tabula ex Philosopho.

Nota.

Ioan. 7.

Nota.

Psal. 84

At hęc terra nostra, quæ dedit fructum suum, nunquid opera viri exculta est? Absit. Nam illa conquirens hoc, quod tamen non nesciebat, sed vt erat humilis, etiam amplius cœlesti reuelatione scire laborans, aiebat: *Quomodo fiet istud, quoniã virum non cognosco.* sciebat se non esse terram humanæ operationi subdendam, & maledictæ culturæ, quæ virginitatem, Deo inspirante, iam nouerat: vnde confestim audit à Gabriele fortiora illi nuntiante: Spiritus Sanctus superueniet in te. Ecce Agricola, ecce cuius opera tu terra electa, & prælecta, seruata es. Nunquid ergo maledicta hæc terra, quæ reddit fructum, non ex opera viri, sed ex opera Dei? Si verba Diuina consulis, profectò exceptam cernis à maledicto, quia dictum est viro, maledicta terra in opere tuo, seu potiꝰ in operatione tua. Ergo quæ ab operatione viri eximitur, etiam exempta intelligitur à maledicto. Nam perge, vt videas, quæ terra sit maledicta, ait, Spinas & tribulos germinabit tibi. Nunquid hæc spinas, & tribulos germinauit, quæ dedit Nazarenum speciosissimum florẽ, & solùm odoro riferum ad nares æterni Patris? Scrutare igitur, ò mi frater scripturas, & agnosce tandẽ terram benedictam, nullo vnquã maledicto prostitutam, vtpotè seruatam Diuinæ operationi, vt nefas fuerit quicquam iuris in eam habere Diabolum, quæ ab omni, & opere, & iure viri exempta, & immunis fuit. Sed perge adhuc, & examina reliqua. In sudore (inquit) vultus tui vesceris pane tuo. Et hoc maledictum non tetigit Virginem, teste Beato Thoma, vt expresè declarat in expositione Angelicæ salutationis. Nos verò de hoc alibi diffusiùs, interim satis sit nobis testimonium glorioſi Doctoris nostri. Adijcitur vltimum maledictum. Donec reuertaris in terram, de qua sumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Hoc maledicto tria colliguntur. Primum necessitas moriendi. Secundum, incineratio, & redactio in puluerẽ. Tertium (quod tamen subaudiri oportet) expectatio communis resurrectionis. Et certè quoad primum, à morte ob iam dictam causam excepta non fuit: quoniam nec excipi bonum erat ei, vt conformis fieret capiti: & eadem ratione à cæteris doloribus, ac laboribus vitæ huius, ob infirmitatem carnis contingentibus, quos & filius eius pro illa, & pro nobis omnibus accepit, sed pro illa maximè. Quoad secundùm, videlicet de incineratione, & puluere. Audi quaso Augustꝰ. ita dicentem: Illud sacratissimum corpus, de quo Christus carnem assumpsit, & diuinam naturam humanæ vniuit, vt verbum caro, id est, Deus, homo fieret, escam vermibus traditũ, in communi sorde putredinis, & futurum de vermibus puluerem, quia sentire non valeo, dicere perhorresco. Hæc Aug. Quomodo igitur non multò magis perhorrescimus, vel dicere, vel sentire, vel cogitare, animam illam sacratissimam, simul cum sanctissimo illo corpore, quod electũ erat vas æternæ lucis, etiã per quodcunq; momẽtũ fuisse aliquando escã serpentis Diaboli? quod necesse est dicere, ijs qui asserant iam sub originali conceptã. Profectò tantò est horribilius hoc sentire, quãtò anima longè est cadauere præstantior, & quãtò Diabolus cunctis terræ vermibus execrabilior, qui à Domino maledicitur super *omnes bestias terræ*, vt ait scriptura. Postremò, quoad vltimum de expectatione resurrectionis, iam ipsa Ecclesia festum celebrat Assumptionis eius, quæ etiam piè credere se profitetur, eam in cœlos cum corpore à filio suo assumpta, sicut & Propheta satis clarè vaticinans nobis tradidit, quum dixit: *Surge Domine in requiẽ tuã, tu, & Arca sanctificationis tuæ* Vnde & multæ Ecclesiæ, nõ sine hac mente, in ea solemnitate concinunt: Veneranda nobis Domine huius diei festiuitas opem conferat salutarem, in qua sancta Dei genitrix mortem subijt temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ filium tuum Dominum nostrum de se genuit incarnatum. Agnosce Lector prudẽs, vt edocta proculdubiò à Spiritu Sancto, te quoq; clarè docet Ecclesia. Non potuit, inquit, deprimi mortis nexibus B. Virgo, sicut neque Christus quidem, de quo ait Petrus: *Quem Deus suscitauit solutis doloribus mortis*, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab ea. Sed quare Christus teneri non potuit? Audi Petrum, quia (inquit) Dauid in eum dicit. Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniã à dextris est mihi, ne cõmouear, propter quod lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe, quoniam nõ derelinques animam meã in inferno, nec dabis Sanctũ tuum videre corruptionẽ. Quare autem MARIA nõ potuit deprimi? Audi Ecclesiam, quia (inquit) Dominum nostrum, id est, ipsum Sanctum, de se genuit incarnatum. Ille igitur teneri nõ potuit, quia sanctus erat: illa verò, quia mater sancti, & propter ipsum sanctum, quẽ genuit. Magna igitur, & efficax hæc persuasio optime Lector, cùm videas gloriosam Virginem nullo teneri maledicto, aut pœna oppro briosa, quæ ex antiquo venit peccato, siue in fœminas, siue in viros, vt certissima coniectura existimes, neque peccato illam fuisse comprehensam, quo nihil opprobrioſius. Nam id iustitiæ est, vt quem seruatum à pœna videas, etiam à culpa seruatum agnoscas, tametsi è conuerso non procedat, quando in manu Dei sit culpam nonnunquam remittere, nec tamen simul omnem pœnam.

Luc. 1.

Nota.

Aug. in serm de Assump.

Nota ar gu. validum.

Gen. 3.

Ps. 131

Oratio de Assumpt. B. Virg.

Act. 2.

Deci-

Decima persuasio ab integritate puritatis, quæ illi conueniebat, ac desideraretur, si hac macula fuisset inspersa.

INtegritas puritatis, quæ ab omnibus in ea desideraretur, etiam huic veritati contestatur: Non enim integrè fuisset pura. B. Virgo, si corpore tantùm pura fuisset, non etiam mente: nec fuisset perfectè Virgo secundùm spiritum, quæ aliquando alterius fuisset, quàm Christi. Sicut enim corpus habet suam virginitatem, & incorruptelam, ita & anima. Sicut ergo decuit integrè, ac perfectè eam esse virginem, & nihilominus parientem, & partus virginitatem non minueret, sed sacraret, ita & multò magis decebat eam esse mente virginem, atque integram, quanquam alieno partu prodiret. Si naturæ ius ibi vides Dei omnipotentia sublatum, ob seruandam corporis puritatem, & vt esset perpetua virgo, cum audis eandem esse, & matrem, & virginem, cur non etiam simili modo arbitrari potes seruatam esse à peccato, contra etiam omne ius naturæ, quod erat, vt quæ descenderet ex peccatoribus, etiam ipsa peccato obuolueretur? Nam si alterum sibi defuturum erat, maluisset prudentissima Virgo carere carnis virginitate quàm mentis: potuisset enim absque peccato, & ira Dei, non esse Virgo. At subiacuisse peccato, & maculam ponit, & iram constituit, & ipsius peccati, ac Diaboli seruitutem. At certum est quòd Hieronymus, & Augustinus doctè, ac piè scripsere de virgine, gratiam eius superasse naturam. Diuinitatis enim sunt opera quæ prædicamus de illa, & ideo possibilia, quoniam ab omnipotentia. Hæc Augustinus.

Vndecima persuasio ab honore, qui summis Angelis debebatur.

HOnorem, qui summis Angelis debebatur, etiam attinere ad huius rei persuasionem non dubito. Debebatur autem illis hic honor (si recto iudicio censere volumus) vt nõ præferretur eis omnibus vlla persona aliquando vllo peccato contaminata, cum ipsi perpetua puritate nituissent. Non est autem dubium iam Ecclesiæ, quòd hæc Beatiss. Virgo prælata est cunctis agminibus, & ordinibus Angelorum, quod (vt sapienter dixit Hieronymus) de nullo alio sanctorum fas est dicere. Quare si quouis vnquam fuisset maculata delicto, & posset aliquod murmur esse in cœlo, iure optimo data esset Angelis multa conquerendi occasio, quòd eam sibi præpositam viderent, & vt Reginam venerandam, quam tamen, & peccato, & Diabolo aliquando subditã considerarent: quin & ipsa Virgo nonnullo humili pudore perfunderetur, dum se impuram aliquando fuisse conspiceret, & Beatos illos spiritus perpetua puritate nituisse: qua certè indecentia offuscaretur gloria Paradisi. Alioquin, vbi illæ omnium sanctorum voces & Bernardi, & Thomæ, & August. & Hieronymi, & aliorum, quòd MARIA superauit Angelos puritatẽ? Thomas declarat, tum quantùm ad operationem boni, tum etiã quantùm ad euitationem mali, & peccati. Sed aiunt, intensiuè, non extensiuè: sed cur non etiam extensiuè? Quis debit perfectam innocentiam, ac puritatem, ac non simul perpetuam?

Maria cunctis Angelis prælata. Nota Hieronymi verba.

Thom in pos. Angelicæ sunt. Nota.

Duodecima persuasio à pœna debita serpenti, & congruè illi à Deo inflicta.

NEc minus ponderis habere debet Diaboli meritum, & digna pœna, ad testificandum pro summa Domina, ac Regina nostra. Attende hic, quæso te acute Lector. Superauit execrabilis ille serpens primam fœminã, quam decepit mendacijs, & fraude. Dominus Deus, in huius vindictam facinoris, ijs verbis aduersùs illum pronunciauit: *Quia fecisti sic*, id est, quia mulierem hanc decepisti, *inimicitias ponã inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius: ipsa conteret caput tuum*, &c. Ac si manifestè dictum fuisset. Vicisti mulierem fraude. Hoc tibi sit pœnæ, quoniam vincet te mulier virtute, & ita vincet, sicut aliam tu vicisti. Tu enim vicisti eam perfecta victoria, nunquam superatus ab illa. Ergo talis debet esse mulier pro pœna tua, quæ te vincat, nunquam abs te victa, nunquã tui iuris affecta. Alioquin non fuisset perfecta pœna serpentis pro merito suo, si quandoque, & ipse hanc mulierem superasset, quanquã in parentibus suis. Potuisset enim ille superbus semper gloriari, & dicere. Ego quoque obtinui aduersùs istã in campo. Ego matrem Dei omnipotentis, & Christi habui ditioni, & iuri meo subiectam, sub Regno meo fuit Regina cœlorum, & Angelorum Domina communi sorte cum cæteris, meum dominatum non potuit euitare, neque per Christum filium. Sed gratia Deo, & Christo, nihil horum verè iactare potest Draco ille Rufus plenus sanguine, quanquam id vehementer appeteret: quoniã hæc est mulier, quam mirũ in modum oderat ab initio, cuius filium illũ masculũ deuorare volebat: propter quod & dicitur: *Ille erat homicida ab initio*. O Satan nequissime. Tu satis intelligis quæ loquor: *Sed increpuit in te Dominus*, & increpuit in te, qui elegit Ierusalẽ, vt ipsa contereret caput tuũ, & semen impiorum, quod perit. Nam quantùm te extulisses Diabole nequam, & quantùm exultasses, si reuera etiam modico momento adeo excellentem prædam obtinuisses, ipsam Reginam, & campi Dominã!

Gen. 3.

Hæc dicturus fuisset serpens. Apo 12. Ioan. 8.

Scimus enim, saluo Rege, ac Regina, non- A dum esse hosti veram victoriam, ac triumphum. Captiuitas Regis illico prælium dirimit, & integram gloriam præbet victori. Reginam etiam teneri captiuam, turpe est Regi, & fermè dimidium habet hostis victoriæ, ac triumphi: sed certè nullum horum contigit hosti Diabolo. Saluus fuit Rex nobis, in quo nihil iuris vnquam habere potuit, sicut ipse expressit: *Venit Princeps mundi huius,* Iean.14 *& in me non habet quicquam.* Salua etiam fuit Regina, quæ ab eius hiatu, ac rugitu per ipsum Regẽ erepta est, ne illam posset contingere: quoniam ab ea superari ipse debebat. Esto igitur illa, vt decet, victrix, ac triumphatrix de illo nequã; nec demus maligno quod B nunquam fuit eius, ne superbus, & amator etiam falsæ gloriæ, etiam de hac falsa opinione insletur, quòd in potestate, quod horreo dicere, habuerit Matrem Dei, & primariam sponsam, & filiam primogenitam.

Tertiadecima persuasio à perfectione Regni spiritualis.

THeologorum est quasi dignitas. Ad sapientiam Dei pertinuisse, curare ne quis rerum gradus deesset vniuerso in creatione: Gen.2. propter quod scriptum est: *Vidit Deus vniuersa quæ fecit, & erant valde bona*: non autem valde bona fuissent, si vnus gradus rerum cogitabilis defuisset. Hoc argumento C consequimur, in rebus creatis esse naturam spiritualem, quoniam cum esset corporalis, & animalis, & rationalis, si hæc defuisset, scilicet purè spiritualis, profectò aliquid de perfectione decederet. Simile quid in modo productionis hominum videre licet. Prima viri productio fuit à solo Deo, sine viro, & muliere. Tunc ex viro tantùm producta est mulier. Cæteri ex viro mixtim, ac muliere. Quia ergo ad omnem modum procreationis implendum hoc deerat, vt aliquis ex muliere absque viro generaretur, ideo & hoc modo conuenienter prodijt Christus. Si igitur in ordine rerum naturalium, nequid perfectioni desit vniuersi, omnes rerum, & pro- D ductionum gradus inueniuntur, cur non similiter, & in ordine spiritualium, & redemptionis creaturarum, quam Deus operatus est per Christum, attẽde Lector, omnes, qui Catholici esse volunt, oportet fateri, Christum redemisse omnes, quoniam omnes merebamur æternam mortem, & Diaboli dominatum, etiam B. Virgo. Non debet autem esse cuiquam dubium, plures dari gradus redemptionis, inter quos minimus sit, & maximus. Minimus quidem redemptionis gradus ad eos pertinet, qui redempti sunt in merito tantũ Christi non sibi applicato, & ideo non in effectu, vt sunt infideles, siue negatiuè, siue priuatiuè. Propter quod Christus dicitur à B. Paulo Saluator omnium, & adiecit, *Maximè* 1. *Ti* 4. *fidelium.* Infidelium ergo aliquo modo Saluator: at quomodo nisi in merito tantum, quoniam applicari eis non valuit meritum, vt esset & cum effectu? Maximum ergo etiam *Nota.* oportuit esse redemptionis gradum, & salutis, & ad aliquem pertinere, qui nullo modo cum effectu permitteretur in captiuitatem, & casum incidere, vt sic deinde eriperetur, ac saluaretur. Quòd si iste gradus excogitatur, & non inuenitur in vllo, ipso effectu, iam videtur aliquid deesse perfectioni redemptionis: quoniam perfectissimus Redemptor modum redimendi perfectissimum erga neminem exercuit, quod ex iam dictis remaneat absurdum. Hoc enim dato, corpus Christi mysticum, mancum, & mutilum inueniretur, quoniam caruisset perfectissimo membro, quod perfectissimo redemptionis modo redemptum esset, & quod consequenter dignum esset contiguè aptari, & adiungi capiti, eò quòd nullo esset inquinamento fœdatum. Esset enim corpus istud, vt optima similitudine describamus, quasi corpus hominis, quod esset omni reliqua ex parte integrum, nisi quòd ceruice careret, & collo quod statim capiti annecteretur. Ergo vt hoc deuitemus absurdum, contemplare obsecro te pie Lector, hoc mysticum corpus, & in illo sapientiam excelsi. Ecce in primis Christus immaculatissimus, impollutissimus, nulli quouis modo peccato obnoxius, qui venit copulare sibi, & aptare Ecclesiam quasi sponsam, corpus suum, *non habentem maculam,* Ad Ephes. 5. *aut rugam,* aut quid huiusmodi: Et hic meritò caput est. Ecce post eum primum membrum MARIA, hanc dicimus ex suæ naturæ conditione, peccato obnoxiam, & ob hoc non omninò, & absolutè impollutam, sed talem, quæ debuit à pollutione præseruari, vt dignè posset immediatè aptare capiti. Hæc igitur esto collum, quod propter capitis attactum prima, & puriora gratiæ dona in se contraxit, atque excepit, vt inde quasi per aquæ ductum deriuaret in cætera membra: vt pulchrè, nec sine spiritu Dei. B. Bernardus Bernar. dixit: Decebat enim hoc primum post caput membrum, ita munditia nitere, vt etiam nudum existens, sui amabilem & iucundum præberet aspectum: vtpotè nullis indigens vestimentorum superiniectorum operimentis, sicut alia membra. Nam (vt Paulus ait) *Quanto membra sunt ignobiliora, tanto abundantiorem his honorem circundamus.* Post col- 1. Ad Corint. 12. lum verò sunt membra alia iuxta sua quælibet officia, vel digniora, vel minùs digna, siue iuxta mensuram gratiæ redundantis ex ipso capite per collum hoc, quæ non attinet sigillatim referre. Credibile enim est omninò, vt nihil desit, & in cæteris, quod ad corporis

poris complementum pertineat, idque perfectum, vt omnes bonitatis gradus, ac numeros, vnde pulchrum, & decorum resultat, ibi valeas, id est, in hoc Iesu Christi corpore quod est Ecclesia, contemplari. Quamobrem nihil est, quod quidam aiunt, respondentes ad hoc argumentum, quòd si sic est, quòd decuerit, qui perfectissimus erat Redemptor, vt etiam perfectissimo modo redimeret, quoniam & hoc ipse meruit, debuit hoc modo, vel omnes, vel certè plures saluare, scilicet præseruando. Non enim attendunt, quòd si omnes illo modo saluarentur, non esset perfectio in corpore: quia non essent infimiores gradus redemptionis, sicut esse oporteret. Neque considerant, quòd gradus eminentissimi non admittunt plures: quia quò altiùs tendimus, tantò in vnum magis constringimur. Quod vt à corpore nostro velut exemplo. (Nam hoc accipit Paulus ad declarandum) res euidêtior fiat, sicut vnum caput est in corpore, ita & collum vnum, capiti ipsi contiguum, non plura. Non enim decebat plura esse, in quæ maxima munera deriuarent à capite: nec decebat nullum esse, sed satis fuit vnum esse, videlicet hoc superuenerabile collum. Sicut & in cœlorum ornatu, non plures soles, sed vnus Sol: non plures Lunæ, sed vna Luna. Et per hoc duo tantùm luminaria magna, nec tamen æqualia inter se, quibus meritò assimilantur Christus, & Virgo Domina: ille Sol, illa Luna: stellæ autem, id est, clari viri, & sanctitate conspicui, pene innumerabiles, qui tamen & inter se inuicem differũt, sicut & Paulus ait, *stella à stella differt in claritate*. Exigitur ergo ad corporis pulchritudinem, adesse omnes bonitatis gradus: nec tamen decet quouis gradu bonitatis omnes, aut plures participare: Excellentia enim gradus non admittit plures. Si enim B. Virgo in eodem gradu cum alijs consisteret, vbi præeminentia maternitatis? Et quomodo diceretur (*vnica*) vt scripturæ vocant? Et quomodo compararetur Lunæ, quæ tantùm vna est in cœlo? sit ergo suus gradus, & honor singulariter Christo, quasi capiti: sit & suus, qui huic primò propinquissimè accedat B. Virgini, quasi collo. Post hos liceat in eodem plures consistere, vt recta ratio, & corporis eulchritudo requirit. Nam & quod B. Aug. ait, mirè ad rem propositam seruit, vt horum argumentum dissoluamus. Ait enim quodam in loco. Quidquid vera ratione meliùs occurrerit, scias Deum fecisse, tanquam bonorum omnium conditorem. Non est autem vera ratio, sed inuida infirmitas, cum aliquid meliùs faciendum cogitaueris, iam nihil aliud inferius velle: tanquam si perspecto cœlo nolles terram esse, iniquè omnino, rectè enim reprehenderes, si prætermisso cœlo, terram factam videres: quoniam ita diceres, etiam debuisse fieri cœlum, sicut cogitare posses. Hæc Augustinus. Quare & in hac doctrina similiter & nos dicimus. Infirma est ratio, quæ huius Lunæ pulchritudine inspecta, etiam esse plures Lunas desideret: & viso splendore colli, etiam plura colla velit annectere vni capiti, quo certè pacto resultaret monstrum. *Omnia autem in pondere, & numero, & mensura constituisti.* Sap. 12.

Nota cõtra communem euasionem.

Aug. vera sentẽtia lib. de libe. arb.

A

B

C

D

1. Co. 15

Cant. 6.

Quartadecima persuasio ab exemplato, quod apparet in generationibus hominum secundum carnem.

PVlchra alia consequenter superiori cognata accedit, & quidem vehemens persuasio capienti. Non enim est dubium in rebus creatis inueniri vestigia quædam, & similitudines æternorum. Vnde & sempiterna virtus, & diuinitas etiam summæ, & ineffabilis Trinitatis ex rebus creatis aliquo modo cõspici potest, ac suaderi, eo quòd in his, & vestigia quædam, & similitudines inueniuntur, vt sancti Theologi docuere. Nec latere potest etiam, quæ terrestria sunt, cœlestium *exẽplar* habere. Vnde & Ecclesiastica hierarchia (vt dictum est Moysi, & Dionisius declarauit) ad exemplum cœlestis instituta est. Quo circà te obsecro bone Lector, considera tres generationis modos in hominibus, vt ex his quasi ex figura quadam, conuenientissimè spiritualis generationis modos eruas, & coniectes. Ecce primus, ac nobilissimus modus, qui à Deo fuit immediatè absq; viro & muliere, vnde prodijt Adã ex terra. Agnosce ergo in hoc primã spiritus generationẽ, scilicet Christum ex MARIA: quoniam non *carnalis* hæc, & secundùm naturæ nostræ legem fuit, cui se admiscuit singulariter spiritus, vt non *terrenus*, sed cœlestis, & spiritualis partus, secundus homo noster nasceretur, qui nõ opus habuit renasci, quando sua vi generationis, quæ secundùm carnem fuit, illicò spiritualis fuerit: quod nulli mortalium eõtigit. Propter quod ipse aiebat. Ego à Deo processi, & veni. Ioan. Baptista de eo ait: *Qui de sursum venit, super omnes est. Qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur: Qui de cœlo venit, super omnes est.* Habes igitur primam generationem spiritualem Christi, qui statim suapte natura sanctus fuit, vt nõ opus ei fuerit renasci: Et conspicitur in Adam velut in Typo, qui secundùm carnẽ à Deo venit immediatè. Accipe nunc secundam generationis modum Euæ: Et hìc etiam ante peccatũ, & à Deo, sed non sine viro: etenim de costa viri, in soporem coniecti, ædificata est post virum mulier in innocentia. Hìc quæso aperi oculos, bone Lector, & agnosce hanc secũdam spiritualem generationẽ Virginis,

Exo. 25

1. Co. 15

Ioan. 8.

Ioan. 3.

Nota.

quam profitemur, quæ ex Christo fuit, non à semetipsa, & vi propriæ natiuitatis. Et tamen in innocentia sicut ille, & ex costa eius, id est, ex fortitudine, & potentia gratiæ, qua valuit apud patrem, vt inde educi posset adiutorium simile sibi, id est, innocentissimum pro aliorum regeneratione. Et quàm pulchrè tunc educta est, quum in soporem coniectus est vir ille! vt intelligas etiam Virgini opus fuisse Christi cruce, vt ex eius latere, isto modo illibatissima educeretur. Tunc enim Dominus quasi in soporem coniectus est, quando velut nihil sentiens, & nullam sui ipsius rationem habens, passus est opprobrium crucis, sed magno Dei consilio, vt inde primùm hæc Eua nostra prodiret viro similis, vt omnium verè viuentium mater fieret. Tunc enim, vt B. Augustin. mirè quodam in loco dixit, hora illa venit, quando matrem summo amore, & honore respexit, scilicet cùm pendere cœpit in cruce illa Dei caro, cuius ipsa mater erat. Tunc verè prodijt mulier, vt & alios cum viro generare Deo posset, sicut illa Eua genauit carni. Propter quod & illam mysterij huius vocem audiuit stans iuxta crucem: *Mulier, ecce filius tuus.* Vnde virago verissimè hæc dici potest, *quia de viro sumpta est*, & per virum fortis, & cum illo: quoniam ante omne peccatum educta est ipsa sola de costa, cæteri omnes qui secundùm carnem nati sunt, post peccatum nati sunt, & parentes peccatores habuerunt: sola Eua habuit parentem suum Adam nondum peccatorem, à quo educta est, ita Christus illi soli nõ fuit peccator, quam ab omni peccato præseruauit: Nec pro illa, vt peccatrice, deprecatus est, sed ne fieret peccatrix, ideo nec est captus in templo. Audisti, bone Lector, secũdam, & admirabilem spiritualem generationem, & specialem Beatæ Virginis. Accipe tertium modum carnalis generationis, qui communis est cæteris omnibus, quos oportuit ex matre, & fœmina modo naturali prodire, qui & post iam parentum delictum orti sumus. Hic modus sine priuilegio est: Et in hoc agnosce tertium modum spiritualis generationis, quæ communis est cæteris omnibus: quia iam patrato peccato est, & ita morte consecuta. Vnde hæc generatio ex vtroque est, id est ex viro, & muliere, Christo, & MARIA, qui ambo licèt fuerint innocentissimi (quanquam MARIA per ipsum Christum talis fuerit) tamen super seipsos peccata nostra reijcientes, meruerunt nobis propter suas pœnas salutẽ. Primò tamen, & principaliter Christus, vt vir. Deinde quasi mulier, Virgo ipsa, ipsa inquam Virgo benedicta, quæ (obsecro) dignetur, sicut hæc verissima esse videt, ita in cordibus suorum insculpere, & illis merita sua participare, qui illam, & eius gloriam diligunt, & illam verè Euam, id est, veram matrem viuentium cõfitentur, venturamque sponsam cum sponso suo ad iudicandum expectant, quibus honor, & gloria in secula sempiterna, Amen.

Aug. super Io. 2

Ioã. 19. Gen. 2.

A

B

C

D

Sextadecima persuasio à pietate.

POstrema hæc sit tandem persuasio, quòd hæc sententia, & veritas, ipsa pietate impulsa est in mentes hominum, pietate creuit, pietate roborata est. Quòd si mentiri contradicentes sibi ipsis non velint, non possunt inficiari: nec enim huius expertes sunt pietatis, si velint secludere passiones. Nam etsi dubium casum proponeremus, cùm tractatur de innocentia, & peccato, profectò ipsa pietas pro innocentia cogit iudicem pronunciare, vt etiam dicant iura, Sanctius esse nocentem dimittere, quàm innocentem condemnare. Quum etiam causa matris proponitur, & gaudium de hæreditate filij, quanta, bone Deus, hac suadente pietate dederunt ei humana iura, etiam contra communem iurium dispositionem, ne mater luctuosa, hæreditate priuaretur? Si igitur ipsa vera est mater Christi, cur filij sui hæreditate, prima non potiatur cum priuilegio etiam contra commune ius? Si est etiam mater nostra, cur hoc matri non concedimus, quod extorquet pro illa pietas? At orta est ex peccatoribus, fatemur. Ergo debuit peccato subdi, etiam fatemur: sed hoc habet rigor iuris. Nos autem contra arguimus. Mater fuit innocentiæ, mater vitæ omnium, per quam omnia vitam habent, hæc scio, fateris. At cur non etiam fateris, quòd hinc certa oritur æquitas, vt non debuerit subiacere peccato? An quæso, plus potuerit parentum vitium in filiam, quàm filij & innocentia, & benignitas erga matrem? Quòd si illud postulat rigor, hoc autem suadeat æquitas, quid hic (obsecro) agat iudex æquus, ac pius? Sequetur ne rigorem, an potiùs æquitatem? Hem homines, si modò etiam homines sumus, nonne æquitas in iudicio apud homines, rigori præponitur, ipsa pietate maximè suadente? Certè hoc habent humanæ leges, & ideo in peccato hoc, quod aliena culpa contrahimus, magis filius ille considerari debet respectu Virginis, quem illa genuit, vt absoluatur per eum, qui potuit, quàm parentes à quibus est genita, vt per eos damnetur; Hoc enim oculi rigorem inspicientes considerãt: illud verò oculi æquitatem intuentes probant. In Psalmis enim legitur. *Oculi tui videant æquitates*, & iterum: *Æquitatem vidit vultus eius*: ideo illud potiùs vidit Dominus, & nos etiam considerare vult. Hos enim oculos dedit Ecclesiæ, quibus hoc priuilegium ipsa vidit, & veneratur. Quod ad hunc locum pietatis pertinet, audiui quosdam ex contradicentibus fateri, hanc sententiam, quam

Hæc norunt Iurisconsulti.

Nota & pone duritiam, ô homo si homo es.

Psal. 16

Psal. 10

quam probamus, piam esse: at suam ipsorum esse solidiorem, vt quæ certioribus fundamentis nitatur. Quasi vero non sit illa fundatissima opinio, quæ pietatis fundamentis nitatur. Sed tales sunt nonnulli, qui pietatem à veritate separant, vt quod verè est ex pietate, non sit etiam ex veritate recipiendum. Quo quid absurdius? Sunt & quædam alia, quæ aduersùs hanc pietatem quidam respondent: sed quoniam non piè dicuntur, & alio opusculo confutata sunt, hic finem persuasioni faciam, quantum ex rationibus colligi potest. Superest ergo, vt pro hac veritate testimonia scripturarum inducantur.

De plurimis scripturarum locis, vbi gloriosæ hoc Virginis priuilegium, facilè licet, non lippis oculis, intueri.

ETsi sciam scripturarum intellectum non esse omnium, neque ibi vllum mysterium ita reseratum esse, vt non valeat proteruia, & pertinacia, per ineptas, & importunas glosas obscurari; non committam tamen (propter eos, qui benignè capere voluerint) vt silentio per me inuoluantur plurima loca, vnde mirificè, atque eleganter hæc Dominæ prærogatiua eruitur.

Consideret ergo primùm scripturarum scrutator elegans, quòd post peccatum, antequam Adæ, aut Euæ pœnas inferret Deus, *Gen. 3.* confestim in serpentem iudicium protulit, & constituit mulierem, id est, B. Virginem (vt Hieronymus, & Bernardus rectè exponunt) campi dominam ad debellandum illũ: Deinde protulit sententiam in peccatores. Id autem quare? nisi vt colligeremus, quòd illa seruata est à peccato, & à Diabolo, quæ tanquam libera statim præficitur belli ductrix aduersùs victorem. Si enim ab eo victa fuisset, qua iustitia in victorem erigeretur, à quo priùs nõ cetneretur erepta? Non est hoc tenuis cõsiderationis. Nam B. Paulus sic probat, *Abraham iustificatum ex fide in præputio*, & non in circunciſione; quia scriptura priùs illi iustificationem concedit, quàm narraret circunciſum. Adiuuat & hanc veritatem, quod iam diximus, quòd ea solùm terra subiacuit maledicto, quæ opera hominis excoleretur. At MARIA Dei opera, nimirum Spiritus Sancti, exculta fuit: vnde singulariter de illa scriptum est: Benedixisti Domine terram tuam.

Ad Roman. 4.

Quærebat Salomon mulierẽ fortem, aiẽs, *Pro. 31.* *mulierem fortem quis inueniet?* ac si rem inuentu difficilem proponeret, non tamen impossibilem; nam statim nobis eam reddit, ac representat, dicens: *Procul*, & *de vltimis finibus precium eius*, quid hoc est, nisi mysterium, quod probamus? quia enim vir, & mulier sua imbecillitate humanum genus perdiderat, & antidotum desiderabatur congruũ, vt similiter vir, & mulier fortes instaurarent: vir autem idoneus, & fortis in promptu esset, qui erat Christus; sola autem mulier deficere videretur ad hoc opus idonea, tanquã omnes corruissent cum prima. Respondet, Aleph, id est doctrina docens, quòd & ipsa mulier adest, & fortis quidem, quia redempta meliore modo, vt nunquam rueret: ideo ait, procul & de vltimis finib⁹ preciũ eius, ac si dixerit. Non communi modo, & precio redempta, & vulgari cæterorum charitate, sed de supremo charitatis gradu, de vltimo precij valore: procul à communi, id est, de fortissima eius costa, vt potè vnica, & terribilis virago, vt propterea idonea redderetur ad tantum opus. Quare Beth, sequitur: *Confidit in ea cor viri sui, & spolijs non indigebit.* Beth autem, domum significat. Hæc est Ecclesia Dei, vt exponit Paulus ad Timot, Hæc igitur Ecclesia iam per Aleph, id est, per doctrinam Christi, & Apostolicam instructa; dicit, quòd cor viri sui, id est, Christus, *confidit in ea*, tanquam in forti, & viragine ad sustinendum prælia: & quòd *spolijs non indigebit.* Memento primorum hominum, qui inuenerunt se nudos, & erubuerunt, ideo spolijs indiguerunt, quæ fecit eis Dominus, & quidẽ pellicea, vt peccati mortificationem intelligeres; sed non talibus ista indiguit, quæ seruata fuit ab omni pudore, & peccato, & fœda nuditate. Sunt verò multa in hoc symbolo, quæ mirabiliter hoc priuilegium spectãt, quæ enarrare longum esset, satis est innuisse sapienti.

1. Ad Timoth. 3.

Gen. 3.

Ipsamet in Canticis de se loquitur, & non est sola, nam filius idem probat, quod illa inquit. Ait autem illa. Nigra sum, sed formosa filiæ Ierusalem: ac si expressiùs dixerit. Nolite putare, quia nigra sim, scilicet vndecumq; vallata pœnis, atque doloribus, minùs ideo me esse formosam coram sponso. Verè enim nigra sum, sicut tabernacula Cedar, id est, sicut quilibet viator in terris, quem tetigere culpa, & pœnæ peccati: & sicut pelles Salomonis, id est, sicut humanitas viri Regis pacifici, in qua probatus est vir dolorum, & sentiens infirmitatem. Nolite tamen cõsiderare quòd fusca sim, id est, nolite in me quærere, quasi nigredinis causam, vllam meam culpã: quia decolorauit me Sol. Ipse Sol iustitiæ, cuius summæ charitatis radios in me reflexos perpessa sum, mutauit mihi colorem optimum, vt & ego à vobis tanquam peccatrix iudicer: sed fallimini, quia verè formosa sum. Nigra tamẽ, quia non decebat, obscurato sole, splendere Lunam.

Audisti sponsam, nunc sponsum audi, ne putes, illam esse solam, ipse ait: Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Quænã

sunt

sunt spinæ, nisi quicunque ex Adam propagati sunt, subiecti peccato, & erroribus? illa ergo singularis amica sponsi, quia nunquã peccato, & errori subiacuit, ideo velut lilium, & viola, & rosa odorifera suo Salomoni inter filias, id est, dilectas animas, Deo seruata est. Nec verò est aliud, quod de illa canit Eccles. Sicut spina rosam, genuit Iudea MARIAM. Quare, & ipsa par pari referens, de sponso testatur: Sicut malus inter ligna siluarum, sic dilectus meus inter filios. Malus est dulcis arbor, atque domestica, cui Christus assimilatur, quoniam Patri semper charissimus, sicut voce à magnifica gloria delapsa, auditum est: Hic est filius meus charissimus, ipsum audite. Ligna verò siluarum omnes nos eramus, & sumus natura ipsa, quoniam agrestes omnes, & infructuosi, cibus ferarum meritissimus propter peccatum, donec in hanc dulcissimam arborem iterum inseramur, quæ Christus est, per fidem, & Sacramentum: Natura enim à terra maledicta omnes procedimus: quæ quàm latissime patent. Nec aliud sibi vult illa toties repetita, collaudataque à sponso singularis sponsæ huius pulchritudo, & omnis maculæ pernegatio in illa: immò (quod magis est considerandum) inuicem sibi hæc tributa. Sponsus enim ait: *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es*, & iterum: *Ecce tu pulchra es socia mea: Ecce tu pulchra es*: & iterum: *Pulchra es amica mea, suauis & decora.* Contra autem sponsa: *Ecce tu pulcher es dilecte mi, ecce tu pulcher.* Et rursum: *Dilectus meus candidus, & rubicundus, dilectus ex millibus.* Et ille: *Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta concubinæ, adolescentularum non est numerus, vna est columba mea, perfecta mea, vna est matri suæ electa genitrici suæ.* Quid hęc aliud significare congruentiùs valent, quàm hanc istam vnam electam ex millibus, sicut ille vnus dilectus ex millibus? vt esset columba sine vllo amaritudinis peccati felle, sed puritatis candore spectabilis, & vt esset perfecta omni gratia, in omni tempore, ob perfectam innocentiam, vt electa dignè esset matri suæ, & genitrici Euæ, vt sit mater omninò nocens, à filia omninò innocente, congruentissimè subleuaretur? Talem viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicauerunt, Reginæ & concubinæ, id est, quæ iam versabantur in cœli templis, & aiebant: Quæ est ista, quæ progreditur, aut quæ sursum respicit? (vt quidam interpretantur.) Mirabantur quomodo hæc sola progrederetur, aut sursum respiceret, cùm cæteri omnes retrorsum irent, & declinassent, & simul facti inutiles essent. Nam hanc velut auroram solis aduectricem, atque prænunciam, exceptam à communi illa sententia, sic exprimebant, quam & pulchram, vt Lunam, & electam, vt Solem subiũgunt, id est, vt Christus electus fuit ex millibus aduersùs peccatum, & ad saluandum, sic & illam esse electam quam meritò, non alium sensum respiciens sancta sanctorum præelectam, Ecclesiarum ore vocat. Quid est insuper illud, quod ait sponsus in illam: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te?* Oportet enim (teste Christo) impleri Scripturas. At quomodo implebitur Scriptura hæc, ni saltem hanc Virginem confiteamur, beneficio tamen Christi, vndique pulchram, ac semper immaculatã? Quid est illud: Hortus conclusus, fons signatus? Quomodo conclusus hortus, si hunc serpentis virus adusit? Quomodo fons signatus, si malignus de illo potauit? Quid est illud, quod sapientia dixit: Nõ se habitaturam in corpore subdito peccatis? Quomodo hoc satis verùm esset, si subdita aliquando MARIA fuisset, cuius vterum diuina ipsa *sapientia* inhabitauit?

Cant. 4.

Cant. 6.

Cant. 4.

Sapi. 1.

Venio ad noui testamenti Scripturas: diximus apud Matthæum, cum Christi generatio verè declaratur, sola Virgo inuenitur, & Christus, nihil de matris genealogia affert Scriptura: quod tamen maximè opportunum videbatur oculis carnis. Sed non sic spiritualis iudicat, sed quasi sine patre, & sine matre, & sine genealogia esset Beata Virgo, solùm mater Christi describitur, quasi à cæteris peccatoribus segregata in gratiam benedicti filij. Vocauit Angelus illam solemni salutatione, gratia plenam: Græca vox κεχαριτωμένη significat singulariter gratiosam. Adiecit: Dominus tecum: quæ verba in eminenti sensu, quem accipere debeamus, vt potè à magno Angelo prolata, hanc Dominæ prærogatiuam significant. Addidit benedicta tu inter mulieres, & hoc etiam magis declarat. Nam quomodo inter mulieres benedicta fuisset, si cum cæteris communi maledictioni subiecta aliquando concederetur? Et benè adiecit cognata, & benedictus fructus ventris tui: quod eleganter exponit Theophilactus, accipiens: Et pro quia, quasi dicens, ideo tu benedicta, quia fructus ventris tui benedictus: non enim ex te benedictio ista tam singularis, sed à filio tuo. Quod & Bernardus egregiè expressit.

Matt. 1.

Ad hæc, iubebantur purgari puerperæ per legem, ad expiationem originalis peccati, vt declarat Beatus Thomas. At hæc purgatio ex lege non pertinuit ad Virginem, quia lex dicebat, *Mulier, quæ suscepto semine, &c.* At Beata Virgo nullo suscepto semine concepit, ideo nec ad illam pertinuit peccatum, ad quam non spectauit legitima peccati expiatio. Denique nunquid Paulus Christum segregatum *à peccatoribus* sine huius rei intuitu vocat? Quomodo enim verè à peccatoribus segregatus fuisset, si MARIA mater, cum qua cõiunctus fuit quàm arctissimè, cu-

Luc. 3. Leu. 12.

Pæb. 7.

Nota,

cuiuis peccato fuit subdita? cogita lector hęc, & remoue sectarum affectiones à corde, & facilè persuadeberis, nisi cautex sis, & truncus.

Sunt autem & innumerabiles in Scriptu ris figuræ, vbi hoc priuilegij licet non lippis
Gene. 1. oculis, fideliter agnoscere. Respice ergo primum ad limum illum terręe, vnde primus Adã formatus est. Ille certè, & Virgo ante omne peccatum, & omnis expers maledictionis, solius Dei digito tractatus est, vt inde primus homo prodiret. Nonne in hoc facilè Virginem nostram agnoscis ab omni maledicto seruatam? vt sic digna esset, vnde, secundus Adam à Spiritu sancto constitueretur. Neque verò hoc meum esse commentum puta Lector: Beati enim Andreæ Apostoli, doctrina est hæc, vt in eius historia clarè patet. Ambrosius idem dicit, & alij multi.

Respice deinde Paradisum plantatum à Deo ab initio ad orientem, vbi plantatum
Gene. 2. est & *lignum vitæ*, vnde, & *quatuor flumina* emanabant. Quid in hoc Paradiso respicias potiùs quàm Virginem hanc, quæ ante omnem creaturam præparata à Deo, plantata-
Zach. 6. que ad orientem Christum (*ipse est enim oriens*) nescivit occasum? in cuius medio, id est & corde, & vtero plantatum est ipsum vitæ lignum, quod illa mente concepit, ac ventre, vt sic nunquam ab ipsa vita excideret. Emanarunt autem inde & quatuor Euã gelistarum flumina, quorum felicibus aquis irrigata, virtutum omnium fructus iucundissimos reddidit. Ab hoc autem Paradiso extruditur prævaricator Adam, cum socia sua. Non enim quę delicti prorsus est expers propter vitę lignum, vllum poterat cum peccato
Gene. 3. ribus habere conuictum: quam & *Cherub*, cum *gladio versatili* custodiuit, ne quis malus posset eius maceriam dissipare.

Agnosce in hac maximè, bone Lector, magnum illud Sacramentum. Hæc est enim vera Eua, illa virago, illa nondum nocens de nondum nocentis Adæ costa sumpta in so porem coniecti, pulcherrima mulierum, os fortissimum est ossibus eius: propter quam verè ipse homo Christus reliquit & patrem D suum carnalem Adam, & Euam matrem, quia illorum casum permittens, huic vni singulariter adhæsit, vt in ea tandem reliqua omnis Ecclesia colligeretur, & reuiuiscere
Eph. 5. posset: & verum fieret *Sacramentum magnũ hoc*, (vt ait Paulus,) *in Christo, & Ecclesia*, vt sit ipsa verè mater omnium viuentium: nam illa potiùs omnium morientium mater fuit.

Respice & ad Rebeccam, ad quam seruus
Gen. 24. Abrahæ ille vnus de senioribus mittitur in terram Bathuel, vt accipiat illam *filio suo Isaac*, cui nulla de filiabus Cananeis copulanda erat. In Abraham Deum Patrem omnipotentem, verè patrem multarum gentium,

A considera. In Isaac dilectum eius filiũ Iesum Christum verum patris risum, & omnium nostrum. In seruo illo de senioribus, nobi- *Luc.* 1.
lissimum illum Gabrielem Archangelum, vnum ex septem, qui assistunt ante Dominum, agnosce. Hic mandato Summi Patris mittitur ad terrã Bathuel propinqui Abrahę id est, ad terram impollutam, immaculatam seruatam à Cananeo, id est, Diabolo negociatore omnium nostrum. Terram denique castam Deo, ita enim Bathuel interpretatur, virgo Dei, aut castitas, vel castus Deo. In hac terra Rebecca est, anima illa benedicta huius Virginis, & ipsa Virgo incognita viro. Ipsa locus pinguis, vbi omnia animalia, qui
B sumus nos, saginantur, farciuntur (hoc enim Rebecca significat) hæc Gabrieli occurrit primùm, quæ Sanctis illis meditationibus, ac desiderijs mysterium cogitabat, & flagitabat: quando illam Gabriel de repente adoritur salutans, & nonnihil aspectu conturbans, vt sanctam, vt pudicam, timoreque sancto plenam, cætera longum est explanare, facilè tamen, ex iam declaratis. Ecce quàm manifestè vides istam vnicam segregatam à Cananeis mulieribus, id est, quæ sub patre Diabolo, omnium nostrum negociatore, fuerunt vt sic digna fieret sponsa Isaac æterni risus, Patris omnipotentis.

Respice & *ad scalam Iacob* illam *stantem*, *Gen.* 28.
C tangentemque cœlum, cuius summitati Dominum innixum intuere, & expauesce, cognoscens hanc vnam stare, cùm ceciderimus omnes: Atque ideo stantem, quia *Do-* *Isa.* 66.
minus innixus illi. Huic enim soli datum est cœlum contingere, sedem ipsam Dei, sicut scriptum est, *Cœlum mihi sedes est*. Hæc est beatissima Christi humanitas, in qua Deus sibi verè cõplacuit, quiescens ab omni opere quod patrarat.

Respice & ad ardentem *rubum*, *& incom-* *Exod.* 3.
bustum, quem videns *Moses* obstupuit. Cur hic minus mentis, quàm corporis integritatem agnoscas, magno miraculo conseruatam à Deo in ipsa flamma peccati?

D Respice ad Hebræam mulierem, Moseos *matrem*, quæ licet in Ægypto, tamen libera *Exod.* 2.
semper legitur, nunquam sub Pharaone captiua, vt posset liberè nutrire filium, & impolluta rubrum mare transire.

Respice & *nubem* illam *leuem*, nubem *Psa.* 77.
diei, super quam *ascendit Dominus in Ægyptum*: & hic similiter agnosce Virginẽ, ideo nubem, quia & si orta de terra, eleuata tamen à terra desuper conspicitur: ideo leuem, quia nullo peccati pondere prægrauata: ideo diei, quia nunquam illa in tenebris, semper in luce fuit. Neque hoc meum commentum puta, sed Beati Hieronymi, & vt arbitror, in spiri- *Hier. super Psa.*
tu Dei loquentis.

Considera & terram illam, promissam

He-

Hebræis, *lacte & melle manante*. Nunquid A non hæc verè MARIA est, vnde Christus homo, & Deus manauit? Vide autem quanta de hac terra in Scripturis sanctis dicuntur, hæc (inquiunt) terra *super quam leuauit Dominus manum suam, vt daret eam Abraam, Isaac, & Iacob*, hæc terra fructifera, spectabilis, considerabilis, desiderabilis: *Terra* sancta, impolluta, super quam posuerat oculum suum Dominus, ne scilicet conterminaretur: *Terra* super aquas plantata, latissima, pinguissima, fortissima, egregia, præcipua inter omnes terras, vnde botrus ille dulcissimus, *quem duo viri*, id est, Propheçe, & Euangelistæ in vite. (Hic est Christus suspensus in Cruce) nobis pendulum portauerunt. Mitto B quod *virga* dicitur, vt Ambrosius ait, nunquam curuata, semper erecta, quod *Arca* Testamenti de lignis imputribilibus fabricata, ergo nescius corruptionem. Hæc est *Nazareth* ciuitas floris: Hæc *Betleem* ciuitas panis: Hæc *Sion*, arx Dauid, *Dei ciuitas* dicta: qua semper gloriosa dicuntur, quia fundauit eam altissimus. Quomodo ergo cõtaminatam, aut pollutam?

Exo. & Leu. & Nauar. locis.

Isai. 11.
Exo. 16

Psal. 85

Respice ad Iudith viduam, eleganti aspectu, decoramque nimis, cui vir amator eius plurimas reliquit opes: Nam illa hæres vniuersalis: Nonne hæc est pulcherrima Virgo, cui meritò dictum est: Multæ filiæ congregauerunt diuitas, tu supergressa es vniuersas? Sed audi egregium facinus: hæc sola secura, immò etiam tuta, cum cæteri clausi tenerentur in ciuitate per Holophernem valantem illam, & intercludentem omnem aquam vitæ, libera noctu egreditur, quia sola ipsa in nocte illa peccati, qua concluſi tenebamur omnes, libera fuit, vt sic valeat abscindere superbum caput, sicut scriptum erat: *Ipsa conteret caput tuum*: Quod & fecit: vnde & reuertens verba victoriæ protulit hæc. Viuit Dominus, quoniam custodiuit me Angelus eius, & hinc egredientem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem. O verba pinguissima: Mirantur quomodo sustentata sit à morte Iudith, cuius Dominus viuit, id est vita est: cui vult, seruare vitam potest. At cur isti soli seruata? Audi, custodiuit (inquit) me Angelus eius, hic nimirum est Angelus Testamenti, quem Deus ipse misit, vt saluum faceret mundum. Sed aduerte custodiæ substantiã: Et hinc (inquit) egredientem, id est, prodeuntẽ in hunc mundum de communi massa perditionis: & ibi commorantem, videlicet in mundo ipso, quo tempore Holophernis caput, id est superbiam Diaboli humilitate, ac verbo veritatis abscidit. Et huc reuertentem, id est, in terram de qua sumpta erat, vt sic videas, & in ortu suo primo, & in omni vita, & in morte seruatam ab Angelo suo, videlicet, & à communi peccati labe primùm, & à prõpria quãuis culpa, & ita à carnis corruptione, ne exiret in puluerem, vt erat generalis sententia. Verùm audi & quod sequitur: & non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari, sed sine pollutione peccati reuocauit me Dominus, gaudentem in victoria sua, in euasione mea, in liberatione vestra. O vera Iudith, quia tu verè laudans, & confitens Deo, qui fecit tibi magna, quia potens est. Quid ais non permisit me Dominus & cætera, nisi tanquãm apertè diceres: Nolite mirari hoc, quia Dominus est, qui potest omnia: hic est qui non permisit me inquinari peccato ancillam suã, quia scilicet summo modo præseruauit, ideo ego gauisa sũ in victoria sua: Ille enim vicit in me non ego, sed gratia Dei mecum, & Angeli custodis mei. Gauisa inquam sum, & exultauit spiritus meus in euasione mea, & liberatione vestra. Noto verbum, ò Sancta mulier, signo mysterium: tu singulariter euasisti præseruata, nos liberati sumus, scilicet communi liberatione. Nam quomodo poterat clariùs se à nobis separare, quàm dicens, se euasisse, nos liberatos esse, scilicet, vt summe liberatam eam intelligas, quæ mãsit in cæterorum captiuitate libera. Hoc etiam respexit Psaltes, cùm diceret: Auertisti captiuitatem Iacob, id est, Virginis, ne *Psa. 84.* captiua fieret, *Remisisti iniquitatem plebis* C *tuæ*, scilicet, quam cæteri omnes contraximus. O gloriosa Domina, gratias ago tibi quòd agnosco & scio, quòd omnia, quæ dixisti, vera sunt, verè mulier Sancta es, ora Deum pro nobis. Verè tu benedicta à Domino Deo tuo inter omnia tabernacula Iacob. Verè de te prædicauit Eunuchus, vna mulier Hebræa fecit confusionem in domo Regis Nabuchodonosor: Ecce Holophernes iacet in terra, & caput non est in illo. Vna mulier Hebræa (inquit) id est sola, & libera ad transeundum, & euadendum omnes insidias Diaboli, immo etiam ad inuadendum, & prosternendum superbum. Confusionem fecit in domo Regis Nabucodonosor, id est, in domo planctus, & angustiæ, quia D (vt dixerunt de te vniuersi) benedixit te Dominus in virtute sua, quia per te redegit inimicos ad nihilum. De qua & Ozias sacerdotum princeps: Benedicta (inquit) tu filia à Domino Deo excelso, præ omnibus mulieribus super terram. Benedictus Dominus, qui te direxit in vulnera capitis principis inimicorum nostrorum, quia nomen tuum hodie, ita magnificauit, vt non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerunt virtutis Domini in æternum, pro quibus non pepercisti animæ tuæ propter tribulationes, & angustiam generis tui, sed subueniſti ruinæ ante conspectum Dei nostri. Et dixit omnis populus, Amen, Amen. Quare & sacerdos Ioachin

Iudith, tractatur hist. Pro 31.

Considerabile pie Lector, & admirare.

Gen. 3.

Nota,

Confer hæc omnia cum Scriptura illa.

chin cum omnibus presbyteris, vna voce clamat: Tu gloria Hierusalem, tu lętitia Israel, tu honorificẽtia populi nostri, quia fecisti viriliter, & confirmatum est cor tuum, eò quòd castitatem amaueris, & post virum tuũ alterum nescieris: ideo manus Domini confirmauit te, & ideo eris benedicta in æternum. Et dixit omnis populus, Amen, Amen. Considera aurea verba hæc, & ipsam totam historiam homo fidelis, & passim hanc Virginis prærogatiuam perspicies. Aperui enim viam, sed vnum non tacebo, quod tamen exprimam cum dolore, propter fratres meos, quibus vehementer metuo, ò Domina, & oro ne tangat illos, quod adiecisti verbum durum. Væ genti insurgenti contra genus meum. Dominus enim omnipotens vindicabit in eis, in die iudicij visitabit illos: Dabit enim ignem, & vermes in carnes eorum, vt vrantur, & sentiant in sempiternum. Qui habet aures audiendi, audiat, quid Sancta vidua comminitetur malignis.

Not. pro deuotis, & cõtra indeuotos diuæ Virg.

Respice bone Lector & ad alteram mulierem formosissimam Hester, quæ repudiata Vasti ab Assuero rege, deligitur ad instaurationem nuptiarum, propter quam cunctis seruis, atque principibus, regale & nimis splendidum apparatur conuiuium, & data est requies vniuersis. Nonne in hac Hester, id est absconditа, & custodita, agnoscis MARIAM absconditam illam quidem, & seruatam ab omni Diaboli commixtione? quam Assuerus, id est, beatus, & beatificus, repudiata antiqua Eua, sibi deligit in primariam sponsam, cui nobile paratur conuiuium, vbi principes, & serui omnes, qui in Ecclesia continentur, accumbunt: hoc enim est Aensa Crucis. Hæc est illa Hester, quæ sola in conuiuio Aman, id est, pessimi Satanæ detestata, omnes eius delicias, id est pomi antiqui pulchritudinem, & suauitatem, abstinuit, ne coinquinaretur contagio. Hæc illa Hester, quæ in tanto Iudęorum discrimine, regias, quæ illa decebant, vestes deponẽs, lugubriaq; pro illis assumens vestimenta, cinere, ac cilicio sacratissimum suum caput obuoluit, aureos, atque ambrosios dissoluit, ac deturpat crines, & indignè lacerat, & replens miserabili planctu omnia, nullum capit de propria, certaque salute, ac felicitate solatium, sed supplex pro nobis adorans ait. Tu scis Domine necessitatem meam, quòd abominer signum superbiæ, & gloriæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, & detester illud quasi pannum menstruatæ, & non portem in diebus silentij mei, & quòd non comederim in mensa Aman, nec mihi placuerit conuiuium Regis, nec biberim vinum libaminum; & nunquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum vsque in præsentem diem, nisi in tę Domine Deus Abraham.

Tot. hæc hist. legitur in proprijs verbis in li. Hest.

Hæc Hester innocens pro nobis nocentibus orans, exorabat. Hæc illa Hester, quæ tertia die, regio perfulgens habitu, seque ipsam prę delitijs & corporis teneritudine non sustinens, ancillis comitata duabus, vt alteri quidem inniteretur: Altera verò pedissequa in humum defluentia vestimenta sustineret, sic ornata incedens, & roseo perfusa colore, sola fidens audet, cunctis prætergressis ostijs, atque custodijs, regium penetrare conclaue. Et sola ardentes Assueri oculos, & minacem vultum, plenumque furoris pectus sustinere potens, commune edictum, nequis atrium suæ maiestatis interius ingrederetur, antequam Rex ipse eleuatam virgam in signum clementiæ suæ ostenderet, capitalem pœnam singulari prærogatiua euasit. Hoc certè erat edictum illud, quòd, cum sese ab omnibus absconditisset iratus Rex ob antiquũ flagitium, in penetralia beatitudinis suæ, nulli hominum licet ante conspectum ipsius comparere, ni priùs virga illa sua, nimirũ humanitas, in signum clementiæ extenderetur in Cruce. Sed hæc Hester, non se nudam sentiens Dei gratia, sed prę omnibus charitate tuta, sacra que incedens, ac primæ innitens ancillę, quæ summa erat fiducia de sponso suo, & altera sustinente defluentia vestimenta, ne humi decciderent: Hæc erat humilitas suarum omnium custos virtutum: Sola ingredi audet penetralia Regis. Vnde hæc tibi obsecro tanta fiducia. O MARIA? En ipse Rex toto spiritu mansuetudinis in te conuersus, & effusus toto charitatis impetu de solio suæ maiestatis exiliens, te vnicam in suis vlnis cõplexus, sustentans ne caderes, alioqui proculdubio casura, dulciter tibi ô charissima blanditur, dicens: Quid habes Hester? Ego sum frater tuus: Noli metuere, non morieris, non enim pro te, sed pro hominibus, aut (vt alibi legitur) pro omnibus, hæc lex est constituta. Heus contradictores, hic vos appello, assistite coram Rege Assuero. Quid dicitis? Nempe quòd mortua est MARIA in Adam. Et Assuerus pronunciat illam liberã à morte: vos struitis syllogismos, & dicitis. Omnes homines in Adã mortui sunt, ergo & MARIA, quæ fuit homo. Sed audite Regium verbum, & inauditam sententiam. Pro omnibus (siue) pro hominibus constituta est hæc lex, sed non pro te Hester mea. Audite, quæ non discuntur in physicis, aut dialectis. Non est inter omnes, aut inter homines Regina, sed super omnes, & supra hominem: sicut dixit vterque Doctor, & Augustinus, & Hieronymus, supra quàm homo, & Virgo: gratia tamen, non natura: ideò indignum erat, vt computaretur Regina cum seruis: ideò illi soli dictum est. Accede & tange sceptrum, cuius contactu ipsa certè plenè, ac integrè saluata est.

De-

Denique si quietà mente respicis, Lector, Christũ in Syndone illa *munda* inuolutum, quam mercatus est Ioseph: vt sic nulli alteri mancipata vnquam officio intelligatur, sed solùm obuoluendo Christo designata: si etiã considerabis illum in horto, & sepulchro positum, illo quidem exciso nouo ex petra: & in quo nullus antea positus fuerat: certè in his duobus elegantibus typis considerabis Virgineum corpus terrenum, sed & cor illibatissimum. Corpus dico, quod velut mundissima Syndon nulli alteri mancipatum officio, circundedit virum. Cor autem, velut sepulchrum semper nouum, quod aliud recipere non potuit, nisi Christum suum, non Adam veterem terrenum, sed nouum cœlestem Iesum Christum, & hunc Crucifixum. Quòd si molestè insistant, quoniam MARIA de iure debuit contrahere hoc vitij cùm orta esset ex parentibus peccatoribus, aduocabo mihi Lucam testem contra molestos, Lector attende.

Ioan.19

Ier.31.

Nota,

Regnabat in mundo Cæsar, hic est Diabolus, qui de matris vtero (videlicet cœlesti Angelorum Ecclesia) cæso, excisus est, & venit inde in mundum, vt perderet illum. Quo expugnato, obtinuit Regnum, & auxit vehementer, & custodiebat illud, & omnia quæ possidebat, in *pace*: quando abundante peccato, & ita Regno Diaboli maximè vigente, vocatur vniuersus orbis ad descriptionem, vt profiteatur quilibet sub Cæsare isto, & Satana se capriuum. Quid hìc agat MARIA? Heus Lucas dic nobis, testis verax. Ascendit (inquit Lucas) Ioseph à Galilea in Iudæam Ciuitatem, quæ vocatur Betleem, vt profitereter cum MARIA desponsata sibi vxore pregnante. Hem hinc iam debitum agnoscit Ioseph, & suum, & Virginis: Quid ergo, professa est MARIA debitum hoc sub Cæsare? Absit, vocatur quidem & illa, vtpotè, quæ huic debito subdebatur, ni alia parte excusaretur? Quid ergo citationi respondeat? Nimirum: Alio negocio magno impedita est, quo maximè excusatur. Quonam, rogo? Audi Lucam, qui habes aures: Cùm essent ibi (inquit Lucas) impleti sunt dies, vt pareret, & peperit filium suum primogenitum, & inuoluit pannis, & reclinauit in Præsepio. Et sic legitimè impedita est eius descriptio: Non enim passus est Iesus describi sub Cæsare Augusto matrem suam, quæ ipsum Augustissimum verè mundi principem peperit. Considera Lector: Pone si quem habes affectum, & dabit tibi Deus in omnibus intellectum, Amen.

Luc.2.

(***)

A DE CONSVMMATA GLORIA solius Christi, ac diuæ Virginis.

LIBER VNVS.

QVòd Iesus Christus tertia die resurrexerit resurrectione perfecta, & glorioſa, articulus est, & summa quodammodo fidei nostræ, & in scripturis explicitissimè traditum. Quòd autem similiter, & ipsa Virgo resurrexerit glorioſa, quidam de serpentis semine negant, quidam verò quasi prudentes, & qui sibi ab eo verbo metuunt: *Qui citò credit, leuis est corde*, fatenturse dubitare. Quòd si accidisset antequam sacrosancta Ecclesia hoc diuę Virginis priuilegium tot annorum curriculis, ac tanta solemnitate celebrasset, & priusquam glorioſi Doctores in hanc sententiam absque dubitatione tandem conuenissent, certè venia digni essent, etsi fortè non laude. At postquam Ecclesia in festo Assumptionis eius hanc fidem profitetur, vt declarabimus, & in eam Catholici Doctores, ac religioſæ mentes magno consensu concurrunt, perfidi animi, ac maligni esse puto resistere, ac valdè duri non consentire. Nos autem Deo gratias agimus, quòd horum, siue perfidia, siue durities cordis, nos excitat in meditationes, ad elucidandas huiusmodi veritates. Quamobrem duo hac disputatione conabor euincere: scilicet non solùm eam Virginem ea felicitate integræ Resurrectionis potiri, verùm etiam ipsam solam inter natos mulierum tanto priuilegio gaudere. Et circa primum, ea primò proponam breuiter, quæ huic veritati prima facie obstare videntur, vt ijs resolutis faciliùs ipsa pateat.

Ecel.19

Primùm igitur mouere aliquos potest, quòd hoc in Scripturis non videtur haberi: temerè autem aiunt asseri, quòd non accipitur inde. Deinde quòd Scripturę potiùs oppositam partem suadent: Tum quòd est sententia Domini generalis in omnes: *Puluis es, & in puluerem reuerteris*. Tum verò, quod de Christo singulariter dicitur: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*: nam ille solus est, cui substantialiter conuenit iuxta verbum Angeli: Quod ex te nascetur sanctum. Si autem quod Christi est, etiam Virgini tribuatur, iam videtur non esse aliud, quàm illam æquare velle Christo. Quod hæretici mirifica pietate perculsi, vt rem indignam, atque præposterani deplorant. Adijcitur & Hieronymi grauis auctoritas, qui non ausus (vt aiunt) hanc rem asserere, illam sub dubio maluit, quasi non satis compertam, atque probatam relinquere.

Gen.3.

Psa.15.

Hæc sunt, quæ contra hanc sententiam possunt occurrere: Nos igitur ijs obuiam euntes vt destruamus, ad primum sic respondemus,

iam

iam notum esse hæreticorum argumentum, qui nihil rationi, nihil auctoritati Doctorũ, nisi pro se fortè afferant, nihil Ecclesiæ consuetudini, & sensui tribuunt: sed illud solum recipiendum iactitant, quod euidenter, & expressè in Scripturis habetur. Et cum hoc, nihil quicquam fatentur expressum, nisi quod eis videatur expressum. Quòd si hac tam arcta regula constringimur, iam non licebit credere, & asserere Christum post Resurrectionem suam matri suæ apparuisse, nec illam vnquam illum adorasse, nec suis lactasse mammis, & fouisse sinu: & alia illi materna munera exhibuisse. Nam hęc ipsa insani quidam hæreticorum, cum essem Tholosæ, negabant. Verùm audi, acute Lector: Si nihil est asserendum, quod non habetur in Scripturis expressum, certè neque hoc ipsum dictum est asserendum (videlicet) nihil esse asserendum, quod non habetur in Scripturis expressum, cum id in Scripturis non sit expressum. Rursum audi ò pie, Erasmus ait: Nec virginitatem perpetuam Beatæ MARIÆ, nec descensum Christi ad inferos, neque Spiritum Sanctum procedere à filio, immò nec ipsam naturarum vnionem in verbo expressè haberi in Scripturis. Si hæc vera sint, ergo nihil horum asserendum ex data regula. O scepticum hominem, ò verè Atheon. Sed dicet quis: Atqui habentur expressè in Scripturis, quæ negat Erasmus haberi: Equidem minimè dubito. Sed cùm id contenditur, an sit expressum quid in Scripturis, quis nos docebit? quis contentionem amouerit deciden do? Nam idem penitus, quibusdam auribus sat expressum est, quibusdam verò, quæ sunt crassiores non item. Ergo illud satis expressum in Scripturis censeri debet, quod ipsa Scriptura, vel apertè continet, vel ita porrigit, vt certò illud valeas argumento colligere. Verbi gratia: Habes à Scriptura, quòd Virgo erat Christi mater: habes ergo etiam consequenter, quòd illi materna exhibuit munera, quæ aliæ matres consueuerunt: Habes & quòd illam primùm visitauit Dominus post Resurrectionem, ne ingratus esset illi, & dolori eius eximio, qui velut gladius pertransiuit animam eius. Item dixit ei Angelus. *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei*. Ex hoc habes, quòd & illum statim cùm peperit, adorauit: ac simul habes, quòd Virgo fuit, & Virgo mansit: ne cogaris admittere rem infandam, & omni abominatione, & horrore dignam, & hortum benedictum, & cultui Spiritus sancti sepositum coluerit homo. Ad hæc satis expressum illud esse in Scripturis censendum est, quod ratio ipsa naturalis probat supposita fide. Item, quòd ipsa Ecclesia, cuius auctoritas in Scripturis ipsis probatur, cùm illa etiam Scripturas probet, & interpretetur. Nam Paulus,

Erasm. notatur

Luc. 1.

1. Co. 1.

A qui mandat mulierem *velato capite* ornare, & prophetare, vnde quæso illud accipit à Scripturis? vnde probat? Quo argumento claudit os contentioso? Nunquid non à mystica ratione primùm procedit, vt persuadeat literato? *Quoniam* (inquit) *caput mulieris est vir*. Nunquid non & ratione naturali id adiuuat, vt & suadeat illiteratis? subijciens. *Vos ipsi iudicate, decet mulierem non velatam orare Deum? nec ipsa natura docet vos*. Denique, quo argumento opprimit contentiosum? Audi. *Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesiæ Dei*. Sic & nos faciemus in hoc articulo: probabimus enim (pro qua disputamus) veritatem & à mysterijs Scripturarum, & à ratione naturali, denique & ab Ecclesiæ sensu, vt persuadeatur omnibus, & contentiosis ora claudantur. Sed priùs pergemus respondere obiectis.

B Non obstat igitur sententia illa generalis lata: Puluis es, & in puluerem reuerteris. Nam Beatã Virginem in pluribus exceptam fuisse ab illo maledicto antiquo (sicut Augustinus, & omnis Theologorum schola docuit) non est iam Christianus, qui ambigat, & nos quod ad hoc pertinet, alio libro de eius conceptione satisfecimus, vnde potuerit mutuari qui volet. Nam qui illud recipiunt, quòd pręseruata fuerit ab originali peccato,

C & id recipere consequenter debent, quòd seruata sit à carnis corruptione, quæ ex peccato descendit: & ita consequenter exaltatam in gloria incorruptam illam carnem. Similiter qui hoc recipiunt, quòd à corruptione illa caro seruata est (vt certè recipiunt, qui Thomam, & Augustinum, & communem Doctorum sententiam sequuntur,) & illud consequenter de præseruatione à peccato illo deberent recipere: nam hæc mutuò se consequuntur, quod quidam sentientes vtrumque negare incipiunt, planè indicantes, cuius sint seminis filij.

D Quod verò adijciunt de Christo singulariter esse dictum: *Non dabis sanctum tuũ videre corruptionem*, libenter recipimus, modò non segregetur à viro mulier, de quibus illud primùm intelligi oportet: *Erunt duo in carnem vnam*, vt quæ Christo iure suo debentur, ex priuilegio, extendantur in Virginem, sicut & alia multa, quæ sonare videntur de Christo, extensione etiam ad Virginem applicantur, vt illud: *Venit Princeps mundi huius, & in me non habet quicquam*. Item illud: adorent eum omnes Angeli Dei: Hoc enim, & in Virginem suo modo competit, quæ (vt confidenter canit Ecclesia) exaltata est super Choros Angelorum ad cœlestia Regna. Nec propterea, quòd hoc damus matri, filio derogamus, cùm potiùs illi arrogemus quæcunque priuilegia de Matre eis asse-

Gen. 2.

Ioan. 14

Hæbr. 1

asserimus, non suo ipsius iure, sed in gratiam filij sui ei damus. Et idcirco omnia filio, propter quem, & per quem sunt omnia, tribuimus. Et multùm interest, quæ habentur, habeantur ne ipso iure, an ex priuilegio data sint, & cuius gratia principaliter? quod & superiore tractatu monstrauimus.

In serm. de Assu. Quod verò de Hieronymo fertur, quòd ipse de hoc nostræ matris priuilegio dubitauerit, non est, vt putatur. Ille enim cùm istam quæstionem in suo sermone proponeret (videlicet, an Virgo ipsa perfecta gloria cum corpore potiretur?) & induceret quosdam, hoc illi asserentes, quoniam idem dilecto discipulo etiam dabant (videlicet) quòd ipse quoque esset cum corpore beatus: Respondit, hoc, quod de dilecto supponebant, non constare, dixit enim. Verum tamen quid horum verius censeatur, ambigimus. Melius tamen Deo totum committimus, cui nihil est impossibile, quàm aliquid temerè definire velimus auctoritate nostra, quod non probamus, sicut de his, qui cum Domino teste Euangelio surrexisse credimus, &c. hactenus Hieronymus nihil de Assumptione MARIÆ respondit, sed per occasionem de illius discipuli consummata gloria, quæ sumebatur in argumentum, ad probandam Virginis resurrectionem perfectam: Rectè ergo, & prudenter dixit de illo, censeri ambiguum, nec sua auctoritate velle definire, quod non probabat, sicut & de alijs, quos in morte Domini dicit Euangelista resurrexisse, nolens tamen omnino destruere illorum sententiam, suasit hoc Deo committendum esse, cui nihil impossibile. Ergo cum rem in ambiguo ponit, & non probari sibi fatetur, non de resurrectione Beatæ Virginis loquitur, sed Euangelistæ Ioannis, & illorum, qui sub Cruce Domini resurrexerunt. At cùm ad glorioſissimam Virginem venit, multò aliter loquutus est. Adiecit enim: Quod, quia Deo nihil est impossibile, nec nos de Beata Virgine factum abnuimus, quanquam propter cautelam salua fide, pio magis desiderio opinari oporteat, quàm inconsultè definire, quod sine periculo nescitur. Hæc ille: Ex quibus verbis non potest dici, quòd Hieronymus dubitauerit, qui ait, id potiùs esse opinandum pio desiderio, quàm inconsultè definiendum. Aliud est enim ambigere, & dubitare, aliud est opinari. Qui opinatur, alteram partem quæstionis eligit, cui hæret, & si non firmiter, qui verò ambigit, nullam. Itaque Hieronymus tantùm diffinitionem rei prohibet, non opinionem. Nam harum rerum definitio nullius est, nisi Ecclesiæ. Assertio verò potest esse scientium, ac plenè persuasorum, nisi fortè scandalum creent, cum res in Ecclesia non satis recepta fuerit, & explorata. At cum eo peruentum fuerit, vt in aliquam partem inclinet Ecclesia, quod sæpe indicat celebrando, vt nunc facit, ac tam diuturnè fecit, nō est censenda periculosa cuiusquam assertio, cùm tamen non cogimus quēquam auctoritati nostræ assentiri, sed magis Ecclesiæ spiritum sequentes commendemus veritatem. Nec enim, quia Hieronymi tempestate hoc non satis tractatum erat, ac idcirco non exploratum satis, ob eam causam sic esse, & sic manere perpetuò debet. Alioqui quanta nunc reuocarentur in dubium, si ad illa tempora rediremus, quando non erant, sic tractata, & sic definita? Et cum ita sit, plerique tamen sunt adeo simplices, vt ijs obiectis vehementer moueantur. Aiunt enim, dubitatum est aliquando, vt hinc sequatur. Ergo semper est dubitandum. Quod si recipimus, satis est ad euertendam vniuersam hanc. Cur autem non potiùs è contrario sic deputemus? Age, dubitauerit Hieronymus, demus hoc, licet reuera non dubitauit: non tamen dubitauit Augustinus, qui ne quidem potuisse se dubitare affirmat: non dubitauit Bernardus, non Thomas, & quicunque pij, sed omnes vnanimiter hoc priuilegium dederunt Virgini, idque exploratis profundiùs Scripturarum testimonijs, & validioribus argumentis. Neque verò propter historiam perturbandi sumus, quasi nihil aliud habeat, (vt aiunt) nisi quòd mortua est, & sepulta: nam hoc etiam habet, quòd vacuum postmodo sepulchrum illud apparuit, sicut illud filij sui. Ex quo in huius rei coniecturam venire licèt, quòd sacratissimum corpus illud (vtpotè Templum Sancti sanctorum) similiter, nec viderit corruptionem, nec potuerit detineri in terris, quod Cœlo tantùm dignum erat. Quod nunc etiam de Scripturis tentabo suadere.

Legimus in Psalmis, & canimus: *Surge Domine in requiem tuam, tu, & Arca sanctificationis tuæ* Hęc verba ad literam ad requiem Christi pertinere, quæ fuit illi ex Resurrectione, ipsamet indicant. Sic enim Paulus interpretatus requiem Domini. Sed cum illi adiūgant: *Arcam sanctificationis suæ*, vt & illa resurgat, quid quæso per Arcam istam intelligat, quis aut veriùs, aut commodiùs, quàm MARIAM? Non me latet, aliter à quibusdam ea verba exponi, sed vehementer velim hominem prudentem, & non affectum ipsas conferre interpretationes, & illam, cui magis lux veritatis assistit, eligere. *Psal. 131.* *Hæbr. 4*

Ad hæc radix huius veritatis in illa veritate sustinetur, quòd non est conueniens manere sponsum, & dilectum sine sponsa sua, & dilecta. Dico autem sponsam, & dilectam vnam illam, & peculiarē. Et propterea in ea parabola Virginum, dicitur, quòd illæ exierunt obuiam sponso, & sponsæ. Si sponso, ergo Iesu Christo. Quid igitur attinebat dicere

&

& sponsæ ? nisi vt illud sciremus, quòd Beata Virgo sponsa primaria & electa, veniet cum Domino Iesu, vtpote iam olim cum illo Beata cum corpore, & veniet cum illo ad iudicandum. Nec hic me latet, quosdam, quia nesciebant aptare hoc de sponsa, non sic legere, sponso, & sponsæ, sed tantùm sponso. Verùm tamen veritas literæ (vt veteres enarrantes testantur) sic habet. Quòd autem non in hûc modum alij exposuerint, nihil mouere debet quemquam, nam ita exposuerunt, vt nec sibi fortè satisfecerint: pro sponsa enim Ecclesiam accipiunt, & cum illæ Virgines non sint aliud quàm Ecclesia: Ecclesia ergo exibit obuiam Ecclesiæ ? Tu ipse censebis Lector. Quare nec ab re etiam hic dixerim. Confer alias expositiones cum ea, quam dicimus, & vbi magis quiescis, ibi te loces, donec aliud satius videas. Redeo ad rem, & rationem de prudente requiro. Si hoc meruit sponsus etiam pro sponsa, nisi illa fortè demereatur, quis accusabit aduersùs eam, quæ nihil peccauit vnquam, sed ab omni penitus labe seruata est? quę carnem etiam dedit Iesu, per quam ille meruit quicquid meruit? quæ est vna caro cum illo? Nunquid obsecro perfectè esset totus Christus in cœlo, si non secum haberet sponsam indiuiduam, & inseparabilem, quæ ministrauit illi tanta cura, tanta sollicitudine, tanto tẽpore, vt mater, vt soror, vt sponsa dilectissima in omni tribulatione, & angustia? Hæc enim illum primò meruit multa charitate, & desiderio in vtero concipere, & gestare mensibus nouem: hæc peperit, & adorauit: inuoluit pannis, & reclinauit suauiter in Præsepio, & circuncidit, & præsentauit in Templo, & fouit sinu, & lactauit vberibus, & abscondit ab Herode, & fugiens, exilium pertulit cum illo, & propter illum, septẽnium occulta manens *in Ægypto*, vnde reuersa, & semper de illo materna pietate sollicita, quodam tempore cum dolore, & anxietate, nescia vbi nam esset, triduum perpetuum conquisiuit, & tandem inuenit in Templo. Ille amor, ille dolor, illa sollicitudo nobis ineffabilis, incomprehensibilis amantissimæ matris, & electæ sponsæ suæ, quid non merebatur? Sed hæc ludus sunt præ acerbioribus, quæ perpessa est, quando iam vir maturus cœpit Euangelium prædicare inuidentibus Pharisęis, & Scribis, & Pontificibus, & insidias illi assiduè tendentibus. Quid quæso tunc doloris non pertulit? cuius amaritudinis expers fuit? quæ penè semper lateri eius iungebatur, & audiebat opprobria, & detractiones, & susurrationes, & murmurationes iniquissimas in dulcem filium, & innocentissimum, immò & beneficentissimum illi genti perfidæ, & ingratissimæ? Quid dicam de Crucis opprobrijs, & passionibus, quas non solùm ipsa vidit, sed pertulit, & quarum pars magna fuit? De ipsa enim sola scriptum est, quòd stetit iuxta Crucem, & quòd nunquam secuta sit eum à longè. Cæteri autem prorsus omnes à longè quandoque fuisse describuntur. Ipsa semper propè, eius animam pertransiuit gladius, & cum illo martyr effectae st, & plusquam martyr, quæ verè exanimata fuit, & veluti prior Eua dulcem fructum gustauit, & obtulit viro suo ad mortem suam, & nostram: ita hæc Eua secunda deglutiuit amarum cibum Crucis, & viro detulit Christo, qui & ipse gustauit ad vitam suam & nostram. Sic enim oportuit vtrumque pati, & ita intrare in gloriam suam. Nam quæ sponsi erat gloria, etiam sponsæ ex congruo debebatur. Ministrauit ergo illa assiduè Christo suo, cui dedit & carnem, quam per passionem referret in gloriam; & non dico solùm carnem, quæ præcisa fuit ab illa quasi limo terræ, vnde ipse secundus Adam viuificator noster constitueretur, sed carnem etiam propriam, quã retinuit sibi, hanc dedit (vt diximus) cum & filius suam daret in Cruce, & vterque vtramque obtulit sacrificium Deo. Filius quidem suam, & matris sponsæque carnem: Mater autem, & sponsa similiter filij sponsique carnem, & suam, vt sic perfectum esset sacrificium duorum passerum, & duorum pullorum columbarum. Hem quando hoc mihi dabitur, vt hæc intelligantur, & cum gaudio recipiantur à pijs ? Si igitur talis, & tanta fuit ministra Domini, quæ sequuta est illum semper, nunquam segregata ab illo anima, & corpore in tota vita sua, cur post hanc vitam non credimus cum illo inseparabiliter coniunctam, esse beatam, & glorioſam etiam corpore? Egregiè enim hic ponderat Augustinus Verbum Domini: *Si quis mihi ministrauerit, me sequatur, & vbi sum ego, illic, & minister meus erit.* Dignum autem fuit, impleri Verbum Domini perfectè in ministro perfecto. Nullus autem perfectè sequutus est Christum in tota vita, & in eo salutis opere, nisi illa sola. Audis de discipulis omnibus, quòd omnes scandalum patiuntur, & aufugiunt: Petrus etiam ter negat, negaturus & millies, si millies fuisset interrogatus, & si quando sequitur, à longè tamen sequitur, & alij à longè. Sic & mulieres aliquando à longè, etiam illa feruentissima Magdalena. Hæc sola est vnica sponsa, & mater amantissima, de qua nihil tale legis. Sequuta est enim propè, & iuxta Crucem manens, etiam alios ibi congregat, iuxta Crucem, & hoc pacto ministrauit Christo perfectè. Quæ igitur ministrauit perfectè Iesu filio, vt semper iuxta illum esset anima, & corpore, ac præsertim in Cruce illa: cur non etiam perfectè potiri debuit mercede, vt vbi ille

hæc pas. in Euãgelijs habentur.

Mat. 2.

Ioan. 12

Mat. 26 Mar. 14 & alibi

ille est, etiam illa sit anima, & corpore, & nõ merces suspenderetur ad tempus? Hoc enim nec filius de matre, nec pater de filia primogenita, nec sponsus de electa, nec frater de sorore charissima ferre possent. At B. Virgo fuit singulariter hęc omnia Iesu filio. Dedit ei carnem, & peperit: Ergo mater. Accepit spiritum de latere eius, & ædificata est primùm ipsa velut Eua: ergo filia primogenita. Huic ille primò iunctus est, præcepto Dei, vt sint duo in carnem vnam: Ergo sponsa primaria. Vterque Deum habuit auctorem, ita tamen vt mulier de viro, non è conuerso, ergo frater, & soror. Quid igitur prohibeat, ne simul perfecta hæreditate perfruantur, & in vno, eodemque cubiculo, ac domo, cùm primùm defuncti sunt vita ista, recipiantur? debuit hoc certè Pater filiæ, Matri filius, sponsus sponsæ, frater sorori, socius sociæ. Pertinet ergo ad gloriam Christi, vt hoc illi tot nominibus dederit. Pertinet & ad lætitiam ipsius Christi plenam, vt corporis Ecclesiæ gloriam inchoauerit in MARIA. Pertinet & ad Angelorum gaudium de ipsorum Regina. Pertinet & ad spei nostræ confirmationem, vt & nos confidentiùs speremus, quod inchoatum videmus in matre nostra. Pertinet denique ad Ecclesiæ totius thesaurum. Assumpta est enim illa, vt possit interpellare Patrem pro nobis, & effundere dona hominibus, & mulieribus sexui suo: cùm illa iam satis in se abundans nulla indigeat pro seipsa gratia. Si ergo, ò dure, & grauis corde hoc metuis MARIÆ concedere, concedas Christo saltem in cuius gratiam hoc factum credimus, & quantum nobis licet per Ecclesiam, id cum illa asserimus. Concede id Angelis, qui hoc desiderio tenerentur de Regina, si fortè hæc illi gratia deesset. Concede Ecclesiæ, quæ hinc spem contrahit firmiorem, & dona capit. Nam quæso nota bone Lector prodigium. Sunt enim, qui volunt eos, qui resurrexerunt cum Domino, etiam regnare ie cœlis cum illo, quia decens erat (aiunt) ibi esse Christum non sine membris aliquibus & quadam inchoatione resurrectionis Ecclesiæ. Nunquid non hoc prodigium est, vt alij in hoc priuilegio anteuerterent matrem atque illi pręponerentur? Ad hęc considera, obsecro priuilegia reliqua tantæ sponsæ, & matris, si hoc desit, nonne aliquid meritò desiderare posset à filio, & sponso suo, & illud quidem magnum? Scimus enim, quòd eius anima gratiosa fuit illi super omnes animas, quia inter mulieres benedicta, & verè gratiosa singulariter, & gratia plena, vt dixit Angelus. Quomodo autem plena, si hoc illi animæ deest, vt corpus suum adhuc desideret? Item corpus eius fuit in omni pudore præseruatum, vt nullus reuelauerit turpitudinem eius, quæ nulla fuit, quia *spolijs* non indiguit, *cuius precium procul fuit, ac de vltimis finibus*. Si ergo corpus eius ante tot & tanta sua, & Christi merita pro illa præseruatum est à corruptione pudoris, cur non & post tanta illa contracta merita, post Christi gloriam, & Spiritus Sancti effusionem, non sit à corruptione pudoris seruatum? Si Domini sepulchrum *gloriosum*, sicut scriptum est, quantò magis domus illa Bethleem vera, quæ illum tanta superuentione gratiæ Spiritus Sancti recepit, seruauit, atque effudit? dignum profectò meditatore, & contemplatore cœlestium, immò & propè dixerim spectatore, verbum protulit Augustinus pro domina Dea nostra, quod non pigebit referre. Istud ergo sacratissimum corpus (inquit) de quo Christus carnem assumpsit, & diuinam naturam humanę vniuit, non emittens quod erat, sed assumens quod non erat, vt verbum caro (hoc est) Deus homo fieret, escam vermibus traditum in communi sorde putredinis, & futurum de vermibus puluerem, quia sentire non valeo, dicere pertimesco: hæc ille. Quod si nõ est passum corruptionem, vbi ergo erit? qui locus dignus illud recipere, nisi paradisus Dei? hoc, & non aliud possum cogitare de tanto thesauro, cuius dignus non erat mundus, alioqui si hoc depositum habet terra, vbi gentium reperiatur? Nusquam enim apparet. Sunt autem reliquię corporum Ioannis Baptistæ, sunt Petri, & Pauli, & cæterorum (Ioannem dilectũ excipio (& adorantur. Cur non igitur, & reliquiæ aliquæ B. Virginis, vt adorentur & illę? An fortè corpus eius etiã minoris fuit ęstimationis apud Deum, vt neque in cœlo sit, neq; saltem conspicuum in terris, vt cum cæteris relictis Sanctorum reliquijs promeritam adorationem accipiat? Scimus iustorum corporum, & defunctorum receptacula duo dari post mortem, terram ad tempus, & cœlũ perpetuò. Sed nostræ Reginæ corpus nusquã apparet in terra. Quis ergo illi adeo malus cœlum inuideat? Nonne corpus illud meritò spectabile Angelis Dei, quod in se Angelorum Dominum conclusum habuit? At certè ipsi Angeli vident Reginam suam in cœlis cũ rege perfectam, quam cum illo etiam adorãt, quorũ etiã vocẽ ego mihi videor legẽs agno scere, quando assumebatur in cœlũ: suscipiẽtes enim illam, & incredibili cum lætitia honorantes, concinebant: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, delitijs affluens, innixa super dilectum suum?* Ascendit Christus, ascendit & Christifera, sed ascendit ille nulli innixus: At illa innixa super dilectum suum: & hoc fuit assumi, vt quæ paruulum gestauit in terris, ab ipso magno gestaretur in Cœlos. Denique hoc annotari velim, celebrando nos Assumptionem MARIÆ,

Nota, hæc pie.

Caieta. hoc ait.

Pro. 31

Isai. 11.

In serm. de Assũ.

Cant. 8.

not. pro Spiritu Ecclesiæ

si non aliud celebraremus, quàm eius animæ ascensum, & gloriam non etiam corporis, profectò non esset singulare hoc festum Assumptionis eius. Cur ergo singulare Assumptionis nomẽ illi festo tribuitur? Quid enim vetat etiam vocare festũ Assumptionis Apostolorum, & cæterorum Sanctorum, quorum colimus exitum de hoc mundo, & animarum gloriam? sed non est propriè Assumptio, nisi corporum animatorum. *Sic assumpsit Dominus Petrum, Iacobum, Ioannem*, & sic alibi, cùm hoc vocabulo Scriptura vtitur, intelligitur. Et vide, vt plenè à Spiritu Sancto docetur Ecclesia veritatem, Christi Ascensionem colimus, quia suo robore, & viribus ascendit: matris Assumptionem, quia à dilecto filio est assumpta: cæterorum nihil tale, sed vel martyria, vel mortem, alioquin precioſam celebramus, quia tunc anima beatificata est, & sperat certè de corpore sua die. Est præterea in multis Ecclesijs oratio, quæ hoc planè enunciat. Veneranda, quæsumus Domine, huius diei festiuitas opem conferat salutarem, in qua Sancta Dei genitrix mortem subijt temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ filium tuum Dominum nostrum de se genuit incarnatum. Quid ergo dicimus, aut quid concludimus pro matre, & sponsa Christi, dignum tamen ipso sponso & filio, nisi quòd ipsius gratia (scilicet sponsi sui, ac filij) non est sub illa cæterorum regula, & finibus concludenda, cuius gratia adeo superauit naturam, vt cùm esset homo nostræ carnis, gratia & honore celsior Angelis facta sit? vt iam non hominem dici eam sit fas, quæ mater est Dei, quæ amicta Sole, & coronata duodecim stellis, Lunam habet sub pedibus. O dea certè, quæ adeo particeps fuisti diuinitatis, vt sola seruata sis, *tanquam Paradisus Dei*, Dei manibus excolendus. Quòd si naturæ corruptio, carnis opprobrium est ex peccato contractum, quid habet commercij peccatum tecum, ò sacratissima virgo, & cum virgineo illo tuo corpore, ô incorruptissima, ò arca totius sanctificationis, quæ Sanctum illud seruare, ac proferre meruisti, quod non solùm sine peccato fuit, sed ipsius extinctio, atque depulsio peccati? Hæc de te sentio, & longè minora ijs sunt, quæ verè sunt de te. Hæc de te scribo, sed longè ineptiùs quàm tua pulchritudo, atque excellentia mereatur. Hæc de te scio sentire filios, & amicos tuos, & gratias ago, & peto, vt me miserum digneris, velut vnum saltem ex minimis cum illis aggregare, & annumerare. Denique obsecro, vt veniam mihi tribuas propter excellentiam tuam, quæ omnem laudem superat, ò Beata, quòd hæc vt potui frigidus de tua perfecta gloria commentus sum, ò gratiosa super omnem creaturam, & alios quæ so tibi para, à quibus audiant amantes tui, & ego cum illis meliora, teque digniora, quæ viuis & regnas post Deum tuum cum ipso in secula seculorum, Amen.

Mat. 17

Apo. 12

Quòd hoc priuilegium consummatæ gloriæ fuerit diuæ Virgini singulare.

CVm hoc igitur iam dederimus Virgini confitentes eius gloriam excellentem in corpore suo, quòd hoc nulli hominum similiter dandum sit, nunc est ostendendum. Iam de *Henoch, & Elia* alibi, quod probabilius est concluſimus, scilicet, quòd exsi non gustauerint mortem, gustaturi sunt tamen, & illam, quæ admodum preciosa est in conspectu Domini, vt dilectus testatur, interim in terrestri paradiso seruantur. At de ipso Ioanne non satis constat inter Doctores. Facit autem quæstionẽ, tum id, quod sæpè de illo particulariter Christus in Euangelio enunciauit, tum verò quod habet historia de eius exitu ex hoc mundo, quæ quoniam habent doctrinam non insuauem de Prouidentia Dei erga nos, ideo non tædebit & hac de re disputare.

Apo. 10

Prima ergo sit illa quæstio, vtrum sit ille verè mortuus? Nam quidam aiunt, quidam verò negant. Qui aiunt, nescio vnde mouean tur, nisi hoc argumento quòd *statutum est hominibus semel mori*. At hoc non valet, nisi contra eos, qui ponerent illum nec esse mortuum, nec esse moriturum. At qui aiunt illum non mortuum, moriturum tamen, idque ex verbo Domini, hoc argumento non feriuntur. Sunt enim qui vehementer existimant, illum similiter moriturum testem Euãgelij in persecutione Antichristi cũ Henoch, & Elia, quorum alter testificabitur Christo in lege naturæ, alter in lege Moseos, & doctrina prophetarum. Desideraretur ergo testis Euãgelij, & legis gratiæ (inquiũt) nisi poneretur & vnus ex primoribus Christi Discipulis Euangelij testis in illa die: hunc autem aiunt, esse dilectum. Et certè vt mihi videtur, rem valdè probabilem proponunt, quæ & argumentis (ni fallor) penè euincitur. Primô enim dixit Dominus: *Sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filiũ hominis venientem in regno suo*. Quæ verba, quo pacto siut vera, nisi hic saltẽ discipulus sit, qui non gustauerit mortem, vt accipiatur plurale pro singulari, vt interdum solet, non facile est videre. Nam cæteri Apostoli proculdubiò omnes mortui sunt. Nec valet, quod quidã dicunt, hoc Domini dictum verum factum fuisse quando transfiguratus fuit. Non enim tunc verè dici potuit veniens in Regno suo, & in virtute, per quod manifestè vltimus significatur aduentus. Nã verba Matthæi hæc sunt: *Filius hominis*

Hæb. 9.

Mat. 16.

venturus est in gloria patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuiq; secundum opera sua. Et statim subiecit: *Amen dico vobis, sunt quidã de hic stantibus, qui non gustabunt mortem donec videant filium hominis venientem in regno suo.* Et Marcus etiam expressiùs dixit: Sunt quidam de hic stantibus, qui nõ gustabunt mortem, donec videant regnum Dei veniens in virtute. Quòd si quodammodo verba hæc inchoare sui verificationem videãtur in transfiguratione illa, non tamen implentur, vt oporteret. Quod verò alij putant verificata esse post resurrectionem quando apparuit illis gloriosus in virtute, minus quoque probabile est, tum quia non propriè vocatur ille aduentus cum Angelis, & in virtute, & ad reddendum vnicuique secundùm opera sua, vt verba prophetiæ sonant, tũ quia tunc non quibusdam de stantibus ibi sic apparuit, sed omnibus excepto Iuda, & longè etiam pluribus. Nam teste Paulo *visus est plusquam quingentis fratribus.* Ad hæc alibi verba Domini manifestè (ni fallor) hoc indicant cum Petro roganti, hic autem quid? Respondit: *Si eum volo manere, donec veniam quid ad te? Tu me sequere.* Quid enim aliud congruè possunt hæc verba significare, nisi quòd volebat eum manere vsque ad aduentum suum? Aduentus autem Domini cum simpliciter dicitur, alterum duorum significat in Scripturis, vel primum quando venit in carne humilis, de quo tamen non potest intelligi Domini dictum illud, quia iam ille aduentus præcesserat: vel secundum, quando veniet ad iudicandum in potestate. Restat igitur, vt de hoc secundo intelligenda sint verba illa: Si eum volo manere donec veniam. Ergo planè significant, quòd volebat eum sic manere, videlicet in vita adhuc mortali, donec ipse veniret, id est, donec immineret tempus iudicij. Quamobrem siue consultò, siue lapsu assertiuè legitur in Ecclesia: Sic eum volo manere, donec veniam: vt sensus teneatur, quem satis Christus innuit dicens, si eũ volo manere donec veniam. Quod vt latiùs agnoscas, & probes, attende: Dixerat Dominus Petro: Sequere me, quod proculdubiò intelligitur de extrema sequela martyrij per crucem, quia verò Petrus singulariter diligebat Ioannem, quoniam videbat eum esse dilectum Domini, & elegantem iuuenem, curabat scire, quid futurum esset de illo, & ait. Hic autem quid? acsi dixerit, nonne etiã sequetur te ille martyrio suo? Dominus autẽ respondit ei de illo, quasi corripiẽs Petrũ, quòd nimis curaret de alio condiscipulo, & optaret illi similem exitum, qualem Dominus prouiderat ipsi, cum varia sint Christi dona. Respondit ergo: Si eum volo manere, donec veniam, quid ad te? Tu me sequere. Et planus est sensus, id est: Si eũ volo manere in hac vitã, donec ego veniam ad iudicium (nam hic propriè erat aduentus eius) quid ad te? Tu me sequere, acsi dixerit: Cura quod ad te pertinet, sequendo me per crucẽ, ipsi enim aliud interim procurani, scilicet, vt maneat donec veniam, quod non debet esse tibi curæ, quia non pertinet ad te, sed ad me hæc, & de his quæ huiusmodi sunt, disponere. Ex quo dicto licet illud Discipuli intelligerent, vt expositum est, ex illo tamen sic intellecto male colligebant, quòd ille discipulus non esset moriturus, vnde sequitur: Exijt ergo sermo hic inter fratres, quòd discipulus ille non moritur. Colligebant enim hoc ex eo quòd Dominus dixerat, quod volebat eum manere vsque ad tempora Iudicij, sed non inde id consequebatur, quòd non esset, vel tunc moriturus, sed hoc solùm, quòd esset mansurus illuc vsque viuens. Immo ex hoc ipso potiùs poterat colligi, quòd ex tunc esset moriturus. Quod vt melius capias, tempus illius aduentus cogitare debes habere latitudinem: non enim vnam tantùm illam diem comprehendit, qua ipse in persona veniet, & iudicabit mundum, sed totum tempus, quando apparebunt imminentia signa, & præcursores sui Elias, & Henoch, & præcursor magni Diaboli Antichristus: quo tempore Ioannes Euangelista, vt testis Domini, & præco Sanctus Euangelij occidetur. *Nã oportet eum iterum propheta regentibus, & populis, & linguis, & regibus multis*: Vt ipsemet testatur, & tunc veniet casus eius mortis, quoniam sic testabitur pro gratia Euangelij, sicut Henoch, & Elias, alter pro lege naturæ, alter pro lege Moseos, & Prophetis, quòd illis legib⁹ nõ defuit Christus, testabũtur. Hoc verò testimoniũ erit per mortem: nam hoc demum verum est testimonium. Et propterea ipse Ioannes remouit hunc errorem à Discipulis, qui aiebant, ille discipulus non moritur, admonens quòd Dominus nõ dixit: Nõ moritur, sed solũmodo. Si volo eũ manere donec veniã, satis declarãs, quòd hinc non sumitur, quòd nõ esset moriturus, sed oppositum potiùs, vti diximus. Et pro hoc illud etiam facit quod aliàs ipse Dominus, & fratri Iacobo: & ipsi Ioanni prophetans protestatus est, dicens: *Calicem, quidem meum bibetis:* Quod certè de Calice passionis, & martyrij intelligitur. At non verè Martyr dici posset Ioannes, qui tam pacifica morte quieuerit, vt de illo ferunt, qui etiam mortuum arbitrantur. Quòd autem dicitur à quibusdam, id quod prædixit illi Dominus de Calice bibendo, tunc impletum fuisse, cum sub Domitiano in dolium feruentis olei missus fuit in testimonium Euangelij, non euacuat quæstionem: nam ibi nihil passus est ille, neq; propriè dicendus est bibisse calicẽ passionis, ne-

Mar.11. *1.Co.15* *Ioã vlt.* *Apo.10.* *Mat.10.*

neque verum est martyrium non intercedēte morte, vt ait D. Thomas, quantò minus non intercedente vlla passione? Itaque longè magis verificatur ille locus, & sermo Christi secundùm hanc opinionem, quæ dicit, quòd morietur aliquando, & occidetur testis veritatis gratiæ, in persecutione Antichristi cum prædictis Henoch & Elia. Cui certè sententiæ congruunt omnia Euangelij verba, & sententiæ Domini, & quod ipse de semetipso primùm testatur in Apocalypsis cap. 10. in fine antequam prophetaret de Enoch & Elia. In hunc enim modum scripsit: Et audiui vocem de cœlo iterum loquentem mecum, & dicentem: Vade, & accipe librum apertum de manu Angeli stātis super mare, & super terram: & alibi ad Angelum, dicens ei, vt daret mihi librum. Et dixit mihi: Accipe librum, & deuora illum, & faciet amaricari ventrem tuū, sed in ore tuo erit dulce, tanquam mel. Et accepi librum manu Angeli, & deuorauī illum, & erat in ore meo tanquam mel dulce, & cum deuorassem eum, amaricatus est venter meus, & dicit mihi: Oportet te iterum prophetare gentibus, & populis, & linguis, & regibus multis. Hæc ibi: Qui certè locus pertinet ad vltima tempora Antichristi, quādo Angelus septimus descendens de cœlo reuelatur astiturus cum pede dextro super mare, & cum sinistro super terram, sicut paulò superiùs declaratur, quando tempus non erit amplius, & in eius Angeli voce, quando cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei, sicut euangelizauit per seruos suos Prophetas. Secundùm ergo hæc tempora audiuit vocem Angeli dilectus iterum sibi loquentem, & dicentem. Vade, & accipe librum, & cætera, quæ superiùs recitata sunt. Liber ergo iste, quem, accepit & deuorauit, qui & fecit amaricare ventrem, & dulcis nihilominus fuit tori eius, sicut mel, est liber testimonij eius, qui erit illi tanquam calix amarus in ventre, quia passionem inducet amarissimam, sed in ore, & gustu erit melleum, propterea, quia libentissimè acceptabitur ab eo: vnde statim explanatur ei, quòd oportet eum iterum prophetare gentibus, & populis, & linguis, & regibus multis. Et post hoc ipse commodissimè prophetiam attexit de Henoch, & Elia, quomodo & ipsi testificabuntur. Videat, cui melior spiritus dabitur ad intelligendum, & (ni fallor) in hac veritate quiescet: quam etiam vt magis probes, prudens Lector, rogo, conferas cum alijs, quæ ex aduerso dicuntur. Nam quidam, quod ait Dominus. Volo manere donec veniam, exponunt, id est, donec veniam ad colligendum eum: quod (pace illorum dixerim) ineptum est, & friuolum, tum quod non est simpliciter venire Dominum, cum particulariter venit ad quemlibet, non enim hìc dixit, volo illum manere, donec ad illum veniam, sed simpliciter, donec veniam. Tum verò, quia nihil peculiare dixisset de Ioanne, cùm etiam alios multos ante mortem visitauerit, & exhortatus fuerit, vel ipsum Petrum, & vt credibile est, alios Apostolos, & amicos suos. At hic manifestè rem singularem de ipso Ioanne indicat, & quæ Petro non conueniret, cùm ait, si volo eum manere donec veniam, quid ad te? Tu me sequere, videlicet quò ego nunc vado, tu nunc veni. Ille autem maneat, donec ipse redeam. Quomodo autem hunc locum exponat, Diuus Augustinus, qui volet, legat. Ego non audeo recitare. Nam desperans ille hinc se posse sensum literalem elicere, & non videns exitum quæstionis, ascendens ad allegoricum, hæc Domini verba, quæ manifestè de Petro, & Ioanne prophetant, cum iactura literæ ad actiuam, & contemplatiuam detorquet vitam, ac si ad illorum personam nihil attineret, & spatiatus in allegiora illa, fateor multa pulchra commentus est. At ego, & ni fallor, quilibet eruditus, & prudens Lector, sensum priorem, & fundamentalem literæ desideraret. Quidam igitur horum verborum Domini vim sentientes, dixerunt, vt recitat ipse Augustinus, & alij, quòd Ioannes quidem nō est mortuus, sed manet adhuc in sepulchro illo, vbi se fecit sepeliri, dormiens assiduè, & dormiturus vsque ad Aduentum Domini: quod vel ex eo arguunt, quòd aiunt (vt habet historia) illum se illuc inclusisse viuentem, & sanum corpore, & adhuc inde mannæ scaturire liquorem. Sed (vt Augustinus ipse rectè coniectat) minùs est credibile, quòd Discipulus adeo dilectus, fuerit huic sorti tam miserè destinatus, vt cogatur sepultus in somno manere tanto tempore. Non audet tamen negare historiam, quam & sibi probatam esse asseruit à non leuibus viris. Et certè etiam ipso teste Hierony. sepulchrum eius olim continuè scatere manna dicebatur, corpore tamen ipso nusquam apparente. Quamobrem quæstio nūc supereset primùm de corpore ipsius, siue asseratur ipse mortuus, siue non. Nam qui dicunt, eum esse mortuum, non tamen vidisse corruptionem, sed resurrexisse statim, & nunc viuere in cœlis in anima, & corpore in Resurrectione consummata, præter id quod illi rem nimis grandem concedunt, & nihil prorsus habeant à Scripturis, vnde id colligant, etiam habent contraria cuncta, quæ superius adduximus, verba Domini, qui manifestè eum mansurum decreuit vsque ad aduentum suum. Nam quod commentatur Augustinus, intelligens in Ioanne, non Ioannis personam, sed vitam contemplatiuam, hoc potius fuit, quæstionem euitare, quàm soluere. Non enim, vt ipse fatetur, aliud tunc occurrebat, quod diceret in tam difficili quæstione. Qui verò dicunt il-

illum quidem esse mortuum, non tamen resurrexisse, præter quòd nec illud euitat, quòd dixit Dominus, & quod alia de scripturis testimonia valde arguunt, videlicet, quòd esset mansurus vsque ad aduentum Domini, non item indicant vbinam inueniatur ipsum corpus: nusquam enim quicquam sui corporis ostenditur, & non est verisimile dilecti Discipuli reliquias (si quæ essent) voluisse Deum sic honore suo priuatas manere, cum cæterorum Apostolorum corpora, & pulueres venerentur. Superest ergo hęc sola, quę cunctas videtur resoluere difficultates, opinio, & non inualidis fulciri rationibus, videlicet, quòd nondum sit mortuus Ioannes, neque tamen quòd sit dormiens in sepulchro, quod est inopinabile, neque quòd sit in paradiso cœli in gloria cõsummata, quod nimis esset, neque quòd non sit aliquando moriturus: sed quod seruetur viuus in terrestri paradiso interim, donec tempora persecutionis extremę venerint, & imminẽs iudiciũ Domini. Seruetur autem cibo ligni vitæ, & diuina virtute, quam ipse nouit, & ibi sit cum Henoch, & Elia propter testimonium Christi de lege gratię. Cur enim non habeat & lex gratiæ testem suum in illa die, sicut habet, & lex naturæ, & lex Moseos, & Prophetarum? Et interim sit nihilominus ipse Ioannes beatus, & comprehensor in parte animæ, videns Deum facie ad faciem, & fruens summo bono? non enim credibile, est neque de ipso, neque de Henoch, & Elia, quòd fraudentur tanto tempore sua felicitate, ne vitam in suspirijs agant. Si enim id de Henoch, & Elia cogimur confiteri: ne tanto tempore suspirent, cur non & de Ioanne similiter? Quòd autem per omnia hæc opinio sit rationabilis, facit (vt iam dicta perstringam) illud primum pro fundamento, quod ex scripturis oportet ponere, nondum illum esse mortuum, sed mansurum vsque ad postrema tempora, nisi velimus ipsas vitiare, aut detorquere. Nec propterea sequitur, quòd non sit moriturus, quia vt ipse præcauens, ne in hunc errorem (sicut à principio Discipuli) veniremus, admonuit. Non dixit Dominus non moritur, sed si eum volo manere, &c. Et cùm non sit mortuus, nõ est propterea ponẽdus perpetuo sepultus somno: Neque quicquam commodius, aut verisimilius dici potest, aut fingi, quàm quòd fruatur delitijs interim paradisi, nõ cęlestis, quod nimium esset, & oportebat eum mori priùs, sed terrestris. Nam quis alius locus deceat illum, & ad conseruandum tanto tempore aptior excogitari potest? Ibi enim seruari Henoch & Eliam à sanctis Doctoribus, imò & ab ipsa scriptura docemur, eò quòd venturi sint, ipsi etiam illa die ad testificandum. Ergo cũ adhuc sit moriturus, ne à communi omnium lege liber sine ratione, imò & contra rationẽ & scripturas põnatur, ad quid aliud possumus putare illi seruatam esse mortem ad illud vsque tempus, nisi vt illã impendat ad testimoniũ veritatis acceptæ à Christo? vt quæ habuit arcana altissima, vt significatum est cũ recubuit super pectus Christi, ipsemet declararet esse ol mverificata, iũgẽs verbis testimoniũ passionis, & calicis, & ita verificetur plene in illo, sicut in fratre Iacobo, Christi verbũ dicẽtis: Calicem quidẽ meum bibetis. Et hoc quã conuenienter; nam sicut hoc accidit illis duobus testibus, videlicet Henoch, & Elię, ita & ipsi, qui erit tertius testis, nam nec ab re ipse de seipso ait, quòd est discipulus ille, qui testimoniũ perhibet de his. Scriptura enim semper loquitur, & ipse in illa: necverò alius Euãgelista ausus est dicere hæc verba, quia puri scriptoris Euãgelij nõ est tã testari, quã enarrare. Solus ipse testatur quodãmodo assiduè, qui etiã seruatur ad testificandum, quod cõplebit in illa die. Huic autem veritati cũ, (vt iam vides) omnia consonent, etiam ipsa historia, si recte cõsideretur, vehementer astipulatur, quæ habet, quòd Ioãnes quanquã senio cõfectus nõ tamẽ ægrotus, sepulchrũ sibi viuẽs fieri curauit: & illuc ingressus, nusquã postmodo apparuit, nisi quod scatens terra miris modis exsufflat. Ex hoc ergo, quod in sepulchrũ ingressus est incolumis, certũ est quod tũc moribundus nõ erat, nec semetipsũ tradidisset morti. Et ex eo quod postmodo nusquã apparuit ipse, aut corpus eius, signũ est quòd translatus fuit. Quòd enim ibi dormiat inuisibilis, nihil habet simile vero. Quòd autem scaturiat, ibi terra fremẽs, signum est mysterij, nempè quòd qui in Domino quiescunt, terra super eos non habet ius vllũ ad retinẽdum eos, quãuis infremat, ac suo id iure quodammodo poscat: quia quod de terra est, etiã terræ in sui resolutione debetur. Et pulchrè hoc datur Ioanni testi gratię, vt in sepulchrũ descenderet, & non absorberetur, vt significaretur, in lege tantùm gratiæ deuictam esse mortem. Henoch verò & Elias aliter rapti sunt. Et de Elia quidem dicitur, quòd in cœlum ascendit per turbinem, & cœli appellatione intelligitur aer. Et de Henoch, quòd raptus est, & non apparuit. Sic enim oportuit interim violenter quodammodo, & in turbine, horum raptum fieri, & non committeretur sepulchro, morte nondum deuicta.

Hæc in summa de Ioanne Euangelista, & Discipulo Dilecto mihi visa sunt semper vera, & Sanctis Euangelijs, & Scripturis, & rationibus, & mysterijs consentanea, scilicet, quòd nondum mortui sunt, morientur autem testes trium legum in die persecutionis vltimæ Antichristi. Gaudeo etiam me legisse, quòd, & hæc ita placuerunt Beato Ioanni Domini. *B Ioan. Domin.*
co Florentino Ordinis nostri, viro & pietate

&

& doctrina clarissimo, vt etiam penè mordicus soleret defendere, sicut Beatus Antonius, qui eius discipulus fuit, attestatur.

Supereſſet autem aliquid dicendum de his, qui resurrexisse leguntur apud Mattheum, vbi habemus: Et multa corpora Sanctorum resurrexerunt, &c. Ne quis existimet resurrexisse vera, & consummata resurrectione, sicut visum est quibusdam, & Caietano. At hac de re in alio libello tractabimus, vbi de generali omnium morte, ac resurA rectione agetur. Interim soli Christo, & in eius gratiam matri suæ hoc damus, quòd consummati sint in gloria: quia illis & hoc solum tribuimus, quòd ab originali peccato fuerunt immunes. Christus iure suo, mater ex priuilegio. Et ideo cæteris expectandum est vsque ad iudicium, vt induant vestes suas, quia sub eo peccato tenti sunt, quod fecit Christum triduo manere in Sepulchro, cui gloria, & honor in secula, Amen. *Mat.27*

F. AMBROSIVS
EREMITA.

NOTA.

QVàm paucis clausa monumentis Ambrosij Eremitæ, siue Ambrosij Gentilis, ex illustri S. P. N. Augustini familia alumni, apud Neothericos Scriptores fuerit memoria, ex eo constat: nam R. P. Antonius Posseuinus in omnibus diligens Nomenclator, hæc pauca de ipso attexuit in suo Apparatu fol. 63. Ambrosij Eremitæ Sermones Quadragesimales Venetijs apud Octauiũ, Scotũ anno, M. D. XXIII. R. autem P. F. Thomas de Herrera Augustinianus in suo Alphabeto fol. 53 post quàm Antonium Baccalaurium, & Antonium Perusinum, & Ambrosium Gentilem, de quo nunc noster est Sermo, retulisset, addidit: Duo primi in Posseuini Apparatu, & vltimus in Bibliotheca Angeli Rocca inter Augustinianos Scriptores locũ habent, eorũ tamen tempora ignota. Hæc præstans, & doctus iste Eremitarum Scriptor. At R. P. Thomas Gratianus in sua Anastasi Augustiniana fol. 25. habet sequentia: Ambrosius Florentinus ab insigni pietate Homo Dei cognominatus, edidit valde vtiles Sermones Quadragesimales; sunt Florentiæ in Bibliotheca nostra Sancti Spiritus. Hæc ibi: quòd autem loquatur de nostro Ambrosio Gentili Eremita, patet, quia ipse fuit Italus, vt inquit Zambelius Ariminensis; fuit etiam Florentinus, vt ipsemet insinuare videtur in suo Quadragesimali fol. 292. atque ob eximiam pietatem Homo Dei cognominatus extitit. Ex his igitur constat de instituto patria, & nomine nostri Ambrosij. Floruit verò, vt ex ipsius Quadragesimali colligo, post Marsilium Ficinum, & Ioannem Picum Mirandulanum circa annum Virginei partus, M. D. X. De dignitate verò sciendum est: Ambrosium nostrum Episcopum fuisse Lamocensem, & suffraganeum Archiepiscopatus Mantuani. Laborauitque suum opus Quadragesimale iussu Illustriss. Sigismundi Gonzagæ Marchionis, & Diaconi Cardinalis, & Mantuani Præsulis. De ipsius autem pietate, & eruditione pauca hæc referam à R. P. Vincentio Barsio Carmelita Mantuano transcripta: Is enim tanta cum stili & orationis dignitate Platonem, Aristotelem, cæterosque Philosophiæ vitiorum ex pultricis Anti-

tistites: his, Linum, Orpheum, & Theologiæ penitioris id genus Auctores alios tam sincerè, & diligentèr, tam copiosè & elegãter imitatur, & ea Latinitatis maiestate donat, vt illi præter trinum, & vnum Deum nihil redolere videantur. Illos inquam interpretatur, vt à veritate cœlesti ne digitum quidem transuersum discedant; adeo vt nouum differendi genus in Ambrosio fulgeat. In eo certè aliàs inauditus concionandi modus enitescit; quo scintillans, & penè fulminans corda mortalium dura penetrat, & penitus emollit; tanto ardore, tanta dicendi vi fremit, & in sacrilegos inuehitur: nec Ethnicorum Vatum tam fertur impetu, vt fecundissimæ Augustini doctrinæ obliuiscatur, aut fœcundissimos Ambrosium, Hieronymum, & Gregorium deserat; quibus vt æreo scuto in hostiles turmas vtitur; veteris, & noui Testamenti lorica triplici coopertus; posthabitis Synchronismi sui Scriptoribus, Magister verius, quàm imitator meo quidem iudicio dici poterit; si quis altiùs doctrinam in illis, & in hoc pariter trutinari, quàm libare maluerit. Ego enim, vt ingenuè verum profitear, quotiens Ambrosium lego, incredibili quodam relegendi teneor desiderio, cùm in vno omnia penè comperiam: Hæc Vincentius. Scripsitque noster Ambrosius libros de Immortalitate animæ, item Quadragesimale à R. P. F. Siluestro de Castellone Aretino Eremita correctum, & Typis mandatum Venetijs anno & Bibliopola supra à Possevino relato: in quo de Annunciatione Virginis Mariæ perpulchrum, pium, & eruditum habet Sermonem, qui est in ordine 62. siue Opusculum doctrinale, dialogizando inter Gentilem, & Sacerdotem, cuius inscriptio est, vt sequitur.

IN SERMONE DE ANNVNCIATIONE VIRGINIS SACRO SANCTISSIMÆ.

PRÆFATIO.

CAmpus in conuallibus erat sæpè conclusus. Qui etsi nunquam fuerit ab aliquo seminatus, aut humano adminiculo, seu vomere aratus, aut sarculo defossus, vel impinguatus fimo, miro tamen modo fonte irrigatus, floridus, ac fecundissimus semper fuit, ac nullius annui vsus cultu soli gratissimus. Qui sibi in illo complacens primum egit, vt campus hic nunquam hybernas glacies, aut pruinas, vel hyemales caligines persenserit, numquam rigido constrictus gelu, asperioris laborem frigoris tolerauerit, nulliusque torrentis æstus iniuriam sustinuerit: vtpotè in quo serenus verni temporis splendor eluxerit. Veniente itaque vere, quod perpetuum semper habuit solis diuino spiritu fotus campus, in virgam rectam, ac viridem surrexit: quæ mollioribus auris fota florem candidissimũ, desuper Sole illucescẽte germinauit. Nam eius solis gratia actũest, vt virga hęc, omnis expers iniuriæ, Virginis prouocata blanditijs, indumẽtum germinis, & comam floris accipiens, illi candidissimi ornatum emiserit. Qui flos cæteris ibidem
Cann. 2 astãtibus dulci sybilo susurrãs, illud Cãt. 2. dicebat: *Ego flos campi, & lilium cõuallium:*

A Campus hic, atque hortus, virginea caro MARIÆ est: quæ casta semper, & inuiolata permansit. Quę anima illa sanctissima suo tẽpore exornata in rectissimam virgam ex stirpe Iesse conuersa est: hæc virga recta semper ad cœlum, non curua, non flexa in terra, non cauata, sed solida: in qua, nec nodus mortalis culpæ, nec venialis cortex vnquam fuit. Virga aluus virginalis, & viscera dicũtur, quæ diuinæ lucis gratia illustrata, nullas culpæ tenebras lucida cognouerunt. Non enim decebat, vt quam mulierẽ ad lucem gentium Dominus destinauerat, prauitate tenebrarum sineret inuolui, aut charitatis igne priuari. Pulchra hæc virga, atque virgo semper, & to
B ta fuit: cuius pulchritudo non vidit corruptionem; quæ floris nitorem floruit, & flos eius numquam emarcuit; quoniam super eũ ascẽdit spiritus Domini, de quibus, videlicet virga, & flore, ait Esai. c. 11. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet: & requiescet super eum spiritus Domini.* Floris huius natura, id est, lilij conditio hæc semper fuit, quia non in asperitatibus montium, incultisque syluarũ locis, sed in hortorum amenitatibus generatur. Est itaque hortus hic mater sacratissima Domini, sæpè pudoris, vt perpetua ibi adfuerit mentis, & corporis

Recta.

Solida.

Pulch.

Esai. 11

Lilij natura.

poris integritas, & castitas virginalis; quibus veluti parietibus circundatus, nunquam esse potuit in cõculcationem; fons autẽ irriguus, & limpidissimus eius semper existens, ideo dicitur, quoniam eius aquam nemo turbare potuit, nemo polluere: est enim MARIA porta illa semper clausa, quã nemo aperuit; de qua *Eze. 44* diuinè cap. 44. Ezech. cecinit dicens: *Et conuerti me secũdùm viam portæ sanctorum exterioris, quæ respicit ad orientem, & hæc erat clausa, & ait ad me Dominus, porta hæc clausa erit, & non aperietur, & nemo transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel transibit per eam. Eritque clausa: quoniam dux ipse sedebit in ea, vt manducet panem in conspectu Domini; secundùm viam portæ introibit, & secũdùm viam portæ exibit.* Quæ est hæc porta, nisi MARIA? quare clausa, quia Virgo semper? porta igitur MARIA per quam Christus intrauit in hunc mundũ, quando virginali fusus est partu, & genitalia virginitatis claustra non soluit MARIA: sit intemeratum septum pudoris, & inuiolata integritatis durauere signacula, cùm exiret ex virgine: cuius altitudinem mundus sustinere non posset: est vtique porta multiplex, & inter cæteras est porta ventris, vnde ait Iob. cap. 3. *Iob. 3.* *Intenebrescant stellæ noctis illius: quia non concluſit portas vẽtris matris meæ.* Est ergo porta ventris, sed non omnis clausa semper, verùm vna sola potuit manere clausa, per quam sine dispendio claustrorum genitalium virginis partus exiuit; ideo ait Propheta: *Porta hæc clausa erit, & non aperietur; & nemo transibit per eam*: hoc est: nemo hominum: *Quoniam Dominus*, inquit, *Deus Israel transibit per eam; eritque clausa*, id est, & post transitum Domini erit clausa, & non aperietur à quocumque, nec aperta est, quoniam habuit semper ianuam suam *Ioan. 10* Christum, qui (dixit Ioan. 10. cap. *Ego sum ianua*) quã nemo ab ea potuit auellere. Hæc porta ad orientem aspiciebat, quoniam (vt ait Ambros. lib. de institutione Virginis) verum lumen effudit: quæ generauit orientem, *Zach. 6.* nam vt Zach. cap. *6. Oriens est nomen eius*, peperitque solem iustitiæ, qui ortus est timentibus nomen Dei, vt dicitur Malach. *Mala. 4.* cap. 4. Clausa itaque hæc porta dicitur, quæ solùm recipit Deum Israel: nam si de eo dictum est ad Ecclesiam Psalm. 147. *Quoniam confortauit seras portarum tuarum*, suam *Ps. 147.* portam confortare non potuit? sed confortauit profectò, & seruauit intactam, & ideo non est aperta ab, eo cui desponsata est. Non licebat enim, vt aperiretur, per quam Dominus transiuit; & post eum, inquit, erit clausa, hoc est, non aperiet eam Ioseph, quoniam di- *Mat. 1.* citur ei, Matth. 1. *Noli timere, accipere MARIAM coniugem tuam; quod enim ex ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Porta clausa est

A MARIÆ virginitas, quã semel clausit sanctus, & verus, qui vt dicitur Apoc. cap. 3. & *Apocal. cap. 3.* Esai. c. 22. *Habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit, & claudit, & nemo aperit.* *Esai. 22.* O fœlicissimus hortus, cuius emissiones paradisus sunt! cuius sepẽ numquam momordit serpens, cuius fructus, & flos, sublimis; immaculatus est, & innoxius: in quo non spinarum offendit asperitas, sed gratia circumfusa claruit: sunt enim spinæ rosarum, tormenta martyrum, quas spinas non habet inoffensa diuinitas, quæ tormenta non sensit.

GENTILIS.

Si me diligis, & amore cõplecteris, rem omnem à principio per interpositos nodos dissolues: sic etenim fiet, vt te faciliùs intelligã B ad cuius modò verba sum: nõ secus, vt asellus ad lyram, vt prouerbio fertur: adeo tibi crassis auribus intractabilis est, & indocilis bonarũ artium. Quare illud in primis dicito cur mundũ, cur hominẽ, & eum liberum, qui peccare posset, fecit Deus, si ipsum malè vsurũ nouerat arbitrio? Ampliùs cur eum permisit tẽtari, quẽ præuiderat casurum? & cùm & Angelus, & homo ceciderit, quare solum hominẽ ab his malis eripere statuerit? Ampliùs cur per Deum hominem, & non per creaturam satisfecit, chyrographumque, aboleuit? ampliùs cur nõ alia persona, sed solus filius factus est? Mediator, cur non statim hominẽ C liberauit? cur tãtùm distulit. Cur hoc tempore potiùs, cur hoc mense Martij? Quare denique conuincitur aduersarius iam venisse? Quib⁹ enucleatis, rei, factiq; seriẽ omnẽ explicabis, si mihi opere preciũ facere desideras.

SACERDOS. Vereor ne, cùm res egregias hasce dixero, tu veluti sus stolidus nõ tubam audias; aut si audies non miraberis, aut si miraberis, non gaudeas, commouearisque sed vt tibi morem geram, veluti equus tubarum clangore, ecce concitor ad bellum: Veritus tamen, ne in decore tentem artificium differendi has difficultates, quarum absque dubio imperitus sum, & tibi vitio detur, quod fuem nõ citiùs obigas, quàm animes ad D pugnam, quandoquidem quid graculo eũ fidibus, aut imperito homini, qualis ego sũ, eũ bonis litteris? dicam tamen, vteumque, quæ legi in bonis auctoribus, vt tibi gratificer, sed priùs cum Augustino 3. Soliloquiorum flexis genibus sic orabo verbũ, per quod facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil; verbũ ante omnia, & ante quod nihil. Verbum creans omnia, sine quo nihil omnia. Verbum, quod à principio dixisti: *Fiat lux, & facta est lux.* Dic nũc, fiat lux in medio cordis huius, & fiat vt videã lumen, & cognoscã vitare tenebras, quę te non cõprehendunt. Da ergo lumen in corde, verbũ in ore, aperi scientiarũ secreta scripturarũ, & profunda mysteriorũ Regni tui, & reuela primò, cur feciſti mũdũ? videtur

nunc

Augustin. cur mundum fecit.

nunc cum Augustin. dicendum in lib. de Doctrina Christiana: ideo fecisse mundum, quia bonus est, qui non solùm ab æterno voluit producere filium, & cum filio spiritum, sed etiã in tempore creando, voluit suam diffundere bonitatem: hoc enim nom, bonum, licèt absolutum sit, & Deo competat ad se ipsum; tamen in diuinis ianuis situm, & internę, & externę operationi obsecutum adeo est, vt Deũ extra seipsum videatur in vniuersorum creationem instigasse, & exiuisse; instigauit, enim, ac permouit deitatem, vt tam extra se, quàm intra se communicatione, & propagatione sui aliquod moliretur: nam verissima, ac sincera boni ratio communicatio sui ipsius est, quemadmodum & contrarij diffinitio mali, est proprij radij intra se retentio, illiusque denegatio, si enim Phebus orbis prope lucis radios ita intra se retentaret, ita illos dumtaxat in se ipsum conuerteret, vt illi in mundum nequaquam spargerentur. Haud esset Phebus à mali nomine alienus, vt qui denegatione suæ lucis sineret mundum esse in tenebris: attamen hactenus sol bonum Deum imitatur, quòd propriæ lucis iubar affatim, extrà se fundit, illudque in omnia inferiora abire permittit. Quare sicut per solam bonitatem diuina monas progressa est ab æterno in dyadem, & tam monas quam dyas simul profectæ sunt in triadem: ita sub ratione solius boni Deus extra se ipsum profectus cuncta exteriora vniuersi opera patrauit in tempore. Inter hæc verò opera vnum reperitur, quod est aliorum quodammodo finis, videlicet, homo, quem fecit Deus, vt ait Augustin. vt summum bonum intelligeret, & intelligendo amaret, & amando possideret, ac possidendo frueretur. Quare sicut factus est homo propter Deum, id est, vt ei seruiret; ita mundus factus est propter hominem, id est, vt ei seruiret: totum ergo bonum hominis erat, & quod factum est propter ipsum: & propter quod factus est ipse: vt dicit Magister dist. 1. 2. sententiarum, sed de hoc aliàs disseruimus. Quam quam & aliam causam, quam non arbitror principalium, Augustin. referat in qq. veteris, & noui testamenti quæst. 11. videlicet: Deus fecit hominem, vt præsumptionem Dęmonis, non potestate, sed ratione destrueret quoniam ipse priùs elatione inflatus voluit dici Deus. Gentilis, quomodo cuncta fluxerunt à Deo in esse suo? Rursus nũquid inane fuit aliquid, vbi faceret mundum; aut quid prius erat vbi fecit? Sacerdos: hoc Apostolus Actor. 17. paucis absoluit. Ait enim cùm de Deo esset sermo: *In ipso viuimus, & mouemur, & sumus*: hoc est, omnia esse in Deo, quia vbique est, & ante omnia solus, & æternus, & inuisibilis omnis creaturæ. Dictum illud Apostoli ab Arato accepit, atque hoc

Cur hominum.

An inane erat Act. 17.

A

B

C

D

est (vt aliàs recolo, me dixisse) quod Anaxagoras ait: videlicet, erãt omnia simul: & Democritus, Erant, inquit omnia simul potentia. Dinami, id est, in ipso posse, hoc est, in infinito, quod Deum esse vult. Xenophanes Parmenidis, pręceptor & Pithagoræ coęuus, quare, si aut nunquam veteres intelligimus: hæc certè illa mixtura est rerum siue commixtio Empedoclis, & Anaximandri; non in aliquo Hesiodi, aut Aristophanis chao nocte, & erebo confusa, sed in deitatis pleno lumine discreta, & in ipso infiniti luminis intimo penetrali ordinata, quibus patet, vbi fuerant entia antequam in esse existere deducerentur, quomodo autẽ cuncta fluant à Deo in esse suo, impossibile videtur affatu, nisi fluant quemadmodum artificiata ex mente artificis; habuit enim cuncta in mente Deus ab æterno, quæ iuxta voluntatem in esse in tempore posuit, nullo extrinseco adhibito adminiculo, quoniam omnipotens nullo adiutorio eget, non sic domificator: hic enim, si domum quam in mente habet, per voluntatem vult in esse deducere, plurimis eget medijs lignis, lapidibus, & calce ad formam præconceptam inducendam; quoniam in eo potentia non conuertitur cum voluntate; non sic in Deo necessaria talia sunt, vt Cicero, & quidam alij Poetarum crediderunt. Fluit enim à forma Dei omnis forma, & ab esse diuino omne esse, & à bonitate diuina omnis bonitas, & à veritate omnis veritas, quẽ fluxum creationem vocamus. Quæ tunc fuit quando placuit Deo, quare cur mundum, & hominem Deus produxerit, ex his patet: cùm autem tertiò quæritur, cur eum liberum fecit, quem libero arbitrio pessimè vsurum prę conceperat? Respondetur, quòd hominem esse impeccabilem, impossibile est. Repugnat enim hominis rationi, vt Theologi in 2. sententiar. contendunt. Secundò, quia libertas, qua rectè viuitur, & sine qua non rectè viuitur, quoddam bonum est, ideo decuit illam dare homini. Neque ob mali vsus prænotionem abstinere debuit ab hac tanti muneris collatione, sicut non decet & hominem esse mancum, quoniam prænotum erat membro illum perperam vsurum: si enim Deus hominem creasset absque crure vno quilibet nostrum diceret, debere illum habere membrum illud, quo caret. Quare sicut nos non intuentes in vsus malos, vel in hominem malè vtentem dicimus, indecens esse hunc priuari illo, ita de libero arbitrio est dicendum. Agendę itaq; gratiæ sunt ei qui dedit, & probro illi dandum, qui malè vtitur; adde quòd melius, glorioſiusq; est hominem suis meritis exaltari, quã natura, nec quisquã est, qui debeat coronari, nisi priùs certauerit legitimè, vt ait, 2. ad Timotheum cap. 2. Apostolus.

Cicero.

Cur liberum.

2. ad Timot. 2.

Ad

Cur tentari permisit. Augusti.

Ad quartũ, cur permiserit tẽtari? Respondetur, quia tentari malũ non est: sed tentationi succumbere, aut consentire. Aliter autem respondet Augustin. lib. 11. supra Genes. ad lit. cap. 5. ait enim Diabolum non deiecisse Adam, nisi in eo præcessisset quædam elatio comprimenda: id autem intelligimus de ruina in esum vetiti, quam elatio comprimenda præcesserit, & non tentationem. Sic Magister senten. in 2. dist. 22. interpretatur: permisit itaque Deus hominem tentari, & labi, vt per humiliationem peccati (quam de falso præsumpserat) disceret. Vnde Prouerb. cap. 16. *Ante ruinam exaltatur cor, & ante gloriam humiliatur.* Et fortasse huius hominis est illa vox. Psalm. 29. *Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum.* Extollenti se itaque animæ, & nimium de propria virtute præsumẽti, etiam experimento pœnæ fuerat demõstrandum, quoniam nõ bene se habeat facta natura, si à faciente recesserit. Chrysost. autem primo de prouidentia Dei sic hoc confitetur: si non, inquit, permisisset Deus Adam labi, non cognouisset Adã quantum boni ante habuerit. Neque suam illam arrogantiam vnquam deseruisset; qui enim se ipsum in tantum culmen honoris erexerat, vt se fieri Deum expectaret, quo non prorupisset audacię, nisi digna fuisset animaduersione castigatus? addit etiam, Euam, & Adã omnino postea casuros absente Diabolo ex alio peccato, si nõ illa vice cecidissent grauiùsq; pecccaturos: quare minùs malum fuit, sic eos deliquisse ex suggestione, quàm sine illa, sed cur mandatum dedit, inquies forsan cùm prænouerit, illos esse peccaturos? Respondit, quoniam melius fuit dare illud, quàm non: si enim non dedisset. Adam in tot delitijs, & securitate positus ob tantã licentiam, & negligentiam, ad deteriora prorupisset, ad summum flagitiorũ euasisset, si nulla cura frenatus extitisset. Nam si in tantam dementiam peruenit, vt se Deum fieri speraret, dum non esset de immortalitate securus, neque ignoraret eam ipsam spem, ceu dubiam pendere, quo non progressus esset arrogantiæ? Quid non peccasset? quãdoquidem si nullo mandato accepto Diabolus ad eum accessisset, consuluisset que eum à Deo recedere, id quoque illi, & facilè persuasisset: nã qui post acceptum mandatum præcipientem sic leuiter contempsit: si nihil ab eo audisset, se sub Domino esse nesciuisset, ideo Deus anticipauit, vt ex mandato eum doceret habere Dominum, cui parere oportebat. Hæc ille.

Prouerb. cap. 16. Psal. 29

Ad quintum, cur potius Angelum in totum destituit, & hominem liberare potiùs prælegit? Respondetur, Angelorum peccatum in eis spontaneam originem habuit, vt qui nullius impulsu ab suo Ordine excesserunt, & infelicite relati diuinos honores appetierunt, at homo natura liber quamquam potuisset per se absque vlla Dæmonis suggestione labi in peccatum, tamen quod potuit nequaquam executus est, prius quàm Dæmoniaca suggestio illum à Deo auerterit; inuidens enim vafer spiritus hominis recenter creati, & in paradisum à Deo translati, tam præsenti, quàm futuræ felicitati, illum miro actu elusit, quare ipsum in paradiso vincens, in hoc mundo pro suæ immanitatis libidine, velut turpe mancipium, seruumque possedit, ampliùs non omnes Angeli, sic vt omnes homines per peccatum deciderunt: non enim vnius Angeli peccatum fuit omnium Angelorum peccatum; quoniam Angelici spiritus inter se sunt discontinui: non enim alius ab alio originem ducit, at vnius primi hominis peccatum omnium deinceps hominum transgressio fuit. Ampliùs Angelica noxa venia, & miseratione Dei indigna apparuit; quoniã Angeli simplices erant, & sapientes ab initio suum principium, auctoremve noscentes, homines verò, non eodem modo, quo Angeli vniuersa cognoscebant, vt qui à natura mini mè eruditi, & sapientes erant. Rursus Angeli nullum carnis contuberniũm habuerunt, quare non ab oculorum aspectu, & ligni pulchritudine, visa allecti sunt; homo autem infirmitate carnis nõ caruit: qua propter peccatum Dæmonis, cùm longè esset grauius, miseratione diuina indignum apparuit, & non hominis peccatum: mitto, quòd Angelus in termino peccauit, & ideo pœnitere non potest, vt homo, qui peccauit in via. Quare cùm diuina sapientia statuisset, hominem rectum, atque liberum creare, ea conditione, vt si maneret Dei gratia in sua rectitudine, in mortalitatem consequeretur, cumque etiam præuidisset, ipsum à diuina potentia, sapientia, & bonitate casurũ, statuit humanæ ignorantiæ, ac fragilitati, fraude Dæmonis illusæ illi? clementer ignoscere; ipsumque ad diuinam potentiam imitandam sapientiæ lucem cognoscendam; & denique ad plenitudinem bonitatis diligendam reducere ex hac ruina.

Conclusio.

Ad 6. Cur Deus humanitate, & nõ Angelus satisfecit?

Ad sextum respondetur, quòd neque Angelus soluere posset precium conueniens pro salute hominis, neque fuisset decens non hominem pœnitentiam fecisse, qui peccauit, sed Angelum; quare decuit Deum humanam assumere carnem, vt his indutus exuuijs Deus esset, & homo: qui vt Deus soluere precium, & delere chyrographum, id est, sententiam datam in Adam, solutione precij mediante, & vt homo sanguinem fundere proprietatis posset.

Ad 7. Cur filius.

Ad septimum dicimus, potius filium quã patrem, aut Spiritum Sanctum decuisse integerrimam nostræ humanitatis substãtiam accepisse, cùm (vt ait Augustin.) ad iniuriam

filij pertinuisset, si opus per eum factum, per alterum reformatum fuisset. Tum ne nomen filij ad alterum transiret, qui nõ esset in æterna natiuitate filius: non enim erat conueniés filios in Trinitate multiplicari, & filiationes, numera in Trinitate personas diuinas ordine quo secũdũ processiones se habent, & dices pater, filius, & Spiritus Sãctus, numera in natura creata res creatas, & dices Angelus homo, & res sẽsibiles. Quare sicut ordine Analogiæ Angelus patri, & res sensibiles spiritui supponuntur, ita homo filio respondet, & comparatur. Satius ergo fuit hominem per Verbum, cui corruit, redimi, quàm per personas alias, quibus non comparatur. Ampliùs decuit dyadem, id est, secũdam personam litem omnem, & dissociationem dirimere: hoc est: dyadem aliam terminare, ne dyas amplius sit: incarnatio enim Dei facta est dumtaxat humanæ conciliationis gratia, vt quemadmodum per peccatum humana species diuidebatur à patre, ita per incarnationem sublato peccato eadem species in sui rediret gratiam Saluatoris: si igitur omne peccatum lis est, & diuisio aliquorum; igitur omne oritur in numero dyadis. Nempe diuisio dyas quædam est, cùm sit duorum ad minùs dissidentium multitudo, dyas ergo est verbi numerus, & alia ratione est numerus peccati, est inquã paterni splendoris numerus, prout secundo loco à patre inter personas numeratur, & est appellatio peccati, sicut & diuisionis, & discordiæ, quapropter diuina dyas congruè destruxit dyadem, hoc est, discordiam creaturarum à Deo, restituens earum pacem, concordiam, vnitatem, & amorem cum Deo. Vnde Esai, *Disciplina pacis nostræ super eum*, ampliùs duplici generatione nasci debuit, videlicet æterna, & materna: in æterna, quæ est diuinior, patrem habuit, & non matrem; in materna verò matrem absque patre; sic in his duabus generationibus, sit patri similis, hoc modo, quòd sicut pater ille diuinus absque patre est, & absque matre; ita & filius absque matre est in æterna, & absque patre in secunda, & hanc Lactant. Ex Hermete Trisme. deduxit. Ampliùs decuit hoc magis secundùm August. lib. quæstionũ noui, & veteris testamenti, cap. 2. quia ad ipsum pertinebat venire ad comprimendum Dæmonem, qui post Deum, scilicet, Patrem Deus dici voluerat, nam filius origine, & nõ natura secundus dicitur Deus; quare decuit ipsum filiũ venire per carnis amictũ, & manifestare se creaturæ, vt reprobato Diabolo ipsum cognosceret esse Deũ: cuius principatũ Diabolus sibi vsurpauerat, non etiam poterat homo curari, nisi recuperasset mentis innocentiam, Dei amicitiam, & sui excellentiam. Innocentiam recuperare non poterat, nisi per sufficientissimum satisfactorem; modò pro vniuerso hominum genere satisfacere solus Deus poterat, pati autem non Deus, sed homo poterat, qui peccauerat. Amicitiam secundò recuperare non poterat, nisi per congruum reconciliatorem, qui manum ad vtrumque posset extendere; qui vtroque extremo esset quoquomodo cognatus, & amicus; talis fuit filius Dei, & hominis; mediator conueniens: à quo solo excellentiam perditam recuperare poterat, quare cùm homo ex potentia in imbecillitatem decidisset, & ex sapientia in ignorantiam, & ex bonitate in malitiã; voluisset que Deus huic ex alto manum porrigere adiutricẽ, vt seipsum imitabilem, visibilem, & amabilem demonstraret, nullus ad hoc aptior modus visus est, quàm quòd Deus fieret homo, vt qui corporalis iam factus, corporalibus inhiabat, Deum iam quodammodo corporalem, & humanum clariùs cognosceret, amaret ardentiùs, & faciliùs diligentiusuè imitaretur, fieretque Beatus; vnde Magister & doctè, ac verè 3. sentent. dist. 20. dicimus & alium modum fuisse posibilem Deo, cuius potestati cuncta subiacent, sed nostræ miseriæ sanandę conuenientiorem modum alium non fuisse. Quid enim mentes nostras tantùm erigit, & ab immortalitatis disperatione liberat, quàm quod tanti nos fecerit Deus, vt Dei filius immutabiliter bonus in se manens quod erat, & à nobis accipiés quod nõ erat, dignatus sit nostrum adire consortiũ, & mala nostra morien do perferre? hęc ille. Vide quàm benè cuncta cunctis correspondeant, decepit mulierem Diabolus sub spicie serpentis, & Christus sub specie humana latuit. Quare dæmon specie humanam inuadens captus est ab hamo diuinitatis: quò sit vt ex parte Dæmonis cõgruerit, ita hominem liberare: August. 11. libro quæstionum noui, & veteris Testamenti capite 83. nonne siquis vult in terra sua Barbaros decipere, immutat se in habitu illorum, vt putetur vnus ex his? & sic explorat quomodo illos subuertat? ita factum est de Diabolo, quoniam malo more hominem subuerterat; vt in morte non remaneret, inuentum est remediũ quomodo quos malè tenebat, amitteret, & subintraretur ei, & quem putabat se velut hominem occidisse, reperiret illum apud inferos Deum, quo facto reus inuentus omnes, quos tenebat, amisit, & de cætero aperta est ad cœlum via; hæc ille, quale aliquid simile legimus apud Valerium de Codro Rege, qui habitum rusticanum assumpserat, vt exercitum sua morte saluaret, victoriamque consequeretur. Congruit etiam ex parte morbi; in casu enim hominis malus accessit Angelus ad Euam; in redẽptione verò bonus accessit Angelus ad MARIAM: decepit ille, salutauit iste, ille ad pomum vetitum comedendum parentes induxit; iste ad

diui-

Esa. 53.

Concl. 2.

Magist. sent.

Correspondentia.

diuinam obedientiam animum MARIÆ incitauit, ibi mulier superuiuit, hìc humiliatur: Ibi virum traxit ad peccatum, hìc Deũ traxit MARIA ad se ipsam; ibi vir Dei contempsit imperium; hìc Christus Patri per omnia obediuit: ibi vir pomi gustauit dulcedinem, hìc fellis gustauit amaritudinem; ille in ligno peccauit: hic in ligno disciplinatus est, & vapulauit; ille pellicea habuit vestimenta, & perizomata de ficu: iste vestimẽta amisit, & positæ sunt sortes super illis: ille hora nona gauisus est; hic eadem doluit grauissimè. Sicque contraria cõtrarijs curata sunt; congruum etiam fuit ex parte hominis liberandi, nam ita inflãmatur ad Deum amandum, à quo videt se tantopere esse amatum, magnum siquidem beneficium putat quis, si alius Dominus pro liberando seruo precem fundit; maius verò, si aurum erogat, maximum, si pro eo tradat amicum, vt inimicum liberet: illud verò insolitum est, & inauditum, si pro seruo crimine læsæ maiestatis infecto semetipsum traderet ad vilissimũ mortis supplicium, vnde Ioannes: *Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat pro amicis suis*; quid enim potuit pro homine facere maius Deus? quomodo magis humiliari? si solo verbo regenerasset, sicut solo creauit: dixisset; quid pro me laborauit? quid fecit? Sed obstructũ est os loquẽtium iniqua, nam ne hoc dicere posses; laborauit, sudauit, alsit, sitiuit, esurijt, ieiunauit, paupertatẽ, & improperia sustinuit, lachrimas fudit amaras, captus est, ligatus, cõsputus, vapulauit, illusus, spinis coronatus, morti adiudicatus, spoliatus, clauis cõfixus, & mortuus, & derisus: hæc fũt, quę pro te egit. Nũquid hęc pauca sunt? Nũquid maiora vidisti? omni ergo ex parte congruentissimum fuit, Deum pro homine liberando pati, ex parte Dei, ex parte criminis, Diaboli, atque hominis. Quare, &c.

Cur tam diù distulit?

Dubitas secundò de temporibus, & primo cur non statim ab initio humanum genus redemerit, sed tandiù redimere distulerit? Ad quod respondit Matth. cap. 13. cùm ait: *Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo, vnde ergo habet zizania? & ait illis: inimicus homo hoc fecit*: Serui autem dixerunt ei. *Vis imus, & colligimus ea*, & ait: *non ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul, & triticum; sinite vtraque crescere vsque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus: colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum*: Nam ob tres causas noluit Deus statim ab initio destruere peccatum, & humanum redimere genus. Prima causa est, vt longanimitas, & patientia Dei probaretur: *Qui solem suum super bonos, & malos oriri facit*. Secunda, vt patientia electorum etiam probaretur, qui inter impios conuersati, malo nequaquam consensere, sed perseuerauerunt innoxij. Tertia, vt fructus virtutis, & peccati effectus aliquandiu appareret. Seminatum est enim, inquit, Esdras. germen seminis mali in corde Adam ab initio, & quantum malum incipiet facere quoadvsque veniat area? Noluit igitur Deus disperdere, & delere peccatum, cùm adhuc esset in semine, priùs quàm in deterius profecisset, & operatum esset omnem nequitiam, sed patienter expectauit, quoad semen peccati immissum à Diabolo in corde Adæ in excelsam arborem excreuisset; vt deinceps in iuditio, & iustitia peccatum ipsum à Deo succideretur. GENTILIS. Si ante veniisset, multò plures saluati fuissent, cur ergo non priùs misericordiam fecit? SACERDOS. Ambros. lib. 2. de vocatione omnium gentium cap. 5. ita respondet; quoniam in hominibus illius temporis (quo mundi redemptor aduenit) quantò erat propago tardior, tantò & iniquitas inuenta robustior; probauit hoc iudaici furoris impietas, & quam apta Euangelica Christi fuerit illa generatio, non solùm populi, sed etiã Scribarum, & Principum, ac Sacerdotum corda docuerunt. Quibus parum fuit in agnum Dei tollentem peccatum mundi, contra testificationem legis, contra oracula prophetarum, contra diuinarum experimenta virtutum, seditionibus, contumelijs, sputis, alapis, lapidibus, flagris, & ad postremum crucis atrocitate sęuisse, nisi etiam testes resurrectionis eius eadem persequerentur insania, quam Apostoli (quando à Pontificibus flagellati sunt) ostenderunt in Psalm. 2. Prophetatum dicentes, Actuum 4. cap. *Domine, tu es qui fecisti cœlum, & terrã & mare, & omnia qua in eis sunt; qui Spiritu Sancto per os patris nostri Dauid pueri tui dixisti; quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania, &c.* Igitur ad manifestandam gratiã Dei (quæ ex æterno eius, incommutabilique consilio, in salutem omnium gentium disponebatur) nõ priora, quasi incapacia declinata sunt tempora, sed ista electa, quæ tales populos ediderunt; quorum ferox, & voluntaria iniquitas non consulendi affectu, sed intentione sæuiendi persisteret facere, quæ manus Dei, & consilium decreuerunt fieri, vt mirabilior esset gratia, & potentia Dei, quæ de tam duris animis, tam tenebrosis mentibus, tam inimicis cordibus, fecit sibi populum fidelem subditum sanctum. Qui non per sapientiam huius mundi peruenit ad lumen sapientiæ Dei, sed per illius donũ, de quo testatur Ioannes Apostolus 1 Cant. cap. 5. dicens: *Scimus, quia filius Dei venit, & dedit nobis sensum, vt cognoscamus verum Deum, & simus in vero filio eius*, & Apost. ad Colos. c. 1. *Gratias agentes Patri, qui dignos nos fecit in partem*

Mat. 13

Mat. 5.

Esdræ.

Ambr.

Psal. 2. *Act.* 4.

1. *Ioã.* 5. *Colos.* 1.

partem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos de tenebris, & de potestate tenebrarum, & transtulit in Regnum filij dilectionis suæ. Et ad Titum cap. 5. *Eramus aliquando insipientes, increduli, errantes, seruientes desiderijs, & voluptatibus varijs, in malitia, & inuidia, egentes, odibiles, odientes inuicem. Cùm autem benignitas, & humanitas apparuit Saluatoris nostri, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm misericordiam suam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis Spiritus Sancti, quem effudit in nobis abundè per Iesum Christum Saluatorem nostrum, vt iustificati gratia ipsius hæredes simus secundùm spem vitæ æternæ*: Potuit ne pleniùs, luculetiùs, veriùs, explicari, quæ merita hominum Christus inuenerit, & quos sibi mores subiecerit? Quæ ad se corda conuerterit, quando venit mederi non sanis, sed malè habentibus, & vocare non iustos, sed peccatores? quoniã populus gentium. Vt dicit Esai. cap. 9. *Qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam, & sedentibus in tenebris, & vmbra mortis lux orta est illis.* Fremebant gentes, sæuiebant Reges, & potestates contradicebant, superstitiones, & totius mundi reluctabantur errores, sed de resistentibus, furentibus, persequentibus, populum suum, Christus augebat; & per vincula, ac supplicia, mortesque sanctorum roborobatur fides. Vincebat veritas, perque vniuersum mundũ Dominici: agri segetis multiplicabatur vbertas, hæc ille. An ideo medicum quis iustè arguet (vt ait Augustin. lib. 2. quæstionũ noui testamenti cap. 83.) quod medicamenta sua, & officium suum gratis impendet, † & accusabitur tarditas eius ab eis à quibus non est requisitus? Venit ergo quãdo & subueniri debere sciuit, & gratum futurum beneficium; si enim ei, cui necessitas imminet ante subueniatur, erit quidem gratum, non tamen valde poterit scire, quid sibi præstitum est; si autem in ipsa necessitate posito auxilium ferat, sciet quale beneficium consequutus sit. De tribulatione enim ereptus maiores gratias refert, quomodo si esurienti offeras panem; si autem offeras, cùm non esurit, non vtique tam gratum erit: hæc ille. De cuit etiam hominem ætate sexta mundi regenerare, quem sexta die mundi creauerat, qua appropinquante accendit Deus desiderij igne corda Prophetarum. Hinc querulæ illæ, & plenæ murmure voces apud Esai. cap. 8. *Manda remanda, expecta reexpecta, modicum ibi, & modicum ibi, vt vadant, & cadant retrorsum, & conterantur, & illaqueentur, & capiantur.* Verba hæc dicunt Prophetæ Esai. tribus duæ Iudęorum, irridendo illum, & alios Prophetas; mos enim erat Prophetarum dicere: Deus mandat hõc, vnde cap. 5. *Ait mandabo nubibus meis, &c.*

Titũ 5.

Esai. 9.

Augustin.

† impenderit.

ætate sexta.

querulæ.

Esai. 28

Esai. 5.

A Et cap. 13: *Dominus præcepit militiæ belli*, vnde ipsi mali irrisores aiunt: *Manda remanda*, recitando verba Prophetarum, quasi dicant: minare quod vis, non timemus minas tuas; verum hæc verba erunt illis causa, vt vadãt, in interitum, vel captiuitatem, & cadant retrorsum, & conterantur fame, & pestilentia, & illaqueẽtur, id est, ligati ducantur in captiuitatem, & capti teneantur à Chaldeis, vel Romanis; inde anxiæ illæ, & plenæ pietate, & præces Prophetarum, verbi causa Esai. cap. 16. *Emitte agnum Domine dominatorem terræ: de petra deserti ad montem filiæ Sion.* De petra deserti, id est, Ruth Gentili Moabite, quæ nupsit Booz, vt patet Ruth. cap. 4. Ex quo genuit Obeth patrem B Iesse, patrem Dauid, de cuius semine nata est mater Domini. Dicitur autem Ruth, & Gentilis omnis desertus ob idolatriam, & lapis, seu petra, quoniam lapides colebant. Vnde Luc. 3. cap. dicitur: *Potens est autem Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Simile habetur de lapidum clamore, Luc. 19. ca. cùm ait: *Si hi tacuerint, lapides, clamabunt.* An fortè petra hæc deserti Beata MARIA dicenda est, & mons ille adamantinus, vnde vt ait, Dan. cap. 2. *sine manibus excisus est lapis* ille angularis, qui fecit vtraque vnum, cui innititur omnis ædificatio, nõ cessura tempestatibus huius seculi, in quem C quisquis impegerit, elidetur. Esai. cap. 45. *Rorate cœli desuper, & nubes pluãt iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem, & iustitia oriatur simul.* Quasi diceret, ò Pater, emitte cœlestis gratiæ rore filium, quiros dicitur etiam Osęę. c. 14. *Ero quasi ros, & Israel germinabit sicut lilium*, nubis verò hæc pluuia voluntaria est, quam cœli distillauerant. Vnde de hac Psa. 67. *Cœli distillauerunt à facie Dei.* Quando invicem stillicidiorum manna descendit à facie Dei; quia per columnam ignis, ac nubis Dei præsentia cognoscebatur, hæc autem pluuia voluntaria, id est, manna Iudęis data est, qui erant Domini hæreditas. Vnde legitur, & facta est D portio Domini populus eius *funiculus hæreditatis eius Israel.* Psalm. 104. MARIA, illa nubes est leuis, supra quam ascendit Dominus, de qua ait Esai. cap. 19. *Ecce Dominus sedet supra nubem leuem, & veniet in Ægyptum.* Significans, quòd in Ægyptum, id est, in afflictionem istam mundi huius venturus erat per Virginem. Hæc autem dicitur nubes, quia carnem habet, dicitur leuis, quia Virgo erat, nullis oneribus grauata peccati; & certè vera † leuis erat, quæ remissionem peccatorum vtero gestabat, quæ leuauit hunc mundum de graui fœnore peccatorum. Huius sacratæ nubis imbrem Patres nostri annuntiauerunt nobis salutem mundi futurum, hunc imbrem significabann esse venturum

Idẽ 13.

Anxiæ præces.

Esai. 16

Ruth. 4

Lucæ 3.

Luc. 19.

Maria est petra Dan. 2.

Esai. 45

Osę. 4.

Psal. 67

Ps. 104. Maria nubes est.

Esai. 19

† nubis. leuis.

rum stillicidia stillantia supra terram, quod Ibroboal † popoſcit, & meruit; bonam ita quæ hanc nubem ſequamur, quæ fontem intra ſe genuit, quo rigauit orbem terrarum, excipiamus hanc pluuiam voluntariam, pluuiam benedictionis, quam hæreditati ſuæ Dominus effudit. Excipianus hanc aquam, & non effluat nobis, quia nubes eſt, MARIA eſt, & terra ſancta eſt, quæ per ſolum animi cõſenſum aperta germinauit Saluatorẽ. Vnde dicitur: *Veritas de terra orta eſt, & iuſtitia de cœlo proſpexit.* Pſal. 84. Tunc ex terra veritas orta eſt, quando ex MARIA Virgine *Verbum caro factum eſt.* Tunc iuſtitia de cœlo pro ſpexit, quando humano generi periclitanti filius Dei mirabili diſpenſatione ſubuenit. O MARIA Sanctiſsima, tu illa terra ſancta es, tu illa noua terra, ac benedicta es totiens promiſſa à Deo, quæ diuino grauida ſemine, non ſpinas, & tribulos (quemadmodum vetus illa maledicta) ſed vitæ cibum protuliſti. Tui ſimilitudinem præ ſe gerebat, niueum vellus Gedeonis, quæ à carnis quidẽ: contagio longè ſemota, at cœleſti rore ter compluta Trinitatis opificio triformem fœtum pura concepiſti, Eſa. cap 64. *Vtinam diſrumperes cœlos Domine, & deſcenderes, vt notum fieret nomen tuum inimicis tuis, à facie tua gentes turbarentur.* Vide quàm vehementi deſiderio petant aduentum Saluatoris in carne, vt optent vſque adeò accelerari, vt nec hoſtium quærat. Mos hic eſt loquendi noſter, quod tum feſtinamus de loco quouis exire, viam nullam tenemus, ſed breuiùs quàm poſſumus, egredi contendimus, & impedientia obſtacula diſrumpimus, vnde ait. *Vtinam* aduentum tuum acceleraret: & promiſſa impleres, quaſi diceret: *Excita potentiam tuam, & veni, & magna nobis virtute ſuccurre*, Pſalm. 79. & Pſal. 143. *Inclina cœlos tuos, & deſcende: emitte manum tuam de alto.* Et Pſal. 42. *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam.* Et Pſalm. 7. *Exurge Domine Deus in præcepto quod mandaſti.* Et Pſal. 43. *Exurge, quare obdormis Domine, exurge ne repelias in finem. Exurge Domine, adiuua nos* Et Cant. 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Oſculũ eſt, quod ex labio oſculante, & oſculato, vt ita loqui pro nunc liceat, conficitur, & Chriſtum inſinuat, quod diuinam in ſe habet, & humanam naturam: tale itaque fuit deſiderium patrum in carne Chriſtum ſuſpirantium, & ad medicum ſuppliciter clamantium, & de nimia mora conquerentium, Bernardus ardorem deſiderij antiquorum patrum Chriſti in carnem præſentiam ſuſpirantium frequentiſsimè cogitans, compungor, & confundor, in memetipſo, & nunc vix contineo lacrymas, ita pudet teporis, torporiſque miſerabilium temporum horum, verùm quùm reuelata fuit Prophetis vicinitas aduentus, lætari magnopere cæperunt. Vnde his factæ ſunt ille blandæ, & plenæ conſolatione promiſsiones, vnde Abacuch: *Ecce apparebit Dominus, & non mentietur, ſi moram fecerit, expecta eum; quia veniet, & non tardabit.* Eſai. capit. 14. *Prope eſt, vt veniat tempus eius, & dies eius ſiones b. non elongabuntur: miſerebitur Deus Iacob, & Iſrael ſaluabitur.* Et cap. 51. *Prope eſt iuſtus meus.* Et cap. 55. *Inuocate eum, dum prope eſt.* Et cap. 25. *Ecce Domine expectauimus eum, & ſaluabit nos.* Aggeus verò cap. 2. ait: *Adhuc vnum modicũ: & ego mouebo cœlum*, videlicet per eclypſim, *& terram*, videlicet per ſciſſuras, *& aridam, & mare*, videlicet per ambulationis miraculum, *& veniet deſideratus cunctis gentibus.* Vbi Propheta etiam ſecundùm Talmudiſtas, & Rabbi Kiua, præcipuè (vt apparet cap. Helec) de Meſsia ſermoeſt, quaprophetia apparet, quòd ſi adhuc ille Meſsiæ aduentus expectandus eſſet, falſum dixiſſet Propheta, adhuc vnum modicum, quum à tempore, quo huiuſmodi prophetia prolata erat, plus quàm duo millia annorum tranſierunt; hoc autem modicum quantum fuerit, explicat Daniel. cap. 9. dicens: *Septuaginta hebdomadæ deciſæ, vel abbreuiatæ ſunt ſuper populum tuum & ſuper vrbem ſanctam tuam, vt confirmetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & prophetia, & vngatur ſanctus ſanctorum: ſcito ergo, & animaduerte ab exitu ſermonis, vt iterum reædificetur Hieruſalẽ, vſque ad Chriſtum ducem, hebdomadæ ſeptem, & hebdomadæ ſexaginta duæ erunt, & rurſus ædificabitur platea, & muri in anguſtia temporum, & poſt hebdomadas ſexaginta duas, occidetur Chriſtus, & non erit eius populus, qui eum negaturus eſt, & ciuitatem, & ſanctuarium diſsipabit populus cum duce venturo, & finis eius vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio, confirmabit autem pactum multis, hebdomada vna, & in dimidio hebdomadæ deficiet hoſtia, & ſacrificium, & erit in templo abominatio deſolationis, & vſque ad conſummationem, & finem perſeuerabit deſolatio.* Hæc ille vbi iuſtitia ſempiterna ſecundùm Talmudiſtas, & præſertim Rabbi Moyſem Gerundinenſem Moſem Tironenſem, & Hiocem: Dauid Cahadiam, Salomonem, & Barachiam in ſe edar alam, id eſt, ordine mundi, Meſsiam ſignificat, quamquam hebdomadas, & hebdomadarum computationem ad varia, & quidẽ ſenſum literæ abſonum retorqueant: ſunt autem horum quidam, vt Rabbi Salomon, & Moſes Gerundinenſis in commentarijs Danielis, qui dicunt ſacrificium Iudaicum in vltima illarum hebdomadarum in excidio Hieruſalem à Romanis fuiſſe ſublatum, atq; ipſe

† *id eſt Gedeon.*

Maria terra ſancta eſt: Pſal. 84

Maria velius, Gedeonis. Eſai. 64

Eccleſ. Pſal. 79 Pſ. 143. Ibidem. Pſal 42 & Pſ. 7 Pſal. 34

Bernar.

Lætitia Prophetarum. Abac 2. promiſſiones b. Eſai. 14 & 51. & 55. & 25. Agg. 2.

Dan. 9.

Moſes Gerundinenſis Moſis Tironẽ. Hiocen. Dauid. Caha. Salom. Barach. R. Salo. Moſes Gerund.

ipse Salomon hebdomadas Danielis finiri asserit in templi secundi destructione, sed illud prætereundum non est, quòd hebdomada Hebraicè septenarium significat, vnde septuaginta annorum septenaria, quadringentos, & nonaginta annos † compotite; quæ à Babilonica captiuitate, aut ab exitu sermonis, ideſt à tempore, quo facta fuit reuelatio Danieli exordium sumendo, circa tempus passionis, aut gratiæ distributionis terminari iudicabis. Quòd si Nicolaum de Lyra in hac littera conspicias, & Hieron. Sauonarolam conspicias, singula Saluatoris nostri Iesu consona lucidè percipies, sed attende primò, quòd in his verbis prædicitur cessatio chrismatis, iudicij, & Sacerdotum; nam, vt (testatur Iosephus) post Herodem nequaquam Sacerdotes ex successione sacerdotalis generis, vel per petuitate secundùm legem Mosi constituebãtur, sed quilibet etiam ignobilissimi, singulis annis sacerdotium à Romanis emebant: dicamus itaque has hebdomadas esse annorum iuxta litteram, Leuit. cap. 25. quæ sunt decretæ, vt consummetur iniquitas delenda per Christum, qui venturus erat ad populum erudiendum, & ad inducendos homines ad beatè viuendum, & quoniam omnium Prophetarum ora Christum loquuta sunt, ideo additur, *vt adimpleatur visio, & prophetia*, & vnctione Spiritus Sancti in conceptione *vngatur Sanctus*, scilicet Christus, *& adducatur iustitia sempiterna*, scilicet, Deus Christus, & Messias: sic enim hoc audiuit Rabbi Barachia in libro Cederolam, id est, de ordine mundi; cùm exponens illud Esai. cap. 56. *Proxima est salus mea aduenindum, & iustitia mea ad reuelandum.* Dicit manifestè, hanc iustitiam Messiam esse, prout etiam ait Daniel. cap. 9. amplius Rabbi Moses Gerundinensis in hoc loco ait iustitia sempiterna, & sanctuarium sanctuariorũ, vel sanctus sanctorum, non nisi ipse Messias est sanctificatus, de filijs Dauid. Et quoniam tali tempore multa digna commemoratione acta fuere, ideo exponit gesta Prophetica, & enumerationẽ tẽporis accuratè distinguens, ait: scito ab exitu sermonis mei, vsque ad Christum ducem hebdomadæ septem, quoniam in his septem hebdomadis cum difficultate templum, & ciuitas restaurata fuerat, vt patet lib. Esdr. 2. deinde describit sexaginta, duas hebdomadas, in quibus grauiter Iudæi vexati sunt; vt patet lib. Machabæorum, Tertiò enumerat vnam hebdomadam, quia ab illius initio cœpit Iesus prædicare, & in eius medio occisus; quia tribus annis cum dimidio prædicauit, & quoniam Iudæi coram Pilato negauerunt illum esse eorũ Regẽ, ideo ait: non erit eius populus videlicet electus, & peculiaris Iudaicus populus, quia eũ negaturus est coram Pilato. Verùm, quia propter persecutionem factam Christo venturus erat populus Romanus cum Tito eorum Duce, ideo vastitatem, ruinam, & depopulationem per illum fiendam describit, eamque ait esse absque reædificatione; & quoniam se missurum pollicitus erat Deus Christum, qui nouum testamentum daret nobis, illudque confirmaret sanguine suo, non omnibus, quia non omnes credunt Euãgelio: omnino ait, confirmabit, &c. *Deficiet itaque hostia*, ait Propheta, quoniam aduentante luce, Christo videlicet, cessare, debet vmbra, & quoniam tẽplum inutile amplius erat, ideo permisit illud profanari per statuam Adriani Imperatoris: omne autem idolum, abhominatio apud eos dicitur. Hanc prophetiam quidam Iudæorum audientes, hìc Danielem errasse dixerunt; alij Iesu tempora cunctis notissima permutarũt, quos redarguit Iosephus lib. 18. antiquitatum, dicens: Christum his temporibus apparuisse; Cornelius verò Tacitus ait: ipsum fuisse per Pontium Pilatum Iudææ Procuratorem interfectum, regnante Tiberio, atque imperante. Accedit ad hoc id Esai. cap. 66. *Antequam parturiret, peperit, & antequam veniret partus eius, peperit masculum.* Cõmentaria Hebræorum antiquissima hoc sic exponunt. Antequam natus fuisset ille, qui Iudæos in seruitutem vltimam redegerat, id est, Titus, iam natus redemptor eorum fuerat; Caldaicus verò textus sic ait: Adhuc non erit ei veniens angustia, & adhuc non veniet ei tremor cum doloribus, propter partum reuelabitur Messias. In quo Ionathas filius Vzielis, antequam veniret ei angustia, salua facta est; & antequam venirent dolores partus, Messias reuelatus est. Quibus patet rectus verborum Esaiæ intellectus, secundùm Hieronymum, & Iudæos non posse peruertere tempora Messiæ, atque Christi; vnde plurimi concedunt illum eo die natum, quo ciuitas diruebatur: Deinde, ad ineptias suas refugiunt dicentes, illum latere, quòusque Deus præcipiat, vt se palàm cunctis ostendat. Alij verò dicunt, quòd est Romæ cum leprosis sedens in porta, iuxta illud Esaiæ cap. 53. *Et vidimus eum quasi leprosum*, &c. Alij dicunt, ipsum esse in monte Sinay cum Angelis collocatum. Alij eum vltra Caspios montes segregant. Alij mendicantem eum passim, & circumvagantem aiunt, sua discordia, & insania, se inuicem confundentes, non aduertentes, adimpletam esse prophetiam Iacob. Gen. 49. cap. cùm ait: *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est.* Id est, donec veniat Messias, vt ait Chaldaica litera, quę propositio exponitur optimè in scrutinio. Tamé pronunc patet, eam habere vim coditionalis: ex cuius antecedentis positione sequitur,

(vt

† *Forte comprehendit.*

Leui. 25

Esai. 56

Dan. 9.

Esdr. 2.

Adrian.

Cornel. Tacit.

Esai. 66

Caldeus

Ionath.

Conclus.

Esai. 53

Gen. 49.

(vt in prioribus Analeticis ostenditur) positio consequentis, ac si dixerimus: quando auferetur sceptrum de Iuda, venit ille, qui mittendus est, seu sylo, ideſt, missus; sic enim interpretatur sylo, sed sceptrum de Iuda iam oblatum est: ergo iam venit, qui mittendus est, mitto quæ doctissimus Paulus Israelita, super hæc dicit: ob breuitatem ampliùs omnes Talmudistarum opiniones, de aduentus tempore transactæ sunt; prima habetur in libro Sanedrin. ca. Helec. Vbi dicitur collega Helyæ dicit: sex millia annorum permanet mundus, duo millia innanijs, duo millia legis, duo millia dies Messiæ, ex quo dicto duo colligi possunt: primum de non permanentia veteris testamenti, ac legis; secundum de præterito tempore Messiæ. Secunda sententia est, quæ habetur ibidem: & est Magister Ieuda, dicit seculo, quo venit filius Dauid: domus collegij erit meretricum, & vastabitur Galilæa, quibus conspicitur, quod Messiæ aduentus sit tempore, quo adhuc regnant Iudęi, nam statim post templi desolationem nullum erat iudicum collegium, & Galilæa cum vniuersa Iudæorum regione iam diù vastata est. Tertia est in magna Glossa Treniter, scilicet, Echarabsi, de quodam Arabe transeunte per agrum. Qui inueniens quendam sectantem boues arantes, dixit ei: liga boues tuos, liga parapsidem tuam, liga hydriam tuam; quia natus est Messia, videtur. Hoc autem fuit ante secundi templi destructionem, quam sententiam aufugere nequiens Moyses Gerundinensis in disputatione habita cum eruditissimo fratre Paulo à Iudaismo ad fidem translato, eam reijcit prorsus, asserens non alienum esse, Talmudistarum quasdam sententias reijcere, quod tamen nefandissimum apud vniuersum Iudæorum cœtum iudicatur: ipse vero in Commentarijs Pentatheuci Messiam oriturum affirmat anno à mundi creatione quinquies millesimo centesimo decimo octauo, cui sententiæ quartæ consensit Leuiben Guerson in Commentarijs Danielis. Quinta opinio fuit, quæ habetur ibidem, & fuit Rabbi Nassa. Rabbi Nassa dixit res, scilicet, Messiæ non est, sicut Magistri nostri voluerunt, nec sicut Rabbi Samlai, nec sicut Rabbi Ekiua dixit Raf. omnes termini, scilicet, Messiæ aduentus, acceperunt finem, & res à nihilo dependet, nisi à pœnitentia, & bonis operibus. Sexta opinio est Rabbi Iocis in lib. de ordine mundi, qui hebdomadas annorum septuaginta computat, vt nos, hanc computationem secutus est Rabbi Aaquiua, ideo secutus est quędam fatuum nomine Ventozara; qui illo tempore dixit, se esse Messiam, quę maxima Iudæorum turba secuta est post annos ab excidio Hierusalem quadraginta & octo, itaque penè omnes congregati in opido Gitera à Romanis discessserunt, sed Adrianus vrbe obsessa. Ventozara, & sectatores interfecit. Septima fuit cuiusdam contemporanei illius magni Rabbi, qui Raph, dicebatur, qui considerans omnes terminos de Messiæ tempore transiuisse, prout dixerat socius eius, volens precludere viam inuestigandi hos, terminos ne per hoc aliqui instruerentur de vero ait: veh animabus computantium terminos, scilicet, aduentus, Messiæ, volens innuere per hæc, peccatum esse de hac re inquirere. Octaua fuit Rabbi Cahadias, qui scripsit super Talmud, & in libro de credendis ait: terminũ Messiæ præteriisse vsque ad tempus suum super quingentos, & quinquaginta annos. Nona fuit Rabbi Moysi Egyptij, qui quãuis in Deuteronomio Messiæ tẽpora inquiri prohibeat, tamẽ in quadã epistola ad Africanos Iudæos scribit, se certè habere Messiam nasciturum esse anno à mundi exordio quater millesimo & septuagesimo quarto. Quæ omnia tempore cùm abierint, quis erit deinceps adeò hebetis ingenij, menteque obtusus, qui Messiæ aduentum prętereijsse neget? frustra igitur expectatis ò pertinaces Iudæi (sine oro te, vt ad eos paulispersapostrophem) nam dicite, cur magi illi Messiam visuri statim nato Iesu Hierosolymam profecti sunt? Cur Herodes scisscitatus à legis peritis Messiæ, tempus, & patriam infantes illos, & filium interfici iussit? vnde Augustin. Cesar apud secundùm Saturnalium Macrobij iocabatur, dicens se malle porcum esse, quàm Herodis filium: cur hæc, nisi, quia sapientibus Iudæis ad Messiam pertinere loca illa, & tempora videbantur? Hac etiam ratione multi circa Iesu tempora, Messiam se esse iactabant, licèt (vt ait Gamaliel) tamquam falsi subitò euanuerunt, scribit Iosephus sub felice procuratore Iudæo multos extitisse, qui populum sua persuasione deciperent, & inter alios ponit quendam Ægyptium Pseudoprophetam. Secundus fuit Iuda Galilæus sub Cyrino, Sirie præside: qui cum suis dispersus est. Tertius fuit Theodas, de quo Lucas, & Iosephus scribunt. Quartus Simon Magus. Quintus Barechasidas, qui (vt ait Moyses Ægyptius) propter sua scelera ab Adriano interfectus est. Sextus fuit Barchosiba, qui vt patet in libro Camedrin, annos triginta cum dimidio regnauit, cui adhæsit sapiens Achilailis. Cur etiam paulopost Iesum, miseri, à Romanis totiens defeciſtis, nisi quia finem Prophetarum tempora promissa habere omnibus videbantur? Vnde Suetonius, in vita Vespasiani. Percrebuerat, inquit, oriente toto vetus, & constans opinio esse in fatis, vt eo tempore Iudęa profecti rerum summa potirentur, &c. Atque

Opiniones de aduentu.

Secũda.

Tertia.

Suetonius.

ob hoc Iudæos rebellasse se dicit, atque perijsse, nempè Iudæi tunc expectabant (vt heri dixisti) Christum quemdam armatum perpetuam mundi monarchiam in Iudea stabiliturũ, atqui animas purgare, nõ terrenum Regnũ stabilire aduenerat, vt dictum est, &
Psal. 3. Psaltes Psalmo illo, *voce mea ad Dominũ clamaui* nõ tacuit. Modò ad illud respõdẽdũ est,
Augusſt. quod de mẽse dubitabas, cur videlicet in mense Martij? Respõdet Aug. in lib. quæst. noui & veteris testamenti, & Ambros. in serm. de Natiu. Domini, quòd in æquinoctio nasci, & mori decuit; quoniã mũdus initium sumpsit, & dies supra noctẽ increscere cepit, octauo videlicet Kalendas Ianuarij: hoc latétiori quo
Ioan. 3. dam ænigmate dixerat Baptista Ioan. cap. 3. *Quoniã*, ait, *illum oportet crescere; me autem minui* (in natiuitate siquidem Domini vt diximus) dies creuit, & in Ioãnis natiuitate decreuit. Illo enim Oriẽte lux profecit, hoc nascente minuta est; ipsa enim quodammodo
†partibus. tempora famulantia partubus | suis cum detrimentum faciunt, seruus gignitur; cùm autem Dominus nascitur, consequuntur augmẽtum; profectum planè facit dies cum mundi, Saluator oritur, defectum patitur cùm vltimus Propheta nascitur! scriptum est enim:
Luc. 16. Luc. 16. *Lex, & Prophetæ vsque ad Ioannem.* Atque ita necesse erat, vt obscuraretur legis obseruatio, vbi euocatio, & Euangelij gratia refulgebat, & cessaret prophetia veteris testamenti, cum noui testamenti gratia succedebat. Ambr. dies quę lucem humano generi peperit, prius ipsa eiusdẽ lucis fulgore resplenduit, & concluſa iam spatio suo, noctium tenebras Dominicæ lucis fulgore discussit. Occupauerat enim totam diem noctium longitudo; nisi in ipsa dierum breuiter Christi refulsisset aduentus, qui sicut ortu suo humani generis peccatorum tenebras discussit; ita & die natiuitatis suæ caliginum tenebras computauit, & vno, eodemque ortu lucem pariter intulit, & hominibus, & diebus; vnde nõ est mirum, si crescit dies, quæ gemino fulgoris splẽdore vestitur. Hæc ille. Ioannis itaque figurã legis Prophetarum gestãs necesse erat, vt deficeret Euangelio coruscante, quoniam oportebat, vt minueretur Iudaicus populus, popu
Augusſt. lo Christiano surgente. Aug. vbi supra c. 53. Ideo Christus descendẽs de sacris, sedibus ad salutem mundo tribuendam, vt etiam mundum ipsum, & tempora à se instituta doceret; tunc nasci homo voluit ad diminutionem humani generis augmentandam in Deum, quoniam ex magna diminutione lux (quæ dies est) crementum incipit accipere, vt tempus natiuitatis eius rationi cõgruat doctrinæ diuinæ, quæ ex vmbra mortis homines cepit multiplicare ad vitam. Hæc ille, sed de his
S. Thõ. Beatus Thomas tertia parte, summæ quæstione trigesima quinta: hæc sunt quæ de tem

A porum ratione mihi dicenda videbantur. Modò de festo ratione dicendum.

Clementissimus itaque Dominus, ac Pastor animarum, volens humano generi iam iam sine suo auxilio pereunti succurrere, & cum humana natura inire coniugium, ipsam priùs per suos Prophetas visitauit, atque cum eâ ita egit, vt fieri solet, vbi quis dominorũ cupit aliquã mulierũ ducere in vxorẽ, illi enim ad amatas munera plurima mittere solent, quo facilius earum animos ad eorum amorẽ incitentur; inde mittunt amicos eloquentes, qui ea loquantur de sponso, per quæ in amorem sponsi sponsæ desiderium succendant: ita & sponsus ille mirificus cupiens ac
B cœlesti desiderio flagrans sibi naturã humanam quodam cõnubij fœdere copulare, multa sibi munera contulit sponsaliorum titulo, & plurima se daturum repromisit Deus, dimisit oratores Prophetas suos cum auctoritate fandi, quod audierant ab eo de sponso ad sponsam (vt ait Origen. in Homilia su- *Origen.*
per Cant.) iussitque illis, vt eum apud sponsam summis laudibus commendarent, de progenie, genere, nobilitate, diuitijs, gloria, virtutibus, & pulchritudine digna prædicantes, sciens his omnibus sponsam ad sponsi amorem integraliter inflammari: Accessit itaque Orator eloquentissimus, & ait: audi filia, & vide, & inclina aurem tuam. Psal- *Psal.44*
C 44. Sponsa: *Audiam quid loquatur Dominus Deus meus.* Psal. 84. Orator, dicit: *Dominus quare mei non es recordata, neque cogitasti in corde tuo?* Esai. cap. 57. *Dilige Dominum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* Deuter. cap. 6. Sponsa: *Nescio Dominum.* Exod. 5. Orator: *Ad magnitudinem spei, & creaturæ cognoscibiliter poterit creator eorum videri.* Sap. cap. 13. Sponsa, qualis est amator meus, vt diligam eum, est ne magnus, vel pusillus homo? Orator: *Excelsus, & sublimis.* Esai. cap. 57. Sponsa est multæ vitæ? Orator: *Habitat æternitatem, potestas eius, potestas æterna Dominus in æternum manet.* Dan. cap. 7. Sponsa, est ne virtute, & moribus decoratus? Orator. *Sanctus est Dominus Deus noster.* Psalm. 98. & Esa. c. 57. Spõsa. *Est vir bonæ famæ?* Orator: *Laudabilis, & gloriosus in secula.* Dan. c. 3. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, in ciuitate Dei nostri* Psal. 144. Sponsa: Est ne bonus Capitaneus, & armiger strenuus? Orator: *Dominus fortis, & potens; Dominus potens in prælio.* Psal. 23. Sponsa, est ne formosus! Orator, *Speciosus forma præ filijs hominum.* Psal. 44. Sponsa, hæc pulchritudo est adulteri, & fucata? Orator, *Ex Sion species decoris eius* Psal. 49. Sponsa, est ne blesus, & impeditioris linguæ. Orator, *diffusa est gratia in labijs suis.* Ptalm. 44. Sponsa est ne dives? Orator, *Gloria, & diuitiæ in domo eius.*

Pſal.84 *Esai. c. 57.* *Deut. c.* *Exo. 5.* *Sap. cap. 13.* *Esai. c. 57.* *Dan. 7.* *Pſal. 98* *Esai. 57* *Dan. 3.* *Pſ. 144.* *Pſal. 23* *Pſal 44* *Pſal. 49* *Pſal. 44*

Psal.

Ps. 111. Psal. 111. Sponsa, vnde diuitias, ex vsuris, & rapina? Orator, *Iustus Dominus, & iustitiam dilexit.* Psal. 10. Sponsa, est sciolus, aut indoctus? Orator, *Sapientiæ eius non est numerus.* Psalm. 146. Sponsa, nomen eius recens ne? Orator, *ante solem permanet nomen eius.* Sponsa, putas ne diù durabit imperium eius? Orator: *& permanebit cum Sole, & ante Lunam.* Psal. 71. Spõsa, timeo ne læsio veteri fiat mei. Orator, *descendet sicut pluuia in vellus.* Sine læsione enim velleris descendit illa, & verbum in vtero. Sponsa, Timeo pudori meo ne perdatur. Orator, ibidem. Psal. 71. *Sicut stillicidia stillantia super terram descendet:* illa enim descenderunt tempore Gedeonis intacta terra, videlicet in herbis, & verbũ intacto pudore Virginis. Sponsa, erunt prælia multa, propter hoc? Orator, *orietur in diebus eius iustitia* (quæ est causa cõseruationis, concordiæ) *& abundantia pacis.* Sponsa: quã latè dominabitur. Orator, *& dominabitur à mari* Indico, *vsque ad mare* Gaditanũ, *& à flumine* Nilo, *vsq; ad terminos orbis terrarũ, videlicet, Septentrionis.* Sponsa. Quoniam adsumptus extraordinarios non sufficiunt ordinarij introitus: ideo quæro, an dabuntur sibi alia dona? Orator, *Reges Tarsis, & insulæ munera offerent: Reges Arabum, & Sabba dona adducent.* Sponsa, quæ munera? Orator, *Omnes de Sabba venient, aurum, & thus deferentes.* Esai. cap. 60. Sponsa, hoc aurum erit ne verum? Orator, *& dabitur ei de auro Arabiæ,* quod est perfectissimum. Sponsa qua de re? Orator, *Quoniam liberauit pauperem à potente, videlicet Dæmone.* Sponsa, si illi iungar in matrimonio, quid boni inde erit? Orator, *Benedicentur in ipso omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum.* Sponsa, *Benedictus Dominus Deus Israel qui facit mirabilia magna solus.* Orator: *Et benedictum nomen maiestatis in æternum, & replebitur maiestate eius omnis terra,* id est, sua sancta spõsa. Sponsa, *fiat, nam quis sponsum tot præconijs exornatum non auidissimè habere desideret?* Quare non moretur amplius, *osculetur me osculo oris sui.* Tunc Dominus veniente mense Martij legatum mittere decreuit: est enim mensis ille, mensis nouorum appellatus, quod valde huic mysterio conuenit; fiunt enim in illo quatuor noua: primum est Angelica Salutatio, nam *Missus est Angelus Gabriel,* Lucæ 1. cap. Namque inde legatus mittendus erat, vnde nouus prodibat aduentus, & ad Virginẽ nõ nisi Virgo destinãdus erat: adde; quod ita seruatur ordo statutus, quo per Angelicos spiritus diuina secreta hominibus panduntur. Aduocatur itaque Angelus à Deo, & nulla mediatione corporalium vocum, sibi secretum aperitur. Gabriel autem ideo mittitur; Quoniam fortitudo Domini interpretatur, quoniam per ipsum fortitudo amici, & virtus manifestanda erat, & virtus inimici debellanda, & verecunda Virgo confortanda. Cũ autẽ hoc mysteriũ legato aperiretur, stupuit auditor; mirati sunt omnes cœlestes spiritus, quòd ad hãc legationẽ Angelus mittendus erat, quem illico secutura erat diuina maiestas: suspenduntur omnes, quòd Deus ad hominem immortalis ad mortalem, velit accedere, secundum nouum fuit noua conceptio. Nam (vt ait Bernardus) conceptus fuit sine pudore, partus sine dolore, & mater fuit sine corruptione. Tertium omnium creaturarum renouatio. Quartum noua abbreuiatio Hieronymus ad Paulinum. Vere nouum omnium nouitatum supereminens nouitas virtutum, quando Deus (quem ferre non poterat mundus) sic ingressus est hospitiũ ventris, vt corporale claustrum nesciret, sicque gestatus, vt totus Deus in eo esset. Hieremias cap. 31. *Creauit Deus nouum super terram, fœmina circundabit virum.* O noua vnio, frater, vbi vna natura tranũt in alteram! nec tamen ex illis vna quasi tertia conficitur; non enim composita, est persona Christi. Hieronymus: nouam rem creauit Dominus super terram absque viri semine, absque vllo coitu, absque conceptu fœmina circũdabit virum, gremio veteri sui, qui iusta crementa quidem ætatis per vagitus, & infantiam proficere videbitur sapientia, & ætate; sed perfectus vir in ventre solitis mẽsibus continebitur. Hæc ille. O inauditã rẽ! Oriens splẽdor lucis æternæ fœmineo vtero circundatur, carne vestitur, carnea corona coronatur. Caput Ecclesiæ Christus, vnde Cant. cap. 3. *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua.* O igitur fœlicem carnem, quam sibi Christus, nõ quasi carnem, sed quasi coronã assumpsit! quæ non fuit Christo oneri, sed ornamẽto. Caro enim hæc diadema est triumphi, honoris, & glorię, cuius cruore de peccato victricem palmam nobis aduexit; egredimini ergo de ergastulo carnis mente, & spiritu, & videte coronam nouã, & incoronationem, id est, incarnationem nouam; videte quomodo *benedixit Dominus coronæ benignitatis suæ,* & quomodo *campi eius repleti sunt vbertate:* Videte coronam, videte copiam. Coronam victoriæ, & copiam virtutum. Videte nouum mustum, quod eructauit Dominus. O promptuaria exundantia, *& eructantia ex hoc in illud! veruntamen fæx eius non est exinanita, bibent omnes peccatores terræ.* Psalm. 74. Tu verò frater aduerte mysterium, aduerte verba: dixerat enim antea psaltes diuinus. *Calix in manu Domini, vini meri plenus mixto.* Modò de fæce mentionem facit: & alibi Psal. 22. ait: *Calix inebrians quàm præclarus est!* Quare morandum est, & considerandũ, quis hic calix, & quare mirum, atque mixtio,

Psal. 10. *Psal.* 146. *Psal.* 71 *Ibidem.* *Psal.* 71 *Ibidem.* *Ibidem.* *Esai.* 60. *Psal.* 71 *Cant.* 1. *Lucæ* 1. *Bernar.* *Hier.* 31 *Hieron.* *Cant.* 3. *Psal.* 64 *Psal.* 22

tio, & fæx sit. Calix hic vas illud sacratissimũ MARIÆ est, vbi æternus liquor nouo infunditur liquori, id est, natura diuina humanæ vnitur, felices itaque hi qui fide bibunt ex hoc calice; nam bibentibus præstat suauissimam sospitatem, MARIA est domus illa, atque habitaculum, de quo Prouer. cap. 9. dicitur: *Sapientia ædificauit sibi domum, miscuit vinum, & posuit mensam.* Tu quidem, ô MARIA, nobis, es illa domus quam ipse sibi Dei filius Patris æterni sapientia mirabilis architectus ædificauit, septem proceris, ac solidis columnis suffulciens. Vt in eius penetrabilibus versaretur. Tu sacratissimum pacifici Regis templum, in quod ille quidquid est artis, quidquid opum transtulit, tam religiosum, vt eius aditis vnicum illud sanctum sanctorũ crederetur, tã sacrũ, vt nulla vnquã peccati labe potuerit prophanari. Tu olla illa Moabiti dis sanctissima, quæ vnguentũ illud odoriferum, & salutiferum mundo attulisti, vnguentum indeficiens, & non exinanitum, sed benè diffusum, quãdoquidem in omnem terram odor eius exiuit, sicut scriptũ est. Cant. 1. *In odorem vnguentorum tuorum currimus.* En descendat istud vnguentum in animæ præcordia, viscerumque secreta, quo mater Domini diuinæ gratiæ spiramenta redolet. Mater Domini, & calix Domini præclarissimus, qui calix refectos homines ad gloriam virtutis, non ad vitium ebrietatis adducit. Ex quo quamuis iugiter bibatur, nunquam tamen exinanitur, nunquam totus expenditur, sed Dominus inclinauit hoc merũ ex hoc populo Hæbreo ob sua facinora repudiato, in hoc, id est, in populum Gentilem ad fidẽ vocatũ, atque credentẽ. O felix, & secura redemptio ab eo calice potum salutis accipere, quod semper nouit profutura præstare: fæces dicuntur reliquiæ vini considentes in densissima crassitudine, ad quas peruenitur quando liquor ille superior probatur expensus, sed quoniam anteriùs plenum calicem dixit, ideo nunc iustè negat fecem exinanitam esse, ad quam peruenire non potuit, quoniam cunctis potantibus eius plenitudo non deficit: feces enim hic inquit Cassiod. nõ sordes, sed ima illa, atq; vltima vini debemus accipere, nam quomodo fæces habere potuit quod ante merũ, atq; purũ declarauit? & modò ait: *Bibent ex eo omnes peccatores terræ;* nunc ad textum Euãgelij redeamus: *Missus* est itaque *in ciuitatem Galileæ* congruè, nam rota dicitur Galilea, & intentio mittentis erat, vt rota noui testamenti esset in rota, vt sic ad cœlum rotaremus: nomen vero ciuitati Nazareth est, quod florem insinuat: flos enim ex Iessea radice generandus, & illa felici plantula, atq; virga, nihil, tamen inde genitalium sordium trahendo, ad MARIAM Virginem, ad humilẽ illam virgam, de qua non pomum mortiferum, sed flosculus longè fragrantissimus pronasci debebat, qui blandissimo aspectu suo, terram pariter, & cœlos impleuit lætitia, cuius odore trahimur in amorẽ: Hæc est illa mulier prophetica, quæ nouo, & inaudito miraculo illibati corporis sui zona virum circundedit (vt dixerat Hiere. ci tra virilem operam.) Hæc est illa Virgo, de qua Cumana Sybilla cecinit apud Maronem, Egloga 4. Bucholichorum, sicut Aug. etiam annotauit 10. de ciuitate Dei, cap. 27. cuius dicta, si quis recte intr ospiciet, intelliget, illa solum conuenire Saluatori nostro, quamuis Virgilius, vt Pollioni adularetur, ad eius filium nuper natum illa torqueat, quorum nihil Salomonino (qui puer obit, neq; egit quid quam) congruere potuit: congruit autem Iesu quidquid ibi legitur, qui temporibus illis est ortus, sed quid ibi Virgilius reperierit audiamus: ait enim: tali videlicet tempore (quale illud fuit) fore, vt in ipsa vltima expectationis ætate magnus quidãm ordo nasceretur ab integro æuo seculorum, hoc est, æternus filius ab æterno patre procederet, & hoc quando Virgo illa, floreret, & aurea rediret ætas. Et vere Beatæ, quæ doctrinæ noua progenies nunquam amplius visa cœlo admitteretur ab alto, quibus verbis intelligimus Sybillam pronuntiasse, puerum illum nascituru ex Virgine, quoniam adiunxit eam esse nouam progeniem, id est, nouo modo nascentem, neque ex terra, sed ex alto cœlo, id est, Deo (quæ ab æuo in eo erat) proficiscentem. Vnde de hoc ait, etiã Esai. c. 45. *Rorate cœli desuper*: vt ostendat principium natiuitatis filij effectiuum: videlicet, cœlum rorans, & sequitur, & nubes pluant iustum, vt ostendat principium præparatiuum eius, quod est triplex, videlicet annuntiantis Angeli officiũ, Prophetarum vaticinium, & iustorum desiderium, & tertiò subdit: *Aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Quod dicit Propheta, vt explicet principium suisceptiuum, nam terra germinans, Beata MARIA est, cuius aperitur affectus ad inueniendum gratiæ priuilegium: aperitur intellectus ad credendum Angeli verbum, & aperitur vterus ad concipiendum Dei filium. Hæc S. Thom. supra Esai. vnde Sybilla: Vltima Cumei iam venit carminis ætas Magnus ab integro seculorum nascitur ordo. Iam redit & Virgo: redeunt saturnia regna. Iam noua progenies cœlo dimittitur alto. Tu modò nascenti puero, quo ferrea primũ Desinet, ac toto surget gens aurea, mundo, &c. De hac Virgine, atq; prole prophetauerat Esai. cap. 7. dicens: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filiũ, & vocabitur nomẽ eius Emanuel.* Hoc est nobiscũ Deus, vbi omissa Iudæorũ perplexa explanatione quinq; potissima hoc in loco Paulus Riccius testimonia colligit, primum, quod parũ ante, vbi ait:

Maria est Calix — *Maria domus Pro. c. 9* — *Maria olla.* — *Cant. 1.* — *Psal. 74* — *Cassiod.* — *Hier. 31* — *Sybilla. Augustin.* — *Esa. 45.* — *Esai.* — *Esai. c. 7*

Nun-

Nunquid parum vobis est, molestos esse viris, quia molesti estis, & Deo meo, &c. Hæc enim increpatione Achaz ipsum innuere non potuit, quum minime increpabilis in sermone erat, sed ipsam Pharisaicam, & Scribarum seditionem in Christum Deum, & hominem insinuat, qui in pluribus de Tribu Iuda, & domo Dauid, extiterunt; secundum est: Dabit Dominus vobis in signum, quia ipsemet Dominus sua sapientia, miraculis, passione est nobis signum salutis. Tertium: *Ecce virgo, &c.* Quartum: *Et vocabis nomen eius nobiscum Deus.* Quod de Ezechia verificari non potest, quum Ezechias nouem annis antequã Achã Regnum subiuit, genitus erat, nec aliũ habuit filium iustitia, & sapientia præditum, qui Emanuel vocari meruerit. Quintum vbi *quia sciet reprobare malum, & eligere bonum.* Quod Iudæorum Glossatores statim post eius natiuitatem verificari dicunt; hoc autem nonnisi in perfectissimo hominum (qualis est Messia Redemptor) locum habere potuit, quibus testimonijs irreuincibiliter concludendum; hanc litteram Christum de Virgine nasci innuere. Verum hoc auctoritate Talmudistarum persuadetur, vnde Glossa super Threnos. Hieremiæ ait Rabbi Barachia: vos dixistis coram me, desolati facti sumus sine Patre, Redemptor, quem surgere faciam vobis, sine Patre est. Hæc ille, ex qua habes Messiam nasciturum non ex maris copula. Modò quo concipit sine virili semine, Virgo est iudicanda. Rursus Glos. Ruth in fine ait; scriptum est scilicet: Genes. 4. cap. *Posuit mihi Deus semen aliud*, ipsum scilicet semen, quod emanat è loco alio, & hic est Rex Mosia, hæc ibi. Quod eandem dicit sententiam, quam auctoritas Esaiæ, cui consonat illud Esaiæ cap. 53. *Generationem eius quis enarrabit?* quia *abs. Ssus est de terra viuentium.* O igitur Virgo, & semper Virgo: quam gentilium oracula obscuris ambagibus denotabant. Tu Virga illa aurei, seculi renouatrix, tu vera illa diana perpetuę virginatis, tum exemplum, tum triforme numen, quæ ter geminũ nobis gigantẽ edidisti, quam ter potentem formidãt inferi, venerantur superi, medius hic adorat orbis. Tibi Lucinę nomen vnicè conuenit, quæ & verũ lumen extulisti, & nobis vti renasceremur, lucis æternæ fores aperuisti. Tu litterarum Hebræorum aptissimis coloribus adumbrata es. Tuam prægnantem virginitatem rubus ille mysticus (Exodi cap. 3.) Moysi falso flagrare visus præludebat; quæ mortalium vna puerperæ nomen promerita es, cum vxoris nunquam præstiteris, tuam virgineam fecunditatem virga Sacerdotalis mirè adumbrabat (de qua Num. lib. c. 14.) quæ neq; mortali manu confita, neq; terreno succo irrigata, & cœlitus concipiendo floruisti, & sine cruciatu pariens fructum vitificum edidisti. Tu Beatus ille, & apricus Paradisus, qui neque aratro scissus, neque rastro vexatus, omnigenas delitias, & medicamenta progerminat animarũ. Tu vitæ arbor, cuius fructus salutaris, & præsens, ligni quondã mali gustati, venena sustulit, peccata deleuit, quæ mali serpentis venefica suggestione contraximus, de quo ait Sybilla ibidem. Te duce si qua manent veteris vestigia fraudis, irrita perpetua soluent formidine terras. Hoc autem dixit, quoniam originalis culpa (quam diabolica suggestione concepimus) delebitur. Vnde Hierem. cap. 31. *In diebus illis non dicent vltra: patres comederunt vuã acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt, sed vnusquisque in iniquitate sua morietur, omnis homo qui comederit vuam acerbam, obstupescent dentes eius.* Sed aduerte, quôd poeta, non intelligens quę scribenda sibi ex Sybilla mutuauerat, ita illa componebat, vt alium sensum verba Sybillæ præferre viderentur, & quoniam videtur ibi legisse, prolem illam esse Deum de Deo natum, omnia noscentem, & diuinorum nihil sibi fore secretum, & Angelos ministros habituram: ideo ait: Ille Deum vitam accipiet, Deusque videbit, permixtos heroas, & ipse videbitur illis: viderat etiam Sybilla Dei filium vniuersum gubernaturum, ac iudicaturum, ideo ait. Pacatumque reget patrijs virtutibus orbẽ. Quod puero illi (cui adulabatur) conuenire non poterat: sed illi, cui omne iudicium pater dederat. Sicut Psalm. 71. Propheta prędixerat: *Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio Regis.* At quia Dæmon fallacissimus ejciendus erat, & ruiturus omnino, ideo ait. Occidet & serpens, & fallax herua veneni, sic enim dicitur, quoniam ab initio parentes serpentis habitu, & plactæ occasione deceperat, cuius mendacissimi colubri venena mater Domini in ipsius caput retorsit, sicut dicitur Genes. 3. cap. Dæmoni mulier obseruabit caput tuum, qui quoniam adhuc tentat homines, vt præfigurauerat de eius cornu altero remanente Apocalip. ideo subdit Sybilla. Pauca tamen suberunt priscæ vestigia fraudis; demum Christum alloquens Sybilla ait. Aggredere ò magnos aderit iam tempus honores. Chara Deum soboles, magnum Iouis incrementum, magnumquidem, quippè, quia per Euangelicam prædicationẽ cœleste regnum, ideſt, beatorum numerus conc reuit. Tu verò tantam fuisse in Poeta modestiam, scire debes, vt nunquã tam vasta hiperbole vsus esset, erga infantem priuati eiuis, nisi talia ex Sybillinis hausisset carminibus; Sybilla etiam de puero puro homine talia non dixisset. Sed audi, quàm superbam adiungat hiperbolẽ Poeta, & Sybilla. Aspice conuexo nutantẽ pondere mundũ: Terrasq; tractusque maris, cœlumque profundũ. Aspi

Ezechias

Genes. 4.

Esai. 53

Diana.

Lucina.

Rubus. Exod. 3.

Virga Sacerdotalis, Num. 14

Paradisus.

Arbor vitæ.

Sybilla.

Hier. 31

Psal. 71

Gen. c. 3

Sybilla.

ce venturo lætentur, vt omnia seclo: quod ve A
Agge. 2. rũ fuit, quoniam (vt etiam Aggeus Propheta predixerat) ab clementis, & cœlo Christus adorandus erat; nam cœlum ecclipsis, aër Cometa, & stella Crinita ignis adorauit, aqua dictis paruit & pedes eius sustinuit, cum ad Discipulos apud Marcum ambulauit supra mare Terra autem motu suo etiã hoc ostendit, cũ Petræ ipso moriẽte scissæ sunt. Postremò exclamat Poeta dicens: vt Socrates in secundo Alcibyadis: O mihi tam longæ maneat pars vltima vitę: forte hoc etiã optauerat Sybilla, quod etiã Simeõ, qui viso in Tẽplo Domino, & vlnis amplexatus, ait, *Nunc dimittis seruũ tuũ Domine, &c.* Quibus perspicuũ fit, adquã Virginem missus Angelus fuerit, & sequitur B
Luc. 2. in Luca. *Desponsatam Ioseph*, desponsatã esse voluit Dominus ob famę cõseruationẽ: vt ait Ambrosius, sed quæ est ista Virgo tam venerabilis, vt salutetur ab Angelis; tã humilis, vt desponsaretur fabro? Pulchra permixtio (inquit Bernar) virginitatis, & humilitatis. Audis Virginẽ: audi humilem, Simõ potest imitari virginitatẽ humilis, imitare humilitatẽ Virginis, laudabile bonũ virginitas: sed magis necessarium humilitas. Despõsatur tamẽ fabro (inquit Augus.) lignario; quia Christus Ecclesiæ sponsus omnem salutẽ hominũ per lignũ Crucis operaturus erat. Ingressus itaq; totus coruscus Angelus, tenebras à tabernaculo abstulit Virginis, ne & ipse phãtasma forC
tasse à Virgine crederetur: & ne quod dicturus erat, verteretur in dubium, non conspecto legato. Erat in conclaui Virgo orationibus vacãs: nec prædocta huius præstolabatur legatum, nec putabat se matrẽ Christi futurã, cum esset humilis, tam altissimè de se nõ presumebat. Sed ecce cœlestis, & terrestis creatura conueniunt de pace Dei. De reparatione generis humani tractaturi. Vnde ait Angelus Aue, idest, gaude, omni tristitia procul pulsa, ac maledictione abiecta, quã ex Eua traxim⁹. Contraria est hęc illi Eua: nam illa fetus suos etiam priùs quam pareret, extinxit, sed hæc viuificauit. Diuisio fit inter hanc, & illam, sicut inter lucem, & tenebras, quam in prima die creationis mundi diuisionem Dominum D
fecisse legimus. Primũ ergo verbũ opera primi diei testatur: secundũ Verbũ est MARIA quæ est omniũ fundamentũ bonorum, quo boni separantur à malis, sicut firmamento aquę in secunda die separabãtur. Populi etiã aquis signantur (gratia plena) hoc est tertium, & tertia die facta est aquarum congregatio, & in MARIA omnes virtutes, & gratiæ congregatæ sunt Hiero. Cęteris per partes MARIÆ verò tota se infudit gratiæ plenitudo: vnde
Deuot. quidam. deuotus quidam in oratione quadam vnicũ cœli, decus certissimũ, terræ præsidiũ, Virgo mater Maria: En gestit hæc animula laudatiunculæ huius velut incenso tusculo tuo litare numini. Neque verò suis freta meritis, sed tua confirmata, placabilitate audet immensum laudum tuarum pelagus humanis sermonis angustijs concipere. Cuius amplitudinem, solus ille capit, quem tu immensum, & incõprehensibilẽ purissimi vteri scrinio condidũ, gestare meruisti. Qui virgineã mẽtẽ tuã non stillulis aliquot gratiarũ conspersit: sed ipsum omnium charismatum fontem in temetipsam transtulit, vt ex te veluti paradiso vernantissimo, ac sterilem pectoris nostri glaream fecundis scatebris irrigaturi, ridentique virore, & variarum virtutum stellãtibus floseulis picturi, hæc ille. Anselm. & fe-
Alens. mina mirabiliter singularis, & singulariter mirabilis, per quam elementa renouantur, inferna euacuantur, Angeli reintegrãtur homines saluantur. O fœmina plena, & sẽper plena gratia, de cuius plenitudinis exundantia respersa resultat omnis creatura. O virgo benedicta, per cuius benedictionem benedicitur omnis creatura, & non creatura à Creatore, sed etiam Creator à creatura laudatur. O MARIA Dulcissima, sẽperq; beatissima, si omnis peccator ad te cõuersus àte fit despectus, necesse est, vt intereat, sic omnis peccator ad te cõuersus, à te sit cõspectus, impossibile est, vt pereat: hæc ille. Quartum Verbũ est (*Dominus tecum*) Dominus est, & est filius; mirabile profecto, quòd natura non habuit vsus, nesciuit, ignorauit, ratio humana mens non capit, cœlũ pauet, stupet terra, & creatura omnis etiã cœlestis miratur. Hæc Hierony. sunt
Hieron. Pater filius, & Spiritus Sanctus in MARIA. Iungitur natura diuina cum humana, in materia tanquam in firmamẽto, duo luminaria, scilicet maius, & minus, (vt quarta die factũ est.) Quare Dominus tecum, in mente per sanctificationẽ, in corpore per prolis formationẽ, in opere per donorũ effusionẽ. Quintũ Verbũ: (*Benedicta tu inter mulieres,*) & quinta die benedixit viuẽtibus, & dixit: *crescite*, &c. Hier. Talibus decebat Virginem opignorare muneribus, vt esset gratia plena, & benedicta in mulieribus; quæ dedit cœlis, hoc est Angelis, gloriam, terris, hoc est, hominibus: Deũ, fidẽ gentibus, finem vitijs, & moribus disciplinã, & quomodo nõ benedicta inter omnes. Cùm, sit Augusta illa cœli terrarũque Regina, cui filius operis omnipotẽs rerũ imperiũ à patre traditũ volu it esse cõmune, cuius sanctũ numẽ, vel profunda tartara tremiscunt, cui positis passim aris medius hic; totus supplicat orbis, ad cuius venerandũ nomen Pontificius apex, & Imperatoria maiestas nudatũ inclinat verticem, cuius sẽ, pedibus Virginum candor, Martyrũ laurea, Prophetarũ auctoritas, Apostolorum dignitas, Angelorũ felicitas; omniũ denique cœli procerũ, celsitudo venerabunda submittit. Quã ipsa quoq; tota diuinitas precipuo quodam honore dignã du

cit

cit. Pater cõmunis gnati parentẽ lætus agnoscit, atque amplectitur. Filius pro sua pietate proque matris reuerẽtia genitricẽ amat, atq; honorat. Spiritus sacer ab vtroque profectus se sibi totũ infundit. Purissimãillam, officinã libenter agnoscens: in qua inauditum illud, stupendũq; opificiũ peregit, cum diuina arte, intra virgineũ pectusculũ suum hic ipse effecit, vt absque corruptione conciperet, cũ honore, & absque onere portaret, & pareret sine dolore. Quorũ contrarijs maledictis, ceteræ mulieres subijciuntur: proinde ad eam (quã cœlestis aulę primates tanto interualloſupra se suspiciũt;) ego vermiculus qua tandẽ fiducia frontẽ attollo? Quo ore mea balbutie tua ò MARIA tento preconia, quibus ne angeli cę quidem voces pares esse queãt? Sed docet audaciã, ò MARIA non arrogantia, verùm miserę conditionis necessitas, (inquit Erasmus,) vincit verecundiã, nõ tolerãda egestas suggerit hos animos pietas, ministrat fiduciã tua singularis benignitas, vt in tuas laudes audeã promoueri: Tu thronus Salomonis eburneus auro vestitus: vnde Rex ille Regum carnis velatus trabea iura dixit mortalibus.

Maria, est Thronus. *Fercul. Salomo.* *Lybanũ* *Lectul.* Tu delicati illius amatoris ferculũ de Lybani lignis compactũ: quod ipse sibi auro, argentoque, & ardenti purpura mirè variauit: dignum videlicet, in quo ille decem mensium spatio vectaretur. Tui niuei pectoris typũ, gerebat floridus ille eiusdẽ lectulus: quẽ puritas, & amator Dei filius ita cœlestis militię ex cubijs, omniũq; coronavirtutum muniuit, vt nulli vnquã, vel cogitationi parũ piæ patuerit aditus. In quo vno nihil vnquam repertũ est, quod aut delitiantẽ offenderet sponsum, aut obstreperet quiescẽti: Tui obtinebat imaginẽ turris illa Dauitica, quã vnã contra omnia nequissimi hostis tela propugnaculis, clypeis millenis, omnigenaq; virtutũ armatura muniuit bellator egregius, vt neque corpus, neque animum tuum nullus vnquã libidinis assultus, nõdicã, expugnarit; sed nec oppugnauerit quidem. Tu animosa illa virago, quæ pulcherrimum ausa facinus *Ailophylorum* ducẽ communẽ humani generis hostẽ clauo cõfixisti. Tu seculis omnibus celebrãda Iudith: quæ latè grassantem tyrannum tartareũ sola trucidans, populo tuo pro certa desperatione subitãsalutẽ, ac triũphũattulisti. Tu formosa Esther delitiæ Regis ætherei: quæ triste mortis decretum, gladiosque iam in tuę gentis iugulos intentatos in ipsum cædis machinatorem depulisti. Tu rosa hiericana florẽ enixa campestrẽ, quã nõ superbię scopuli, sed simplicitatis planities, & modestiæ humilitas educat. Qnãdiuina charitas purpureo rubore tinxit. Quæ de terra parente prognata, nihil tamen terrenæ fecis inde suxisti. Tu lilij connallium mater, lilium & ipsa medio in spineto sine spinis enatum: quæ lacteo candori vir

Turris. *Iudith.* *Esther.* *Rosa hiericana.* *Lilij mater & lilium.*

A ginitatis sũmã modestiã adiunxisti. Tu fons signatus, cuius nitidissimas lymphas nulla ferina vnquã libauit affectio: in quo spõsi reflgentẽ imaginẽ nulla terrena turbauit cupiditas, quæ medicatas aquas tuas deriuas in capta viarũ omniũ; quę potę nos nõvocales quidẽ (vt illę Castaliæ,) sed immortales reddũt. Tu hortus ille diuinæ custodiæ sepe sic circũmunitus, vt nulla vnquam petulca cogitatio quiuerit perrũpere. In quo varias aromatum areolas summus ille hortulanus mira distinxerat arte. Vbi idẽ inter lilia pascit, ac cubat in meridie. Tu sancta ciuitas Syon, cuius mœnia nullus vnquã Babylonis hostilis aries pulsauit. Quã inexpugnabilibus munimentis tutatus est is, qui natus est in ea, quãque fundauit altissimus, cui videlicet ipse & murus est, & antemurale. Tu Hierusalem, in qua vna sibi pacificus ille sedem delegit, regiamque, ac templũ ędificauit. Tu vitæ speculũ tã nitidũ, ac purũ, vt in nullo alio diuinitatis effigies tefulserit expressiùs. Tu virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulneris pigmentarij; quæ sic incensa cœlesti charitate, sic à caducarũ rerũ amore extenuata, purissimis votis assiduè superna petebas, vt ipsis etiã caliginis mẽtibus miraculo fueris. Tu vitis illa generosa, è cuius palmite nobilis ille botrus prodit, quẽ vnũ duo testamenta humeris baiulant. Tã grauem, vt in statera appẽsus ingẽs omnium ad scelerũ nostrorũ põdus in altũ submouerit, tam efficaci succo, tamq; generoso, vt gustatus repẽte tot hominũ millia, ad vitæ vsq; contemptum sobria dementauerit æbrietate. Tu procera illa Lybani Cedrus latè virtutũ spargens odorẽ, quę mortaliũ sola vitiorũ carię non sensisti. Quin & alli ta nostris animis eamdẽ arces, dum tuo prouocati exẽplo tot passim pueri, atq; puellæ incorruptam vitę puritatem meditantur. Tu cãpestris olea, speciosa, ac tõsilis: de cuius illibato corpore fatalẽ illũ, & semper virentẽ surculũ nobis decerpsit is, cui familiare est colũbina in specie apparere mortalibus: eumq; in arcam Ecclesiæ detulit, certissimũ pignus finiendi diluuij peccatorũ, mundiq; renouãdi Symbolum: cuius baccarũ salutaris amaritudo contra pomi exitialis heu nimiũ dulce virus antidotũ præsẽtaneũ attulit. Cuius oleo mẽteshominũ absterso squallore vetustate. Si tuque terreni Adæ velut iterata iuuenta reniteſcunt: cuius iugi alimonia fidei lampas pascitur, nequando possit extingui, itaque benedicta tu inter mulieres, merito prędicaris. Vltimum est, *Benedictus fructus ventris tui*, id est, homo ille, & Deus sexta die factus est homo: & per hunc fructũ redẽptus est homo, qui à Deo fuit benedictus, vt te matrem prędenerit, in benedictionibus dulcedinis. Benedictus, quoniam in hoc benedictæ sunt omnes. Benedictus, quoniam per ipsum portæ

Virgula *Vitis.* *Cedrus, Lybani.* *Olea.*

cœli apertæ sunt, huius tu mater es sponsa, & amica, tu Columba vnica. Tu amores, ignis, tu propriæ delitiæ specioſi præ filijs hominũ. Tu delicata illa amatrix; quã nũc deperit Filius Dei. Tã feruida, vt amore dilecti langueres. Tam formoſa, vt verbũ ex ſinu patris in tuũ ipſius vterũ nitor oculorũ tuorũ feceris auolare. Tã venerãda, vt Angelũ pronubũ, hodie habere mereris. Tã incorrupta, vt Virgo pareres; tã illibata vt virũ ſine viro cõciperes. Apuleius libro de Aſino aureo ad Lunã: & ego ad MARIAM ita aio, tu quidẽ ſancta, & humani generis ſuſpicatrix perpetua, ſemper fouẽdis mortalibus munifica, dulcẽ matris affectionẽ miſerorum caſibus tribuis, nec dies, nec quies vlla, ac ne momentũ tenue tuis tranſcurrit beneficijs ocioſum; quin mari, terraq; protegas homines, & depulſis vitæ procellis ſalutarẽ porrigas dextrã. Quæ fatorũ, & inextricabiliter contorta retractas litia, & fortunæ tẽpeſtates mitigas, & ſtellarũ varios meatus cohibes. Te ſuperi colunt, obſeruant inferi. Tu rotas orbẽ, illuminas ſolẽ, regis mundum, calcas tartara, tibi reſpondẽt ſydera, redeũnt tẽpora, gaudent numina, ſeruiunt elementa. Tuo nutu ſpirãt flumina, nutriuntur nubila, germinant ſemina, creſcũt germina, tuã maieſtatẽ perhorreſcũt aues, cœlo meantes, feræ mõtibus, errantes, ſerpentes ſolo latentes, belluæ ponto natantes. At ego in referendis tuis laudibus exilis ingenio, & adhibendis ſacrificijs tenuis patrimonio, nec mihi vocis vbertas ad dicenda, quæ de tua maieſtate ſentio, ſufficit, nec ora mille linguæq; totidẽ, vel indefeſsi ſermonis æterna ſeries, ergo quod ſolũ poteſt religioſus quidem, ſed alioquin pauper, efficere curabo, diuinos tuos vultus, numenque ſanctiſsimum intra pectoris mei ſecreta, conditum cuſtodiens imaginabor. Hæc ille. Quoniam illa es beatiſsima, quæ omniũ ſalutẽ generaſti. Tam feliciſsima, vt arcanum illud Tetragrammaton, verbum, quod alijs nefas erat, ore promere, & mente concipere, tu caſtis hauſiſti viſceribus, & hortus eius, & campus dicta ſis ita oriretur lilium conuallium, ipſo ſic dicente: *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Cant. 2.

AMBROSIVS SPIERA.

NOTA.

FVIT hic Doctiſs. Pater natione Gallus, patria Taruiſinus, & ſi Poſſeuino credendum, ſui Ordinis in Romana Curia Procurator Generalis, excelſa, & mira pietate claruit, Catholicæ fidei Propugnator acerrimus, ob cuius defenſionem neruosè multùm decertauit. Infenſiſsimus ſemper Hæreticorum factus oſor, & Antagoniſta validus. Fuit denique vir ſuæ ætatis inſignis, noſtrumq; S. Bernardinum Senenſem alloquutus pariter in prædicatione, & perſecutione intimè eſt aſſociatus; floruit anno ſalutis M. CCCC XCV. Inter alia quæ docuit, & ſcripſit, in 4. libros ſentẽtiarũ ſermones de Aduentu, & c. Extat inſigne illud, atq; decantatiſsimum Quadrageſimale, opus de floribus ſapientiæ ſelectum, in quo vnumquemq; ſermonem in tres partiuit Conſiderationes, & quamlibet conſiderationem per tres itidem Concluſiones, ſeu veritates ſtabiliuit. Sermones verò pro Sabbatis de B. V. MARIA D. N. omni eruditione, pietate, ſcientia, deuotione, & ingenio tanquam vtiliſsimos hìc adſcribendos duxi. Controuerſia maxima eſt inter Doctores, an hic noſter Ambroſius fuerit ex inſtituto, & Congregatione Seruitarum, ſeu Seruorum B. MARIÆ, primò Florẽtiæ ab Alexandro IV. approbata, & confirmata, Anno M. CC. LV. an verò alumnus extiterit antiquiſsimæ, & perilluſtris Carmelitarum Familiæ? Seruitam eum aſſerunt impreſsio operum prædicti Ambroſij facta Venetijs anno M. CCCC. LXXXV. Poſſeuinus, & Geſnerus. Carmelitam verò fuiſſe ſcribunt R. P. Marcus Antonius in ſuo Paradiſo Carmelitarum Santiagus in Catbalogo, & impreſsio operum facta Baſileæ anno Dñi 1516.

SAB-

SABBATO FERIÆ QVARTÆ CINERVM, DE Virgine glorioſa: Sermo in Ordine Quartus.

Marc.6 ERat nauis in medio, &c. Mar. 6. Ad laudē, & gloriam intronizatæ, & ſuper feliciſsimæ Virginis MARIÆ, cuius hunc glorioſiſsimum habitum fero, hoc in primo Quadrageſimæ Sabbato, aliqua de eius gloria, & dignitate, prout ſua benignitate gratiam dicendi miniſtrabit, deuotè videamus, hunc-que tractandi ordinem, omnibus in ſequentibus Sabbatis, pro poſſe obſeruabo. Reſpice ad me quæſo, ò Regina cœli, & peccatorum refugium, an ego homuncio expaueſcam tua tanta dignitate, an rerum ſublimitate confundar, an multitudine obruar? O Virgo virga ſublimis? O Virgo ſignificata per ſtellas, quis mihi det, vt dignus ipſe ſim preco tuarum innumerabilium dignitatum, tu ipſa greſſus meos dirige, lumen pandes, tu ſpes, tu vita, tu mihi dux, tu mihi nauis eris, quæ hodie in medio huius mundi amariſsimi nobis, quaſi naufragantibus portum ſalutis donabis. *Erat igitur nauis in medio mari*: In quibus ſacratiſsimis Verbis tria de hac glorioſa Virginea naue videamus. Scilicet Virginis glorioſæ nobiliſsimam nuncupationem: Virginis glorioſæ elegantiſsimam rutilationem: Virginis glorioſæ, ſingulariſſimam dotationem.

De nobiliſsima nuncupatione Virginis glorioſæ.

CONSIDERATIO I.

PRimò, Virginis glorioſæ nobiliſsimam nuncupationem videamus. Vbi tres more ſolito, Concluſiones faciamus. Videlicet: Vt Chriſti fidelium cætus Virginem ſummopere veneretur; dies Sabbatinus illi congruētiſsimè dedicatur. Hanc Concluſionem pro tanto poſui, nequis miretur, cur dies iſtos Sabbatinos Virgini dedicare intendimus. Secunda Cōcluſio eſt iſta: tot ſunt, tantique, vndique, huius mundi, qui inſufflant periculoſi venti, quòd niſi nauis tutiſsima haberetur, vix vnus de mille ſaluaretur. Tertia Cōcluſio eſt iſta: Etſi hoc mare, quod cernimus materiale nauigantibus ſit periculoſum, mare tamen ſpirituale, quod fide intelligimus, guſtantibus eſt perſaporoſum.

De die Sabbati, & quare Virgini glorioſæ dedicatur.

CONCLVSIO I.

ACcipe primam Concluſionem: Ad cuius declarationem tres inquiamus veritates: videlicet. Prima veritas eſt iſta, quomodo dies Sabbati accipitur in Scriptura? Secunda, quid debeant Chriſtiani in die Sabbati facere? Tertia eſt; quare dies Sabbati Virgini dedicatur? Quantum ad primum dico ad præſens, quòd Sabbatum tripliciter accipitur in Sacra Scriptura; quoddam enim dicitur Sabbatum temporis: quoddam Sabbatum æternitatis, & quoddam Sabbatum iniquitatis. Sabbatum temporis quatuor modis accipitur. Aliquando enim ſumitur pro ſeptimo totius hebdomadæ die. Aliquando pro tota hebdomada. Aliquando pro quolibet feſto. Dico inquam, quòd Sabbatum temporis pro ſeptimo totius hebdomadæ die accipi in Scriptura ſolet. Et hoc modo accipitur Exod. 20. *Memento, vt diem Sabbati ſanctifices*: Et ibidem 30. cap. *Septimus dies erit vobis ſanctus: Sabbatum, & requies Domini*: Et Leuit. 20. *Sex diebus facies opus, dies autem ſeptimus, quia Sabbati requies eſt, vocabitur ſanctus: omne opus non facietis in eo: Sabbatum Domini in cunctis habitationibus veſtris*. Aliquando accipitur pro tota hebdomada: Luc. 18. *Ieiuno bis in Sabbato*, id eſt, in hebdomada. Aliquando pro quolibet die hebdomadæ: Marc. vltimo. *Valdè mane vna Sabbatorum veniunt ad monumentum orto iam ſole*. Et Luc. 24. *Vna Sabbati valdè diluculo veniunt ad monumentum*. Et accipitur quarto loco pro quolibet feſto. Leuit. 23. *Sabbatum requietionis eſt: affligetis animas veſtras*: Et ibidem. *Menſe ſeptimo prima die menſis erit vobis Sabbatum memoriale clangentibus tubis, & vocabitur ſanctum, &c.* Secundo accipitur in Sacra Scriptura Sabbatum pro Sabbato æternitatis, id eſt, pro felicitate beatitudinis æternæ; quoniam ſicut in die Sabbati quieuit Deus, *ab omni opere, quod patrarat* (ſex diebus fecit Dominus cœlum, & terram, & mare: Et ſequitur. *Quieuit Deus in die ſeptimo*. Idcirco benedixit Deus diem Sabbati, Geneſ. 2.) Sic nos in Sabbato, quod interpretatur requies æternitatis, ab omnibus corporalibus operibus quieſcemus, ſola in diuina ſpeculatione ſiſtentes, Apoc. 14. *Amodo enim dicit Spiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis*, & 21. *Abſterget*, inquit, *Deus, omnem lachrimā ab oculis Sanctorum, &c.* Tertio accipitur Sabbatum in Scriptura pro Sabbato iniquitatis: Matth. 24. *Orate, ne fuga veſtra fiat hyeme, vel Sabbato*: id eſt, orate ne perſecutio veſtra fiat hyeme, id eſt, tempore incompetenti ex aëris turbatione, vel Sabbato, id eſt, tempore incompetenti ad fugam, ex quacumque alia cauſa. Iu-

Exo. 20 Exo. 30 Leu. 23 Luc. 18 Mar. vltimo. Luc. 24 Leu. 23 Ibidem. Gene. 1. Gene. 2. Apo. 14 & 21. Mat. 24

Iudæi enim in die Sabbati vltrà mille passus ambulare non possunt, & tunc Sabbatum téporis non erit obseruandum, & per consequens dicitur Sabbatum iniquitatis. Item Sabbatum iniquitatis dicitur omnis festiuitas, inqua inhonesta, & Deo odiosa ifiunt:

Esai.1. Esai.1. *Neomeniam, & Sabbatum, & festiuitates alias non feram Iniqui enim sunt cœtus*

Amos.1 *vestri.* Amos.1. *Odi, & proieci festiuitates vestras, & non capiam odorem cœtuum vestrorum.* Vide in præcedenti Sermone in prima parte, & conclusione secunda; quare ex his patet prima veritas. Quantùm ad secundam breuiter pro nunc dico, quòd loquendo de Sabbato temporis, à duobus permaximè declinare debemus, & circa vnum solicitè operam dare. Primô inquam declinare debemus ab omnibus operibus corporalibus, non

Exo.23 necessarijs. Exod. 23. *Sex diebus operaberis,*

Deut.5 *&c.* Et Deut. 5. *Obserua diem Sabbati, vt sanctifices illud, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus.* Secundò declinare debemus ab

Esai.1. operibus spiritualibus malis: Esai. 1. *Quiescite agere peruersè, discite benefacere, &c.*

Eze.22. Inde de sceleratis Dominus ait Ezech. 22. *Sanctuaria mea spreuistis, & Sabbata mea polluistis.* Tertiò hymnis, orationibus, & alijs

Eze.20. bonis operibus vacandum est: Ezech. 20. *Sabbata mea sanctificate, vt sit signum inter me, & vos,* id est, vt videatur, quis sit ex populo meo, sed de hoc ad plenum dicetur tertia feria Dominicæ de Passione, quare, &c. Quantùm ad tertiam, vide quæso anima mea, quantùm rectè totius hebdomadæ dies Ecclesia dispenset. Nam dies Dominicus sanctissimæ Trinitati; dies Lunæ defunctis; dies Martis peccatoribus; dies Mercurij sanctis Angelis; dies Iouis Spiritui Sancto; dies Veneris sanctissimæ Passioni; dies Sabbati dulcissimæ Virgini dedicauit; sed omnibus alis diebus ad præsens omissis, tres ad præsens anima accipe rationes, quare dies Sabbatinus Virgini dedicatur? Prima ratio dicitur acerbæ passionis: Secunda ratio dicitur diuinæ terminationis: Tertia ratio dicitur personalis derelictionis. Prima, inquam, ratio dicitur acerbæ passionis, sanctorum enim passio, anima chara, eo ipso die consecrari solet, quo mortem pro Christo susceperunt, & perconsequens æquissimum est, vt ille dies Virgini dedicetur, quo pro Christo eius dilecto filio passa est, sed die Veneris sancta, & Sabbato sancto Virginis passio perdurauit: ergo illi duo dies deberent Virgini dedicari; sed Ecclesia diem Veneris Christo eius dulcissimo filio dedicauit, quare Sabbatum meritò matri dedicabitur. O anima mea, an credis Virginem solùm mente passam, certè, & mente, & corpore, vt annosi Simeonis vaticinium impleretur: *Tuam ipsius animam*

Lucæ 2. *pertransibit gladius,* id est, passio illius, id est Christi pertransibit animam tuam, id est, penetrabit. Et sanè (vt quidam ferunt) tanto erat Virgo tacta dolore cordis, quòd pro dolore penitus interijsset, nisi eam intus, & extra virtus Spiritus Sancti solidasset, &c. Secunda ratio dicitur diuinæ terminationis. Duo enim sunt permaximè Dei opera, id est creatio, & recreatio: creationis enim opus de nihilo fuit, & sex diebus terminatum, id est, completum extitit, licèt de hoc variæ sint opiniones, vt patet 18. dist. 2. sententiarum, sed opus recreationis adeo opus creationis excessit, vt hoc in tempore homo Deus, & Deus homo fieret. Ioan. 1. *Verbum caro factũ* *Ioan.1.* *est*: Vnde sicut die Sabbati summus opifex opera naturæ compleuit, idcirco diem Sabbati benedixit, sic eadem ista die in Virgine glorioſa opera recreationis perfecit. Vnde & die hoc quasi ab omnibus operibus vacãs, benedictus Iesus in sepulchro quieuit, & ad ipsum locum Virgo glorioſa vsque sociauit, & ibi quiescentem reliquit, &c. Tertia ratio dicitur personalis derelictionis: nam sicut virgo tempore passionis sola in vltimis dolorosa permansit, sic congruè illi vltimus hebdomadæ dies cum gaudio solemniter dedicatur, quare, &c. Inde Aurelius Augustinus. O Beata, inquit, MARIA, quis tibi valeat iure gratiarum, & laudum præconia impendere, quæ tuo singulari merito succurristi modo prædicto, quas tibi laudes fragilitas humani generis persoluet, quæ tuo singulari commercio recuperandi aditum inuenit? hæc ille: Et sic patet præsens conclusio.

De tribulationibus, & periculis mundi, & quòd Virgo glorioſa est tutissima nauis.

CONCLVSIO II.

ACcipe secundam conclusionem, id est, tot sunt, tantiq; vndiq; huius mũdi, qui insufflãt periculosi venti, quòd nisi nauis tutissima haberetur; vix vnus de mille saluaretur. Ad cuius declarationem tres inquiramus veritates. Prima, videlicet, quæ est ista maris tam grandis descripta turbatio? Secunda, qui sunt hi venti tam vehementer contrarij? Tertia, in quam nauem ascendere debemus, ne in tantis procellosis vndis periclitemur? Quantum ad primam distinguo, quòd duplex est principalis turbatio, vna bona, & alia mala; turbatio bona ad præsens habet septem gradus. Primus dicitur admirationis: Secundus approbationis: Tertius compassionis: Quartus dicitur correctionis: Quintus dicitur amaricationis: Sextus flagellationis: Et septimus oppressionis. Primus gradus bonæ turbationis dicitur admirationis: Lucæ 1. *Quæ cùm audisset, turbata est in sermone eius, &c.* Et Matth. 14. *Lucæ 1.* *Mat.14*

Vi-

Videntes Discipuli Iesum ambulantem super mare; turbati sunt, dicentes: *Quia phantasma est.* Et idem 24. *Conturbati Discipuli, & conterriti existimabant se spiritum videre, & dixit eis. Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra?* Et Luc. 1. *Et Zacharias turbatus est videns, & timor irruit super eum.* Secūdus gradus dicitur approbationis, & hoc modo Christus turbatus est in passione, vt veritatem carnis approbaret. Ioan. 13. *Et cum hæc dixisset Iesus, turbatus est spiritu, & dixit: Amen Amen dico vobis, vnus ex vobis me tradet.* Tertius gradus dicitur compassionis: Ioan 11. *Iesus ergo vt vidit eam plorantem, & Iudæos, qui cum ea venerant, plorantes, infremuit spiritu, & turbauit semetipsum, & dixit. Vbi posuistis eum?* Quartus gradus dicitur correctionis, & hoc modo turbantur Prædicatores. Esai. 21. *Corrui cum audirem, turbatus sum, cum viderem.* Quæ autem sunt illa quæ Prædicatores audiunt, & vident? Audi Sapientiam 14. *Omnia commixta sunt, sanguis, homicidium, furtum, fictio, corruptio, infidelitas, turbatio, periurium, & tumultus, &c.* Quintus gradus dicitur amaricationis, siue pœnitentiæ. Psalmus 6. *Sana me Domine, quoniam conturbata sunt omnia ossa mea*, id est, pro dolore peccatorum meorum, *& anima mea turbata est valdè, pro multitudine iniquitatum mearum.* Sextus gradus dicitur flagellationis. Psalmus 17. *Fulgura multiplicabis, & conturbabis eos*: Et permaxime in die Iudicij. Herem. 4. *Sensus cordis mei turbati sunt in me, non tacebo, quoniam vocem tubæ audiuit*, pro audiet, *anima mea.* Tuba autem illa erit de qua dicitur. Surgite mortui, venite ad Iudicium. Septimus gradus ad honorem Virginis gloriosæ, dicitur oppressionis. Psalmus. 87. *Auert sti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus*, id est, carnis meæ infirmitas conturbata est, quia auertisti faciem tuam à me, scilicet, quantùm ad auxilium in tribulationibus. Turbantur enim Sācti in tribulationibus, sed nō perturbantur. Turbari enim opus est sensualitatis, sed perturbari est animalitatis, & bestialitatis: Nam & Christus turbatus est in passione, vt dictum est. Audi Paulum, 2. Corint. 1. *Supra modum grauati sumus, ita vt tæderet, etiam nos viuere* Supra modum, inquit, quantùm, scilicet, ad Iudicium sensuabilitatis, sed non quantum ad iudiciū rationis. 1. Corint. 10. *Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere, quoniam in eo in quo passus est ipse, & tentatus, potens est, & eis, qui tentantur auxiliari*: Vt dicitur. Hæbr. cap. 2. Inde Paulus, 2. Corint. 4. ait: *Aporiamur, sed non destituimur.* Propterea fugienti Heliæ à facie impiæ Iezabelis, & dicenti. *Sufficit mihi Domine, tolle quæso animam meam: nec enim melior sum, quàm Patres mei:* Vt dicitur 3. Regum 18. Dominus auxilium vasis aquę ipso sub iunipero dormiēte nō negauit, sed quare Dominus suos in hac vita tribulari permittat, dicetur infrà fer. 5. secūdæ Domicæ in prima consideratione, & conclusione secunda, & hæc de bona turbatione dicta sufficiant. Secunda turbatio dicitur mala, & licèt malum pluribus modis, quàm bonum dicatur; tamen ad præsens quinque accipe malę turbationis gradus. Primus dicitur malignationis; Secundus punitionis; Tertius simulationis; Quartus corruptionis; Et Quintus æternæ damnationis. Primus inquam gradus dicitur malignationis, quomodo turbantur iniqui cum corripiuntur. 4. Regum. 18. *Dixit Achab Heliæ, tune es qui conturbas Israel? At ille ait, non ego turbaui Israel, sed tu, & domus Patris tui* Heu anima chara, pro dolor, hodie ipse quātas vidi abusiones! Nisi enim hodie Prædicatores audientiū aures pruriant, non audiuntur, sed siquid eorum contagiosum detexerint, mox Prædicatorem infamant, & expellunt. Taceo insidias, & Romæ, & alibi illatas in deuotissimum Bernardinum. Taceo quanta ego ipse, qui minimus omnium sum, sustinuerim iacula. Testimonium reddat quicumque officium prædicationis exercet. Hæc missa faciamus. Accipe secundum gradum, scilicet punitionis, quo quidem modo in tribulationibus turbantur iniqui, Deum & Sanctos suis maledictis verbis trucidantes. Psalmus. 106. *Turbati sunt, & moti sunt, sicut ebrius, & omnis sapientia eorum deuorata est*, quia scilicet perdunt sensum, & intellectum. Tertius gradus dicitur simulationis. Matth. 2. *Audiens autem Herodes Rex, turbatus est, & omnis Hyerosolima cum illo, &c.* Vsque ibi: *Vt ego ventens adorem eum.* Quartus gradus dicitur corruptionis, quomodo boni à malorum iniquis sermonibus corrumpuntur, & contaminantur; quoniam corrumpunt bonos mores colloquia mala: Eccles. 17. *Homo iracundus intendit litem, & vir peccator turbat amicos*, scilicet Dei, & bonorum. Quintus gradus dicitur æternæ damnationis. Sapient. 5. *Videntes turbabuntur timore horribili. & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra se pœnitentiam agentes*: Sed infructuosam supple, *& præangustia spiritus gementes: hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, &c.* Quæ omnia, anima mea, si bene notasti, patet satis responsio ad primam veritatem. Quantum ad secundam veritatem dico; Hem quæso anima mea, quis huius mundi ventos ingenio comprehendere poterit? quis quotidianos connumerabit insultus? Audi deuotissimum Ber-

Mat. 24 — *Lucæ* 1. — *Ioan.* 13 — *Ioan.* 11 — *Esai.* 21 — *Sap.* 14. — *Psal.* 6. — *Psal.* 17 — *Here.* 4. — *Psa.* 87. — 2. *Cor.* 1 — 1. *Co.* 10. — *Hebr.* 2 — 2. *Co* 4.

3. *Re.* 18 — 4. *Re.* 18 — *Psa.* 106 — *Mat.* 2. — *Eccl.* 17 — *Sap.* 5.

Bernardum; heu mihi Dñe Deus, vndiq; mihi bella, vndiq; tela volant quòcũque demum me vertam, nulla securitas esuries, & refectio militat contra me. Propterea sapiés ille Salomon Eccles. 2. ait. *Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationẽ*. Licet igitur in numeri quodammodo sint circa animæ nauem periculosi venti, quatuor tamẽ ad præsens accipe fortissimos ventos, in nauem animæ miserè insufflantes. De quibus Daniel 7. dicitur. *Videbam in visione mea nocte, & ecce quatuor venti cœli pugnabant in mari magno*. Et Zach. 6. *Isti*, inquit, *sunt quatuor venti cœli, qui egrediuntur, vt stent coram domino totius terræ*. Primus vẽtus dicitur gaudiũ fatuum: Secundus dicitur dolor bestialis: Tertius dicitur spes insana, & quartus, & vltimus dicitur, timor carnalis. Primus inquam ventus dicitur gaudiũ fatuũ, quod vulgariter dici solet, allegrezza dismemorati, & hic ventus nauem eorum, qui hoc seculum sibi paradisum statuunt, die noctuque exsufflat. Iob. 21. *Gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt*. Et ex hoc nimio terrenorũ gaudio, tempestas oritur intemperantiæ. Inde Psalmista clamat Psalm. 61. *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere*. Secundus ventus dicitur dolor bestialis, & hic permaximè mundanos tribulatos vehit, qui cùm quicquam non gratum senserint, desperant, ex quo sequitur tempestas impatientiæ; quotquot ego ipse vidi, qui cum illis quicquam aduersi acciderit, cum Deo nullum pactum volunt. Psalmus 142. *Collocauit me in obscuris, sicut mortuos seculi, & anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum*. Scilicet pro multitudine tribulationum mearum. Tertius ventus dicitur spes insana, & hoc vento nauis præsumptuosè in longa vita, aut grandi misericordia Dei sperantium summopere quassatur. Exemplum primi de diuite Epulone, animæ suæ dicenti. Lucæ 12. *Anima mea habes multa bona reposita in annos plurimos*. Et nocte sequenti dictum est ei. *Stulte hac nocte morieris*. Exemplum secundi de Origene, omnes animas in fine mundi saluante, & ex hoc vento tempestas insurgit præsumptionis. Verùm vt dicit Magister in 2. dist. 26. Sperare aliquid sine meritis, non spes, sed præsumptio dici potest. Inde Eccles. 18. dicitur. *Vidit*, inquit, *præsumptionem cordis eorum, quoniam mala est, & cognouit submersionem, quæ nequam est*. Et Sapient. 17. dicitur. *Semper præsumit sæua perturbata conscientia*. Nonne sæuum, atque impium, vt quis credat semper male viuere, & tandem misericordia Dei saluari? Nam si misericors est, & tantundem iustus est. Psalmus 10. *Iustus Dominus, & iustitias dilexit, &c.* Quartus ventus dicitur timor carnalis, & horum nauis in maximo periculo est, ex hoc enim timore tempestas oritur desperationis. Sunt enim quidam diuinam iustitiam cum eorum culpis ponderantes, & de peccatis trepidantes, plus quàm expediat, cum Cain aiunt. *Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear*, et vnà cum Iuda laqueo se suspendunt: Audi Augustinum de vtilitate agendæ pœnitentiæ, & loquitur de Iuda, non tam, inquit, scelus, quod commisit, quàm indulgentiæ desperatio, fecit penitus interire. Et Leo Papa: sceleratior, inquit, omnibus, ò Iuda, & infelicior extitisti, quem non pœnitentia duxit ad Dominum, sed desperatio traxit ad laqueum. Hæc ille, quare, &c. Et sic patet secunda veritas. Quantum ad tertiam veritatem dico breuiter, anima chara, quòd his in procelosis fluctuationibus tutissima salutis nauis est Virgo gloriosa. Prouerb. vltimo *Facta est quasi nauis institoris de longe portans panem suum; hic est panis ille, qui de cœlo descendit*. Ioan. 6. Et ideo de longè, quia de cœlo in terram, & valdè longe, quia nullis nostris exigentibus meritis, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit, vt dictum est in sermone præcedenti. Hanc igitur nauem, hunc ferentem panem, anima mea scande, hæc te ad portum salutis adducet; audi deuotissimum Bernardum, ò homo si ad conspectum patris accedere times, ne liquescas, quasi cera à facie ignis, sed vade ad mediatricem matrem misericordiæ, & ostende ei vulnus, & vlcera, & ipsa pro te ostendet lac, & vbera, filius ostendet patri latus, & vulnera: pater non negabit filio, nec filius matri, nec mater tibi. Hæc ille, & sic patet præsens conclusio.

Gene. 4.

Pro. vl.

Ioan. 6.

De multiplici acceptione maris, & quare Virgo dicitur mare?

CONCLVSIO III.

ACcipe tertiam Conclusionem, videlicet, etsi hoc mare quod cernimus materiale nauigantibus sit periculosum, mare tamen spirituale, quod fide intelligimus, & gustantibus est saporosum. Ad cuius declarationem tres more solito inquiramus veritates. Prima videlicet, quot modis accipitur mare in diuina Scriptura? Secunda, qualiter hoc mare mundi nauigare debemus? Tertia, quare Virgo gloriosa dici potest mare tam amarum? Ad primum dubium dico ad præsens, quòd quadruplex est mare, videlicet mare gratiæ, mare mundi, mare culpæ, & mare pœnæ. Mare gratiæ dicitur Sacramentum baptismi: & ratio, quare baptismum in præsenti mare dico, est, quoniam sicut mare in sua natura amaritudinẽ habet, sic baptismus amaritudinem præ-

præsupponit, scilicet pœnitentiæ, & hoc in adultis, vt dicit D. Bonauent. in 4. dist. 16.

Act. 2. Actorum. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorũ, & accipietis donum Spiritus Sancti.* Et sunt

Mar. 1. verba beati Petri, & Marc. 1. *Fuit Ioannes in deserto baptizans, & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Propter hoc enim à pœnitentia baptismus Ioannis incepit, quia in adultis pœnitẽtia baptismum præcedit, vt dicit Bonauent. vt supra. Secundum mare dicitur præsentis vitæ, siue mare mundi. Heu, heu, quàm amarus est in

Iob. 3. omnibus vijs suis hic miser mundus: Iob. 3. *Ante quàm comedam suspiro, & tanquam inundantis aquæ, sic rugitus meus.* Et ad

Rom. 7. Rom. 7. *Semper*, inquit, *pugna, est in corpore mortis huius.* Hinc & bona illa Sunamitis: 4.

4. Re. 4. Reg. 4. dicebat: *Anima mea in amaritudine*

Psa. 68. *est.* Inde Propheta clamabat. Psalmus. 68. *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ, vsque ad animam meam.* Nonne amara fuit turbatio mundi, quando surrexerunt, quidam de Synagoga Libertinorum, & Cirenensium, & commouerunt plebem, & Senatores, & Scribas, & concurrentes Stephanum rapuerunt in concilium ducentes? &c. Quid dicam de tyrannis in Ecclesiam Dei sęuientibus, & Christianorum numerum ferè innumerabilem occidentibus? O Roma, quæ quãta fueris, ipsa ruina docet, testimonium hoc redde: nonne vtique Sanctorum sanguine mades? Et quid multis moror? an hæc praua fuit mundi amara commotio, quàm vilis hominio suum Dominum crucifixit? Et vt omnia comprehẽdam, quid amarius? Quid turpius? Quid inhonestius? Quid nauseam magis generans, quàm quòd hodiernis temporibus totus hic miser mundus, in Dei, & Sanctorum blasphemijs, & impijs maledictionibus, vsque ad cœlum scandentibus, sine vllo timo

Esai. 1. re prorumpit? Esai. 1. *Derelinquerunt Deum, blasphemauerunt Sanctum Israel, alie-*

Psal. 20 *nati sunt retrorsum.* Inde Psal. 20. *Iuuenietur manus tua*, scilicet vltrix, *Omnibus inimicis tuis, dextera tua inueniat omnes, qui te oderũt.* Tertium mare dicitur mare culpę, solent enim boni peccatores, cum suarum culparum multitudinem, turpitudinem, & grauitatem, pensant, voluunt, & recogitant, in grandem amaritudinis vndam mente pro-

Psa. 68 rumpere: Audi Psalm. 68. *Veni in altitudinẽ maris, & tempestas demersit me*: Quia scilicet ex homicidij, adulterijque culpa à Dei gratia excidi, &c. Quartum mare dicitur, mare pœnæ, vbi omnes sine Dei timore viuẽtes, vnde diuersis culpis contra Deum eleuantur, & tandem per dolorosam mortem in pœnarũ inferni profundissimo pelago sub-

Exo. 15 merguntur. Exod. 15. *Operuit eos mare*, id

A est infernus amaritudine plenus, quia ibi erit fletus, & stridor dentium. Herem. 9. *Ecce ego cibabo populum istum absinthio, & dabo eis potum aquam fellis.* Et idem 6 cap. *Ecce dabo in populum istum ruinam, & ruent in eos fratres, & filij simul vicinus, & proximus peribunt.* Et hic patet prima veritas. Ad secundam veritatem dico, quòd habentibus nobis Virginem gloriosam pro naui tutissima, quamuis periculosum sit hoc mundi mare, nullum tamen aliud singulare præsidium est, quàm vela nostræ voluntatis extendere diuinis beneplacitis. Vnde si es in prosperitate, pone velum tuum ad diuinam voluntatẽ. Psalmus 61 *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Si in aduersitate, pone velum in volun

B tate Domini, & cum Sancto Iob. 1. capitul. dic: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* Et si quandoque te mergi sentias, cum Petro clama mergenti, & dextera Dei eriget te: Matth. 14. Quare, &c. Ad tertiam veritatem dico, quòd triplici ratione Virgo gloriosa potest dici mare. Primò ratione redundationis: Secundò ratione gustationis: Tertiò ratione nauigationis. Primo ratione redundationis; nam sicut flumina omnia intrant in mare, & de mari redundant: Ecclesiastes 1. Sic omnium Sanctorum charismata intrant in MA-

C RIAM. Nam flumen Angelorum, spiritumque omnium beatorum intrant in MARIAM. Flumen Prophetarum intrat in MARIAM. Flumen Patriarcharum intrat in MARIAM. Flumen Apostolorum intrat in MARIAM. Flumen Martyrum intrat in MARIAM. Flumen Confessorum intrat in MARIAM. Flumen Virginum intrat in MARIAM. Flumina omnia intrant in mare. Flumina omnium gratiarum intrant in MARIAM: Eccles. 24. *In me omnis gratia vitæ, & veritatis: in me omnis spes vitæ, & virtutis. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini*, aliàs exponam verba hæc. Inde

D Augustinus ait: Gratia plena es ò MARIA, quàm apud Dominum inuenisti, & hanc per totum mundum diffundere meruisti, quia cęteris per partes in MARIA tota se infudit gratiæ plenitudo. Secundò Virgo gloriosa potest dici mare, ratione gustationis; sicut enim hoc materiale mare, quod cernimus gustantibus rationem dulcedinis nescit. Sic Virgo omnibus cernentibus amarissima in sui dulcissimi filij passione amarissima fuit. Lucæ. 2. *Et tuam ipsius animam pertrãsibit gladius.* Audi Hieronymum in Sermone, MARIA, inquit, quia mente passa est plusquam martyr fuit, nimirum & eius dilectio amplius fortis, quàm mors, quia mortem Christi suam fecit. Sed de hoc infrà

Her. 9. *& 6.* *Psal. 61* *Iob. 1.* *Mat. 14* *Eccl. 1.* *Eccl. 24* *Luc. 2.*

Ser-

Sermone 26. Tertiô Virgo dicitur mare ratione nauigationis. Nam sicut mare nauigantibus terribile est; sic Virgo dęmonibus mundum nauigantibus horribilis est, vsque enim ad diem Iudicij hunc aerem caliginosum volitant, & post Iudiciũ in infernum detrudentur, vt communiter Theologi ferunt. Et Magister ponit in 2. sentent. Quòd autem virgo dæmonibus sit terribilis. Audi gloriosum Bernardum. Non sic, inquit, timent hostes visibiles, quamlibet castrorum multitudinem copiosam, sicut aereę potestates MARIÆ patrocinium, vocabulum, & exemplum. Fluũt, & pereunt sicut cera à facie ignis, vbicumque inueniunt crebram huius recordationem deuotam inuocationem, solitamque imitationem. Hæc ille, nec iniuria. Nam si terribilis dęmonibus est filius, an mater illis placida
Psal.65 erit? Audi Psalm. 65. *Dicite Deo, quàm terribilia sunt opera tua Domine?* Et idem. *Tu terribilis es, & quis resistet tibi?* Audi Esai.
Esai.30 cap. 30. *A voce Domini pauebit Assur virga percussus*: id est, diabolus percussus virga, id est, Sancta Cruce pauebit, id est, timebit: Quare, &c. Et hæc volo, sufficiant pro præsenti conclusione: Et sic patet prima pars huius Sermonis.

De eleganti rutilatione Virginis.

CONSIDERATIO II.

SEcũdò gloriosæ Virginis elegantissimam rutilationem videamus. Vbi tres Conclusiones subiũgamus: videlicet: Prima Conclusio est ista. Licèt sancti omnes suis meritis, & orationibus hanc pauperculam animam, vt ad portum salutis veniat, cum maxima claritate dirigant: nullum tamen est sydus adeo rutilãs in hoc periculoso mari nauigantibus lucẽs, vt sic Virgo gloriosa pręclarissima stella maris. Secunda Conclusio est ista: quamuis cunctis syderum splẽdoribus Virga gloriosa comparetur, singulariter tamen aurora fulgens appellatur. Tertia Conclusio est ista: nisi fuisset hic portus Virginis almæ, vbi non nisi salus sperari potest, diuersis temporibus plures naues naufragassent.

De stellifera rutilantia Virginis.

CONCLVSIO I.

ACcipe primam Conclusionem, &c. Ad cuius declarationem tres veritates inquiramus, videlicet: prima est ista. Quot modis sancti orare pro nobis possunt? Secunda, quomodo sancti in hoc mari resplenduerunt? Tertia, quomodo Virgo super omnes Sanctos radios suæ lucis ostendit? Ad primam dico, quòd tripliciter Sancti pro nobis orare possunt, scilicet: mente, ore, & opere:

A primò mentẽ, & de hoc orandi genere, ait Dominus: Matth. 6. *Intra cubiculum tuum,* *Mat.6.*
& clauso ostio ora patrem tuum. Quadruplex est enim cubile, exterius, interius, superius, & inferius. Cubile exterius Ecclesia sancta est: Cantic. 1. *Introduxit me Rex in cubicu* *Cant.1.*
lum suum. Cubile interius, secretum conscientiæ est, & de hoc dicitur hic. Matth. 6. *Intra* *Mat.6.*
cubiculum tuum, &c. Cubile superius, cœlestis patria est: Lucæ 11. *Noli mihi molestus* *Luc.11*
esse, iam pueri mei mecum sunt in cubili. Cubile inferius, mala conscientia est: Psalm.
103. *In cubiculis suis collocabuntur.* In primo cubili cubat ipse Christus, & requiescit: Cant. 1. *Indica mihi, vbi pascas, vbi cu* *Psa.103*
B *bes in meridie.* Et ibidem. *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* *Cant.1.*
In cubili interiori quiescit iustus. Psalmus. *Psal.4.*
4. *In pace in idipsum dormiam, & requiescã.*
In superiori quiescit Beatus: Psalm. 83. *Beati, qui habitant in domo tua, in secula seculo-* *Psal.83*
rum laudabunt te: Apoc. 14. *Amodo enim* *Apo.14*
iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis. In inferiori requiescit diabolus. Lucæ *Luc.11*
11 *Assumit alios spiritus nequiores se, & in-*
gressi habitant ibi. Et sic patet primus orandi modus. Secundò orare possunt pro nobis Sancti, ore: Psalm. 140. *Dirigatur oratio* *Ps.104.*
mea, sicut incensum in conspectu tuo. Et sic pauperculam Susanna falsò à Iudicibus Senibus
C condemnata: *Exclamauit voce magna, &* *Dan.13*
exaudita est. Daniel. 13. Similiter & Chri- *Hæb.5.*
stus in Cruce pendens. Ad Hæbr. 5. *Qui in*
diebus carnis suæ preces, supplicationesque
ad Deum offerens, qui possit eum saluum facere à morte: Luc. 22. *Factus in agonia proli-* *Luc.22*
xiùs orabat. Tertio modo orant Sancti, opere, & hoc modo vltra omnes pro nobis Christus orat. Ad Rom. 8. *Qui semper pro nobis* *Rom.8.*
interpellat ad Patrem. Multa de oratione habes Sermone secundo per totum. Et sic patet prima veritas. Ad secundam veritatem dico, quòd Sancti in septem Donis Spiritus Sancti permaximè splenduerunt, Psalm. 109. *In* *Ps.109*
D *splendoribus Sanctorum*, id est, in Donis Spiritus Sancti, qui sanctos splendidos faciunt. Actuum. 2. *Apparuerunt illis dispertitæ lin-* *Act. 2.*
guæ tamquam ignis, seditque supra singulos
eorum. Vbi nota, quòd sex sunt dona principaliter, scilicet dona naturæ, dona gratiæ, dona gloriæ, dona tẽporalia, dona pœnæ, & dona culpæ. Dona naturæ sunt naturalia bona à Deo facta, & nobis donata, vt ratio, ingenium, &c. Psalm. *Benedictus Deus in donis* *Psalm*
suis. Hæc autem dona concessit Deus ad viuendum. Gen. 1. *Formauit Deus hominem* *Gene.1.*
de limo terræ, & inspirauit in eum spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem. Dona gratiæ sunt in duplici gradu. Primus est ipse Iesus Filius Dei. Esai. 9. *Esai.9.*
Paruulus datus est nobis, & filius natus est

no-

nobis. Et Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum,* Ioan. 3.
vt vnigenitum suum daret. Secundus gradus
sunt Dona Spiritus. Esai. 9. *Requiescet super* Esai. 9.
eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, &
intellectus: spiritus consilij, & fortitudinis,
spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit
eum spiritu timoris Domini. Et hæc dona
dantur ad merendum. 1. Corint. 9. *Ego sic* 1. Cor. 9
curro, non quasi in incertum: sic pugno, non
quasi aerem verberans. Et 2. ad Thim. 1. *Scio* 2. Thi. 1
cui credidi, & certus sum, quia potens est
Deus depositum meum seruare, vsque in illũ
diem. Dona gloriæ est beatitudo æterna.
Psalm. 143. *Qui dat salutem regibus, &c.* Ps. 143
Et Idem. *Beati qui habitant in domo tua, in*
secula seculorum laudabunt te. Et hæc dona
dantur ad præmiandum. Luc. 22. *Ego dispo-* Luc. 22.
no, sicut disposuit mihi pater vobis Regnum,
vt edatis, & bibatis super mensam meam in
Regno meo. Dona temporalia sunt, vt abun-
dantia vini, panis, olei, & sic de alijs. Psalm.
146. *Qui dat iumentis escam, & herbam ser-* Ps. 146.
uituti hominum. Et hæc dona peccatoribus
tribuit ad alliciẽdum ad seipsum amandum,
sed vt plurimùm peccatores abutuntur illis.
Prouerb. 1. *Vocaui, & renuistis, extendi ma-* Prou. 1.
nus meas, & non fuit, qui aspiceret, &c.
Sed bonis, & iustis dat talia dona ad solatiũ,
vel alio bono respectu. Psalm. 36. *Non vidi* Psal. 36
iustum derelictum, nec semen eius quærens pa-
nem. Dona pœnæ sunt aduersitates, & hæc do
na peccatoribus ad corrigendum, bonis ad
purgandum tribuit. De primis audi Prophe-
tam. Psalm. 15. *Multiplicatæ sunt infirmi-* Psal. 15
tates eorum, postea acceleraverunt. De bonis
eundem audi. *Virga tua, & baculus tuus*
ipsa me consolata sunt. Dona culpæ sunt car-
nalia vitia, & hæc solùm dat diabolus ad
damnationem. Matth. 25. *Ibunt hi in sup-* Mat. 25
plicium æternum. Modò ad propositum quan
do quęris, quomodo Sancti in hoc mundo
splenduerunt; dico, quòd permaximè in se-
ptem donis gratiæ, quæ sunt septem Dona
Spiritus Sancti. Primò claruerunt Sancti in
dono timoris. Eccles. 1. *Qui sine timore* Eccle. 1.
Dei est, non potest iustificari. Et cap. 2. ait: & 2.
Qui timetis Deum, diligite illum, & illumi-
nabit cor vestrum. Secundò claruerunt in
dono pietatis. Matth. 25. *Tunc dicet eis, qui* Mat. 25
à dextris eius erunt, esuriui, &c. Et Psalm. Ps. 147
147. *Flauit spiritus eius, & fluxerunt aquæ,*
scilicet compassionis. Tertiò, claruerunt in
dono scientiæ. Audi Dominum animæ bonæ
petenti. *Da mihi intellectum, & scrutabor*
legem tuam. Quid dicat. *Intellectum tibi da-*
bo, & instruam te in via hac, qua gradieris,
firmabo super te oculos meos. Quartò, cla-
ruerunt in dono sapientiæ. Eccles. 51. *In* Eccl. 51.
sapientia eius lucescit anima mea, & ignoran-
tias meas illuminauit. Quintò, claruerunt
in dono consilij. Vnde & Christo dicebat.

A *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus* Mat. 19
te, &c. Sextò claruerunt in dono intelle-
ctus. Psalm. 110. *Intellectus bonus omnibus* Ps. 110.
facientibus eum. Septimò, & vltimò claru-
erunt in dono fortitudinis. Ad Hæbr. 11. Hæb. 11
Sancti per fidem, &c. vsque *fortes facti sunt*
in bello. Quare, &c. & sic patet secunda veri
tas. Quantùm ad tertiam veritatem dico,
quòd in septem pulcherrimis rebus super om
nes emicuit. Primò in prætiosa naturali con
ditione, quia fuit tota ignita. Secũdò in sum
ma luciditate. Tertiò in magna illuminatio-
ne. Quarto in singulari directione. Quintô
in stupenda vnione. Sexto in firma duratio-
ne. Septimo in suprema collatione. Primò,
B inquam, gloriosa Virgo super cæte-
ros emicuit in prætiosa naturali conditio-
ne, quia tota fuit ignita, & infocata diuino
amore. Vnde arguatur sic: de quo minus vi-
detur inesse, & inest: ergo de quo magis.
Ista est vna regula Logicę generalis. Tũc sic,
si Paulus ex grandi charitate ausus est dicere
ad Rom. 8. *Quis nos separabit à charitate* Rom. 8.
Dei, an angustia, an persecutio? &c. Quanta
credimus charitate gloriosam Virginem su-
per omnes caluisse. profectò vt nihil creatum
magis. Propterea verè dicere poterat illud.
Cantic. 2. & sunt verba animæ in Deo philo Cant. 2.
captæ. *Fulcite me floribus, quia amore lan-*
gueo. Secundò, Virgo super omnes emicuit
C in summa luciditate. Cantic. 6. *Quæ est ista,* Cant. 6.
quæ progreditur, pulchra vt Luna, electa vt
Sol? Sed de hoc in sequenti conclusione. Ter-
tiò in magna illuminatione, quia omnibus
suarum operationum, & virtutum exempla
monstrauit. Vnde Christus Discipulis. Mat. Mat. 5.
5. dixit. *Sic luceat lumen vestrum coram ho-*
minibus, vt videant, &c. Quantum credis,
vt mater filij eius dulcissimi Christi glorifi-
caretur, cæteros Sanctos in bonis exemplis
animasse? Inde Ambrosius in Homi. super
Lucam 2. *Exurgens MARIA abijt in mon-* Luc. 2.
tana. &c. Dicit: discite vos ô Virgines sedu
litatem, quam prægnantibus de beatis exhi-
bere cognatis, &c. Quantum autem in omni-
bus virtutibus cæteros superauerit, dicetur
D conclusione sequenti. Quartò in singulari
directione. Solent enim nautæ tempore no-
ctis lumine lucernæ cuiusdam ad portum ci-
uitatis attingere, sic nos nauigãtibus per hoc
mare magnum, & spacioſum, in quo reptilia
quorum non est numerus, id est, diuersa
genera inimicorum, quæ compẽsato nobiscũ
agone luctantur, singulariſsimum lumen ad
portum salutis dirigens est dulcissima Vir-
go, quia ipsa genuit Christum, qui illuminat
omnem hominem veniẽtem in hunc mun-
dum. Quintò claruit in stupenda vnione,
quis enim tantùm Deo vniri potuit, sicut
gloriosa Virgo? Eccles. 24. *Qui creauit me,* Eccl 24
requieuit in tabernaculo meo. Et quam miro

mo-

Luc. 1. modò quieuerit. Audi Angelum. Luc. 1. *Spiritus Sanctus superueniet in te, &c.* Sexto claruit in firma duratione, quia nunquã ex prosperitate elata est. Sed audi quid dicat Angelo ipsam Dei Matrem dicenti. *Ecce ancilla Domini, &c.* Nec ex aduersitate turbata est.

Ioan. 19 Ioan. 19. *Stabat*, id est, in firmo proposito, *iuxta Crucem MARIA Mater Iesu, &c.* Septimò, & vltimò claruit in suprema collatione, quia de nullo dicitur sic. Exaltata est Sancta Dei genitrix super choros Angelorum ad cœlestia Regna. Quare, &c. Et sic patet præsens Conclusio.

De quibusdam alijs splendoribus Virginis.

CONCLVSIO II.

ACcipe secundam Conclusionem, videlicet: Quamuis cunctis siderum splendoribus Virgo gloriosa comparetur singulariter tamen aurora fulgens appellatur. Ad cuius declarationem tres, more solito, veritates inquiramus: videlicet Prima: si aliud præter Virginem stella potest appellari? Secunda quem splendorem à Virgine acceperunt cæteri Sancti? Tertia, quare super omnes stellas Virgo aurora dicatur? Quantum ad primam dico, anima mea, quòd non sola Virgo gloriosa stella potest appellari; nã & omnes Angelici

Apo. 12 spiritus stellæ dicuntur. Apoc 12. Et Draco cauda sua trahebat *tertiã partẽ stellarũ*. Item

Gen 22. & 26. & omnes Sancti Gene. 22. & 26. *Multiplicabo semen tuum super stellas cœli*. Et

1 Co. 15 1. Corin. 15. *Stella à stella differt in claritate*, id est, Sancti. Item, & stella dicitur Ecclesia Sancta

Apoc. 2. Apoc. 2. *Hæc dicit, qui tenet septem stellas in dextera sua*, id est sanctam Ecclesiã septiformis gratiæ Dei prælucentem: Ité & stel-

Apoc. 8 la dicitur Antichristus Apoc. 8. *Et cecidit de cœlo stella magna ardens, tamquam facula, &c.* Item & omnes scelerati stellæ appella-

Mat. 24 ri possunt. Matth. 24. *Stellæ cadent de cælo*, id est, impij tollentur, ne videant gloriam

Mat. 25 Dei Matth. 25. *Ibunt hi in supplicium æternum*. Sed Virgo gloriosa singulari quodam

Num. 3 modo stella dicitur Numer 30. *Orietur stella ex Iacob*. Quia sicut stellę materiales fa-

Gene. 1. ctę sunt in ornamentum cœli. Genes. 1. *Fecit Deus duo luminaria magna luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti, & stellas, quæ lucerent infirmamento cœli*. Sic gloriosa Virgo facta est, vt luce sua decoraret totum Empireum cœ-

Psal. 44 lum. Psalm. 44. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate.* Quare, &c. Et sic patet prima veritas; ad secundam veritatem dico, quòd omnes sanctorum virtutes, tam noui, quàm veteris testamenti, à Virgine plenitudinem susceperunt. Veteris quidem in Virgine futura: nouæ verò legis Sancti in Virgine iam facta, & vt clariùs ista videantur, quædam sanctorum nouæ, & veteris testamenti connumerari virtutes possunt. Claruit namque Abel in veteri testamento virtute innocentiæ. Vnde & Dominus: *Respexit ad munera eius*. Genes. 4. Clarui Enoch virtute munditiæ. Vnde *& tulit illum Deus*. Vide Genes. 6. Claruit Noe virtute spei; vnde & sperans Arca à diluuio liberari, ex Dei speciali mandato, illam miro fabricauit modo. Genes. 5 Claruit Abraham virtute fidei. Gene. 22. *Credidit Abraham, & reputatum est ei ad iustitiam*. Vnde & filium immolare voluit; vt ibidem dicitur. Claruit Isaac virtute obedientiæ: Vnde & patri in sui immolatione non contradixit. Genes. 22. *Vbi sunt victima, & holocaustum pater mi? Et respondens pater*, ait, *Dominus prouidebit fili mi, &c.* Claruit Iacob virtute amicitiæ. Vnde & Dominus ei multa secreta reuelauit, vt dicitur scala, &c. Genes. 28. Claruit Iob virtute patientiæ: vnde nec contra Dominum locutus est. Iob 1. Claruit Moyses virtute mansuetudinis. Vnde & Domino semper mansuetè respondit, ideo mansuetissimus dictus est. Numer. 12. capit. Claruit Dauid virtute humilitatis. Vnde & iumentum se esse dixit. Psal. 72. *Vt iumentum factus sum apud te*. Claruit Salomon virtute sapientiæ. Vnde & sapienter de duabus meretricibus iudicium dedit. 3. Regum 3. Claruit Ezechias virtute pœnitentiæ. Vnde *& versa facie ad parietem fleuit amarè*. Esai 38. & 4. Regum 20. Claruit Daniel virtute intelligentiæ. Vnde & somnium Nabucodonosor exposuit. Dan. 4. capit. Claruit Susanna virtute castimoniæ. Vnde & potiùs mori elegit, quàm senibus consentire. Daniel 13. Et isti sufficiant ex veteri lege. Nunc & Sanctos quosdam nouæ legis connumeremus. Claruit namque Ioannes Baptista virtute pœnitentiæ: Vnde & à teneris annis heremum petijt. Antra deserti teneris sub annis, &c. de ipso canit Ecclesia. Claruit Petrus virtute constantiæ post Spiritus Sancti missionem. Vnde & lætanter ibat ad Crucem. Claruit & Paulus virtute fortitudinis. Vnde & dicebat: cum infirmor, tunc fortior sum. 2. Corint. 12 Claruit Andreas virtute animositatis. Vnde & crucem animosè salutauit, dicens: salue Crux preciosa, &c. Claruit Ioannes Euangelista virtute doctrinæ. Vnde & cæteris altiùs intonuit, dicens. *In principio erat verbum, &c.* Ioan. 1. Claruit Iacobus frater Ioannis Euangelistæ virtute credulitatis. Vnde ipse, & Ioannes, relictis omnibus secuti sunt Christum. Matthæ. 4. Alter Iacobus virtute claruit sanctitatis. Vnde & ab omnibus iustus est appellatus. Claruit Philippus virtute soli-

Gene. 4. Gene. 6. Gene. 5. Gen. 22 Gen. 28 Iob. 1. Num. 12 Psal. 72 3. Reg. 3 Esa. 38. & 4. Re. 20. Dan 4. Dan. 13 2. Co. 12 Ioan 1. Mat. 4.

citu-

citudinis. Vnde & fratri ſuo Nathanaeli di-
Ioan. 1. xit: *Inuenimus Meſsiam, veni, & vide.* Ioann. primo. Claruit Bartholomęus virtute prædicationis. Vnde & multas peragrauit regiones, Dei Verbum ſeminando, vt patet in legenda. Claruit Matthæus virtute fidei, vnde & primus ſcripſit Euangelium. Claruit Simon virtute obedientiæ. Vnde & Simon obediens interpretatur. Claruit Thomas virtute humilitatis. Vnde & Domino humiliter reſpondit, dicens: *Dominus meus*
Ioan. 20 *& Deus meus.* Ioann. 20. Claruit Iudas Thadęus virtute animoſitatis. Vnde & contra Hæreticos Epiſtolam ſcripſit, dicens:
Iudæ. 1. *Hi ſunt nubes ſine aqua.* Iudas autem Sca-
Mat. 27 rioth ſuam virtutem perdidit. Vnde *& laqueo ſe ſuſpendit*, quid de alijs dicam? O ſancti, & ſanctæ Dei: quot, quantiſque virtutibus longè à nobis diſtantibus claruiſtis? Hem quæſo anima mea, audi Iſidorum de ſummo bono libr. 2. capit. 11. Si ad boni, inquit, incitamentum diuina, quibus monemur præcepta deeſſent: pro lege nobis ſanctorum vita ſufficeret, at contra, dum & Deus præceptis ſuis admoneat, & vita ſanctorum boni operis exempla proponat, nulla eſt iam de reatu excuſatio, quia & lex Dei aures noſtras quotidie propulſat, & ſanctorum documenta noſtri cordis intima prouocant, etſi prauorum ſemper ſequuti ſumus exempla, cur non imitamur ſanctorum digna, & laudabilia facta? Et ſi apti ſumus imitari inimicos in malum, cur pigri ſumus imitari iuſtos in bonum? exemplo igitur Sanctorum varias ſectare virtutes humilitatis ex Chriſto, deuotionis ex Petro, charitatis ex Ioanne, obedientiæ de Abraham, patientiæ de Iſaac, tolerantiæ de Iacob, caſtimoniæ de Ioſeph, manſuetudinis de Moyſe, conſtantiæ de Ioſue, benignitatis de Samuele, miſericordiæ de Dauid, abſtinentiæ de Daniele. Sic & cætera facta priora, quo labore, quo moderamine, quaue intentione, vel compunctione gerens, vir ſanctus imitando conſideret. Hæc ille: quid igitur hìc de Virgine dices? Niſi quod cæteris per partes, in MARIA autem tota ſe infundit gratiæ plenitudo: Quare & cætera. Et ideo antiqui in Virgine Sancta futura ſuarum virtutum, & moderni ab ea, iam Dei Matre facta, ſumpſerunt originem. Quare & cætera. Quantùm ad tertiam veritatem dico, quòd triplici ratione Virgo ſpecialiter auroræ comparatur: videlicet ratione incontaminatæ naſcibilitatis. Secundò ratione antecedentis claritatis. Et tertiò ratione ſummæ propinquitatis. Di-
Cant. 6. citur enim. Cant. 6. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur tamquam aurora conſurgens?* Dicitur ergo primò aurora ratione incontaminatæ naſcibilitatis. Reſpice quæſo auroræ

A ortum, non enim noctis tempore, ſed ante crepuſculum ſuæ claritatis comas emittit. Sic ò tu anima chara, Virginis glorioſæ ortum attende, non profectò in nocte, ſed in crepuſculo fulgentiſsima claruit per noctem originalis culpæ fuſcedinem intellige. Cant. *Cant.* 4.
4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Et Sap. 7. *Candor lucis æternæ, & Sap.* 7.
ſpeculum ſine macula. Secundò ratione antecedentis claritatis, præcedit enim aurora Solis ortum, & ſic hæc glorioſa ſtella Chriſtum. Audi deuotiſsimum Bernardum: Rectè, inquit, ò MARIA, auroræ officium impleſti. Ipſe enim Sol iuſtitiæ de te proceſſurus, ortum ſuum quadam matutinali irradiatione
B præueniens, in te lucis ſuæ radios copiosè transfudit. Hæc ille. Tertiò ratione ſummæ propinquitatis. Vicinior enim aurora cæteris eſt ſoli, ſideribus, & Virgo glorioſa omnibus Sanctis Deo propinquior. Propinquantur enim quidam Deo per excellentiam, cognitione tantùm, vt prophetæ. Quidam cognitione, & demonſtratione, vt Chriſti Præcurſor. Quidam cognitione, oſtenſione, & portatione, vt ita loquar, & hæc eſt Virgo ſola. Audi Bernardum: Non, inquit, decebat Deum aliam matrem, quàm Virginem. Nec Virginem alium filium, quã Deum; quia nec maior inter matres, nec mater inter filios naſci potuit. Audi Anſelmum.
C Domina mater, per quam talem habemus fratrem: quid gratiarum? quid laudis tibi retribuemus? Hæc ille. Quare & cætera. Et ſic patet præſens Concluſio.

Quod meritis Virginis Deus, tam in nouo, quàm in veteri teſtamento, plurima beneficia contulit.

CONCLVSIO III.

ACcipe tertiam Concluſionem: videlicet. Niſi fuiſſet hic portus Virginis almæ, vbi non niſi ſalus ſperari poteſt, diuerſis temporibus plures naues naufragaſſent. Ad
D cuius declarationem tres inquiramus veritates. Videlicet prima: Vnde hoc accidit, quòd mox, vt natura angelica præuaricauit, punita eſt, & tamen natura humana, quæ longè inferior eſt, fuit à Deo ſupportata? Secunda, ſi tanta potuit eſſe gratia Virgini collata, vt per eam natura humana fuiſſet iuſtificata? Tertia, qui ſunt illi, qui meritis Virginis ſunt ſcripti in libro vitæ? Quantùm ad primam veritatem dico, quòd nulli dubium, quòd primi parentes ex propria tranſgreſsione, non ſolùm mortis; ſed etiã annihilationis exterminium meruerũt. Et diuina vltio, quæ perſonarum acceptionem ignorat, profectò ſicut nec culpam Angelicam, ſic nec humanam dimiſit, & impunem; ſed propter præcipuam reueren-

tiam, & singularem dilectionem, quam habebat ad Virginem, ipsorum nauem præseruauit, nec in æternum perituram permisit, & ratio est, quia hæc benedicta puella in lumbis Adæ erat secundùm corpulentam substantiam, & sicut nos scimus, potentia producendæ puellæ in primis parentibus erat impressa, donec reduceretur in actum, & de ipsa postea Dei filius Christus Iesus in Adam secundùm corpulentam substantiam existens erat educendus. Et ab hanc etiam anima mea, eandem causam aquis diluuij omnem carnem non exterminauit, sed in naui Sanctum Noe incolumem præseruauit. Similiter, & successiuè populum Hebræum, quamuis rebellem, & contumacem, protexit, & gubernauit, quia de ipso hæc benedicta puella nascitura erat, & de ea Filius Dei. Psalmus 131. testante. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Cùmque tempus appropinquasset, vt hæc benedicta nauis, in qua generis humani Saluator transfretari deberet, mundo largiretur. Ioachim ille vir Deo gratus, & Anna mulier illa sanctissima, Domino disponente, & cooperante in Sylis coeuntes, hanc benedictã nauẽ construxerunt, dieque statuto, quo Dei filius hanc ipsam nauem intrare debebat, vt genus humanum naufragans saluaret, angelico è cœlis nuncio destinato. Gubernatrice huius nauis humiliter salutata, mox vt consensit, salubriter intrauit. Ioann. 1. *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Sicque humani generis obtenta salute, & à dæmonis seruitute liberato. Ioann. 12. *Nunc Princeps huius mundi eijcietur foras?* tanto hæc benedicta nauis fuit vigore, ac potentia firmata, vt quisquis naufragari hæsitans, hanc ipsam nauem ascenderit, ad portum perueniet optatum, quia nulla gratia descendit de cœlis ad terras, nisi transeat per manus MARIÆ. Vnde, ò Italia misera, tot sceleribus irretita, tanta tibi pacientia Dei, vnde tanta supportatio, nisi quia benedicta nauis pro nobis semper est ante filium, illi omnia salutis nostræ ostendens instrumenta, vt pectus, & vbera. Et vt breuiter singula comprehendam, nihil est tam in nouo, quàm in veteri testamento humano generi condonatum, quod merito huius benedictæ nauis non sit concessum. Quare ex his patet, quod meritis Beatæ Virginis de lumbis Adæ educendę præseruata fuit illæsa, & præseruatur in dies omnis humana natura: Quare & cætera. Quantùm ad secundam dico, quòd humana natura per merita Virginis non potuit propriè iustificari; quia iustificatio redemptionem præsupponebat. Quomodo enim perfectè iustificari poterat, si redempta nondum erat? Redimi autem debebat per Christum: ergo, & iustificari per ipsum. Audi Dominum. Lucæ 22. *Hic*, inquit, *Calix nouum Testamentum est in meo sanguine, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Ad Roman. 8. *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum.* Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt vnigenitum suum daret.* Apocalipt. 1. *Lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Et 1. Petr. 1. *Non corruptibilibus auro, & argento sed prætioso sanguine Iesu Christi redempti estis.* Et 1. Corint. 6. *Empti enim estis pretio magno.* Quare patet, quamobrem per merita Virginis humanum genus non potuit iustificari, & cætera. Quantùm ad tertiam veritatem dico, pro declaratione, quòd quadruplex est liber, liber vitæ, liber mortis, liber literæ, & liber cordis. Liber vitæ est duplex, videlicet ipse Christus. Apocalipſ. 5. *Vidi in dextera sedentis super Thronum librum scriptum, intus, & foris signatum sigillis septem.* Primum sigillum, & secretum fuit Christi Incarnatio. Hierem. 31. *Notum faciet Dominus super terram, mulier circunaabit virum.* Et Matth 1. *Quod in ea natum est de Spiritu Sancto est.* Secundum sigillum fuit Christi Natiuitas. Lucæ 2. *Virgo peperit filium suum primogenitum.* Etaiæ 7. *Ecce Virgo conc piet, & pariet filium.* Tertium sigillum fuit Baptismus. Ioann. 1. *Superquem videris columbam descendentem; hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto.* Et Ezechiel 37. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquitatibus vestris.* Quartum autem sigillum fuit eius gloriosa Passio. Matthæi 12. *Sicut fecit Iona in ventre Cæti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ.* Et Matthæi 26. *Filius hominis tradetur, vt crucifigatur.* Et Daniel 9. *Morietur Filius meus Christus.* Quintum sigillum fuit Resurrectio. Matthæi 26. *Post tres dies resurgam.* Et Oseæ 6. *Viuificabit nos post tres dies, & in die tertio resurgemus.* Sextum sigillum est Ascensio. Actuum primo. *Cùm intuerentur in cœlum euntem illum: ecce duo viri astiterunt iuxta illos, &c.* Et Psal 67. *Ascendit super cœlum cœli ad Orientẽ.* Septimum, & vltimum sigillum est Spiritus Sancti missio. Ioann. 19. *Si autem abiero, mittam eum ad vos.* Ioel. 3. *Effundam de spiritu meo super omnem carnem.* Hunc librũ nemo soluere potuit, nisi solus Christus, quia de ipso solo hæc in veteri testamento erãt pronũciata, & præfigurata. Inde dixit in cruce pẽdens. Ioã. 19. *Consumatũ est* Scriptus est autem hic liber intus, & foris; intus quantùm

Ps. 131.

Ioan. 1.

Ioan. 12

Luc. 22

Rom. 8.

Ioan. 3.

Apoc. 1.

1. *Pet.* 1.

1. *Co.* 6.

Apoc. 5.

Hier. 31

Mat. 1.

Luc. 2.

Esaiæ 7.

Ioan. 1.

Mat. 12

Mat. 26

Dan. 9.

Mat 26

Oseæ 6.

Act. 1.

Psal. 67

Ioan 19

Ioel. 3.

Ioan. 19

tùm ad diuinitatem, quia erat verus Deus.
Ioan.10 Ioan. 10. *Ego, & Pater vnum sumus*; foris quantùm ad humanitatem; quia erit verus homo. Ioan. 1. *Verbum caro factum est.*
Ioan. 1. Baruch, 3. capitul. *Et post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.*
Bar. 3. In hoc libro legit Ioannes Euangelista in cæna, vbi mira, & profunda mysteria, quæ non licet homini loqui, aspexit, sicut patet quando postea in Insula Pathmos Apocalipsim scripsit. Quare & cætera. Secundus liber vitæ est conscientia ipsa, vel prædestinatio, vel memoria Dei. Psalmus 138. *In libro tuo omnes scribentur*. Daniel 12. *In*
Ps. 138 *Dan 12* *tempore illo saluabitur omnis populus tuus, qui inuentus fuerit scriptus in libro vitæ.*
B In hoc non scribuntur, qui obstinati sunt in
Psal.68 malum, & omnes desperati. Psalmus 68. *Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur*. Scribuntur autem in eo plures, sed diuersimodè. Quidam secundùm
Ioan.10 præsentem prædestinationem. Ioann. 10. *Ego cognosco oues meas, & nemo potest eas rapere de manu mea*. Quidam in eo scribuntur secundùm præsentem institiam, & meritorum formam. Matth. 5. *Gaudete, & exultate*
Mat. 5. *quoniam nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Et hi aliquando delentur, vt Iudas, & sic de alijs; sed primi nunquam delentur. Quidam scribuntur secundum hominum reputationem, vt omnes hipocritæ. De quibus Augustin. ait, multa sanctorum corpora, scilicet, secundùm reputationem venerantur in terris, quorum animæ cruciantur in infernis, de quorum numero ille Pharisæus fuit, qui dicebat: *Gratias tibi ago, quia non sum, sicut*
Luc.18 *cæteri homines*. Lucæ 18. Sed hoc habetur infrà secunda Dominica in secunda parte ad plenum. Accipe modò secundum librum principalem diuisionis nostræ: scilicet librum mortis. Liber mortis est conscientia mala, siue fomes peccati. Ad Colos. 2. *Delens, quod*
Colos.2. *aduersum nos erat chirographum decreti, & illud de medio tollit, affigens cruci.* In hoc libro leguntur Iudas, Cain, & omnes iniqui.
Esai.17 Esaiæ 17. Peccatum Iudæ scriptum est, *stilo*
D *ferreo, vngue adamantino.* Tertius liber dicitur liber Scripturæ, id est, Sacra Scriptura.
Apo.10 Apocalip. 10. *Accepi librum de manu Angeli, & deuorauì eum, & in orè meo tamquã mel dulce; cumque deuorassem eum, amaricatus est venter meus*. Facilis est enim ad legendum Scriptura Sacra, sed ad implendum amara; quia arcta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci ingrediuntur per eam. Inde adolescéti interroganti, quid faciédo vitam æternam possidebo? Christo respondente, si vis perfectus
Mat.19 esse. *Vade, & vende omnia, quæ habes & da pauperibus. Iuuenis ille abijt tristis.* Matth. 19 Quia durus fuit ille huius sermo: in hoc
Exo.20 libro diuina mandata scribuntur. Exod. 20.

A *Diliges Dominum Deum tuum, & cætera. Honora Patrem tuum, &c. Non occides, &c.* Scribuntur diuina Consilia. Matth. 19. *Si vis perfectus esse, &c.* Et scriptus est intus, & foris. Intus quantùm ad vetus testamentum, foris quantùm ad nouum. Quartus, & vltimus liber dicitur, liber cordis, id est, secretum cõscientiæ. Daniel 7. *Iudicium sedit, & libri aperti sunt*, id est, secreta conscientię. In hoc libro scribuntur cogitationes bonæ, vel malæ. Lucæ vltim. *Vt quid cogitationes ascendunt in corda vestra?* Et Psalmus. 35. *Iniquitatem meditatus sum in cubili meo.* Sicut facere solét innamorati. In hoc libro solus Deus legere potest, & non Angeli boni, nec dæmones, nec sancti, nec sanctæ, nec ipsa Virgo gloB riosa, Hiere. 11. *Tu autem Domine, qui probas renes, & corda.* Ad Hebr. 4. *Omnia nuda, & aperta sunt oculis Dei, & cætera.* Quibus sic notatis, satis claret prædicta veritas, & hæc sufficiant pro secunda parte huius sermonis.
Mat. 19 *Dan. 7.* *Luc. vl.* *Psal. 35* *Hier. 11* *Hbe. 4.*

De nobili dotatione Virginis.

CONSIDERATIO III.

TErtio loco glorioſæ Virginis singularem dotationem videamus: dicitur enim in Themate nostro, quòd hæc gloriosa nauis est C in medio maris, id est, in medio iustorum, atque peccatorum, iustos conseruans, & protegens, peccatores autem adiuuans, & ad pœnitentiam inuitans. Ad cuius declarationem tres subdamus, more solito, Conclusiones: videlicet, prima Conclusio est ista. Etsi in signum profundæ humilitatis Virgo gloriosa se appellauerit, Angelo annunciante, summi Dei infima ancillam, ipsam tamen omnes fideles venerantur, vt singularem dominam. Secunda Conclusio est ista: licèt Virgo benedicta ob diuinarum gratiarum vberrimam capacitatem, nominibus pluribus nuncupetur, præcipuè tamen Mater misericordiæ ab omnibus appellari debet. Tertia D Conclusio est ista. Sic Virgo gloriosa in omnium hominum medio statuitur, vt non nisi non petentibus suæ gratiæ munera denegentur.

De singulari dominio Virginis glorioſæ.

CONCLVSIO I.

ACcipe primam conclusionem, &c. Ad cuius declarationem tres inquiramus veritates, videlicet. Prima est ista, quot loca, & sedes sunt in quibus aliquis potest honorari? Secunda, quot modis sancti sedem cœle-

stis patriæ acquirere possunt. Tertia, in quo loco Virgo gloriosa principaliter regnat. Quantùm ad primam dico, quòd licet nomina quædam videantur similia, & penitus idē significare, differentia tamen maxima est inter illa. Primus enim locus honoris dicitur sedes, & generaliter hic locus omnibus accōmodari potest, vnde & maledicunt volentē diuitem honorare; tu sede hìc, & pauperi dicunt, tu sta illic. Potest enim tam diuiti, quā pauperi dici, sede hìc, & benè. Secundus locus dicitur Cathedra. Est autem Cathedra locus proprie Doctorum. Matth. 23. *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi. Quæcumque dixerint, id est docent, facite, &c.* Inde Psalm. *In Cathedra*, inquit, *pestilentiæ non sedi*, id est, falsam, & erroneam doctrinam non tenui. Tertius locus dicitur, tribunal. Est autem tribunal locus iudicū. Act. 25. *Adduxerunt Paulum ad tribunal Cæsaris &c.* Vnde & de iudicio dicit Paulus, quòd omnes nos oportet stare ante Tribunal æterni iudicis. Quartus locus dicitur tronus. Est autē thronus propriè sedes; Reg. 1. Paralip. vlt. *Sedit Salomon super thronum patris sui*, cùm scilicet cœpit regere populum. Et Prouerb. 25. *Misericordia, & veritas custodiunt regem, & roboratur clementia thronus eius.* Et Hyer. 33. *Hæc dicit Dominus, non intrauit de Dauid vir, qui sedeat super thronū Domus Israel, &c.* Quintus locus dicitur soliū. Est autē soliū sedes diuinę maiestatis. Esai 6. *Vidi Dominū sedentē super solium excelsum.* Sextus locus dicitur ferculū: est autē ferculū sedes, in qua aliquis fertur. Cā. 3. *Ferculum sibi fecit Rex Salomon de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureū, media charitate constrauit propter filias Hierusalem.* In omnibus his locis Christus propter duplicem eius naturam sedit. Primò enim in sede sedit, tamquam vnus ex Iudęis. Et hoc quādo semel in sinagoga librū Esaiæ legit super verbo illo. *Spiritus Domini super me, eòquòd vnxit me*, & cum legisset, ait, quia hodie hæc Scriptura adimpleta est in auribus vestris, & cum librum plicuisset, sedit inter illos tamquam vnus ex illis. Secūdò sedit in Cathedra, quando tamquam Doctor aperiens os suum docebat eos, dicens: *Beati pauperes spiritu, &c.* Matth. 5. Tertiò, tamquam iudex sedit in tribunali, quando adduxerunt ei mulierem deprehensam in adulterio, & eam non condemnauit. Ioā. 8. Quartò, sedit in throno tāquam Rex, quando *Magi venerunt cum muneribus adorare eum.* Apo. 19 *Qui habet scriptum in vestimento, & femore suo, Rex Regum, & Dominus dominantium* Quinto sedit in solio tamquam Deus, quando discipuli ceciderunt in facies suas, cum eis in transfiguratione diuinam gloriam ostendit. Matthæi. 17. Sextò sedit in ferculo, quando in Ecclesia Dei regnans per discipulorum ora. *In omnem terram exiuit sonus eorum.* Constructa est enim Ecclesia ex lignis Libani, id est, ex sanctis candidis per innocentiam. Libanus enim candidatio interpretatur. Columnæ huius Ecclesiæ sunt Prædicatores, quibus ipsa Ecclesia fulcitur, & sustentatur, quæ columnæ argenteæ sunt, propter dulcēsonū, & puritē atdiuini verbi. Ps. 11. *Eloquia Domini, eloquia casta, &c.* Huius reclinatorium, id est pars postrema, in qua quiescitur, est vita æterna, & est aureum, propter splendorem claritatis æternæ, in qua sancti post hanc vitam quiescunt. Apocalip. 21. *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum.* Ascensus purpureus est passio Christi purpurata. *Et media charitate constrauit*, id est, communiter omnibus proposuit charitatem. Matthæi. 5. *Solem suum oriri facit super bonos, & malos.* Quare ex his patet prima veritas. Quantùm ad secundam veritatem dico, quòd diuersimodè regnum acquiritur æternum, quidam illud mercantur, quidam rapiunt, quidam furantur, quidam lucrantur, quidam commutant, & quidam gratis habent, & quidam ad illud compelluntur. Quidam, dico illud, mercantur. Matth. 13. *Simile est Regnum cœlorum homini quærenti bonas margaritas, inuenta autem vna pretiosa margarita; vadit, & vendit omnia, quæ habet, & emit eam.* Et ibidem. *Simile est Regnum cœlorum thesauro absconditio in agro, quem qui inuenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit omnia, quæ habet, & emit illum.* Super quo, ait Gregor. in Colla. Cœlorum Regnum, fratres charissimi, id circo terrenis rebus simile dicitur, vt ex his quæ animus nouit, surgat ad incognita, quæ non nouit, quatenus exemplo visibilium se ad inuisibilia rapiat, & per ea, quæ vsu didicit, quasi confricatus incalescat, vt per hoc, quod scit notum diligere, discat & incognita amare. Cœlorum enim Regnum thesauro absconditio in agro comparatur, quem qui inueuit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuersa, quæ habet, & emit eum, qua in re hoc quoque notandum est, quòd thesaurus inuentus absconditur, vt seruetur, quia studium cœlestis disideriį à malignis spiritibus custodire non sufficit, qui ab humanis laudibus non abscondit, &c. Secundò quidam rapiunt. Matthæi. 11. *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Violenti sunt, qui perseuerant, in bonis operibus elaborantes. Hoc quidem modo qui ab amico tres panes petijt, sua importunitate, quod volebat obtinuit. Hoc modo paupercula illa Chananea filiæ sanitatem accepit. Matt. 15.

Ma. 23. *Psal.* 1. *Act.* 25. 1. *Par.* *Pro.* 25. *Hie.* 33. *Esai.* 6. *Cant.* 3. *Mat.* 5. *Ioan.* 8. *Mat.* 2. *Apo.* 19 *Mat.* 17 *Ps.* 18. *Ps.* 11. *Apo.* 21. *Mat.* 5. *Mat.* 13 *Mat.* 11.

*Mat.*15 15. *Dimitte illam, quia clamat poſt nos*, ſicque de alijs. Tertiò quidam furantur, vt latro in Cruce pendens, totam enim conſumpſerat in ſceleribus vitam, & vno verbo paradiſum rapuit. Lucæ 23. *Memento mei dum veneris in Regnum tuum.* Quartò quidam lucrantur: ſcilicet, per labores, dolores, perſecutiones, & cætera. Act. 14. *Per multas tribulationes oportet nos introire in Regnum Dei.* 1. Corint. 12. *In labore, & ærumna, in frigiditate, & nuditate, in plagis ſupra modum, in mortibus frequentibus, in carceribus, & cætera.* Quinto quidam commutant. Matth. 19. *Omnis, qui reliquerit domum, aut agrum propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Inde Dominus Matth. 6. clamat. *Theſaurizate vobis theſauros in cœlo, vbi nec ærugo, nec tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur.* Sextò quidam gratis accipiunt, vt pueri baptizati morientes, & ſancti Innocentes. Eſaiæ 55. *Qui non habetis argentum, venite properate, & emite abſque argento, & abſque vlla commutatione.* Septimo, & vltimò, quidam compelluntur, vt Paulus quando contra Chriſtum Damaſcum feſtinabat, vt omnes Chriſtianos vinctos perduceret in Ieruſalem, cui Dominus ait. *Saule, Saule, quid me perſequeris? durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare, & cætera.* Actuum 9. Lucæ 14. *Compelle intrare, vt impleatur domus mea.* Et generaliter pono vnam regulam generalem, quòd Regnum Cœlorum tantùm vnicuique valet, quantùm expendere poteſt. Pauperculæ mulieri valuerunt duo minuta. Lucæ 15. Zachæo dimidium bonorum ſuorum. Lucæ 19. *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & cætera.* Iacobo, & Ioanni fratribus valuit mater, & pater, & nauis. Matth. 4. *At illi relictis retibus naui, & patre ſequuti ſunt eum.* Matthæo valuit lucrum telonei. Matth. 9. *Cum tranſiſſet inde Ieſus, vidit hominem ſedentem in teloneo, & ait illi. ſequere me, & ſurgens ſequutus eſt eum.* Magdalenæ valuit vnguentum effuſum ſuper caput Domini, ſimiliter, & lachrymæ. Lucæ 7. ſimiliter cæteris Apoſtolis; quidquid habebant valuit. Matth. 19. *Ecce nos relinquimus omnia, & ſequuti ſumus te.* Alijs valuit præſens panis. Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei; eſuriui, & dediſtis mihi manducare.* Alijs valuit veſtimentum. Matth. ibidem. *Nudus eram & cætera.* Et de alijs ſimiliter ſequere exemplum de Beato Martino, de quo Dominus ait: Martinus adhuc Cathecumenus hac me veſte contexit. Valet vnicuique Regnum Cœlorum tantùm quantùm exponere poteſt. Inde Matth. 14. *Quod habuit hæc*, id eſt, Magdalena, *hoc*

*Luc.*23 *Act.*14. 1.*Co.*12 *Mat.*19 *Mat.*9. *Eſai.*55 *Act.*9. *Luc.*14 *Luc.*15 *Luc.*19. *Mat.*4. *Mat.*9. *Luc.*7. *Mat.*19 *Mat.*25 *Mat.*14

A *& fecit*, & ſi nihil habes, valebit tibi ſola voluntas. 1. Corint. 9. *Vnuſquiſque prout deſtinauit ex corde ſuo & cætera.* Et ſic patet ſecunda veritas. Quantùm ad tertiam veritatem dico breuiter, quòd Virgo triplici principali in loco regnat, id eſt, in cœlo, in inferno, & in mundo. Primò in cœlo. Pſalmus 44. *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circundata varietate.* Tres ei pulcherrimas dignitates Prophera de Virgine dicit. Primò enim ponit Virginem diuerſis gratijs coronatam, ibi: *Aſtitit Regina.* Secundò ponit ipſam in gloria exaltatam, ibi: *A dextris tuis in veſtitu deaurato.* Tertiò, ab omnibus honoratam, ibi: *Circundata varietate.* Sed de hoc aliàs. Inde Auguſtinus ait ad Virginem. Michael dux, & qui

B Princeps militiæ cœleſtis cum omnibus ſpiritibus adminiſtratorijs tuis Virgo pareat præceptis in defendendis corpore, & ſuſcipiendis de corpore animabus fidelium, ſpecialiter tibi, ò Domina, die, ac nocte ſe commendantium, &c. Secundò, regnat in inferno, quia ipſa contriuit caput Principis inferni. Geneſ. 1. *Ipſa conteret caput tuum*, id eſt, principatum nequitiæ tuæ conſtringet, & omnem malitiam tuam confutabit. Pſalm. 2. *Reges eos*, id eſt, dæmones, *in virga ferrea*: Virga ferrea fuit Virginis humilitas, qua ſuperbiam diaboli læthaliter percuſsit.

C Audi deuotiſsimum Bernardum: O Virgo, inquit, virga ſublimis, ad quantam celſitudinem verticem ſanctam erigis, vſque ad ſedentem in trhono, vſque ad trhonum maieſtatis; quoniam in altum mittis radices humilitatis. Hæc ille. Tertio, regnat in mundo, quoniam omnium gratiarum, quæ mundo dari poſſunt, ipſa diſpenſatrix, & domina eſt. Audi præfatum Bernardum: Nihil, inquit, nos Deus habere voluit, quod Mariæ in manibus non tranſiret, & ſimiliter nihil ex operibus noſtris Deo fore gratum, niſi offeratur per manus MARIÆ. Hæc ille. Et idem. Modicum illud, quod offerre deſideras, gratiſsimis MARIÆ manibus cura tradere, ſi

D non vis habere repulſam. Hæc ille. Quare, &c. Et ſic patet iſta Concluſio.

De diuerſa Virginis appellatione.

CONCLVSIO II.

ACcipe ſecundam Concluſionem: videlicet. Licet Virgo benedicta ob diuinarum gratiarum vberrimam capacitatem nominibus pluribus nuncupetur; præcipuè tamen Mater miſericordiæ ab omnibus appellari debet. Ad cuius declarationem tres inquiramus veritates. Videlicet prima: quot modis virgo glorioſa in Sacra Scriptura appellatur? Secunda, quod eſt illud nomen,

quod magis Virgini gloriosæ conuenit? Tertia, quod est illud nomen, quod magis æterno Patri placuit? Ad primam dico, quòd licet ex virtutum, & diuinarum gratiarum inmensitate Virgo gloriosa multis, & quasi infinitis nominibus possit appellari, tamen vltra ea, quæ dicta sunt, atque dicentur, septem sunt nomina Virgini gloriosæ magis propriè accommodata, videlicet. Primum eius gloriosum nomen in ordine isto, est, stella maris. Secundum est, scala humilitatis. Tertium nomen est rosa castitatis. Quartum nomen est thalamus pudicitiæ. Quintum nomen est templum sanctitatis. Sextum nomen plena gratiæ. Septimum nomen est mater misericordiæ, & glorioſissimi Dei. Primum igitur nomen Virgini accommodatum dicitur Stella maris. Vnde Ecclesia cantat: Aue maris stella. Et hoc triplici ratione, videlicet, ratione luciditatis, ratione vtilitatis, ratione immobilitatis. Primò ratione luciditatis. Lucet namque stella maris nauigantibus, & Virgo gloriosa sua luce vniuersum orbem perlustrauit: nec mirùm, quia ex illa lumen indeficiens, quo omnia illuminantur, diuina virtute processit. Inde Bernardus ait. Ipsa præclara est, & eximia stella ex Iacob orta, cuius radius vniuersum orbem illuminat, cuius splendor in supernis præfulget, & inferos penetrat. Secundò ratione vtilitatis. Stella namque maris iter salutis nauigantibus ostendit, & Virgo gloriosa, nedum ostendit, sed inuitat. Inde Bernardus. ne auertas, inquit, oculos tuos à fulgore syderis, si non vis obrui à procellis. Si insurgunt venti tentationum, si incurris scopulos tribulationum, respice stellam, voca MARIAM. Non recedat ab ore, non recedat à corde, ipsam sequens, non deuias, ipsam rogans, non desperas, ipsam cogitãs, non erras, ipsa tenente, non corruis, ipsa protegente, non metuis, ipsa duce, non fatigaris, ipsa propitia, ad portum peruenis, & cætera. Hæc ille. Tertiò ratione immobilitatis: nam stella maris nauigantibus immobilis, & firma semper est; quoniam si mobilis esset, recte ad salutis portum dirigere non posset. Virgo autem gloriosa tam hac in via, quàm in propria semper firma fuit. In via quidem, quia numquam post susceptum verbum, venialiter, aut mortaliter potuit declinare. Concipere enim, & parere meruit; quem constat, nullum habuisse peccatum. Cant. 4. Canticorum 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* In propria verò, quia animæ sanctorum omnium, vsque ad generalem resurrectionem eorum corpora appetentes inquietantur, vt cõmunis est Theologorum sententia; sed Virgo gloriosa tam mente, quàm corpore in cœlesti sede quiescens, veluti fulgentissimum sydus emicat.

A Audi barbatum Hieron. De nullo, inquit, aliorum Sanctorũ credimus, quod vltra Angelorum, aut Archangelorum merita transcenderit, sicut de Virgine indubitanter canit Ecclesia. Exaltata est sancta Dei genitrix super choros Angelorum ad cœlestia regna. Hæc ille in sermone Assumptionis. Et sic patet primùm nomẽ. Secundum nomen dicitur Scala humilitatis; quoniam sicut per scalam descendimus, & ascendimus, sic per humilitatem Virginis filius Dei descendit in vterum eius. Respexit, ait ipsa, Dominus humilitatem ancillæ suæ. *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Luc. 1. Audi Ber. *Luc. 1.*

B O vera, inquit, humilitas, quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cœlos innouauit, mundum purificauit, & hominum animas à morte liberauit. Facta est MARIÆ humilitas scala cœlestis, per quam Deus descendit ad terras. Virgo quidem virginitate placuit, sed humilitate concepit. Hæc ille. Tertium nomẽ dicitur Rosa castitatis; sicut enim rosa de spinis prodijt, sic Virgo ex spinis iudaicę prauitatis. Esai. 34. *Orietur in domibus*, spinę, ideſt, carnis iudaicę plenę spinis iniquitatis, stipes namque rosæ viridis est, & Virgo gloriosa virore virebat diuinę gratię Luc. 1. *Spiritus Sãctus superueniet in te, &c.* Eccles. 24. *Quasi palma exaltata sum in Cades, & quasi plantatio rosæ in Hierico.* Folia, siue frodes sunt septem, id est, septẽ Spiritus sancti dona, odor istius rosæ fuit refragantia castitatis. Audi Ambros. de officijs: quanta est virginitatis gratia, quæ meruit à Christo eligi, vt esset corporale Dei templum, quã corporaliter habitauit plenitudo diuinitatis Virgo genuit mundi salutem, Virgo peperit vniuersorum vitam. Hæc ille. Quartum nomẽ dicitur Thelamus pudicitię. Volẽs enim Deus, immo ab æterno deliberans ex nostra massa susc ipere carnem, vt taudẽ intus, & extra felicitatem inueniet; hunc thalamum mirabilẽ sibi omni pudicitia plenum, sibi ad tẽpus debitũ, voluit sibi esse dedicatum, & hic fuit gloriosa Virgo. Hier. 31. *Nouum faciet Dominus super terram, mulier circundabit virum.* Esa. 7 *Ecce Virgo concipiet, &c* Luc. 1. *Concipies, & paries filium, &c.* Quintum nomẽ dicitur Templum sanctitatis. Ezec. 43 *Conuertimini ad viam portæ*, id est templi, de quo paulò ante dixerat. *Et tu filij Israel, ostendi domui Israel templum, & confundantur ab iniquitatibus suis, &c. Conuerti ergo me ad portam*, id est, *templi, quæ respiciebat ad orientem, si clausa erat, & dixit Dominus ad me. Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non transibit per eam, quia Deus Israel ingressus est per eam*, eritque *clausa Principi*, id est, Ioseph, quia numquam cognouit eam; quia Virgo est in partu; Virgo ante partum, & Virgo

Esai. 34 *Luc. 1.* *Eccl. 14* *Hier. 31* *Esai. 7.* *Lucæ 1.* *Eze. 43*

go post partum, & cætera. Sextum nomen dicitur, plena gratia. Lucæ 1. *Aue gratia plena*. Hieronymus, cæteris per partes in MARIA totasse infudit gratiæ plenitudo, plena quidem fuit, non tantùm quoad se, & ad sufficientiam, sed etiam quoad alios, & ad superabundantiam. Bernardus, de plenitudine eius omnes accepimus, &c. Septimum, & vltimum nomen dicitur Mater misericordiæ, & glorioſissimi Dei: Vnde canit Ecclesia. MARIA mater gratiæ, Mater misericordiæ. Et de secundo: Matth. 1. dicitur. *Peperit filium suum primogenitum*. Quare, &c. Quantùm ad secundùm dico, quòd nomina, quæ adaptantur Virgini, aut considerantur quoad Deum, aut quoad ipsam, aut quoad nos; quoad nos dico sic, quòd nullum est præclarius nomen, quàm mater misericordiæ. Nam si illam Imperatricem nomines, nonne hoc rigoris, atque timoris est? Hæc autem puella mitissima est, & omnibus grata. Si Reginam dicas, & ipsa se ancillam humilem vocat, euolue, & reuolue omnium seriem nominum, nullum ita reperies omnibus commune nomen, quàm Mater misericordiæ: misericordia namque eius fulget in cœlo, in inferno, & in mundo. In cœlo quidem pro peccatoribus aduocando. In inferno, ab ipso iustos præseruando, in mundo, in necessitatibus succurrendo. Quare Ecclesia benè cantat: quod diximus: MARIA Mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis susci pe, sed de hoc in sermonibus sequentibus, & sic patet secundum dubium, siue secunda veritas. Quantùm ad tertiam veritatem satis ex præcedentibus patet, quòd humilitas Virginis fuit inter cætera grata Deo Patri, quia humilitate concepit, & est effecta Mater Dei. Inde Cassiodorus super Psalmos: Erubescant elati, vbi credunt locum habere superbiam, cùm cœlum & terram ab humilitate videant occupatos. Hæc ille: Quare, &c. Et sic patet secunda Conclusio.

Luc. 1. Mat. 1.

Quomodo Virgo est omnibus grata, & compatitur cuilibet peccatori?

CONCLVSIO III.

ACcipe tertiam Conclusionem. Videlicet: sic gloriosa Virgo in medio omnium hominum statuit, vt non nisi non petentibus suæ gratiæ munera denegentur. Ad cuius declarationem tres inquiramus veritates, videlicet: Prima veritas est ista. Si homo debeat flere in suis aduersitatibus. Secunda veritas est ista. Vnde est quòd Dominus Iesus plerumque clamantibus simulat, & dormire videtur. Tertia veritas est, ad quem Sanctorum potiùs in necessitatibus clamare debemus. Quantùm ad primã veritatem dico, quòd multiplex est fletus, sed in principali sui diuisione duplex est, videlicet fletus bonus, & fletus malus: fletus bonus quadruplex est. Videlicet, conuersionis, compassionis, dilectionis, & peregrinationis. Fletus malus est duplex: scilicet, tribulationis, & desperationis. Primus inquam, fletus dicitur conuersionis. Psalmus 101. *Quia cinerem tamquam panem manducabam, & poculum meum cum fletu miscebam.* Et Ioel 2. *Scindite corda vestra in ieiunio, fletu, & planctu, &c.* Inde Apostolus ad Roman. 6. capit. ait. *Sicut exhibuistis membra vestra seruire iniquitati ad iniquitatem, ita exhibeatis seruire iustitiæ in sanctificationem.* O Magdalena! perhibe testimonium, oculis vagis mille hominum animas interfeciſti, & eisdem pœnitentiam feciſti, &c. dic de pœnitentia eius. Lucæ 7. *Stans retro secus pedes Domini, lachrymis rigare cœpit pedes eius, &c.* Secundus fletus dicitur compassionis. Lucæ 19. *Videns Iesus ciuitatem, fleuit super illam, dicens, si cognouisses & tu, &c.* Vide maximam Christi humilitatem, & compassionem. Nam mox, vt natus est plorauit, miseriæ nostræ compatiens. Sap. 7. *Similem vocem hominibus emisi, plorans.* Plorauit & in Lazari morte. Ioan. 11. Vt autem vidit MARIAM plorantem, similiter & alios plorantes. *Lachrymatus est, & ait, vbi posuistis eum?* Plorauit, & scelus Iudæ, suæ compatiendo damnationi. Ion. 13. *Turbatus est Iesus spiritu, & protestatus est, & dixit: Amen Amen dico vobis, vnus ex vobis me tradet.* Plorauit super ruituram ciuitatẽ, vt dictum est. Considera magnum compassionis interiorem affectum. Considera quanto dolore cordis affligebatur, quia cantantibus turbis, ipse medius eorum plangebat. Fleuit denique in morte, & in compassione, ingratitudini compatiens Iudæorum. Ad Hæbr. 5. *Preces, & supplicationes cum clamore valido, & lachrymis ad Deum offerens, exauditus est pro sua reuerentia.* Quare, & cætera. Fletus dilectionis est triplex, sicut triplex est dilectionis obiectum, scilicet, Dei, sui, ipsius, & proximi. Fletus dilectionis Dei, est pro magnitudine dulcedinis Dei, & glorię eius, & gaudij spiritualis, quis prorumpit in lachrimas. Audi Augustinũ lib. de ciuitate Dei. Quantò, inquit, quisque sanctior est, & desiderijs sanctis plenior, tantò eius in orã do fletus vberior. Fletus dilectionis proximi est, quando quis ex charitate proximi peccata deflet. Hierem. 9. *Quis dabit capiti meo aquã, & oculis meis fontẽ lachrymarũ, & plorabo die, ac nocte interfectos populi mei.* Scilicet propter peccatũ. similiter cũ de ami

Luc. 7. Luc. 19. Sap. 7. Ioan. 11. Ioan. 13. Hæb. 5. Hier. 9.

ci aduersitate, ex charitatè dolemus; sicut dicitur de amicis Iob 2. *Cum eleuassent amici Iob*, scilicet oculos suos procul, *non cognouerunt eum, & exclamantes plorauerunt.* Iob 2. capitulo. Ploratus dilectionis sui ipsius, est, quando quis ex charitate delictum aliquod sui ipsius deflet. Psalmus. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* Et Ezechias. *Conuersa facie ad parietem fleuit fletu magno.* Esai. 38. Fletus peregrinationis est, quando quis pro incolatu præsentis miseriæ in lachrimas prorumpit. Psalmus. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar, multùm incola fuit anima mea* Incolatus, id est, habitatio mea, prolongatus est, scilicet, à patria; habitaui cum habitantibus Cedar, id est, cum tenebrosis. Cedar enim fuit Ismael filius, & interpretatur Cedar tenebræ. Ismaelitæ enim tabernaculum habitare solebant, quia non habebant domos, & vult dicere, habitaui cum persecutoribus Ecclesiæ infidelitate nigris, & cætera. Inde Paulus ad Roman. 7. *Infelix ego, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Fletus tribulationis est, quando quis impatienter tribulationes sustinens plorat. Vnde dici solet: Ploratus lachrimis amissa pecunia. Fletus desperationis est omnium pessimus, vt Iudæ Matth. 26. *Peccaui tradens sanguinem, & abiens laqueo se suspendit.* Hic erit & desperatorum damnatorum planctus. Matth. 13 *Ibi erit fletus, & stridor dentium.* His sic notatis; apparet responsio ad veritatem, quoniam in tribulationibus, plorare ex charitate, & humana conditione non est peccatum, sed ex desperatione, & impatientia, tunc est illicitum, & peccatum. Quare, &c. Quantùm ad secundam veritatem dico, quòd ex alia causa tacet Deus, alia causa Christus, alia causa homo, & alia causa diabolus; tacet Deus quinque modis: videlicet, dissimulando, non respondendo, non puniendo, non vlciscendo, & compatiendo. Primò inquam tacet Deus dissimulando. Esai. 42. *Tacui semper, & silui, patiens fui, sicut parturiens loquetur.* Supple, si non emendaueritis vos. Psalmus. *Hæc fecisti, & tacui,* id est, dissimulaui. Et Esai. 57. *O anima*, supple mei, *non es recordata, nec cogitasti in corde tuo, quia ego tacens,* & quasi non videns, *& mei oblita es*; &c. Secundò tacet Deus non respondendo, scilicet oranti Esai. 1. *Noli orare pro populo isto, quia non exaudiam: manus eius enim plenæ sanguine sunt.* Et Psalmus 27. *Ne sileas à me Domine Deus meus.* Tertiò tacet non puniendo, id est, pœnam condignam pro peccatis in hoc mundo non dando. Ioan. 5. *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio*, id est, in extremo iuditio. Matth. 25. *Cùm venerit filius hominis in sede maiestatis suæ, &c.* Quartò tacet Deus non vlciscendo: scilicet etiam temporaliter, vt æternaliter durius cruciet. Esaiæ 64. *Numquid super his:* scilicet miseriis, *continebis te Domine, tacebis, & affliges nos vehementer? &c.* Abac. 1. *Quare respicis contemptores, & taces, concutiente impio iustiorem se:* Quintò tacet Deus compatiendo. Esa. 37. Propter temetipsum Deus inclina aurem tuam, & audi, aperi oculos tuos, & vide desolationem nostram. Secundò videamus, quot modis tacet Christus, dico, quòd in hoc mundo tacuit Christus tribus modis. Primò tacuit voluntate. Esaiæ 53. *Oblatus est, quia voluit.* Secundò tacuit voce. Esaiæ ibidem. *Tanquam ouis ad occisionem ductus est, & quasi agnus coram tondente, se sine voce, sic non aperuit os suum.* Tertiò tacuit opere. Matth 26. *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plùs quàm duodecim legiones Angelorum:* Nunc verò quantùm ad nos dicitur tacere Christus, quando sua iudicia nobis occultat. Esaiæ 9. *Veniet super te malum: & nescies ortum eius, irruet super te calamitas, quam non poteris expiare.* Homo verò quandoque bene, quandoque malè tacet. Malè enim, & periculosè tacuit Adam, quando humiliter peccatum suum non est confessus, sed in mulierem retorsit, dicens: *Mulier, quam dedisti mihi, &c.* Genes. 3. Periculosè tacent iudices, & ministrantes iustitiam, ne maioribus, aut amicis displiceant, aut vt pecuniã cumulent: Esaiæ 1. *Principes tui infideles, socij furum, omnes diligunt munera.* 11. quæs. 3. Quatuor modis omne iudicium peruertitur, timore, odio, dilectione, & censu. Periculosè tacent omnes prædicatores timentes populum increpare. Audi Dominum. Ezech. 3. *Si dicente me ad impium, morte morieris, & non annunciaueris ei, ipse in peccato suo morietur: sanguinem autem eius de manu tua requiram.* Inde Esaiæ 40. *Dicit Dominus super montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Syon, & exalta in fortitudine vocem tuam, euangelizans Ierusalem, exalta, & noli timere.* Et Matth. 10. *Dicit Iesus, quod in aure auditis, prædicate super tecta, &c.* Et sic de alijs. Benè autẽ tacet homo ex discretione. Eccles. 32. *Audi tacens similiter, & quærens, & loqui in medio magnatorum, ne præsumas, & vbi sunt senes, non multùm loquaris* Tacet quandoque ex conscientia peccati. Psalmus 49. *Peccatori autem dicit Deus: quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Et ad Rom. 2. *Qui prædicas non furandum furaris, qui prædicas non mœchandum mœcharis, &c.* Tacet quandoque ex insufficientia auditorum. Ioan. 16. *Multa habeo*

Iob. 2. *Psal. 118* *Esai. 38* *Psal. 119* *Rom. 7.* *Mat. 26* *Mat. 13* *Esai. 42* *Esai. 57* *Esai. 1.* *Psal. 27* *Ioan. 5.* *Mat. 25* *Esai. 64* *Abac. 1.* *Esai. 37* *Esai. 53* *Mat. 26* *Esai. 9.* *Gen. 3.* *Esai. 1.* *Eze. 3.* *Esa. 40.* *Mat. 10* *Eccl. 32* *Psal. 46* *Rom 2.* *Ioan. 16*

beo vobis dicere, ſed non poteſtis portare mo-
1. *Co.* 3. *dò.* Et Paul. 1. Corint. 3. *Non potui vobis lo-*
qui quaſi ſpiritualibus ſed quaſi carnalibus,
&c. Tacet etiam ex ſacrorum veneratione.
1. *Co.* 4. 1. Corin. 4. *Mulieres in Eccleſia taceant*, & ſic
de alijs. Diabolus verò tacet, quando diuer-
Iob. 40. ſos tentandi modos excogitat. Iob. *Dormit*
in ſecreto thalamo in locis humentibus, &c.
Et ſic patet ſecunda veritas. Tertia veritas.
Dico, quòd triplex eſt refugium in tribulatio
nibus. Primum eſt, Ieſus crucifixus. Secun-
dum eſt, Virgo glorioſa. Tertium eſt, San-
ctus ille, quem quiſque habet in deuotione.
Primum inquam refugium eſt Ieſus crucifi-
Mat. 11 xus. Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui labora*
Pſal. 22 *tis, & ego reficiam vos.* Pſal. 22. *Miſericor-*
dia eius ſubſequatur me omnibus diebus vi-
Pſal. 92 *tæ meæ.* Et idem *Factus eſt Dominus refu-*
gium in opportunitatibus in tribulatione.
Eſai. 45. Eſai. 45. *Cùm tranſieris per ignem flãma non*
nocebit tibi, & odor ignis non erit in te, quia
ego Dominus Deus tuus ſanctus Iſrael Sal-
uator tui. Secundum refugium eſt Virgo glo
rioſa. Audi glorioſum Bernard. ille ſolus, in-
quit, ò Virgo glorioſa, tuas laudes fileat, qui
te fideliter inuocatam ſenſerit vnquam in
ſuis neceſsitatibus ſibi defeciſſe, & quid mi-
rum ſi inuocata adeſt, quæ etiam non vocata
præſto eſt? & idem. MARIA omnibus ſinum
miſericordiæ ſuæ aperuit, & de plenitudine
eius accipiant vniuerſi, captiui redemptio-
nem, ægri curationem, triſtes conſolationem
peccatores veniam, iuſti gratiam, Angeli lę-
titiam, & denique tota Trinitas gloriam, &
Filij, perſona carnis humanæ ſubſtantiam.
Quid multis moror? ONunciata Florentina!
quæ in Eccleſia ſeruorum tuorum tot mira-
culis fulges, noſtram hanc concluſionem pro
ba, &c. Tertium refugium eſt ille ſanctus,
Iob. 5. quem quiſque in deuotione ſuſcepit. Iob ad
Pſ. 120. aliquem ſanctorum conuertere. Et Pſal. 120.
Leuaui oculos meos in montes, id eſt, ad ſan-
ctos montes altos altitudine contemplatio-
nis, vnde veniet auxilium mihi. Tu ergo glo-
rioſe Deus, tuque glorioſa Mater, voſque cæ
teri ſancti omnes tantis in periculis conſtitu
tos defendite, iuuate, & ſubſidium opportu-
num accõmodate, vt cum Chriſto, & vobiſ-
cum in æternum regnare poſsimus, Amen.

SABBATO PRIMÆ DOminicæ Quadrageſimæ de Virgine glorioſa.

Sermo in ordine vndecimus.

Mat. 17 HIC *eſt filius meus dilectus, in quo mihi*
bene complacui. Matth. 17. Verba hæc
anima mea in transfiguratione clementiſsi-
mi filij altiſsimi Dei Patris dicta ſunt. Nec
hæc Patris æterni verba intelligenda ſunt de
A generatione temporali, ſed æternali, de qua
Ioan. 1. *In principio*, inquit, *erat Verbum, &* *Ioan.* 1.
Verbum erat apud Deum. Nam cùm nihil ſit
apud ſeipſum, ſubtili myſterio Patris, & Fi-
lij perſonalem diſtinctionem oſtendit, cum
ait, & Verbum erat apud Deum. Sed cùm
humanando Filius etiam ſit factus glorioſæ
Virginis in carnem. Ioan. 1. *Verbum caro fa-* *Ioan.* 1
ctum eſt. Poterit & eadem Mater glorioſa
Vigo dicere. Anima fidelis attende, quoniam
hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene
complacui. In quibus ſacratiſsimis Verbis
tres de glorioſa Virgine faciamus conſidera
tiones. Videlicet, glorioſæ Virginis ſingula-
rem, & nobilem maternitatem. Glorioſæ ma
B ternitatis ardentem amabilitatem, glorioſæ
amabilitatis excellentem qualitatem.

De ſingulari maternitate Virginis glorioſæ.

CONSIDERATIO I.

GLorioſæ Virginis primò ſingularem, & nobilem maternitatem videamus. Vbi tres, more ſolito, concluſiones faciamus. Videlicet. Prima concluſio eſt iſta Virgo MARIA prætioſiſsima non ſolum fuit Mater hominis Chriſti, ſed etiam Mater glorioſiſsimi Dei. Secunda concluſio eſt iſta. Quamuis verè, & realiter Filius Dei homo natus de
C Virgine fuerit, tamen illa ſancta Virginitas, ex tanta, & tali fœcunditate non fuit aliquo modo contaminata. Tertia concluſio eſt iſta. Non ſolùm Virgo glorioſa non fuit ex fœcunditate in ſua puritate carnis contaminata, ſed nec ante, nec poſt fuit aliquo modo ali quantula macula polluta.

Quòd Virgo glorioſa verè fuit Mater Dei.

CONCLVSIO I.

ACcipe primam concluſionem, &c. Vbi tres inquiramus veritates, videlicet. Prima veritas eſt iſta. An poſsit aliquo modo
D probari, Virginem glorioſam fuiſſe verè Matrem Dei, & non denominatiuè tantùm. Secunda veritas eſt iſta. Qui ſunt illi Hæretici, qui negant, glorioſam Virginem eſſe Matrem Dei. Tertia veritas eſt. Quando Virgo glorioſa facta eſt Mater Dei. Quantum ad primam veritatem dico, quòd hac de materia pulchra dicemus Sabbato Dominicę ſequentis. Tamen quantum ad præſens ſpectat. Dico, quòd prædicta veritas poteſt probari auctoritatibus, & ratione. Auctoritatibus arguitur ſic: Audi primò Auguſtinum in Vigilia Epiphaniæ. Qui natus eſt, inquit, ſine Matre in cœlis, hodie natus eſt ſine Patre in terris. O prodigia, ò miracula! Patres chariſsimi, naturæ iura mutantur. In homine Deus

naſci-

nascitur. Virgo Mater facta, sed incorrupta, A Virgo habens filium, nesciens virum, semper clausa, sed non semper infœcunda. Hæc ille, &c. Secundò audi Origenem in Homilia natiuitatis Domini. Mater inquit intacta, Mater immaculata, Mater eius. Cuius Mater? Mater Dei vnigeniti Domini, & Regni omnium plasmatoris, & creatoris cũctorum. Illius qui in cœlis est sine matre, & in terris est sine patre. Ipsius, qui in cœlis est secundùm diuinitatem, in sinu est patris, & in terris secundùm corporis susceptionem in sinu est matris. O magnę admirationis gratia, ò inenarrabilis suauitas, ò ineffabile, magnumque Sacramentũ! Ipsa, eademque Virgo ipsa eademque mater, ipsa & Genitrix, ipsa eius B ancilla, plasmatio eius, id est, creatura eius, ipsaque genuit: quis inquam ista audiuit? quis vidit talia? quis hoc excogitare potuit, vt Mater Virgo esset, & intacta generaret, quæ & Virgo permansit, & genuit? Hæc ille. Tertiò audi Damascenũ lib. 3. cap. 12. Theototon inquit, id est, Dei genitricem principaliter, & verè sanctam MARIAM prædicamus Virginem. Sicut enim verus Deus est, qui ex ipsa natus est, ita verè Theotocos, id est, Dei Genitrix est, quæ verum Deũ ex ipsa incarnatum genuit. Hæc ille. Hanc sententiam peroptime dilucidant Dominus Bonauentura super 3. sentent. dist. 4. & Cirilus Doctor ille Græcus Maximus, vt videbitur C infra. Secundò hæc veritas probatur ratione. arguo enim sic. Actiones sunt suppositorum ex 4 de anima, sed hominis Christi, & Christi Dei est vnicum suppositum, siue vnica persona, scilicet diuina. Ergo operatio ista, & actus generationis erit personæ diuinæ, & per consequens Virgo genuit personam Verbi. Et persona verbi est Deus. Ergo genuit Deũ; ergo est Mater Dei. Consequentia nota cum maiori, quia est propositio Aristotelis 2. de anima. Minor patet ex communi sententia Theologorum, & dicentium, in Christo vnam personam esse duas naturas suppositantem, scilicet naturam diuinam, & humanam, vt patet 3. sententiarum dist. 5. Quare, &c. Quantùm ad secundam veritatem dico, quòd impiissimus Hæreticus veram Dei maternitatem in Virgine negans est Eluidius Hæreticus, qui suis quibusdam rationibus sophisticis, & erroneis nititur, probare perfidum mentis suæ venenum, & iniquum propositum; arguit enim sic. Pater est, qui de substantia sua genuit sibi similem in specie, similiter dicatur de matre, sed filius Dei nunquam accepit substantiam diuinam à Virgine, sed ab æterno Patre, ergo Virgo non potest dici Mater Dei, sed solum hominis, quia hominem à Virgine accepit. Consequentia nota, & maior est de communi sententia Philosophorum, & colligitur ab Aristotele 2. de anima. Naturalissimum enim operum viuentium quæcumque, non sunt orbata, nec generationem spontaneam habentia, est generare alterum, quale ipsum est, vt homo hominem, & planta plantam, minor etiam est clara. Ergo, &c. Item arguo sic. Mater est principium filij, Mater est principium Dei. Ergo non est Mater Dei. Consequentia nota cum maiori, & minor patet. Ioan. 1. *In principio erat Verbum*, id est, ab æterno, quare, &c. Item Mater est prior *Ioa. 1.* filio; Virgo non est prior Deo. Ergo Virgo non est Mater Dei. Alias rationes relinquamus. O dulcissima Mater Dei, adiuua credulitatem nostram, porrige lumen, vt te veram Dei Matrem ostendam. Ne timeas, inquit, fili mei. Ego tecum sum, & tecum laboro. Lege Cirillum Doctorem meũ, quem superiùs nominasti. Hic tibi omnia me iuuante pandet. Inquit enim sic. Matres terrenorum filiorum ministrant paulatim carnem in perficiẽda specie humana, immittit anima lem spiritum Deus. Sed licèt istæ sint terrenorum corporum matres, attamen parientes totum animal, & non partem peperisse dicuntur. Tale autem aliquid gestum percipimus in generatione Emanuel; natum enim est ex Dei substantia Dei Verbum, quia Verbo carnem assumpsit, propriam eam faciens, necessarium est confiteri, quia natus est secundùm carnem per mulierem, quia igitur, & Deus verè est, quomodo dubitabit quispiam, Virgi C nem Dei dicere genitricem? Hæc ille. Ex quibus sanè verbis apparet, quomodo Dei æterni Patris filius sit, habens Matrem in terris sine Patre, sicut in cœlis habet Patrem sine Matre, quo quidem modo, & Catholicè credimus Verbum assumpsisse, quamuis esset æternum. Similiter secundùm hunc ipsum sensum, quòd posterior fuit, quæ ante omnia creata fuit secundùm diuersas naturas, scilicet, diuinitatis, & humanitatis, quæ in ipso erant, &c. Vt patet intuenti. Et sic patet secunda veritas. Quantùm ad tertiam veritatem dico, quòd non sufficit aliquid fieri, nisi fiat tempore competenti, vt patet de lectione in cap. cum in veteri; ideo fuit necesse, vt D Virgo glorioſa tempore competenti fieret Mater Dei. Tempus autem competens fuit, quando temporis plenitudo facta est. De qua Paulus ad Galat. 4. ait: *Cùm veni plenitudo temporis, misit Deus filium suum, &c.* Dicitur autem tempus incarnationis plenitudo temporis propter sex rationes, secundùm Diuum Bonauenturam in 3. dist. 1. Primò, ratione æternæ præuisionis. Secundò, ratione impletæ perfectionis. Tertiò, ratione finitæ figurationis. Quartò, ratione plenæ perfectionis. Quintò, ratione perfectæ generationis, & sextò, ratione omnium ætatum perfectæ terminationis. Primò, dicitur plenitudo temporis, ratione æternæ præuisionis: nam *Ad Galat. 4.*

Deus

Deus ipse, cuius oculi omnia cernunt, antequàm fiant, debito ordine, tempore, & mensura perficit quæcumque fienda præuidit. Cũ ergo hoc magnum opus, & nouum inter omnia fieri decreuisset, scilicet, carnem humanam assumere. Hierem. 31. *Nouum faciet Dominus super terram, mulier circundabit virum.* Necesse fuit, vt perfectum tempus ordinem, & mensuram consideraret, quæ omnia quando in puncto fuerunt, ipsi soli nota erant. Queris ergo, quare tempus incarnationis tempus plenitudinis dicatur? Respondeo, quia tempus aduenerat, quod præfinierat Deus, & hæc ratio colligitur ex Glossa super prędicta Apostoli verba: *Cùm venit plenitudo, &c.* Vbi sic ait, completum est tempus quod finierat pater, quando mitteret filium suum. Secundò, ratione impletæ promissionis, quia scilicet nobis ille datus est, qui fuerat repromissus. Hæc ratio colligitur ex Glossa super Ioan. 1. *Plenum gratiæ, & veritatis.* Glossa, quoad plenitudinẽ promissorum. Tertiò ratione finitæ figurationis, quia scilicet in Christi aduentu figuræ illæ veteris testamenti impletæ sunt veritate. Et hæc ratio colligitur ex dicto Christi. Matth. 5. *Non veni soluere legem sed adimplere.* Quod exponens Beatus Thomas in 4. dist. 1. ait in responsione cuiusdam argumenti. In hoc Christus legem impleuit, quia moralibus præceptis consilia apposuit, & præcepta magis elucidauit, sed figuris ceremonialium veritatem apposuit, & eam in se ipso suscepit. Hæc ille. Quarta ratio est plenæ perfectionis, quia scilicet in aduentu Christi fuit tempus gratiæ, quæ fuit omnium plenitudinum principium, & hæc ratio colligitur ex sententia Apostoli. Colos. 2. vbi ait: *Videte, ne quis vos seducat per Philosophiam, & inanem fallaciam, secundùm traditionem hominum, secundùm elementa mundi, & non secundùm Christum, quia in Christo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & estis in illo repleti, qui est apud omnes principatus, & potestates, in quo circuncisi estis circuncisione non manufacta, in expoliatione corporis carnis, sed in circuncisione Christi, &c.* Quinta ratio dicitur perfectæ generationis, quia scilicet in tali generatione verbi datus est vltimus modus generandi, scilicet de muliere sine viro, qui modi sunt quatuor. Primus enim modus hominem deducendi in esse, fuit sine viro, & muliere, vt Adam, quia formatus est de limo terræ, secundus, de viro sine muliere, vt Eua, quia de costa viri formata est. Tertius de muliere, & viro, vt generamur nos omnes. Quartus de muliere sine viro, vt generatus est Christus, patet, quòd non potest rectè alius modus assignari. Ergo benè dicitur plenitudo, & finis omnium modorum generandi. Sexta ratio dicitur perfectæ terminationis, nam sicut mundus in sexto die extitit consumatus, ita congruum fuit, vt in sexta ętate esset reparatus. Prima enim ætas fuit ab Adam vsque ad Noe. Secunda à Noe vsque ad Abraham. Tertia ab Abraham vsque ad Moysen. Quarta à Moyse vsque ad Dauid. Quinta à Dauid vsque ad Christum. Sexta à Christo vsque ad finem mundi. Et istas sex mundi ætates, & similiter hominis. Vide in procemio sexti c. Sacrosanctæ lib. 6. in Glossa. Ætates hominis sunt, vt infantia, pueritia, adolescentia, iuuentus, virilis ætas, & senectus, siue senectus pro quinta ætate, & decrepita ætas pro sexta.

Hiere. 31. *Ioan. 1.* *Mat. 5.* *Ad Colos. 2.*

A B C D

De singulari fœcunditate, & incontaminatione Virginis.

CONCLVSIO II.

ACcipe secundam Conclusionem, videlicet: Quamuis verè, & realiter Dei filius, vt supra. Vbi tres inquiramus veritates, videlicet. Prima veritas est ista, quo modo sit possibile, quòd Virgo pariat, & corruptionis sit ignara? Secunda: an virginitas sit opposita matrimonio? Tertia est, an Virginis, & Ioseph fuerit verum matrimonium? Quantùm ad primam, dico, quòd talis interrogatio nõ paruę est difficultatis. Ad cuius declarationẽ. Primò notandum, quòd priuatio multis modis capitur, vt patet per Philosophum 5. Methaphisicæ. Primo modo priuatio dicitur carentia alicuius formæ in aliquo subiecto, in quo nec secundùm speciem, nec secundùm genus propinquum nata est esse in illa forma. Et sic planta dicitur priuari visu, quia nec secundùm speciem plantæ, nec secundùm genus propinquum nata est illi plantæ forma visibilitatis inesse. Secundo modo dicitur carentia formæ in subiecto, in quo non est nata inesse secundùm speciem, sed bene secundùm genus propinquum, & sic talpa dicitur priuari visu. Tertio modo dicitur priuatio carentia formæ in subiecto, in quo non est nata inesse secundùm individuum, & sic homo cæcus dicitur priuari visu, & hoc secundùm naturam intellige, quòd nõ potest tali subiecto individuali forma visibilitatis inesse, nam licèt hic cæcus, secundùm quod homo, aut secundùm quod animal possit, forma visibilitatis informari, non tamen secundùm quod tale individuum cæcum, & hoc secundùm naturam, vt dictum est, quia à priuatione ad habitum impossibilis est regressio. Quarto modo dicitur priuatio carentia alicuius formæ in subiecto, in quo non est apta nata inesse actu, sed in potentia tantùm, quæ potentia aliquando reducetur ad actum, & sic catulus ante nonum diem dicitur priuari visu; ista in Philosophia. Secundò notandum

est,

est, quod difficilius est alicui subiecto priuato aliqua forma actu, & habitu introducere talē formā, qua priuatū est, quā introducere illam formam, vt sibi similem in subiecto priuato actu, & habitu, id est potentia ad illam. Declaro tibi hoc per exemplum. Sit hic. Sortes cæcus, & ex alia parte catulus ante nonum diem, ambo hæc subiecta visu, seu forma visibilitatis priuari dicūtur, sed differenter, quoniam Sortes priuatu est actus, & habitu secundùm naturam, & catulus actu tantum. Dic quæso, quòd difficilius esset, an introducere formam visibilitatis in Sorte, an in catulo? ni mirū, quòd in Sorte, sic ad propositum in sacra scriptura legimus, aliqua subiecta forma generationis, & potentia generandi priuata, quibus tamen de potentia sua absoluta magnus Deus vim, & potentiam dedit generandi, sicut Saræ, & multis alijs, quæ iam naturaliter generare non poterant, quoniam præcesserant in diebus antiquis, ergo à fortiori poterit Deus vim, & potentiam generandi, siue formam de sua potentia absoluta dare alicui subiecto illa forma priuato secundùm actum tantùm, & non secundùm potentiam, sed hoc glorioſus Deus fecit in Virgine benedicta, quam potentiam voluit reducere ad actum sine viro, propter dignitatem cōcipiendi æterni Verbi. Ezech. 43. *Porta hæc clausa erit, &c. quia Dominus Deus ingressus est per eam.* Et accipitur præteritum pro futuro prophetico more. Ex quibus satis intelligere potes primam veritatem. Perpulchre de hoc tractat eximius Doctor Sacræ Theologiæ Magister Franciscus de Marchia Ordinis Minorū in quæstione super Matth. Quare, &c. Quantùm ad secundam veritatem dico, quòd virginitas non est opposita matrimonio, quoniā carnalis copula non est de essentia matrimonij, sed solùm mutuus consensus per verba de præsenti, vel per aliquod æquiualens verbis, vt patet in 4. sentent. dist. 28. Vnde Beatus Thomas in 4. ead. dist. ponit istud verbum dicens: Matrimonium non est essentialiter ipsa copula carnalis, sed quædam associatio viri, & vxoris in ordine ad carnalem copulam, & alia quæ ex consequenti ad virum, & vxorem pertinent, secundùm quod datur eis potestas in inuicem respectu carnalis copulę. Hæc associatio coniugalis copula dicitur. Vnde patet, quòd bene dixerūt illi, qui dixerunt quòd consentire in matrimonium est, consentire in carnalem copulam implicitè, non explicitè. Nec debet intelligi sicut, implicitè cōtinetur effectus in sua causa, quia potestas carnalis copulæ, in quam consentitur, est causa carnalis copulæ, sicut potestas vtendi re sua est causa vsus. Sed de hac materia satis dicemus feria sexta Dominicæ quartæ, & Sabbato eiusdem Dominicæ in secunda consideratione. Quare cōcluditur, quòd solùm consensus per verba de præsenti, vel æquiualens, est de essentia matrimonij. Sed per talem consensum datur potestas legitima carnaliter commisceri, ita quòd carnalis copula actualis est consequens ad consensum, qui matrimonium facit. Potest ergo vir carnaliter commisceri, si vult, & si non vult; nō propter hoc dissoluitur matrimonium. Ex quibus sequitur, quòd licèt carnalis copula inter Virginem, & Ioseph non interuenerit; tamen quia vterque per verba de præsenti consensit, verum inter eos fuit matrimonium. Vide plenè in Sabbato quartæ Dominicæ. Quare, &c. Audi Ambrosium, lib. de MARIÆ perpetua virginitate seruanda. Non te, inquit, moueat, quòd Ioseph accepit MARIAM coniugem suam, & profectus est in Ægyptum. Desponsata enim viro coniugis nomen accepit, non enim defloratio virginitatis coniugium facit, sed pactum coniugale. Hæc ille, quare, &c. Quantùm ad tertiam veritatem dico, quòd patet satis responsio per præcedentem veritatem, sed vt ista clariùs intelligātur, volo probare, quòd inter Virginem, & Ioseph non fuit verum matrimonium. Arguo enim sic. Votum continentiæ impedit matrimonium, vt patet 27. quæst. 1. per totum. Inde Hieronymus. Vouentibus, inquit, virginitatem non solùm nubere, sed velle nubere damnabile est, sed Virgo glorioſa vouerat castitatem. Lucę 1. *Virum non cognosco.* Id est, non cognituram propono. Votum enim nihil aliud est, nisi alicuius boni cum deliberatione facta promissio. 28. q. 1. De viduis el 2. ergo virginis, & Ioseph non fuit verum matrimonium. Hic quidam respondent, quòd votum solemne impedit matrimonium, & dirimit iam contractum, vt patet 27. quæst. 1. dist. 27. cap. vouentibus. Vouentibus, inquit, per verba de præsenti, scilicet, solemniter nō solùm nubere, scilicet, de facto, sed etiā velle damnabile est, & dicunt, quòd Virginis votum non fuit solemne, sed priuatum, & licèt votum priuatum impediat matrimonium, non tamen dirimit iam contractum. Non pecauit autem Virgo contrahendo propter dispensationem diuinam. Lucæ 2. *Noli timere accipere MARIAM coniugem tuam.* Et sic hæc expositio quibusdam satisfacit, iudicio saluo semper meliori. Ego tamen dicerem sic, quòd Virginis votum non tantùm fuit priuatum, sed etiam solemne, non quòd in conspectu Synagogæ castitatem vouerit, sicut nec solemniter vouemus, quando in conspectu Ecclesiæ continentiam profitemur, sed quia sic firmiter seruare castitatem vouit, ac si in conspectu Sinagogæ vouisset, vel fortè, & melius dicas, quòd ideo solēne eius dicitur votum, quia in conspectu sanctissimæ personæ Gabrielis votum suum sic firmiter confirmauit, ac si in præsentia omnium Sacerdo-

Ezec. 43

Lucæ. 1

Lucæ 2.

cerdotum, & religionum vouisset. Nam secundùm Doctores est etiam solemne votum, quando in conspectu alicuius personæ religionis approbatæ aliquid vouemus. Religiosissima autem persona fuit Gabriel, ergo, &c. Inde Bernardus. Mittitur, inquit, Angelus ad MARIAM Virginem, Virginem corpore, Virginem mente, & Virginem professione. Hęc ille. Et si dicas, si fuit solemne, ergo non fuit verum matrimonium eius. Dico quòd nisi dispensatio diuina interuenisset, de facto dubium esset, sed Deus hoc dispensauit, & hoc triplici ratione. Videlicet ratione maioris dignitatis, ratione maioris singularitatis, ratione maioris congruitatis. Primò ratione maioris dignitatis; nulli enim dubium est, quòd virginitas viduitate, & quolibet alio statu pręstantior est, sicut præstantius est purum, quàm impurum, incorruptũ, quàm corruptum, simplex quàm mixtum, & per consequens status virginitatis conceptioni Filij Dei fuit congruentissimus. Esai. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet, &c.*

Esai. 7. Secundò ratione maioris singularitatis. Ecce præcipua singularitas; nam sicut Verbum in generatione æterna est filius sine matre, ita debuit in generatione temporali esse filius sine patre, & sicut in generatione æterna nullus filius præstantior reperiri potuit, nec prę stantior pater. Ita in generatione temporali decuit, vt nullus esset præstantior filius, nec vlla esset præstantior mater; præstantior autem mater est, vt Virgo, & mater dicatur, quàm mater solùm, cùm plures cõueniant in hoc nomine; mater, & non in hoc: Virgo mater. Quare, &c. Tertiò ratione maioris congruitatis, non enim fas est, vt per eius aduentum violaretur integritas, qui venerat sanare corrupta, vt ait Aurelius Augustinus in sermone.

De puritate Virginis.

CONCLVSIO III.

ACcipe tertiam Conclusionem, videlicet: Non solùm Virgo gloriosa non fuit ex sua sancta fœcunditate in sua puritate carnis contaminata, sed nec ante, nec post fuit aliquomodo quantula macula polluta. Vbi tres inquiramus veritates. Prima veritas est ista, quot modis anima rationalis in hac vita contaminari potest? Secunda veritas est. Si probari potest, Virginem nunquam fuisse contaminatam? Tertia veritas est, quòd priuilegiũ habuit Virgo gloriosa, quia sic fuit præseruata? Quantùm ad primam veritatem dico, quòd quadrupliciter anima contaminari potest, videlicet, culpa originali, culpa veniali, culpa mortali, & malo pœnali. Primò in quam contaminatur culpa originali, solus enim homo nascitur in peccatis, non bos, nõ lupus, non asinus, & sic de alijs. Organizato enim humano corpore, & anima rationali introducta, mox in pœnam peccati primorũ parentum culpam contrahit originalem, vt ostendit Beatus Augustinus, lib. de fide ad Petrum parte 2. quæst. 24. & canonizatur in decretis, de consecrat. dist. 4. cap. firmissime. Vbi dicit textus, firmissimè tene, & nullatenus dubites, omnem hominem, qui per concubitum viri, & mulieris concipitur, cum peccato originali nasci, impietati subditum, mortique subiectum. Et ob hoc iræ nasci filium, de qua dicit Apostolus. Eramus enim natura filij iræ, sicut & cæteri, à qua ira nullus liberatur, nisi per fidem mediatoris hominis Iesu Christi, qui sine peccato conceptus, sine peccato natus, sacrificium Deo factus pro peccatis nostris, &c. Firmissimè tene, non solùm homines ratione vtentes, verùm etiam paruulos, qui in vteris matrũ viuere incipiunt, & ibi moriuntur, siue iam de matribus nati sine baptismi Sacramento, quod datur in nomine Patris, & Filij, de hoc sæculo transeunt, sempiterno igne puniendos, quia etsi peccatum propriæ actionis nullum habent, originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione ex natiuitate traxerunt, hæc ibi. Quem certè lachrymabilem statum deplorans quilibet homo nascens ait. Ha, ha, quasi dicere velit, ò quãti generati, quotquot nascuntur ab Eua. Secundò, contaminari potest anima culpa veniali, & iterum in pœnam nobis datum est, vt sine veniali culpa viuere nõ possimus. 1. Ioã. 1. *Si dixerimus, quoniã peccatum, &c.* *1. Ioan. 1* Tertiò, contaminatur culpa mortali, & hanc fugere possumus si volumus. Cũ in nostra reliquerit potestate nos Deus ipse. Quartò, contaminatur malo pœnali, scilicet, in inferno, quia post culpam remanet reatus ad pœnam, de omnibus istis plenè dicemus feria sexta quartæ Dominicæ Consideratione prima. Breuiter hìc diximus, quantum tamẽ sufficit ad propositum. Quantùm ad secundã veritatem dico, quòd sic, sed ad præsens breuiter transeamus. Sabbato enim quartæ Dominicæ ad plenum ista materia ventilabitur. Dico ergo, quòd Virgo gloriosa ab omnibus prædictis fuit incontaminata, quod gloriosus Augustinus ostendens ait. Cùm de peccatis agitur, nullam prorsus volo de MARIA facere mentionem, & Cant. 4. *Tota pulchra* *Cant. 4.* *est amica mea, & macula non est in te.* Et Sapient. 7. *Candor lucis æternæ, & speculum sine macula.* *Sap. 7.* Quæ omnia, vt intuenti patet, magis de Virgine gloriosa, quàm aliquo alio sancto, veritatem habent, & ea duabus rationibus confirmo. Prima ratio est ista, si enim Virginem gloriosam talibus maculis contaminatam aliquo modo diceremus, sequitur, quòd iniuriam facimus filio Dei, sed hoc est incongruum. Ergo, &c. Sequela probatur quo-

quoniam Dei filius sibi matrem incontamitam elegit, & tu ponis eam contaminatam.
Cant.4. Ergo male. Prima pars antecedentis patet. Cant.2. *Sicut*, inquit, *lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Spinæ autem sunt omnia peccatorum genera, quæ animam pungũt,
Mat.13 vt dicit Beatus Gregorius, super illud Math. 13. *Aliud semen cecidit inter spinas.* Quare, &c. Et confirmatur, maioris enim congruitatis, & dignitatis erat filio Dei matrem eligere semper in contaminatam, quàm contaminatam, & posteà sanctificatam, sed hoc nõ fuisset, si ponimus eam cõtaminatam. Ergo, &c. Secunda ratio est ista. Ponamus, vt quidam aiunt, quòd Virgo gloriosa fuerit in peccato originali concepta, sed sanctificata, dic quæso, quam prærogatiuam matri contulisset, quam alijs sanctis non contulisset. Nam sicut in terris nulla nobilior est Virginis maternitate, ita decuit nobilem concedere matri prærogatiuam, antequam in illa quiesceret; non potest autem dici, quòd fuerit sanctificata à peccato originali, quia etiam Sãson, Hieremias, Ioannes Baptista hoc à Deo in munère acceperunt. Ergo debuit præseruari ex priuilegio speciali, ne cõtaminata fuisset.
Eccl.24 Eccles.24. *Qui creauit me*, scilicet talem, *requieuit in tabernaculo meo.* Nec etiam hoc sufficiebat ad dignitatem maternam Dei, sed oportuit, vt illæsam à peccato veniali, & etiam mortali præseruaret, nam si sanctos suos à mortali præseruauit, quantò magis decuit matrem? Etsi à mortali, & non veniali, quid magis matri contulisset, quàm militibus suis? Quare concludamus, fuisse necessariũ Matrem Dei omnino ab omni culpa esse incontaminatam, & per consequens ab omni reatu, & sic ab omni pœna infernali. Quare, &c. Quantùm ad tertiam veritatem dico, quòd tria maximè priuilegia ex prædicta præseruatione virgini concessa sunt, videlicet audacia interpellandi, gratia impetrandi, & gratia dispensandi. Primò ei concessa est audacia interpellãdi: audacius enim coram iudice loquitur, qui nunquam in crimine deprehensus est, quàm qui aliquando corruit. Ista satis nota est, sed Virgo nunquam fuit in aliquo crimine deprehensa, vt patet ex præcedenti veritate, ergo, &c. Inde gloriosus Bernardus ait, in cœlis securos nos aduocatos habere, dicens. Securum aduocatum, ò homo, habes apud patrem, vbi filius stat ante patrem, mater ante filium, &c. Secundò ei concessa est gratia impetrandi, quoniam nullus citiùs pro peccatoribus apud Deum gratiam impetrat, quàm gloriosa Virgo, ideo magis per orbem eius miracula claréscunt, quàm alterius sancti, vt patet ex prædictis. Tertiò ei concessa est gratia dispensandi, facta est enim gratiarum dispensatrix, vt barbatus Hieronymus ostendit, nulla inquit, gratia descendit de cœlo ad terras, nisi transeat per manus MARIÆ, quare, &c. Et ista sufficiant pro prima consideratione.

De dulcissimo amore Virginis.

CONSIDERATIO II.

SEcundo loco de ardenti amore Virginis videamus. Vbi tres conclusiones subiungamus, videlicet. Prima conclusio est ista. Nunquam fuit, aut nunquam erit aliquod indiuiduum maternum, quod adeo intensè amaret filium, vel filiam, sicut gloriosa Virgo toto corde dilexit filium suum dilectissimum. Secunda conclusio est ista. Nunquam fuit, aut nunquam erit aliquod indiuiduum, quod sic redemptionem generis humani amaret, sicut totis viribus gloriosa Virgo, & singulariter expectauit. Tertia conclusio est ista. Nunquam fuit, aut nunquam erit mater, quæ tantam consolationem, & lętitiam habuerit de filio, sicut gloriosa Virgo habuit de dulcissimo Iesu Christo.

De dulcissimo amore Virginis ad Christum.

CONCLVSIO I.

ACcipe primam conclusionem, &c. Vbi tres inquiramus veritates, videlicet. Prima, quomodo Virgo se habuit in concipiendo Filium Dei? Secunda, an successiuè, vel subitè conceptus fuerit filius Dei? Tertia, quantus fuit amor Virginis, & Christi filij eius? Quantùm ad primam breuiter dico, quòd de hoc est apud Doctores nostros non modica diuersitas, vt declarat D. Bonauentura in 3. distin. 4. Primò enim Beatus Thomas part. 3. quæst. 3. art. 4. dicit, quòd Virgo in Dei Filium concipiendo passiuè tantum se habuit in materiam ministrando, & non actiuè, quoniam mater in generatione prolis se habet sicut principium materiale, & semen viri sicut actiuum, & cooperatiuum, vnde cooperatur tale viri semen ad semen mulieris, sicut artifex ad suam materiam, mulier verò non facit aliud, quàm materiam ministrare, & exteriùs fouere. Et hoc fuit in Virgine; propterea vera dicitur mater, quoniam per rationem illam mulier dicitur mater; sicut propter effectiuum principium seminis viri, ipse vir dicitur pater. D. autem Bonauentura, Scotus, & omnes illum sequentes dicunt, quòd non solùm materiam ministrauit, sed virtutem quandam etiam actiuam à Spiritu Sancto suscepit, vt etiam actiuè concurreret, vnde dicit, ipse potẽtia generatiua in Virgine à Spiritu Sancto excitata fuit, & eleuata supra posse suum; excitata quidem, vt posset conceptui materiam præparare, secundùm,

dùm, quòd competit sexui muliebri, sed supra naturam fuit eleuata, dum ei potestas data est, siue potentia, vt materiam præparet, secundùm quod competebat tam nobili, & perfectissimæ conceptioni, & ideo habuit potentiam supra naturam, & secundùm naturam. Erat enim supra natura, quòd Virgo per se solam materiam ministraret, quantam ministrat mulier coniuncta viro: secundùm naturam verò potentiam habebat, quia consonum erat, vt humorem sufficientem ad conceptum quantum, scilicet, ministrat sexus muliebris, Virgo ipsa ministraret. Et meo iudicio ista est verior opinio, ipsa tamen clarè omnia nouit, ipsa nobis sensum aperiat. Quare, &c.

Quantùm ad secundam dico secundùm Augustinum, Magistrum sent. in 3. dist. 3. & Bonauenturam ibidem, & communiter Doctores omnes, quòd conceptio Christi fuit facta in instanti, ita quòd subito conceptus est, & perfecta distinctio membrorum facta est, & assignat sanctus Bonauentura tres rationes. Prima ex parte assumétis, non decebat enim Deum partem humanæ naturæ accipere, vt esset aliquando homo secundùm quid. Tota autem humana natura in carne, & anima similiter vnita consistit, & quia anima non vnitur corpori, nisi perfectè organizato, oportuit, vt in ipsa Filij Dei conceptione corpus esset perfectè organizatum. Secunda ratio est, ex parte virtutis operantis, quæ erat virtus Spiritus Sancti, quæ tarda molimina nescit. Inaudita enim res est, vt Virgo concipiat sine virili semine, & ideo vt maius appareret miraculum, subitò est organizatum corpus. Tertia ex parte Virginis, quoniam mox dum consensit Virgo repleta est Spiritu Sancto, & mox concepit. Deo autè non congruebat vniri carni, nisi esset organizata. Quare, &c. Nota tamen, quòd non subitò in notuit propter quantitatis paruitatem, sed post quadraginta dies ita ad perfectam quantitatem creuit, vt aspectibus hominum patere posset. Sic enim Magister in littera exponit auctoritatem Augustini lib. 3. de Trinitate, super Verbo illo. Soluite templum hoc, ex quibus patet, quòd licèt conceptio, & organizatio facta fuerit in instanti, perfectio tamen quantitatis successiua fuit, & hoc vt veritatem carnis ostenderet, vt dicit Sanctus Bonauentura, vt supra. Quare, &c. Quantùm ad tertiam dico, quòd amor Virginis fuit intensior omni amore mundi, & hoc probo triplici ratione. Primò, ratione perfectę similitudinis, nam sicut in generatione æterna nulla potest reperiri perfectior, aut æqualis ipsa generatione verbi, quod idem est essentialiter, quidquid est pater, licèt sit à patre personaliter distinctus. Esai. 1. *Generationem eius quis ennarrabit?* ita in generatione temporali nulla reperitur potior hac, qua *Verbum caro factum est.* Ioan. 1. Ex quo sequitur, quòd sicut in generatione æterna nullus reperitur pater filiũ intensiùs diligens, sicut & Pater æternus Verbum. Matth. 17. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Sic in generatione temporali, nulla potest reperiri mater, quæ sic intensè diligeret filium, sicut gloriosa Virgo dulcissimum Christum. Secundò, ratione completæ generationis, nam sicut impossibile est, personam Verbi, aut Spiritus Sancti generare Deum, quia in eis non est natura cum primitate fœcunditatis, & intellectus cum actu dicere, sicut est in patre, & sicut impossibile est Patri æterno aliud producere Verbum, quia Verbum Dei est perfectissimum, & totam potentiam generandi exhausit in patre, vt dicit Petrus Aureolus, vel quia in filio est terminus adæquatus illius generationis, vt dicit Scotus. Sic impossibile est, aliquam mulierem parere Deum, nisi per nouam potentiam collatam à Deo, quod certum est, Deum nunquã facturum, quia potentia concipiendi, & pariendi Deum, quæ humanæ naturæ copulata fuit, secundùm quod dicimus, Christum in lumbis fuisse Adæ secundùm corpulentam substantiam, & descendisse ab Adam vsque ad Virginem, & fuit impossibile illam potentiam deduci ad actum in aliqua muliere, nisi in MARIA Virgine, quæ potentia in natiuitate Christi ita exhausta est, quòd quicumque diceret, aliquam personam esse humanandam in aliquo secundùm corpulentam substantiam, esset impijssimus hęreticus. Ergo sicut Pater æternus propter dictam potentiam generandi in filio sic exhaustam, summè diligit filium, vt nihil magis, sic & gloriosa Virgo, quia in generatione filij sui exhausta est potentia talis, scilicet, posse generare talem filium, summè diligit illum, ita vt nihil magis. Tertiò, ratione perfectæ plenitudinis, vnde arguatur sic. Quantò magis voluntas perfectiori modo mouetur ab obiecto sub ratione boni, tantò ardentiori modo, si non est impedita, figitur in illud, sed voluntas Virginis perfectè mouebatur à diuino Verbo, & non erat impedita. Ergo perfectissimo modo figebatur in illud: consequentia nota, & maiorem declaro per exemplum. Si enim obiectum sub duplici gradu bonitatis cognitum trahit voluntatem ad amandum, à fortiori magis trahet sub triplici, & ita sub quadruplici. Minor probatur, quia voluntas Virginis propter gratiarum Spiritus Sancti charismatum plenitudinem, non erat impedita, & diuinum Verbum eam perfectissimè mouere poterat, & de facto mouebat; quia non videtur alia voluntas creata, quæ perfectiori modo mouere deberet, quàm ipsa Virginis, ergo perfectissimè illam trahebat ad eum diligendum, & adeo grandis talis amor erat,

Esai. 1.

Ioan. 1

Mat. 17

vt

vt nunquam potuisset non amare. Sicut etiam Beatus Thomas dicit in primo sentent. de Beatis, scilicet, quòd eorum voluntas adeo est immersa in consideratione infiniti boni, vt etiam stante libertate voluntatis, ipsa nõ possit Deum non amare. Sic ad propositum, & non curemus ad præsens inquirere, vtrum voluntas possit suspendere actum suum? vt Minoristæ inquirunt. Quare, &c. Et confirmatur prędicta veritas auctoritate. Audi Bernardum super Cantica. Est, inquit, sagitta amor Christi, qui MARIÆ Virginis animam non modo confixit, sed etiam pertransiuit, vt nullam in pectore virginali particulam vacuam amore relinqueret. Item audi Augustinum. Tantus, inquit, vnusquisque est, quantùm amat, si parum diligit, paruus est, si maximè amat, magnus, & maximus est; ex quo sequitur, cùm Virgo MARIA sit testante Gregorio. Quibus te laudibus efferam, nescio, quòd amor eius etiam maximus fuit. Item audi Gregor. 31. lib. moraliũ: Sine, inquit, dolore amittitur, quòd sine amore possidetur; quæ verò ardenter diligimus, grauiter suspiramus ablata. Sed gloriosa Virgo in amissione filij maximè doluit. Luc. 2. *Ego & pater tuus dolentes quærebamus te.* Ergo summè, & maximè dilexit illum, & confirmatur exemplo; si enim matres terrenorum filiorum, quæ modicam suæ carnis particulam præbent, similiter cum viris, ita intensissimè filios diligunt, quid facere deberet Virgo gloriosa erga Christum, in quo concipiendo nullus habuit partem, nisi ipsa sola? Luc. 1. *Ecce concipies, & paries filium,* & tam dulciter de suo lactauit lacte. Lucæ 11. *Beatus venter qui te portauit, & vbera, quæ suxisti.* Certè nulla lingua exprimere sufficit, quàm tenera dilectione Virgo amaret dulcissimum Christum. Quare, &c.

Lucæ 2.

Lucæ. 1

Luc. 11

De desiderio Virginis circa Christi Aduentum.

CONCLVSIO II.

ACcipe secundam Conclusionem, videlicet: Nunquam fuit, aut nunquam erit alij quod individuũ, quòd sic amaret generis humani redemptionem, sicut totis viribus amauit gloriosa Virgo, & singulariter affectauit. Has Conclusiones sequentes huius sermonis tantum probemus. Probatur ergo hæc conclusio tripliciter, scilicet, ratione, auctoritate, & exemplo ratione tripliciter. Primò ratione consecutionis. Nam hæc gloriosa Virgo humanam redemptionem tantò ampliùs, quàm aliquis sanctorum Patrum affectabat, quantò quòd illi longo tempore expectauerunt, ipsa de propinquo sentiebat. Auidè enim hanc redemptionem Abraham Patriarcha affectabat, dicens: *Mihi quoque filium non dedisti,* supple, & quomodo in semine meo benedicentur omnes gentes, sicut promisisti? Auidiùs Moyses dicens: *Mitte quem missurus es,* auidissimè sancti Prophetæ. Esai. 64. *Vtinam dirumperes cœlos,* &c. Et sic de alijs Prophetis, & hoc solùm, quia in spiritu, humanæ naturæ liberationem intelligebant. Quid ergo Virgo gloriosa facere debebat, quæ & intelligebat? & ab Angelo in se ipsa hoc esse adimplendum audiebat, &c. Ecce ingens desiderium, *fiat mihi,* inquit, *secundùm Verbum tuum.* Crebro enim, credo, illam sic ante eius filij aduentum, apud semetipsam sic vulgariter fuisse locutam. Non est humana creatura digna di hauere gratia da te, ò alto Signore, Dehnõ risguardare al nostro grãde errore. Ma volgi à noi la tua pietà benigna. Secundò, hæc conclusio probatur ratione terminationis; est enim apud Philosophos, peritosque omnes regula generalis, quòd omnis motus velocior est in fine, quàm in principio, sed Virgo gloriosa omnibus indiuiduis mundi aduentui Christi erat vicinior; ergo necesse est concedere illud velociùs affectasse, & multò ampliùs, quàm Zacharias, qui sancta sanctorum ingressus nihil aliud postulabat, sicut verba Euãgelij ibidem insinuant. *Exaudita est oratio tua,* cum cæteris quæ sequuntur. Luc. 1. &c. Tertiò ratione mutuæ dilectionis. Sicut enim Christi, & Virginis erat vna caro secundùm Augustinum, ita Virginis, & Christi erat vnus amor, sed Christus super omnes dilexit suam matrem, vt patet in passione, ergo, & Virgo summè dilexit Christum, sed Christus summè amauit, & affectauit humani generis redemptionem, quia sponte obtulit, ad Philip. 2. *Humiliauit semetipsum obediens vsque ad mortem,* ergo & Virgo summè debuit idem affectare, & amare, &c. Secundò principaliter hæc conclusio probatur auctoritate. Audi Bernardum in quodam sermone. Hæc est, inquit, quæ totius mundi salutem obtinuit, reparationem omnium impetrauit. Constat enim ipsam pro humano genere fuisse solicitã, cui dictum fuit. Inueniisti gratiam apud Dominum, gratiam vtique, quàm quærebas. Hæc ille. Tertiò hæc conclusio probatur exemplo. Si enim Christus in ventre adhuc existens matris, Ioannis Baptistæ tantum contulit lumen, vt in vtero matris exultaret, sanctorum Patrum desiderium per Christum sentiens adimpleri, quanto magis in Virgine debebat esse cum Christo communio animorum? Ob hæc enim Verbum æternum humanauit propter nimiam charitatem, quam erga naturam humanam habebat, nec horam videbat, vt humanaret, quòd cùm humanaret, quantum credis in Virgine desiderium illud perficiendi fuisse augmentatũ? certè nihil magis. Vnde quàm rectè hic exclamare libet illud. Lucæ 11.

Gen. 15

Exod. 3

Esai. 64

Luc. 1.

Luc. 2.

Phil. 2.

Luc. 11.

Bea-

Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ suxisti.

De Gaudijs Virginis.

CONCLVSIO III.

ACcipe Tertiam Conclusionem, videlicet: Nunquam erit mater, quæ tantam consolationem, & lætitiam haberet de filio, sicut gloriosa Virgo de suo dulcissimo Iesu Christo. Septem solent in generali Virgini assignari gaudia. Primum gaudium dicitur salutationis. Secundum dicitur visitationis. Tertium dicitur exaltationis. Quartum dicitur adorationis. Quintum dicitur præsentationis. Sextum dicitur inuentionis. Septimum dicitur glorificationis Primum dicitur salutationis, quando scilicet Angelus ad eam venit, dicens. *Aue gratia plena.* Luc. 1.

Lucæ 1. Secundum dicitur visitationis, quando scilicet, præ gaudio suæ grauidationis visitauit Elisabeth. Luc. 1. *Exurgens MARIA, &c.*

Lucæ 1. Tertium dicitur exultationis, quãdo scilicet filiũ pariens cantantes audiuit Angelos. *Gloria in excelsis Deo.* Luc. 2. Quartum dicitur

Lucæ 2. adorationis, quando scilicet tres Reges venerũt *cum muneribus adorare Dominũ.* Matth.

Matth. 2 2. Quintum dicitur præsentationis, quando scilicet Christum in tẽplo præsentans Simeonem annosum cantantem audiuit. *Nunc dimittis, &c.* Sextum dicitur inuentionis, quando scilicet Christũ *in medio Doctorum* sedẽtem inuenit. Luc. 2. Septimum dicitur glori-

Luc. 2. ficationis, quando scilicet gloriosa Virgo in corpore, & anima in cœlis fuit exaltata, & cum filio suo gloriosè sublimata, vt tenet fides nostra. Hæc sunt communiter septem gaudia, quæ de Christo Iesu habuit hæc dulcissima Virgo. An credis anima mea plura, quàm septem gaudia fuisse? Vbi gaudium, quando Christus resurrexit? Piè enim credimus Christum ipsam præ omnibus visitasse, vt Deo duce, dicetur. Vbi gaudium, quando illum similiter cum discipulis vidit cœlos gloriosè ascendere? Propterea inter omnia Virginis gaudia de Christo tria singularia, volo, anima mea, notes, mentique tradas. Primum fuit sanctę electionis. Secundum fuit sanctæ liberationis. Tertium fuit sanctæ reparationis. Primum, inquam, singulare gaudium, quod Virgo gloriosa habuit, fuit sãctæ electionis, quale, quæso putas, fuisse gaudium, quãdo se in matrem Dei, licèt se reputaret indignam electam audiuit? venit namque Angelus ad eam facie rutilanti, sermone terribili, id est, inconsueto ad Virginẽ humillimã, & contẽplantem, & ait. *Aue gratia plena*, & non dixit. Aue MARIA, & hoc triplici ratione, vi-

Lucæ 1. delicet propter Virginis excellentiam, propter Virginis dignitatem, propter Virginis singularitatem. Primò propter Virginis excellentiam; excellentes enim personas cùm salutamus, nomen tacemus, & eorum excellentiam nominamus, vt Aue Rex, salue Pater. Excellentia autem Virginis erat gratiæ plenitudo, quæ tota se infudit, & cæteris per partes, vt dicunt Sancti omnes, ideo ait. *Aue gratia plena.* Secundò nomen tacuit propter Virginis dignitatem. Cùm enim quis ad dignitatem promouetur, visitatum nomen relinquitur, & nomen dignitatis promotum vocamus, vt hìc est Prior, hic est Abbas, hìc est Episcopus, &c. Excellentia autem Virginis erat gratiæ plenitudo, ideo meritò ait. Aue gratia plena. Tertiò nomẽ tacuit propter Virginis singularitatem, non enim ad Virginem missus est Angelus, sicut ad MARIAM, sed ad gratia plenã, ideo ait Aue gratia plena, sed Ecclesia in hac salutatione nomẽ addit, quòd MARIÆ pro suo singulari sydere tenet. MARIA enim idem sonat, quod illuminata. Tu igitur hic anima considera, quanto gaudio, quod explicare non possum, spiritus Virginis exultare debebat. Audi miram exultationem Magnificat anima mea, &c O felix exultatio, hanc Adam cum cæteris suis posteris flagitabant, expectabant, & summopere cupiebant. Credo profectò, anima chara, si Sancti patres disputationem Virginis cum Angelo audissent, vno ore clamassent, ò Virgo gloriosa, responde Verbum, & suscipe Verbum, profer Verbum transitorium, & suscipe æternũ, tuum corruptibile, istud æternum. Quod est istud tam expectatum Verbum? *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm Verbum tuum.* Quo instãti, vt dicunt Sancti, formatum fuit Christi corpus, & anima, simulque eodem instãti Verbo vnita, & corpore infusa, ita quòd non priùs tẽpore fuit caro facta, quã Verbũ vnitũ, nec priùs anima creata, & infusa quã caro assumeretur, sed simul generato corpore, & anima creata, & Verbo vnita, & assumpta, vt docet Aurelius August. in lib. de fide ad Petrum, & ponitur in 3. sentent. dist. 5. Quare, &c. Et sic habes primũ gaudium. Secundũ principale gaudium gloriosæ Virginis fuit sanctæ liberationis, quantam credis lætitiam in corde Virginis subortam, quando conferens in corde suo, considerabat ex fructu ventris eius totum genus humanum liberari, nam si *magnum gaudium est Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente,* Lucæ 15. Quantò magis resultare debebat *Lucæ 15.* super totam naturam humanam reconciliatam? Quid enim. Luc. 15. Per *ouem perditam* *Lucæ 15.* Dominus insinuare voluit, & *inuentã*, nisi humanum genus, quòd ad vnitatẽ suppositi assũpserat, & saluauit, quòd perierat? O ingratum humanum genus. Audi August. contra quinque hæreses. Cùm esses inimicus patri, ait Iesus, reconciliaui te per me. Cùm inter montes, & siluas errares, quæsiui te humeris

meis apposui te, patri meo reddidi te, labora A ui, sudaui; caput meum spinis opposui, manus mea clauis obieci, lancea pectus meum aperuit, totum nedum iniurijs, sed asperitatibus laceratus sum. Sanguinem meum fudi, animam meam, id est, vitam meam posui, vt coniungerem te mihi, & tu diuideris a me, ò paupercula anima, &c. Tertium gaudium Virginis gloriosæ fuit, sanctæ reparationis ingenti namque gaudio, spiritus Virginis exultabat, quando se matrem Dei electam audiuit, quòd fructu eius humanum genus captiuum liberaretur, sed summopere exultauit, quòd eius fructu Angelorum ruina restaurari debebat. Ad Col. 3. *Pacificans per sanguinem*
Ad Co. 3. *suum, quæ in cœlis est, & quæ in terris,* ideſt,
1. Ioan. 4. humanũ genus. S. Ioan. 4. *In hoc cognoscimus charitatem Dei, quoniam ipse prior dilexit, & misit filium suum propitiatorem pro peccatis nostris.* Et ante hoc sic ait: *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum vnigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum.* Secũdò pacificauit quæ in cœlis, id est ruinam Angelicam. Ad Hebr. 9. *Per*
Ad He. 9. *proprium sanguinem introiuit,* & nota, quòd licèt per sanguinem suum Angelicam ruinam reparauerit; non tamen Angelicam naturam liberauit. Ad Hebr. 2. *Nusquam enim Angelos apprehendit. sed semen Abrahæ.* Quod
Ad He. 2. Nicolaus de Lyra sic exponit. Nusquam enim Angelos apprehendit, ideſt, in nulla Scriptura legitur, Angelicã naturam apprehendisse. Vnde nec etiam naturã angelicam liberauit, & huius rei assignat immediatè plures rationes, dicens. Prima ratio, quare Angelicam naturam non liberauit, quia Angelus per se, sine alio instigante cecidit, ideo, non debuit per alium releuari. Secunda ratio, quia tota natura humana ceciderat, & ita frustraretur homo totaliter suo fine, nisi humana natura repararetur, non sic tota Angelica natura cecidit, sed in parte. Tertia ratio, quia reparatio Angelicæ naturæ, nõ proficeret vniuersitati, si ait, reparatio humanæ naturæ, hoc enim, quod natura humana reparatur, quasi tota vniuersitas reparatur, quia homo est omnis creatura in genere. Non sic Angelus. Quarta ratio, quia Angelus non potest esse sine propria personalitate. Ex duabus autem personis nihil fit, homo autẽ potest esse sine propria personalitate, & ideo potest natura humana subsistere in persona diuina, & ex ipsis fieri vnum; istis enim rationibus, *nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ,* ideſt carnem de Abraham apprehendit, quasi scilicet longè fugientem. Esa. 41. *Semen Abrahæ*
Esai. 41. *amici mei, in quo apprehendite,* & dicit Abrahæ potiùs, quàm alterius, quia ei primo facta
Gen. 25. est promissio. Ge. 15. *In semine tuo benedicẽtur omnes gentes.* Hæc ad litteram ponit Nicolaus. Ex quibus omnibus patet, quòd naturã Angelicam, licèt reparauerit, non tamen liberauit. Sed quæritur, an numerus saluandorum secundùm numerum ruentium Angelorum esse debebat, an maior? & hanc quæstionem mouet Magister. in 3. dist. 9. & verè si Augstinum in Enchiridion intueor, mihi apparet, hanc non determinare quæstionem. Ait enim sic, supernaHierusalem mater nostra: ciuitas Dei nulla ciuium suorum numerositatè frustrabitur, aut vberiore etiam copia fortassis regnabit. Nec enim numerum, aut sanctorum hominum, aut immundorum dæmonum nouimus, in quorum locum succedentes filij Catholicæ matris, quæ sterilis apparebat in terris, in ea pace, de qua illi ceciderunt, sine vllo temporis termino permanebunt, sed illorum ciuiũ numerus, siue qui est, siue qui fuit, siue futurus est, in comtemplatione eius artificis est, qui vocat, id est nominat ea quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt. Hæc ille. Super quam partem Dominus Bonauentura dicit, quòd numerus saluandorum excedit numerum spirituum reproborum, & hoc probat tali ratione, cum in hac mortali vita, quidam ad tantam meritorum excellentiam non peruenerint, vt exaltentur ad Angelorũ choros, sed meritis Christi saluati decimum gradum tenent, consequens est, vt vltra Angelorum Choros decimus assignetur Chorus. Alij verò qui meritis proprijs diuina gratia sufB fulti coronam Regni adepti sunt, secundùm, C quod maiora gratuita dona suscipiunt in vita, sic, & in gloria sanctorum Angelorum vacuas sedes replent. Vnde sicut de singulis ordinibus aliqui ceciderunt, sic & singuli ordines per homines restaurabuntur. Quare, &c. Et sic habes tres iucundationes, & exultationes Virginis gloriosæ. Quare, &c. Et ista sufficiant pro secunda parte huius sermonis.

De sublimi conditione, & qualitate Virginis gloriosæ.

CONSIDERATIO III.

D TErtio loco gloriosæ amabilitatis excellentem qualitatem videamus, vbi etiam tres faciamus, more solito, cõclusiones, videlicet. Prima conclusio est ista. Ex hac singulari maternitate glorioſa Virgo tantam suscepit gratiam, quanta est possibilis humanæ creaturæ susciperе, & Deo glorioso infundere. Secunda conclusio est, & licèt gradus dignitatis faciat superbire, tamen Virgo glorioſa, tantùm ex hac maternitate se humiliauit, quantùm humanæ naturæ est possibile imaginari. Tertia conclusio, & licet Virgo glorioſa regem omnium genuerit, & eius sit mater pretioſa, tamen numquam fuit, aut numquam erit indiuiduum humanum pauperius.

De plenitudine gratiæ Virginis.

CONCLVSIO I.

ACcipe primam conclusionem, &c. Vt supra. Hæc conclusio probatur ratione, auctoritate, & exemplo, ratione sic. Quandocumque est aliquod agens potens agere in aliquod subiectum, tantò perfectiùs agit (si non est impeditum) quantò subiectum perfectiùs erit dispositum ad illud agere, sed Deus est perfectissimum agens, potens omne, quòd non implicat ei contradictionem, & Virgo gloriosa est subiectum sufficienter dispositum ad posse recipere omnem diuinæ gratiæ influxum, & non est impedita, ergo omnem gratiam possibilem Deo creaturæ infundere Virgo gloriosa suscepit, & non videtur, quòd in alio actu, quàm in hoc, quòd est facta Mater Dei, ergo, &c. Consequentia nota, & antecedens declaratur exemplo Solis, quantò enim subiectum est dispositum, tantò magis formam luminis, & lucis imprimit, ideo aquila altissimè volitans in lumine Solis confortatur, & vespertilio illud horret, sic & benedictus Deus secundùm creatarum rerum dispositionem suæ lucis gratiarum communicat claritatem, quoniam nihil aliud diuina gratia est, quàm quidam diuinæ bonitatis radius diuersimodè creaturis communicatus. Quibusdam enim creaturis gratiæ suæ copiam communicat, illis dando esse, & conseruando, quibusdam dando esse, & viuere. Quibusdam esse, viuere, & sentire, quibusdam esse, viuere, sentire, & intelligere; non enim sic communicat, vt ea vsque ad intima transeat, cognitionis lucem largiendo, quia non est eis capacitas naturæ data, sicut & sol, quamuis lapidem illuminet, non tamen sic, vt cognoscat, quia oculos non habet, soli autem homini lucem suæ claritatis ostendit, & tribuit cognitiuam, & secundùm hoc homo dicitur omnis creatura in genere, vt dictum est in conclusione præcedenti. Nam cum lapidibus communicat homo in participatione essendi, cum plantis in viuere, cum animalibus, & bestijs in sentire, sed cum seipso, & Angelis participè facit in intelligere, vnde quilibet homo natura est intelligens, id est, ad intelligendũ aptus, & nisi homo obicem ponat, tanta potest intelligentia irradiari, vt supra humanum sensum, & naturæ capacitatè plura cognoscat, quã obrem peccatores parum, aut nihil de diuinis intelligunt, quia suæ mentis oculis obicem ponunt, sicut & homo oculos obstrusos tenens non videt, quia videre non placet, & obicem ponit. Propterea dicitur 1. Corin. 14. *Qui ignorat, ignorabitur*, scilicet, ante iudicem, & Psal. *Noluit intelligere, vt benè ageret.* Quare manifestũ est, quòd benedictus Deus secundũ subiectorum diuersorũ capacitatè, gratiarũ suarum lucem nõ occultat, & postea accipiatur minor, scilicet, quòd Virgo fuit subiectum sufficienter dispositum ad posse recipere omnem diuinæ gratiæ influxum, scilicet, creaturæ possibilem, nunquam hæc profectò benedicta ancilla diuinis luminibus obicem posuit, nec Deum aliquo vnquã peccatorũ genere, quouis modo offendit, vt dictum est in tertia conclusione primæ partis huius sermonis; ergo necesse est concedere, vt super omnes gratia diuini luminis eius animam perlustrauerit, ideo MARIA illuminata dicitur. Secundò hæc conclusio probatur auctoritate. Audi Hieron. in serm. de Assumptione. Cęteris, inquit, per partes gratia, MARIÆ verò se totam infudit gratiæ plenitudo. Audi Bernard. in serm. Per te, inquit, Virgo sancta, cœlum impletum est, infernus euacuatus est, restauratæ ruinæ cœlestis Hierusalẽ, expectãtibus miseris vita perdita data est. Ex quibus corollariè inferuntur tres veritates. Prima est ista. Quòd omnes ab hoc fulgẽti sydere lumen suscipiũt. Nam per illam tubam Ioan. Baptist. dicentẽ: *Ecce agnus Dei*, Andræas credidit, per Andræã Petrũ, per Petrũ Roma, per Romã credidit vniuersus mũdus; ergo à primo ad vltimũ, per Ioannẽ credidit vniuersus mundus, sed à quo Ioannes lumen accepit, nisi à Virgine in ventre portante solẽ, dum Elisabeth eius matrem Virgo gloriosa visitauit? vnde, & in ventre *exultauit*. Luc. 1. O gloriosa illustratio, nõdum erat natus, & iam sanctificatus, & Propheta, & plusquam Profeta factus, &c. Secunda veritas est quòd Virgo per gratiam Deo fuit magis vnita, quàm aliquis sanctus, nam solus Christus Deo vnitus est per vnionem hypostaticam; alij verò omnes per gratiam, alio, & alio modo, quidam cognitione tantũ, vt Hieremias, qui clarissimè de Deo prophetauit, & ideo in vtero meruit sanctificari, quidam cognitione, & demonstratione, vt Ioannes Baptista, qui Christũ in vtero cognouit, & ad Iordanẽ Christũ digito demõstrauit, & ideo in ventre matris sanctificatus est, & plusquam Propheta appellatus est, & sic de alijs. Virgo autem gloriosa, & fide cognouit, & digito, & manu tetigit, & Deum verum in suo immaculato vtero portauit, ideo non fuit in ventre sanctificata, quia nulla erat sanctificationis causa, sed ab omni peccato præseruata, vt differret à primis, & postea plena gratia facta, vt semper staret immaculata. O quàm benè igitur dicitur *gratia plena*! Tertia veritas est, quòd in Christo, & in MARIA, & in multis sanctis fuit gratiæ plenitudo, sed alio, & alio modo, in Christo per excellentiam, tanquam in capite, in Stephano, & alijs sanctis per sufficientiam, tãquam in membris, sed in Virgine per superabundantiam, tanquam in collo transeunte. Et hanc veritatem etiam

Luc. 1.

1. *Cor.* 14
Psal. 35.

ostendit barbatus Hieronymus in sermone Assumptionis, & sic veritas istius Conclusionis patet auctoritate, & ratione. Tertiò eandem confirmemus exemplo, legitur enim de Beato Dyonisio, cùm semel, vt Virginem videret, à Domino simpliciter petisset, vt & ipse in quadam epistola sua Ioanni Euangelistæ directa, ostendit, & tandem obtenta gratia sic dixit: si diuinis litteris eruditus non essem, & fide illuminatos oculos non haberem, aliud lumẽ sub Deo esse, non crederem. Hæc ille. Quare, &c. & hæc sufficiãt pro præsenti Cõclusione.

De maxima Virginis humilitate.

CONCLVSIO II.

ACcipe secundam Cõclusionem videlicet. Etsi gradus dignitatis faciat superbire, tamen ex hac gloriosa maternitate Virgo benedicta, se tantùm humiliauit, quantũ est possibile humanæ menti imaginari. Primã huius Conclusionis partem tãquam per se notã nostris temporibus, relinquamus. Iob. 15. *Ambulauerunt extento collo.* Sed secundam probemus, & hoc tripliciter. Scilicet, ratione, auctoritate, & exemplo. Sed antequam ad hæc veniamus, primô distinctionem quandam humilitatis videamus; est enim quædam humilitas mala, falsa, & Deo inimica, & quædam bona, vera, & Deo amicissima, & aliqua partim falsa, & partim mala, & partim Deo inimica. Humilitas tota mala, & Deo inimica est triplex, scilicet, deiectionis, pusillanimitatis, & malignitatis. Deiectionis, vt cũ flagellis Deus superbiam mundi sternit. Esai. 25. *Humiliauit gloriam Moab cum allisione manuũ eius, & munimenta sublimium murorum tuorum cõcident, & humiliabuntur, & detrahentur ad terram, vsque ad puluerem.* Et Ose. 7. *Humiliabitur Israel in facie eius, nec reuersi sunt ad Dominum Deum suum, & non quæsierunt eum, &c.* Secunda pusillanimitatis, vt cum quis veritatem dicere pertimescit, vel contra illam impugnantibus resistere non audet. Eccl. 13. *Noli esse humilis in sapientia tua, nec humiliatus in stultitiã seducaris.* Inde 11. q. 3. c. nolite, parũ post principium dicitur, non solùm ille proditor est veritatis, qui transgrediens veritatẽ pro veritate, palã mẽdaciũ loquitur, sed etiam ille, qui non liberè veritatem pronunciat, quã liberè pronuncia re oportet, aut non liberè veritatem defendit, quàm liberè defendere conuenit, proditor est veritatis: hęc ibi, & sunt verba Beati Chrysostomi. Tertia mala humilitas dicitur malignitatis. Eccles. 19. *Est qui nequiter se humiliat, & interiora eius plena sunt dolo.* Psal 27. *Pacem loquitur cum proximo, & occultè ponit insidias.* Humilitas tota bona est virtus quædam, qua passio tendens ad magna, recta ratione regulatur, ne passio irruat, sine ratione in magna, sicut magnanimitas est, qua regulatur passio, ne despe ratione retrahatur, sed recta ratione prosequatur magna. Magnanimitas ergo impellit, & humilitas retrahit, & de hoc audi Ambrosiũ, super Psalm. Qui paupertate, inquit, contentus est, non est cotentus iniuria, & qui potest proferre verberum pœnas, exagitatur verbo cõtumeliæ, & qui potest administrationes cõtemnere, dolet sibi aliquem honorificẽtia esse prælatum. Grande est in omnibus tenere humilitatis mensuram, bona humilitas, quæ nihil appetendo totum, quod contemnit, adipiscitur. Et quia desideriũ tendẽs ad magna in quantùm est inordinatum, est origo omnium malorum. 1. Tim. 4. *Radix omnium malorũ est cupiditas*, ideò humilitas dicitur retractiua omnium vitiorum, secundùm quam quidẽ rationem humilitas omnium virtutũ dicitur fundamentum. Audi Rabanũ super Mat. Cogitas, inquit, magnam fabricam cõstruere celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis, & quantò magis erit ædificiũ, tantò altius foditur fundamentũ. Et Gregorius. Homil. 7. Qui sine humilitate virtutes congregat, inventum puluerem portat: radix autem huius sanctissimæ virtutis principalis inter omnes est sui ipsius cognitio, & operatio illi cognitioni correspondens. Vnde satis humilis est, qui seipsum hominem esse cognoscit, & viuit, vt homo, quis quæso, vt Chysostomus ait, bestialior homine rationem habente, & ratione non vtente? Et Psal. 48. *Homo cũ in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis, &c.* ex conclusione præcedenti. Audi Isidorum de summo bono. Paruulus, inquit, in oculis tuis esto, vt sis magnus in oculis Dei. Tantò enim eris apud Deum pretiosior, quantè fueris ante oculos tuos despectior, ergo. Tertiò arguitur sic. Summa vitia, summè sunt detestanda, ergo per locum à contrarijs summa virtus est amplectenda; summum autem vitium est superbia, quia superbis Deus resistit; ergo humilitas, quæ illi opponitur, maxima est virtutum, maximæ autem virtutes maximum virum decent, sed Virgo fuit omnium maxima; ergo illi maxime humilitas sancta decuit. Audi Cassiodorum super Psalm. Erubescant, inquit, electi, vbi credunt locum habere superbiam, cum cœlum, & terram videant ab humilitate occupatum, & idem. Superbia, inquit, de Angelo Diabolum fecit, & hominum mortem intulit, & concessa beatitudine vocauit, &c. Secundò principaliter hæc conclusio probatur, auctoritate, Audi Bernar. Virgo virginitate placuit, sed humilitate concepit, facta est MARIÆ humilitas scala cœlestis, per quã Deus descẽdit ad terras. Ite audi Bedã in homilia. Decebat, inquit, vt sicut

Iob. 15. *Esai. 25.* *Oseæ. 7.* *Eccl. 13.* *Eccl. 19.* *Psal. 27.* *1. Tim. 41* *Psal. 48.*

per

per superbiam Euæmors intrauit, ita per humilitatem MARIÆ vitæ introitus panderetur Audi & Beatum Hieronymum in transitu suo. Maluit, inquit, Deꝰ de Beata MARIA incarnari propter humilitatẽ, quàm ob aliam quantancumq; virtutem, sicut enim ex sola superbiæ radice omnia oriuntur mala, sic ex sola radice humilitatis omnia generãtur bona. Audi & ipsam de se ipsa testãtẽ. Luc. 1. *Respexit humilitatẽ ancillæ suæ*, id est, approbauit. Tertiò hæc conclusio patet exemplo, nam eam visitans Angelus Matrem Domini vocat, & ipsa se humilem Domini ancillam protestatur. *Factus est illis, &c* Humilitas mixta est quædã corporalis demonstratio, qua quis exterius, nũ interiꝰ humiliatur, vt hominibꝰ placeat, vt est humilitas hypocritarũ, de qua Dominꝰ ait: *Attẽdite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouiũ, intrinsecus autẽ sunt lupi rapaces.* Et dicitur mixta, quia non totaliter est mala, nec totaliter Deo inimica: minus enim malũ est humilitatem ostendere cum malitia, quàm iniquitatem publicè ostẽdere. Propterea pro occultis criminibus, pœnitentia arbitraria est 26. q. 7. c. tempora plenitudinis, & de pœnit. & remiss. c. 3. Glos. 2. in manifestis autem seruantur statuta iuris de pœnit. & remiss. cap. 1. & 2. dicit enim primũ caput sic. Manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda, sed ista missa faciamus. His sic notatis, humilitatem Virginis probemus, scilicet, ratione, auctoritate, & exemplo; ratione primò sic. Quantò quis virtuosior est, tãtò dicitur Christo esse similior, sed Virgo gloriosa fuit virtuosissima, vt patuit in conclusione præcedẽti, ergo, Christo debuit esse similior, sed inter cæteras Christi virtutes humilitas sancta potissima est. Matth. 11. *Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Vbi Beatus Augustinus ait, non dixit, discite à me mortuos suscitare, siccis pedibus super aquas ambulare, sed quid ait. Quia mitis sum, & humilis corde, in hoc Virgo debuit filium imitari, & sicut in cæteris virtutibus excellentior est, sic in ista excellat. Secundò arguitur sic, quãtò quisque per gratiam Deo propinquior est, tantò sibi ipsi abiectior, & humilior, sed Virgo gloriosa omnibus puris creaturis erat Deo propinquior; ergo omnibus humilior, consequentia nota cum maiori per Beatum Gregorium in libro Moralium. Tantò, inquit, sit quisque vilior Deo, quantò pretiosior sibi, & tantò pretiosior Deo, quantò propter eum vilior sibi. Minor autem huius rationis patet Luc. 1. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm Verbum tuum.* Ideo dicit Pẽta vulgaris. Quando desti resposta al Messo Santo. Ecco la ancilla del Signor dicendo, la eterna verità suo carnal mãto, fece del sãgue del tuo prendendo, sopra di te tanta gratia infondendo. Che ciascun Angel della somma altura, ti fè subietto come bon fameglio, &c. Et ista sufficiant pro præsenti conclusione.

Lucæ 1. Matth. 7 Mat. 11. Lucæ 1.

De magna Virginis paupertate.

CONCLVSIO III.

ACcipe tertiam Conclusionem, videlicet. Licèt virgo gloriosa Regem, & omnium Dominum genuerit, & eius sit mater pretiosa, tamen nunquam fecit, aut numquam erit indiuiduum ipsa pauperius. Hæc Conclusio similiter tripliciter probatur. Scilicet, ratione, auctoritate, & exemplo. Ratione breuiter sic. Christus fuit filius pauperrimus, & summè diligens paupertatem. Mat. 12 *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos; filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet*, ergo, & mater pauperrima esse debuit. Item arguitur sic, boni discipuli bonam debẽt disciplinam imitari Magistri, virgo MARIA bona, immò optima fuit Domini discipula; ergo Magistri debuit immitari doctrinam: consequentia nota cum maiori, & minori, tunc sic. Hæc autem fuit Christi optima disciplina: *Nec quis renũciauerit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Ergo, &c. Audi Augustinũ de cathechizandis rudibus. Esurit Christus, qui omnes pascit, sitiuit per quem causatur omnis potus, & qui spiritualiter panis est esurientium, fonsque sitientium ab itinere terrestri fatigatus est, qui seipsum nobis viam fecit in cœlum, velut ouis obmutuit, & obsurduit coram conuitiantibus per quem mutus locutus est, & surdus audiuit; vinctus est, qui de vinculis infirmitatum nos soluit, flagellatus est, qui omnium flagella dolorum ab hominum corporibus expulit: mortuus est, qui mortuos suscitauit, & resurrexit nunquam morituras, &c. Hæc ille. Et ex hoc tertia ratio formatur sic. Omnis verè Christianus Christum imitari debet, sed Virgo fuit perfecta Christiana, ergo Christum debuit imitari. Christus autem fuit pauperrimus, vt dictum est; ergo, &c. Omnia ista de se patent, inde Augustinus sic ait, in libro de vita Christiana. Nomen, inquit, ille frustra Christiani sortitur, qui Christum minimè imitatur, quid enim prodest tibi vocari, & quod non est, & nomen vsurpare alienum? sed si te Christianum esse delectat, quæ Christianitatis sunt gere, & meritò tibi nomen Christiani est, &c. Secundò principaliter hæc conclusio auctoritate probatur: *Obtulerunt pro Domino par turturum, & duos pullos columbarum.* Quod pauperum erat sacrificium. Tertiò probatur exemplo, nam ex bonitate fructus, & ex qualitate qualitas arboris, & bonitas arguitur. Matth. 7, *Bona ar-*

Mat. 12. Luc. 14. Lucæ 2.

bor fructus bonos facit, sed Christus fuit fructus ventris MARIÆ. Luc. 1. *Et benedictus fructus ventris tui*, & fuit pauperrimus, ergo & arbor debet esse pauperrima, & sic patet conclusio præsens. Benè igitur dicere potest hæc gloriosa Virgo. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Qui benedictus cum Patre, & Spiritu Sancto regnat in secula seculorum, Amen.

Luc. 1.

SABBATO SECVNDÆ Dominicæ Quadragesimæ, de gloriosa Virgine.

Sermo in ordine decimus octauus.

Luc. 15. *Fili tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt.* Virginis gloriosæ ad suum dilectissimum filium Iesum prædicta verba mysticè esse possunt, quæ tantò veriùs affirmantur; quantò ipsa in multis cum suo filio participat. Si enim terrenæ matres filios sibi maximo cum labore nutriunt, & quidquid faciunt filijs impendunt, sternunt, & cumulant. Quantò magis hæc benedicta Virgo, quæ filium cum tãta paritate genuit, nutriuit, & aluit, cuncta ad Christi vtilitatem exercere debebat? Inde meritò dicere poterat: *Fili tu mecum semper es, & omnia mea tua sunt.* In quibus sacratissimis Verbis tres de gloriosa Virgine, more solito, considerationes faciamus, videlicet. Virginis gloriosæ nobilem conditionem, Virginis gloriosæ perfectam participationem, Virginis gloriosæ & reciprocam retributionem.

De nobili conditione Virginis gloriosæ.

CONSIDERATIO I.

PRimò Virginis gloriosæ nobilem conditionem videamus. Ecce nobilis conditio, quoniam eum, qui Dei Patris in æternitate est filius, temporaliter suum filium vocat, dicens fili: Vbi tres ponamus conclusiones. Prima conclusio est ista. Maiori cum excellentia, & dignitate creauit Deus Virginem gloriosam, quàm creauerit Angelos, & totum orbem. Secunda conclusio est ista. Maiorem sui ipsius potentiam in creando Virginem ostendit Dominus, quàm in creando Angelos, & totum orbem. Tertia conclusio est ista. Maiorem admirationem humanis mentibus reliquit Deus in Virginem creando, quàm reliquerit in creando Angelos, & totum orbem. Istæ sunt pulcherrimæ conclusiones, quæso anima mea illas diligenter attende.

A *Quòd mirabili cum excellentia creauit Deus Virginem gloriosam.*

CONCLVSIO I.

ACcipe primam conclusionem, &c. Hæc conclusio probatur tripliciter, scilicet, auctoritate, ratione, & exemplo: auctoritate sic. Audi Prophetã: *Elegit Dominus Sion*, id est, Virginem, *& præelegit*, scilicet, per prædestinationẽ *eam in habitationem sibi*, sed nec Angelos, nec totum orbem hac ratione creauit. Ergo maiori dignitate, & excellẽtia ipsam creauit. Secundo audi Eccl. 24. *Qui creauit*, inquit, *me, requieuit in taberna. culo meo*, B quasi dicat Virgo. Creator meus, qui creauit me, filius meus, requieuit in me, scilicet, per carnis assumptionem, sed non sic creauit Angelos, nec totum orbem. Quare, &c. Audi & ipsam Eccl. 24. *Ego*, inquit, *sicut nebula texi carnem omnẽ*, id est, Christum, per quem omnis caro, id est, tota humana natura saluata est, sed non sic Angelos texit, nec totum orbẽ. Quare, &c. Secundò hæc conclusio probatur ratione. Audi quæso discursum nostrum. Cũ enim Deus, anima chara, hæc, quæ conspicimus, creare vellet: *Dixit, & facta sunt, mandauit, & creata sunt, fiat*, inquit, *lux*: Et facta est lux, quo nomine, vt August. exponit Angeli etiam intelliguntur. Cùm verò ad C hominis creationem deueniisset, non dixit, sed mirabiliter Pater accessit cum Filio, & Spiritu Sancto, & ad inuicem dixerunt. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Ad imaginem quidem quantùm ad animam, quia sicut Deus est in essentia vnus, & trinus in personis, ita animam trinam fecit in potentijs, & vnam in essentia. Tres enim istæ potentiæ, scilicet, intellectus, memoria, & voluntas sunt distinctæ realiter secundùm communiter loquentes. Dimittamus difficultatem Scoti, & suorum ad præsens, scilicet, quomodo potentiæ distinguantur, & teneamus nunc, quòd realiter distinguntur, sicut docet beatus Thomas, & quam plures alij: magis enim hic ad ostendendum propositum facit tenere, quòd istæ realiter distinguantur. Vna ergo istarum potentiarum realiter non est altera: tamen essentialiter sunt idem, quia vna anima, & non plures, vt dicit Augustinus pluribus in locis, & præsertim in libr. de spiritu, & anima, vbi sic ait. Quis maior honor potuit esse homini, quàm ad imaginem sui conditoris conderetur, & eisdẽ virtutibus, & ornamentis ornaretur, & vestiretur, quibus & cõditor? Quare igitur, sicut Deus trinus in personis est, & vnus in essentia; sic hominem quantùm ad animam ad hanc imaginem fecit trinum in potentijs, & vnum in essentia. In potentia memoriæ impressa est imago Patris, quia se-

Prov. 8.

Psal. 131

Eccl. 24.

Eccl. 24.

Genes. 1.

Genes. 2.

D

secunda est principium productiuum filij secundùm August. in intellectu impressa est imago filij, quia per intellectum producitur, in voluntate imago Spiritus Sancti, qui per voluntatem spiratur, & non solùm summa Trinitas dixit: *Faciamus hominem ad imaginem*, sed addidit: *Et similitudinem nostram*, quum, scilicet, habiturus est filius æternus ali quando incarnandus, & hoc quantùm ad corpus, non enim talis creatus est homo propter hominem, sed propter Verbum, & homo creatus fuit homo, quia Verbum futurũ erat homo, & ita exponit Bruno super Genes. exponens hunc passum. Nunc verò, anima mea considera, si Deus tam excellenti modo venit ad hominem creare quem casurum præuidebat, quantùm miro credis modo, quando venit tempus, vt massa illa fieret, qua incarnandum erat Verbum, materiam illam carneam concipi, & generari faceret? Et quanta cum excellentia credis ad Virginis animam attenderet? Certè nec aliquis Angelorum, aut spirituum beatorum quispiam in animam Virginis creando se immiscuit, sed sola Trinitas animam creauit, & materiam illam omni labe, & infectione sublata miro modo concipi fecit, adeo vt nihil pulchrius dici, & fieri posset. Audi gloriosum Anselmum. Decuit, inquit, vt ea puritate, quæ maior sub cœlo intelligi nequit, Virgo illa niteret. Hæc ille,

Psal. 45. & Psal. 45. *Sanctificauit Dominus tabernaculum suum*, id est, omni sanctitate decorauit. Et sic patet hæc conclusio ratione. Quare, &c. Tertiò probatur exemplo. Si enim Domini terreni domus sibi mira excellentia ornant, & faciunt speciosas, quantò magis domus illa, in qua regum Rex Magnus, & Dominus dominantium habitare debebat, mira debuit dignitate, & excellentia fabricari? Inde

Hester. 5. de Aman dicitur Hester. 5. Quòd *vocatis ad se amicis, exposuit eis magnitudinem diuitiarum, & filiorum turbam, &c.* Et Arphaxat, *gloriabatur in potentissima sua ciuitate.*

Iudith 1. Iudith. 1. Et sic patet prima conclusio.

Quòd mirabili potentia creauit Deus Virginem gloriosam.

CONCLVSIO II.

ACcipe secundam Conclusionem, videlicet: Maiorem sui ipsius potentiam in creando Virginem ostendit Deus, quàm in creando Angelos, & totum orbem. Hæc conclusio, vt intelligatur, notandum, quòd potentia Dei potest dupliciter considerari. Vno modo absolutè, alio modo respectiuè. Si absolutè, tunc dico, quòd potentia Dei, cum sit infinita, vt sic non magis relucet in vna creatura, quàm in alia. Si consideratur

A respectiuè, vt scilicet, exit ad actum ad creaturam, tunc in tali potentia duo sunt termini. Vnus terminus dicitur à quo. Secundus dicitur ad quem, siue terminus ex quo, & terminus ad quod, Terminus à quo, creationis cuiuslibet creaturæ est ex nihilo. Terminus ad quem, est ipsa anima intellectiua in creatione hominis, vel ipsa tota creatura, quando fuit creata in principio mundi, nam propriè creatio est de nihilo ad aliquid. Si consideretur potentia Dei in quanto exit in actum, creando creaturas quantum ad terminum à quo, sic non magis relucet potentia Dei in vna creatura quàm in alia, quoniam tanta est sic potentia in creando granum milij, quanta in creando cœlum, &

B terram, quia sic omnes creaturæ ex nihilo creatæ sunt. Si verò consideretur potentia Dei quantũ ad terminũ ad quem; sic sine dubio magis Dei potentia in vna creatura relucet, quàm in alia, quia magis vna à nihilo recedit, quàm alia, & ad gradum perfectionis simpliciter magis accedit vna, quàm alia. Non tamen secundùm lineam accessus, & recessus, cũ quælibet sit infinita, sed secundùm continentiam graduum perfectionum, ex quibus constare dicuntur. Et do exemplum. Nam licèt lapis, & Angelus quoad quidditatiuas perfectiones adeo distent per infinita, tamen Angelus dicitur propinquior, vel si-

C milior Deo, quàm lapis, cum ergo vna, & eadem potentia producat lapidem, & Angelum, quia tamen virtus potentiæ in Angelo producto magis relucet, quàm in lapide; dicimus maiorem esse potentiam, qua creauit Angelum, quàm lapidem. Hoc sic notato, aliqualiter hic sistamus, & die mihi, Pater Ambrosi, inquies, quæ sunt illæ creaturæ in quibus magis potentia Dei relucet? Etsi, anima mea, multorum fuerit opinio, quòd huiusmodi fuerit Angelus. Dico tamen, saluo iudicio meliori, quòd est anima rationalis. Nam licèt secundùm essentialem naturam Angelus, anima ipsa sit perfectior, & nobilior, vt volunt August. Dionisius, & commu-

August. Dionis. D niter omnes; in anima tamen multa miranda relucent, quæ in Angelo non creduntur. Nonne mirum, quòd anima tam speciosa cum corpore tam vilissimo vnibilis sit amore tam intenso? non ne mirum, quòd anima posset Deo vniri hypostaticè? quod factum fuit in Christo, & tamen anima Christi non fuit alterius speciei ab animabus cæterorum, nonne mirum, quòd animæ sit condonatum, quòd non solùm supremo spiritui coæquari, sed etiam transcendere in gratia, & gloria sicut de animabus Christi, & Virginis firmiter credimus, & confitemur? Nonne mirum, quòd in creatione rerum Deus magis delectatus est in creatione animarũ, quàm Angelorum, & aliarũ rerum?

Quatuor enim principaliter creauit Deus, scilicet, materiam primam, cœlos, naturam Angelicam, & animam rationalem, de primis, tribus in exordio mundi se expediuit Deus victus necessitate conditionali, & ad id de cætero nunquam manus posuit. At vbi deuenit ad animæ rationalis creationem, ita in opere illo delectatus est, quòd nunquam cessauit, nec vnquam cessabit vsque in diem iudicij in omni hora, & fortè in omni notabili parte horæ aliquam animam rationalem creare, sed fortè hic dices. Dato, quòd de creatione Angelorum se expedierit, tamẽ quia adeo nobilis est illa natura, & adeo in creatione illorum delectatus, omnino innumeram illorum creauit multitudinem. In veritate ita credo, quòd nõ solùm in decuplo, sed etiam in centuplo creet numerum animarum quàm Angelorum. Nam ponamus, quòd tantæ debeant esse animæ saluatæ, quanti sunt Spiritus Beati Angelici, multò tamen plures sunt animæ damnatorum, quàm spirituum malorum. Ergo multò plures sunt animæ, quàm Angeli. Quare pono hanc conclusionem, sicut Pater omnipotens nunquam desistit à generatione sui dilecti filij. Psal. 2. *Ego hodie,* id est, semper *genui te,* quia in ipso complacet sibi. Matth. 17. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Sic cœlorum reuolutione durante nunquam cessabit à creatione humanarum animarum, *quia delitiæ esse cum filijs hominum,* ait Deus per Prophetam. Et ita relinquimus, quòd illud, quod diuinã potentiam manifestat magis, est anima rationalis. Secundò nota, dato, quòd omnes animæ specificè æquales creantur, tamen quoad suarum potentiarum perfectionem, vna creatur altera præstantior, sicut peroptimè Magister ostendit 2. lib. sentent. dicens, & sine pare duæ excellentissimæ animæ sunt creatæ, scilicet, anima Christi, & anima Virginis gloriosæ. Et perconsequens concluditur, quòd nulla alia pura creatura sic Dei potentiam ostendit, sicut anima Virginis gloriosæ, & probatur auctoritate, ratione, & exemplo. Auctoritate, audi quid ipsa. Eccles. 24. de se ipsa dicat: *Ab initio, & ante secula creata sum, & vsque ad futurum seculum non desinam, & in habitatione sancta coram ipso ministraui.* In quibus sacratissimis verbis tres exprimuntur de gloriosa Virgine dignitates. Prima dignitas dicitur singularis creationis, secunda dicitur singularis purificationis, siue incontaminationis. Tertia singularis operationis. Prima, inquam, Virginis dignitas dicitur singularis creationis, quia ab initio, & ante secula creata sum. Si hic intelligatur ab initio, id est, indeterminatè sum præuisa creari, vt quidam exponunt, nulla erit Virginis gloria, nulla in ea prærogatiua, quoniam sic omnis creatura præuisa est creari in tempore. Propterea, vt aliquid admiratione dignum, & singulare priuilegium in ipsa intelligatur, dico, quòd per initium intelligitur principium, vt sit sensus *ab initio,* id est, à principio, id est, ab eo, qui est principium. Ioan. 4. *Ego sum principium, qui & loquor vobis.* Et Apoc. 3. *Ego sum alpha, & omega, principium, & finis.* Ab initio ilto creata sum, id est, à filio Dei præuisa sum creari, qui esset Creator meus, & Filius meus. Eccl. 24. *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo,* id est, ad hoc creauit me, vt quiesceret in tabernaculo meo, id est, in vtero meo. Et deinde subdit, *& ante secula,* hoc non dicit alicuius temporis durationem, vt de Virgine exponitur, quoniam multæ creaturæ ante ipsam creatæ sunt; sed dicit prælationis dignitatem, secundùm illud. Ioan. 11. *Qui post me venit, ante me factus est,* id est, prælatus est mihi, est ergo sensus; *ante secula creata sum,* id est, præordinatum fuit, vt essem prælata seculis, & his qui sæculis mensurantur, id est, in omnibus creaturis. Eccl. 24. *Ego ex ore altissimi prodij primogenita ante omnem creaturam.* Et ibidem. *Girum cœli circuiui sola, & profundum abyssi penetraui, & in omni populo, & gente primatum tenui.* Quibus verbis ostendit, quòd omnibus creaturis præfertur, scilicet, Angelis, ibi: *Girum cœli circuiui sola.* Secundò, infernalibus, ibi: *Et profundum abyssi penetraui.* Tertiò, omnibus terrestribus, ibi: *Et in omni populo, & gente primatum tenui.* Quia nec primam similem visa est, nec habere sequentem, & sic patet prima Virginis dignitas. Secunda dicitur singularis incontaminationis, quia subiungit: *Et vsque ad futurum seculũ non desinam,* id est, nunquam peccabo, nec venialiter, nec mortaliter. Nunquam enim Virgo desinit, id est, deficit, nec ex parte Dei, nec ex parte proximi, nec ex parte sui, ex parte quidem sui non deficit, vt aliquã committeret culpam, peccare enim quoddam deficere est. Audi August. cùm de peccatis agitur nullam prorsus volo de MARIA facere mentionem. Concipere enim, & parere meruit, quem constat, nullum habuisse peccatũ, nec ex parte Dei, quoniam semper Deus paratus est gratiam infundere, & ipsa semper parata erat ipsam recipere, cùm nihil haberet impediens, vt ostendetur in sequentibus, nec ex parte proximi, quia semper fuit in proximum clementissima. Exemplum de visitatione Elisabeth. Quare benè de ipsa dici potest. *MARIA optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea in æternum.* Tertia dignitas dicitur singularis operationis, ibi: *Et in habitatione sancta coram ipso ministraui.* Ministrare enim humilitatis est, coram ipso ministrare puræ intentionis est, sed in habitatione sancta ministrare maximæ dignitatis est

Psalm. 2. *Mat. 17.* *Prou. 8.* *Magist. 2 sent.* *Eccl. 24.* *Apoc. 3.* *Eccl. 24.* *Ioan. 11.* *Eccl. 24.* *Luc. 10.*

est. Triplici enim in loco Virgo gloriosa ministrauit humiliter. Primò in Templo, in quo fuit oblata puella. Secundò in habitatione Sancti habitaculi, in quo fuit ab Angelo salutata. Tertiò in habitatione cœli, in quo, & super quod fuit singulariter exaltata. In prima habitatione, scilicet Templi, Deo ministrauit beneficia laudis. Psalmus 28. *In Templo eius omnes dicent gloriam.* Psal. 28. Item beneficia orationis. *Quia domus mea, domus orationis vocabitur.* Mat. 21. Item beneficia benedictionis. Psalmus 67. *In Ecclesijs benedicite Dominum.* Psal. 67. Quæ Virgo perfectè impleuit. Cantic. vltimo. *Quæ habitas in ortis*, id est in clausura templi, *amici*, id est Angeli, qui fuerunt semper familiares illi, *auscultant te*, orantem. *Fac me audire vocem tuam*: Scilicet laudantem Deum. Cant. vl. Hæc sunt animæ philocaptæ verba in amore Virginis. In secunda autem habitatione ministrauit magnam honestatem, quia eam Angelus in domo clausam inuenit, vt Virginem decet. Item magnam pudicitiam, quia turbata est, id est, verecundata. Item magnam prudentiam, quia cogitabat, qualis esset ista salutatio. Item magnam castitatem, quia dixit. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* id est non cognituram propono. Item & obedientiam perfectam simul cum humilitate, quia dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi, &c.* Lucæ 1. In tertia verò habitatione ministrauit pro nobis pias allegationes: Inde illi cantamus. Eia ergo Aduocata nostra, & cętera. Audi Bernardum. Securum habes, ò homo accessum ad Patrem vbi stat mater ante filium & cætera. Et ita habes probatam auctoritatē, prædictam Conclusionem. Secundò probatur eadem Conclusio ratione. In vno quoque genere est dare vnum primum, sed in ordine animarum est perfectio quædam, vt patuit notabili præcedenti; ergo in illo dabitur vnum primum? Sed nulla videtur alia, quàm anima Virginis, quoniam anima Christi erat vnita hipostati cè, non loquor de illa. Tertiò hæc Conclusio probatur exemplo, quoniam Deus tam miro modo, vt visum est, suam potentiam in Virgine ostendit, ideo in ea ipsa die qua nata est, Angeli summam lætitiam faciunt. Vnde legitur de quodam viro sanctæ vitæ, qui singulis annis præter solitam, armoniam quandam in nocte Natiuitatis Virginis audiebat in cœlis, qui cum super facto miraretur, quod nonnisi tali nocte id sentiret, Deum orauit, vt quid hoc significaret, ostenderet. Apparuit illi Angelus, & dixit Virgo gloriosa, quæ Deum Dominum genuit, hac nocte nata est, & homines illam ignorant. Factū nudat Pontifici, & exinde celebris festiuitas fuit in Ecclesia Dei facta. Quare, &c.

Et sic patet præsens Conclusio.

A *Quòd singulari admiratione creauit Deus Virginem gloriosam magis, quàm Angelos, & totum orbem.*

CONCLVSIO III.

ACcipe tertiam Conclusionem: videlicet. Maiorem admirationem humanis mentibus reliquit Deus in Virginem creando, quàm reliquerit in creando Angelos, & totum orbem. Hæc Conclusio similiter probatur auctoritate, ratione, & exemplo, & primò ratione, quoniā facilius auctoritates intelligentur. In creatione Angelorum, & totius orbis nihil Deo tam de potentia eius absoluta, quàm ordinaria repugnās fuit. Quoniam, vt dictum est ante: *dixit, & facta sunt.* Genes. 1. Sed in creatione Virginis Deo secundùm potentiam ordinariam multa repugnantia fuerunt; ergo maiorem admirationem reliquit Deus in Virginis creatione, quàm Angelorum, & totius orbis. Maior huius rationis satis nota. Sed minor probatur. Nam in creatione Virginis ab æterno decreuerat, quòd semper Virgo esset, nec tamen remaneret infœcunda. Remaneret quidem Virgo ante partum, in partu, & post partum, quod de potentia ordinata * fieri non poterat. Item ab æterno decreuerat, quòd hæc benedicta Virgo sine virili semine conciperet, non hominem, sed Deum, & hominem. Et hæc de potentia Dei ordinata erant impossibilia. Natura enim non patitur, quòd Virgo concipiat sine virili semine: cùm in semine virili consistat virtus formatiua, vt dictum est præcedenti sermone Item non patitur, quòd generetur Deus, & tamen gloriosus Deus de potentia sua absoluta omnia prædicta in gloriosa Virgine perfecit; quoniam & Virgo Deum genuit, & Virgo semper fuit, atque permansit. Quod autem de potentia sua absoluta id Deus fecerit, patet, quia si non fecit aut hoc, quia non potuit, aut quia illud repugnans habuit, non est dicendum, quia non potuit, quia quæ voluit fecit, in cœlo, & in terra. Eccles. 24. *Terribilis Dominus, & magnus, & vehementer mirabilis potentia ipsius.* Eccle. 24. Et 2. Paralip. 9. *In manu*, inquit, *tua virtus & potentia, nec quisquam resistere potest.* 1. Par. 9. Nec est dicendum, quòd habuerit aliquod repugnans, quia aut erit nihil, aut aliquid, non est dicēdum, quòd nihil: ergo aliquid. Si aliquid, aut illud erit creatum, aut increatum. Si creatum, ergo potest illud Deus annihilare, sicut potuit illud creare de nihilo. Si increatum, manifestum est, quòd illud est Deus, & si Deus est in se diuisus, quomodo stabit Regnum eius? *Omne enim Regnum in se diuisum desolabitur.* Lucæ 11. Lucæ 11. Quare cum nihil creatum, aut increatum potentiæ Dei abso-

* *ordinari*

absolutè resistere possit, manifestũ est, quòd illud facere potuit. Quare & cætera. Secundò hæc Conclusio probatur auctoritate. Audi Eccles. 44. capit. sui vaticinij: *Conuertimi*, inquit, *me ad vnam portam sanctuarij exterioris, quæ respicit ad Orientem, & clausa erat: & dixit Dominus ad me, hæc porta clausa erit in æternum, & non aperietur: & vir non transiet per eam, quoniam Deus Israel ingressus est per eam*, id est ingredietur, accipiens præteritum pro futuro, Prophetarum more. Super hoc verbum *Sanctuarij exterioris* Notandum secundùm D. Thomam 1. 2. quæst. 20. Quod Iudæi non habuerunt, nisi vnum Tabernaculum, vel vnum Templum ad excludendum idolatriam, quoniam Gentiles pluribus vtebantur. Secundùm Deorũ diuersitatem; ideo vt in animis hominum vnitas vnius Dei firmaretur, vnum Tabernaculum, & vnum Templum habebant. Synagogas tamen plures habebant, quæ loca quædam erant, ad quæ, vt Deum orarent, Prophetæ conueniebant, & legem docebant. Templum autem locus erat sacrificij, & Synagoga doctrinæ: Templum ergo ipsorum in duas partes distinguebatur. Vna pars dicebatur sancta sanctorum, & ista erat Occidentalis, & alia dicebatur sancta, & ista erat Orietalis, & diuidebatur pars ista per quoddam velum. In sancta sanctorum solus Sacerdos, & semel in anno introibat. In alia parte, id est, sancta, introibant Sacerdotes quotidie, non autem populus. Sed solùm quando sacrificare volebant in atrio, vbi sacrificia offerebantur, introibant. Omnibus igitur alijs dimissis, quæ si videre peroptas, Thomam, vbi supra lege. Hæc solùm pro nostro proposito notare debemus, quòd sancta sanctorum significabat seculum alterum, quia sicut Occidetalis plaga finis est mundi; ita sancta sanctorum, id est, seculum alterum finis est perfectionis nostræ. In sancta verò, quæ dicebatur Tabernaculum exterius, præsens seculum significabatur, & erat à parte Orientali, quia à parte Orientali in hoc mundo lumen gentium, quod est Christus apparere debebat. Inde Propheta ille Zacharias cecinit suo in cantico. *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos Oriens ex alto. Illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* His sic notatis: accipe modò auctoritatem Ezechielis allegatam. *Vidi*, inquit, *portam sanctuarij, quæ respicit ad Orientẽ.* Hæc porta Virgo gloriosa est, porta quidem huius seculi, per quam ingressus est Deus in hunc mundum, vt omnes illuminaret. *Et clausa erit*, in æternum, quia Virgo ante partum, Virgo in partu, Virgo post partum. O Virgo benedicta, ò Virgo sancta, ò Virgo virga sublimis, ò verè cœlestis planta, pretiosior cunctis, sanctior vniuersis, per te accessum habemus ad filiũ, vt ait gloriosus Bernar. Sed ista non possunt verificari de Angelis, nec toto orbe: ergo Conclusio nostra vera. Tertiò hæc Conclusio probatur exemplo; nam sancti Angeli tantùm Virginis dignitatem mirantur, & contemplantur. Cant. 6. *Viderunt eam filiæ Syon*, id est Angeli: Syon enim speculatio interpretatur, & Angeli semper speculantur faciem Patris, qui in cœlis est: ergo à fortiori humana natura debet illam admiratione summa contemplari. Inde ipsa ait. Lucæ 1. *Beatam me dicent omnes generationes.* Et ideo loquente Iesu ad turbas: *Extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti.* Luc. 11. Quare, &c. Et sic patet prima pars huius Sermonis.

Ecclc. 44.

Cantic. 6.

Luc. 1.

Lucæ 11.

Lucæ 1.

Eze supr.

De perfecta participatione Virginis gloriosæ.

CONSIDERATIO II.

SEcundo loco Virginis gloriosę perfectam participationem videamus, quia dixit: *Omnia mea tua sunt*, quasi dicat, omnem dignitatem, excellentiam, & nobilitatem à te accepi, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum, quia omnia tua sunt, diuidisque singulis ad libitum. Vbi tres subiungamus Conclusiones, videlicet. Prima Conclusio est ista: Etsi Deus miris modis animam Virginis crearit, & corpus purissimum fecerit generari; non minus maris modis corpus, & animam Virginis in esse conseruauit. Secunda Conclusio est ista. Tantum ac tale signum dignitatis in Virgine ostendit Deus, & salua reuerentia Dei, nec maius, nec excellentius, quàm fecerit in Virgine facere potest, aut vnquam fecit. Tertia Conclusio est ista. Etsi Deus cuncta, quæ non derogant suæ maiestati, possit facere ad libitum, tamen nunquam fecit, aut vnquam faciet indiuiduum humanum, sic ad gratiam diuinam; sicut Virginem gloriosam, tam miro modo dispositum.

De conuersatione Virginis.

CONCLVSIO I.

ACcipe primam Conclusionem & cætera, vt supra: Pro declaratione huius Conclusionis est notandum, quòd non solùm Deus res creat, sed perficit, & etiam conseruat: nullus enim artifex sui operis destructionem quærit. Audi quæso, anima mea, pulcherrimum rerum conseruationis diuinum ordinem. Primò namque Deus materiam creauit informem, postea illam debitis perfecit formis,

mis, lineamentis, menſuris, & cæteris qualitatibus quidditatiuis, & qualitatiuis, quæ ad perfectionem vniuſcuiuſque non tantùm ſpeciei, ſed etiam indiuidui pertinebant, & ad ornatum cuiuslibet rei. Ornauit namque, terram terrenis, aquaticis aquas, aerem volucribus, ſyderibus cœlos, empyreum Angelis, & eos mira decorauit pulchritudine, & diuerſitate, ſicut ſtella à ſtella differt in claritate, animam verò humanam cum in creatione ſua fiat, tamquam tabula raſa, in qua nihil eſt depictum, oportet, vt illam perficiat virtutibus ſuperinfuſis, & ideo qui virtutes à Deo non habent, veras non habẽt virtutes; ſed virtutum imagines. Vt dicit Hieronymus Barbatus contra iniquum Iulianum. Et ideo Deus Adæ virtutes, quas inuenire non poterat, ex gratia donauit: vnde in maximæ perfectionis ſignum nomina ſingulis rebus Adam poſuit, quas tandiu conſeruauit, quãdiu ſub obedientia ſtetit, ſed cùm inobedientia cecidit, *comparatus eſt iumentis inſipiẽtibus, & factus eſt ſimilis illis.* Et ita glorioſus Deus ſicut cunctas res ſecundùm ſuas naturas creauit, ſic conſeruauit, & conſeruat. Et vnaquæque res, quæ naturaliter operatur, ſuæ conditionis obedientiam ſeruat. Ecce terra nunquam per continuas generationes, & corruptiones innumerabilium rerum producere ceſſat copioſam multitudinem, vt vermes, arbores, lapides, metalla, &c. Et ipſa in æternum immobiliter, quieſcit: in aqua ſimiliter fiunt alterationes plurimæ, non tamẽ tot, ſicut in terra, ſed plures quàm ſint in aere. Quis enim ſufficit numerum æſtimare piſcium, qui trahuntur ex aqua? Ignis verò, etſi pauciſsima nutriat generabilia, & corruptibilia, ſicut ſalamandram, & forte alia quædam; tamen in ſphera ſua multas patitur alterationes, & noua generat, vt cometam, & ſimilia. Cœli verò peregrinas impreſsiones non ſuſcipiunt, non enim alterari poſſunt, niſi iuſſu diuino. O Deus meus quanta immutatione felici ſpiritus angelici conſeruandi erant, atque nobiles animæ primæ; ſi peccato nefando etiam inferiores brutis factæ non eſſent! Et conſeruantur de facto, qui brutales conditiones in ſe non admittunt, ſicut teſtatur Propheta. *Non dedit,* inquit, *commoueri pedes meos.* Hoc ſic notato, quàm miro modo Virginem Deus conſeruauerit in eſſe, ratione, auctoritate, & exẽplo monſtratur. Ratione ſic, ſi Deus cuncta, quæ creauit, ſecundùm eorum naturas miro modo conſeruat, vt dictum eſt in notabili, quam miro modo Virginem glorioſam, quàm cum tanta excellentia, potentia, & miratione creauit; debuit ſecundùm animam, & corpus conſeruare pro tanto, vt nihil magis. Decuit enim Deum, vt illam, quam ſibi in matrem elegerat, filiali protectione ſeruaret, Quare & cætera. Secundò auctoritate probatur ſic. Audi Prophetam. *Sanctificauit,* inquit, *Dominus Tabernaculum ſuum,* id eſt, omni plenitudine ſanctitatis decorauit, *Deus in medio eius non commouebitur.* Tamquam ſcilicet columna firma in medio domus. Quatuor enim angulis firmatur ſpiritualis domus, ſcilicet, gaudio, dolore, ſpe, & timore; Deus autem in medio ſuæ domus, id eſt in medio Virginis, in qua nouem menſibus habitauit, ſic eam firmauit, vt nunquam inaniter lętata ſit. Thob. 1. *Nunquam cum ludentibus me miſcui.* Et hoc Virginis temperantiam manifeſtat. Item ſic firmauit, vt nunquam vanè contriſtata ſit. Prouerb. 21. *Non contriſtabit iuſtum quicquid ei acciderit.* Ergo multò magis matrem iuſtitiæ, & hoc Virginis iuſtitiam oſtendit. Item ſic eã firmauit, vt nunquam de ſe præſumpſerit, quia dixit. *Ecce ancilla Domini.* Lucæ 1. & hoc oſtendit Virginis prudentiã. Item ſic eam firmauit, vt nunquam vano timore trepidarit. Prouerb. vlti. *Fortitudo, & decor indumentum eius:* & hoc oſtẽdit Virginis fortitudinem. Et non ſolùm Virginem in quatuor angulis, cum quatuor virtutibus cardinalibus firmauit: verùm etiam ex tribus virtutibus Theologicis totam circundedit. Vnde rationalem virtutem fide, concupiſcibilem charitate, & iraſcibilem ipſa ſperoborauit. O igitur quàm felix MARIA, ſic ſanctificata, ò quam beata, ſic virtutum infuſione firmata. Benè igitur dictum eſt. *Deus in medio eius non commouebitur.* Hierem. 13. *Nouum faciet Dominus ſuper terram, mulier circundabit virum.* Matth. 1. *Quod in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt* Quare, &c. Tertiò hæc Cõcluſio probatur exemplo. Refert enim Barbatus Hieronymus in Hiſtoria Ioachin, & Annæ, quod per annos 20. Anna & Ioachin vitam ſanctiſsimam ſine liberis duxerunt. Cum autem Ioachin in encenijs Ieroſolimam aſcendiſſet, Iſaac Pontifex videns eum inter ciues ſuos cum oblatione aſtãtem, illum cum ſuis muneribus ſpreuit: dicẽs eum cum ſuis muneribus Deo gratum non eſſe, quem tanquam indignum prole iudicauerat. At ille pudore, & rubore confuſus, ad paſtores, qui cum pecoribus ſuis in paſcuis erant, ſeceſsit. Non enim domum reuerti voluit, ne fortè à cõtribulibus, qui hoc à Sacerdote audierunt, in eodem opprobrio vocaretur, cumque aliquandiu ibi moraretur, die quadam cum ſolus eſſet, immenſo eum lumine affecit Angelus, & ait: noli timere Ioachin, Angelus Dei ſum, vt quædam nunciem tibi. Ecce enim vxor tua pariet tibi filiam, & vocabis nomen eius MARIAM. Hæc enim erit, vt vouiſti, ab infantia ſua Deo conſecrata, & Spiritu Sancto replebitur ex vtero Matris ſuæ. Et immundum non come-

Pſal. 48. *Pſal.* 65. *Pſal.* 45. *Thob.* 1. *Prou.* 21. *Luc.* 1. *Prou. vl.* *Hier.* 13. *Matth.* 1.

comedet, nec bibet inter populos forinsecus, sed in Templo Domini erit conuersatio eius; vouerunt enim Ioachim, & Anna, si Deus eis sobolem daret, eam se ipsius seruitio manciparos; & cum venerit plenitudo temporis, ipsa filium altissimi generauit, Saluatorem omnium gentium; & sic ab eo discessit Angelus, & apparens Annæ eadem nunciauit. Itaque iuxta præceptum Angelicum de locis, in quibus erant, discedentes Ierosolimam, ascenderunt, & ad portam auream simul obuiantes, de mutua visione lætantur, & securi Domino debitas gratias reddiderunt. Concepit ergo Anna, & peperit filiam, & vocauit eam MARIAM. Et cum trium esset annorum, eam ad Templum duxerunt, & seruitio Dei manciparunt, & ita eam cum alijs in Templo nutriendam relinquentes, domum redierunt. Et vt refert Iacobus filius Ioseph, in libro de infantia Saluatoris. Virgo gloriosa illa in ætate 13. annorum, ita compositò gressu ambulabat, & diserte loquebatur, & diuinis orationibus insistebat, vt in ætate iuuenili auctoritate senum obtineret, sed hoc fieri non potuisset, nisi omnipotens Deus de qua concipi, & nasci debebat, summa cum virtute in seruitio eius conseruasset. Quare, &c. Et sic patet ista Conclusio.

De mirabili magnitudine Virginis.

CONCLVSIO II.

ACcipe secundam Conclusionem, videlicet: Tale, ac tantum signum dignitatis ostendit Deus in Virgine, vt salua reuerentia Dei, nec maius, nec excellentius, quàm fecerit in Virgine, facere potest, aut nunquam fecit. Pro declaratione huius Conclusionis, notandum est, quòd magnum, & paruum sunt passiones quantitatis secundùm se, sed prout sunt in aliquo, sunt termini prædicamenti relationis. Hinc est, quòd vnum, & idem pro eodem tempore dicitur paruum, & magnum per comparationem ad diuersa. Magna quippe est potentia Papæ per respectum ad Episcopos, minima verò per respectum ad diuina. Magnæ sunt diuitiæ Perusinorum, sed minimè per respectum ad diuitias Venetorum. Magna est Ciuitas Bononiæ, sed minima per respectum ad Romam, & sic de alijs. Et vt magnitudinem Virginis ostendamus, plura in seculo magna discurramus. Magnus certè est orbis Lunæ, per respectum ad quatuor elemementa, sed maius cœlum Mercurij. Magnum est cœlum Mercurij, sed maius cœlum Veneris; & sic discurras vsque ad cœlum Empyreum. Descendimus ad opera magna Dei in hoc mundo inferiori. Magnum quippe fuit, quòd signis multis, & portentis insolitis in manu forti frequenter populum Hebræorum liberauit. Magnum, quòd quadraginta annis eundem populum suo manna pauit. Magnum, quòd mel eduxit de petra, & oleum de saxo durissimo. Et sic de alijs magnis in veteri factis testamento. Sed in nouo quis non stupescat in enarratione singulorum? Pauca tamen ad præsens colligamus. Magnũ certè fuit mortuos suscitare, cæcos illuminare, dęmones effugare, de paucis panibus magnam turbam satiare, super aquas siccis pedibus ambulare, & sic de alijs. Hæc quidem, anima chara, magna per comparationem ad minora, sed minima ad maiora quæ facta fuerunt in Virgine. Altiùs ascendamus. Magnum quippe est, vt cuilibet animę Angelum vnum bonum deputarit. Magnum quod tantorum Angelorum multitudinem ad nostri seruitium fecerit. Mittuntur enim ad nos, & orationes nostras in cœlos ferunt. Magnum quod tãta sit Beatorum spirituum multitudo, & specifica differentia differant omnes, vt quidam aiunt, vel plures sint in vna specie, sicut alij dicunt; magnum est, quod superiores inferiores illuminant, & sic de alijs. Hæc quidem magna sunt per comparationem ad minora. Minima verò per respectum ad ea, quæ facta sunt in Virgine. Et hoc probo, ratione, auctoritate, & exemplo. Ratione, sic accipe prima magna, quæ numerauimus: Et primò cœlum. Magnum certè ipsum fecit, similiter, & terram; sed non à Deo magnam, vt sui capacem fecit. Corpus verò Virginis minimum formauit, in quo essentialiter totus Deus est contentus. Vnde cantat Ecclesia. Sancta, & immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam nescio, quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti. Magnum præterea fecit populum Hebræum liberare, Pharaone cum suis in mari rubro submerso In Virgine verò, non vnũ populum, sed totum humanum saluauit genus Diabolo infernali deuicto. Ioann. 12. *Nunc Princeps huius mundi eijcietur foras*. Magnum fuit grandem paucis panibus satiare multitudinem; sed maius est, quòd in Virgine panem hominum, & Angelorum fecit. Magnum fecit, quòd manna descendit de cœlo; sed maius, quòd Deus in Virginis vterum totus descendit de cœlo. Et vt breuiter omnia magna in creaturis facta breuiter comprehendam. Nihil in eis tam magnificum dictu, quin vno solo actu, Virgo gloriosa omnes exsuperet. Ecce magnum, immo maximum omnium. Illum enim, quem genitum ex Patre æternaliter dicimus, & non factum, qui cum Patre consubstantialis est, & æqualis, in Virgine factum, & minoratum dicimus Psalm. 8. *Minuisti eum paulò minus ab Angelis*. Et ad Philip. 2. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinaniuit for-*

Ioan. 12.

Psalm. 8.
Ad Phi. 2

formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo. Beatus Auguſtinus libr. de Trinit. dicit, quod nomine formæ Dei intelligitur natura diuina, nomine formæ ſerui intelligitur natura humana. Nicolaus autem de Lyra dicit, quòd quadruplici ratione natura diuina appellatur forma Dei. Primò propter ſui immortalitatem, quia ſolus Deus omnino eſt immortalis. Secundò propter ſui formoſitatem, quia omnis pulchritudo in ea eſt. Tertiò propter ſui diffuſionem, vel communicabilitatem, quia omne eſſe eſt à forma. Quartò propter ſui exemplaritatem, quia eſt omnium idea, & exemplar, quia nõ habuit aliud exemplar Deus, ad cuius ſimilitudinem cuncta crearit, niſi ſeipſum, vnde exclamare libet. O magna & miranda, ò ſtupenda, & inconſueta benignitas! Deus fit homo, & homo Deus, quod erat hominis accepit Deus, & quod erat Dei accepit homo. Infinitus fit finitus, æternus ex partu fit temporalis. Immortalis fit mortalis, ditiſsimus pauper, & egenus. Vnde Chriſtus ait Matth. 11. *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput ſuum reclinet.* O glorioſa puella concipis Deũ, generas Deũ, lactas Deũ. Quis vnquã iſta audiuit, Patres? Natura non capit, vſus neſcit, ratio humana nõ comprehendit, caligantur oculi, ſtupeſcunt aures, turbantur omnes ſenſus, nec nõ Angeli nõ comprehẽdunt. Mundus pugillo continetur, ſphera cẽtro clauditur, in centro iacet circulus, de vaſe prodijt figulus, fontem excedit riuulus, pars excedit totum, lux mõſtratur per ignotum, ſtella gignit ſolem, Virgo Sancta nutrit prolem. Hæc autem omnia, & ſingula huiuſmodi de nulla creatura alia verificari poſſunt. Ergo & cætera. Secundò hæc Concluſio probatur auctoritate. Audi ipſam. Eccleſ. 24. de ſe loquente. *Ego*, inquit, *feci in cœlis, vt oriretur lumen indeficiens, & ſicut nebula texi omnem carnem*: expone ſic. *Ego*, ſupple materiam in conceptione verbi miniſtrando *feci*, & Spiritus ſanctus formando. Dimittamus difficultatem Scotizantium, an Virgo aliquomodo concurrerit effectiuè, aut ſolum paſsiuè, vt volunt plures? *Feci in cœlis*, id eſt, opus attingens vſque ad cœlos, & primò ſuperiores cœlos materiales, quia de Conceptione, & Natiuitate Chriſti, & Virginis tota cœleſtis curia iubilauit, & gaudet, & collaudat Filium Dei. Secũdò attingẽs cœlos ſpirituales, & inferiores, quia lætificauit totam Eccleſiam; Virginis enim natiuitas gaudium annũciauit vniuerſo mundo. Tertiò cœlos inferiores, & corporales, & ſpirituales ſimiliter, quia humana natura ad diuinam viſionem eleuatur. Ego igitur feci in cœlis, id eſt, opus altum vſque ad cœlos, vt oriretur lumẽ indeficiẽs, id eſt, Chriſtus Ieſus, qui eſt lumẽ illminãs omnem hominem venientem in hũc mũdum, & verè indeficiẽs, quia nũquam eclypſatur, nec diminuitur, nec vnquam in ſe decreſcit, quia hoc eſt imperfectionis, quod diuinæ derogat dignitati. Et ſicut nubecula texi, id eſt cooperui omnem carnem, id eſt, omnem populum, & gentem. O quoties hæc ſancta nubecula refrigerat æſtum diuinæ indignationis exortum, & hoc cum impetus areſcentis ſolis, id eſt, Dei irati, & ſeuientis in nos in ſe recipit, oſtẽdẽs filio pectus, & vbera, vt ait glorioſus Bernardus, & Geneſ. 9. *Arcum meum*, inquit, *Dominus, ponam in nubibus cœli*. Nubes cœli, caro Virginis, & caro Chriſti ex Virgine eſt, in quibus arcus, id eſt, Filius Dei poſitus eſt in ſignum diuinæ reconciliationis, & hoc mediante nube, id eſt Virgine, quia arcus non generatur, niſi ex nube aquoſa, vt vult noſtra philoſophia. Quare & cætera. Hoc autem verificari non poteſt niſi de Virgine glorioſa. Ergo Concluſio noſtra vera. Tertiò hæc Concluſio probatur exemplo. Nam ſi Salomon ſummè matrem ſuam magnificauit. 3. Reg. 2. Nonne hic, qui pluſquam Salomon eſt, ſuam debuit matrem ſuper omnia creata, & creabilia magnificare? Certè ſic. Quare Concluſio clara, & cætera.

Mat. 11.

Eccl. 24.

Geneſ. 9.

3. Reg. 2.

De ſingulari diſpoſitione Virginis ad gratiam Dei.

CONCLVSIO III.

ACcipe Tertiam Concluſionem, videlicet: Etſi Deus cuncta, quæ ſuæ maieſtati nõ derogant, poſsit facere ad libitum; tamen nunquam fecit, aut nunquam faciet, indiuiduum ſic ad gratiam diuinam, ſicut Virginem glorioſam tam miro modo diſpoſitum. Hæc Concluſio probatur, ratione, auctoritate, & exemplo. Ratione quidem ſic cauſa actiua taliter effectum in paſſum producit, qualiter paſſum eſt diſpoſitum; ſecundò de anima actus actuorum ſunt in patiẽte prædiſpoſito, ſicut exempli gratia ignis maiorem effectum producit in ligno, quàm in lapide, in eodem tempore, & æquali diſtãtia, & cæteris paribus. Item maiorem effectum in ligno arido, quàm viridi producit, & maiorem in propinquum, quam in diſtãs. Sed glorioſa Virgo ex ſuperioribus fuit Deo vicinior, & propinquior omnibus creaturis, vt etiam ex effectibus patet Virgini communicatis, alijs creaturis non; ergo in ea fuit maxima diſpoſitio ad omnes illas perfectiones, quàm in aliqua alia creatura. Si enim non fuiſſet magis diſpoſita cunctis creaturis, in ea tanta non feciſſet, quæ nunquam fecit, aut faciet

cietin aliqua creatura: Et confirmatur. Nam si Deus mirabilis est in sanctis suis, & in cūctis rebus secundùm eorum naturam, qualis esse debet in Sancta sanctorum, quæ est sibi singularissima Mater? Certè mirabilior, quàm in cunctis creaturis. Quare & cætera. Secundò hæc Conclusio probatur auctoritate. Audi quid ipsa dicat. Eccles. 24. *In me*, inquit, *omnis gratia, viæ, & veritatis: In me omnis spes, vitæ, & virtutis, transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini*. In quibus dulcissimis verbis audi primo humilem commendationem. Secundo benignam inuitationem. Et tertiò sufficientem impletionem. Audi primò humilem commendationem. In me, inquit, omnis gratia, viæ, scilicet Iesus, qui est summa via. Ioan. 6. *Ego sum via, veritas, & vita*, & hoc respicit affectum. *In me omnis gratia veritatis*, id est Iesus, qui est summa veritas. Ioan. 6. vt supra, & hoc respicit intellectum. *In me omnis spes vitæ*, id est Iesu Christi, qui est vita beatorum. Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*. Et hoc respicit memoriam. *In me omnis gratia virtutis*, id est Christi Iesu, qui est summa virtus. Ioan. 3. *Ego veni, vt vitam habeant*, ideo dicitur: Ioan. 1. *De plenitudine eius omnis recipimus gratiam*. Et hoc quantum ad omnes vires animæ. Secundò audi benignam inuitationem: transite, inquit, ad me omnes, qui concupiscitis me, quasi dicat, si non me habetis, vobis imputetis, quod non concupiscitis me. Audi Bernardū in sermone. Ille solus, inquit, ò Virgo beata, tuas laudes fileat, qui te fideliter inuocatam senserit in suis necessitatibus sibi defuisse, & quid mirum si vocata adest, quæ etiā non vocata præsto est? Hæc ille, qui ergo vult vitam corporalem, transeat ad me, quia qui est vita, id est, causa vita omnium, est apud me, & ipsum inuenietis, vt filium apud matrem. Ioan. 1. *Vita erat lux hominum*. Qui vult vitam spiritualem, transeat ad me, quia in me est spes vitæ spiritualis. Ioan. 14. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. Qui vult vitam veritatis, quæ ad præsens non est in mundo. Oseæ 4. *Non est veritas, non est scientia Dei in terra, non est misericordia*: veniat ad me, quia in me omnis vita veritatis, & inuenietis illam, quia caro mea est. Vt dicit Augustinus super Psalmos. Adorate scabellum pedum eius: caro, inquit, Christi de carne MARIÆ est. Qui vult viam virtutis, veniat ad me, quia genui omnem virtutem, id est, qui præstat omnem virtutem. Iacob. 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descēdens à Patre luminum*, id est à Christo, qui est origo omnium gratiarum. Ioan. 1. Quare, &c. Tertiò audi sufficientem impletionem, *quia à generationibus meis adimpleminī*, & dicit in plurali, à generationibus meis, quoniam tot sunt perfectiones genitæ Virginis, quòd ab vno intellectu concipi nō possunt, nec vno generationis modo imprimi. Ideo sancti Virginem diuersimode in spiritu appellarunt. Balaam sub metaphora stellæ. Numer. 14. *Orietur stella ex Iacob*. Salomon sub metaphora auroræ, Solis, & Lunæ. Cantic. 6. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol?* Et sic de alijs, vt Deo duce in sequenti ostendemus. Quare Conclusio nostra satis claret ex auctoritate. Tertiò probatur exemplo. Nam si Sem, & Iaphet Patrem denudatum honorauerunt, & propter hoc benedictionem Patris susceperunt. Genes. 9. Quantò magis Deus Virginem, cuius filius esse debebat, matrem suam aliqua ex parte, tam corporis, quàm animæ nudam gratiæ suæ vestimento relinquere non debebat? Quare, &c. Et ideo ait beatus Hieronymus, in sermone Assumptionis. Cæteris per partes præstatur in MARIA tota se infundit gratiæ plenitudo. Et sic patet Conclusio præsens.

De reciproca retributione Virginis.

CONSIDERATIO III.

TErtio loco Virginis gloriosæ reciprocā retributionem videamus, quia ait: Tu semper mecum es. Vbi tres Conclusiones faciamus. Videlicet: prima Conclusio est ista: Mirabiliori modo fuit Christus in ventre Virginis, quàm quotidie ministratu in Altari. Secunda Conclusio est ista: Perfectiori modo suscepit Christum Iesum Virgo in eius vtero, quàm sumant illum fideles in Pascha, aut alio tempore cōmunicando. Tertia Conclusio est ista: Quia Virgo gloriosa magis, quàm aliqua creatura fuit semper cum Christo; meritò constituitur hæres Christi in toto Regno cœlesti.

Qualiter Christus fuit nouem mensibus in vtero Virginis mirabiliori modo, quàm in Hostia, & Calice in Altari.

CONCLVSIO I.

ACcipe primam Conclusionem & cætera. Primò declaratione huius notādum est, quòd corpus Christi in Altari consecratum, est idem corpus, quod fuit in vtero Virginis, sed differenter, quoniam in Altari est glorificatum sub alijs speciebus ābscōditum. In Virgine autem mortale, passibile, & cum proprijs qualitatibus sociatum. Namsecundùm

dùm Theologiam noſtram Chriſtus Ieſus in inſtanti ſuæ conceptionis fuit perfectus homo, vt etiam dicit Gloſſ. in clement. 1. de ſum. Trinit. ſuper verb. vnitas, & per conſequens omnes defectus noſtros aſſumpſit præter ignorantiam, & peccatum, quoniam ſuæ dignitati derogabant. Et ideo pati potuit calorem, frigus, famem, & ſitim. Vt etiã ibi notat Gloſſ. ſuper verbo paſsibile, & plura pulcherrima notantur ibidem in Gloſſ. ſuper verbo virginali, & ſuper verbo Cruci. In Gloſſ. ſuper verbo vriginali ponitur, quare potiùs natus eſt ex MARIA magis, quàm ex alia, & ſuper verbo Cruci notatur, quare Chriſtus elegit ſibi mortem Crucis, & quare crux Chriſti eſt de quatuor lignis, & quare magis adoramus Crucem, quàm aſinã, qua Chriſtus equitauit? Notatur perfectè, de conſecrat. diſt. 3. capit. Crucis. Sed iſta dimittamus: ſufficit ergo notare, quòd Chriſtus in inſtanti Conceptionis fuit perfectus homo quantùm ad organizationem membrorum, & cũ omnibus per conſequens conditionibus humanis, ſed in calice, & hoſtia nõ eſt cũ cõditionib⁹ humanis. Hoc prę ſuppoſito probatur hęc cõcluſio, auctoritate, ratione, & exẽplo; ratione quidem ſic: Quandocumque aliquid eſt in altero ſecundùm aliquam conditionem non ſibi conuenientem ſecundùm naturam ſuam, & dicat perfectionem perfectiſsimam in illo; in altero autem ſit ſecundùm conditionem propriam, & dicat etiam perfectionem perfectiſsimam, mirabiliori modo eſt in primo, quàm in ſecundo. Sed Deus fuit in vtero Virginis ſecundùm conditionem non ſibi conuenientem, id eſt cum humanis conditionibus, in hoſtia autem non, ſed ſecundùm conditionem propriam. Nam quòd Deus ſit in hac hoſtia, & in illa, hoc eſt proprium Dei, quod ſit vndique; ſed in vtero virginali eſt eo modo, quo ibi erat, nullibi erat, quod non eſt ita proprium Dei, nec eo modo, quo ibi erat poterat in pluribus vteris eſſe. Et per conſequens in hoſtia tenet modum Deitatis in eſſendo vbique, & idẽ eſt in pluribus hoſtijs. Non ſic autem in vtero virginali, quia ſic ibi clauſus erat, quòd non poterat in alio vtero eſſe eodem modo. Ergo mirabiliori modo fuit in vtero Virginis, quàm in hoſtia; nec intelligas mirabiliori modo, ideſt, perfectiori modo; quoniam perfectiori modo eſt in hoſtia, quia immortalis, & incorruptibilis, in vtero autem mortalis, & corruptibilis: ſed intellige mirabiliori, id eſt cum maiori admiratione, quoniam valde mirum fuit, vt Deus eſſendi rationes ſuas nõ obtineret, ſed tam vilis in mundo appareret. Inde Hierem. 31. dicitur: *Nouum faciet Dominus ſuper terram, mulier circumdabit virum.* Nouum quidem, & admiratione dignum eſſet: ſi Imperator, vel Papa in forma

Hier. 31.

A ſerui ingrederetur Ciuitatem; ſic nouum, atque mirandum, quòd totus Deus velatus humana carne in vtero vnius mulieris eſſet, & mundo, vt pauper appareret, atque deſpectus. Iſai. 53. *Nos reputauimus eum, quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum, &c.* Secundo hæc Concluſio probatur auctoritate. Audi quid ipſa dicat: Cantic. 3. *Inueni quem diligit anima mea, tenui illum, nec dimittam.* Felix, quę inuenit, felicior quę tenuit, & feliciſsima, quæ nunquam dimiſit. Tripliciter ergo Virgo Deum inuenit, & tenuit, ſcilicet, in corde per fidem, in ventre per conceptum, in Templo per contemplationem. Primò Virgo glorioſa Deum inuenit, & tenuit per fidem in corde. Per fidem enim Deus in cordibus hominum habitat. Ad Epheſ. 3. *Habitare Chriſtum per fidem in cordibus veſtris.* Et ad Rom. 10. *Corde,* inquit, *creditur ad iuſtitiam, &c.* Ex quo ſequitur, quòd vbi maior fides, ibi maior habitatio Dei. Fides autem Virginis omnium credentium fuit maior: ergo & in ipſius corde maior Dei habitatio. Audi glorioſum Bernardum: Tria, inquit, maximè mirabilia facta in conceptione Chriſti intueor, Deum hominem, Matrem Virginem, & cor virginis fidele, vt ſcilicet, tam firmiter crederet, quòd omnia, quæ in ſe fieri Angelus nunciabat, non dubitaret. Inde Deum Eliſabeth viſitaſſet, illam Eliſabeth de fide plurimùm commendauit, dicens. *Et beata quæ credidiſti, quia perficientur in te ea, quæ ſunt tibi à Domino dicta.* Lucæ 2. *MARIA autem cõſeruabat omnia verba, hæc conferens in corde ſuo, &c.* Secundò inuenit, & tenuit Virgo glorioſa Deum in ventre per conceptum, quia verum Deum concepit. Lucæ 1. *Quod enim ex te naſcetur ſanctum, vocabitur,* ſcilicet in veritate, *Filius Dei.* Pſalm. 131. *Elegit Dominus Syon,* id eſt Virginem. *Elegit eam in habitationem ſibi.* Bis dicit, elegit, quia Virgo virginitate placuit, ſed humilitate, & ſancta fide concepit: vt dicit Bernar. Tertio inuenit, & tenuit Deum in Templo per contemplationem. Cantic. 2. *Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Lęua, id eſt, vita actiua, dextera vita contemplatiua, quia his duobus brachijs Virgo Chriſtum amplexa eſt. Inde Chriſtum cùm quæſiſſet, in Templo diſputantem eum inuenit. Quare, &c. Iſta autem mirabilia in hoſtia non fiunt: ergo magis admirari debemus Chriſtum in ventre Virginis, quàm in hoſtia in Altari. Tertio hæc Concluſio probatur exemplo. Nam Chriſtus in ventre Virginis pro ſalute totius mundi fouebatur. In hoſtia autem ſolùm pro exiſtentibus in Chriſti gratia ad ſalutem immolatur. Egreſſo Chriſto de Virginis ventre, tota Ieroſolima turbatur, & Magi ab extremis finibus

Iſaiæ 53.

Canti. 3.

B

Epheſ. 3.
Rom. 10.

C

Lucæ 2.

Lucæ 1.

Pſa. 131.

D

Canti. 2.

cum

cum muneribus adorare per stellã ducũtur. Christo in Altari ministrato, nullum nouitatis signum demonstratur. Christo nato pastores Angelorum senserunt iubilationes. Christo immolato nulla sentitur armonia. Quare, &c. Et sic patet ista Conclusio.

Qualiter perfectiori modo Christus in ventre Virginis fuit, quàm sit in anima quorumcumque illum dignè in Eucharistia sumentium?

CONCLVSIO II.

ACcipe secundam Conclusionem: videlicet. Perfectiori modo suscipit Christum Iesum Virgo in eius vtero, quàm sumant illud fideles in Pascha, aut alio communicandi tempore. Pro declaratione huius primò videndum, quomodo Christus sacramentaliter sumptus à fidelibus sit in corpore, mentibusque eorum; quo viso, patebit Conclusio præsens. Nota ergo, quòd in Sacramento tria sunt, scilicet, caro, anima, & diuinitas. Et vnumquodque istorum suo modo aliquid operatur indignè suscipientibus illa. Nam caro Christi vnit sibi communicantis corpus. Anima vnit sibi communicantis voluntatem, & diuinitas vnit sibi communicantis intellectum. Et vt nos ipsos intelligamus, rem ponamus in terminis. Accedit quidam ad Sacramentum corporis Christi suscipiendum cum peccato mortali scienter; iste capit Sacramentum, non rem Sacramenti, & per consequens corpus illud diuinum non vnit sibi corpus illud nefandum, sed rapit, & tollit ab illo corpore quicquid habet in se vestigij corporis glorificati, vt sanitatem, fortitudinem, vitam, & quicquid boni reperitur in illo corpore mortali insertum secundùm naturalem inclinationem, licèt nobis non ita appareat. Ex quo sequitur, quòd illud corpus derelictũ à Christo min⁹ solito habet de vita, minus roboris, minus sanitatis, & sic de alijs.

1. Cor. 11 Hinc est, quòd post communionẽ indignam. *Dormiũt multi, & imbecilles multi sunt, & infirmi*, vt testatur Apostol. Et fit vnusquisque talis cum Iuda peior peiore; similiter anima Christi ad animam peccatricem non transit, sed sicut dictum est de corpore, dicẽdum est de anima; quoniam siquam bonam inclinationem reperit, in se illam trahit, propter quod fit longè deterior anima illa misera post communionem, quàm ante, & ad odium bonorum turpiùs inclinatur voluntas illa misera communicantis indignè, & tenaciùs malis adhæret. Similiter & Christi diuinitas ad intellectum indignè communicantis non accedit, sed recedit, vt sic loquar, cum deitate lumen fidei, si quid ibi inueniatur. Et hoc verè experientia docet, quòd indignè sæpius communicantes cernimus in dies in deterius ire, & quòd quotidie ad malum sunt procliuiores. E contra verò accipiamus dignè communicantem. Tũc corpus illud Christi benedictum corpus dignè sumentis sibi vnit, & virtutes, quas ibi reperit, roborat, etiam consumptis accidentibus in stomacho. Et per consequens desinente ibi esse corpore Christi, virtutes corporis, & animæ non recedunt, sed auctæ remanent, & per consequens vitam corporis auget, sanitatem, fortitudinem, & quæcumque sunt boua corporis. Item auget fidem, spem, & charitatem, & omnes ipsius animæ virtutes. O magne Deus, mihi gratiam præbe, vt eum celebro, te dignè sumam. Hoc sic notato, cõclusionem probemus, auctoritate, ratione, & exemplo. Ratione sic, consideretur Christus in vtero Virginis, & ex alia parte dignè sumptus in Sacramento. Tunc arguo sic, quantò magis quis dispositus est per gratiam ad Christum suscipiendum, tantò digniùs illum suscipit, sed Virgo glorioſa magis fuit dispositа ad Christum in eius vtero suscipiendum, quàm vnquam quisquam dignè communicans; ergo perfectiori modo fuit Christus in vtero Virginis, quàm in quocumque dignè communicante. Omnia nota sunt intelligenti. Ergo, &c. Et confirmatur. Quantumcumque quis dignè communicet, non potest euitare veniale peccatum, vt sæpe probauimus. 1. Ioan. 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, &c.* Sed Virgo nunquam aliquomodo peccauit. Cantic. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Et Sap. 7. *Candor lucis æternæ, & speculum sine macula.* Et August. cùm de peccatis agitur, nullam volo de MARIA facere mentionem. Ergo, &c. Secundò hæc conclusio probatur auctoritate. Audi Eccles. 43. *Vas*, inquit, *admirabile, opus excelsi.* Vas enim hoc excisum manu sapientiæ Dei; Virgo glorioſa est. Hoc enim vas triplici gratia fuit plenum, scilicet gratia infusa, diffusa, & effusa. Infusa in carnalium motuum represione. diffusa in mundi reconciliatione. Effusa in donorum, & gratiarum suarum largitione. Primò hoc, inquam, vas plenum fuit gratia infusa in carnalium morum represione. Eccles. 24. *In me omnis gratia vitæ, & virtutis, &c.* Secundò fuit plena gratia diffusa in mundi reconciliatione. Psalmus 44. *Diffusa est gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.* Diffusa tunc est gratia in labijs Virginis, quãdo ea proferẽte & dicente: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuũ*: mundus suæ discordiæ cum Deo recõciliationẽ accepit. Luc. 1. *Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Tertiò plena fuit gratia effusa, in do-

1. Ioan. 1.
Cant. 4.
Sap. 7.
Eccl. 43.
Eccles. 24
Psal. 44.
Luc. 1.

donorum, & gratiarum suarum largitione. Bernardus. Maria misericordiæ sinum omnibus aperuit, vt de plenitudine eius accipiat vniuersi captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, Angelus lætitiam, Filius Dei carnis humanæ substantiam, denique tota Trinitas gloriam. Hæc ille. Tertiò hæc conclusio probatur exemplo. Nam si corpus Christi mirabilia operatur indignè sumente, & est sub accidentibus velatum, quãtò magis debebat in propria forma in vtero Virginis existens operari? profectò nulli dubiũ, quòd cuipiã Christus est vnitus per gratiam, quòd præstantissimè vnitus fuerit in Virgine. Et sic patet conclusio præsens. Dic quid operabatur in vtero matris?

Bernard.

Quòd summopere Virgo Christi hæres est.

CONCLVSIO III.

ACcipe tertiam Conclusionem, videlicet. Quia Virgo gloriosa magis, quã aliqua creatura fuit semper cum Christo, meritò constituitur hæres Christi in toto Regno cœlesti. Pro veritate huius conclusionis notandum, quòd tota principalis ratio, quare creatus est homo, est vt Regnum æternum ad tempus possideret. Audi Gregorium in lib. moral. Ad hoc, inquit, erat potitus homo in Paradiso, vt se ad conditoris sui obedientiam vinculis charitatis astringeret, & ad cęlestem Angelorum patriam, sine carnis morte transiret. Hæc ille. Scis autem, anima mea, illũ in inobedientia corruisse. Ergo meritò priuatur hæreditate; sic enim iura volunt, quòd quicumque, aut parentibus suis manus iniecerit, aut grauem, & inhonestam iniuriam eis ingesserit; meritò exhæreditetur, & possit alius hæres institui, sed primus homo quantam Deo iniuriam intulerit peccãdo, nosces. Psal. 48. *Homo cum in honore esset, non intellexit.* Ergo meritò priuatur hæreditate, quia comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Ergo meritò debet alius hæres institui. Hoc præsuppositio, probo auctoritate, ratione, & exemplo cõclusionem nostram. Et primò ratione sic. Ille meritò hęres regni cęlestis debet institui, in quo nulla fuit causa ex hęreditationis, sed in Virgine nulla fuit causa exhæreditationis Ergo meritò illa hæres debet institui; consequẽtia nota cum maiori apud omnes iuristas minor patet. Numquam enim fuit, aut nũquam erit creatura, sic suo obediens creatori, sic referuans honorem, sicque voluntatis diuinæ conformis, sicut gloriosa Virgo. Ergo ipsa nullo pacto debuit exhæreditari, patet consequẽtia, quoniã nulla alia de causa priuiatus primus homo hæreditate, nisi quia illã non seruauit. Antecedens patet. Audi Ambr. lib. de verbis Domini. Quid, inquit, nobilius Dei mater? quid splendidius ea, quàm splendor elegit, quid castius ea, quæ corpus, sine corporis contagione generauit? & vt de cæteris eius virtutibus taceam, Virgo erat non solùm corpore, sed & mente, corde humilis, verbis grauis, animo prudens, loquendi parcior, legendi studiosior. Et multis connumeratis eius virtutibus, infra ait. Talem hanc Euangelista monstrauit, talem Angelus reperit, talẽ Spiritus Sanctus elegit. Quid enim in singulis moror, quæ digna fuit, ex qua Filius Dei nasceretur? Hæc ille. Et confirmatur ista ratio sic. Nullus primogenitus debet iure suo priuari, causa legitima non obstante, sed virgo, est omnium primogenita. Ergo iure suo priuari non debet. Primogeniti autem iure fiũt hæredes. Gen. 25. Ergo, &c. Pro declaratione huius rationis est notandum, quod cõmuniter istæ sunt conditiones primogenitorum, sunt enim priores in sede. Gen. 43. *Sederunt coram Ioseph primogenitus iuxta primogenita, & minimus iuxta ætatem,* & loquitur de fratribus Ioseph. Secundò primogeniti sunt in dignitate successores, vnde primogenitus Regis Rex est. Ge. 49. *Ruben primogenitus meus, maior imperio.* Tertio modo primogenitus potior est in hæreditate. Gen. 25. *Dixit Iacob,* scilicet ad Esau. *Vende mihi primogenita tua.* Ille respondit. *Ecce morior fame. Quid mihi proderunt primogenita?* Orta enim erat, tunc temporis ingens fames. Et secundùm vnam Glossam. Iacob illa prætulit verba solatiosè, tamen tactus à Spiritu Sancto, quia ad ipsum instituerat Deus rationem primogenituræ. Vt patet. Gen. 27. illa verba dixit. Quartò primogenitus est in veneratione nobilior. Gen. 27. *Tu es Esau primogenitus meus?* qui respõdit. *Ego sum.* Et pater ad eum. *Incuruentur tibi ante te filij matris tuæ.* Quintò primogenitus est in benedictione maior. Ge 27. *Qui benedixerit tibi, sit ipse benedictus* Sextò in veste delicatior. Gen. 27. *Vt sensit odorẽ vestimentorũ, &c.* Et loquitur de vestibus Esau. Hæ sunt conditiones primogenitorum principales. In his omnibus secũdùm spiritualia charismata, & spirituales prærrogatiuas Virgo gloriosa primogenita fuit, & breuiter singulas transeamus. Primò, nãq; fuit primogenita in sede, quia super omnes creaturas in cęlesti throno est exaltata. vt cantat Ecclesia. 3. Reg. 2. *Et positus est thronus matris Regis, iuxta thronum Regis.* Ps. 64. *Astitit Regina à dextris tuis.* Secundò ipsa est primogenita in dignitate. Esther. 2. *Adamauit eam Rex super omnes mulieres, & posuit diadema regni in capite eius.* Tertiò ipsa est primogenita in hæreditate. Eccl. 24. *Et in hæreditate Domini,* scilicet Iesu Christi Fili mei, qui est Dominus dominantium,

Ambros. de verbis Domini.

Ibidem.

Gene. 25.

Gene. 43.

Gen e. 49.

Gene. 25.

Gene. 27.

Gene. 27.

Gene. 27.

Gene. 27.

3. Reg. 2.

Psal. 64.

Esther. 2.

Eccle. 24.

*Prou.*10. *Eccl.* 25. *Lucæ.*1. *Iudit.*13. *Apoc.*12. *Colos.*1.

tium, *morabor*, Poruerbio.10. *Me cũ sunt diuitiæ*, & gloria. Quarto ipsa est primogenita in veneratione, & meritò, quia Mater Dei, & ideo sicut bonus filius honorat eam. Eccles.25. *Obuiabit illi quasi mater honorificata.* Quinto modo est primogenita in benedictione. Lucæ. 1. *Beatam me dicent omnes generationes.* Et Iudith.13. *Non recedat laus tua de ore hominum.* Sextò est primogenita in veste delicata, quoniam iam duplici gloria, scilicet corporis, & animæ est ornata. Apocal.12. *Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, &c.* Quare hæc conclusio est satis nota ratione. Secundò hæc conclusio probatur auctoritate, vno præsupposito, scilicet, quòd Virginis, & Christi est vna caro. Tunc audi Apostol. ad Colos.1. *In Christo*, inquit, *condita sunt vniuersa, in cœlis, & in terra, visibilia, & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, &c* Ergo sub Virgine gloriosa omnia in Filio suo condita erunt tanquam in singulari domina, audi Augustin. serm. Assumptionis. Si Christus, inquit, secum esse vult, eos, qui hic sua fide iuncti, vnum cum eo esse iudicantur, quid existimandum est de matre, vbi dignè sit esse collocata, nisi in præsentia Filij? Et infra Maria fide, & opere Christi ministratrix, si ibi non fuerit, vbi Christus ministros suos vult esse, vbi ergo erit? & si ibi fuerit, nunquid in æquali gratia? & si in æquali gratia, vbi æqua Dei censura, qui reddit vnicuique secundùm merita? Si meritò pro omnibus MARIÆ viuenti, donata est gratia, mortuæ erit minuenda? absit. Si enim omnium Sanctorum mors est pretiosa, MARIÆ sanè est pretiosissima. Si Ionam seruare in ventre cæti incorruptum voluit sola misericordia, MARIAM incorruptam nonne seruabit? Si gratia Christi seruatus est Daniel in intemperatissima fame leonum, nõne seruanda est MARIA tantis dotata meritis dignitatũ? & post parũ Christus; ergo lætari facit MARIAM anima, & corpore, nec vllam sequitur corruptionis ærumnam, quæ nullam secuta est tantum pariendo Filium integritatis corruptionem. Hæc ille. Vide in hoc sermone, quia pulcherrima dicit. Quare, &c. Tertiò hæc conclusio probatur exemplo. Præ enim claritate, & hæreditate, cœli auctoritate Angeli dicebant ad se inuicem. *Quæ est ista, quæ ascendit sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris?* & dicunt, *sicut virgula fumi.* Sicut fumus in modum virgæ formatus in terra oritur leuiter, exaltans sursum versùs cœlum tendit; sic gloriosa Virgo in terra orta secundùm carnem leuiter exaltans, id est, sine peccato viuens, cœlos ascendit: propterea dicitur, quòd virgula fumi generata est aromatibus myrrhæ, & thuris, myrrhæ, id est, integritatis carnis; quia myrrhæ à putrefactione præseruat, & thuris, id est, deuotionis mentis; qua thus in sacrificijs offertur. Psalm. *Ascendat oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Et sic patet conclusio præsens. Benè igitur Virgo in principio Sermonis dixit: Fili, tu semper mecum es, & omnia tua sunt per gratiam, qua mediante, gloriam assequamur.

SABBATO TERTIÆ Dominicæ Quadragesimæ.

De Virgine gloriosa.

Sermo in ordine vigesimus quintus.

*Ioan.*4. *Ad Phil.* 2.

Iesus autem inclinans se, digito scribebat in terrã. Ioann. 4. Principium humanæ naturæ hodierno die insidiantibus Iudæis, mulieris adulteræ, quæstionem proponentibus ostendit. Cùm se inclinans in terram scribebat, vt quidam aiunt, terra terram accusat, sed mysticè glorioſus Deus se inclinauit in terram, quæ dedit fructum suum, cùm humiliando se, de Virgine carnem assumpsit Ad Philip. 2. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum, factus, & habitu inuentus, vt homo.* Ecce mirabilis inclinatio in terram, id est, in carnem glorioſæ Virginis. In quibus sacratissimis verbis tres de glorioſa Virgine Considerationes faciamus. Videlicet, glorioſæ Virginis dulzoroſam susceptionem: glorioſæ Virginis mirificam descriptionem: glorioſæ Virginis debitam similationem.

De glorioſa Virginis susceptione.

CONSIDERATIO I.

Et nota, quòd peroptima est ista prima pars pro Natiuitate Domini.

PRimô inquam glorioſæ Virginis dulzoroſam susceptionem videamus. Nam cũ verbum æterni Patris se vellet Sanctorum patrum vocibus inclinare, qui quodammodo tantis clamoribus dicentes: Esai.64 *Vtinam dirumperes cœlos, & descenderes vsque ad ima terræ*: aures Dei obtundere videbantur, descendit in terram nostram, quæ Virgo glorioſa est, & fructum pertulit amenissimũ, de cuius plenitudine omnes accepimus gratiã. Quod vt clarè videamus, tres cõclusiones per ordinẽ ponamus, videlicet. 1. con-

Esai. 64.

Conclusio est ista. Se duntaxat Verbum æternum à Patre æternaliter procedens declinauit in terram, & Filius factus est tam gloriosæ Matris. Secunda Cõclusio est ista. Licèt Patris Filius solus in Virgine humanandus descenderit, eandem tamen naturam numero tres ipsas personas assumere potuisse nihil incongruit. Tertia Conclusio est ista. Miro certè modo Dei Filius exercuit, vt in Virgine inclinaretur tantùm, quantùm inclinari potuit.

De inclinatione Verbi Dei in vterum Virginis.

CONCLVSIO I.

ACcipe primam Conclusionem, & cætera, vt supra. Vbi solito more tres inquiramus veritates, videlicet. Prima veritas est ista. Quare Verbum tantùm in terram descendit, & de Virgine solùm humanari voluit? Secunda veritas est, an quia solus incarnatus est Dei Filius, à mysterio Incarnationis excludatur Pater, & Spiritus Sanctus? Tertia veritas est ista. Quomodo est possibile, cum personæ Diuinæ non possint separari, quòd vna sine alia potuerit incarnari? Quantùm ad primam veritatem dico, quòd de te, O æterne fili, non iniuriam miramur. Dic quęso, cur tibi magis decuit humanitatis dependentia? Nunquid Patri, vt tibi, conuenit huius operis diligentia? Nunquid tu magis, quàm Pater hominem dilexisti, qui propter charitatem humanasti? Nunquid tu solus, & non Pater à principio hominem creasti? Nunquid tu magis, quã Pater sapiẽs, & potẽs humanasti? An Pater noluit, & tu voluisti? Si hæc non, quare ergo solus incarnasti? Dico, anima chara, quòd licèt ista non sint, quæ deducis, vnde fit, quòd nec impotẽtia, nec aliquid dictorum interuenerit? Ex quo hanc pono regulam generalem, quòd licèt tam Pater, & Spiritus Sanctus, quàm Filius potuerit incarnari; congruum tamen fuit, solum Verbum humanari. Et hoc triplici ratione ex parte Dei, & triplici ratione ex parte hominis, ostendendo, vt colligitur ex sententia Diui Bonauenturæ in 3. distinction. 1. Ex parte Dei quidem ratione imaginis, ratione productionis, siue manifestationis, & ratione filiationis. Primò congruum fuit Verbum humanari ratione imaginis, vnde dicit sic Diuus Bonauent. vt supra. Cum homo à Deo assumptibilis esset ratione dignitatis imaginis, & Filius sit imago Patris, congruum fuit, vt imago imagini vniretur. Audi Paulum ad Hebr. 1. *Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portans omnia verbo virtutis suæ, &c.* Tria dicit hic Paulus de Filio Dei. Primò enim dicit, quòd est *splendor gloriæ*, id est, fontalis radius, in se paternam gloriam manifestans, vt Dionysius ait. Secundò dicit, quòd *est figura substantiæ Patris*, & hoc respectu Spiritus Sancti, quia ipse ex se, & non à se Spiritum Sanctum vnius substantiæ cum Patre producit. Tertiò dicit, quòd *est portans omnia Verbo virtutis suæ*, id est, per quem omnia fiunt, & gubernantur. Ista aliàs clariùs declarabo. Cùm ergo filius figura, & imago sit patris, & tota eius essentialis similitudo, & Deus decreuisset fieri, vt ita loquar, similitudo hominis, congruum fuit, vt qui in æternitate imago, & similitudo Patris æterni erat, similitudo, & imago hominis fieret in terra. Hic autem Filius Patris erat. Ergo congruum fuit, eum potiùs humanari. Secunda ratio dicitur manifestationis. Vnde fiat hæc ratio: sicut ad manifestationem Verbi intellectualis requiritur, vt verbo, vel voci vniatur sensibili, & corporali; sic ad manifestationem Verbi æterni Patris essentialis, & intellectualis exigebatur, vt Verbum ipsum vniretur naturæ corporali. Et quamuis omnem naturam potuisset sibi vnire, vt dicit Scotus, licet aliqui contrarium sentiant, tamen quia humana natura peccauerat, & ob hoc permaximè fiebat homo, congruum fuit, vt humanæ naturæ vniretur, & hypostaticè coniungeretur. Tertia ratio dicitur filiationis. Congruentissimè enim actum est, vt ea ipsa persona, quæ in æternitate cœlestis Patris dicebatur Filius, & in humanitate Filius fieret gloriosæ Virginis. Et hanc rationem tangit Magister in littera, & Augustinus in libro de Trinitate. Vnde magister sic ad litteram ait: sed solus Filius in carne tuissus est, non Spiritus Sanctus, nec Pater, quod ideo factum est, vt qui erat in diuinitate Dei Filius, in humanitate fieret Filius hominis. Et subiungit immediatè, vnde posset vna quarta ratio formari, dicens: non Pater, vel Spiritus Sanctus carnem induit, ne alius in diuinitate Filius esset, alius in humanitate, & ne idem esset Pater, & Filius, si Deus Pater de homine nasceretur. Vnde in Ecclesiasticis dogmatibus, sic dicitur, non Pater carnem assumpsit, nec Spiritus Sanctus, sed Filius tantùm, vt qui erat in diuinitate Dei Filius, ipse in homine fieret Filius hominis, ne Filij nomen ad alterum transiret, qui non esset natiuitate æterna filius. Hæc sunt verba Magistri in litera distinctione prima tertij. Nunc verò videamus congruitatem istam ex parte hominis. Tri-

Paul. ad Hebr. 1.

plici enim alia ratione ex parte hominis probatur, congruum fuisse Filium, & non Patrem, nec Spiritum Sanctum de Virgine humanari. Prima ratio dicitur ruinationis. Secunda dicitur reparationis. Et tertia dicitur fructificationis. Prima dicitur ratio ruinationis. Vnde arguatur sic: sicut homo quodam modo Dei similitudinem appetẽdo corruit, sic congruum fuit, vt per Dei similitudinem repararetur. Verbum autem similitudo Patris, vt dictum est: Ergo, &c. Et hanc rationem tangit Bernardus super Ionæ 3. *Propter me venit hæc tempestas.* Et similiter B. Anselmus in libro. Cur Deus homo: Ait enim sic Anselmus. Homo, pro quo erat oraturus, & diabolus quem erat expugnaturus, falsam Dei similitudinem præsumpserant, ideo specialiùs aduersùs filium peccauerunt, quamobrem eis specialis vindicta, & indulgentia competebat. Secunda ratio dicitur reparationis: Vnde arguatur sic. Sicut per orationem, & supplicationem sumus reparati; sic per eum, cui magis orare, & supplicare conueniebat, humanam naturam reparari conueniebat, sed filio magis orare, & supplicari, quàm Patri, & Spiritui Sancto conueniebat. Ergo magis per eum humana natura reparari debebat. Audi Anselmum vbi supra. Conueniẽtius, inquit, est, filium supplicare Patri, quàm aliquam aliam personam. Ecce grandis supplicatio, *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Tertia ratio dicitur fructificationis. Vnde arguatur sic: cùm omnes per Deum humanandum filij adoptionis fieri debebant, congruum fuit, vt illa persona humanaretur, quæ Filius Dei erat in diuinitate, sed hoc fuit Verbum: Ergo Verbum magis incarnari conueniebat. Inde Augu. sup. illud Pauli ad Rom. 1 *Qui factus est ex semine Dauid secundùm carnem.* Et ponuntur etiam hæc verba à Magistro distinct. 1. tertij circa finem secundi capitu li. Dei, inquit, ergo filius hominis factus est filius, natus secundùm veritatem naturæ ex Deo Dei Filius, & secundùm veritatem naturæ ex homine hominis filius, vt veritas geniti non adoptione, non appellatione, sed in vtraque natiuitate filij nomen nascendo haberet, & etiam verus Deus, & verus homo, vnus filius. Hæc ibi: Et hæc sufficiant pro prima veritate. Ad secundam veritatem dico, quòd ad hoc respondet textus de summa Trinitate, & fide Catholica capitul. 1. coniuncta Glossa super Verbo, à tota Trinitate, vbi dicitur, quòd à mysterio Incarnationis non excluditur Pater, nec Spiritus sãctus. Textus dicit in litera sic: Et tãdẽ vnigenitus Dei Filius Iesus Christus à tota Trinitate communiter incarnatus ex MARIA semper Virgine, Spiritus sancti cooperatione conceptus, verus homo factus ex anima rationali, & humana carne compositus, vna in duabus naturis persona viam vitæ manifestus monstrauit. Qui cum secundùm Diuinitatem sit immortalis, & impassibilis, idem ipse secũd ùm humanitatem factus est passibilis, & mortalis, qui etiam in ligno Crucis passus, & mortuus descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis, ascẽdit in Cœlum. Sed descendit in anima, & resurrexit in carne, & ascẽdit pariter in vtroque, venturus in finem seculi, iudicaturus viuos, & mortuos, & redditurus singulis secundùm opera sua, tam improbis, quàm electis. Qui omnes cum suis propriis resurgẽt corporibus, quæ nunc gestant, vt recipiant secundùm opera sua, siue bona fuerint, siue mala, illi cum diabolo pœnam perpetuam, & isti cum Christo gloriam sempiternam. Vna verò est fidelium vniuersalis Ecclesia: Pulcherrimus est iste textus, sic cernis, & vides, quòd in eo narrantur omnes articuli fidei: quare concludamus, quòd licèt æterni Patris Filium Incarnationem terminauerit, id est, humana carne se solùm vestierit, non tamen à mysterio Incarnationis certè Diuinæ personæ præciduntur. Misit namque Deus Pater Filium suum, vt humanaret, sed non humanauit ipse, nec humanari intendens. Ad Galat. 4. *Misit Deus Filium suũ natum*, id est, nascendum sub lege, *vt eos, qui sub lege erant, redimeret.* Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt vnigenitum suum daret.* Spiritus Sanctus quoque carnem, qua vestiri debebat Verbum, disposuit & organizauit, non tamen ipse vestitus est, nec vestiri intendebat. Lucæ 1. *Spiritus Sanctus superueniet in te.* Sed Verbum & venit, & carnẽ induit, & in nobis manifestus apparuit. Baruch. 3. *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Ioan. 1. *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Et hæc sufficiant pro secunda veritate. De hac tamen materia multa diximus in nostro dominicali in Dominica prima Aduentus, & in Sermone Natiuitatis Domini. Hic tantum ea posuimus, quæ ad nostri propositum faciunt. Quare & cætera. Quantùm ad tertiam veritatem dico, quòd hoc non debet videri tibi inconueniens, & ratio quia licèt tres personæ sint vna essentia, tamen tres personæ sunt tres subsistentiæ, & Incarnatio terminatur ad subsistentiam. Ideo vna persona potuit incarnari sine alia, & ideo faciamus hanc distinctionem, quòd Incarnatio potest dupliciter considerari, aut scilicet quantùm ad causam efficientem, aut quantùm ad causam terminantem. Si primo modo, sic opus Incarnationis

Ionæ 3. *Lucæ 23.* *Rom. 1.* *Galat. 4.* *Ioan. 3.* *Luc. 1.* *Baruc. 3* *Ioan. 1.*

fuit

fuit indiuisum, quia vna persona non efficit Incarnationem sine altera. Si secundo modo, tunc non est inconueniens, quòd fuerit diuisa, quia vna persona potuit Incarnationem terminare sine altera. Et intelligunt Doctores de hac materia loquentes. Quare & cætera. Et hæc sufficiant pro ista prima Conclusione. Quare & cætera.

Quòd eandem naturam numero tres personæ Diuinæ assumere potuissent.

CONCLVSIO II.

ACcipe secundam Conclusionem: videlicet. Licèt Patris Filius solus in Virgine humanandus descenderit, eandem tamen naturam numero tres ipsas personas assumere nihil incongruit. Ad cuius declarationem tres inquiramus veritates. Videlicet: Prima veritas est ista. Vtrùm illa propositio sit concedenda: Diuina natura assumpsit naturam humanam. An debeamus dicere; persona diuina assumpsit naturam humanam? Secunda veritas est ista, An ista propositio sit concedenda: Persona Diuina assumpsit personam humanam? Tertia veritas est ista. An ista propositio sit concedenda. Tres personæ Diuinæ simul eandem naturam, numero potuerunt assumere? Quantùm ad primam veritatem, dico, anima mea, quòd Magister Sententiarum in 3. dist. 5. hanc veritatem peroptimè ventilat, & tandem concedit, quòd istæ duæ propositiones concedi possunt: Videlicet, Persona Diuina assumpsit naturam humanam, & natura diuina assumpsit naturam humanam. Hanc autem propositionem. Persona Diuina assumpsit naturam humanam, probat per dictum Augustini, libro de fide ad Petrum capitul. 6. vbi dicitur sic. Hic Deus humanam naturam in vnitatem personæ suscepit, qui se humanans per misericordiam incorruptæ Virginis vterum ex ea nasciturus impleuit. Formam ergo serui, id est, naturam serui in suam accepit ille Deus personam. Hæc Magister in litera. Reliquit ergo Magister istam propositionem esse catholicam, persona Verbi assumpsit naturam humanam. Secundam verò propositionem: scilicet, natura diuina assumpsit naturam humanam, dicit, idem Magister: valde esse difficilem, quia in hoc dicit ipse plurimùm Doctores dissentire videntur. Et dicit, quòd licèt illi Doctores, qui oppositum istius propositionis ferunt, præclarissimi fuerint, tamen in hoc non solùm ab alijs Doctoribus, sed etiam à seipsis discordare videntur, sicut subiecta capitula docent. Et ideo contrarium tenet Magister hìc: dicens, quòd ista propositio est concedenda, A natura Diuina assumpsit naturam humanam. Et arguit sic, vt patet ex litera ibidem. Forma Dei accepit formam hominis, sed nomine formæ Dei intelligitur natura Diuina, nomine formæ hominis intelligitur natura humana: ergo illa propositio vera. Consequentia, nota, & maiorem, probat per Augustinum in libro de Trinitate capitul. 7. sic dicentem. Etiam seipso Christus minor factus est, formam serui accipiens. Non enim sic accepit formam serui, vt dimitteret formam Dei, in qua erat æqualis Patri, vt in forma Dei, & in forma serui, idem ipse sit vnigenitus Filius Patris. Hæc sunt verba Augustini: dicit ergo Magister. Si forma B Dei formam serui accepit, profectò natura Diuina naturam humanam accepit. Minorem verò idem Magister probat per aliud dictum Augustini in libro de fide ad Petrum capitul. 8. Cùm, inquit, de Christo audis, quia in forma Dei erat, oportet te agnoscere, firmiterque tenere in illo, formæ nomine naturalem plenitudinem, plenam naturam Diuinam debetur intelligi. Hæc sunt verba Augustini. Quare & cætera. Idem etiam probat per dictum Hilarij, in libro 12. de Trinitate, sic dicentem. Esse in forma Dei non alia intelligentia est, quàm in Dei manere natura: Et immediatè Magister subiungit: didicisti, inquit, nomine formæ intC telligentiam fieri naturæ, & audisti, quòd in forma Dei, formam serui accepit. Vnde consequens est, quòd natura Diuina naturam humanam suscepit. Hæc sunt verba Magistri. Sed dices, Pater Ambrosij hoc valde dubium est, videtur expressè contra dicta alterius Conclusionis. Vnde arguo sic: Solum Verbum carnem accepit per dicta omnium Doctorum, vt conclusum est per præcedentem Conclusionem. Ergo non natura Diuina. Antecedens etiam patet ex Concilio Toletano. Ergo & cætera. Dico, quòd illa dictio exceptiua, solùm non excludit naturam diuinam, sed alias personas, scilicet, Patrem, & Spiritum Sanctum. Sic etiam respondet Magister in litera: Sed contra, inquies. Hoc mihi non satisfacit. Arguo enim sic, natura Diuina est communis tribus. Si ergo natura Diuina naturam humanam assumpsit, sequitur, quòd quælibet persona sit humanata, quod est contra dicta. Dico, anima mea, quòd benè argumentum tuũ concluderet, si natura Diuina assumpsisset naturam humanam ad vnitatem propriã, sed non est sic, sed assumpsit illam, solùm ad vnitatẽ hypostasis in supposito filij. Sed adhuc instabis. Arguo enim sic: inquiès. Si ergo natura Diuina naturam humanam assumpsit, vt dicis, videtur sequi, Pater Ambrosi, quòd sicut ista conceditur. Verbum caro factum est, ita ista debet concedi. Natura diuina

caro facta est: Ad hoc tibi, anima mea, Magister in litera respondet: dicens, quòd ista non est præcipua ratio, quare Verbum caro factum est, quia ipsum Verbum carnem humanam assumpsit; sed quia assumpsit eam in vnitatem suppositi proprij, non autem sic natura Diuina, vt dictum est, quoniam non suscepit eam in vnitatem propriam, sed in vnitatem suppositi Verbi, & ideo argumentum non concludit. Quare & cætera. Et hæc tibi satis pro prima veritate sufficiant. Quantùm ad secundam veritatem dico, quòd Magister in eadem distinctione tertij ponit alias duas propositiones omnino negandas: videlicet istam, natura diuina assumpsit personam humanam, vel persona diuina assumpsit personam humanam. Vnde sic ait in capite: ideo vero. Ideo vero, inquit, non personam hominis accepit, siue assumpsit, quia caro illa, & anima illa non erant ante vnita in vnam personam, quam asumpserit. Quoniam ex illis non constabat persona, quando ex illis vnitum est Verbum: nam sibi inuicem sunt vnita, similiter cum Verbo sunt vnita, alia tamen vnione inuicem vnita sunt illa duo: scilicet anima, & caro, & alia vnione Verbo vnita sunt, quia alia est vnio animæ illius ad carnem, alia est vnio Verbi ad animam illam, & carnem. Non ergo accepit Verbum Dei personam hominis, sed naturam, quia non erat ex carne illa, & anima illa vna composita persona, quam Verbum accepit, sed accipiendo vniuit, & vniendo accepit. Hæc ille. Sed Magister in capite sequenti, quòd incipit. Hic à quibusdam, arguit sic: Persona est natura rationalis indiuidua substantia, anima autem, quam Verbum assumpsit, est homo: ergo Verbum assumpsit personam. Dicit Magister, quòd licèt anima sit persona, quando est à corpore separata, sicut Angelus, non tamen quando est corpori vnita, & cùm anima, quam Verbum assumpsit, nunquam fuerit quin alicui rei coniuncta sit; ideo non sequitur argumentum. Sed certè, anima mea chara, hic non tenetur Magister à Doctoribus. Vult enim ipse, vt cernis, quòd anima separata sit persona, & hoc Doctores non concedunt. Vnde Scotellus in 3. sentent. quæstione principali dicit, quòd de ratione personæ est negatio dependentiæ actualis, & aptitudinalis. Et ideo quia anima separata semper habet dependentiam aptitudinalem ad corpus, ideo non est persona, & quia dum est vnita, habet dependentiam actualem ad corpus, ideo etiam non est persona. Et quia anima Christi semper fuit vnita, ideo nunquam fuit persona. In hoc benè dixit Magister, quare ex hoc concluditur responsio, quòd non sufficit ad rationem personæ, quòd sit natura rationalis indiuidua substantia, sed oportet, quòd non habeat dependentiam ad corpus aptitudinalem, nec actualem. Et idem tenet Franciscus Maro, distinct. 23. in quæstione illa. Vtrùm persona sit secunda intentio? in responsione quæstionis. Et hanc negationem dependentiæ vocat ipse incommunicabilitatem, quia proprie ista ratio est constitutiua personæ, & propter hoc personæ Diuinæ per hanc rationem permaximè constituuntur, cùm sint summè incommunicabiles. Et hoc quantùm ad istum dubium vltra dictum argumentum, Magister in eodem capite adducit aliquas auctoritates. Vt Augustinum in expositione Symboli dicentem, Verbum hominē assumpsisse, & sic de alijs. Sed exponit Magister hominem, id est, humanam naturam, vt sit sensus hominem accepit, id est, humanam naturam. Et hæc volo, sufficiant pro secunda veritate. Quantùm ad tertiam veritatem dico, quòd de hoc variæ sunt opiniones Doctorum. Prima opinio est; Diui Bonauenturæ, distinctione 1. tertij: Videlicet, quia plures personæ vnam, & eandem naturam numero simul assumere non possunt. Non quidem propter assumentis defectum, siue impotentiam, sed propter repugnantiam contradictionis implicitè, & quod hoc sit impossibile, sic probat. Quia aut talis assumptio terminatur ad vnitatem naturæ, aut ad vnitatem personæ, aut ad vnitatem indiuidui. Si ad vnitatem naturæ: ergo ex vnitate naturæ humanæ, & diuinæ, vna tertia natura resultaret, & sic in Christo non esset distinctio assumentis, & assumpti, & per consequens non vera assumptio. Si verò ad vnitatem personæ, sequeretur, quòd plures personæ communicarent in vnam personam, & sic plures personæ essent vna persona, quod implicat contradictionem. Si autem ad vnitatem indiuidui, cùm talis vnitas sit ex parte assumpti, & non ex parte assumentis, sequeretur, quòd assumptum traheret ad se naturam assumpti, quòd est inconueniens. Non enim trahit humanitas ad se Diuinitatem in Christo, sed potiùs Diuinitas humanitatem. Assumere est enim ad se trahere, siue ad se sumere. Et propter hanc contradictionem dicit, præfatus Doctor, quòd impossibile est plures personas eandem naturam numero assumere posse, & hoc intelligit prout incarnatio Verbi facit idiomatum communicationem, per quem modum dicitur, Filius Dei factus est homo. Sic ostendit Anselmus, libro cur Deus homo capitul. 9. Dicens plures personæ nequeunt vnum, & eundem hominem assumere, & dicit: idem Doctor, quòd propter hoc non excluditur omnis alius modus assumptionis, quia cū intellectus noster multa intelligere

gere nequeat, quæ Deus facere potest, quis asserere audebit, tres personas vnam naturam numero assumere potuisse? Ita quòd per gratiam efficere potuisset, vt tres personæ vnam sibi naturam ex parte vnirent, siue suppositarent, cùm creatura omnis Creatori suo obediens sit, & ille tres personæ essent vnus homo, & ita tribus personis esset communis vna singularis natura humana assumpta, dato quòd non esset communis vnitas in vnitate personæ. Et ista in sententia est opinio præfati Doctoris. Alia est opinio S. Thomæ, p. 3. q. 3. art. 6. Quòd licèt tres personæ non possent eandē hypostasim assumere, nihil tamē obstat, quin possint eandē naturā assumere, & hanc opinionem insequitur Varro. lib. 3. q. 4. & confirmat eam sic. Quandocumque aliqua duo se habēt, sicut prius, & posterius, non oportet, quòd multiplicato posteriori, multiplicetur prius, sed natura, & suppositū se habēt, sicut prius & posterius, & per consequens, multiplicato supposito non oportet, quòd multiplicetur natura, & per consequēs nihil repugnat, quòd eadē natura possit esse in pluribus suppositis, siue personis; itē sicut anima vna naturaliter potest esse in pluribus partibus corporis, & vnum corpus supernaturaliter in pluribus locis, sic multò magis vna natura in pluribus suppositis. Item absolutū nō distinguitur, nec multiplicatur per respectiuū, natura est absoluta, suppositum siue persona respectiua; ergo nō oportet multiplicari naturam propter multiplicationem personarum. Quare, &c. Alia est opinio Scoti, quæ iudicio meo optima est, quæ dicit sic, quòd de Incarnatione possumus loqui dupliciter, aut volumus dicere, quòd essentia Diuina sit formalis terminus Incarnationis, & tunc concedit, quòd plures personæ possint Diuina essentia mediante assumere eandem naturam numero, aut volumus dicere, quòd proprietas relatiua, siue ipsa persona sit formalis terminus talis incarnationis, & tunc dicit impossibile esse, eandem naturam numero à tribus personis assumi posse. Et ratio est, quoniam omne essentialiter ab aliquo, vel aliquibus dependēs oportet, quòd habeat vnum, quod determinet essentialiter illam dependentiam, sed in illa assumptione est essentialis quidam dependentia vnius naturæ, & persona Verbi totaliter determinat eam, igitur eadem natura non potest totaliter à pluribus dependere personis, vel assumi à pluribus personis. Consequentia nota, & maior probatur, quoniam impossibile est idem, creatum in eodem genere essendi habere plures causas totales, à quibus dependeat. Nam hoc dato sequeretur, quòd aliquid postquam esset ab aliquo, vt à causa, quo posito, vel remoto nihil minus esset, quod est apud omnes inconuenientissimum.

A Minor verò probatur: nam personalitas creata terminat dependentiam naturæ in creaturis, & personalitas increata terminat dependentiam naturæ humanæ, vt patet: ergo sic personalitate creata totaliter terminante naturam, illa stante, non posset alia personalitate terminari, sic personalitate vnius personæ diuinæ terminante naturam humanam, illa sic stante, non poterit alia personalitate terminari. Ista satis nota sunt intelligenti, & nota istud fundamentum, quòd licèt natura humana esset in potentia obiectiuali, antequam assumatur, & per consequens assumptibilis à patre, tamen nunc deducta ad actum in supposito filij non posset aliquo modo à patre assumi. Et cum perfectissimè eius dependentia terminetur in supposito filij. Et hoc fundamentum mihi magnam fidem facit. De hoc breuiter loquitur Scotellus in tertio, & benè, vide ibi. Tenè tu tamen horum opinionum, quæ tibi gratior est. Quare, &c.

De humiliatione Verbi in Virgine gloriosa.

CONCLVSIO III.

ACcipe tertiam Conclusionem: videlicet. Miro certè modo Dei Filius exercuit, vt in Virgine inclinaretur, quantùm inclinare potuit, vbi tres inquiramus veritates. Videlicet: prima veritas est ista. Quanta fuit inclinatio Verbi æterni, quando ex sua benignitate de Virgine carnem assumpsit? Secunda veritas est: quantus, & qualis honor debetur à nobis verbo dari propter suam tantam charitatem? Tertia veritas est, quantam excellentiam meruit Christus apud Deum propter hoc, quia carnem nostram assumpsit? Quantùm ad primam veritatem dico, quòd Verbum de Virgine carnem assumens tripliciter se inclinauit. Primò enim se inclinauit sub angelica natura. Secundò inclnauit se sub humana natura. Tertiò inclinauit se sub passione dura. Primô inquam inclinauit se sub angelica natura. Psalmus 8. *Minuisti eum paulò minùs ab Angelis, gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.* Quæ verba Glossa sic exponit. Minuisti, id est, passibilem, & mortalem fecisti paulò minùs ab Angelis, qui sunt immortales secundùm naturam, sed ista minoratio per naturam fuit postea in magnam gloriam, & per gratiam commutata, ideo sequitur: *Gloria, & honore coronasti eum*: Gloria scilicet, id est, resurrectione, & honore, scilicet in patria, *& constituisti eum*, id est, exaltasti eum super opera manuum tua-

Psalm. 8.

tuarum, ideſt, ſuper rationalem creaturam, ſu per cœleſtem, id eſt, angelicam, & rationabilem, creaturam terreſtrem, id eſt, humanã, & ſic patet prima inclinatio, videlicet, quòd ſecundùm naturam Verbum humanum minoratum eſt ab Angelis, ſecundùm naturam intellige aſſumptam, non aſſumentem. Secundò Verbum in aſſumendo Virginis carnem inclinauit ſe ſub humana natura. Audi Apoſtolum ad Philip. 2. *Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo* Quæ verba ſic, Remigius exponit dicens: qui cum in forma Dei eſſet, id eſt, in æqualitate Dei, paternæ Deitatis conſubſtantialis, & coęqualis illi in omnibus. Et Auguſt. in libr. de fide ad Petrum, vt deducit Magiſter ſentent. diſt. 5. Tertij exponit ſic formam Dei, dicens: Cum audis de Chriſti, quòd in forma Dei erat, oportet te agnoſcere, firmiterque tenere illo formæ nomine naturæ plenitudinem debere intelligi. Non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo. Remigius, rapina eſt, quando quiſpiam rem alienam per violentiam ſibi vſurpat, quæ illi non conuenit. Et Dominus Ieſus rapinam quidem faceret, quando ſe patre æqualem in omnibus fecit, dicens: *Ego, & pater vnum ſumus.* Niſi in veritate eſſet Filius Dei æqualis illi in omnibus. Sic & Præcurſor illius à Scribis, & Phariſæis, & populo, an Chriſtus eſſet, interrogatus. Si dixiſſet, ego ſum, rapinam feciſſet, ſed ait: *non ſum*. Dixit enim plenè, quod erat, ne mentiendo diceret, quod non erat, vt dicit Gregorius in Homil. ſuper Matth. Si modò verò magnus Filius perditionis æternæ rapinam quidem fecit, qui cum filius diaboli eſſet, dixit: Ego ſum Filius Dei, ego paracletus, ego omnia Dei. Sequitur: *Sed ſemetipſum exinaniuit*. Remigius exinanitio eſt, quando res magna, & incomprehenſibilis in parua comprehenditur formula. Sicut ſi quiſpiã mundi artifex totam mundi machinam, omnia etiam minima, quæ in illo ſunt in modica cera, vel pictura cõprehendere voluerit. Hęc exinanitio dicitur: Idẽ dicitur de Ciuitate, vel Tẽplo, vel de alia quacumque grandi re intelligendũ eſſe. Sic & Verbũ diuinum, cũ lucẽ habitet inacceſsibilẽ, totum ſua magnitudine mundum implens, ſemetipſum exinaniuit, id eſt, quaſi cõtraxit, vt in parua formula viſibilis appareret. Hierem. 31. *Nouũ faciet Dominus ſuper terram, mulier circũdabit virũ.* Ioan. 1. *Verbum caro factũ eſt, & habitauit in nobis*, & ſequitur *formam ſerui accipiẽs*, id eſt, in veritate hominem, id eſt, humanã naturam ſuſcipiẽs. *In ſimilitudinem hominum factus*, id eſt, homo verus factus eſt. Ponitur enim ſimilitudo pro veritate; *& habitu inuentus, vt homo*, habitus ab ambiendo nomẽ accepit, quare quicquid alterũ ambit, illius habitus eſt. Remigius, multis modis habitus dicitur. Quidam enim habitus illum cui accidit mutat, ſed non mutatur, vt ſapientia, quę de ſtulto ſapientem facit, ſed nõ mutatur ſapiẽtia ipſa. Quidã habitus mutat, ſed nõ mutatur, vt cibus, qui de languore in focil lamentũ corpora mutat, iuxta illud, & panis cor hominis confirmet. Quidã eſt habitus, qui nec mutatur; ſed tamẽ aliam conſequitur formã, ſicut veſtis, quæ induta, aliã formã capit, quã quãdo exuta eſt, & plicata. Nã ſiue induatur quis veſte, ſiue nõ, ſeper veſtis naturã veſtis ſeruat, licet formã mutet: ita Verbum patris hominem aſſumens, in homine mutatum non eſt, nec ipſe homo aſſumptus mutatus eſt in Verbum, licẽt aliam formam accepit homo, quàm priùs, quoniã maioris poſtea dignitatis fuit, quàm fuerit antea, quia *ſpecioſus forma præ filijs hominum*. Inde Auguſt. 1. de Trinitate cap. 7. Non enim ſic accepit formã ſerui, vt dimitteret formã Dei, in qua erat ęqualis patri, ſed vt idẽ in forma Dei, & in forma hominis filius vnigenitus eſſet patris. Hęc ſupra dicta de mẽte Remigij, vt ſupra. Ad hoc prę ſuppoſitũ audi textũ cũ Chriſtus, de Hæreticis. Cùm, inquit, Chriſtus perfectus Deus, & perfectus homo ſit, mandamus, quatenus ſub anathemate interdicas, nequis de cætero audeat dicere, Chriſtum nõ eſſe aliquid ſecundùm quod homo, quia ſicut Chriſtus verus eſt, ita verus eſt homo ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtẽs. Hęc ibi, & Gloſ. ſup. verb. anathemate: dicit ergo qui contrariũ dicit, eſt excõmunicatus, quia hoc dicere Hæreticum eſt, & omnes Hæretici ſunt excommunicati, vt in capite ad abolẽdã: & capite excommunicamus de Hęreticis, &c. Tertiò Verbum diuinum in aſſumẽdo de Virgine carnẽ inclinauit ſe ſub paſsione dira Eſai. 53. *Non eſt eis ſpecies, nec decor, &c.* Hãc auctoritatẽ ſępius in hoc opere inuenies. Inde Apoſt. vbi ſup. *Humiliauit*, inquit, *ſemetipſum factus obediens, vſque ad mortẽ*. Remigius: factus, inquit, eſt obediens patri, cuius voluntas fuit, vt genus humanum redimeret: & nõ ſolùm patri, ſed etiam matri factus eſt obediẽs. Luc. 2. *Et erat ſubditus illis*, mortem autem crucis. Remigius: ideo crucifixerunt eũ, quia omnibus mortibus crucis mors ſęuior eſt propter longũ cruciatum. Si enim gladio tranſverberaſſent eum, citò finiſſet. Vel ſic placuit ei, vt quia per lignum peccauit homo, per lignũ redimeretur: quare, &c. Hęc Remigi°: & ſic patet prima veritas. Quã tùm ad ſecundam veritatem dico, vt colligitur de mẽte Domini Bonau. in 3. diſt. 9. quòd duplex eſt principaliter honor, ſcilicet per ſe, & per accidens: honor per ſe eſt duplex quidam per ſe, & propter ſe, quidam per ſe tantùm

Ad Phi. 2.
Ioan. 10.
Ioan. 1.
Hier. 31.
Ioan. 1.
Pſal. 44.
Eſai. 53.
Philip. 2.
Lucæ 2.

tũ: honor per se, & propter se, est ille qui soli Deo debetur. Nã solus Deus est, qui per se, & propter se honorãdus est, & hic honor à Græcis latria dicitur, & à Latinis sic diffinitur. Latria est cultus soli Deo debitus. Vbi est notandum secundùm Bonauenturam vbi supra, quòd cultus Dei potest tripliciter considerari, scilicet, communiter, propriè, & magis propriè. Cultus Dei communiter dictus dicitur actus directus in Deum sub ratione finis, & sic cultus Dei communis est omnibus virtutibus. Secundò accipitur propriè, & tunc cultus dicitur actus in Deum directus, non solùm sub ratione finis, sed etiam sub ratione obiecti, & sic cultus est, quid proprium virtutibus Theologicis, quia virtutes Theologicæ habent Deum pro obiecto, vt communiter sentiunt omnes, & ideo dicuntur omnibus virtutibus præstantiores. Tertio modo accipitur magis propriè, & sic dicitur cultus in Deum directus, non solùm in ratione finis, & obiecti, sed etiam sub ratione honoris. Et sic est proprius adorationis ipsius latriæ, & sic dicit idem Doctor, latria est quædam specialis virtus, nam sicut idolatria non dicitur quodcumque peccatum, sed illud quo creatura adoratur, sic latria non dicitur quilibet habitus, vel actus, sed ille, quo solus Deus adoratur. Et notanter dixi, habitus, vel actus, quia latria dicere potest cultum interiorem, & exteriorem. Cultus interior consistit in credẽdo, diligendo, & sperando, & sic impropriè accipitur latria, nec vt sic est virtus Cardinalis, sed Theologica, non tamen ab alijs distincta, sed consequens omnes. Cultus exterior consistit in quadam immolatione, & sacrificio, & sic propriè dicitur latria, quæ nihil aliud est, quàm seruitus quædam, vt exponit sacer Augustinus in libro de Trinitate, & sic est virtus Cardinalis contenta sub iustitia, quæ propriè dicitur Religio. Inde Augustinus 10. de Ciuitate Dei, sic ait. Religio est virtus, qua colitur, qui est superioris naturæ. Inde dicere possumus, quòd latria sic accepta, non solùm est in genere virtutis, tanquã in genere remoto, sed etiam in genere virtutis Cardinalis, sicut in genere subalterno, & in genere iustitiæ, tanquam in genere propinquo. In genere verò Religionis, tanquam in genere proximo. Et hoc colligitur de mente Aurelij Augustini, lib. 11. de Ciuitate Dei, cap. 1. vbi dicit, quòd Dei cultus quatuor nominibus appellatur, scilicet, latria Theosebia, siue Eusebem, & hoc secundùm Græcos, pietas, & Religio, & hoc secundùm nos, quæ idem sunt, quòd duo prima, licèt in plus se habeant. Nota tamen, quòd latria, & Theosebia sic differunt, quoniam latria dicit exteriorem seruitutem, quæ spectat ad iustitiam, quæ est virtus Cardinalis, sed Theosebia dicit seruitutem interiorem, quæ spectat ad virtutes Theologicas. Item nota, quòd quando latria est ipsa dilectio, vel sapientia, intelligitur de actu interiori, sed quãdo dicitur, quòd latria est cultus, intelligitur de actu exteriori, sed de hoc aliàs. Patet ergo, quòd honor, qui est per se, & propter se, debetur soli Deo. Secundus honor dicitur per se, & non propter se, & hic honor debetur humanæ naturæ Christi, vt Verbo vnita est. Vbi nota, quòd natura humana in Christo vnita Verbo potest tripliciter considerari. Vno modo in quãtum sustentificatur diuino supposito. Secundò in quantum vnita diuinitati tantùm. Tertiò in quantum creatura sanctissima tantùm. Si consideratur primo modo, tũc dico, quòd cum humanitas sit à diuino supposito sustẽtata, sit vnus homo, quia vna est persona Christi, & vnicum suppositum, vt diximus in secunda conclusione præcedẽti, sequitur, quòd vt sic humanitas Christi latria debet adorari, quia latria non debetur parti ratione partis, sed ratione totius: totus autem Christus est persona Christi, ergo latria adoratur humanitas eius, vt sic considerata. Si verò humanitas Christi consideratur, vt vnita tantùm, & non vt suppositata, dixerunt quidam, quòd hyperdulia, debet adorari, alij autem latria, quia nihil aliud sonat naturam humanam esse vnitam, quàm in suppositato diuino esse suppositatam: si verò consideratur tertio modo, nulli dubium, quòd dulia debet adorari. Hoc sentit Dominus Bonauentura, vt supra. Accipe modò secundum membrum principale, videlicet, quòd alius honor dicitur per accidẽs, id est, quia accidit illi rei, vt sic honoretur, & hoc tripliciter fieri contingit quantum ad præsens, videlicet, ratione significationis, ratione præsentationis, & ratione continentię, & reseruationis. Primò ratione significationis, & hoc modo venerantur Sacramenta, quia significant rem sacram. Nam vt dicitur quarto sententiarum distin. 1. Sacramentum est sacræ rei signum. Honor enim, qui debetur Sacramentis, est ratione signati, & non signantis. Et hoc veritatem habet etiam in Sacramentis veteri, legis. Illis enim adhibebatur honor in ratione figurati, & significati per illa, vt patet per singula discurrendo, similiter & Sacramentis nouæ legis. Sed dices, quomodo Sacramenta nouæ legis dicuntur etiam figuræ, cùm res noui testamenti sint significata, & figurata per Sacramenta antiquæ legis? Aduenière re, enim recessit figura. Quare Sacramenta nouæ legis nõ debẽt esse figuræ, sed res, Dico breuiter, quòd Sacramenta nouæ legis sunt res, per respectum ad Sacramenta veteris, sed sunt figuræ per respectum ad futuram patriam. Exemplum de chiroteca, quæ est forma manus, & tamen non est manus, & postea de manu intus posita, quoniam ibi res est, & figura signum, & postea

stea de nuda manu. Nuda manus significat statum cœlestis patriæ, vbi omnia clarebunt. Manus chirotecata statum legis gratiæ, in quo terminantur vmbræ veteris testamenti, & tamen figura est status gloriæ. Hoc insi-
1.Cor.13 nuare videtur Paulus, cùm aiebat. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc facie ad faciem.* Chirotecа autem sola, quæ est forma manus tantùm, legis scriptæ statum tantùm designabat. Quare ad propositum dicamus, quòd honor, qui Sacramentis debetur, est ratione significati, & non ratione significantis. Secundo honor per accidens alicui debetur ratione præsentationis, & hoc modo imaginem Virginis gloriosæ, Crucifixi, & aliorum Sanctorum honoramus, non ratione sui, sed repræsentati, vnde versus.

Virginis intactæ cum veneris ante figurã,
Prætereundo caue, ne sileatur Aue.

Sunt enim figuræ hæ, & imagines adinuentæ, aut propter præteritorum recordationẽ. De consec. dist. 3. cap. venerabiles. Venerabiles, inquit, imagines Christiani non Deos appellant, nec quæ seruiũt eis, vt dijs, nec spem salutis ponunt in eis, nec ab eis expectãt futurum iudicium, sed ad memoriam, & recordationem primitiuorum venerantur eas, & adorant. Hæc ibi. Aut propter simplicium eruditionem. De consecrat. dist. 3. per latum. Vbi dicit textus circa finem. Nam quòd legentibus Scriptura, hoc Idiotis præstat pictura cernentibus, quia in ipsa ignorantes vident, quod sequi debeant, in ipsa legunt, qui litteras nescIunt. Vnde & præcipue nescientibus legem, pro lectione pictura est. Hæc ibi: Gregorius Sereno Episcopo Massilienſi, aut propter mentis nostræ excitationem, & feruorem, vt ponit Bonauentura, vbi supra. Tertiò honor per accidens debetur alicui ratione continentiæ, & conseruationis, & hæc duo permaximæ sunt, vt Eucharistia, & Virgo gloriosa, quæ veraciter Christum continent, sed Virgo tantùm semel. Sed Eucharistia quotidie. De consecr. distin. 2. capite quotidie, vbi accipe regulam generalem, quòd nunquam in Sacramento Eucharistiæ adores, vt Deũ, quod oculis corporis cernis, sed quod mente credis; quod cernis, Sacramentum tantùm est, quod credis verò res. De consecrat. distin. 2. cap. panis, & cap. ante benedictionem, & pluribus alijs capitulis, vt Deo duce, declarabitur in hebdomada sancta per totum. Et hæc sufficiant quantùm ad secundã veritatem. Quantùm ad tertiam veritatem dico breuiter, quòd ad hoc tibi respondet
Philip.2 Paulus ad Philip. 2. dicens. *Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quòd est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster Iesus Christus in gloria est Dei Patris.* Ex quibus quidem verbis postea generale statutum in Ecclesia manauit, vt hoc nomen nomina Iesus super omnia veneraretur, vt patet de immunitate Ecclesiarum, cap. docet, lib. 6. de quo ad plenum Dominica de Passione dicemus. Quare, &c. Et hæc sufficiant pro prima parte huius sermonis.

Qualiter tota Trinitas se in Virgine descripserit?

CONSIDERATIO II.

SEcundo loco Virginis gloriosæ mirificam descriptionem videamus, vbi tres alias conclusiones subiungamus. Prima conclusio est ista. Gloriosus Pater, cui potentia attribuitur, sic se in hac benedicta Virgine descripsit, vt eam potentissimam ad singulos iuuandum fecerit. Secunda conclusio est ista. Gloriosus Filius, cui sapientia attribuitur, sic se in hac benedicta Virgine descripsit, vt eam sapientissimam aduocatam fecerit. Tertia conclusio est ista. Spiritus Sanctus, cui bonitas, & clementia attribuitur, sic se in hac benedicta Virgine descripsit, vt eam clementissimam in omnes peccatores fecerit.

Qualiter gloriosus æternus Pater in Virgine gloriosa descripserit suam potentiam.

CONCLVSIO I.

ACcipe primam conclusionem, &c. Vt supra: Ad cuius declarationem tres inquiramus veritates: videlicet. Prima veritas est ista. Quæ sit potentia Dei? Secunda veritas est. Ad quæ obiecta se extendat ista potentia Dei? Tertia veritas est. Quo modo in Virgine descripta est ista potentia Dei? Quantùm ad primam veritatem, licèt in præcedenti Sabbato aliqua de hac materia dicta sint, ad præsens tamen quædam è scientiæ prato breuiter colligamus. Ad cuius declarationem tres regulas generales subiungamus. Prima regula est, quòd potentia, generaliter loquendo, quædam dicitur actiua, quædam passiua. Potentia actiua est principium transmutationis, vel actionis in aliud. Potentia passiua est principium transmutationis, & passionis ab altero. Ista diuisio potentiæ ab Aristotele 5. Metaphis. accipitur, capite de potestate, ex qua regula sequitur immediatè: secunda regula, videlicet, quòd cum in Deo nullo modo sit potentia passiua, id est, nullo modo principium patiendi ab altero, quoniam id imperfectionẽ includeret, satis liquet, quòd in Deo sit actiua potẽtia. Quæ regula sic probari potest. Vnumquodque quantò perfectius est, tantò perfectius agit, & quantò imperfe-

perfectius est, tantò magis patitur, id est, transmutari potest ab agente, sed Deus est ens perfectissimum, nihil in se imperfectionis habens, cùm sit bonum illud, quo maius, id est, perfectius excogitari non potest, vt Anselmus ait. Ergo nullomodo poterit ab aliquo transmutari, & pati, sed solùm perfectissimè agere. Omnia ista satis nota sunt; ergo regula nostra vera. Tertia regula est ista, quòd licèt in Deo sit vna realiter voluntas, tamen formaliter, & ratione secundùm quosdam alia est voluntas Dei absoluta, & alia ordinata. Ad cuius declarationem nota, quòd varia est Doctorum opinio de potentia absoluta, & ordinata. Quidam enim ferunt, quòd potentia absoluta nihil aliud est, quàm potentia executiua simpliciter sumpta, quantùm ad omnia quæ quis potest facere. Potentia autem ordinata est eadem potentia executiua in habitudine ad regulam rectæ rationis. Verbi gratia, quis in potentia absoluta dicetur, quando simpliciter aliquid potest, sed in potentia ordinata, quando scilicet solùm aliquid secundùm rectam regulam rationis facere potest. Iste est primus modus declarandi, quid sint potentiæ tales. Alij autem aiunt, quòd potentia absoluta est, quæ omnia possibilia respicit, sed ordinata, quæ solùm possibilia moraliter respicit, id est, in quantum talia sunt de consideratione morum. Et ista opinio distinctionem harum potentiarum à distinctione obiectorũ sumit, vt intuenti patet. Obiectum enim potentiæ absolutæ est possibile simpliciter, sed obiectum ordinatæ potentiæ est possibile in habitudine moris, vel virtutis. Tertia opinio est ista. Quòd potentia absoluta est ante determinationem voluntatis, vt scilicet consideratur in illo signo, in quo intelligitur suam præcedere determinationem. Et ipsa eadem potentia dum sequitur determinationem, ordinata dicetur. Nam quando simpliciter non determinatur agens ad hoc, vel ad illud, quamuis vtrumque possit, tunc dicitur in potentia absoluta, sed quando postea idem agens sequitur suam determinationem, quia determinatur ad hoc, non ad illud, tunc dicetur in potentia ordinata. Quarta autem opinio expressè loquitur de potentia absoluta Dei. Et dicit, quòd potentia Dei absoluta est diuina voluntas absolutè considerata. Potentia ordinata est ea ipsa diuina voluntas, vt informata est perfectione iustitiæ legalis. Exemplum in creaturis, nam illud dicetur absolutè aliquid posse, quando nihil ei absolutè repugnat, quin illud facere possit. Sed tunc ordinatè potest, quando id quòd facere potest, non absolutè consideratur, vt scilicet subest voluntati tantùm, sed secundùm quod ordinatur, ad ordinationes legis, & statutorum. Ex quo sequitur, quòd multa de potentia absoluta facere possumus, quæ de ordinata potentia nequimus; potest enim Dominus absolutè damnare innocentem, & saluare nocentem, sed ordinata potentia nequit, quoniam debet in actibus suis secundum leges, & statuta ordinari. Sic ad propositum in Deo diuina voluntas absolutè considerata ad omnia possibilia dicetur potentia absoluta. Sed eadem voluntas, vt ordinata legibus, & ordinationibus, quas ipsa instituit, dicetur ordinata potentia, ex quo sequitur, quòd multa potest de potentia absoluta, quæ negantur ab eo de potentia ordinata, vt iusto negare vitam æternam, & reo ipsam è contrario dare, quod tamen non potest de ordinata Dei potentia fieri. Franciscus autem Maronis in conflatili super primò sententiarum, distin. 44. quæst. 6. aliquantulum ista stringens dicit, quòd sibi videtur, quòd potẽtia absoluta nihil aliud est, quàm diuina potentia executa quantùm ad omnia, quæ sunt in ea ipsa potentia virtualiter contenta. Potentia verò ordinata sit eadem potentia executiua Dei * continens actum rationis diuinæ, continentis determinationem diuinæ voluntatis. Vult dicere hoc, quòd postquam intellectus diuinus intuitiuè conspexerit, quòd volũtas diuina, sic determinauit, tunc potentia executiua Dei sequitur tale dictamen, & tunc dicitur regulata vt sic, ex quo sequitur, quòd quidquid potentia diuina executiua ante talem regulationem potest, illud dicitur posse de potentia absoluta, vt autem sequitur dictamen tale, & huiuscemodi regulationem, potentia tunc ordinata dicetur. Sic enim imaginandum est. Nam diuina voluntas, quæ absolutè est, respectu omnium gentium, potest determinare se ad hoc, vel aliud cum libera sit, & tunc intellectus diuinus intuitiuè illa cernens dicit potentiæ executiuæ, sic diuinæ voluntati esse ordinatum, & postea dictat eidem potentiæ, vt talem determinationem exequatur. Ista est opinio Franciſci. Nec tamen ista successiuè fieri, sed in eodem instanti intelligas. Et sic dicitur, quo modo tu ais istas potentias distingui. Cùm per te tàm potentia absoluta, quàm ordinata sit ipsa eadẽ potentia executiua. Dicit Franciscus, quòd potentia ordinata addit ad potentiam absolutam habitudinem quandam; propter illam habitudinem ipsa inter se quandam distinctionem secundùm rationem habent. Et hæc volo, sufficiant pro prima veritate. Vide etiã Franciscum, quæst. 5. Quantùm ad secũdam veritatem pono similiter tres regulas generales. Prima regula est. Quòd Dei potentia est infinita. Secunda regula est. Quòd Dei omnipotentia non se extendit ad impossibilia. Terria regula est. Quòd Deus potest meliorem facere mundum, quàm fecerit. Prima regula diuersos habet probandi modos,

* *Consequens.*

tàm

tàm Philosophi, quàm Theologi Deum infinitum ponunt, & habere potentiam infinitã. Philosophus enim 8. Phisicorum, sic infinitatem Dei probare videtur, dicens. Omne quod mouet motu infinito, videtur habere potentiam infinitam, sed Deus mouet motu infinito; ergo Deus habet potentiam infinitam. Consequentia nota cum maiori. Minor est nota ex doctrina eius, quæ ponit motum æternum, & tempus æternum, & nunquam incepisse, sed quia hoc est contra fidem; istam rationem postergemus. Ideo alij sic probãt. Deus creat; ergo habet potentiam infinitam. Consequentia probatur, quia Deus habet potentiam super extrema in infinitum distantia, sicut sunt ens, & nihil, creandi autem extremum est nihil, quia *dixit, & facta sunt,* Ps. 148. *ipse mandauit, & creata sunt.* Alij sic probant. Intellectus simul infinita intelligens est infinitus, intellectus diuinus est huiusmodi; ergo. Item potentia, quæ potest in duo, est aliquanta potentia, & quæ potest in quatuor est maior, & sic de alijs. Exemplum de Sorte portante pondus, vt duo, & non amplius portare valente, & de Platone portante, vt quatuor, sicque de alijs; ergo potentia, quæ potest in infinita, ipsa erit infinita, & per consequens si intellectus diuinus potest infinita intelligere, poterit & voluntas infinita facere, & sic Deus erit infinitæ potentiæ. Item si Deus non esset infinitus, posset eo aliquid maius excogitari, sed Deo nihil maius excogitari potest; ergo, &c. Sanctus Thomas parte 1. quæst. 7. art. 1. sic hanc regulam probat. Forma non recepta in materia, nec possibilis recipi, est infinita. Sed Deus est huiusmodi; ergo, &c. Et sic dicitur, quòd hoc dato, sequeretur, quòd Angelus esset infinitus. Dicit ipse art. 2. quæst. 7. Quòd Angelus est infinitus quantùm ad inferius, sed finitus quantùm ad superius, Deus autem est infinitus vtroque modo. Sufficiat ergo omnes cõcedere, Deum infinitum esse, & infinitæ potentiæ. Ex quo concludunt omnes, quòd Deus ex quo infinitæ potentiæ est, erit omnipotens. Et confirmat hoc Ricardus primo de Trinitate dicens: Ad omnia, quæ fide tenemus, non deficit ratio necessaria: sed Deum esse omnipotentem fide tenemus; ergo circa hoc non deficit ratio necessaria. Notandum tamen est, quòd aliter de omnipotentia Philosophi, & aliter Theologi considerant, nam omnipotentia Dei dupliciter considerari potest, vno modo mediatè, scilicet, in quantùm potentia Dei respicit possibilia omnia, mediantibus causis secundis. Alio modo immediatè, in quantùm, scilicet, potentia Dei respicit omnia possibilia, circunscripta omni causa secunda. Philosophi autem considerãt de omnipotentia primo modo, sed Theologi, secundo modo. Et ideo dico, quòd Dei omnipotentia primo modo accepta, potest naturali ratione probari, similiter eius infinitas. Vnde concedunt, quòd Deus in omnia potest mediantibus causis secundis. Sed omnipotentia secundo modo pro statu isto probari non potest ratione naturali, quia si hoc esset, hæc ratio potissima esset, scilicet, quia Deus continet omnes causas secundas virtualiter, sed hoc nõ valet; quoniam posito, quòd sol virtualiter contineret causalitatem bouis, non tamen concederent Philosophi solem posse sine causis secundis producere bouem. Quare, &c. Et sic patet prima regula vide tamen si placet Franciscum, distin. 43. quæst. 1. Quare, &c. Secunda regula, scilicet, quòd Dei omnipotentia non se extendat ad impossibilia, declaratur sic. Vbi primò notandum, quòd impossibile dicitur quatuor modis, videlicet, simpliciter, secũdùm quid, per accidens, & ex vi terminorum repugnãs. Primum impossibile dico, dicitur impossibile simpliciter, & sic omne illud dicitur impossibile, quod nulli causæ, nec virtuti alicuius agentis subijcitur, vt ens prohibitum quodcumque, vt posse facere alium Deum, &c. Secundum impossibile dicitur secundũ quid, & sic omne illud, quòd alicui causæ nõ subiacet, sed benè causæ increatæ, dicitur impossibile secundùm quid, vt mortuos suscitare. Virginem parere, & similia, quæ licèt causis secundis sint impossibilia, non tamen causæ primæ, quæ est ipse Deus. Tertium impossibile dicitur per accidens, & sic omne illud, quod non ratione sui, sed ratione coniuncti non est possibile esse in rerum natura, dicitur impossibile per accidens. Exemplum, accipiamus motum extrinsecum, vt deambulationem, locutionem, & similia. Ista omnia de se possibilia sunt, tamen si vniuntur cum tempore præterito, nunquã possibilia sunt. Vnde quòd deambulatio præterita, non sit præterita, & similiter, & de alijs similibus omnino impossibile est. Quartum impossibile dicitur ex vi terminorum repugnans, & tunc quandocũque aliqua sic se habent, quòd quodlibet illorum de se est possibile, non tamen coniunctim, immo inuicem repugnant, & similiter stare non possunt, illa dicuntur impossibilia ex vi terminorum. Exemplum, licèt album, & nigrum quodlibet seorsum sit possibile, non tamen coniunctim. Vnde quod vnum, & idem omnino sit album, & nigrum, omnino impossibile est. Hoc sic prænotato, ad declarationem istius regulæ, quatuor propono conclusiones. Tres quidem negatiuas, & vnam affirmatiuam. Prima conclusio negatiua est ista. Deus non potest facere quod est impossibile simpliciter, id est, illud, quod nulli causæ, nec alicui virtuti agenti subiacet, tàm creatæ, quàm increatæ, Deus facere non potest. Ista satis nota sunt. Nam quod

om-

omnino est ens prohibitum, omnino per nullam causam fieri potest. Etsi diceretur contra, chimera, mons aureus, & huiusmodi sunt entia prohibita, & tamen non repugnāt, quia illa Deus facere posset, & sic facere monstrū. Dico quòd monstra non sunt omnino entia impossibilia, nec omnino entia prohibita, & per consequens Deus illa facere posset, licèt non subijciantur causis secundis propriè. Sed quia facere alium Deum omnino est ens prohibitum, ideo omnino impossibile per quemcumque casum. Secunda conclusio negatiua est ista. Nullum impossibile per accidens potest fieri possibile per diuinam potētiam, vt quòd motus præteritus nō sit præteritus, omnino Deus facere nō potest. Et nota, quòd motus præteritus sub ratione præteriti est impossibilis per se, non per accidens, tamen dicitur per accidens, quia accidit illi motui, siue ratione formali eius, quòd sit præteritus, & ideo dicitur impossibile per accidens. Sed dubitatur. Arguo sic, sicut præteritum Deus non potest facere non esse præteritum, quia est non ens, ita futurum Deus non poterit facere non futurum, cum sit etiam non ens, & per consequens omnia necessariò, & non contingenter aliqua euenient. Hìc potest multipliciter responderi. Primò, quia nō eodem modo præteritum est non ens, quo modo futurum est non ens. Nam quod est præteritum nullo modo est, vt præteritum est, sed futurum est in suis causis, & in esse obiectiuo. Vel dicatur, quòd aliter se habet diuina voluntas ad futurum, & aliter ad præteritum. Ad futurum contingēter se habet, quia est in beneplacito suo, quòd sit, vel non sit, nō autem sic de præterito, quoniam non contingenter se habet ad præteritum, sed efficaciter, ita quòd efficaciter vult præteritum esse præteritum. Ista responsio est Francisci 48. distin. quæst. 1. Tertia conclusio negatiua est. Nullum impossibile ex vi terminorum repugnans potest Deus facere esse possibile, patet, quia illa repugnant ad inuicem. Nam quòd nix sit simul alba, & nigra, omnino Deus facere non potest. Item quòd aqua sit simul solida, & labilis, & sic de alijs omnino est impossibile. Similiter, quòd idem sit cæcus, & videns, &c. Etsi diceretur contra. Contraria, & priuatiua non includunt contradictionem, cùm sint species oppositionis contrariæ, vt patet per Philosophum in post prædicamentis, sed quæ non includunt contradictionem Deus facere potest; ergo ista conclusio falsa. Dico anima mea, quòd in tuo argumento est petitio principij. Est enim valdè dubium apud Doctores, an Deus possit facere quæcumque non implicant, vel includunt contradictionem. Dico, tamen ad præsens, quòd si intelligatur maior de oppositione contradictoria, quæ est affirmatio, A vel negatio, quæ dicitur prima dignitas, quòd verum est, quòd non includitur in contrariè, vel priuatiuè oppositis, quia illa oppositio maxima est, & maximum non includitur in minori secundùm omnes Philosophantes, & Theologizantes, sed si accipiatur contradictio, pro incon possibilitate quadam, quæ est in rationibus formalibus terminorum, & tunc dico, quòd in relatiuè oppositis, in contrarijs, & priuatiuè oppositis in est talis contradictio. Impossibile est enim, quòd aliquid gignat se ipsum, quia impossibile est idem esse generans, & genitum respectu vnius, & eiusdem, & hoc ex repugnantia terminorum, & hoc exemplum est de relatiuè oppositis. Idem in contrarijs, & priuatiuè B oppositis, vt ostensum est. Quare, &c. Quarta conclusio, & affirmatiua est: quidquid est impossibile secundùm quid Deus potest facere esse possibile, id est, quidquid subest potentiæ solius Dei, quamuis non subsit causis secundis, potest in esse deduci per potentiam Dei. Istam tamen conclusionem Philosophi non admitterent, cum negent Deum esse causam immediatam rerum, sed mediatam, quia agit mediantibus causis secundis. Theologi tamen, qui causam primam considerant potentissimam, dicunt omnia, quæ nō sunt omnino prohibita, siue subsint causis secundis, siue non, à Deo fieri posse, sicut in C propositio, vt quòd Virgo pariat, & non solùm pariat, sed etiam Deum pariat. &c. Et hæc sufficiant quantùm ad secundam regulam. Quantùm ad tertiam regulam, videlicet quòd Deus potest facere mundum meliorem, quàm fuerit, est diligenter notandum, quòd res omnes creatæ possunt dupliciter considerari, videlicet secundùm earum substantiam, vel secundùm earum ordinem. Substantiæ rerum creatarum sunt in quintuplici gradu, quædam habent esse tantùm, quædam esse, & viuere, quædam esse, viuere, & sentire, quædam esse, viuere, sentire, & intelligere cum phantasmate, quædam esse, viuere, sentire, & intelligere sine phantasmate. Exemplum primi, vt lapides, & similia, exemplum D secundi, vt plantæ, exemplum tertij, vt animalia bruta, exemplum quarti, vt homo, exemplum quinti, vt Angelus. Ordo autem ipsarum est duplex. Vnus in quantùm ordinantur ad Deum. Alius in quantùm ordinantur adinuicem, vt sic inferiora per superiora regantur, vt omnia corporalia per corporea super cœlestia, & omnes animæ secundùm naturam regantur per Angelos. Et notanter dico secundùm naturam, quia secundùm gratiam plures animæ Angelos regunt, vt præsertim credimus de anima Virginis, & Christi. His sic notatis, dico, quòd triplex potest formari quæstio, videlicet: vtrum Deus possit facere res creatas secundùm substantiam

tiam meliores quàm fecerit? Secũda quæstio. Vtrùm meliores, quàm fecerit quantùm ad ordinem, & dependentiam, quàm habent ad Deum? Tertia quæstio. Vtrùm meliores, quã fecerit, quantùm ad ordinem, quem habent inter se, & potest addi quarta, vtrum scilicet posit, vel potuerit meliori modo facere res creatas, quàm fecerit? Quantùm ad primam quæstionem, fuit quorundam opinio, vt adducit Magister in littera dist. 44. primi c. 1. quòd Deus non posit, nec potuerit res creatas meliores facere, quàm fecerit, & hoc duplici ratione. Prima ratio est. Si Deus potest, vel potuit meliores facere, & non fecit, sequitur, quòd Deꝰ fuit inuidus, vel mũdus esset imperfectus, sed quodlibet istorum est falsum. Ergo, &c. Consequentia, & sequela patent, sed falsitas probatur. Falsum enim est, Deum inuidum esse, similiter falsum est, mundum imperfectum esse, quoniam ex opere cognoscitur virtus, & sapientia opificis, sed per te mũdus est imperfectus, ergo vituperium, & non laus opifici reddendum est, quod est inconueniens. Item secundò arguunt prædictæ opiniones ex sententia Augustini in libro 83. quæstionum, vbi sic ait. Augustinus. Deus, quem genuit, quoniam meliorem se generare non potuit, nihil enim Deo melius, genuit æqualem. Si enim voluit, & non potuit, infirmus est. Si noluit, & potuit inuidus est. Ex quo conficitur, æqualem genuisse filium. A similiti arguebãt de creatione rerũ, si Deus potuit, & noluit, inuidus est, si voluit, & nõ potuit, infirmus est. Sed certè ista opinio ab ipso Magistro, & ab omnibus communiter Doctoribus reprobatur, & præsertim ab Augustino super Genesim ad litteram, vt adducit Magister in littera. Et ad rationes breuiter dico, quòd nec ibi inuidia est, quoniam contrariatur charitati, nec illa similitudo valet. Non enim Deus res meliores facit, quamuis facere potuisset, eò quòd impotens, aut inuidus esset, sed quia quantùm ad ordinem vniuersi non fuit expediens eas facere meliores. Vnde nec similitudo tenet, quoniam pater tenetur ex charitate filium sibi velle generare æqualem, cùm illi essentiam suam cõmunicet, quæ est fundamentum omnium perfectionum. Fecit enim omnia creata non de substantia sua, & ideo potuit creare, & facere perfectiora. Filium autem genuit de substantia sua, ideo genuit eum sibi æqualem, quia aliter fieri non potuisset, & per consequens illum genuit perfectissimum, ita quòd nec perfectior potuit generari. Istud etiam sensit Magister in littera. Quantum ad secundam quæstionem dicitur similiter, quòd non potest melior ordo creaturarum in Deum per respectũ ad ipsum Deum fieri, quia Deus est summum bonum, nec sumit incrementum suæ bonitatis, vel decrementum. Sed si consideratur iste ordo in Deum, vt est quædam tendentia in Deum, planum est, quòd meliores potuisset facere, ita quòd expeditiùs, & attentiùs res dirigerentur in ipsum. Sed ideo non fecit, quia non expediebat ordini vniuersi. Quantùm ad tertiam similiter dico, quòd creaturas meliores potuit facere quantùm ad ordinem inter se, sed non fecit, quia non fuit expediens quantùm ad ordinem vniuersi. Quantùm ad quartam quæstionem dico, quòd meliori modo fieri non poterant res creatæ, quàm fecerit, quantùm ad modũ agendi ipsius, quoniam non meliori sapientia, virtute, aut meliori diligentia quàm fecerit, facere potuisset. Si verò referatur modus ad rem, quam fecit Deus, nulli dubium, quòd meliori modo eam facere potuisset. Melius quippe si hominem impeccabilem fecisset, homini extitisset, immo, & certè meliori modo in patria erit, quàm nũc sit. Sed quare hominem impeccabilem non fecerit, est, quoniam non congruebat vniuerso. Nam cùm animalia bruta, aut entia tantùm esse habentia sic fecerit, vt nec peccare, nec non peccare possent, cùm ratione careãt, & libera facultate, Angelos verò peccabiles in istanti creationis, vt videlicet prima eorum operatio, sine bona, siue mala, ordinaretur in æternum præmium, vel supplicium, ita quòd qui peccarent firmarentur in malum, & qui bonum eligerent, firmarentur in bonum, consequens fuit, vt hominem peccabilẽ faceret, & posse per pœnitentiã resurgere. Sed de hac materia perpulchrè diximus in scripto nostro super secundo sent. quem edidimus, & in nostro Dominicali sermone 5. ibi. Vide si placet, & hæc volo, sufficiant pro ista secunda nostra principali veritate. Quantùm ad tertiam veritatem, quòd cùm in Virgine gloriosa quantùm ad susciendã æterni Patris potentiam, qua posset omnibus subuenire, nulla esset repugnantia, manifestum est, ipsam esse potentissimam. Vbi nota, quòd triplicitèr Virgo facta est potens in hac descriptione æterni Patris ad omnes succurrendos. Luc. 1. *Virtus altissimi obumbrabit tibi*. Primò facta est potens ad succurrendum in vita. Secundò in morte. Tertiò post mortem. Si quis pium amicum haberet, qui omnem suam indigentiam subleuaret, chari pendendus esset, sed qui in morte, ille charior, habendus profectò esset. Sed qui in vita, in morte, & post mortem, hic longè in amicitia cæteros antecellit, sed paulisper, anima mea, practicè inquiramus, quis in hac vita sit noster verus amicus? Si mundum quæris, decipit, si parentes, & ipsi mortuum associant tumulo, & abeunt illum humatum relinquentes, & post mortem quis quæso pro misero intercedat peccatore? O Virgo gloriosa, tu in vita, tu in morte, tu post mortem succurrere

Lucæ 1.

rere miseris non desistis, quia potens es, & sanctum nomen tuum. Hæc beneficia tria ab ea Ecclesia deuotè deposcit, dicens. MARIA Mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & in hora mortis susci pe. Primò in vita duo beneficia poscit. Primum pro iustis ibi: MARIA Mater gratiæ. Secundum pro peccatoribus, ibi Mater misericordię. Primũ, inquã, beneficiũ pro iustis, ibi: MARIA Mater gratiæ, quasi dicat. O MARIA, quæ es gratiarum diuinarum reseruatrix, conserua nos in gratia, qua nihil melius, & quam, qui habet, vt Augustinus ait, habet, & cætera, & qui eam non habent, frustra habent cœtera. Secundum beneficium poscit pro peccatoribus, ibi: Mater misericordiæ, quasi dicat. O gloriosa MARIA misericordiæ Mater, id est Iesu Christi, qui est summa misericordia, Mater ora pro peccatoribus, quia misericordiæ rore indigent refocillari. Inde Bernardum deuotissimum audi. Si, inquit, crimi num immunitate turbatus, si conscientiæ fœditate confusus, si iudicij horrore perterritus, si baratro desperationis absortus, MARIAM inuoca, non recedat à corde, non recedat ab ore: nam ipsam cogitans, non erras, ipsam rogans, non desperas, ipsam sequens, non deuias, ipsa tenente non corruis, ipsa protegente, non metuis, ipsa duce non fatigaris. Sic in te ipso poteris experiri, quòd meritò dicatur stella maris. Hæc ibi: Secundò Ecclesia sancta poscit, quòd tempore mortis, *Esteph.6.* vbi ingentia prælia peccatori parantur, contra hostes victoriam donet, ibi. Tu nos ab hoste protege Paulus: *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem*, supple tantùm, *sed aduersus Principes, & Potestates, & aduersus mundi rectores tenebrarum harum.* De pugna Dæmonum in morte satis diximus, supra feria quinta secundæ Dominicæ in tertia conclusione secundæ considerationis. Ad primam veritatem videlicet, ibi: Tertium subsidium, quòd Virgo præstat, est post mortem, id est, in hora exitus mortis, ibi: Et in hora mortis susci pe, sed non hoc nisi morientibus in gratia datur, & miseros tali hora relinquit peccatores. Adstat enim Virginum Regina amenissimo cætu Virginum comitata, & cantantibus Angelis, animæ sanctæ ad Paradisi gloriam celeriter deportantur. Quod nobis omnibus gratia sua donetur, Ame. Quare, anima chara, satis hęc conclusio nostra claret, ideo ista sufficiant. Exempla non posui, quare ea non habentur.

Quomodo Diuinum Verbum in Virgine descripsit suam sapientiam.

CONCLVSIO II.

ACcipe secundam conclusionem, videlicet. Gloriosus Filius, cui sapientia attri A buitur, sic se in hac benedicta Virgine descripsit, vt eam sapientissimam adnocatam fecerit. Ad cuius declarationem tres inquiramus veritates, videlicet. Prima veritas est ista. Quid est sapientia Dei? Secunda veritas est. Ad quæ extendit se sapientia Dei? Tertia veritas est. Quomodo in Virgine fuit descripta sapientia Dei? Quantùm ad primam veritatem dico, quòd sapientia Dei potest dupliciter accipi, videlicet, pro quodam habitu perfectionis existente in intellectu Dei. Plures enim perfectiones per modum habitus ponuntur in intellectu Dei, vt scientia, sapientia, ars, consilium, & huiusmodi. Nam cùm tales habitus dicant perfectionem in nobis, vt & in Deo ponantur, necesse est. Omnis enim perfectio, quæ in humanis est, Deo attribuitur, & ab eodem omnis imperfectio tollitur, & per consequens sapientia in nobis cùm vna maxima perfectio sit, & ab ipso Deo, minimè tollenda est. Inde Salomon. Sap. 7. *Optaui*, inquit, *& datus est mihi sensus, & inuocaui, & venit in me spiritus sapientiæ.* Vnde ad omnes Reges cap. 6. clamat dicens: *Si ergo delectamini in sedibus, & scriptis, ò Reges populi, diligite sapientiam, &c.* Præposuit eam enim cunctis opibus, & nihil omnia valere, ait in comparatione illius. Etsi in scripturis quandoque legamus Deum mundi sapientes reprobasse: *Perdam enim*, inquit, *Dominus sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum reprobabo.* 1. Corint. 1. & 1. Corint. 3. *Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum.* Et eadem Epist. cap 1. *Deus*, inquit, *stultam fecit sapientiam huius mundi.* Et hæ similes auctoritates de sapientia inflata, & sine timore Dei possessa intelligantur. Sed sapientia vera, & cum timore Dei est plurimùm cõmendata. Eccl. 9. *In manu artificum opera laudabuntur, & Principes populi in sapientia sermonis sui, in sensu verò seniorum verbũ.* Quòd autem in Deo sit iste sapientiæ habitus. Audi Salomonem. Prou. 3. *Dominus*, inquit, *sapientia fundauit terram, & stabiliuit cœlos prudentia*, & infra: *Sapientia illius eruperunt abyssi, & nubes rore concrescunt* Et Eccles. 1. *Omnis sapientia à Domino Deo est, & cum illo fuit semper, & est ante eum, &c.* Secundò potest considerari sapientia Dei pro ipso Filio Dei 1. Corint. 1. *Iudæi signa petunt, Græci sapientiam quærunt: nos autem prædicamus Christum crucifixum. Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Iudæis atque Græcis Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam*, & ad Colos. 2. *In ipso sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi.* Et propter hoc dicit Franciscus Moronis, dist. 6. quæst. 2. quòd sola sapientia concurrit elicitiuè in productione Verbi,

Sap. 7
Sap. 6.
1. Cor. 1.
1. Cor. 3.
Eccl. 9.
Prou. 3.
Eccles. 1.
1. Cor. 1.
Colos. 2

bi, quia omnis perfectio habitualis cooperatur suæ potentiæ ad actum de obiecto, qui scilicet actus est de tali obiecto, Verbum autem diuinum est diuina essentia, respectu cuius est vera sapientia, & per consequens in productione Verbi concurrit sapientia, quasi, vt quidam habitus intellectus diuini, qui est principium productiuum particulare respectu diuini Verbi. Alij autem habitus diuini intellectus, vt scientia, consilium, ars, non propriè concurrunt, quia non propriè pertinent ad memoriam secundam, sed potiùs ad intelligentiam. Nam scientia propriè est per respectum ad creaturas, & prudentia per respectum ad contingentia, & ars per respectum ad factibilia, & sic de alijs, & si allegaretur Augustinus, qui ait, quòd filius est ars, patris rationibus omnium viuentium plena, & similiter, quòd Verbũ est scientia de scientia, & consilium de consilio, &c. Omnia hæc dicit Franciscus, intelligantur identicè, & non in ratione habitus concurrentis cum principio productiuo totali ipsius Verbi, quod est diuina ipsa memoria, & hæc tibi sufficiant pro ista prima veritate. Quantùm ad secũdam veritatem satis patet, quòd diuina sapientia propriè non se extendit, nisi ad cognitionem diuinæ essentiæ, in qua cognitione ista tria concurrunt, scilicet, intellectus diuinus in ratione potentiæ, essentia diuina in ratione obiecti, & diuina sapientia in ratione habitus perfectionis, & quarto loco concurrit ipsa dictio passiua, quæ est propriè ratio formalis constitutiua æterni Verbi, & ad declarationem huius materiæ ponit Franciscus dis. 27. q. 2. Quatuor conclusiones. Prima conclusio est, quòd Verbum diuinum est actus intelligendi diuinus innatus, & non elicitus, nam cum actus etiam intelligendi sit in patre, & in patre nihil est elicitum, sequitur, quòd actus intelligendi non erit elicitus. Item omnis perfectio simpliciter est diuinæ essentiæ innata, actus autem intelligendi est perfectio simpliciter; ergo, &c. Secunda conclusio est, quòd Verbũ diuinum est actus intelligendi identicè, & non formaliter, patet, quia ista prædicatio. Verbum est actus intelligendi, non est prædicatio in primo modo, omnia autem, quæ formaliter prædicantur, de aliquo prædicantur. De primo modo, &c. Tertia conclusio est ista. Verbum diuinũ est actus intelligẽdi appropriatè, & nõ propriè, quoniam quæ de omnibus personis propriè, & vniformiter prædicantur, non dicuntur propriè de vna persona; actus autem intelligendi conuenit omnibus personis vniformiter; ergo non propriè vni personæ poterit conuenire. Appropriatur autem Verbo, quia omnia, quæ pertinent ad intellectum, appropriantur filio, cùm per intellectum filius producatur. Sic etiam amor appropriatur Spiritui Sancto, cũ pertineat amor ad voluntatem, qui est principiũ productiuum Spiritus Sancti, secundũ omnem Theologorum disciplinam. Quarta conclusio est ista. Ista proprietas, siue appropriatio actus intelligẽdi ad Verbum non est ex proprietate productionis, sed ex parte, & ratione emanationis suæ passiuę. nam sapientia dicitur appropriata Verbo, quia ipsa concurrit, vt habitus ad producendum Verbum, sed actualis notitia, siue actus intelligendi appropriatur Verbo, quia emanat ipsum Verbũ ad modum actualis notitiæ in creaturis, quia sicut in creaturis nihil dicitur, nisi ipsa actualis notitia, sic in diuinis nihil dicitur à patre, nisi illa actualis notitia, quæ est ipsa diuina essentia intellecta, & per consequens ipsa diuina essentia intellecta, & dicta per patrem, dicetur Verbum. Sicut etiã nos dicere solemus de verbo nostro. Quare. &c. Quantùm ad tertiã veritatẽ, dico tres regulas generales: prima regula est ista. Quòd Verbũ æternũ sic suam in Virgine sapientiã descripsit, quando ipsummet, quòd est verè filius Dei, de ea verã carnem assumpsit, vt sicut erat filius Dei in æternitate, fieret filius Virginis in temporalitate. Secũda regula est ista. Totũ, quod genuit Virgo, fuit vna hypostasis duas naturas sustentans. Tertia regula est, quia Virgo est Mater sapiẽtiæ Dei, ideſt, filij Dei, qui est sapientia Dei, ideo singulare sapientiæ priuilegiũ obtinuit, vt inter cũctos aduocata peccatorum singularissima existat. Primã regulam clarissimè posuit. Damasc. lib. 3. cap. 56. vbi sic ad litterã ait. Theotocõ autẽ, id est, Dei genitricem principaliter, & verè sanctam MARIAM Virginem prædicamus. Sicut enim Deus verus est, qui ex ipsa natus est, ita verè Theotocos, id est, Dei Genitrix est, quæ verũ Deum ex ipsa incarnatũ genuit. Deum enim ex ipsa aimus incarnatũ esse. Non vt diuinitate principium accipiente ex ipsa, sed vt Dei Verbo. Quòd ante secula intemporaliter ex patre genitũ est, & Anarchos, id est, sine principio, & æternè, id est, æternaliter existit cum Patre, & Spiritu Sancto in vltimis diebus propter nostram salutẽ in vtero eius inhabitãte, & ex ipsa transmutabiliter incarnato, nato. Et infra aliquantulũ illud Pauli verbũ ad Galat. 4. exponens. *Misit Deus filium suum natum ex muliere.* Sic ait, non enim dixit natum per mulierem, sed ex muliere. Significauit igitur Diuus Apostolus, quòd ipse vnigenitus filius Dei, & Deus, qui ex Virgine natus est homo, & ipse est, qui ex Virgine natus est filius Dei, & Deus. Et infra dicit, quòd non debemus dicere, Virginẽ genitricẽ Christotocõ, ideſt, Christi, quoniã sub hoc vocabulo destrueretur Theotocos, id est Dei genitrix. Nã hoc nomẽ Christus conuenit solũ Filio Dei in quantũ homo, quoniã Christus, id est, vnctus dicitur, & humanitas vncta Galat. 4.

vncta est, quando ei diuinitas est vnita. Et de hoc etiam facit idem Damascenus eodem libro capite 80. specialem mentionem, & sic patet prima regula. Secunda regula probatur per eundem. Et primò eodem cap. 56. dicens in sententia verba sua postea. Et dicã, quia mirari posset quispiã, quomodo is, qui ex virgine nascitur, ante virginem præexisteret? Et respondet hoc singulare mysteriũ esse, & doctrinam salutarem; nam eo ipso quòd dicimus, eum, qui ex virgine nascitur, ante virginẽ præexistere, nulli dubiũ, quòd duas in Christo naturas affirmamus. Vnã ex patre æternam, atq; diuinam; alteram ex matre tẽporalem, atque humanam. Ista sunt ergo verba eius ad litteram. Qualiter enim ex muliere, qui ante secula existit, & habet existentiam, si non homo genitus est? Filij enim hominis manifestũ est, quoniam vnus, qui ex Deo Patre genitus est secundũ diuinam substãtiam, & anarchon, ideſt, sine principio, & in vltimis tẽporibus ex Virgine natus est secundùm inceptam, & in tẽpore substantiam, scilicet, humanam: hoc enim vnam hypostasim, & duas naturas, & duas generationes significat; Domini nostri Iesu Christi. Hæc ibi. Hoc idem secundò probat eodem libro cap. 80. sic dicens, quasi circa medietatem capituli. Hypostasim igitur, inquit, genuit sancta Dei genitrix in duabus cognitam naturis; Deitate quidem ex Patre intemporaliter, in vltimis autẽ in tẽpore ex ipsa incarnatũ, &c. Et ibi cõcludit, quòd secũdùm naturam humanam passus est, crucifixꝰ, mortuus, &c. Impassibili manente eius diuinitate, &c. Et sic patet ista secũda regula, ex quibus omnibus satis tertia regula clarescit, ex quo enim Virgo gloriosa summam in ventre proprio gestauit sapientiam, quam & Ioannes in vtero existens sensit, *& exultauit*. Lucæ 1. Quid dubij est in ipsam Virginem pleniùs inundasse? Inde deuotus Bernardus ait. O peccator, si ad conspectum Patris accedere times, ne liquescas, quasi cera à facie ignis, sed vade ad mediatricem matrem misericordiæ, & ostende ei vulnus, & vlcera, & ipsa pro te ostendet filio pectus, & vbera, & filius patri latus, & vulnera, pater nõ negabit filio, filius non negabit matri, mater non negabit tibi. Hæc ille. Quare, &c. Et hæc sufficiant pro præsenti conclusione.

Luc. 1.

Quomodo Spiritus sanctus in Virgine gloriosa suam sanctissimam clementiam descripsit?

CONCLVSIO III.

ACcipe tertiam conclusionem, videlicet, Spiritus sanctus, cui bonitas, & clementia attribuitur, sic se in hac benedicta Virgine descripsit, vt eam clementissimam in omnes peccatores fecerit. Vbi tres inquiramus veritates, videlicet. Prima veritas est ista. Quid est clementia Dei? Secunda, quando fuit magis nota ipsa clementia Dei? Tertia veritas. Quomodo in Virgine fuit descripta ipsa clementia Dei? Quantùm ad primam veritatem dico, quòd clementia Dei potest accipi dupliciter, vno modo pro ipso Spiritu sancto, qui identicè, & essentialiter est ipsa Dei clementia. Alio modo pro habitu quodam pietatis, & clementiæ Dei, per respectum ad creaturas. Primo modo clementia verè identicè, & essentialiter, & realiter consideratur pro Spiritu sancto; sic idem etiam realiter, quod Spiritus sanctus. Si secundo modo sic dico, quòd in hoc non habet aliam realitatem à Patre, & Filio, quoniam omnia absoluta æqualiter dicuntur de tribus diuinis personis. Sed à proprietate loquendo, clementia Spiritui sancto tribuitur, sicut sapientia Filio, & potentia Patri; inde Damascenus libro 1. capite 10. postquam ostendit Spiritum sanctum æqualem Patri, & Filio, in omnipotentia, potestate, dominatione, &c. Circa medietatẽ capitis, sic ait: Omnia quęcũque habet Filius, & Spiritus sanctus, ex Patre habet, & ipsum esse, & si Pater non est, nec Filius est, nec Spiritus sanctus est, & propter Patrem, ideſt, esse Patrem Filius est, & Spiritus, & propter Patrem habet Filius, & Spiritus sanctus omnia quæcumque habent, hoc est, quia Pater habet ea propter ingenerationem, & generationem, & processionem: in his enim solis hypostaticis proprietatibus ab inuicem differunt. Hæ sanctæ tres hypostases non substantia, &c. Quantùm verò ad appropriationem dicimus, quòd Spiritus sanctus est ipsa clementia, ad Romanos 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Et Ioannes 3. *Spiritus vbi vult, spirat, & vocem eius audis, & nescis vnde veniat, aut quò vadat.* Psalmus 147. *Flauit Spiritus eius, & fluent aquæ*, scilicet, diuinarum gratiarum, quæ omnia affluentem Spiritus sancti bonitatem, & clementiam ostendunt. Quare, &c. Quantùm ad secundam veritatem dico, quòd licèt suam diuinam clementiam Deus in suis creaturis ostẽderit, duo tamẽ tempora sunt, in quibus maxima signa suæ clemẽtiæ dedit. Primum tempus fuit tempore Moysi. Secundũ fuit tẽpore Iesu Christi, & licèt in vtroq; tempore multa signa dederit; vnum tamẽ in quolibet præter cætera ostendit. Accipe tempus Moysi. Non ne hoc fuit maximum diuinæ clemẽtiæ signũ, quãdo populũ Israel de Ægypto eduxit, & annis quadraginta dux eius fuit, nocte in colũna ignis, die verò

Ad Ro. 5.

Ioan. 3.

Psal. 147.

in columna nubis iter pandens ante eos, vt in Exodo legimus. Sed hæc nihil sunt per comparationem ad tempora Christi. Qui enim magis suæ clementiæ signum clarum ostẽdere potuit, quàm vt sub tunica nostra mortali immortalis Deus appareret? Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt vnigenitum suum daret.* Audi Augustinum 13. de Trinitate. Quid enim tam necessarium fuit ad erigendum spem nostram, mentesque mortalium cõditione ipsius mortalitatis abiecta, ab immortalitatis desperatione liberandas, quã vt demõstraretur nobis, quanti nos pẽderet, quãtùmque diligeret? Hæc ille. Et sic patet ista veritas. Quantũ ad secundã veritatem dico, quòd licèt Spiritus sanctus Virgini omnem gratiæ plenitudinẽ dederit, tamẽ tres ei suę clementiæ gratias plenissimè dedit. Primadicitur præeminentiæ. Secunda dicitur indifferentiæ. Tertia dicitur cõmunicantiæ. Prima inquã, dicitur præeminẽtię. Nam si Virgilius magnus ille Poeta in primo Æneidos, vt Didonem præclaram ostenderet, quodam in loco primi libri eam Dianę cõparat, & illam cæteras Deas antecellere ostendit, sic dicẽs:

Hæc dum Dardanio Æneæ miranda videntur
Dũ stupet, obtu ituque hæret defixus in vno
Regina ad tẽplum, forma pulcherrima Dido
Incessit, magna iuuenum stipante caterua,
Qualis, & in Eurote ripis, aut peruaga Cinthu
Exercet Diana choros, quam mille sequutæ
Hinc, atque hinc glomerantur Horeades, illa pharetram
Fert humero, gradienſque Deas supereminet omnes,
Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus,
Talis erat Dido, talem se læta ferebat,
Per medios instãs operi, regnisq; futuris,
&c.

Quomodo ergo Spiritus sanctus Virginem super omnes Deas, ideſt, sanctas eminentem non statueret? Audi Hieronymum in sermone Assumptionis: Non est, inquit, locus in mundo dignior vtero virginali, in quo Dei Filiũ MARIA susceþit, nec in cœlis regali solio, quo MARIAM Dei Filius sublimauit, &c. Secũda gratia dicitur indifferẽtiæ, quoniã Virgo gloriosa omnibus illam inuocantibus se offert. Audi Bernardum in quodam sermone. Ille solus, inquit, ò Virgo beata, laudes tuas fileat, qui te fideliter inuocatã, senserit in suis necessitatibus defuisse. Et quid mirum, si inuocata adest, quæ etiam nõ vocata præsto est? & idẽ in quodam alio sermone. De plenitudine eius accipiunt omnes vniuersi ægri curationes, tristes consolationem, peccatores veniam, iusti gratiam, Angeli lætitiam, filius hominis humanę naturę substantiam, tota Trinitas gloriam, ita vt nõ sit, qui te abscondat à calore eius. Quare, Tertia gratia dicitur communicãtis. Ex hac enim benignitate, & largitate Virginis sequuntur concomittanter miracula, & gratiæ infinitæ. Hic Nũciatæ Florẽtiæ Ciuitatis mœnia surgant, & nostro operi hic testimonium reddant, & si vacet magnas Virginis audire coronas, vt Virgiliano vocabulo vtar; ante diem clauso componet vesper Olimpo, & omnia mea ipsa experientia testetur, quod stylo pingere nõ valemus. Quare, &c. Et hęc volo sufficiant pro præsenti conclusione. Miracula plurima ex te prædicator ipse inuenias.

De similitudinibus quibusdam Virginis.

CONSIDERATIO III.

TErtio loco Virginis gloriosæ debitam similationem videamus, vbi tres concluclusiones subiungamus, videlicet, prima cõclusio est ista. Nunquam fuit, est, aut aliquãdo erit terra, quæ talem produxerit; producat, aut producet florem, sicut gloriosa Virgo produxit Christum Saluatorem. Secunda conclusio est ista. Sicut terra hæc materialis sine debita aratura granum frumenti, ex quo hominis panis pro vita eius conficitur, sic nec hæc gloriosa terra Virgo benedicta, quæ dedit fructum suum panem Angelorum, & hominum, nisi arata, & disposita fuisset, mundo produxisset. Tertia conclusio est ista. Talis, & tantus ex ista virginali terra fuit fructus, vt infinitum mundo saporem dederit suauiter degustatus.

Quòd Virgo assimilatur terræ, & quare?

CONCLVSIO I.

ACcipe primam conclusionem, videlicet, vt supra. Vbi tres inquiramus veritates, videlicet. Prima veritas est ista, quanta est nobilitas terrę? Secunda est, quare Virgo MARIA assimilatur terræ? Tertia veritas est, quis est ille flos, qui pullulauit ex hac terra? Quantùm ad primam veritatem dico, quòd antea videnda est distinctio terræ, & deinde ad propositum veniemus. Quantùm ad primam partem dico, quòd terra multipliciter in Scriptura accipi solet, & permaximè in præsẽti sex modis accipitur, scilicet, quædam enim est terra, quæ dicitur omnium rerum naturaliũ terminus, quædam est terra, quam pedibus premimus, quædam est terra, quam ferimus, quædam est terra, quam credimus, quædam est terra, quam quærimus, & quædam est terra, quam spernimus. Primò, inquam, quædam est terra, quæ est omnium rerum materia

terialium terminus, & hæc est materia prima, quæ est prima in compositione, & vltima in resolutione, vt colligitur ex doctrina primi Physicorum. Genesis 1. *In principio creauit Deus cœlum, & terram*, id est, materiam primam, quam quidam veterum Chaos appellarunt, propter confusionem omnium rerum incompletè in ipsa existentium; propterea Genesis 1. dicta est in sui principio, *Inanis, & vacua*, idest, terra siue materia prima in sui principio nõ erat adhuc distincta formis, & vacua erat propter potentiam, quoniam erat, quid existens in pura potentia. Secunda terra est, quam pedibus calcamus, quæ communi vocabulo accipitur pro ipso elemento terræ. Genesis 1. *Vocauit Deus aridam terram, congregationesque aquarum appellauit maria*. Et ibidem: *Protulit terra herbam virentem, & facientem semen iuxta genus suum, lignum quoque faciens fructum secundum speciem suam.* Et ibidem: *Formauit*, inquit, *Deus hominem de limo terræ*; sed ista transeamus. Tertia terra est, quam ferimus, vt caro humana: *Terra es, & in terram reuerteris*, ait Dominus, Genesis 3. *Donec reuertaris in terram, de qua sumptus es.* Psalm. 142. *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Quarta terra est, quàm credimus, & hæc est Virgo gloriosa. Esai. 45. *Aperiatur terra, & germinet Saluatorem*. Et de hac ad præsens intendimus. Quinta terra dicitur, quàm quærimus, & hæc est beata vita. Psalm. 26. *Credo videre bona Domini in terra viuentium.* Sexta, & vltima dicitur infernus ipse. Iob. 10. *Terram miseriæ, & tenebrarum, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Quare, &c. Ad dubium ergo cùm quæritur. Quanta est nobilitas terræ? apertè cernis, secundùm diuersitatem acceptionis huius nominis terræ posse respondere, quod tu aptè forma, & declara. Nunc verò pertranseo, & percurro propter temporis breuitatem, quare prima veritas satis nota. Ad secundam veritatem dico, quòd triplici ratione Virgo MARIA assimilatur terræ, videlicet, ratione generationis, siue productionis. Secundò ratione subventionis. Et tertiò ratione firmationis. Primò, ratione productionis, quoniam sicut ex terra flores producuntur, & pullulant amœna fragrantia pleni, sic ex Virgine gloriosa flos quidã omni suauitate plenus; sed de hoc infra in tertia veritate. Secundò dicitur terra ratione subventionis, quoniam sicut terra nostræ cuilibet indigentiæ subvenit; nam in cibum grana frumẽti hordei, & aliarum segetum genera præstat, oniculas nutrit, vt de vestimentis nobis prouideat, ex boum coriis calceamenta, & sic de alijs diligenter parat, sic & gloriosa Virgo, scibum omnia in se bona continentem ex sua purissima carne genearauit, videlicet, Christum glorioſum. Ioan. 6. *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi.* Ioan. 6. Psalm. 77. *Panem Angelorum manducauit homo:* Omne delectamentum, & suauitatem in se habentem. Tertiò dicitur terra ratione firmationis, quoniam sicut terra stabilis, & immobilis est. Ponunt enim Philosophi hãc maximam, quòd necesse est cœlum moueri, & terram quiescere, sic Virgo gloriosa terra immobilis, & firma fuit in terræ motu passionis sui filij dulcissimi fructus vẽtris eius. Trepidabant discipuli omnes, fugiebant, negabant, & ipsa sola sequebatur, & fidem in pectore seruabat illæsam: *MARIA autem conseruabat omnia in corde suo.* Discipuli verò relicto omnes fugierunt, alter autẽ iuramento suscepto, audacter illum non nouisse affirmauit. Reliqui verò dubitantes dicebãt, vt Didimus ille: *Nisi videro in manu eius loca clauorum, &c* MARIA verò vt lapis cruci affixa perseuerabat. Beatus Augustin. 10. Stabat (vt cantat Ecclesia) mater dolorosa iuxta Crucem lacrymosa, dum pendebat Filius, & quid mirùm anima mea? Vbi enim Mater stare debebat, nisi iuxtà lectum Filij sui dilecti morientis? Pendebat Christus in Cruce corpore, & mater erat affixa corde, & dolores, quos nõ sentit pariendo, experta est Cruci astando. Cernit in Cruce Christus Matrem lacrymis rigãtem vultum, trahentemque à pectore voces: sucrescit mox in Christi pectore dolor, & mæstus animo Christus cum Virgine plorat. Heu rem grandem, anima audi, cùm genitricem solare Christus voce vellet, tantò intrinseco dolore transfigitur, quòd eam Matrem non vocauit, sed mulierem, dicens: *Mulier, ecce filius tuus,* Ioan. 19. nomen quippè matris tacet, ne Verbi huiusce modi iaculo acriùs Virginis anima feriretur. Sũt enim, anima chara (vt Virgilius ait) lachrymæ rerum, & mentem mortalia tangunt, &c. Quantùm ad tertiã veritatẽ dico, quòd flos pullulatus ab hac redoleti terra fuit Iesus dulcissimus, qui postea fuit omnibus fructus amœnissimus, & benedictus. Luc. 1. *Et benedictus fructus ventris tui*, de quo benedicto flore. Esai. 11. ait: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascẽdet, & requiescet super eũ Spiritus Dñi, &c.* quæ verba Nicolaus de Lyra super 12. Prophetas sic exponit, *egredietur virga*, idest, Virgo MARIA, quæ virga, quippè gracilis dicitur propter paupertatem, & humilitatem, & flexibilis propter pietatem, *Et flos de radice eius ascendet*, idest, Christus, qui dicitur flos ratione puritatis; quia nullum peccatum actuale, seu originale in eo locum habuit, & fructum protulit nostra

strę salutis, dicit tamen ipse, quòd Hebræi
vtrumque exponunt de Christo, quoniam,
& Christus virga dicitur propter Regiam
dignitatem, & flos propter vitæ puritatem, & dicitur Christus ascendisse de radice Iesse, quoniam Christus descendit de Dauid, etiam secundùm Iudæos; nam Pater Dauid dictus est Isai. & Iesse. Vnde sensus est iste, egredietur virga, idest, Christus de radice Iesse, idest, de generatione Dauid, qui fuit filius Iesse. *Et requiescet super eum Spiritus Domini*, quia in Baptismo eius spiritus in specie columbæ apparuit. *Spiritus Sapientiæ*, idest, dator sapientiæ, vel spiritus, qui est sapientia, & sic de alijs donis ibidem enumeratis. Et dicit idem Doctor, quòd septem dona spiritus dantur ad perficiendum, & operandum.

Ad Ro.8. Ad Rom.8. *Qui Spiritu Dei aguntur, ipsi: Filij Dei sunt*, & propter hoc dicit hi spiritus sunt in ratione, & voluntate, ratio autem est duplex, scilicet, practica, & speculatiua, & in vtraque ista duo considerantur, scilicet, apprehensio veritatis, & iudicium de veritate, apprehensio veritatis pertinet ad inuentionem veritatis, & iuditium de veritate ad discernendum de veritate, quantùm ergo ad apprehensionem veritatis perficitur ratio speculatiua per donum intellectus, & ratio practica per donum consilij. Ad rectè verò iudicandum, & de veritate discernendum ratio speculatiua perficitur per donum scientiæ, ratio verò practica per donũ sapientiæ. Voluntas verò potest dupliciter perfici, scilicet, quoadse, aut quoad alterũ; quoad alterũ perficitur per donum pietatis, quoad se, & hoc dupliciter, aut quoad terrorem periculorum, aut quoad concupiscentiam inordinatam delectabilium, quoad primum perficitur per donum fortitudinis, quoad secundum per donum timoris; ex quibus dicit ipse, apparet, quòd dona se extendunt ad omnia, ad quæ se extendunt virtutes intellectuales, & morales. Ista autem dona fuerunt perfectissimè in anima Christi, quæ fuit perfectissima in omnibus donis, & charismatibus Spiritus sancti. Hæc omnia idem Doctor. Si prædicta rectè, vt decet, considerantur; duæ difficultates insurgunt. Prima est, quare Dei si Spiritus sancti dona sint tantùm septem? Secunda, an dona Spiritus sancti differant à virtutibus? quia dixit, quòd dona se extendunt ad ea, ad quæ se virtutes se extendunt. Et potest addi tertia, scilicet, quis istorum habituum sit perfectior? Quantùm ad primam dico, quòd sunt plures dicendi modi, vnde sufficientia donorum Spiritus sancti accipiatur, in hoc tamen concordant omnes, quòd septem sunt virtutes,

A septem dona Spiritus, & septem beatitudines, quidam enim sufficientiam donorum accipiunt à septem peccatis mortalibus, dicentes, quòd ideo dona sunt septem; quia peccata mortalia sunt septem; nam Sapientia est contra luxuriam; Scientia contra iram, Intellectus, contra gulam, Consilium contra auaritiam; Fortitudo contra accidiam; Pietas contra inuidiam; Timor Dei contra superbiam. Et istius opinionis fuit etiam beatus Gregorius in Moralibus, scilicet, aliter ordinauit ipse, & dicit, quòd Sapientia est contra stultitiam; intellectus contra ebrietatem; consilium contra præcipitationem; fortitudo contra pusillanimitatem; scientia
B contra ignorantiam; pietas cõtra duritiam; timor contra superbiam. Alij autem sic dicunt, quòd dona sunt quidam habitus ad expeditius benè agendum. Vnde virtutes disponunt ad benè agere: & dona ad expeditiùs bene agere. Ista etiam est opinio Bonauenturæ in 3. distinction. 34. Accipiantur ergo dona spiritus, vt illa expeditiùs mouent circa finem vltimum, aut circa ea, quæ sunt ad finem, si primo modo, hoc potest esse dupliciter, vel per modum videntis, & sic ponitur donum intellectus, aut per modum gustantis, & sic ponitur donum Sapientiæ, sic autem mouent per respectum ad ea, quæ sunt ad finem, & hoc dupliciter, vel est bo-
C num supererogationis, vel necessitatis, si supererogationis hoc dupliciter, quia donum ad illud bonum aut se habet per modum dirigentis, & sic est donum consilij, aut per modum exequentis, & sic est donum pietatis. Si autem donum est necessitatis, & hoc dupliciter, quia aut donum est ad bonum, vt ad actum intrinsecum; si sic est donum scientiæ, vel extrinsecum, & sic est donum fortitudinis. Accipe sufficientiam, quouismodo sufficiet dona septem esse, & totidem esse virtutes.
Quod ostendit Gregorius super Iob. *Nati sunt ei filiæ septem, & filij septem*, filij *Iob 1.*
septem, ait, ipse sunt septem dona spiri-
D tus; filiæ septem, sunt septem virtutes, & sic patet prima dubitatio. Quantùm ad secundam dubitationem sunt etiam plures modi dicendi. Primus modus est Henrici quotlibeto 4. quæstion. 33. qui dicit, quòd virtutes, dona, & beatitudinis hoc modo differunt, quoniam virtutes mouent hominem ad agendum modo humano, dona modo superhumano, & beatitudines modo inhumano, idest, diuino, verbi gratia, accipiatur iste habitus virtuosus, qui dicitur fortitudo; tũc quãdo homo ne Deũ offẽdat, omnia bona sua negligit propter Deum, & mortis se periculo exponit, hoc fit modo quodam humano, & recto, & iusto, iustum

enim

enim est, vt omnia bona minora postponantur maioribus bonis, Deus autem est bonum, quo maius excogitari non potest: ergo iustum est, vt omnia alia bona negligamus, & conculcemus, & omnia aduersa superemus, & hoc fit per virtutem fortitudinis. Fortitudo enim est medium inter audaciam, & timiditatem, audacia enim facit aggredi terribilia sine discretione, & timiditas facit timere quod non oportet. Fortitudo facit timere vt oportet, & aggredi cum ratione terribilia. Quando verò homo, ne Deum, & iustitiam offendat, non timet mori, immo, & mortem propter Deum eligit, & vltra hoc lætanter, & cantando ad mortem susciendam pergit, hoc est per donum fortitudinis, sicut de Martyribus patet. *Ibant enim Apostoli gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati, &c.* Act. 5. Quãdo verò non solùm mortem eligit, & lætanter ad Crucem vadit, exemplo Beati Andreæ, scilicet, etiam signis, & alijs modis, est se ipsum spernens, ita vt insanus videatur, quod non est humanum, sed potius diuinum est, hoc fit per beatitudinem illam, Matthæi 5. *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.* Et Lucæ 6. *Beati eritis cùm vobis maledixerint homines, &c.* Matth. 5 Luc. 6. De quibus Sapient. 5. *Nos insensati vitam illorum existimabamus insaniam, &c.* Sap. 5. Virtutes ergo, vt ex his dictis apparet, sũt, quę ad benè agendum hominem regulant modo humano, dona modo superhumano, & beatitudines modo inhumano, ideſt, diuino; nam seipsum spernere, & mundana, vt stercora arbitrari, & omnia aduersa tolerare, & ad tormenta lætanter amore Christi pergere, & similia, hoc potiùs diuinum est quàm humanum, & ideò tales diuini, & beati appellantur. Matthæi 5. *Beati eritis, cùm maledixerint vobis homines, &c.* Mat. 5. Secundus autem modus respondendi est Sancti Bonauenturæ in 3. distinction. 34. dicentis: Quòd differentia istorum habituum sumitur à proprijs actibus, & distinguit ipsos actus dicens: Quod quidam actus dicuntur primi. Quidam medij, & quidam vltimi sive perfecti. Exemplum, intellectus potest habere tres actus. Primus est, credere. Secundus est, intelligere. Et tertius est mundo corde videre. Et hic est perfectus, & in patria tantùm. Secundùm igitur distinctionem istorum triũ actuum accipiuntur multi habitus, vnde virtutes sunt ad credendum, dona ad intelligendum, beatitudines ad mundo corde videndum; nam fides virtus est, & ideo habet actum primum, qui est credere, donum intellectus habet actum secundum, qui est intelligere, & beatitudines habent actum tertium, qui est puro, & mundo corde videre: in primis actibus potentiæ, animæ rectificãtur, in secundis expediuntur, in tertijs perficiuntur, ex quo sequitur secundùm ipsum, quòd virtutes in anima sunt, vt ratificent ad benè agendum, dona vt expediant, & beatitudines vt perficiant. Tertius modus est Beati Thomæ part. 1. secundæ quæst. 68. art. 1. dicentis, quòd virtutes dicuntur, quæ perficiunt appetitum in quãtùm à ratione monetur; recta dona dicuntur in quantùm perficiunt appetitum vt monetur à Spiritu sancto. Alij autem dicunt, quòd virtutes, & dona sunt idem realiter, sed differunt ratione; nam nulla pluralitas sive distinctio ponẽda est sine necessitate, sed ponere distinctionem realem inter ista, nulla est necessitas. Ergo, &c. Consequentia nota cũ maiori, minor autem probatur, quoniam ad omnem actum humanum virtutes humanæ sufficiunt sine aliquo alio adueniente; nã ad omnem actum supernaturalem virtutes Theologicæ sufficiunt. Ergo non oportet alios habitus realiter ab illis distinctos ponere. Virtutes igitur, & dona distinguũtur secũdũ rationem, sive per respectus quosdã, quoniã in quantũ perficiũt subiectum in ordine ad actum, sunt virtutes, in quantũ verò sunt à Deo, dicuntur dona. Et dicunt isti tria ista dona, scilicet, intellectus, sapientia, & scientia, esse eadem cũ istis tribus virtutibus, scilicet, Fide, Spe, & Charitate: alia autem quatuor dona idem realiter esse cũ alijs virtutibus Cardinalibus; nam donum pietatis reducitur ad iustitiam, donum timoris ad temperantiam, donum fortitudinis est ipsa fortitudo, donum consilij est ipsa prudentia. Et addunt vlteriùs, quòd si accipiantur tres virtutes tantũ, & septem dona benè differẽtia est inter dona, & virtutes, & ponunt in numerũ. Si autẽ considerantur dona, vt septẽ, & virtutes vt septẽ, sic sunt realiter idẽ; differunttã tùm ratione, quare, &c. Ista volui sic notare propter intelligentiã istius materiæ, quòd tibi gratior est, nescio. Mihi prima multùm placet, sufficiant tibi quoad secundam istam dubitationem, &c. Quantũ ad tertiam dubitationem dico, quòd isti habitus possunt considerari tripliciter, aut quantùm ad fundamẽtum, & originem ipsorum, aut quantùm ad actus proprios, aut quantùm ad actus consequentes. Si quantum ad fundamentum, tunc cùm charitas sit fundamentum omnium virtutum, dico, quòd vna non est altera dignior. Si verò quantùm ad actus proprios sic vna est nobilior altera; nam virtutes Theologicæ nobiliores sunt Cardinalibus, quoniam ipsæ habent Deum immediatè

pro obiecto, & inter Theologicas, charitas omnium est prima, si considerentur quantùm ad actus consequentes, cùm vsus virtutum habeatur in statu imperfectionis, & vsus donorum promoueat ad statum perfectionis, sic dona sunt excellentiora virtutibus, sicut status perficientium est perfectior statu incipientium. Hæc de intentione Sancti Bonauenturæ in 3. dist. vt supra, & hæc sufficiant pro præsenti conclusione.

Qualiter Virgo fuit disposita, vt fructum suauissimum Christum Iesum produceret?

CONCLVSIO II.

ACcipe secundam conclusionem, videlicet. Sicut terra hæc materialis sine debita aratura granum frumenti, ex quo hominis panis pro vita huius conficitur, sic nec hæc gloriosa terra benedicta Virgo MARIA, quia dedit fructum suum, panem Angelorum, & hominum, nisi arata, & disposita fuisset, mundo produxisset. Vbi tres inquiramus veritates, videlicet. Prima veritas est ista, quomodo fuit Virgo disposita, & arata, vt tantum fructum dare mundo posset. Secunda est, quis fuit seminator istius benedicti grani seminandi in ista gloriosa terra. Tertia est, quis fuit fructus collectus ex hac benedicta terra, quantum ad primam dico ad præsens, quòd tripliciter hæc terra, ideſt, Virgo gloriosa fuit arata, & disposita, videlicet, ante conceptionem, in conceptione, & post cõceptionem; ante quidem conceptionẽ, quando Dominus primos parentes post peccatũ conseruauit in se. Constat enim ipsos à suæ transgressionis initio, non solùm mortem, sed destructionis exterminium meruisse, quia hęc benedicta terra, secundùm seminalem rationem, siue secundùm corpulentam substantiam, in lumbis Adæ erat, de qua, scilicet, terra nasci debebat fructus salutis. Lucæ 1. *Ipse enim saluum faciet populum suum* *Luc. 1.* *à peccatis eorum.* Ideo illis indulsit, & in esse conseruauit, præterea, cùm humana natura *Gen. 8.* multiplicaretur, & *viam suam* corrupisset omnis caro, diluuio omnem carnem non finiuit; sed illam in Noe, & alijs ex suis octo per Arcã conseruauit, & hoc solũ, quia Virgo ex carne illa nasci debebat, deinde succedentibus annis multis, cũ populũ Hebræũ elegisset, quamuis postea rebellem, tamen illum miris modis præseruauit, protexit, & gubernauit. Et hoc ideo, quia de ipso descendere debebat hæc gloriosa Vir- *Esai. 11.* go. Esai. 11. *Egredietur virga de radice Iesse, &c.* vt visum est in alia conclusione præcedenti. Cumque tempus appropinquasset, vt hæc benedicta terra exiret in actum, ideſt, produceretur, tunc Ioachin ille vir sanctus, & Anna illa deuotissima Domina, Domino disponente, & cooperante, similiter se matrimonialiter cognoscentes, hanc gloriosam terram in esse produxerunt, & hæc fuit prima aratura. Secunda aratura, siue dispositio, fuit in conceptione, quoniam sic æternus Deus disposuit, vt in illa conceptione nulla macula contaminaretur. Sapientia 7. *Candor lucis æternæ, & speculum sine macula.* *Sap. 7.* Et Anselmus in libro de Conceptu virginali. Decuit, inquit, vt illa puritate hæc Virgo niteret, qua maior sub cœlo nequit intelligi. Tertia aratura, siue dispositio, fuit post eius conceptionem, quando, scilicet, cùm tempus seminationis grani, ideſt, Verbi æterni venit. *Missus est Angelus Ga-* *Luc. 1.* *briel*, vt eam salutaret, & plenam gratia appellaret. Lucæ 1. *Aue gratia plena, &c.* Quantùm ad secundam veritatem dico, quod seminator dicitur Spiritus sanctus. Lucæ 1. *Spiritus sanctus superueniet in te.* *Luc. 1.* Triplici autem ratione, Spiritus sanctus fuit seminator, & præparator, vt seminaretur in Virgine Verbum æternum, videlicet, ratione dispositionis, ratione vnionis, & ratione sanctificationis. Primò, ratione dispositionis. Congruum namque erat, vt amor materiam præpararet, cùm solùm propter grandem amorem, erga humanam naturam, Verbum æternum deberet seminari. Ioannes 3. *Sic Deus dilexit* *Ioan. 3.* *mundum, vt vnigenitum suum daret.* Et ad Titum 1. *Apparuit benignitas, & hu-* *Ad Tit. 1.* *manitas Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos; sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit.* Quamobrem ergo sicut amor Verbum traxit in carnem, sic amor, qui est, reipsa, Spiritus sanctus, carnem illam disponere debebat, & seminare. Secundò, ratione vnionis. Nam cùm humana natura, & diuina hypostaticè in personam Verbi vniri debebant; congruum fuit, vt hanc vnionem disponeret; quia à proprietate est ipse amor, hìc est autem Spiritus sanctus. Ergo. Tertiò, ratione sanctificationis. Nam cùm ille fructus sanctissimus esse debebat. *Luc 1.* Lucæ 1. *Quòd enim ex te nascetur sanctum,* *vocabitur Filius Dei.* Congruum fuit, vt ille seminaret, siue disponeret cui appropriatè sãctificatio attribuitur, sed hic est Spiritus sanctus. Esai. 11. *Requiescet super eum* *Esai. 11.* *Spiritus Dñi, &c.* Quare benè, & cõgruè attribuitur incarnatio Spiritui sancto. De hoc vide Magistrum Sentent. in 3. distin. 4. cap. cùm verò. Et hæc sufficiant quantũ ad secun-

dam

dam veritatem. Quantum ad tertiam veritatem dico, quòd quamuis infinitos, vt ita dixerim, humana natura collegerit fructus, tãtùm tres ad præſens declaremus. Primus fructus dicitur pacificatio. Secundus dicitur illuminatio. Tertius dicitur ſanatio, accipe primùm, & dicitur pacificatio. Vbi regula generalis ponatur talis, quòd in toto ſanctorum Collegio nulla tam ſolicita aduocata eſt, ad conciliandum, pacificandum, & humiliandum Deum glorioſum, ideſt, humanum genus turbatum, ſuis exigentibus culpis, ſicut glorioſa, & benedicta Virgo. Inde Gregorius ſic de Virgine ait. Filioli, hæc peccatorum ſcala, hæc mea maxima fiducia, hæc tota ratio ſpei meæ. Quid enim mirum, poteſt ne filius, aut repelliere matrem, aut ſuſtinere matris repulſam? Neutrum planè, quid ad MARIAM trepidat currere humana fragilitas? Nihil in ea auſterum, nihil terribile, tota ſuauis eſt. Agite gratias ei, qui talem mediatricem ſua benigniſsima nobis miſeratione prouidit. Hæc ille. Secundus fructus dicitur, mundi illuminatio, ideò ſtella maris dicitur. Audi deuotum Bernardum. Domine Ieſu, inquit, qui voluiſti, vt tua mater eſſet ſtella maris, per hanc ſtellam quæſo, illumina tenebras meas, &c. Et Hieronymus de laude Virginis ſic ait. Si diligentius inſpicias, nihil ſpecioſitatis, nihil virtutis, nihil ſplendoris, & gloriæ, quod in ea non reſplendeat, *Candor enim eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula.* Hæc ille. Et hæc etiam verba de ipſa ponuntur. Sapient. 7. Tertius fructus huius benedictæ terræ dicitur ſanatio. Ex gratijs enim Virginis, & virtutibus, quaſi quibuſdam medelis omnes humanæ ſpirituales infirmitates curantur, atque ſanantur, per ſuam namque humilitatem ſuperbia expellitur. *Quia depoſuit potentes de Sede, & exaltauit humiles.* Per ſuam virginitatem luxuria eneruatur, quoniam vt ferunt ſancti, ex eius aſpectu tamen carnalitas extinguebatur, per ſuam paupertatem denudatur auaritia, quia eſurientes impleuit bonis, & diuites diuiſit inanes. Et ſic de alijs. Inde glorioſus Auguſtinus exclamat. Eia, inquit, generalis omniũ ſpes, dulcis vulnerum noſtrorum medicina, noſtris quoque medere vulneribus, quibus poſt Saluatoris lauacrum, & ablutionem tot abluenda commiſimus, quot illicita prouocamus. Quare, &c. Et hæc ſufficiant.

(?)

Sap. 7. *Luc. 2.*

A

B

C

D

De meritis Chriſti.

CONCLVSIO III.

ACcipe tertiam concluſionem, videlicet. Talis, ac tantus ex iſta virginali terra fuit fructus. Vt infinitum mundo ſaporem dederit ſuauiter deguſtatus. Vbi tres inquiramus veritates, videlicet. Prima veritas eſt. Cùm Virginis fructus, qui fuit Chriſtus benedictus, ſit tam perfectus, vt in ipſo ſint omnia dona ſpiritus, vt viſum eſt ex præcedentibus. Quæritur, an in Chriſto fuerit aliquando timor mortis? Secunda eſt, an in Chriſto fuerit verus dolor, & vera paſsio mortis? Tertia eſt. Quid vtilitatis ſit ſequutum ex ſua paſsione mortis? Quantum ad primam veritatem dico, quòd triplex eſt timor, videlicet. Timor gratuitus, timor libidinoſus, & timor rationalis. Timor gratioſus, ſiue gratuitus, eſt triplex quidam timor pœnæ, quidam timor offenſæ, & quidam timor reuerentiæ. Et quantùm ad hæc tria timoris genera, ſic ad veritatem reſpondeamus, quòd propter plenitudinem gratiæ non fuerunt in Chriſto timor pœnæ, nec timor offenſæ, timor autem reuerentiæ cùm à charitate non expellatur, ſed ab ipſa perficiatur, ſanè fuit in Chriſto. Eſai. 11. *Replebit eum ſpiritu timoris Domini.* Pſal. 18. *Timor Domini ſanctus permanet in ſeculum ſeculi.* Hæc omnia ſatis clara ſunt. Secundus timor dicitur libidinoſus. Et hæc ſimiliter habet tria membra, quoniam quidam dicitur timor mundanus, quidam humanus, & quidam ſeruilis. Et ſic dico ad veritatem, quòd propter plenitudinem gratiæ in Chriſto non fuit aliquis prædictorum. Nam timor humanus ex animo propriæ vitæ amore naſcitur, timor mundanus ex animo terrenorũ amore, & timor ſeruilis ex nimia animi puſilanimitate. Et modico Dei amore ortum ducit, quæ omnia, vt intuenti patet, in Chriſto locum habere non poſſunt. Tertius timor dicitur rationalis, ideſt, à ratione proueniens, vt videlicet, quando ratio dictat de aliquo timere oportere. Et hic in ſuo genere eſt triplex, quidam præueniens rationem, quidam contra rationem, quidam præueniens ex ratione, & hic de quo ad præſens intendimus. Primus timor, ſcilicet, rationem præueniẽs eſt ipſe primus motus, nõ aliter à ratione cõſideratus, & hic eſt peccatũ veniale. Secundus eſt, rationẽ ſuffocans, & eſt peccatũ mortale. Tertius eſt à ratione recta, & hic eſt ſanctus, & bonus. Et hoc dico, quòd nec primus, nec ſecundus timor fuerunt in Chriſto, quoniam Chriſtus argui non poteſt de peccato. Ioannes 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* 1. Petri 1. *Qui peccatum non fecit, &c.* ſed

Eſai. 11. *Pſal. 18.* *Ioan. 8.* *1. Pet. 1.*

Sed tertius timor benè fuit in Christo. Mar. 14. *Cæpit Iesus pauere, & tædere, &c.* Nam ratio videns instantem mortem, imaginem mortis fecit in parte sensibili, quam sensualitate cognoscente, & admirante, horrere mortem cæpit, & pauit. Ex quo sequitur, quòd in Christo hic non seruatus fuit ordo naturalis intelligendi, qui scilicet primò incipit à parte sensibili in rationem 3. de anima Necesse est intelligentem phantasmata speculari, & in libro de sensu, & sensato. Nihil est in intellectu, quin priùs fuerit in sensu, & in primo posteriorum. Omnis disciplina, & doctrina fit ex præexistente cognitione sensitiua, vt communiter exponitur. Est enim alius modus cognoscendi in nobis, & alius fuit in Christo, in nobis quidem scientia nostra causatur à rebus, & primo processu à rebus sensibilibus ad rationem procedimus. Sed in Christo, in quantum etiam Deus erat, scientia eius erat causa rerum, & perconsequens non seruabatur ordo intelligendi, sicut in nobis; quia ratio præuidebat, & postea sensualitati ostendebat; ex quo postea sensualitas timebat. Tamen in omnibus se rationi cõmittebat. Vnde quando sensualitas orauit in horto: *Pater, si possibile est, &c.* non tamen suũ implere animum exposcebat, sed ait subdens se rationi. Fiat voluntas tua: de ista materia vide Sanctum Thomam 2. 2. q. 125. & Sanctum Bonauenturã in 3. dist. 16. vbi ista collegi; quare, &c. Quantùm ad secundam veritatem adduco tibi textum Magistri Sentent. in 3. dist. 15. cap. 5. vbi sic ait, sed quia nonnulli de suo sensu, in passione humanitatis Christi malè sensisse inueniuntur, asserentes similitudinem, atque imaginem passionis, & doloris Christum hominem percutisse, sed nullum omnino dolorem, vel passionem sensisse, authoritatum testimonijs eos conuincẽtes, indubitabile faciamus, quod supra diximus, Propheta Esai. dicit sic, scilicet cap. 53. *Verè languores nostros ipse portauit* Et veritas ipsa in Euangelio ait. *Tristis est anima mea vsque ad mortem*, vbi etiam Iesus *cæpit pauere, & tedere.* Propheta etiam ex persona Christi ait: *Repleta est malis anima mea*, quod exponens Augustinus ait: Non vitijs, & peccatis, sed humanis malis, idest doloribus repleta fuit anima Christi, quibus ipsa compatitur carni; non enim dolor corporis potest esse sine anima; nolere autem anima non dolente corpore potest. Hos autem humanæ infirmitatis defectus, sicut ipsam carnem ac mortem, non conditionis necessitate, sed miserationis voluntate suscepit Hæc ibi vide; quia multas auctoritates, vt Ambrosij, & Euangelistarum ad sui propositum adduxit. Ad declarationem tamen dictorum suorum est notandum secundum Sanctũ Bonauẽturam vbi supra, quòd Christi dolor potest dupliciter cõsiderari; vno modo, vt procedebat à ratione in sensualitatẽ, alio modo, è conuerso, scilicet à sensualitate in rationẽ. Si primo modo, tunc talis ordo erat, quoniã ratio peccatorum nostrorum multitudinem præuidens; item Iudæorum ingratitudinem, Matris dolorem, & similia, in voluntate imaginem prædictorum fecit, quo facto Christus nostris miserijs, & perditioni Iudæorũ condoluit. Si verò consideratur dolor, vt à sensualitate in animam procedebat; tunc dico, quòd anima Christi potest considerari vt ratio, & vt natura. Si vt ratio, sic anima corpori non compatiebatur, sed de eius passione lætabatur. Si autem vt natura tunc cùm cuilibet rei naturali omnium nociuorum sit quidam timor naturalis insertus, vt ostensum fuit supra feria 3. secundæ Dominicæ. Et anima ipsa sit corporis perfectio, non tantùm secundùm potẽtias sensibiles, sed secundùm se totam, ideſt, secundùm complementum omnium suarum potentiarum, & ad corpus habet naturalem inclinationem, & appetitum, & per cõsequens delectationem vel tristitiam, necesse erat quod anima patiente corpore pateretur. Et sic anima Christi, vt ratio gaudebat, & vt natura tristabatur. Gaudebat quidem propter gratuitam eius coniunctionem ad diuinitatem, sed tristabatur propter mutuam, quam habet cum corpore, vnibilitatem. Hæc de mente præfati Doctoris. Quare, &c. Quantùm ad tertiã veritatem dico, quòd hìc tria notanda sunt, vt rectiùs respondere possimus. Primo notandum, quòd meritum dicitur tribus modis. Vno modo impropriè. Secundo modo propriè. Tertio magis propriè. Primo modo impropriè, vt quando aliquod bonum de genere bonorum facimus, malo tamen animo, vt facere eleemosynam propter pompã, & simile. Meremur enim aliquid in tali bono, quamuis sit mala, & non recta intentione factum, non solùm famam illam. Matth. 6. *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Sed etiam quando à Deo aliqua per accidens recipiunt remunerationem, sicut patuit de Nabuchodonosor, & multis alijs. Secundò meritum dicitur magis propriè, vt cũ bonum bona intẽtione facimus, sed sine charitate, & tunc illis bonis de congruo meremur, aut bona temporalia, aut dispositionẽ ad gratiam. Et similia, vt ostendimus feria 5. secundæ Dominicæ. Tertiò quoddam meritum dicitur magis propriè, vt cum bonum de genere bonorum facimus, & bona intentione, & in charitate, & dicitur meritum condigni, non quod simus ex opibus nostris sufficientes capere regnum, sed dicitur condignum propter charitatem, quæ dat illis vim, atque virtutem, vt diximus supra feria 6. Dominicæ. Secundò notandum, quòd duplex

Mar. 14. & M. 26

Mat. 26.

Esai. 53. Mat. 26. Mar. 14.

Psal. 87.

Mat. 6.

plex fuit meritum in Christo, vnum ex parte sui, aliud ex parte nostri, vt dicit Magister in 3. dist. 18. Meruit Christus nobis redemptionem à diabolo, à pœna, & à peccato, & regni reserationem, vt amota ignea romphæa, liberè pateret introitus, & similia alia bona. Ex parte verò sui dicit idem Magister, quòd Christus propter humilitatem, & obedientiam passionis meruit corporis glorificationem, nec id solùm, sed etiam impassibilitatē animæ. Anima enim ipsius ante mortem erat passibilis, sicut caro mortalis, sed post mortem merito humilitatis, & anima impassibilis facta est, & caro immortalis. Ista sunt verba eiusdem. Tertiò notandum, quòd meritum, quod fuit in Christo, non fuit meritū primis duobus modis, accipiendo meritum, sed solùm tertio modo, scilicet meritū condigni. Merebatur enim de condigno tam sibi, quàm nobis, quæ dicta sunt. Sed qualiter hoc sit intelligendum, nota quòd mereri de condigno potest tribus modis intelligi, vno modo ex indebito facere debitum, & hoc modo non meruit Christus quoad se. Nā sic propriè meretur quisquā post culpæ effugationem, & gratiæ infusionem aliquod bonū de genere bonorum facit, quod, vt pater, Christo conuenire non potest. Secundo modo ex debito facere magis debitum, sicut cū proficimus de imperfecto ad perfectum, & de virtute in virtutem, & hoc modo etiam non meruit Christus, scilicet etiā quoad se, quoniam nūquam gratiam, vel virtutem habuit diminutè, sed plenus erat. Ioan. 1. *Gratia, & veritate*, ideſt. virtute. Tertio modo mereri ex debito est facere id, quod est debitū vno modo, facere meritorium pluribus modis, & hic modus propriè conuenit Christo. Nam cùm dignus esset omni bono, non potuit sibi quidquam mereri, vt faceret sibi debitū quod priùs non erat debitum, nec etiam potuit facere sibi magis debitum, sed solùm hoc modo, sibi meruit corporis glorificationem, & animæ impassibilitatem, quoniam quod erat sibi debitum vno modo, fecit debitum pluribus modis. Et hoc ostendit Magister in littera, dicens, quòd Christus non profecit sibi, quantùm ad virtutem meriti, sed quoad numerum meritorum. Plura enim merita habuit in passione, quàm in conceptione. Sed quantùm ad rationem meriti per respectum ad nos, omnibus prædictis modis meruit Christus. Vnde paciendo nobis magis meruit, quia quod non erat nobis debitum, fecit nobis debitum, & magis debitum & pluribus modis debitum. Et sic ex his tribus notabilibus patet responsio ad veritatē. Sed dices, Pater Ambrosi. Valde dubito in his tuis dictis, responde mihi ad hæc dubia. Ego ostendam tibi, nullo modo Christū mereri potuisse. Primò sic. Illud non habet ra-

Ioan. 1.

A tionem merendi, quod in malum exire non potest, sed est determinatum ad bonum, sed Christus ab instanti suæ conceptionis habuit liberum arbitrium determinatum ad bonū. Ergo nullo modo mereri potest. Ideo dicit Sapientia: *Qui potuit transgredi, & nō est transgressus, facere mala, & non fecit, ideo stabilita sunt bona illi⁹ in Domino, &c.* Eccle. 31. Item Beati mereri non possunt, sed Christus fuit verè Beatus. Ergo. Item meritum radix & fundamentū est ipsa charitas, sed in Christo nunquam aucta fuit. Ergo nec meritum. Possem tibi Pater, plura argumenta facere, sed istis tantùm mihi responde. Anima mea libenter faciam, quod optaris. Dico ad pri-

B mum. Vnam potentiam esse determinatam ad vnum, & non posse in aliud exire, potest dupliciter intelligi, aut propter necessitatē naturæ, aut propter plenitudinem gratiæ. Si propter necessitatem naturæ, tunc talis necessitas tollit omnem libertatem liberi arbitrij, & similiter tollit meriti dignitatem. Si autem illa determinatio ad vnum est propter plenitudinem gratiæ, cùm gratia stet cum libero arbitrio, & non tollat ab opere ipso bonitatem moris, cum sit volūtarium, & per consequens, nec qualitatem meriti, patet, quòd talis determinatio nō tollat meritum, cùm autem in Christo fuerit huiusmodi, patet, quòd argumentum tuum non con-

C cludit. Ad secūdùm dico, regulam istam generalem, quòd quando quis est simpliciter in statu patriæ, mereri non potest. Christus autem non erat simpliciter in statu patriæ, ita quod esset perfectus comprehensor, & non viator, quandiu enim fuit in carne mortali viator fuit, & secūdùm hoc merebatur. Fuit etiam comprehensor, & secundùm hoc procedit argumentum tuum. Nam sicut anima Christi per coniunctionem sui cum diuinitate habet statum patriæ, ita per coniunctionē sui cum carne, habet statum viæ. Ad tertium argumentum dico, quòd duplex est meritū, scilicet, adeptionis vitæ æternæ, & meritum dimissionis pœnæ. Meritum primùm consistit in radice charitatis, sed meritum dimis-

D sionis pœnæ duo fundamenta requirit, scilicet, charitatem, & passionis acerbitatem. Christus ergo non meruit primum meritum per opera meritoria sua, quia ante omne opus suum, vt in instanti cōceptionis fuit perfectè beatus, sed bene meruit secundum meritum, scilicet, dimissionem pœnæ nobis propter suæ passionis acerbitatem. Et non solùm meruit nobis, sed etiam sibi, videlicet, corporis sui glorificationem; nam cùm pateretur, & nobis mereretur, ante dicta, & in tali passione faceret opus valde gratissimum, & per consequens aliquid etiam sibi mereri deberet, & non posset remunerari quoad stolam primam. Ergo quantùm ad stolam secundā,

&

& hoc est, quantum ad sui corporis glorificationem. Primò igitur, & principalis meruit nobis, secundò sibi. Quare satis claret materia ista anima chara. Vides igitur, quam rectè terra nostra dedit fructum suum dulcissimum Iesum, ad quem videndum, & fruendum ipse nos sua sancta gratia perducat, qui est per omnia secula benedictus, Amen.

SABBATO QVARTÆ Dominicæ Quadragesimæ de Virgine gloriosa

Sermo in ordine trigesimus secundus.

Ioan. 8. EGo *sum lux mundi.* Ioan. 8. Tota anima mea est vnitas Virginis gloriosæ ad dulcissimũ Christum, vt dignitates, quæ Christo conueniunt per naturam; Virgini conueniant per gratiã. De dignitatibus loquor, quæ non concernunt generis humani redẽptionem, & per consequens, sicut hodie Christus per naturam ait: *Ego sum lux mundi*, sic Virgo gloriosa per gratiam dicere potest: *Ego sum lux mundi.* Audi Bernardum: O MARIA, inquit, tu virtutum à Deo tibi inditarum magnificis exemplis ad imitationem tui nos prouocas. Sicque nostram noctẽ illuminas, vt qui vias tuas insequutus fuerit, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Hæc ille. Quid quæso nos miseri, & ob tenebrati in huius seculi nocte faceremus, si tam lucidam lucernam, si tam luminosam columnam non haberemus? Quid enim totus valeret mundus, si solem non haberet? Audi Bernardum: Tolle hoc corpus solare, quod mundum illuminat, vbi dies? Tolle hãc MARIAM maris stellam, quid nisi caligo inuoluens? & vmbra mortis, ac densissimæ tenebræ relinquentur? Hæc ille. Meritò ergo ait: *Ego sum lux mundi*, in quibus sacratissimis verbis tres de gloriosa Virgine considerationes faciemus, videlicet, qualiter Virgo gloriosa est lux mundi quantùm ad animam. Secunda, qualiter est lux mundi quantùm ad corpus. Tertia, qualiter est lux mundi quantùm ad gloriam in corpore, & anima.

De gloriosa Virginis illuminatione quãtùm ad animam.

CONSIDERATIO I.

QValiter Virgo gloriosa sit lux mundi quantùm ad animam primo loco videamus. Vbi tres conclusiones, more solito faciamus, videlicet. Prima conclusio est ista. Quãtùm ad intellectum Virgo gloriosa fuit perfectè illuminata. Secunda conclusio est ista. Quantùm ad affectum Virgo gloriosa fuit perfectè inflãmata. Tertia conclusio est ista. Quantùm ad memoriam Virgo gloriosa fuit perfectè stabilita.

Qualiter Virgo gloriosa fuerit illuminata quo ad intellectum.

CONCLVSIO I.

ACcipe primam conclusionem, videlicet. Quantùm ad intellectum Virgo gloriosa fuit perfectè illuminata. Vbi tres inquiramus veritates, videlicet. Prima veritas est ista. Quot fuerint res, quas Virgo gloriosa intellexit? Secunda veritas est, an omnia futura Virgo gloriosa cognouerit? Tertia veritas est, an Virgo gloriosa suæ beatitudinis carta fuerit, sicut, & sancti in patria. Quantùm ad primam veritatem pono omnes istas regulas, & veritates, videlicet. Prima veritas est ista. A Deo æternum Verbum, ideſt, summa sapientia patris Virginis animam irradiauit, vt naturam omnem terræ cognosceret, videlicet, quomodo fuerit producta, quomodo diuersorum generum entia, miro quoddam modo producit. Item perfectissimè cognouit naturam omnium herbarum, plantarum, fructuum, radicum, & florũ, omnium lapidum, gemmarum, perlarum, auri, argenti, æris plumbi, omnium metallorum, & breviter omnium terræ nascentium naturam perfectissimè cognouit. Secunda veritas est ista. Idem Verbum à Deo Virginis intellectum irradiauit, vt omnem aquæ maris, fluminum, fontium, torrentium, & omnium piscium, & species eorum, & omnium rerum in aqua nascentium; & de aqua viuentium naturam perfectè cognosceret. Tertia veritas est ista. Idem Verbum sic eam irradiauit, vt omnem aëris naturam cognosceret, & quantùm rarus esset respectu aquæ, & terræ, & quantùm densus respectu ignis, & cognouit naturam omnium ventorum, flatuum, & eorum generationem, & quàm virtutem habent. Quarta veritas est ista. Idem Verbum sic eam illuminauit, vt cognosceret naturam ignis, & eius spheræ, & eius ambitum, & virtutem, eiusque subtilitatem, & incendium. Quinta veritas est. Idem Verbũ sic eam illuminauit, vt naturam, conditionem, & numerum omnium animarum cognosceret, & omnium indiuiduorum animatorum, & quot de hominibus vini erant, & quot mortui, quot salui, & quot damnati. Sexta veritas est. Idem Verbum sic Virginẽ illuminauit, vt naturam orbis Lunæ orbis Mercurij, Veneris, Solis, Martis, Iouis, & Saturni, & spissitudinem eorum, & influentiam. Item naturam firmamenti, & omnium stellarum. Item Cœli Crystalini, Cœli Empyrei,

rei, & eorum proprietatem, & virtutē perfectè cognoſceret. Septima veritas. Idē Verbum ſic Virginem illuminauit, vt naturam, virtutem, numerum, & diſtinctionem, officiaque omnium Angelorum, & Archangelorum, Principatuum, Poteſtatuum, Virtutum, Dominationum, Thronorum, Cherubim, & Seraphim perfectè cognoſceret. Octaua veritas. Idem Verbum ſic Virginem illuminauit, vt perfectiſsimè cognoſceret Trinitatem, ſcilicet, quomodo Pater eſt à ſe, & quomodo per intellectum cum actu dicendi, Filium generet, & quomodo ambo per actū ſpirandi producant Spiritum ſanctum. Nona veritas. Idem Verbum ſic Virginem illuminauit, vt naturam, numerum, officia, pœnas, & cruciatus omnium dæmonum perfectè cognoſceret. Item, & quot animas poſſidebant in inferno, quot in purgatorio, quot in limbo puerorum, quot in ſinu Patrum, & in toto breuiter in inferno. Decima veritas eſt iſta. Idem Verbum ſic Virginem illuminauit, vt omnium virtutum, & vitiorum naturam, & grauitatem, & differētiam, & quid eligendum, quidve fugiendum eſſet perfectè cognoſceret. Et vt ſingula comprehendā hæc benedicta Virgo, rerum omnium, tàm ſuperiorum, quàm inferiorum, & interiorū, & exteriorum perfectam cognitionem humanæ naturæ poſsibilem à ſuo dilectiſsimo Filio pleniſsimè ſuſcepit. O Virgo glorioſa, quàm mirabilia dicta ſunt de te Ciuitas Dei. Nec hoc iniuria Patres, quis enim hæc, & maiora à Virgine tanta negabit, quæ eſt Mater Dei, quibus enim te laudibus efferam neſcio; quia quem cæli capere non poterant, tuo gremio contuliſti. Ait ſanctus ille Gregorius. Verùmtamen anima mea tribus tibi rationibus prædictas veritates perſuadebo. Prima ratio eſt hæc. Si in lumine Solis multa videntur quo ſine, minimè viderentur; lumen enim, vt dicitur ſecundo de Anima, facit potentia colores actucolores, ideſt, actu viſibiles. Quid obſtat, quòd in lumine Ieſu,

Ioan. 1. qui eſt lumen, *illuminans hominem venientē in hunc mundum.* Ioan. 1. Mater Dei omnia ſupradicta cerneret, & videret, omnes enim Doctores noſtri concedūt, quòd ex quo Virgo incæpit eſſe Mater Dei, quòd fuit finitis

Luc. 1. illis verbis: *Ecce ancilla Domini, &c.* Mox in illa omnes gratiæ poſsibiles humanæ creaturæ cum benedicto Verbo pariter deſcenderunt. Vnde ſi intellectus Seraphim cognoſcit naturam ſui ordinis, ſimiliter, & de alijs, & ſi ipſi naturam cœli, & planetarum, & ſtellarum, aquarum curſum, & naturam cognoſcunt, aut omnes, aut aliqui, quis hoc à Virgine negabit? Lumē ergo illud ſanctiſsimum diuini Verbi, in quo omnia relucent in vtero Virginis perſonaliter, exiſtens in glorioſam Virginis animam, omnia prædicta redundauit. Ex quo ſequitur, quòd rectè dicere poterat illud Cant. 4. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Secunda ratio eſt iſta, de quo minus videtur in eſſe, & ineſt: ergo de quo magis? Sed Ioannes in ventre matris in virtute illius præclariſsimi luminis diuini Verbi, ipſum Verbum prægnouit, & tamquā futurus eius Præcurſor in ventre Eliſabeth *Exultauit* Luc. 1. Ergo à fortiori Virgo glorioſa, quæ in ventre prædictum lumen realiter portabat debebat, in virtute illius luminis omnia prædicta cognoſcere, quæ multa differentia diſtant ab ipſo Verbo, quoniam omnia illa creatura Dei ſunt, exceptis illis, quæ diximus in octaua veritate, Verbum autem creatura non eſt, ſed creator. Inde Ambroſius ſuper Lucam. Vocem, inquit, priùs Eliſabeth audiuit; ſed Ioannes prior gratiā ſenſit, illa naturę ordinem audiuit, ille exultauit ratione myſterij, illa MARIÆ, iſte Domini ſenſit aduentum. Hæc ille. Tertia ratio eſt iſta. Si legimus aliquos Sanctos in eorum pueritia mirabili lumine perluſtratos, quantò magis, potiori modo illud cōcedamus Virgini glorioſæ, quando effecta eſt mater Dei. Legitur enim de Beato Nicolao, quòd bis in hebdomada ieiunabat, diebus enim Mercurij, & Sabbathi ſemel, tantùm matris ſuggebat mammas, Benedictus in pueritia miracula faciebat, ab ore Ambroſij incunabulis apes cantando exibant. Et ſic de alijs. Quare nihil obſtat, quin ſuæ dulciſsimæ Matri Verbum æternum omnem cognitionem creaturæ poſsibilem, & dono, & ſpeciali gratia conceſſerit. Quare, &c. Et ſic patet prima veritas. Quantùm ad ſecundam veritatem dico, quòd Virgo glorioſa omnē modum poſsibilem ad futura cognoſcenda à Verbo ſuſcepit, vbi nota ſecundùm Iſidorū, quòd ſeptem ſunt viſionum genera, per quæ futura, & altà Dei myſteria cognoſcere poſſemus. Primùm genus eſt, videre per ſomnū, ſicut *per ſonum* Iacob ſcalam Angelicam vidit. Geneſ. 23. & Ioſeph vidit ſuum Principatum. Geneſ. 28. *Vidi Solem, & Lunam, & Stellas adorare me*, & Ioſeph Virginis ſponſus, *in ſomnis vidit* perſecutionem Chriſti per Herodem, Matth. 2. capite. Secundùm genus eſt extaſis, ſiue mentis raptus, ſicut patet de Paulo, qui *vidit arcana Dei, &c.* Tertium genus dicitur propriè viſio, Gen. 15. *Factus eſt ſermo Domini ad Abraham per viſionem, dicens: Noli timere, ego protector tuus ſum.* Et Geneſ. 46. *Audiuit Iacob Dominū per viſionem nocte vocantē ſe.* Et Eſai. 1. dicitur: *Viſio Eſaiæ Prophetæ filij Amos, quā vidit ſuper Iudam, & Hieruſalē.* Et Ezechiel. 1. *Cum eſſem in medio captiuorum iuxta fluuium Chobar aperti ſunt cœli, & vidi viſionis Dei, &c.* Quartum genus eſt videre per Spiritus ſancti repletionem, ſicut Prædicatores,

Cant. 4.

Luc. 1.

Gen. 23. 28.

Matth. 2

Gen. 15.

Gen. 46.

Eſai. 1.

Ezech. 1.

tores, & Prophetæ futura prædicunt. Quintum genus est, videre per nubē, sicut ad Moysem, & sanctum Iob, post eorum plagas locutus est Deus. Exod. 23. & Iob 38. Sextum genus est per vocem de cœlo, sicut quando Abraham audiuit: *Ne extendas manum tuam super puerum.* Genes. 22. Et tres Apostoli in transfiguratione audierunt testimoniū Dei, quod scilicet Christus erat filius Dei. Matt. 17. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*, &c. Septimum genus est per parabolam, sicut apud Salomonem in Prouerbijs, & apud Balaam, sicut idem Isidorus ponit exemplum. His igitur sic notatis. Cùm Virgo gloriosa magis disposita fuerit ad susceptionem cuiuscumque illuminationis, quā aliquis prædictorum: sequitur, quòd in ipsis per partes fuerit, quod in Maria tota fuerit, omnium illorum modorum perfecta infusio, & accommodatio: quare secunda veritas patet. Quantùm ad tertiam veritatem dico, quòd sic. Vbi nota, quòd tripliciter quis de futura beatitudine potest certificari, videlicet, aut per promissionem Dei conditionalem, aut per signorum Dei notitiam experimentalem, aut per nudam reuelationem specialem. Primò, per Dei promissionem conditionalem, & hoc modo credo in Scriptura sacra multa diuina verba debere intelligi, videlicet sub conditione, vt scilicet, si sic feceris, si sic perseueraueris, & similia. Vnde semel ait Dominus ad Noe, scilicet, ante diluuiū. *Erunt dies hominis centum viginti annis*, & tamen non fuerunt, nisi centum, quomodo intelligitur, ergo dictum Dei, an Deus mendax est? absit. Sed sic intelligitur. Supple, si homo perseueraverit in hac malitia, sed si eā dimiserit, erunt plures: si autem creuerit, erunt pauciores. Item Isai. 38. *Dixit Dominus per Isaiam Ezechiæ Regi: dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues:* & tamen non fuit ita, sed intelligitur, si in tali vita perseuerauerit, & quia vertit faciem suam ad parietem, & fleuit, dixit Dominus per Isaiam: *Audiui orationem tuam, & vidi lacrymas tuas, propterea adijciam super dies tuos quindecim annos.* Item Ionæ semel ait Dominus: *Vade in Niniuem ciuitatem magnam, & prædica ibi verbum, &c. Et ingressus ciuitatem clamare cœpit: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur*: & tamen, quia pœnitentiam fecerunt in prædicatione Ionę, non fuit ita. Intelligitur ergo, si perseuerauerint in malo. Item & Christus semel omnibus discipulis ait: *Gaudete, & exultate, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis*, & tamen nomen Iudæ scriptum fuit in inferno: intelligitur ergo, si perseueraueritis in hac vocatione, similiter & vita æterna promittitur omnibus Christianis. Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit denuò, non intrabit in regnū cœlorum*: ergo à contrario sensu, qui renatus fuerit denuò, intrabit in regnū cœlorum; & tamen de facto non omnes intrant. Ergo intelligitur dictum cum conditione, scilicet, si benè fecerit, & perseuerauerit in tali fide, & hoc modo quilibet de sua beatitudine certus est. Matth. 10. *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Secundo modo, quis potest certificari per signorum Dei notitiam experimentalem, vt quia libenter verba Dei audit, vel mori pro Christo desiderat: & sic de alijs, de quibus signis diximus suprà in secunda Dominica. Tertiò, potest certificari per nudam reuelationem specialem, & hoc Sancti per maximè habent in patria: infundit namque in eis Deus ipse lumen quoddam, vt nunquam, non dico dubitatio, sed nec quidem quæstio, aut aliqua titubatio de eorum beatitudine in mentem eorum oriri, aut cadere possit: & hic modus in via nemini est concessus, nisi soli Virgini gloriosæ, ratione maternitatis; quia scilicet erat mater Dei, & perconsequens magis vnita cum ipso Deo, quàm aliquis beatorum: quod autem Virgo gloriosa suæ beatitudinis certitudinem habuerit primo modo, non est dubium; quòd autem perfectissimum signum habuerit, patet, quoniam ex quo incepit esse mater Dei, sic se in gratia confirmatā sensit, vt nullo modo peccare posset, & perconsequens nec à Dei gratia cadere, & sic se esse infallibiliter ordinatam ad gloriam. Et vltra hoc lumen speciale in eam infudit Deus, vt hoc certa reuelatione cognoscere. Quare concludamus, si alicui sancto hæc in via concessa sunt, aliqua perfecta signa salutis, illa in summo Virgini gloriosæ accommodamus: vnde, si Magdalena per triginta annos septies in die ab Angelis à terra leuabatur, profectò & Virgo altior ipsa fuit. Et si Paulus in extasim positus alta mysteria vidit, sanè hæc nō solùm vidit, sed experta est, & sic de alijs. Quare satis claret præsens veritas. Et sic patet prima conclusio.

Qualiter Virgo fuit inflammata quoad affectum.

CONCLVSIO II.

ACcipe secundam cōclusionem, videlicet: quantùm ad affectū Virgo gloriosa fuit perfectè inflammata. Vbi tres inquiramus veritates, videlicet. Prima veritas est ista. Qualiter Virgo fuit in affectu inflammata? Secunda veritas. Quod signum ostendit, quòd fuerit inflammata? Tertia veritas. Si aliqua res opposita potuisset reperiri impediens eius affectum, ne tantùm esset inflammata? Quantùm ad primam veritatem dico, quòd Virgo gloriosa habuit in corde septem flammas cōtra frigiditatem septem mortalium peccatorum.

Exo. 23.
Iob 38.
Gene. 32.
Mat. 17.
Genes. 6.
Isai. 38.
Ioan. 1.
Mat. 11.
Ioan. 3.
Mat. 10.

rum. Est enim omne frigidissimum venenum cor animæ indurans supra petram. Prima flamma dicitur humilians. Secunda dicitur ardens, tertia dicitur supportans. Quarta dicitur depauperans. Quinta dicitur sobrians, Sexta dicitur solicitans. Septima, & vltima dicitur mundificans. Prima flamma est contra superbiam. Secunda est contra inuidiam. Tertia est contra iram. Quarta est contra auaritiam. Quinta contra gulam. Sexta contra accidiam, & septima contra luxuriam: & ad declarationem istorum nota, quòd sit vnũquodque prædictorum peccatorum: prout habes supra Fe. 5. Cinerũ in 3. cõsid. conclusione 2. vbi pulchrè de hoc dicitur. Quibus sic notatis. Accipe primam flammam, quæ dicitur humilians: habuit enim Virgo gloriosa profundissimam humilitatem, & hoc contra superbiam. Ecce humilitas grandis, *Ecce ancilla Domini, &c.* Luc. 1. cap. O MARIÆ profunda humilitas! Angelus enim, & non de minoribus, sed de maioribus eam alloquitur: plena gratia dicitur, subuentio Spiritus Sancti promittitur. MARIA in matrem Dei assumitur. MARIA iam omnibus creaturis anteponitur. MARIA iam cœli, & terræ domina efficitur, Et pro his omnibus, nulla superbia extollitur, sed in omnibus mira humilitate deprimitur, dicens: *Ecce ancilla Domini*, non dicis, Ecce mater Domini, non domina mundi, sed quid ais, Domina chara? *Ecce ancilla Domini, &c.* super quo verbo ait Beda. MARIA nequaquam se donis cęlestibus, quasi hoc à se esset, extulit; sed vt magis, ac magis donis esset apta diuinis, in custodiam humilitatis, mentis gressum fixit, Archangelo respondens, *Ecce ancilla Domini.* Hæc ille. De hac humilitate diximus in Sabbato præcedenti, quare, &c. Secunda flamma dicitur ardens, & hæc est contra inuidiam: quis quæso Virginis ardentem charitatem in Deum, & in proximum exprimere posset? Quid quæso teneram hanc puellam exurgere, in montanaque cum abire ea festinatione cogebat? Quid labia eius mouit, vt tam dulciter Elisabeth salutaret? quid illam tribus mensibus, vt in partu eius deseruiret, nisi feruens in corde eius charitas, ingens amor, & ardentissimus feruor: Ait enim? Greg. quòd probatio dilectionis exhibitio est operis. Tertia flamma dicitur supportans, & hoc contra iram, Luc. 2. nam licèt passio sui dilectissimi filij cor eius vulnerauerit, vt Simeon prophetauit: *Et tuã ipsius animam pertransibit gladius.* Ipsam tamen per odium nec occidit, nec per impacientiam sauciauit. O mira potentia MARIÆ, & mansuetudo! non enim solùm pacientissima fuit dum in eius præsentia suus peramatus filius crucifigeretur, sed etiam dum in eius pœnitentia vilipenderetur; hæc de irrisionibus multis Iesu Christi anima pẽsa. Psalm. 21. *Omnes videntes me deriserunt me; loquuti sunt labijs, & mouerunt caput.* Vbi nota, quòd derisio, & subsannatio non sunt idem. Nam derisio est actus oris, quo quis intendit confusionem, & erubescentiam in alium inducere. Vnde quando aliqua dicimus, siue ore aliqua signa facimus, vt proximum confundamus, vt ridendo, vel labia torquendo, & similia, hæc irrisio dicitur. Inde derisio à risu dicitur. subsannatio autem est actus oris cum nasso rugato, & eleuatione capitis, vt dicit Glossa super Psalmum, conueniunt ista duo in fine, quia vterque intendit proximi confusionem; non solùm autem Virgo vidit filium suum irrideri; sed etiam subsannari: hinc autem Christus mentionem facit de derisione, cùm ait: *Omnis videntes me deriserunt*, sed hìc *Locuti sunt labijs, & mouerunt caput.* Mentionem facit de subsannatione, & dicit omnes, quasi diceret, non fuit aliquis, qui non derideret me propter te anima mea. Reges inquam spreuerunt me. Luc. 23. *Spreuit eum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutũ veste alba*, quasi fatuum supple. Summi Sacerdotes tenente eum illudebant velantes faciem eius, alapis eum cudentes, & dicebant. *Prophetia nobis quis est, qui te percussit*, illuserunt me milites, scilicet, Pilati. Quia post sententiam datã illuserunt ei, *imponentes coronam de spinis in capite eius, & arundinem in manu eius, &* veste purpurea, & Regia induerunt illum. Ioan. 19. & breuiter Latrones, baraterij, leno nes, pedites, ragatij, meretrices, & omnes riualdi Christum in die suæ Passionis irridebant. Et tantùm gloriosa Virgo, nec vnum eorum odio habuit, aut per iram in impaciẽtiam cecidit, quare, &c. Quarta flamma dicitur depauperans, & hoc contra auaritiã. Audi paupertatis flammam. *Inuenerunt MARIAM, & Ioseph, & infantem positum in præsepio.* An credis anima mea, quòd Virgo bonum hospitium non inuenisset, si diues fuisset? Sed insignũ magnæ paupertatis Christi pauperrimis pannis inuolutũ in præsepio in medio bouis, & asini reclinauit, vt saltem flatu animaliũ, frigore existente Christo prouideret. Inde Christus. Matth. 8. ait. *Vulpes foueam habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet.* Nec mirum, si paupertatẽ elegit. Quomodo enim diuitias elegisset, quas in omni Scriptura docet esse fugiendas, tamquã quoddam superbiæ finitum, & adeo rebellare faciens? Oseæ. 13. *Ad impleti sunt, & saturati sunt, & eleuauerunt cor suum, & obliti sunt mei.* Et Matthæi 13. *Solicitudo sæculi istius, & fallacia diuitiarum suffocat verbũ, & sine fructu efficitur.* Inde Psalm. 36. *Melius est modicum iusto super diuitias peccatorum multas*, & miratiuè, siue despectiuè loquens

Luc. 1.

Luc. 2.

Psal. 21.

Luc. 22.

Ioann. 19

Matth. 8

Oseæ. 13.

Matt. 13

Psal. 36.

Psal. 76. quens in Psalm. 76. ait: *Ecce ipsi peccatores, & abundantes in seculo, obtinuerunt diuitias.* Sed quid de istis tandem ostendit? Psal.
Psal. 75. 75. *Dormierunt* (inquit) *somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in*
1. Tim. 6. *manibus suis.* Et rationem assignat, Paulus 1. Timot. 6. *Qui volunt diuites fieri, incidũt in tentationem, & in laqueum diaboli.* O serui Dei, ne timueritis ergo, vt ait Prophe
Iob 20. ta: *Cùm dives factus fuerit homo, & cũ multiplicata fuerit gloria domus eius, quia quasi sterquilinium in fine perdetur.* Quid igitur mirum, si laudatam ab omnibus viam paupertatis elegit Deus in mundum veniẽs, & viam diuitiarum condemnatam recusauit? Inde Paulus 2. Corint. 8. ait: *Scitis enim*
2. Cor. 8. *gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter nos egenus factus est, vt illius inopia vos diuites essetis,* non, supple, diuitijs seculi, sed gratia Dei. Quare, &c. Quinta flamma dicitur sobrians contra gulam, vbi accipe regulam istam. Nunquam Virgo Christũ genuisset, si eius venter mero, & crapula aliquãdo æstuasset. Inde Chrysostomus ait. Cõmessatrix, aut vinolenta nunquam MARIA fuit; non enim, anima chara, ista stant simul, vt quis sit Deo gratus per gratiam, & nõ gra
Hebr. 11. tus per gulam. Ad Hebræos 11. *Optimum enim est gratia stabilire cor, non escis, quæ nõ profuerunt ambulantibus in eis.* Audi Gregoriũ in Moralibus. Penè semper epulas comitatur voluptas; nam dum corpus in receptionis delectatione renoluitur cor, ad inane gaudium relaxatur. Ergo meritò contra ipsam gulam gloriosa Virgo habuit temperatissimam sobrietatem. Quare, &c. Sexta flãma dicitur solicitans, & hæc est contra accidiam, vnde post Christi Ascensionem solicitudinem discipulorum scriptura commemorans, de Virgine gloriosa specialiter facit
Act. 1. mentionem, dicens, Act. 1. *Hi omnes erant perseuerantes vnanimiter in oratione cũ mulieribus, & MARIA Mater Iesu,* eam specialiter nominat, vt eam super omnes perseuerantem ostenderet: nouerat enim Virgo gloriosa, quòd non dormientibus peruenit Regnum Cœlorum, nec otio, & desidia torpentibus beatitudo æternitatis repromittitur, vt ait Leo Papa. Inde Hieronymus in epistola. Sicut, inquit, Dominus nõ vult mortem peccatori, sed vt conuertatur, & viuat, ita tepidos odit, & citò ei nauseam faciunt: & notãter inter cætera opera virtutum discipulorum, & Virginis de oratione perseueranti fit mentio, quoniam oratio inter cætera multùm cor ad Deum leuat. Audi Hieronymum in epist. 144. Orationibus, inquit, filij mei instate continuis. Multùm enim valet frequens, & deuota oratio, hominem de terra subleuat, ad cœlestia vehit, & facit hominem cum Deo loqui, gratias ab eodem obti-

A net, dummodo sit deuota, & mixta lachrymis. Multùm enim valet oratio frequens, & conspersa lachrymis ad promerendam diuinam clementiam, & ad exauditionem beneficij. Obtinuit Ezechias statim gratiam à Domino suis lachrymis, & orationibus, vt mutaret sententiam, quam dixerat, liberauit Dominus Susannam à iudicio diræ mortis propter orationem, & lachrymas. Orationibus Eliæ cœlum dedit pluuiam, quod clausum fuerat tribus annis & sex mensibus: si quo egetis, petatis à Domino orationibus, & lachrymis in fide, nihil dubitantes: qui fidem enim veram habet, quantum est granum sinapis, quod petierit, net statim. Ille idẽ Do-
B minus est dies in omnibus, qui tunc erat, & nunc est. Spes vestra, & gaudium vestrum, cogitatio vestra, & omne desiderium vestrũ sit semper Deus, quoniam ex ipso, & in ipso & per ipsum sunt omnia in quo viuimus, per quem mouemur, & sumus, sine quo nihil penitus sumus. Hæc ille. Quare, &c. Septima flamma dicitur mundificans, & hoc contra luxuriam, ne enim aliqualiter Virgo gloriosa carnis delectationem haberet, à sua iuueni
C li ætate votum emisit perpetuę virginitatis. Lucæ 1. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* idest, non cognoscituram propono. Audi Aurelium Augustinum. MARIAM, inquit, & virginem veracitatẽ prædicamus, & matrẽ. Cuius virginitatem glorificauit vera fœcunditas, & cuius veram fœcunditatem glorificauit intemerata virginitas, & hæc sufficiant quantùm ad primam veritatem. Quantùm ad secundam veritatẽ dico, quòd mentis ardor per verba ardentia cognoscitur. Matth. 12. *Ex abundantia cordis os loquitur,* ex grandi ergo ardoris abundantia Virgo gloriosa cantare cæpit: *Magnificat anima mea Dominum, &c.* Nec mirũ, nam si Angeli, Christo nato, gloriã Deo decantauerunt, quia, scilicet, eorum reparatorem natum sentiebant. Si Zacharias Ioannis Baptistæ pater, *Benedictus qui venit in nomine Domini,* decantauit, quia, scilicet, popu
D li liberationem inspiciebat. Si ille annosus Simeon Christum in suas vlnas accipiens, in laudem Domini prorupit, dicens: *Nunc dimittis seruum tuum Domine, &c.* Quantò magis Virgo gloriosa, quæ mente, & corpore Christum portauerat, Deum benedixisse, & laudasse putamus? Ecce igitur quid ait: *Magnificat anima mea Dominum,* idest, de magnis rebus laudat anima mea Dominum. Et nota, quòd ista benedicta cantrix non dixit: Magnificat anima mea Deum, aut Sponsum, aut Patrem, aut Filium, quamuis quodlibet illorum dicere potuisset, sed tantùm ait: *Magnificat anima mea Dominum,* vt omnes laudes humanas se fugere ostenderet, & solùm diuinis laudibus intendere. Est enim

Mat. 12. *Luc. 2.* *Luc. 1.* *Luc. 2.*

Do-

Dominus relatiuum ad seruum, & ancillam, & seruus, & ancilla est nomen vilitatis: ergo dixit Dominum, vt se humilem ancillam ostenderet; & notanter dicit Dominum absolutè, & non Dominum terræ, & maris, vel simile, quia non locutura erat de Domino in quantum alicuius rei Domino, sed de Domino vniuersi, à quo istam gratiam fandi, & loquēdi acceperat, iuxta illud Prophetæ. *Immisit in os meum Canticum nouum carmen Deo nostro.* Et certè nouum, quia de noua re, & mirabili. Hyer. 31. *Nouum faciet Dominus super terrā, mulier circundabit virū.* Et dicit carmē, quia tria sunt, quibus specialiter laudatur Deus, scilicet, Psalmus, Hymnus, & Canticum. Psalmus est, qui cantatur ad Psalterium, Hymnus est Canticum laudātium. Vnde Hymnus Græcè, Latinè laus interpretatur. Eò quod sit carmen lætitiæ, & laudis, vt dicit Isidorus 6. Ethymolog. cap. 2. Canticum autem est ipsa vox laudis, ex quo sequitur, quòd Canticū includit Hymnum, & Psalmum; & quia tam Hymnus, quā Psalmus ex versibus, & carminibus constat, dixit: *Carmen Deo nostro*, quia hoc gloriosum Canticum Virginis omnem laudem possibilem Deo dari, siue cum Psalmis, siue cum Hymnis mirabiliter, & super eminenter cōtinet: & ideò non sine grandi mysterio illud in decem versus Virgo glorioſa distinxit, vt omnis modus laudandi exprimeretur. Sunt enim decem principaliter, quibus Deus laudari potest, videlicet, vox humana, tuba, Psalterium, cithara, tympanum, organum, cimbalum, sistrum, lira, & tibia: Lege istorum instrumentorum genera. 2. Reg. 6. vbi dicitur sic: *Dauid, & omnis populus laudabant coram Domino in omnibus linguis, fabrefactis, & citharis, & liris, & tympanis, & citharis, & cimbalis, &c.* Videamus ergo quomodo prædictis instrumentis decem Virginis carmina accomodentur. Et quia diximus, quòd primo voce humna Deus laudari potest, ideò Virgo cantans ait: *Magnificat anima mea Dominum.* Quo quidem modo, vt ait Beatus Thomas in 4. dist. 44. Sancti in patria Deum laudant. Secundò laudari potest Deus Psalterio, & quia Psalterium exultare facit. Idò ait: *Et exultauit Spiritus meus in Deo salutari meo.* Differt namque anima à Spiritu, quoniam anima commune est nomen quatuor generibus animatorum, vt patet 2. de anima, spiritus autem nomen commune est animabus, & alijs spiritibus ratione vtentibus; & ideò ait: *Exultauit spiritus meus*; quasi dicat, cum magna, & ex magna ratione *Exultauit anima mea*, sed ad præsens non intendimus hoc exponere; ideo tantùm ad propositum nostrum attendamus. Tertiò laudari potest Deus tympano, & quia tympanum de corio fit sinino, quod est valdè humile, & abiectum, ideò ait: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Quartò laudatur Deus organo, & quia organū in festiuitatibus pulsatur, ideò ait: *Quia fecit mihi Dominus magna.* Quintò laudatur cimbalis, & quia cimbalum est instrumentum piū, ideo in quinto versu ostendit magnam Dei misericordiam concessam humano generi, dicens. *Et misericordia eius à progenie in progenies.* Sextò laudatur sistro; sistrum est instrumentum, quo vtebantur mulieres in victoriam, & potentiā Regis Dauid contra superbum Goliad. 1. Re. 18. ideo Virgo ait: *Fecit potentiam in brachio suo.* Septimò laudatur tuba, & quia tuba instrumentum est belligeros viros excitans ad pugnam, & inimicos vincendum; ideo Virgo ait. *Deposuit potentes de sede.* Octauò laudatur Deus tibia: Et quia dulcem facit melodiam, & quoddammodo suos audientes sua satiat suauitate, ideo ait: *Esurientes implenit bonis.* Nonò cithara laudatur Deus, & quia in modum humani peccatoris formata est, & in brachio pulsatur dulci melodia, ideo Virgo glorioſa ait: *Suscepit Israel puerum suū.* Decimò, & vltimò laudatur Deus lira: & quia longa est, & arcu pulsatur, ideo Virgo ait, quæ longo tempore patribus promissa sunt, ostendens adimpleta, dicens: *Sicut locutus est ad Patres nostros.* Nō ponitur hic symphonia, & chorus, quia illis potiùs instrumentis vtebantur in diebus festis ad alios excitandum, ad exultandum, quàm ad laudandum Deum, sicut patet. Luc. 15. de filio prodigo. Quare, &c. Benè ergo decem versibus Virgo Deum laudat, vt mysticè ostenderet, omnibus istrumentis se Deū laudari voluisse, & si velimus aliquam huius melifluı cantus habere rationem. Vnam denotissimi Bernardi in sermone Aduentus colligamus. Angelus, inquit ipse, amplius homini non loquebatur, Patriarcha defecerat, deerat Propheta. Sacerdos auaritiæ studebat, Dux non inueniebatur, quando venit Dominus in tantùm, vt auderet diabolus dicere, *Omnia regna* mundi fore sua, scilicet. Matth. 4. Et ipse filius Dei, qui iam prædicare cæperat, non inueniens Dominum laudantes, veraciter dixit, se non habere vbi caput suum reclinaret. Erat igitur Dominus non solùm paruulus, sed fere nullus inconspectu hominū, & eius laus totaliter defecerat, ideo Virgo sola muta facta hominum labia ad Dominum laudandum invitat, dicēs: *Magnificat anima mea Dominum, &c.* In cuius perpetuam memoriam singulis diebus istud benedictum canticum hora die declinante per omnes Ecclesias, vbi diuina officia dictim celebrantur, cum maxima deuotione cantatur. Quare, & sic patet præsens veritas. Quantùm ad tertiam veritatem, manifestum est, quòd non; quia elegit eam Deus, & præele-

Psal. 39. *Hier.* 31. 2. *Reg.* 6. 1. *Re.* 18. *Luc.* 15. *Matth.* 4

elegit eam, elegit in Sponsam, & præelegit in Matrem. Ideo eam sic roborauit, & fortifi cauit, vt nulla creatura contra eam, tam interiùs, quã exteriùs prævalere posset. Quare, &c. Et sic patet ista conclusio.

Qualiter Virgo quo ad memoriam fuerit stabilita.

CONCLVSIO III.

ACcipe tertiam conclusionem, videlicet. Quantùm ad memoriam Virgo gloriosa fuit perfectè stabilita, vbi inquiramus tres veritates, videlicet. Prima veritas est ista. Quid est memoria? Secunda. Si anima separata habet memoriam eorum, quæ gessit in vita? Tertia. Si Virgo gloriosa alicuius rei est aliquando oblita? Quantùm ad primã veritatem dico, secundùm intentionem Philosophi in 3. de Anima, & communiter secundùm omnes Theologos, quòd memoria est in anima intellectiua, vt conseruatiua specierum intelligibilium, quæ non actu cogitantur, ita quòd memoria est in parte intellectiua animæ. Vnde dicit sic Aristoteles vbi supra, & benè iam dicentes sunt, animã esse locum specierum, nisi quòd non tota, sed intellectiua, nec actu, sed potentia species. Hæc sunt verba textus. Et Auicena 8. naturalium 6. capite, dicit sic: Concedo formas rerum subsistere in anima decorantes, & nobilitantes eam, quarum quasi locus est anima, mediante intellectu materiali, & intelligit hic Auicẽna de habentibus propriam speciem in intellectu. sunt res materiales, quæ de se actu intelligibiles non sunt, sed fiunt intelligibiles per actionem intellectus agentis. Et Cõmentator in 3. de Anima commento 6. glossando prædicta verba Aristotelis dicit, quòd ista propositio, anima est locus specierũ, non est vera absolutè, sed secundùm quandam similitudinem; nam locatum non est subiectiuè in loco, sed species intelligibiles sunt subiectiuè in anima intellectiua. Est ergo secundùm hanc similitudinem vera ista propositio ad hunc sensum, sicut locus recipit locatum, sic anima intellectiua species intelligibiles. Et Beatus Thomas in 1. part. quærens hanc difficultatẽ Vtrùm memoria sit in parte intellectiua? Ad responsionem vltimi argumenti ponit vnam bonam distinctionem, dicens: Quòd species intelligibilis aliquando est in intellectu, in potentia tantùm, & tunc dicitur intellectus in potentia tantùm. Aliquando secundùm vltimam complexionem actus. Et tũc intellectus intelligit actu, vt, scilicet, quando actualiter considerat, & aliquãdo sub medio modo se habet, scilicet, inter potentiam, & actum, & tũc dicitur intellectus in habitu, & secundùm hunc modũ intellectus considerat species, etiam quando actu non intelligit. Et propter hoc patet quòd non valet ista consequentia, si species reseruantur actualiter in intellectu; ergo actualiter intelligit. Non enim actualiter dicitur intelligere, nisi quando species receptas actualiter cõsiderat. Et sic quæritur quomodo memoratur anima? dicit ibidem beatus Thomas, quòd cùm memoria sit respectu præteritorum, quòd sic saluatur ratio memoriæ, quantùm ad hoc, quod est præteritorum in intellectu secundùm hoc, quod intellectus intelligit se priùs intellixisse, non autem, vt intelligit præteritum, vt est hìc, & nũc, quę sunt conditiones materiales, quæ non cognoscuntur ab intellectu, sed sensu percipiuntur. Quare ergo cõcluditur, quòd anima intellectiua per conuersionem ad species reseruandas intelligit, & scite non illas species de nouo acquirere, sed nouit se priùs illas intellexisse. Hæc materia est subtilis, & nõ prædicanda, nisi vbi doctissima esset audientia auditorum. Quare, &c. Quantùm ad secundam veritatem, quoniam difficilis est quæstio propter dictum Aristot. 3. de Anima, vbi dicitur sic ad litteram, non reminiscimur autem, quia hoc quidem impassibile, passiuº verò intellectus corruptibilis est, & sine hoc nihil intelligit. Sensus horum verborum talis est. Intellectus noster licèt sit perpetuus, & æternus, nõ tamen reminiscitur post corporis mortem, quia intellectus non potest reminisci absque virtute sensitiua, quæ corrũpitur cum corpore, & Commentator ibidem comment. 20. dicit sic. Non rememoramur post cognitionẽ humanam in hac vita, quia rememoratio fit per virtutes comprehensiuas passibiles, scilicet materiales, & sunt hæ tres, scilicet, imaginatiua, cogitatiua, & rememoratiua. His ergo deficientibus, impossibile est reminisci. Imaginatiua ergo videtur principaliter deseruire intellectui quo ad sensata. Cogitatiua, quoad insensata, & memoratiua quoad differentiam temporis. Intellectus ergo Philosophi, & Commentatoris est, quòd species intelligibiles depẽdẽt in esse, & conseruari à phantasmatibus, sicut lumen à corpore luminoso, & species visibiles à colore, sed deficiente corpore luminoso, deficit, & corrumpitur lumen, & deficiente colore, deficit species. Ergo deficientibus phantasmatibus, deficient species intelligibiles, phantasmata autem deficient, corrupto corpore, cùm sint materiales. Quare, &c. Propterea est notandum, quòd de hac materia sunt plures modi dicendi. Primus est Platonis, quem tangit Commentator commento allegato, ponentis omnium rerum species in anima concreatas; sed propter vnionem ad corpus ab intellectione illarum specierũ impeditur, & ideo cessante impedimento, scili-

scilicet, vnione cum corpore per illas species anima separata intelligit, & cõsequẽter memoratur, & reminiscitur eorum, quæ egit in corpore. Istam opinionẽ nec Theologi, nec Philosophi tenent, quomodo enim intellectus à sua operatione impediretur per illud, quod est sibi naturale, vniri enim ad corpus est animæ naturale; ergo per illã nõ impeditur ab operatione sua, & per cõsequens talis vnio cederet animæ potiùs in peiùs, quam in melius. Secunda opinio est Auicen. 9. Metaphysic. dicentis, quòd anima exuta à corpore intelligit, & reminiscitur eorum, quæ gessit in vita, & lętatur, quando memoratur virtutum, & tristatur memorans vitiorum. A

Ista opinio, si sanè intelligeretur, bonaesset, sed ad intellectum, secundùm quem ipse hãc opinionem posuit, ipsa omnino bona nõ est. Voluit enim Auicenna, quòd intellectus agens esset, quædam decima intelligentia separata, quæ influebat omnes formas in hæc inferiora; agentia enim naturalia solùm naturam disponebant, sic dicebat de intellectu posibili, quòd sensus, & sensibilia nihil aliud faciebant, nisi quòd intellectum posibilem disponebant, vt conuerteretur ad intellectum agentem, & sic ex sola illa conuersione species intelligibilis in anima influebatur. Ex quo sequitur, quòd anima à corpore exuta sine sensu, & sensibilibus poterat se conuertere ad illam intelligentiam decimam, ex qua conuersione poterat species intelligibilis acquirere, & sic intelligere sicut ante; si hoc modus esset verus, nescio quomodo intellectus humanus posset intelligere magis vnum, quàm aliud, cum intellectus ille agens sit naturalis, & non maior est ratio, quare vnum magis influere debet, quàm aliud. Sed dimittamus pro hac. Tertia opinio est Alpharabij in tract. de intellectu, & intellecto, dicentis, quòd anima à corpore separata, intelligit res per essentiam suam, sicut aliæ intelligentiæ abstractæ mouentes orbes: sed hæc etiam stare non potest, quia intelligentiæ hæc inferiora cognoscunt, & etiam sunt causæ ipsorum secundùm auctorem de causis; intellectus autem noster non est causa ipsorum, item intelligentiæ primò intelligunt se, & postea hæc inferiora. Intellectus autem noster secundùm suam naturã, primò hæc inferiora, deinde seipsum cognoscit secundùm veram Philosophiã. Quarta opinio est Philosophi, & Auerrois, quam supra posuimus. Quinta opinio est communiter omnium modernorum dicentium, quòd anima intelligit, & reminiscitur post mortem per habitus reportatos, quos acquisiuit in corpore mediantibus phantasmatibus, quoniam si sensus interior retinet species in absentia sensibilium, à fortiori intellectus in absentia phantasmatum. Inde in parabola de diuite Epulone, Lucæ 16. dicitur: *Recordare, quia recepisti bona in vita tua, &c.* Ex quibus patet, quòd non eodem modo intelligit anima in vita, & post mortem corporis, quoniam in vita corporis intelligit per conuersionem ad phantasmata, post mortẽ non, sed modo alio conueniẽti animæ separatæ, & per consequens concluditur, quòd diuersus modus intelligendi non prouenit ex diuersa virtute specierum, sed ex diuerso statu animæ intelligentis, vt dicit etiam Beatus Thomas in 1. parte quæst. 87. articul. 6. & idem Doctor vt supra articul. 1. in fine ponit verum modum, quo animæ reminiscuntur post mortem, dicens sic, anima separata non intelligit per species innatas, nec per species, quas tunc abstrahit, nec solùm per species ex influentia diuini luminis participatas, quarum anima fit particeps, sicut & aliæ substantiæ separatæ, quamuis inferiori modo, cessante conuersione ad corpus ad superiora conuertitur, nec tamen propter hoc cognitio hæc est non naturalis, quia Deus non solùm est Auctor gratuiti luminis, sed etiam naturalis. Ista sunt verba eius, & hæc sufficiant pro præsenti veritate. Quantùm ad tertiam veritatem dico, quòd Virgo gloriosa non obliuiscebatur, & si hoc quis probaret, intelligatur talis obliuio pro quadam inaduertentia, & hoc ponimus propter omnem plenitudinem gratuitorum, & naturalium donorum in ipsa repertam. Quare, &c. B C D *Luc.* 16.

De Splendore Virginis quantùm ad corpus.

CONSIDERATIO II.

NVnc qualiter lux mundi fuerit, quantũm ad corpus videamus. Vbi tres conclusiones subiungamus, videlicet. Prima conclusio est ista. Sicut prima mulier fuit creata speciosissima, ita Virgo gloriosa fuit generata nobilissima. Secunda conclusio est. Sicut prima mulier fuit creata sine culpa originali, ita Virgo gloriosa fuit in sua generatione præseruata à pœna tali. Tertia conclusio est ista. Sicut Virgo gloriosa fuit in sua generatione præseruata à culpa originali, sic eius benedicta caro ab omni contagione, & corruptione carnali.

De Nobilitate Virginis secundùm carnem.

CONCLVSIO I.

ACcipe primã cõclusionẽ, videlicet, sicut prima mulier fuit creata speciosissima, ita Virgo gloriosa fuit generata nobilissima; vbi tres inquiramꝰ veritates, videlicet. Prima veritas est, de qua Tribu secũdũ carnẽ descendit Virgo gloriosa. Secũda veritas,

Quot fuerunt nobiles à quibus descendit B. Virgo. Tertia veritas est: Quare Matthæus Euangelista, qui istam Virginis nobilitatem inter cæteros Euangelistas lucidius ostēdit, Dauid Abrahæ præposuit cum Abrahā prius tempore fuerit, quàm Dauid. Quantū ad primam veritatem dico, quòd Damascen. lib. 4. c. 6. dicit, Virginem fuisse de Tribu eadem, qua, & Ioseph vir eius. Ioseph autem fuit de Tribu Dauid, vnde ait Damascenus: Ioseph autem ex Dauidica Tribu descendens, & iustus existens. Hoc enim ipsum testatur diuinum Euangelium, nou vtique sanctam Virginem ad desponsationem duxisset, nisi ex eius sceptro descēdisset. Hæc ille. Sed si quæris, quare accepit eā in vxorem Ioseph, cùm esset antiquus, & virgo iuuenis? respondent Theologi, vt Damascenus, Hugo, & alij, quia cogebatur ex lege, virgo vnum ex Tribu sua in virum accipere; vnde lex volebat, quòd quando vir decederet sine masculis, relictis filiabus, ne hæreditas in aliam Tribum descenderet, quòd vnus de eadem Tribu vnā illarum in vxorem acciperet. Cùm ergo Ioachim pater Virginis, & Anna eius gloriosa mater alium filium, vel filiam non haberent, ad Virginē tota transiuit hæreditas, & quia Ioseph erat de eadem Tribu, & propinquior Virgini, quodā modo coactus est eā accipere in vxorem, & ob hoc etiam Virgo cum Ioseph iuit in *Bethlem Ciuitatem Dauid, vt cū eo profiteretur*. Lucæ 2. Et si dicis, quomodo Virgo fuit ex semine Dauid? dico, quòd Damascenus vt supra hoc ostendit, dicens sic, ex Cathena: Natam filij Dauid, Leui genuit Melchi, & Pantherā, Panthera autem genuit Barpantherā, ita denominatum hic Barpanthera genuit Ioachim, Ioachim autem genuit sanctam Dei Genitricem. Ista sunt verba ad litteram Damasceni. Quomodo autem Ioseph fuerit ex Tribu Dauid, ipse etiam declarat dicens: Quòd Hely, & Iacob fuerunt fratres, & Hely mortuus est sine liberis, & accepit Iacob vxorem eius, & suscitauit semen fratris eius, & genuit Iosephum, lex enim erat, sine semine viro deficiēte huius fratrem defuncti vxorem in matrimonium ducere, & suscitare semen fratris. Quod autem pariebatur secundùm naturam quidem secundi, scilicet, generantis erat, secundùm legem autem defuncti. Hæc ille. Et sic patet, quòd Virgo gloriosa fuit de Tribu Dauidica secundùm carnem. Quare, &c. Quantùm ad secundam veritatē dico, quòd secundùm doctrinam Euangelistæ Matthæi, quadraginta duo nobiles viri extiterunt. Vnde sic ait textus Matth. cap. 1. *Omnes itaque generationes ab Abraham vsque ad Dauid generationes quatuordecim, & à Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis generationes quatuordecim, & à trāsmigratione Babylonis vsque ad Christum* inclusiuè *generationes quatuordecim*. Ex quibus verbis patet, quod Virgo fuit secundùm carnem, primo ex quatuordecim Patriarchis, & ex quatuordecim Regibus, & ex quatuordecim Ducibus, & Principibus. Et tanta fuit hæc nobilis parentum dignitas, quòd tota nobilitas Iudæorum exhausta est, & in Christo, & MARIA gloriosa Matre eius terminata, ex qua postea omnis nobilitas, & dignitas Christianorum ortum sumpsit. Quòd autē à Iudæis fuerit ablata, experientia patet, quoniam à Christo citra Iudæi, nec Prophetas, nec Duces, nec Reges habuerunt, Gen. 49. *Nō auferetur sceptrū de Iudā, & Dux de fæmore eius, donec veniat, qui mittendus est*. Et Daniel. 19. c. *Cū veniret Sanctus Sāctorū, cessabit vnctio vestra*. Inde Paul. ad Hebræos 7. quosdam Hebræos Christianos factos, legē seruare volētes, vt Sabbatū custodiri, & circuncidi, &c. acriter reprehēdit, dicēs: *Trāslato Sacerdotio, necesse est, vt legis translatio fiat*. Et Augustinus super hoc verbo rationem assignat, dicens, quia enim simul, & ab eodem, & sub eadem sponsione vtraque data sunt, & quod de vno dicitur, necesse est vt de altero intelligatur, & ponūtur hæc eadem verba in capite translato, de constitut. in decretali, quorum verborum expositionē posuimus feria 3. secundæ Dominicæ. Quare, &c. Quantùm ad tertiam veritatem dico, quòd Magister Hugo super Matth. quatuor assignat causas, vt ex dictis Sanctorum colligit. Primò, vt rectiùs, & conuenientiùs generationis ordo texeretur, quia sic à radice vltima nominata inchoatur. Secundò, quia Dauid peccator, & Abraham iustus fuit, & Dauid facta est misericordia, ex quo ostenditur, quòd Christus ex sola misericordia natus est secundùm carnem. Ad Titum 1. *Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit*. Hic potest argumentum sumi, quòd vita actiua, significata per Dauid præponitur contemplatiuæ, significatæ per Abrahē, & similiter, quod peccator præponitur iusto. Tertiò, quia firmiter Dauid facta est promissio cum iuramēto, Psal. 131. *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem meam*, de fructu ventris tui, & non fæmoribus tuis subtiliter ait, vt ostenderet Christum de mulier nasci sine viro. Quartò, propter Regiam dignitatem, nam Dauid Rex eximius fuit, & Propheta, nō autē sic Abrahā, sed quare Matth. ait: Christū esse filiū Dauid, & Abrahā, ait enim sic: *Liber generationis Iesu Christi filij Dauid filij Abrahā* Chrysostom. super Matth. dicit, hoc ideo factum esse, vt Christi ostēderetur dignitas,

Luc. 2. *Matth. 1.* *Gen 49.* *Dan. 19.* *Ad Heb. 7* *Ad Tit. 1.* *Psal. 131* *Matth. 1.*

-nitas, tres enim dignitates Christus habere debebat, quia debebat esse Rex, Propheta, & Sacerdos, quia Rex nominat eum filium Dauid, quia Propheta, & Sacerdos vocat eum filium Abrahæ. Abraham enim Propheta fuit, & Sacerdos, quòd fuit Propheta patet, Gen. 21. *Redde vxorẽ filio suo, quia Propheta est.* Quòd autem Sacerdos patet, Gen. 22. quando arietem pro filio suo *obtulit*. Quare, &c.

Gen. 21.

Gen. 22.

De puritate Virginis quantum ad originale peccatum.

CONCLVSIO II.

A Ccipe secundam conclusionẽ, videlicet, sicut prima mulier fuit creata sine peccato originali, ita Virgo gloriosa fuit in sua generatione præseruata à pœna tali. Vbi tres inquiramus veritates, videlicet. Prima veritas est ista: Quid est peccatum originale. Secunda veritas. Quomodo contrahitur peccatũ originale. Tertia veritas: An Virgo fuerit infecta à culpa tali. Quantùm ad primam veritatem dico, quòd de hac materia tam antiqui, quàm moderni, multa scripserunt: & dimissis opinionibus hæreticorum, quas Magister Sententiarum in 2. distinct. 30 capite 1. reprobat, & similiter dimissis diffinitionibus illis, quas Magister ponit ibidem in capite. Supereſt nunc videre, vt quòd peccatum originale sit fomes concupiscentiæ, lex membrorum, languor naturæ, & tyrannus, solùm aliquas famosas opiniones, & modos declarandi videamus, & inter omnes tres principales videamus. Prima est Beati Anselmi in libro de Conceptu virginali capit. 27. dicentis sic, hoc, inquit, peccatum, quod originale dico, aliud intelligere nescio in ipsis infantibus, nisi factam per inobedientiam Adæ iustitiæ debitæ nuditatẽ, per quam omnes ab eo descendentes concupiscentialiter geniti efficiuntur filij iræ. Hæc ille. Ex ista diffinitione tria colliguntur dicta. Primum est, quòd peccatum originale non est aliquid formaliter positiuum, sed solũ priuatiuum; quia dicit, quòd est iustitiæ originalis nuditas; nuditas enim priuationem dicit. Vndelicèt propter priuationem iustitiæ in nobis fuerit inordinata cõcupiscentia, & fomes, & appetitus sensitiuus, hoc tamen nõ est, quòd ista sint formaliter originale peccatum, sed ideo sunt inordinata, quia priuatio iustitiæ tollit ab ipsis frænum, scilicet, iustitiam originalem, per quàm talia moderabantur, & rationi subdebantur. Et sic priuatio illius iustitiæ originalis erit peccatum originale. Ex quo sequitur secũdum corollarium, scilicet, quòd peccatum originale non est priuatio qualiscumque iustitiæ, sed iustitiæ originalis. Ex quo sequitur, quòd post Baptismum ista priuatio originalis iustitiæ non est peccatum originale, quia tollitur illud debitum per Christi mortem ad gratiam baptismalem; non enim sumus amplius debitores illius iustitiæ, quia meliorem habitum recipimus, vt ait Paulus. Tertiũ dictum est, quòd ista nuditas non est qualiscumque, sed nuditas causata demeritoriè per inobedientiam Adæ, per quam priuauit se, & suam posteritatem iustitia originali, per quod dictum sequitur aliud, videlicet, quòd quamuis fuerit iustitiç originalis priuatio propter eorum inobedientiam, non tamẽ fuit in eis peccatum originale, quia non fuit in eis transfusa per aliquos, ideo quod in nobis dicitur peccatum originale, in ipsis fuit peccatum actuale, & sic patet prima descriptio. Quare, &c. Secundus modus dicendi est Aurelij, dicentis, quòd peccatum originale dupliciter potest cõsiderari, scilicet materialiter, & formaliter: materialiter sic definit. Peccatũ originale est quædã qualitas morbida in carne, siue in appetitu sensitiuo, per quam fit quædam difficultas ad bonũ, & inclinatio quædam ad malum; & declaratur exemplo: Nam sicut leprosus generat qualitatem quandam infectam in substantia generati, per quam est leprosus, sic ex propagine parentum generatur quædam qualitas infecta in carne geneti, per quam redditur filius iræ, & quoniam caro aggrauata tali pondere est, ideo animam reddit difficilem ad bonum, iuxta illud Sapient. *Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam*. Formaliter autem peccatum originale secundùm ipsum, est deformitas, quæ fuit in actu primorũ parentum, ratione displicibilis Deo ab ipsis parentibus in omnes posteros suos transfusa; sed ista opinio communiter non tenetur, vt videbitur in sequenti veritate. Tertius modus dicendi, & melior omnibus iudicio meo est, quòd peccatum originale est carẽtia iustitiæ originalis, & reatus animæ, ideſt, obligatio ad pœnã damni, proueniẽs ex trãsgressione primorum parentum, & decreto diuino. Sic enim statuit Deus, vt omnes descẽdentes per carnalẽ cõcubitũ obligentur ad pœnã dãni, scilicet, visionis diuinæ, sicut lex statuit, quòd spurius ordinari non possit, quia talis dignitas vilibus personis concedi nõ debet, extra de spoliatione Prælatorum capite inter dilectos. Ex hac diffinitione sequũtur duo dicta. Primùm, quòd quicquid reperitur sub peccato originali, pro toto tempore illo verum est dicere, quòd illud est in potestate diaboli, patet, quia si moritur, damnatus est. Secundò sequitur confutatio Iuliani Apostatæ; arguebat enim sic: Non peccat ille, qui nascitur, non peccat ille, qui condidit, per quas igitur minas in tot innocentiæ præsidia peccati

Sap. 9.

fingis ingressum? patet, quòd istud nõ valet, sicut patet in spurijs, quare cõcluditur, quòd peccatum originale est carentia illa iustitiæ originalis, ex peccato primorum parentũ, & decreto diuino proueniens. Quare, &c. Quantùm ad secundã veritatem, oportet in primis aliqua notare. Primò, quòd cõceptio tripliciter accipitur. Vno modo pro seminis susceptione, iuxta illud ad Hebr. 11. *Sarasteritis in conceptu virtutẽ seminis accepit.* Secundò, pro formati corporis figuratione, & lineatione, iuxta illud Sap. 7. *In ventre matris figuratus sum, caro decẽ mensium tempore cõagulatus in sanguine ex sanguine hominis, ex delectamenti somnij conuenientẽ.* Tertiò, pro animæ rationalis infusione, iuxta illud Gen. 35. *Dedit Dominus cõceptũ Rebeccæ, & collidebãtur in vtero eius paruuli.* & quoniã vsque ad horam illã, qua anima corpori infunditur, non dicitur fœtus propriè animatus, aut homo, tamen secundũ veritatẽ propriè dicitur in ipsa hora infusionis homo concipi. Vulgaris tamen sermo conceptionẽ accepit pro ipsa seminis susceptione. Secũdò notandum, quòd peccatum originale non imprimitur à Deo creãte animã, quia quicquid Deus facit, est valde bonum. Itẽ nec à patre generante, quia nemo dat, quod non habet. Pater autẽ fuit in baptismo ab originali purgatus, nec à matre eadẽ ratione. Item nec ab Angelo bono, cũ ipsi malum facere nesciãt. Item nec à dæmone, cùm nõ possint concurrere ad animæ creationẽ, & infusionem. Itẽ nec à carne propria inquinante, quia infectio corporalis non agit in spirituale, coinquinãdo, teste Saluatore, *Mat. 15. nõ quod intrat per os, coinquinat animã* & Bernard. in lib. de cõceptione animæ, & corporis, sic ait: Caro per se malũ nescit, caro per se mortua quiescit. Cõclusio ergo est, quòd peccatum originale cõtrahitur in ipsa vnione animæ, & corporis, ex decreto diuino; nam cùm ista duo concurrãt in conceptione hominis, scilicet, anima, & caro, & anima antequam vniatur, pura sit, nõ contrahit secum maculam talem, similiter nec materia antequam illi anima vniatur, nõ est tali macula infecta, quia materia non est subiectum peccati, quia casu posibili posito, quòd anima in illa materia non introduceretur, ita quod fieret abortus, patet, quòd talis materia non subderetur pœnæ peccati originalis, scilicet, priuationi visionis diuinæ. Contrahitur ergo ipsa macula in primo instanti conceptionis hominis, sed non pro quocunque signo. Diuiditur enim instãs cõceptionis per quatuor signa naturæ. In primo enim signo forma substantialis corporis organici generatur ante animæ creationem, quia materia præcedit suam formam ordine naturæ. In secũdo signo anima creatur à Deo quia dator formarum, à quo est ista forma, A producit formas secundùm dispositionẽ materiarum, vt patet 2. de Anima, in tertio signo anima corpori vnitur, quia cuilibet formæ prioritate naturæ, prius est suum esse, quã suum inesse. In quarto signo contrahitur peccatum originale, nisi diuinum decretum fuerit sublatum gratia speciali, de quo decreto superiùs diximus. Inde Bernard. in glossa super Exod. ait: Omnes ex carnis delectatione concepti culpã originalem nobiscũ traximus. Et August. in lib. de fide ad Petr. firmissimè tene, & nullatenus dubites, hominẽ, qui per concubitum hominis, & mulieris cõcipitur, cum peccato originali nasci. Vide Sabbato primæ Dominica. Quare, &c. Quãtum ad tertiam veritatem, quoniam duæ adhuc famosæ opiniones de hac materia militant, quarũ quælibet innititur optimis fundamentis, ideo Regem vnum, & iudicẽ constituamus, qui rationibus partium auditis teneat, & definiat, quod rectiùs videbitur. Illi enim opinioni standum est, quæ plurimorum testimonio comprobatur, vt ponunt domini Iuristæ ff. de officio Quæstoris, lege prima. Dum tamen alia communis opinio non constaret, quia tunc communi opinioni standũ esset, vt in lege Athletas, ff. de his qui notãtur infamia. Et lege inter omnes, ff. qui satisdare cogantur; sed de opinionibus istis dicetur in sermone de Magdalena. In hac igitur veritate adducemus prædictarum opinionũ rationes. Et vnius argumenta soluentur, accedant igitur in medium rationes opinionis dicentis. Virginem in peccato originali cõceptam, sed tamen subito sanctificatam, *quia sanctificauit*, inquit Propheta Ps. 45 *tabernaculi suũ Altissimus.* Prima ergo ratio est hæc, audi Prophetã. *Omnes*, inquit, *declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonũ, non est vsque ad vnũ*, scilicet, Christũ secundùm glossam: & per cõsequens Virgo aliquando declinauit, & inutilis fuit: & A post. ad Rom. 3. *Omnes peccauerũt & egẽt gratia Dei.* & Eccl. 7. *Virũ vnum de millibus reperi, mulierẽ ex omnibus non inuenj*, vir vnus Christus est: & ad Eph. 2. *Eramus natura filij iræ.* Glossa in hac ira omnis homo nascitur. Item, & Magist. Sent. in 3 dist. c. 1 sic ait: Quæritur etiã de carne Verbi, an priùs, quàm conciperetur obligata fuerit peccato, & an talis assumpta fuerit à Verbo, sanè dici potest, & credi oportet iuxta Sanctorum attestationis conuenientiã ipsam, priùs peccato fuisse obnoxiam, sicut reliqua Virginis caro, sed Spiritus sancti operatione mũdata, ita vt ab omni cõtagione immunis vniretur Verbo, pœna tamẽ, nõ necessitate, sed voluntate assumẽtis remanẽte. Mariã quoque totã Spiritus sanctus in eam præueniens à peccato prorsus purgauit, & à fomite etiã peccati liberauit, vel fomitem penitus euacuando, vt

Ad Hebr. 11. *Sap. 7.* *Gen. 35.* *Mat. 15.* *Psal. 45.* *Psal. 13.* *Ad Ro. 3* *Eccles. 7.* *Ad Eph. 2*

qui-

quibusdam placet, vel sic extenuando, & debilitãdo, vt ei postmodũ occasio nullaten⁹ ex titerit, &c. Multæ sunt aliæ auctoritates, sed istæ sufficiant. Secunda ratio est ista: Virgo glorioſa fuit per Christi passionem redẽpta, quia inconueniens esset, ipsam tanto bono fuisse priuatam, sed non potest intelligi redempta, & liberata, nisi à peccato; ergo fuit cõcepta in peccato. Item per textum Magistri allegatum: in MARIA per Spiritum sanctum superuenientem in ea fomes fuit extinct⁹ peccati, fomes autem est, originale peccatũ, aut sequens, ideſt, effectus eius; ergo, &c. Item mors est pœna peccati originalis, Gen. 2. Item *quacumque hora comederitis, morte moriemini*; sed mortua Virgo est; ergo propter peccatum originale contractum. Item si ante Christi passionẽ mortua Virgo fuisset, cum cæteris Patribus ad limbum descendisset, sed Patres sancti non ob aliam causam ad limbum descendebant, nisi propter peccatum originale; ergo, &c. Item caro Virginis fuit indistincta in lumbis Adæ; ergo erat sicut, & alij subiecta peccato. Tertia ratio est ista: Solus Christus fuit conceptus sine peccato originali, & nihil, quod non est Christus, fuit sine peccato originali; sed MARIA est aliquid, quod non est Christus; ergo non fuit sine peccato originali, patet consequentia, quoniam solus Christus est sine culpa, patet, quòd nihil, quod nõ est Christus, est sine culpa. Quã quidem exclusiuam probãt Aug. lib. 2. de Baptismo paruulorũ, & in libris cõtra Iulianum hæreticũ, & Ambros. sup. Luc. & Hieron. super illud Psal. *De manu canis vnicam meã.* Et Greg. lib. moral. & Anselm. 4. Sentent. & Bernardus in epist. ad Canonicos Lugdunenses, & multi alij. Quare, &c. Quarta ratio est: dicere Virginem non contraxisse culpam originalem est hæreticum, & expresse contra fidem; ergo non tenendũ, nec prædicandũ. Antecedens probatur, quoniam dicere talia, est affirmare contra dicta Sanctorum, quæ Ecclesia approbauit, vt patet 15. dicto capite sancta Romana; nam multi Sancti virginem dixerunt conceptam in peccato originali; ergo, &c. Inde Augustin. libro de fide ad Petrum, sic ait: Petre, si quẽ contra hoc pertinacem cognoueris, tanquam pestem fuge, & hæreticũ abijce. Quare, &c. Istæ rationes sufficiant pro prima opinione. Nunc rationes secũdæ opinionis videamus, scilicet, eorum, qui dicunt Virginem non fuisse conceptam in peccato originali, sed per priuilegium speciale fuisse præseruatã. Prima ratio est ista: *Domum tuam Domine decet sanctitudo in lõgitudinem dierũ*, & quæ est hæc domus, nisi Virgo benedicta? Eccles. 24. *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* Et meritò dicit sanctitudo, *quia quis ille est*, nisi sit minus hominis, qui domũ sor-

Gen. 2.

Psal. 21.

Psal. 92.

Eccl. 24.

didatam non fugiat? aut quis nitidã, & ornatã habitare non studeat? Deus ergo, qui sanctissimus est, quomodo in vterum Virginis, tanquã in proprium habitaculum aliquando fœdatum, & peccato originali deuolutũ habitasset? absit vt sanctum sanctorũ, nonnisi sanctum voluerit, & elegerit habitaculum, Cãt. 4. *Tota pulchra es, & macula non est in te:* & Sap. 7. *Candor lucis æternæ, & speculum sine macula.* Itẽ audi Anselm. de Conceptu virginali: Decuit, inquit, vt Virgo glorioſa ea puritate niteret, qua maior sub cœlo nequit intelligi, & quæ maior hac puritate reperiri potest, quàm ab omni peccato præseruari, nãsi Virgo semel fuisset deturbata, & postea sanctificata, non maior fuisset puritas, quæ possit intelligi; sed maior est ab omni culpa præseruari: & confirmatur, nonne præstantius, & nobilius est, nũquam in luto cecidisse, & se à casu præseruasse, quam semel cecidisse, & postea cultello se perfectè mundasse? quis hoc ignorat præstantius esse? sic ad propositum in Virgine, inde Augustin. in lib. de natura, & gratia, vt etiam ad suum propõsitum adducit Magister in littera in 3. dist. 3. c. 2. Excepta, inquit, SANCTA MARIA, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus, cùm de peccatis agitur, haberi volo quæstionem. Inde enim scimus, quòd plus gratiæ ei fuit collatum, ad vincendum omni ex parte peccatum, quia concipere, & parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum hac ergo Virgine excepta, si omnes sancti, & sanctæ cõgregari possent, & quæreretur ab eis, an peccatũ haberent, quid responsuros putamus? nisi quod Ioan. ait: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, &c.* Hæc ibi. Item audi Hieronym. in sermon. Assumptionis: Quicquid, inquit, humanis potest dici verbis, minus est à laude Virginis, & perconsequẽs omne priuilegium, omnisque prærogatiua Virgini cõcedi debet. Quòd & Gregorius confirmat in prosa. Felix, inquit, namque es Virgo MARIA, & omni laude dignissima: & in alia prosa ait: Quibus te laudibus efferam, nescio, &c. Secunda ratio est ista: Deus aut potuit præseruare Virginem à culpa originali, aut non; ista patet per primum principium, de quolibet est, vel non est, & de nullo ambo simul, non est dicendum, quòd non potuit. Audi sanctum Iob 13. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nonne tu, qui solus es?* Si ergo potuit, aut voluit, aut non, non est dicendum, quòd non, quoniam non eam perfectè dilexisset, si eam potuisset præseruare, & noluisset, si ergo potuit, & voluit; ergo, & fecit, quia nisi fecisset; illud velle, & illa potentia frustra fuisset; sed dicis, noluit eam præseruare,

1. Ioan. 1.

Iob. 13.

quia non decuit: contrà. Sicut decuit filium habere Patrem sine Matre in cœlis, ita decuit eum habere Matrē, sine Patre in terris: ergo sicut in cœlis nulla purior est generatio, ita decuit, vt in terris nulla esset purior, sed si eam non pręseruasset, non fuisset purior omni possibili puritate: ergo, &c. Tertia ratio est ista. Quicquid est sub peccato originali, pro illo tēpore, pro quo subest illud, est sub potestate diaboli, & subiectum pœnæ æternæ, sed hoc incongruit Matri æterni Dei, & Redēptoris generis humani: ergo, &c. Inde Gen. 3. dixit Dominus ad Serpentem. *Ipsa conteret caput tuum.* Et Gregorius illud exponit de Beata Virgine: ergo, &c. Quarta ratio est ista. Imperator, & Papa legibus, quas faciunt, nō subduntur ff. de leg. lex Princeps, & 8. q. 3. cap. cuncta. Sed Virgo gloriosa est summa Imperatrix: ergo non debuit subijci legibus, quas fecit filius suus, & cō firmatur. Qui fecit legem, circa illam potest dispensare. Sed Deus fecit illam legem superiùs allegatā: ergo potuit circa illā dispēsare. Sed nō videtur decens, vt cum alio dispēsare debuerit, quàm cum gloriosa eius Matre: ergo, &c. Hæc igitur, anima mea, est illa colūba benedicta non tangens putredinem aliquam, sed reuersa ad vesperam ramum portauit oliuæ, quoniā Virgo nō fuit contaminata, sed filiū suū pacis ramū portauit, & mundo dedit. Vnde & Angeli: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus, cātauerūt. Itē hæc est illa Arca à diluuio præseruata, in qua humanū genus cōseruatū est, ne periclitaret. Itē hęc est virga illa Aaron, quæ à morsibus Serpentū Pharaonis fuit præseruata. Anima mea, ista est purissima columba, quam Deus pro honore maternitatis, sic generari voluit. Seruauit enim Deus populum suum ab aquis maris rubri, & per quadraginta annos eorum vestimēta, & calceamenta illęsa seruauit. Et hoc propter dignitatem populi sui, & quomodo matrem propriam ab omni macula non præseruasset propter dignitatem maternitatis suæ? Quare, &c. O P. Ambrosi, quid hìc faciendum? Dico anima, quòd ista quæstio, aut intelligitur de lege communi, aut speciali. De lege communi debuit Virgo concipi in pecto originali, & sic illi primæ opinionis intelligunt, nullam enim legem specialem in Virgine considerarunt, sed legē communem tātū, & ideo secundū legē communem locuti sunt, nō autē legem specialem considerarūt, quia fortè non curarunt, cùm esset dubium, nec adhuc aliquid in oppositum haberent, aut quia Deus talibus noluit adhuc tale reuelare secretū. Voluit enim Deus, vt tales sancti priùs illuminarētur ad cognoscendā Virginis conditionē secundùm communē legē, & ostenderet in eorum scriptis celeberrimā Spiritus sancti sanctificationem à culpa, quā contrahere debebat secundùm communē legem; sed post quàm Dominus reuelauit grande secretum, videlicet, quòd licèt verū esset, quod illi sancti dixerunt, quòd Virgo de cōmuni lege debuerit esse subiecta peccato, tamen ipse voluit propter filij sui dignitatē eā ab omni culpa pręseruare. Inde Propheta ait *Reuelauit Dominus condensa, & in Templo eius omnes dicent gloriam*; quoniā vt mox patefacta est talis benedicta conceptio in Ecclesia Dei, facta est lætitia magna, & officium pulcherrimum de ea institutum, & tandē plura sunt inde miracula consequua. Quę diuersi Doctores audientes de hac benedicta conceptione plurima notabilia scripserūt, & nobis posteris legenda reliquerunt. Vt Alexāder de Ales, Nicolaus de Lyra, Petrus de Cādia, Aureolus, Scotus, Franciscus Maironis, Guillelmus Varro, & multi alij, quorum aliqui ad plenum scripserunt, ipsam non fuisse in originali peccato conceptā, aliqui, qui opositum dixerant, retractauerunt, & nisi prolixitas me fatigasset, omnia ostendissem ad plenum. His auditis; vos in hac causa Iudices eritis. Ego autē dico, ipsā omnino ab omni culpa fuisse immunē. Nā cum iura partiū obscura sunt, reo potiùs fauendum est, quàm actori, vt ponunt Domini Canonistæ de regulis iuris libr. 6. Ideo argumenta, & auctoritates primæ opinionis dilucidare intendo, nec illis conuincere credat simpliciter, sed tantùm de communi lege, vt dictum est. Propterea primò dico, quòd omnes propositiones vniuersales ille adductæ, vel similes, quæ adduci possent, vt quòd *Omnes peccauerunt; Omnes declinauerunt, &c.* Quæ positæ sunt in prima ratione primæ opinionis, distingui debent, quoniam aut intelliguntur de vniuersali simpliciter, aut de vniuersali accommodato. Sicut distinguitur in 1. senten. distinct. 46. capit. 5. vniuersale simpliciter omnia distribuit, vt ista. *Omnia, quæ voluit Deus, fecit in cœlo, & in terra.* Vniuersale accommodatū distribuit tantùm secundùm quid, vt hæc. *Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Quod intelligitur de omnibus illuminatis secundùm August. Non ergo illæ vniuersales simpliciter veræ sunt, sed secundùm quid, vt omnes peccauerunt, qui, scilicèt, sub tali lege nati sunt, & nō prēseruati. Quare, &c. Secūdò dico, quòd Virgo summè per Christum fuit redempta, quoniam prēseruata est per illam passionem, & ita potest dari duplex redemptio, scilicet, prēseruans, & eleuans. Prēseruante Virgo redempta est, eleuante omnes cæteri, & per consequens patet, quòd non omnis redemptio est ex culpæ causa. Tertiò dico, quòd ratio causalis non includit rationem formalem, vt probat Magister in 2. distinctione 31. capit. final. vbi ponit puerpe-

Genes. 3.

Psal. 28

Not. quòd omnes sūt Franciscani.

Psal. 134

Ioann. 1.

perium in primo conceptu habere rationem causalem peccati originalis, & nō formalē, & sic potest intelligi MARIAM habuisse fomitem peccati, scilicet, in primo conceptu quoad legem propagantium, sub qua fuit concepta; sed non habuit fomitem formaliter in primo cōceptu seminis, cùm caro propagatur, nec in secundo, cùm formam humani corporis recipit, nec in tertio, vt in infusione animæ. Vnde secundùm legē propagantium, tam caro Christi, quàm Virginis fuit subiecta peccato, vt patet in 3. Sentent. dist. 3. capite 1. Sed secundùm legem prolis propagatæ, nec caro Virginis, nec Christi fuit subiecta peccato. Quartò dico, quòd mors non semper est effectus peccati; sed tātum in illis, qui peccauerunt, vel in peccatis nascuntur. Vnde, si Christus morte Crucis non vitam finisset, senio decessisset, sicut ait Augustinus 2. de Baptismo paruulorum, & posito, quòd Deus alium hominem de terra formaret, nulli dubium, quòd suæ naturæ relictus moreretur, quia omne compositum ex quatuor elementis aliquando corrumpitur, vt patet ex primo de generatione, immo Adam ipse in statu innocentiæ per naturam mortalis erat, sed immortalis per gratiā, vt ostensum est feria 5 præcedenti. Quare, &c. Quintò dico, quòd Virgo, si ante Christi passionem decessisset, ad limbū iuisset, non propter peccatū originale, sed propter aliud decretum, quod fecerat Deus, scilicet, vt nullus cœlos ascēderet priùs, quàm filius eius per mortem Crucis ianuas aperiret. Hieronymus. Sanguis Christi ianua paradisi est. Ioan. 3. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui & descendit, filius hominis, qui est in cœlo, &c.* Sexto dico, quia vitare nō possumus, quòd Virginis caro non fuerit in lūbis Adæ, & perconsequens ab alijs indistincta, sicut etiam est caro Christi, vt dicit Magister vbi supra. Ideo ad saluandum omnino illam benedictam carnem, dicamus, quòd Deus ante secula præsciens, & omnino illā volens incarnari, in lumbis Adæ, quandam carnis portiunculam de statu innocētiæ suæ conseruauit, quam postea de generatione in generationem descēdere fecit, vsque ad MARIAM; nam Magister in 3. distinct. 16. distinguens de quadruplici hominis statu, scilicet, ante peccatum, post peccatum, sub gratia, & sub gloria. Et tandem Doctores concludunt, quòd Verbum de quolibet statu hominis assumpserit, & perconsequens de statu innocentiæ, quod non fuisset, si omnis caro in lumbis Adæ contaminata fuisset. Inde Augustinus super illo Verbo, Ioann. 3. *Qui de sursum venit, super omnes est*, ait, Christum venisse de sursum, ideſt, de altitudine humanæ naturæ ante peccatum, nec oportet dicere, quòd ideo dicitur de altitudine humanæ

A naturæ carnem assumpsisse, quia de statu innocentiæ, sed similis statui innocentiæ, quia fuit illa caro antequam assumeretur, perfectè purgata, ita vt similis esset carni innocentiæ, sicut videtur dixisse Bonauent. in 3. dist. 3. quoniam perfectionis maioris est, & Christo conuenientius, vt illa caro dicatur præseruata vsque ad generationem Virginis, quā quòd semel fuerit infecta, & postea præseruata, & ex his limitatur quod dictum est in tertio nostro dicto hìc. Quare, &c. Sextò dico, quòd exclusiua est duplex, scilicet simplex, & accommodata, siue secundùm quid, simplex est ista, solus Christus est sine peccato conceptus de iure, & de facto; sed non solus de facto, accommodata est vt ista: *Nemo nouit Filium, nisi Pater, &c.* patet ergo quomodo intelligitur dicta exclusiua superiùs facta. Septimò nota, quòd licèt Ecclesia approbet dicta Sanctorum, quæ non sunt retractata; non tamen in omni sensu, quem faciunt. Inde Augustinus ad Vincentium. Hoc genus, inquit, scripturarū à canonicis scripturis distinguendum est, non enim ex eis sic testimonia proferuntur, vt contrarium sentire non liceat, id est, dicta sanctorum non sunt tantæ auctoritatis, quin liceat sentire contrarium in his, quæ non sunt per sacram doctrinam determinata. Ista autem dicta sanctorum alterius opinionis, nō sunt adhuc determinata, licèt sint canonizata. Ideo sentire contrarium non est hæreticum, & in dubijs C benignior interpretatio est facienda, ff. de his qui in testamento delegantur, lex proximè, & extra de regulis iuris, capite estote, & si dicis glossam de consecratione dist. 3. cap. 1. & distinct. 4. cap. 2. per Ioanne, mponunt conceptionem non esse celebrādam. Dico, quòd sic intelliguntur, ideſt, nō ponitur, nec connumeratur inter festa celebranda per annum, de quibus dicitur de consecratione distinct. 4. cap. 1. Et ratio, quia non apparet adhuc expressa determinatio Ecclesiæ, ideo nec eos redarguit, qui nō celebrant, nec eos, qui celebrant. Quare, &c. Vnum mihi dictū Pater Ambrosi solue, & teneo opinionē secundam: sanctificari prę supponit culpam, vt D omnes concedunt, sed Virgo fuit sanctificata, ergo à culpa, sed non originali: ergo, &c. Dico, anima, quòd fuit sanctificata, & purgata, nō à peccato, quod infuit, sed quod infuisset, nisi præseruata fuisset, ad modum loquendi Magistri 2 Sententiarum distinct. 9. vbi dicit, quòd Angeli ceciderunt de ordinibus, nō quòd inessent, sed in quibus infuissent, si non rebelassent. Iubilemus ergo omnes cum Virgine gloriosa, & ei gratias persoluamus, vt ipsa pro nobis intercedat ad dilectum suum Filium. Amen. Et sic patet tertia veritas.

Ioan. 3.

Mat. 11.

Ioan. 3.

De incontaminatione carnis gloriosæ Virginis.

CONCLVSIO III.

ACcipe tertiam Conclusionem: videlicet, sicut Virgo gloriosa fuit in sua generatione prẽseruata à culpa originali, sic eius benedicta caro ab omni cõtagione, & corruptione carnali. Vbi tres inquiramus veritates: videlicet: Prima veritas est ista. Quomodo est possibile, quòd Virgo pariat, & sẽper Virgo remaneat? Secunda veritas est ista. Quare Ioseph Virginẽ carnaliter nõ cognouit, ex quo inter eos erat verũ matrimonium? Tertia veritas est ista. Quare Virgo ante fuit desponsata, quàm de Spiritu sancto conciperet? Quantũ ad primam veritatem dico, quòd tres fuerunt Sectæ Virginitati gloriosæ Virginis detrahentes. Prima est Ebionitarum dicentiũ, Christũ ex semine Ioseph fuisse conceptum, & ita virginitati eius derogant ante partũ. Secunda Secta est Philosophorum dicentiũ, quòd duo corpora in eodẽ loco esse nõ possunt, & per consequens Christus non potuit exire de ventre Matris integritate manente. Tertia Secta est Eluidij Hæretici, contra quẽ beatus Hieronymus librũ composuit, & fuit vnus Idiota Sacerdos, qui loquacitatem facundiam æstimans, accepta materia disputandi à blasfemia gloriosæ Matris Dei incepit. Dicens eam à Ioseph post partum fuisse cognitam, & ita primi virginitati matris Dei derogant ante partum, secundi in partu, tertij post partũ. Et hic maledictus Eluidius filius perditionis, vt suas blasfemias coloraret, quibusdam rationibus, & auctoritatibus propositum ostendebat, quarum aliquas audiamus & rectè secundùm veram doctrinam soluamus. Et primò arguit ex auctoritate Matth.

Matth. 1. 1. *Ioseph accepit coniugem suam, & non cognouit eam, donec peperit filium suum primogenitum.* Item idem Mat. ibidem, ait. *Cum de-*

Ibidem. *sponsata esset MARIA Mater Iesu Ioseph, antequam conuenirent, inuẽta est in vtero habens de Spiritu sancto.* Item ratione sic arguebat. Primogenitus dicitur respectiuè ad secundos natos, sed Christus dicitur primogenitus: ergo respectiuè ad secundos natos, sed Virgo alios natos de Spiritu Sancto non habuit, quàm Christum: ergo habuit alios ex Ioseph. Item Christus habuit fratres iuxta

Matt. 12 illud. *Ecce mater tua, & fratres tui foris stant.* Sed non potuit habere fratres, nisi ex matrimonio Ioseph; cùm nullibi legatur alteri desponsata, aut coniuncta; ergo, &c. Sed quàm irrationabile, & indignum sit, vt benedictum illud vasculum, quem cœli, & terra capere non potest, in se veraciter continens, postea virili fuerit contaminatum semine, vos omnes iudices eritis. Primi etiam, quàm bestialiter loquantur, satis est notum, cùm

A omnis Scriptura tam noui, quàm veteris Testamenti Christum conceptum de Spiritu sancto affirmet. Philosophi autem verum dicerent, si partus Virginis naturalis fuisset, sed non sic, sed fuit miraculosus, & supernaturam licèt non contra naturam. Aliqui tamen dicunt, vt dicit B. Thomas in 4. dist. 30. ar. vltim. quòd Christus nascens accepit dotem subtilitatis, sed dicit ipse, quòd melior est expositio prima. Et pro rationibus Eluidij est notandum, quòd ista dictio donec aliquando significat tempus, quo transacto fit aliquid, sicut si diceretur. Non comedi donec hora tertia esset, sensus est, quòd hora tertia transacta comedi, aliquando accipitur

B pro semper, vt in Psal. 109. *Dixit Dominus* Pater *Domino meo*, scilicet Christo, *sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Sensus non est, quòd postquam inimici Christi erunt sub pedibus positi, scilicet, in die Iudicij, quòd tunc sedere ad dexteram Patris desinet, id est, amplius non sedebit, quia Christus æternaliter sedebit ad dexteram Dei Patris. Accipitur ergo donec, pro semper: similis sensui est. Gen. 8. *Coruus non est reuersus, donec siccarentur aquæ super terram.* Non enim postea reuersus est. Similiter ponamus exemplum, quòd tibi donare vellem aliquid, & nunquam repetere, nonne dicerem: teneas illud, donec repetam, id est semper, quia nunquam repetam?

C Primo igitur modo non intelligitur auctoritas prima per Eluidium adducta, sed secundo modo. Ad secundam auctoritatẽ dico, quòd ista consequentia non valet *antequam conuenirẽt, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto.* Ergo postea conuenerunt, sicut non sequitur, iste nõ pœnituit ante mortem ergo post mortem. Sensus ergo est, si iste non pœnituit ante mortem: ergo à fortiori nec post mortem, & similiter hic. Si ante non conuenerunt: ergo à fortiori nec postea, quia cognouit mysterium Incarnationis Filij Dei. Ad rationem de primogenito dico, quòd primogenitus non dicitur semper respectiuè ad

D secundos natos, sed aliquãdo dicitur primogenitus ante quem nullus alius natus est, aliàs vnigeniti vim primogenituræ non haberent, nec debuissent in lege offerri, quod falsum est. Ad illud de fratribus dico, quòd intelligitur secundùm cognitionem, quia, scilicet, erant de eadem familia. Sic enim Loth, & Abraham dicũtur *fratres.* Gen. 17. Fratres, *Genes. 17* scilicet, secundùm cognationem. Quare, &c. Et sic patet prima veritas. Quantùm ad secũdam veritatem dico, quòd Doctores diuersas causas assignant, quidam dicunt, quòd ex facie Virginis radius vnius splendens exibat, sicut tempore Moisi in monte Synay. Vnde & Ioseph se illius consortio indignum reputãs; *voluit occultè dimittere eã*, nec, hoc

est,

est inconueniens. Si enim ex locutione quam fecerat Moyses cum ipso Deo, tantus ex eius facie splendor exibat, quid facere deberet in Virgine, quæ ipsum portabat in ventre? Et secundùm hunc sensum isti prædicta verba exponunt, & non cognouit eã, scilicet, in facie propter dictam rationem. Quidam dicunt, quòd non cognouit eam, quia vtique virginitatem vouerat, vt exposuimus supra Sabbato primæ Dominicæ. Quidam dicunt, quòd mos iustorũ erat, non subito matrimonium consumare, sed priùs per dies aliquot orationi instabant, vt patet Tobiæ 4. *Tu autem cũ acceperis eam, tribus noctibus orationib⁹ vacabis: tertia autẽ nocte accipies Virginem cũ timore Domini*, similiter de Ioseph, cùm iustus esset, arbitrandum est, & in ipsa oratione putandum, illi fuisse reuelatum, quòd MARIAM in virginitate præseruaret, quoniam indecens, & incõsonum videbatur, vt virtus per voluptatem, castitas per luxuriam, incorruptio, per corruptionem nasceretur, vt dicit Aug. in serm. Natiuitatis Domini Quare, &c. Quãtùm ad tertiam veritatem dico, quòd Beatus Ambrosius circa hoc plures rationes assignat, quarum aliquas accipiamus. Prima ratio dicitur euitatio suspicionis, nã si oppositum actum esset, rationabiliter dulcissimus Iesus, sicut illegitimus à Iudæis potuisset repudiari, & non sicut Christus, & verus Messias acceptari. Secunda ratio dicitur dispositio prouisionis, nam cùm tanta puerorum strages per Herodem Ascalonitam futura esset, ob quã causam Christus in Ægyptum deportãdus erat, quę omnia Deo præsentia erant, & ab ipso necessariò prouidenda, Ioseph ad hoc tãquam congruentissimũ medium elegit, vt dum sponsus eius fieret, omni suspicione semotus Christum fugare posset, & alia, quæ muliebris sexus facere nõ poterat, aut non liceret, ipse perficeret. Tertia ratio dicitur conseruatio integrationis, infamiam enim non paruam incurrisset Virgo, si grauida sine matrimonio inuẽta esset. Vnde Ambrosius, Maluit, inquit, Deus de sua diuinitate, quàm de matris integritate dubitari. Leuit. 21. *Scortum, & vile prostibulum non ducet vxorem, nec eam, quæ repudiata est à marito.* Quarta ratio dicitur Materia certificationis; nam sicut cicatricũ palpatione magis per Thomam, quàm per cæteros de Christi resurrectione certificamur, vt Gregorius ait. Plùs enim Thomæ infidelitas profuit, quã fidelitas discipulorum, &c. Ita de Virginis integritate, & virginitate magis per Ioseph, quàm per cæteros sumus certificati. Cùm enim eam grauidam cerneret, deficientibus argumentis, quibus fortiùs argui solet; sola remanebat apud Deum diuinę gratiæ suspicio, vt Chrysostomus ait super Matth. Vnde magis Virginis castitati, credi dit, quàm ventri, plus gratiæ, quàm naturæ. Quarta ratio dicitur artificium occultationis, & est ratio Damasceni lib. 4. c. 6. vbi sic ad litteram ait: Quia enim obseruabat Virginis nostræ salutis inimicus propter Esaiæ prædicationem: *Ecce Virgo concipiet, &c.* vt decipiat eum, qui in sapientia semper extolli tur. Is qui appræhendit sapientes in astutia eorum, ordinauit vt in desponsatione puella Ioseph à Sacerdotibus traderetur. Desponsatio autem, & custodia virginitatis extitit, & obseruantis Virginis deceptio; ergo hæc desponsatio facta fuit, vt hostis humani generis deciperetur. Et à Deo hęc benedicta incarnatio occulta fuit, vt ait Bernardus super Missus est, quòd Archangelo Gabrieli excepto, qui omnium rerum nuncius extitit, nulli alteri priùs, quàm Virgini fuit reuelata. Sed Beatus Thomas vbi suprà mouet istam difficultatem, dicens: Nonne diabolus sciebat, quòd illa, quæ Ioseph nupta est, virgo erat, & benè cernere poterat, si Ioseph illi carnaliter commisceretur, nõ ergo videtur, quòd propter eius matrimonium virginitas occultetur. Et respõdet, dicẽs, quòd de facto diabol⁹ cognitione naturali, de virginitate MARIÆ virginis perpendisset, quamuis nupta esset, nisi Deus eum à diligẽti examinatione quæ circa ipsam erat, prohibuisset. Similiter dici potest, quòd per miracula Virginis poterat eam cognoscere Matrem Dei esse, nisi diuina virtus eum à cogitatione diligenti retraxisset. Quare, &c. Et hęc sufficiãt pro præsenti consideratione.

Tobiæ 4.

Qualiter glorioſa Virgo ſit vera lux in anima, & corpore in Empyreo Cœlo.

CONSIDERATIO III.

TErtio loco, qualiter glorioſa Virgo ſit vera lux in corpore, & anima, videam⁹. Vbi tres concluſiones more ſolito ſubiungamus, videlicet. Prima concluſio eſt iſta. Si vnquam alicui creaturæ data eſt in cœlo corona, profectò Virgini glorioſæ data eſt ſuper omnia pulcherrima. Secunda concluſio eſt iſta. Si frui diuina eſſentia, & Deum videre facie ad faciem, ſumma, & optima res eſt, profectò in hoc Virgo glorioſa ſuprema eſt. Tertia concluſio eſt iſta. Si pro conſolatione Sanctorum Deus relucentia in ſua eſſentia ipſis communicat, proculdubio Virgo glorioſa ſuper omnes illa conſiderat.

De Corona Virginis in Cœlo.

CONCLVSIO I.

ACcipe primam conclusionem, videlicet, Vbi tres inquiramus veritates, videlicet. Prima veritas est ista. Quæ est illa Corona, qua beati in patria coronantur? Secunda veritas est ista. Si omnibus datur ista Corona? Tertia veritas. Quomodo super omnes Virgo gloriosa fuit coronata? Quantùm ad primam dico, quòd corona sanctorum est aliquid aureæ superadditum, quod sancti aureolam appellant. Ad cuius declarationem est primò sciendum, quid est aurea? Secundò, quid aureola? Tertiò, an corona ista detur solùm benè operantibus? Quantùm ad primũ dico, quòd aurea nihil aliud est, quàm gloria substantialis beatorum, quæ in maiestate, bonitate, & veritate Dei fundata est, vnde tres animæ dotes resultant, scilicet, clara visio, firma tentio, & consummata, & perfecta Dei dilectio. Clara visione informatur intellectus, qui in hac vita fide illuminabatur. Firma tentione, quæ sæpè in hac vita informabatur memoria. Perfecta dilectione voluntas, quæ in hac vita in dilectione Dei, & proximi tepidè mouebatur, perficitur clara visio, inquit Ricardus de Mediavilla, est quidam habitus luminosus in intellectu, quo eleuatur ad Deum clarè videndum, sicuti est 1. Corinth. 15 *Videmus nunc per speculũ in ænigmate, tunc facie ad faciem.* Dilectio perfecta, & cõsummata est diuina bonitatis perfecta fruitio. Fruitio autem, vt idem Ricardus, & communiter omnes aiunt, & summo bono clara visio perfecto amore inhærere propter seipsum, vel potest dici, quòd est perfectus charitatis habitus, quo anima fruitur ipso Deo, vnde dicit Ricardus in 4. dist. 49. vbi hæc materia ventilatur, quòd licèt Deus in gloria sit beatorum principale obiectum, nihilominus reliqua, vt illi coniuncta videntur ad gloriam substantialem pertinere, vnde de perfectione charitatis est diligere Deũ propter seipsum, & omnes virtutes illi connexas: item humanitatem Christi, vt illi cõiunctam. Item omnes beatos in quantũ amorosissimo Dei amore pleni sunt, & vnũ corpus Collegij à Deo, & in Deo constricti, & collegati. Firma autẽ tentio est sempiterna securitas in amissibilis dignitatis. Dicit tamen Ricardus, quòd firma tentio à duabus præcedentibus non est distincta; quia secundùm Papiam, tenere nihil aliud sonat, quàm habere, vel possidere; sed melius est dicere, quòd propriè loquendo firma tentio sit habitus quidam, quo intelligentia, & voluntas sunt perfectè securæ detentionis perpetuitate. Inde August. 13. de Trinitate cap. 8. ait: Impossibile est aliquem esse batum, nisi sit securus de suæ beatitudinis perpetuatione.

A Et dicit sanctus Bonauentura in 4. quòd isti tres habitus sunt inuicem à Deo connexi, & coniuncti, vt quicumque perfectè videt, perfectè amet, & perfectè possideat, & hoc de primo, quantum ad secundùm dico secundũ Ricardum, Thomam, & communiter omnes in 4. dist. 49. quòd aureola est quoddam gaudium de operibus à se factis ratione excellentis victoriæ; nam pugnæ debetur corona. Et Timoth. 2. *Non coronabitur nisi qui legitimè certauerit.* Ergo vbi est specialis ratio certaminis, ibi debet esse specialis corona; sed in aliquibus operibus est specialis ratio certandi, vt videbitur in secunda veritate; ergo prælijs aliquam debent habere coronam, & hæc vocatur aureola. Quantũ ad tertium dico, quòd solùm benè operantibus, & non tantùm benè operari optantibus, & volẽtibus. Vnde si vnus appeteret mori pro Christo, & martyr fieri, sicut de Beato Martino legitur, & cum illo bono proposito, & in gratia Dei moriretur, non tamen aureola coronaretur; sed, inquies, quòd ergo premium dabitur tali voluntati? Dico, quòd dabitur premium, quòd dicitur palma. Vnde de beato Martino cantat Ecclesia: quem si gladius persecutoris non abstulit, palmã tamen martyrij non amisit. Et sic patet prima veritas. Quantùm ad secũdam veritatem dico, quod tria sunt genera hominum, quibus aureola datur, siue corona, videlicet, Virgines, Martyres, Doctores; Virginibus, quia vicerunt carnem, Martyribus, quia vicerunt mundum; Doctoribus, quia vicerunt diabolum: quilibet enim horum in signum victoriæ, Christo dona obtulit, Virginis carnem propriam incorruptam, & sanctam, Martyres sustinentiam mortis peracerbam pœnam, Doctores, & Prædicatores, & sancti Confessores, verã Dei doctrinam, & populorum conuersionẽ. Ratio igitur quare Virginibus corona datur, est propter victoriam carnis, quoniam vbi est præcellens ratio victoriæ, ibi debetur aliqua specialis corona, sed per virginitatem excellens corona habetur contra carnem, cõtra quam continuè bellum geritur, vt patet ad Galatas 5. Ergo vincentibus carnem specialis corona debetur. Nota tamen, secundũ beatum Thomam in 4. distin. 49 quòd virginitas, quantum ad suum materiale, scilicet in quantum nobis innascitur à natura, quia à natura omnes virgines sumus: non habet meritum aureolæ, sed solùm quantùm ad suũm esse formale, quod est propositum firmum nunquam experiendi delectationes carnales propter Deum, & hoc venit ex munere gratiæ Dei, siue illud propositum fuerit voto firmatum, siue non; sed hic ponamus duos casus. Primus est iste: Vnus, vel vna firmiter proposuit seruare virginitatẽ propter Deũ, sed tamen in processu temporis pœnituit se illud

Thim. 2.

illud habuisse propositũ, hìc moritur, quæri A tur, an aureolam perdat? Dicit Beatus Thomas, quòd si contritus est de malo proposito, & carnis integritas remanserit, aureolam non perdit; quia virginitas mentis recuperari potest, vt expressè etiam probat in 4. dist. 33. Inde Augustinus super Psalmos: Quid prodest, inquit, integra caro, mente corrupta? melius est humile coniugium, quàm superba virginitas. Hæc ille. Sed ponamus, quòd carnis virginitatem perdat, nunquid posset Deus carnis integritatẽ restituere? Audi Beatum Hieronymũ ad Eustochiũ scribẽtẽ, audacter, inquit loquitur, cũ omnia possit Deus, suscitare Virginẽ non potest post ruinam, valet enim liberare de pœna, sed non B vult coronare corruptam. Hæc ille. Secundus casus est, quid de illa, Pater Ambrosi, quæ violenter oppressa virginitatem carnis amisit, nunquid coronam perdit? Dico secundùm Beatum Thomam, & Richardum in 4. dist. 49. quòd siue pro fide, siue pro quacũque alia causa violenter Virgo corrumpitur, non perditur aureola, dum tamen propositum firmiter maneat, nec illa actui omnino consentiat; quia non potest corpus corrumpi, scilicet, quoad meritum, vel demeritum, nisi de consensu mentis, 32. distin. 5 cap. non potest, & ideo mente incorrupta durante, carne violenter corrupta, non perditur meritũ, 32. q. 5. capit. magis timeamus. Nota tamen, C quòd differentia est inter corruptam violenter pro fide, & pro alia causa, quoniam quæ pro fide corrumpitur, meritum ei duplex præparatur. Inde Sancta Lucia dixit: Si me inuitam violare feceris, mihi castitas duplicabitur ad coronam, non quòd duas habeat virginitatis aureolas, sed quia duplex premium reportabit, vnum pro virginitate custodita, aliud pro iniuria, quam est passa, & hoc ad genus martyrij pertinebit, si tamen pro alia causa corrũpatur, meritum virginitatis non perdit, martyr tamen non est, nec coæquabitur primæ corruptæ in multis donis. Et si dicis, ò Pater, & viduæ, quæ multã carnis tentationem patiuntur, & carnem vincunt, quid reportant? Dicit Beatus Thomas D vbi suprà. Quidquid sit de pugna carnis, quoniam possibile est, viduam aliquam magis tẽtari, quàm virginem: certum tamẽ est, quòd perfectior est victoria virginum, quã viduarum, quoniam perfectissimum victoriæ genus est nunquam cecidisse. Corona autem nõ debetur pugnæ, sed victoriæ de pugna, ideo Virginibus corona, idest, aureola, nõ viduis, datur. Quid autem reportent, dicitur, secundùm Bonauẽturam in 4. dist. vt suprà, quòd reportant sexagesimum, in quo numero sex vicibus numerus denarius reperitur, vt sex opera ostendant, in quibus viduę verè se exercere debẽt, videlicet, reddere vicem parentibus, instare orationibus, filios educare, si habent, pauperes hospitio acceptare, sanctorum pedes lauare, & tribulationem sustinentibus ministrare. Hac tamen nostra ætate, quoniam dies mali sunt, cum magna prudentia talia exercenda sunt. Quanta autem dignitas sit conseruandæ castitatis, ostenditur in collationibus sanctorum Patrum, permaximè in duobus dictis. Primum dictum est, maius miraculum est de propria carne fomitem luxuriæ eradicare, quàm immũdos spiritus de corporibus alienis expellere. Secundum dictum est, maior virtus, & sublimior gratia est internam libidinem carnis extinguere, quàm nequitias dæmonum extrinsecùs irruentes signo Domini, ac virtutis altissimi potentia subiugare. Hæc ibi: Et hæc dicta sint quantùm ad coronam Virginum, nunc ratione videamus, quare Martyribus corona, siue aureola detur? Vbi notandum est, secundùm Beatum Thomam vbi suprà, quòd sicut pugna quædam contra interiores concupiscentias inest spiritui, ita & quędã pugna homini inest contra passiones illatas exteriùs, & sicut victorię carnis debetur triũphus, ita & victorię passionum exteriùs. Inter omnes autem passiones illatas exteriùs præcipuum locũ mors tenet, sicut inter omnes passiones interiores præcipuum locum tenet venereorum concupiscentia, vt ait Augustinus. Inter duriora certamina, duriora sunt certamina castitatis, & ideo sicut pro victoria passionum interiorum carnis debetur corona, sic & pro victoria passionum illatarũ exteriùs, quarum præcipua est mors pro glorioso Christi nomine. Tria enim verum Martyrem efficiunt, voluntas prompta, causa iusta, scilicet, pro Christi fide, & acerba pœna. Matth. 16. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Sed hic quærũtur duo puncta. Primum est, ponamus, quòd quis propter fidem vulnus mortale accipiat, & superuiuat, est ne martyr? Dicit Beatus Thomas, quòd sicut patet de beata Cecilia, quæ triduo superuixit, & de multis sanctis, qui in carcere defuncti sunt: sed ponamus, quòd vulnus non fuerit mortale, tamen ex illo propter negligentiam mortui sunt, nunquid aureolam habent? Quidam dicunt, quòd non, quia ex eorum incuria, & negligentia mortui sunt. Beatus Thomas dicit, quòd si fuerit negligẽtia, quæ culpam mortalem inducat, aureolã non merentur: sed si non totalis, aut aliqualis fuerit, quantumcumque paruam negligẽtiam habuerint, illã non perdunt, vnde quorundam sanctorum martyria in Ecclesia celebrantur, qui in carcere mortui sunt aliquibus vulneribus longè ante susceptis, sicut patet de Marcello Papa. Vnde pro regula accipe, quòd si quis pro fide Christi, siue immediatè, *Mat. 16.*

diatè, siue post aliquo vulnere paruo, vel magno libenter, & voluntariè susceptо moritur, ille martyr est, & aureolam meretur; sed si infinitas iniurias, & percussiones habuisset, nec tamen mortuus est, non est martyr, sicut patet de Beato Syluestro, de quo non solemnizat Ecclesia, sicut de martyre, quia in pace vitam finiuit, quamuis pro Christo aliquas pœnas sustinuerit. Hæc Beatus Thomas. Idé premium consequuntur, qui Rempublicam ab hostium impugnatione defendunt, qui Christi fidem corrumpere moliuntur, & in tali defensione moriuntur. Intellige, si sint sine peccato mortali, quia martyrium peccatũ mortale nõ purgat, vt patet dist. 90. c. neque, cum glossa, & 1. q. 1. capite vide, & ibi per Ioannem, & hoc de primo puncto. Secundus punctus est, quid dicendum de innocentibus pro Christo occisis, habuerunt, & ipsi coronam? Dicit beatus Thomas vbi supra, quòd quidam dixerunt, quòd sic, quia diuina virtute fuit in eis vsus rationis accelleratus, sicut & Ioãni Baptistę adhuc existẽti in vtero matris. Aliqui dicunt, quòd fuerunt Martyres actu, & non voluntate: distinguũt enim triplex genus Martyrum, videlicet, Martyr volũtate tantũ, vt Ioãnes Euãgelista; opere tantùm, vt Innocẽtes; volũtate, & opere, vt Stephanus, & alij multi, & hoc videtur sentire Bernardus, qui hãc distinctionem ponit. Vera tamen opinio est, quôd non pertingũt ad perfectam rationem martyrij; sed aliquid martyrij habẽt ex hoc quòd pro Christo passi sunt. Et ideo dicit Beatus Thomas, quòd sicut non perfectam rationem martyrij habent, sic & aureolæ perfectæ rationem non habent, sed solùm secundùm quandam participationem, in quantùm, scilicet, gaudent, se in Christi obsequio occisos fuisse, sicut etiam pueri decedentes cum Baptismo aliquod gaudium habebunt de innocentia, & carnis integritate. Et hæc sufficiãt in quãtum ad coronam Sanctorum Martyrũ. Nunc de sanctis Prædicatoribus rationem videamus, vbi notandum secundùm Beatum Thomam vbi supra, quòd sicut ex victoria carnis per virginitatem, & ex victoria mundi per mortem, ita ex victoria diaboli per fidẽ prædicatã meretur aureola; prædicatores enim non solùm à se diabolum expellunt, & vincunt, sed etiam suis sanctis prædicationibus ab alijs superari docẽt. Et audi notabile verbum dicti Doctoris: Nec est dicendum, inquit, vt quidam aiunt, quòd aureola tantùm Prælatis debetur, quibus ex officio prædicare incumbit, & docere, sed quibuscumque, qui licitè hunc actum exercent, nec ipsis Prælatis datur, nisi actu prædicent, licèt ex officio prædicare teneantur, quia corona non debetur habitui, sed actuali pugnę, 2. Tim. 2. 2. Timoth. 2. *Non coronabitur, &c.* Et in fine huius quæstionis sic ait: Cũ dicitur, quôd doctrinæ debetur aureola, intelligendum est de doctrina, quæ est de pertinentibus ad salutem, per quam diabolus à corporibus hominum expugnatur, sicut Paulus ait, 2. Cor. 10. *Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed spiritualia.* 2. Cor. 10 Siquis autem prædicaret propter pompã, & seculi famam, aut propter dignitates acquirendas. *Amen dico vobis, recepit mercedem suam.* Matth. 6 Quare, &c. & hæc sufficiant pro secunda veritate. Quantùm ad tertiam veritatem dico, quòd de cotona, & aureola Virginis plures sunt modi dicendi. Quidam autẽ, quòd Virgo gloriosa pro virginitatis prẽmio nõ habuit aureolam, vt aureola propriè accipitur, quoniam talis corona debetur pugnantibus contra carnem, & vincentibus; sed Virgo gloriosa nullam carnis pugnam habuit, & per consequens nec victoriam; sed habuit alia præmia, vt Matrem Dei decet. Alij dicunt, quòd licèt Virgo carnis pugnam non senserit, tamẽ aliquam pugnam habuit, non sensit autem illam ex vehementia virtutis, & charitatis, per quam caro rationi subdita erat, & sic talis pugna quodam modo insensibilis erat. Ista opinio falsa est, quoniam Virgo immunis ab omni fomitis inclinatione fuit, vt tenent communiter omnes, & ostendit Magister in 3. dist. 3, & per consequens in ea non fuit talis pugna, cùm omnis talis ex fomitis inclinatione proueniat, vt receptatio, quæ fit à carne sine peccato esse nõ possit, vt patet per Glossam super illud 2. Corinth. 12. *Datus est mihi stimulus, &c.* 2. Cor. 12 Ideo est alius modus dicendi, qui est B. Thomæ vt suprà, quòd Virgo gloriosa propriè aureolam habuit, vt in hoc alijs mẽbris Ecclesiæ conformaretur, in quibus inuenitur aureola, & quamuis non habuerit pugnam propriæ carnis, habuit tamen pugnam per tentationem hostis, qui nec etiam ipsum Christum reueritus fuit, vt patet Matth. 4. Matth. 4 sed certè iudicio meo non soluat rationem aureolæ propriè datæ in prẽmium pro virginitate, cùm talis corona debeatur pro victoria carnis, vt superiùs dictum est. Ideo dico, quòd ideo datur ei aureola pro victoria carnis, non quam habuit, sed habuisset, nisi sanctificata, & ab omni culpa præseruata fuisset. Simile dicere possumus de innocentibus, quòd eis verè debetur aureola pro victoria voluntaria martyrij, non quam tunc haberent, cùm carerent rationis vsu, sed quam habuissent, si vixissent. Dicas tamen, vt placet, sufficit, quòd si cuipiam gloriosa data est corona, quòd Virgo super omnes excellit, fuit namque, & est coronata corona virginum, quia est Regina omnium Virginum: est autem coronata corona Martyrum, quia ipsa summè corpore, & mente passa est. Est coronata corona Prædicatorum, quia in ipsa sola

remanet

remansit filij sui fides. Inde Psalm. 44. de ea cantat in spiritu: *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaureato circundata varietate.* Et Ioan. Apoc. 12. de ea ait: *Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius*; quas auctoritates, Deo duce, in sermone suæ Assumptionis exponemus. Et hæc sufficiat pro præsenti conclusione.

Psal. 44.

Apoc. 12.

De fruitione Virginis in Patria.

CONCLVSIO II.

ACcipe secundam conclusionem, videlicet, si frui diuina essentia, & Deum videre facie ad faciem summa, & optima res est, profectò in hoc Virgo gloriosa suprema est, vbi tres inquiramus veritates, videlicet. Prima veritas est ista. Vtrùm Virgo gloriosa Deum intuitiuè videndo, eum comprehēdat? Secūda veritas: Vtrùm inferiores à Virgine clariùs Deum videant, vnus altero? Tertia veritas: An Virgo clariùs omnibus videat? Quātùm ad primam dico primò, quòd comprehendere, vt vis vocabuli sonat, est simul totū prehendere, idest, capere, ita quòd non sit maior quantitas comprehensi, quàm comprehendentis, sicut dicimus de contento, & cōtinente. Secundò dico, quòd essentia Dei est infinitæ virtutis, aliter nō esset Deꝰ. Tertiò dico, quòd Virgo quamuis esset Mater Dei, tamen creatura Dei est, & finitæ virtutis. Tunc dico ad veritatem, quòd cùm Dei quantitas virtutis sit infinitæ, & quilibet intellectus, & oculus corporalis sit finitę virtutis, quòd gloriosa Virgo, licèt clarissimè vltra omnes, vt videbitur in tertia veritate, Deum videat, tamen nequaquam ipsum comprehendit, nisi comprehendere accipiatur largo modo pro ipsa fœlicitate, sicut ait Apostolus 1. Corinth. 9. *Sic currite, vt comprehendatis.* Vnde accipe istam regulam, quòd Virgo gloriosa totam diuinam essentiam videt, quia ipsa est indiuisibilis, tamen non totaliter, ita tamen intellige istud totaliter: nolo enim dicere, quòd sit aliquis modus in Deo, quem non videat, nec quòd sit aliquis modus in intellectu Virginis, qui nō conuertatur ad Deum, sed sic intelligitur, quòd modus, quo ipsa conuertitur ad Deum cognoscendum, non est æqualis modo, quo Deus est cognoscibilis. Quando ergo dico essentia diuina non totaliter videtur à Virgine, hoc aduerbium totaliter non dicit modū videntis absolutè, nec modum absolutè rei visæ in se, sed modum videntis per comparationem ad rem visam, ita quòd hoc aduerbiū totaliter determinat ipsam visionem, secundùm quòd comparatur videns ad visum, & hoc voluit intelligere Augustinus in lib. de videndo Deum, cùm ait: Dei plenitudinem

1. *Cor.* 9.

A non solùm oculus corporis, sed nec ipsa mente quisquam aliquando comprehendit. Et Damascenus lib. 1. ait: Incomprehensibilis est Dei substantia his, qui diuinæ credunt Scripturæ, & fortificatur ratione, nam omne, quod totaliter comprehendit, aliquid est maius, vel æquale illi; sed nullus intellectus creatus est maior Deo, vel æqualis; ergo non potest ipsum totaliter comprehendere. Et hic patet, quòd visio, quæ causatur ab essentia diuina in intellectu creato, non mensuratur secundùm modum infinitum, qui est ipsius essentiæ secundùm se, sed secundùm modum, quo intellectus pertingit ad hoc, quòd ipsum perficiatur. Quare, &c. Et sic patet prima veritas. Quantùm ad secundam veritatem dico, quòd sicut intellectus possibilis per intellectum agentem fit cognitiuus rerum naturalium cognoscibilium, quia intellectus est sicut quoddam lumen irradians intellectum possibilem, vt intelligat res naturales, vt patet 3. de Anima, ita lumen gloriæ in patria superadditum virtuti intellectiuæ irradiat intellectum ad videndum diuinam essentiam, & ideo cùm istud lumen secundū magis, & minus participetur à Sanctis, secundùm quòd eorum merita præcesserunt in vita, necesse est, vt vnus alio diuinam essentiā clariùs intueatur. Quòd autē in lumine gloriæ diuinam essentiam videamus: audi Prophetam Psalm. 35. *In lumine*, inquit, *tuo videbimus lumen*. Quòd autem participetur secundùm magis, & minus audi epistol. 1. Corinth. 15. *Sicut stella à stella differt in claritate, sic erit resurrectio mortuorum.* Claritas autem corporis claritatem videbit mentis; ergo quidam clariùs videbunt diuinam essentiam. Item homines assumuntur in gloriam secundùm sortem Angelorum, qui corruerunt secundùm totam Theologiam; sed superiores Angeli clariùs Deum vident, quā inferiores, secundùm Dionysium de Cœlesti Hierarchia; ergo & homines quidam clariùs videbunt diuinam essentiam, tamen intellige, quòd non erit in vno tenebra aliqua, immo quilibet clarè videbit, ita quòd modus videndi meus mihi erit clarissimus, qui possit inesse mihi, & ita tuus tibi, & sic de alijs, tamen comparando postea lumen gloriæ, vt participatum ab hoc, & vt participatum ab illo, erit tunc disparitas, non propter defectum obiecti, quòd est diuina essentia, nec propter defectum luminis gloriæ, quod quātum est in se, est maximæ latitudinis; sed hoc prouenit ex diuersa dispositione capacitatis humanæ, quæ causata est ex diuersa dispositione meritorū. Quare sequitur, quòd illud aduerbium magis, scilicet, in propositione, vnus magis clarè videt diuinam essentiam, non determinat diuinam essentiam, quia vt sic non est differētia, sed determinat

Psal. 35.

B

D

mo-

modum ex parte videntis. Quantùm ad tertiam veritatem dico, quòd sic & hoc permaximè triplici ratione. Prima ratio dicitur meritorum vbertas. Secunda dicitur gratiæ fertilitas. Et tertia dicitur loci sublimitas. Prima dicitur meritorum vbertas. Vnde arguatur, quanta sunt opera meritoria, tanta debet esse merces; quia vnusquisq; suã mercedẽ
2. Cor. 2. accipiet, *prout gessit in corpore suo, siue bonum, siue malum*: & ideo Christus discipulis
Matth. 5 ait: *Gaudete, & exultate, quoniam merces*
Sap. 1. *vestra copiosa est in cœlis.* Sapient. 1. *Reddet Deus mercedem laborum suorum.* Psal. 127.
Psal. 127 *Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, & benè tibi erit.* Sed Virgo gloriosa perfectiora opera meritoria omnibus habuit; ergo super omnes fuit perfectè beata. In vera autem beatitudine ponitur clara visio, vt diximus in alia conclusione, ergo ipsa clariùs omnibus Deum videt. Probo minorem. Plus enim meruit gloriosa Virgo in vno solo consensu, scilicet, conceptionis Filij Dei, quàm omnes creaturæ, siue sint Angeli, siue homines. Quid enim ipsi ex suis bonis actibus meruerunt vltra, quàm gloriam fœlicitatis æternæ secundùm eorum diuersos gradus? sed Virgo gloriosa in illo solo humillimo consensu: *Ecce ancilla Domini, fiat*
Luc. 1. *mihi secundùm verbum tuum*, meruit primatum orbis, mundi dominium, sceptrum Regni, plenitudinem omnium gratiarum, omnium Virtutum, omnium Donorum, omnium Beatitudinum, omnium Fructuum Spiritus, quòd sit Porta cœli, Stella maris, Mater misericordiæ, & quòd omnia excedit, quòd esset Mater Dei: quæ ergo ratio, quòd super omnes non deberet præmiari? Secunda ratio dicitur gratiæ fertilitas. Vnde arguatur sic, quanta fuerit gratia animæ in patria, tanta erit luminis gloriæ participatio, sed Virgo fuit vltra omnes, tam in mundo, quàm in patria plena gratia quia cæteris per partes, in MARIA autem tota se infundit gratiæ plenitudo, vt Hieronymus ait; ergo debuit, & debet Virgini dari vltra omnes luminis gloriæ plenitudo. Consequentia nota, & maior probatur ex dictis in præcedenti veritate, quoniam ita lumen gloriæ infunditur, sicut est præparatio subiectorum, &c. minor probata est; ergo, &c. Tunc vltra Virgini accommodatur luminis gloriæ plenitudo super omnes creaturas; ergo sequitur, quòd etiam vltra omnes creaturas clariùs Deum videat, & ipso fruatur perfectiùs: patet consequentia, quia ita clarè cernitur Deus, sicut accommodatur lumen gloriæ, & per hoc diximus in præcedenti veritate, quòd vnus sanctus clariùs alio Deum videt. Tertia ratio dicitur loci sublimitas: dicimus enim ex sententia Beati Dionysij de Angelica Hierarchia, quòd quantò vnus Angelus, & vna anima altiori fungitur loco, tanto clariùs Deum videat; sed Virgo gloriosa altior est omnibus, quia exaltata est super Choros Angelorum ad cœlestia Regna, cantat Ecclesia; ergo ipsa clariùs Deum videt. Audi Beatum Hieronymũ, quid de Virgine dicat, eleuatur, inquit, super omnes Choros Angelorum, vt possit speciem, vultumque videre Saluatoris, quẽ amauerat, concupierat ex toto desiderio cordis. Audi Aurelium Augustinum: MARIÆ, inquit, anima claritate fruitur Christi, & gloriosis eius conspectibus semper præsens, semper conspiciens, semper videre sitiens, inæstimabiliter pascitur, &c. Audi, & gloriosum Bernardum: Profundissimam, inquit, diuinæ sapientiæ vltra quam credi valeat, penetrauit abissum, & quantum sine personali vnione, creaturæ conditio patitur, luci illi inaccessibili videtur immersa. Hæc ille. Quare, &c. & hæc sufficiant pro præsenti conclusione.

De consideratione Idearum.

CONCLVSIO III.

ACcipe tertiam conclusionem, videlicet. Si pro consolatione Sanctorum Deus relucentia in sua essentia ipsis communicat, proculdubio Virgo gloriosa super omnes illa considerat. Vbi tres inquiramus veritates, videlicet. Prima veritas est: Vtrùm Virgo nunc in patria existens in anima, & corpore videat Deum oculis corporeis, sicut videt oculis spiritualibus. Secunda veritas est: An Virgo gloriosa videndo Deum, videat omnia relucentia in eo. Tertia veritas est: An Virgo reuelet aliquibus de inferioribus spiritibus, quæ in essentia diuina cernit? Quãtùm ad primã veritatem dico, quòd per se, & immediatè, nec Virgo, nec aliquis Sanctus Deum oculis corporeis videre potest, & hoc probo sic, nam si à sẽsu remoueatur id, quod conuenit sensui, in quantùm sensus, non erit sensus, & similiter si à visu remoueatur id secundùm quod est visus, non erit ampliusvisus: cũ ergo sensus in quantùm sensus participat sensibilia communia per se, vt magnitudinem, motum, numerum, &c. vt patet 2. de Anima. Et sensus visus in quantum talis semper participet colorem, impossibile est, quòd sensus participet aliquid, quod non est magnum, nec visus participet aliquid, quod non est coloratum; sed in patria est idem visus, & idem sensus, quòd hic in via, licèt perfectiori modo, tamen secundùm eãdem rationem formalem: ergo in patria Deum per se, nec oculus corporis, nec aliquis sensus corporis Deum videt. Virgo autem gloriosa habet in patria idem corpus, quod habuit in mundo: ergo ipsa Deum per se videre non po-

potest. Potest tamen videri Deus oculis corporeis per accidens. Videre enim per accidens, est videre aliud, quod est coniunctum ei, quòd est per se inuisibile, sicut dicimus: video hominem viuere, quia video corpus, quod est sensibile per se, moueri, & sic animã videmus, quia corpus videmus. Similiter oculi Virginis, & aliorum Sanctorum vidẽt Deum per accidens, quia vident gloriosum Christi corpus, quod est sensibile per se, sub quo est ipsa diuinitas; quia Christus Deus, & homo est. Ex quo sequitur, quòd anima Virginis perfectè beatificatur in contemplando diuinam essentiam, & corpus in cõtemplãdo corpus sui dilectissimi filij. Et hac ratione dixit Augustinus, Deum hominem factum esse, vt homo intus, & extra pascua inueniret; intus in contemplatione Creatoris, extra, in humanitate Saluatoris. Hæc omnia etiam ponit beatus Thomas in sentent. in 4. distin. 49. sed contra, inquies, Pater Ambrosi, audi expresse Iob 19. quid dicat: *Scio*, inquit, *quòd Redemptor meus viuit, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum, &c.*

Iob 19.

Item, & ipse de se ait 39 cap. dicens: *Auditu auris audiui te: nunc autem oculus meus videt te:* Sed oculus glorificatus maioris est virtutis, quàm non glorificatus; ergo in patria Deum videre poterit. Item quæ est differentia corporalium ad incorporalia, eadẽ est è conuerso, sed oculus incorporeus corporalia videre potest; ergo oculus corporeus incorporalia, & per consequens Deum, qui est summè incorporeus. Dico, anima mea, quòd omnes auctoritates, quæ dicunt Deum vidisse, vel videre, intelliguntur de oculis spiritus, & non carnis. De quibus oculis loquitur Apostolus ad Ephes. 4. *Illuminatos habere oculos cordis vestri.* A dationem dico, quòd similitudo nõ tenet quoad omnia: si enim oculus corporis haberet vim, & dispositionem ad videndum spiritualia, sicut oculus spiritualis ad videnda corporalia; similitudo teneret, sed non sic est; quoniam materialitas impedit oculum corporalem, sed oculum spiritus non impedit, cùm sit spiritualis. Forma enim, quantò est magis abstracta, tantò magis est cognitionis principium, & ideo quando est in materia, nullo modo potest esse cognitionis principium; ex quo patet, quòd materia est impedimentum cognitionis, & propter hoc datur intellectus agens, secundùm Philosophos, vt abstrahat species à materia sensibili, vt patet 3. de Anima. Quambrem oculus spiritualis, cùm ab ipso remoueatur cognitionis impedimentum, potest videre rem corporalem; non autem sic oculus corporalis, cùm participet de materia, potest videre rem spiritualem. Sufficiat tibi, anima, pro ista veritate. Quantùm ad secundam veritatem dico, quòd beatus

Idem 39.

Ephes. 4.

A Thomas 1. par. quæst. 12. artic. 10. breuiter hanc quæstionem tangit, & breuiter dicit: Cùm omnia, quæ sunt in diuina essentia relucentia, non videantur, singula per singulas similitudines, sed omnia per vnam essentiã Dei: necesse est, vt beati singula simul videãt & non successiue. Et reuera multi arguunt contra istud dictum, ostendentes, quòd successiuè possunt aliqua videri, quia si non certum est, perirent reuelationes, & illuminationes Angelicæ, & multa alia inconuenientia. Propterea ego ipse, legens eumdem in 4. sentent. distin. 49. in hac quæstione, iudicio meo saniùs loquitur, & ponam verba eius ad litteram. Respondendo igitur ad quæstionẽ, B postquam duo dicta dixit, respondet ad propositum. Primum dictum est, nulli dubium, quòd intellectus diuinus intelligit omnia, quæ relucent in diuina essentia, præsentia, præterita, & fututa. Secundum dictum est hoc, & sunt verba eius ad litteram: Impossibile est autem, quòd aliquis intellectus creatus cognoscat omnia, videndo diuinam essẽtiam, quæ Deus potest facere; & ratio, quia quantò aliquod principium perfectius cognoscitur, tantò plura sciuntur in ipso, sicut in vno demonstrationis principio ille est, qui perspicacioris ingenij plures conclusiones videt, quàm alius, qui est ingenij tardioris. Cùm ergo quantitas diuinæ potentiæ attendatur secundùm ea, quæ in ipsa potest, si C aliquis intellectus videt in diuina essentia, quæ omnia Deus potest facere, eadem esset quantitas perfectionis, intelligendo, quæ est quantitas diuinæ potentiæ in producendo effectus, & ita cõprehenderet diuinam essentiam, quod est impossibile omni intellectui creato. Illa autem omnia, quæ Deus scit notitia visionis, aliquis intellectus creatus cognoscit in verbo, scilicet, anima Christi, vt n 3. lib. dist. 14. dictum est. Modò sequitur ad propositum, & sic ait: Sed de alijs videntibus diuinam essentiam, est duplex opinio. Quidam enim dicunt, quòd videntes diuinã essentiam, vident omnia, quæ Deus videt, scientia visionis; sed hoc repugnat Sanctorũ D dictis, qui ponunt Angelos aliqua ignorare, quos tamen constat secundùm fidem omnes Deum per essentia videre, & ideo alij dicũt, quòd alij à Christo, quamuis videant Deum per essentiam, non tamen vident omnia, quæ Deus videt, eòquod essentiam diuinam non comprehendunt: non enim est necessarium, quòd sciẽs causam, sciat omnes effectus eius, nisi causam comprehendat, quia non competit intellectui creato, & ideo vnusquisque Deum videntium per essentiam, tantò plura in eius essentia conspicit, quantò clariùs diuinam essentiam intuetur, & inde est, quòd vnus potest alium instruere, & sic Angelorũ scientia, & animarum sanctarum potest auge-

geri vsque ad diem iudicij, sicut & alia, quæ ad præmium accidentale pertinent, sed vlterius non proficiet, quia tunc erit vltimus status rerũ, & in illo statu possibile erit, quòd omnes omnia cognoscent, quæ Deus scientia visionis cognoscit. Ista est responsio eius ad litteram. Ecce quàm in hoc vltimo verbo se modificat, dicens, quòd possibile erit in illo statu, &c. & non dicit, quòd de facto sic sit, vel erit. Et ponit vnum notabile verbum in responsione secundi argumẽti, dicit enim sic, exponens illam auctoritatem Beati Gregorij in 4. dialog. dicentis: Quid est, quòd non videant, qui videntem omnia vident? ex illo verbo Gregorij ostenditur, quòd in illa beata visione est sufficientia ad omnia intuẽda ex parte diuinæ essentiæ, quod est mediũ quo videtur, per quem Deus omnia videt; sed quòd non omnia videantur, hoc est, ex defectu intellectus creati; qui diuinam essentiam non comprehendit. Et sequitur in tertia responsione aliud bonum dictum dicens: Intellectus creatus non videt diuinam essentiam secundùm modum ipsius essentiæ, sed secundùm modum proprium, qui finitus est. Vnde non oportet, quòd eius efficacia in cognoscendo ex visione prædicta, amplietur in infinitum ad omnia cognoscenda. Hæc ille. Et ad vltimum mirabiliùs dicit, & clarissimè, nescio quo pacto quidam latrent contra hunc sanctum Doctorem in hoc passu, dicit ergo sic: Nihil prohibet dicere, quòd post diem Iudicij, quando gloria Angelorũ, & hominum erit penitus consumata, quòd omnes beati scient omnia, quæ Deus scientia visionis nouit, ita tamen quòd nõ omnes omnia videbunt in diuina essentia, sed anima Christi ibi plenè videbit omnia, sicut & nũc videt; alij autem videbunt ibi plura, vel pauciora secundùm gradum, quo Deum cognoscent, & sic anima Christi de omnibus, quæ præ alijs videt in Verbo, omnes alios illuminabit. Apocal. 21. dicitur, quòd claritas Dei illuminat Ciuitatem Beatorum, *& lucerna eius est Agnus*, & similiter alij superiores illuminabunt inferiores, non quidem noua illuminatioñe, vt scientia Angelorum inferiorum augeatur continuatione illuminationis, sicut si intelligatur, quòd Sol quiescens illuminat aerem. Hæc ille ad litteram. Quomodo ergo verum est, quòd Beatus iste Doctor, vt quidam aiunt, dixerit, quòd videns essentiam, videt omnia, quæ sunt in essentia? hic ostendit contrarium eum sentire, sed dicere potest in istis verbis suis est implicatio. Dicit enim in vltima ista responsione, quòd beati omnia videbunt post diem Iudicij, quę Deus videt scientia visionis, & postea dicit, ita tamen, quòd non omnes omnia videbunt in diuina essentia; ista verba implicant, quòd omnes omnia videbunt, & non omnes omnia

A videbunt. Dico, quòd ambæ istæ propositiones sunt veræ: sensus primæ propositionis est iste, quòd omnes omnia videbunt, referẽdo singula singulis, vt quod iste ista videbit, & iste ista alia videbit, & sic de singulis; ergo omnes omnia videbunt, sicut etiam apud vulgares dici solet, omnes homines omnia sciũt, sensus est, quòd iste vnam rem scit, & iste vnam aliam, & sic de singulis, & sic bene sequitur, quòd omnes homines sciũt omnia. Similiter secunda propositio vera est, quia nullus intellectus creatus aliquorum Sãctorum potest scire omnia, vt patet ex verbis eius. Quare satis patet, quòd gloriosa Virgo, cùm altior sit omnibus alijs creaturis, clariùs videt diuinam essentiam, & per consequens plura, quàm aliquis Sanctorum, non
B tamen omnia, vt patet ex dictis. Quare, &c. Quantum ad tertiam veritatem dico, quòd licet ex dictis in fine præcedentis veritatis appareat, quòd Virgo gloriosa illuminat, & reuelat sanctis, & etiam Angelis aliqua quæ nouit in diuina essẽtia, siue in verbo, tamen volo adducere vnam optimam rationem, quam facit beatus Thomas, part. 1. q. 10. art. 7. dicens: Omnes creaturæ ex diuina bonitate participant, vt bonum, quod habent, in aliam diffundant; nam de ratione boni est, quòd se alijs communicet. Et inde est quòd agentia naturalia similitudinem suam alijs tradunt, quantum possunt, quantò igitur aliqua agentia magis in diuinæ bonitatis participatione constituuntur, tantò magis perfectiones suas nituntur in alios transfundere, quantum possibile est. Vnde Petrus monet eos, qui diuinam bonitatẽ participãt, dicens, 1. Pet. 4. *Vnusquisque sicut accepit gratiam in ad alterum illam administrãtes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.* Ergo multò magis Angeli, qui sunt in plenissima participatione bonitatis diuinæ, quidquid à Deo percipiunt, subditis impartiuntur; non tamen accipitur ab inferioribus ita excellenter, sicut est in superioribus, & ideo supericres semper remanent in altiori ordine, & perfectam scientiam habentes,
D sicut vnam, & eandem rem plenius intelligit Magister, quàm discipulus, qui ab eo addiscit, & sic intelligitur, quòd scientia superiorum est communior, scilicet, quoad eminentiorem modum intelligendi: Quare ad propositum nostrum cùm gloriosa Virgo non solùm animas Sanctorum, sed etiam omnes Angelos excedat in participatione diuinæ bonitatis per gratiam, non per naturam, apparet, quòd ipsa non debet esse auara in communicando suas perfectiones, quas accipit à cognitione diuinæ essentiæ, omnibus inferioribus. Benè igitur in principio nostri sermonis dictum est: Ego sum lux mundi. Ita nobis gratiam largiatur, vt

eam

Apoc. 21.

1. Petr. 4

eam facie ad faciem in gloria videamus. Amen.

SABBATO DOMINICÆ de Passione de Virgine gloriosa. Sermo in ordine trigesimus nonus.

Ioan. 12. PAter *clarifica nomen tuum.* Ioan. 12. Iam cùm Christus suæ mortis confinia cerneret, quadam die in præsentia discipulorum, & turbæ, ait: *Anima mea turbata est.* Quid
Ibidem. dicam? *Pater clarifica me*: & infra: *Pater clarifica nomen tuum*, cui Pater in voce respondit: *Et clarificaui, & iterum clarificabo*, scilicet, in resurrectione. Caro enim Christi propter mortalitatem, anima propter passibilitatem, Deitas propter occultationem obscura videbantur; sed in resurrectione caro clarificatur per immortalitatem, anima per impassibilitatem, Deitas per claram manifestationem, & nudabilitatem, & cùm Virgo gloriosa sit in hac dilecti Filij sui passione plurimùm crucianda, & maximo cum vituperio à Iudæis deridenda, & respuenda, ipsa etiam clamare potest ad Patrem æternum: *Pater, clarifica nomen tuũ*, cui & ipse respondit, *& clarificaui, & iterum clarifi abo. Clarificaui* quidem in tua conceptione, quia Angelus ad Ioachim ait: Ecce Anna tua vxor pariet tibi filiam, & vocabis nomen eius MARIAM. *Et clarificabo* in tua Assumptione, Psalm. 44 *Astitit Regina à dextris tuis, inveslitu deaurato, circundata var etate.* De qua Virginis clarificatione aliqua in hoc sermone videamus; vbi tres considerationes faciamus, videlicet. Prima est ista: Qualiter gloriosus Pater Virginem clarificauit. Secũda: Qualiter benedictus Filius Matrem lucidauit. Tertia: Qualiter Spiritus sanctus Virginem perlustrauit.

Psal. 44.

De clarificatione Virginis per Patrem æternum.

CONSIDERATIO I.

QValiter gloriosus Pater Virginem clarificauit, primò videamus; vbi tres conclusiones faciamus, videlicet. Prima conclusio est ista: Magnam æternus Pater Virgini cõtulit potestatem, vt ipsa multùm posit apud æternam Maiestatem. Secunda conclusio est: Sicut nomen Iesus per æternum Patrem multùm fuit clarificatum, ita nomen MARIA per eundem extitit perlustratum. Tertia est: Sicut Iesus secun-

A dùm carnem fuit à Patre dignificatus, ita & gloriosa Virgo fuit secundùm carnem magnificata.

Quomodo æternus Pater suam potentiam Virgini communicauit?

CONCLVSIO I.

ACcipe primam conclusionem, &c. vt supra; vbi tres inquiramus veritates. Prima veritas est ista: Vtrùm potentia sit tantùm attributum Patris. Secunda est: Quomodo Pater æternus suam potentiam communicauit Virgini gloriosæ. Tertia veri-
B tas est: Quare illi tantam potentiam communicauit? Quant ùm ad primam veritatem dico, quòd omne, quod dicitur absolutè de diuinis, commune est, & vnum in tribus personis, & solùm illud est proprium personæ, quod ad relationem originis pertinet. Potentia ergo cùm sit quid absolutum nõ pertines ad relationem originis, erit communis tribus personis, & vnum in illis. Inde Athanasius in Symbolo. Omnipotens, inquit, Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus, & tamen non tres omnipotentes, sed vnus omnipotens. Appropriatè tamen, vt sæpius diximus, aliquid dicitur de vna persona, quod non dicitur de altera, cum eadem limitatione. Propterea dici-
C mus, quòd potentia attribuitur Patri, sicut sapientia Filio, & clementia Spiritui sancto, de hac in præcedentibus Sabbatis dictum est. Quare, &c. Quãtùm ad secundam veritatem dico, quòd Pater æternus Virgini communicauit potentiam suam, non per essentiam, sed per participationem, sicut dicimus de diuinitate, quæ per participationem, non per essentiam nobis communicat. Psalm. 81. *Nonne dixi, Dijs estis,* *Psal.* 81.
& filij excelsi omnes? Vnde concludamus, quòd talem Virgini potentiam, siue hìc, siue in stellifero cœlo contulit, vt nullus, aut spiritus Angelicus, aut humanus tantæ sit,
D fuerit, & erit potentiæ, sicut fuit, & est gloriosa Virgo, nonne hæc fuit magna potentia in terris, vt ipsa sola cœlos aperuerit, & Filium Dei in terris humanandum descendere fecerit, quod nulli Sanctorum Patrum concessum est? Aperuit autem cœlos, quando lingua sua illa septem verba potentissima protulit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*, quæ fuerunt tantæ potentiæ, vt in eodem instanti Deus descenderit, & carnem, & animam simul in ventre suo sumpserit, vt patet in 3. Sententiar. distin. 5. Quare, &c. Quantùm ad tertiã veritatẽ dico, quòd triplici ratione ad præsẽs æternus Pater tãtã potestatẽ cõtulit, siue

potentiam. Primô, quia elegerat eam, vt esset Regina Cœli, nam si Salomon Bersabeæ matri suæ dixit: *Pete mater mea, nec enim fas est, vt auertam faciem tuam*, quantò magis æternum Patrem decebat, vt nullam suæ potentiæ parcitatem ostenderet ei, quam eligerat esse Reginam Cœli. Psalm. 44. *Astitit Regina à dextris tuis, &c.* Secundò ei tantam potentiam contulit, quia per illam gratia per peccatum perdita, reinueniri debebatur. Luc. 1. *Inuenisti enim gratiam apud Dominum*, perdiderat enim illam antiqua mater nostra, & quinque millibus, & vltra annis in perditione durauit, sed Virgo gloriosa eam adinuenit, cùm Angelus dixit ei, *Aue gratia plena. Inueuisti enim gratiam apud Deum.* Bernardus: Inuenisti, inquit, gratiam apud Deum; gratiam vtique, quam quærebas. Tertiò tantam potentiam contulit, quia magna Christo eius Filio ipsa conferre debebat, & à Deo magna, quòd non ita grandia beneficia humano generi à principio suæ creationis contulit Deus, Deus namque hominem de limo terræ formauit, Virgo Deum de suis purissimis sanguinibus, & eius purissima caro prævalet omnibus rebus mundi. Item Deus hominem de fructibus paradisi educauit, & Virgo vbere de cœlo pleno, cuius lactis vna gutta prævalet omnibus lignis paradisi, fructibusque omnibus totius mundi. Item Deus hominem pellicea induit veste, & Virgo gloriosa Christũ suis pauperrimis panniculis, & postea tunica inconsutili, quæ prævalet omnibus tunicis mũdi, & sic si discutere, volumus, multa ampliora beneficia contulit Virgo Christo, quàm Deus homini in suæ creationis primordio, quæ vt facere, & impendere sine defectu posset, æternus Pater suæ potentiæ largitus est plenissimam, quam decebat, potestatẽ, quare, &c. Ideo in Cãtico suo ait: *Quia fecit mihi magna Dominus, qui potens est*, & sanctũ nomen eius. Et hæc sufficiant pro prima cõclusione.

3. *Reg.* 2.

Psal. 44.

Luc. 1.

Luc. 2.

A

B

C

D

De clarificatione nominis MARIA.

CONCLVSIO II.

ACcipe secundam conclusionem, videlicet. Sicut nomẽ Iesus, &c. dic totũ; vbi tres inquiramus veritates, videlicet: Prima veritas est ista. Quanta est dignitas, & virtus huius nominis MARIA. Secũda est: An hoc nomẽ sit dignius nomen in omnibus creatis. Tertia: An dæmones audientes hoc nomen, timeant, & fugiant. Quantùm ad primam veritatem dico, quòd sicut benedictum nomen Iesus ex quinque litteris componitur ex maximo mysterio, sic & nomen dulcissimũ MARIA. De nomine Iesu dicetur sermone sequenti Habet igitur MARIA quinque litteras, vt quinque virtutes MARIÆ præcipuè ostendantur. Prima littera dicitur m. & virtutem fidei in Virgine potissimè fuisse ostendit; nam hæc littera m. ex tribus inuice. m. 1. colligatis componitur, vt ostendãt Virginem perfectissimam Trinitatis notitiã, & fidẽ habuisse; vnde sicut tres 1. inuicẽ colligati vnam litteram faciunt, scilicet, m. sic tres personæ diuinæ inuicem per processionem, & generationem colligatæ vnum Deum ostendunt. Ecce personarum ligatura, Pater à nullo est factus, nec creatus, nec genitus, Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus. Spiritus sanctus à Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens; vnus ergo Pater, non tres Patres; vnus Filius, & non tres Filij; vnus Spiritus sanctus, & non tres Spiritus sancti. & in hac Trinitate nihil priùs, aut posteriùs, scilicet, tempore, nihil maius, aut minus, sed totæ tres personæ coæternæ sibi sũt, & coæquales. Hoc enim expressè ponitur in Decretali: Firmiter credimus de Sũma Trinitate, & Fide Catholica: Firmiter, inquit, credimus, & simpliciter confitemur, quòd vnus est solus verum Deus, æternus, & immensus, incommutabilis, omnipotẽs, incomprehensibilis, & ineffabilis, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Tres quidem personæ, & vna essentia, substantia, seu natura, simplex omnino Pater à nullo; Filius à Patre solo, ac Spiritus sanctus pariter ab vtroque absque initio, semper, ac sine fine, Pater generans, Filius nascens, & Spiritus sanctus procedens, consubstantiales, & coæquales, coomnipotẽtes, & coæterni; vnũ vniuersorũ principium omnium visibilium, & inuisibilium, spiritualiũ, & corporalium, &c. Et sequitur de creatione hominis, & lapsu, & redemptione eius per Christum, & de resurrectione, de iudicio, &c. Et postea, quòd Ecclesia fidelium vniuersalis est vna, extra quam nemo saluatur, & de Sacramento Eucharistiæ, & Pœnitentiæ, & tandẽ concludit, quòd omnes saluantur in hac fide credentes, &c. Quare prima littera nominis Virginis, quæ est. m. Virginẽ principaliter, & supremè fidem habuisse Trinitatis ostendit. Propterea dicitur, quòd tempore passionis fides in ipsa sola remànsit; dum enim omnes Christum reliquissent, ipsa sola iuxta Crucem stabat lachrymosa, vbi pendebat Filius, &c. Secunda littera est a, & significat virtutem spei, nam sicut hæc littera est à sinistris aperta, & capite curua, & à dextris clausa: sic sancta spes est, qua animus à sinistris, idest, à tribulationum parte existens, læto vultu, capite cliuo, & humiliato, totum se apertum ostendit ad omnia pro Dei amore suppli-

cia

cia perferenda, & à dextris clauditur, quia nullis gratiarum Dei donis extollitur: audi Bernardum. Si mihi præmia promittuntur, per te obtinenda sperabo, si insurgant aduersùm me prælia, si sæuiat mundus, si fremat malignus, si ipsa caro aduersùs spiritum cõcupiscit, in te ego sperabo. Et Gregorius in Moral. Spes in æternitate animum erigit, & idcirco nulla mala, quæ exterius tolerat, sentit. Quanta autem spe Virgo fuerit redimita, tu ipsa anima considera, an credis, quòd eius animus potuerit vnquam aliqua aduersitate turbari, an multitudine obrui? Certè illius mentem nunquã aliqua mundi seueritas sauciauit, aut quouis modo distorsit, ita vt verè dicere posset: si consistant aduersùm me castras nõ timebit cor meum. Tertia littera est r. quæ significat virtutẽ charitatis, quoniam sicut r. duas tortiones facit, ita charitas vera ad Dei, & proximi dilectionem se extendit, quoniam in his duobus mãdatis tota lex pendet, & Prophetæ. Audi Gregorium in homil. super Ioan. Cùm cuncta sacra eloquia, &c. Quare in homilia Apostolorum, & dic eam: O charitas Virginea, quãtus tui amor ad Deum, cum ais: *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo, &c.* O feruentissima charitas, quanta eras in ea ad proximũ! Ecce quid ait: *Ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Quarta littera est i. & significat rectam humilitatem, & non fictam, quia humilitas rectum hominem facit, sicut superbia eum reddit obliquum; vnde Gregorius in Moral. Tantò fit vnusquisque vilior Deo, quantò pretiosior sibi, & tantò pretiosior Deo, quantò vilior sibi. Et Hugo de Sãcto Victore Si homo, inquit, continens est, hoc diabolus non timet, quia ipse mulierem nunquam cognouit: si ieiunat, hoc non timet, quia ipse nunquam cibum sumit: si vigilat, hoc non timet, quia ipse nunquam dormit: si humilis, & mansuetus, hoc plurimùm expauescit. Hæc ille. Sed quanta fuerit Virginis humilitas, audi: *Quia respexit*, inquit, *humilitatem ancillæ suæ, &c.* De quo in superioribus Sabbatis diximus. Et ratio, quare de humilitate mentionem facit, cùm tamen & alias plurimas haberet virtutes, est vt dicit beatus Gregorius in Moralibus, qui sine humilitate virtutes congregat, in ventum puluerem portat. Quam humilitatem Bernardus excogitans, ait: O vera humilitas, quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cœlos innouauit, mũdum purificauit, paradisum aperuit, & hominum animas liberauit: facta est MARIÆ humilitas scala cœlestis, per quam Deus descendit ad terras. Hæc ille. Quinta, & vltima littera est, a. quæ virtutem largitatis ostendit, quia sicut a. littera aperta est, manum quasi porrigens à sinistris, vt sic formetur a. sic & Virgo omnibus volentibus eam, se præbet abundanter. Audi Bernardum. De plenitudine eius omnes accipiũt, captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationẽ, peccator veniam, Iustus gratiam, Angelus lætitiam, totaque Trinitas gloriam, vt non sit, qui se abscondat à calore eius. Quare, &c. Istas virtutes breuiter transeo, quia in superioribus multa de Virgine diximus. Quare, &c. Quantùm ad secundam veritatem dico, quòd nullum est nomẽ in creaturis puris excellentiùs MARIA; vnde sicut in officio, & dignitate nulla est creatura maior Matre Dei, sic decens est, vt nullum sit excellentius nomen nomine MARIÆ; sed dices: Si tam excellens est, quare in Annunciatione illud Angelus tacuit? Dicit Albertus, Ordinis Heremitarum, in postilla sua super hũc passum, quòd hoc factum fuit triplici ratione, videlicet. Primò, propter Virginis excellentiam: excellẽtes enim personas cùm salutamus, nomine proprio prętermisso, dicim⁹, Aue Rex, Salue Pater: sic & in proposito Angelus eã à plenitudine gratiæ nominauit, quia per gratiam, & misericordiam saluos nos fecit, quæ abundãtissimè fuit in Virgine, ideo ait: *Aue gratia plena.* Secundò, quia cùm aliquis ad aliquod officium eligitur, nomine officij, & non proprio vocatur, vt Papa, Prior, Abbas, &c. Et ideo, quia Virgini aduenerat officiũ plenitudinis gratiæ, Angelus ab officio eam vocat, dicẽs: Aue gratia plena. Tertiò, quia non venerat Angelus ad eam salutandã tanquam MARIAM, sed tanquam gratia plenam. Ecclesia verò addidit MARIA, dicẽs: Aue Maria gratia plena, quia multis tribulationibus, tam tempore Iudæorum, tàm tyrãnorum, tàm hæreticorum quassata fuit, vt ostendit Augustinus 18. de Ciuitate Dei. Et quia MARIA interpretatur amarum mare, ideo Ecclesia ab ea captando beneuolẽtiam, vt oret pro Ecclesia Dei, ait: Aue MARIA gratia plena, quasi dicat: Tu gloriosa Virgo, quæ amaritudine plena fuisti tempore passionis tui dilecti Filij, & tamen eras plena gratia, ora pro nobis fidelibus tuis. Amen, & hæc sufficiant ad præsentem veritatem. Quãtùm ad tertiam veritatem dico, quòd duo sunt nomina, quæ maximè Dæmones timẽt, scilicet, nomen Iesus, & nomen MARIA; de Iesu dicitur sermone sequenti; de MARIA autem satis patet, quia Gen. 3. cap. in figura dictum est serpenti, *Ipsa conteret caput tuum.* Quare, &c. Et hæc sufficiant pro præsenti conclusione.

Luc. 2.

Genes. 3.

De dignitate Virginis secundùm carnem.

CONCLVSIO III.

ACcipe tertiam conclusionem, videlicet. Sicut gloriosus Iesus, &c. dic totã. Istã conclusionem satis declarauimus in superioribus, ideo eam tanquam notissimam relinquamus, lege, si non piget, totam Bibliam à principio vsque ad finem, & certè vt Matthæus cap. 1. insinuat; ab Abraham si incæperis à Patriarcha vsque ad Dauid Regem, Virginem ex semine quatuordecim Patriarcharum inuenies descendisse, à Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis, quatuordecim fuerunt generationes, & quatuordecim Reges, de quorum generatione fuit hæc Regia Virgo. A transmigratione autem Babylonis vsque ad MARIAM, fuerunt quatuordecim Duces, de quorum similiter stirpe fuit hæc benedicta puella. Quare, &c. Vide de hoc Sabbato præcedenti in secunda consideratione, & hæc sufficiant pro præsenti consideratione.

Matth. 1

Qualiter filius matrem perlustrauit.

CONSIDERATIO II.

SEcundo loco, qualiter benedictus filius matrem lucidauit, videamus; vbi tres cõclusiones subiungamus, videlicet. Prima cõclusio est ista. Tantò æternus Filius voluit Virginem clarificàre, vt eam sibi matrem placuerit approbare. Secũda conclusio est. Postquam Filius Dei benedictus Virginem sibi in matrem approbauit, eam etiam sibi in Tẽplum consecrauit. Tertia conclusio. Postquam æternus Filius Virginem sic consecrauit, eam plenissima cognitione, & sapientia decorauit.

Quòd Filius æternus Virginem in matrem elegit.

CONCLVSIO I.

ACcipe primam conclusionem, &c. vt supra, vbi tres breues veritates videamus, videlicet. Prima veritas est ista: An in testamento veteri fuerit demonstratum, quòd Filius Dei de Virgine vellet humanari. Secunda est: Quare de statu virginali voluit incarnari. Tertia est: Si Virginem in matrem elegit, quare ergo voluit eam maritari? Quantùm ad primam veritatem dico, quòd sic. Audi Esai. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel, quod est nobiscum Deus* Beatus Hieronymus super Esai, sic dicit in hoc passu: scio Iudæos opponere solere in Hebræo, Verbum Alma non Virginem sonare, sed adolescentulã, & revera Virgo propriè Vetula appellatur, adolescentula, vel puella nõ alma dicitur, sed Naara. Quid est ergo, quod significet alma, nisi absconditã Virginẽ, quia non omnis Virgo abscõdita est? &c. Et ostẽdit ibi B. Hieronymus Prophetam per almã Virginem intellexisse, & hoc probat primò, quia de Rebecca in Genes. scribitur, vbi dicit textus: *Et dixi, Domine Deus, Domini mei Abraham, si tu dirigis viam meam, per quam ego ingredior. Ecce dum stet ero super fontẽ aquæ, Virgo, quæ egredietur, vt hauriat aquam, & dixero ad eam. Da mihi paululum aquæ, & bibam de hydria tua, respõderit, & tu bibe, & camelis tuis hauriã, hæc erit vxor, quomodo præparauit Dominus filio Domini mei.* In eo enim loco, in quo ait: *Virgo, quæ egredietur, vt hauriat aquam*, in Hebræo scriptũ est alma, idest, Virgo secreta, nimia diligentia parentum custodita: Ecce ergo secundũ Hieronymũ, quod Alma ibi ponitur pro Virgine. Itẽ secundo dicit sic Hieronymus: Ostendant mihi, scilicet, Iudæi, vbi hoc verbo appellentur & nuptæ, & imperitiã confitebor. Hæc ille. Quasi dicat, in testamento nullibi legitur, quod Alma ponatur pro corrupta; ergo debet intelligi pro Virgine. Itẽ si Alma non accipitur pro Virgine, quare Filius Dei maritatã, aut viduã non elegit in matrẽ? Hieronym. ibid. Si nõ præfertur nuptis virginitas, idest, si ibi quando Esaias ait: *Ecce Alma, ipse* nõ intelligat de Virgine, Spiritus sanctus cur maritatã, aut viduã non elegit? nã illo tẽpore erat Anna filia Phanuelis de tribu Asser insignis pudicitiæ, & semper vacans orationibus, & ieiunijs in Tẽplo Dei, si conuersatio tamen, & bona opera, & ieiunia absque virginitate Spiritus sancti ad se merentur aduentũ, potuit & ista esse mater Domini. Hæc ille. Præterea si Alma pro Virgine nõ intelligatur, quod namque magnum nouum esset, vt Hierem. 31. ait: *Nouũ faciet Dominus super terram, mulier circundabit virum?* Si mulier corrupta prolem gignat, nouũ ergo magnum est, si mulier incorrupta generet, & pariat, & post partum virgo permaneat, sicut dicimus de Virgine. Hanc etiã rationem facit ibidem Hieronymus; quare ergo patet, quòd Virgo in testamento veteri fuit declarata, quòd esset Mater Messiæ, idest, Christi Iesu Saluatoris: quare, &c. Quantùm ad secundam veritatem dico, quòd triplici ratione voluit de virgine nasci, vt diuina volũtas ordinauerat, vide Prophetã Ezechiel. 44. *Vidi portã clausam*, lege ibi mirabilẽ visionẽ, & potest esse prima ratio. Primò, ratione dignitatis, sic enim diuinæ cõgruebat dignitati, vt eius mater Virgo esset, ita quòd sicut eo in terris nullus reperitur filius dignior, ita nulla reperitur eius matre

Psalm. 7.

Genes. 24

Hier. 31.

tre præstãtior. Inde Bernard. O Virgo, inquit Virga sublimis, præstãtior cunctis, sanctior vniuersis, ò verè lignũ vitę, quod solũ fuit dignũ portare fructũ salutis, per te accessum habemus ad filiũ, ò benedicta inuentrix gratiæ, genitrix vitæ, mater salutis, per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Secũdò, hoc voluit ratione similitudinis, ita quòd eius generatio temporalis ex matre sine patre, esset aliquo modo similis generationi eius æternæ ex patre sine matre, & est ratio Damasceni lib. 4. Tertiò, hoc voluit ratione incõgruitatis, si enim phas erat, vt violaretur integritas ab eo, qui venerat sanare corrupta, vt dicit B. Ambros. super Lucã, & post addi quarta ratio, vt quia hoc voluit ratione perfectionis, quoniã status virginitatis est nobilior, & præstantior alijs gradibus, vt patet in parabola seminis, quod aliud fecit fructum trigesimum, aliud sexagesimum, aliud centesimum per trigesimum matrimonium, per sexagesimum viduitas, per centesimum virginitas intelligitur, & per consequens illa, Verbo æterno potiùs conuenit, quia perfectissima illi attribuere debemus. Inde Ambrosius ait 32. quæst. 1. cap. nuptię, nuptiæ, inquit, terram replent, virginitas paradisum, vbi glossa sic ait, nõ ideo hoc dicit, vt solæ Virgines habeant paradisum, sed quia facilius articulo 33. quæst. 5. capit. qui sitit, vel quia virginitas est soror Angelorum. Hæc ibi. Et beatus Hieronymus super Esai. cap. 7. ostendit virginitatem esse præstantiorem alijs statibus, quoniam si non detur oppositum, & tunc pono per causam, quòd vna Virgo, & vna corrupta baptizentur, tunc si virginitas non sit præstantior, posito casu, quòd ambæ baptizatæ moriantur, sequeretur, quòd corrupta æquaretur in beatitudine Virgini, quod est contra omnes, cum aureola Virginibus non corruptis detur. Audi Hieronymum: Si enim inter virginem, & viduam baptizatas, nihil interesset, quia baptisma nouum hominem facit, eadem conditione, & scorta, & prostituta, si fuerint baptizata, virginibus coæquabuntur, &c. Et sic patet secunda veritas. Quantùm ad tertiam veritatem, quære Sabbato præcedenti in secunda consideratione, & hæc sufficiant quantùm ad primam conclusionem.

Esai. 7.

Quòd Virgo facta est Templum Dei.

CONCLVSIO II.

ACcipe secundam conclusionem, videlicet: Postquam Filius Dei benedictus Virginem sibi in matrem approbauit, eam etiam sibi in templum conseruauit; vbi tres breues veritates videamus, videlicet. Prima est ista: Quid est dicere Templum? Secunda est ista: Quomodo Virgo fuit Dei Templum? Tertia est: Quando fuit facta Dei Templum? Quantùm ad primam veritatem dico, quòd Templum, idem est, quòd tenens amplum, vel dicitur Templum, quasi tectum amplum, & sic omnes Sancti possunt dici Templum Dei, quasi tenentes Deum amplum, & magnum per gratiam, 1. Corinth. 3. *Templum sanctum est, quod estis vos.* Et 1. Corinth. 6. *An nescitis, quòd membra vestra Templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est.* Itẽ, & corpus Christi dicitur tẽplũ eadem ratione, Ioannes 2. *Soluite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Itẽ Tẽplum dicebatur locus, vbi Sacerdos, & Iudæi intrabant ad orandum, in quo Templo Christus multa fecit: superauit enim diabolum, quando eum assumpsit, & portauit supra pinnaculum Templi, Matthæi 4. *Assumpsit diabolus Christum in sanctam Ciuitatem, & statuit eum supra pinnaculum Templi.* Idem Luc. 4. cap. & Ioan. 2. Item de eo *eiecit vendentes, & ementes.* Matth. 21. *Intrauit Iesus in Templum, & eiecit omnes ementes, & vendentes in Templo.* Idẽ Marci 11. In hoc Templo sæpè cum Iudæis disputauit, vt patet Luc. 2. *Cùm factus esset Iesus annorum duodecim, &c.* Item & Marci 11. *Cum ambularet Iesus in Templo, accesserunt ad eum Summi Sacerdotes, & Scribæ, & Seniores, & dicunt illi: In qua potestate hoc facis?* Item ibi prædicauit, Ioan. 6. *Iam diè festo mediante, ascendit Iesus in Templum, & docebat.* Et 18. cap. *Ego semper docui in Synagoga, & in Templo, quo omnes Iudæi conuenerant, & in occulto locutus sum nihil.* In hoc Iudas triginta argenteos proiecit. Matthæi 27. *Proiectis argenteis in Templo, recessit, & abijt laqueo se suspendit.* Item tempore passionis eius *velum Templi scissum est, in duas partes à summo vsque deorsum.* Et sic multa alia mysteria Christi facta sunt in Templo. Quare, &c. & hæc sufficiant pro primâ veritate. Quantùm ad secundam veritatem dico, quòd Virgo dicitur Dei Templum, quia Deum amplum in vtero portauit, & ex vtero genuit, Ecclesiast. 24. *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* Sicut Esaias cap. 11. prophetauit dicens: *Egredietur Virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet,* qui est Christus, Virga Virgo *est.* Inde Gregorius. Sancta, & immaculata Virginitas, quibus te laudibus referam nescio, quia quem cœli capere non poterant tuo gremio contulisti, Malach. 3. *Statim veniet ad Tẽplum suum,* ideſt, ad Virginem *dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis.* Psal. 47. *Suscepimus Deus misericordiam in medio Templi tui, ideſt, quando carnem assumpsisti in medio*

1. Cor. 3. *1. Cor. 3.* *Ioan. 2.* *Matth. 4* *Luc. 4. & Ioan. 2.* *Mat. 21.* *Marc. 11* *Luc. 2.* *Marc. 11* *Ioan. 6.* *Idem 18.* *Mat. 27.* *Eccl. 24.* *Malac. 3.* *Psal. 47.*

dio vteri virginalis. Quare, &c. Quantùm ad tertiam veritatem dico, quòd tunc facta est templum Dei, quando fuit plena gratia, Luc. 1. *Aue gratia plena*, & quando Spiritus sanctus eam obumbrauit. Luc. 6. ibid. *Spiritus sanctus superueniet in te, &c.* Et quãdo Verbum Dei de ea carnem assumpsit, ibid. *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ioan. 1. *Verbũ caro factum est.* Quare autem conceperit de Spiritu sancto dicetur in 3. parte sequenti: quare, &c. & ista sufficiant pro secunda conclusione.

Luc. 1.
Ibidem.
Ibidem.
Ioan. 1.

Quòd Virgo fuit illuminata.

CONCLVSIO III.

ACcipe tertiam conclusionem, videlicet. Postquam æternus Filius Virginem sic consecrauit eam, plenissima cognitione, & sapientia decorauit. Hæc conclusio plenissimè probatur Sabbato præcedenti in 1. consideratione, & etiam aliqua ponuntur in Sabbato Cinerum, vide ibi: quare, &c.

Qualiter Spiritus sanctus Virginem lucidauit, siue clarificauit.

CONSIDERATIO III.

TErtio loco, qualiter Spiritus sanctus Virginem perlustrauerit, videamus, vbi tres conclusiones subiungamus, videlicet. Prima conclusio est ista: Mirabiliter Spiritus sanctus Virginem clarificauit, quando e contra concupiscentię æstum vmbram ministrauit. Secunda conclusio est: Mirabiliter Spiritus sanctus Virginem decorauit, quando illam contra omne peccatum fortificauit. Tertia cõclusio est ista: Mirabiliter Spiritus sanctus Virginem perlustrauit, quando eam omnium donorum suorum dispensatricem ordinauit.

De vmbra, quã fecit Spiritus sanctus Virgini contra concupiscentiæ æstum.

CONCLVSIO I.

ACcipe primam conclusionem, videlicet: Mirabiliter, &c. vbi tres inquiramus veritates, videlicet. Prima veritas est ista, quæ fuit illa vmbra, qua Spiritus sanctus Virginem obumbrauit. Secunda est: Quare potius Spiritus sanctus, quàm alia duarum personarum. Tertia est: Quare non dicitur Christus Filius Spiritus sancti. Quantùm ad primam veritatem dico, quòd vmbra illa nihil aliud fuit, quàm gratia Spiritus sancti in ipsa superueniens, vt in conceptione Verbi Virgo non cõcurreret cum aliquo ardore libidinis, in quo omnes nos concipimur, vt dicit Innocentius de vilitate cõditionis humanæ, hoc patet, Luc. 1. Nam cũ peteret Virgo modũ, quo concipere debebat Filium Dei, Angelus illi respondit: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*, ideſt, vmbram faciens contra libidinis æstũ, & eius virtute conceptus est, vt dicit Articulus Fidei, & declaratur à Magistro in 3. dist. 4. & ponitur in Decretali, firmiter credimus de Summa Trinitate, vbi dicitur sic, & tãdẽ vnigenitus Dei Filius Christus Iesus à tota Trinitate communiter incarnatus ex MARIA semper virgine, Spiritus sancti obumbratione conceptus, verus homo factus est ex humana carne, & anima rationali compositus, vna in duabus, naturis persona, viam vitæ manifestus demonstrauit, &c. Hæc ille. Et glossa super Verbo, à tota Trinitate, dicit sic. Hoc ideo dicit, quia inseparabilia sunt opera Trinitatis de consecratione distinct. 3. cap. vltimo in fine, & 48. quæstione 1. si enim neque circa principium, per mediam columnam, nec Filius potest à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem de consecratione distinctione 5. cap. Saluator in fine. Sed dicis: Credo, Pater Ambrosi, quòd cõciperet de Spiritu sancto, sed quomodo? An substantia Spiritus sancti conuersa est in carnem Christi, vt & quasi Spiritus sanctus fuerit Virgini pro semine? Dico, anima mea, quod aliquid fieri ex alio, potest intelligi duobus modis, sicut dicit Magist. Sẽt. vbi supr. vno modo, quòd fiat ex eius substãtia, sicut Filius fit ex substantia Patris. Alio modo, vt fiat ex eius virtute, sicut diximus, quod homo fit ex Sole 2. Physicor. Sol, & homo generant hominem. Conceptus est ergo de Spiritu sancto, non quòd Spiritus sanctus fuit virgini pro semine, quia de substantia Spiritus sancti semen partus Virgo non accepit, sed conceptus est de Spiritu sancto, quia per gratiam de operatione Spiritus sancti Verbum de virgine carnem assumpsit. Inde Ambrosius libro 3. de Spiritu sancto ait capit. 5. Quod ex aliquo est, aut ex substantia, aut ex potestate eius: ex substantia sicut Filius, qui à Patre, & Spiritus sanctus, qui à Patre, Filioque procedit, ex potentia, sicut ex Deo anima. Quomodo ergo & in vtero MARIA habuit de Spiritu sancto, si quasi ex substantia; ergo Spiritus sanctus in carnem, & ossa conuersus est, non vtique si Virgo quasi ex operatione, & potestate eius Virgo concepit, quis negabit? Spiritum sanctum Dominicæ incarnationis auctorem? Hæc ille. D. autem Bonauentura in 3. in hac distinctione hanc propositionem dupliciter exponit. Vno modo, vt dicatur Verbum incarnatum, mediante Spiritu sancto, tanquam vin-

vinculo interueniente: & hic sensus est falsus, quia nullo modo, mediante diuina persona, carni vnita est. Secundo modo, mediãte Spiritu sancto intelligatur, tanquam principio disponente, & efficiente, & hic sensus est verus. Quare, &c. Quantùm ad secundam veritatem vide Sabbatum 3. Domin. & Magist. in 3. dist 4. Quantùm ad tertiam veritatem est responsio, secundũ Magistrum vbi supra, dicit enim sic ad litteram: Nunquid dicturi sumus, patrem hominis Christi esse Spiritum sanctum, vt Deus Pater Verbum genuit, Spiritus sanctus hominem ex vtraque substantia Christus vnus esset, & Dei Patris Filius, secundùm Verbum, & Spiritus sancti Filius, secũdùm hominem. Quod eum Spiritus sanctus tanquam Pater eius de Virgine genuisset, quis hoc dicere audebit? cùm hoc ita absurdum sit, vt nullæ valeant aures sustinere, & tandem concludit, quòd non omne, quod de aliquo nascitur est filius illius, sicut pilus, sudor, & huiusmodi nascuntur de homine, & tamen non sunt filius hominis, quare concludamus, quòd Verbum secundùm quod homo natus est de Spiritu sancto, ideſt, virtute Spiritus sancti, Quare, &c. Et hæc sufficiant pro prima conclusione.

De Fortificatione Virginis.

CONCLVSIO II.

ACcipe secundam conclusionem, videlicet: Mirabiliter Spiritus sanctus Virginem decorauit, quando illam contra omne peccatũ fortificauit; vbi tres inquiramus veritates, videlicet. Prima veritas est ista. Quãtus fuit Virginis zelus ad Deũ. Secunda est: Quãta fuit fortitudo Virginis cõtra peccata. Tertia est: Quãta fuit Virginis constantia in passione. Quantùm ad primam veritatem, vt melius intelligamus est sciendum, quòd duplex est zelus, scilicet, zelus Dei, & hominis, zelus Dei est duplex, vnus dulcis, & vnus amarus. Zelus dulcis, est amor, & teneritudo illa dilectionis, qua creator diligit & zelat creaturam suam. Esai. 43. *Nunquid potest obliuisci mulier infantem suum, vt nõ misereatur filio vteri sui, & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.* Et quia glorioſus Deus materno nos amat amore, ideo vocare nos ad se non cessat. Hieremiæ 3. *Tu fornicata es cum amatoribus multis, reuertere tamen, & ego suscipiam te.* Et Cãticorum 6. *Reuertere, reuertere Sunamitis; reuertere, reuertere, & intueamur te*; nos tamen perversi filij verba eius ponimus post tergum. Prouerbiorum 1. *Vocaui, & renuistis, extendi manus meas, & non fuit qui aspiceret, &c.* Et Dominus in Euangelio: *Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quotiens volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina cõgregat pullos suos sub alis, & noluisti.* Zelus amarus est indignatio, & vindicta Dei, Ezechiel. 5. *Complebo furorem meum, & requiescere faciam indignationem meam in eis, & consolabor, & sciẽt, quia ego Dominus locutus sũ in cœlo meo.* Et Soph. 1. *Effundetur sanguis eorum, sicut humus, & corpora eorũ, sicut stercora. Sed & argentum eorũ, & aurum eorum non poterit liberare eos in die iræ Domini, in ignẽ cœli eius deuorabitur omnis terra, quia cõsumationem cũ festinatione faciet,* vbi accipe istam regulam generalẽ, quòd vt plurimũ omnia Dei flagella vsque ad diem Iudicij veniunt, vt emendemus vitã sceleratam, in qua tantũ Deum offendimus. Psal. 102. *Quemadmodũ Pater miseretur filiorum, misertus est Dominus timẽtibus se.* Prouerb. 3. *Disciplinã Domini Fili mi ne abijcias, nec deficias, cùm ab eo corripieris; quẽ enim diligit Deus, corripit, & quasi Pater in filio cõplacet sibi.* Et Eccl. 30. *Qui diligit Filiũ, assiduat illi flagella.* Et Prou. vt sup. *Quis est filius, quẽ non corripiat pater?* Et Psal. 7. *Nisi conuersi fueritis, gladiũ suũ vibrauit, &c.* Et idẽ: *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me cõsolata sunt.* Et hoc de primo zelo. Secundus zelus est, zelus hominis, & hic est triplex, scilicet, bonus, malus, & pessimus. Zelus bonus, est feruor, & accẽsio dilectionis, & amoris diuini, quo accensus homo interdum etiã prosilit in vindictam propter honorem Dei. 3. Reg. 19. *Quid hìc agis Helia?* At ille respondit: *Zelo zelatus sum, pro Domino Deo exercituum.* Et Esai. 16. *Zelus domus tuæ comedit me*, quo zelo Christus motus eiecit ementes, & vendentes de Templo. Itẽ hoc zelo Ioannes Baptista Iudæos de incredulitate arguebat. Luc. 3. *Genimina viperarum, quis vos docebit fugere à ventura ira, & iã securis ad radicẽ arboris posita est.* Itẽ & hoc ipso zelo arguebat Herodem, quia tulerat *vxorem Philippi fratris sui*, & non cessauit vsque ad capitis truncationẽ. Item propter hoc Petrus *exemit gladium, & percussit auriculã Malchi.* Ioã. 18. Itẽ propter hoc sæuiebat in Simonem Magum, & ipsum cum sua pecunia tradidit perditioni. Act. 8. Item propter hoc Paulus fornicatorem Corinthium excommunicauit. 1. Corinth. 5. *Tradidi huiusmodi hominẽ Sathanæ in interitũ carnis, vt spiritus saluus fiat in die Domini.* Similiter, & Act. 23. *Dixit summo Sacerdoti hypocritæ: Percutiat te Deus paries dealbatæ*, similiter & sancti Apostoli ardentes huiusmodi zelo tyrannis, & persecutoribus dicebant: *Oportet Deo magis obedire, quàm hominibus, non possumus non*

nõ loquì, quæ vidimus, & audiuimus, Act. 5.
Act. 5. O Pastores Ecclesiæ, vbi zelus vester, vbi amor Iesu Christi, vbi zelus domus Dei, quare obmutescitis, & contra tanta peccata non latratis? Ezech. 34 *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos, nonne greges a pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quòd crassum erat, occidebatis; gregem autem meum nõ pascebatis. Quod infirmum fuit nõ consolidastis, & quod ægrotum non sanastis. Quod confractum, non alligastis, & quod abiectum est, non reduxistis, & quod perierat, non requisistis. Quis ergo exurget Domino aduersùs malignantes? aut quis stabit secum aduersùs operantes iniquitatem? &c.* Hæc ille. Secundus zelus est malus, & est inuidia, & æmulatio hominis. Psal. 36. *Nolite æmulari malignantibus, nec zelaueris facientes iniquitatem.* Et Sapient. 3. capite: *Nolite zelare mortem in errore vitæ vestræ, nec acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum, quoniam Deus non fecit mortem, nec lætatur in perditione viuorum.* Et Ecclesiast. 30. *Zelus, & inuidia minuunt dies, & ante tempus senectam adducunt cogitatus.* Inde Paulus ad Galat. 5. cap. *Si mordetis, videte ne inuicem consumamini.* Tertius zelus est pessimus, & est zelus per iram, quia ira impedit animum, ne possit cernere verum, ad Ephes. 4. cap. *Soli non occidat super iracundiam vestram*, ideſt, nõ perdurabitis in ira *vsque ad occasum Solis*, hic zelus adeo pessimus est, vt inde omnes blasphemiæ Sanctorum, & Sanctarum Dei omnia odia, inimicitiæ, rixæ, contentiones, homicidia, & alia innumerabilia mala oriantur, similiter & omnis fidelium persecutio, Act. 5. Act 5. *Exsurgens autem Princeps Sacerdotum, & qui cum illo erant, repleti sunt zelo, & iniecerunt manus in Apostolos:* & Actor. 13. 13. *Sequenti Sabbato penè vniuersa ciuitas conuenit audire verbum Dei, videntes autem turbas, Iudæi repleti sunt zelo, & contradebant his, quæ à Paulo dicebãtur, blasphemantes, &c.* His sic declaratis modò satis claresceré potest, quòd nullus zelus malus fuit in Virgine, nec pessimus, sed tantùm bonus, quoniam si vnquam Sanctus Dei honorem zelatus est, profectò cùm Spiritus sanctus plenitudinem suorum donorum in Virgine infuderit, vt ostensum est in alijs Sabbatis, & dicetur conclusione tertia sequenti, ipsa super omnes zelata est, & feruentior fuit, ita vt dicere posset, *Amore lãgueo*, Cant. 2. *&c.* Quantùm ad secundam veritatem dico, quòd Spiritus sanctus Virgini decem armaturas spirituales contulit, quibus contra peccata virilis fuit, vt nunquam etiam à minimo separari posset, quarum quinque sunt intrinsecæ, & quinq; extrinsecæ. Prima armatura fuit ardentissima charitas. Quantò anima enim in Dei charitate feruentior, tantò ab ea culpa longior. Exemplum de ferro benè ignito, tepido, & frigido, muscis volitantibus, quoniam muscæ super ferro frigido quiescunt, super tepido modicùm, super ignito nihil, sed fugiunt; anima autem Virginis super omnes in Dei charitate inflammata fuit, & ideo nullum in ea peccatum aliquando quiescere potuit. Psal. 72. *Inflammatum est cor meum, & commutati sunt.* Et Cãtic. 2. *Introduxit me Rex in cellam vinariã, & ordinauit in me charitatem*, in quo etiam cellario Apostoli inebriati sunt; vnde cantat Ecclesia: Musto madere reputant, quos spiritus repleuerat. Et ideo post illam inebriationem numquam peccatum mortale in eos introitum habere potuit; sed quia non erant totaliter ebrij, aliquando venialiter peccabant, 1. Ioan. 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas non est in nobis.* Virgo autem gloriosa tota ebria fuit, ideo in ea nullum habuit aliquando peccati vigorem, vt Augustinus ait: Cùm de peccatis agitur, nullam, &c. Secunda armatura est, mortificata sensualitas: vnum enim ad peccatum nos inclinans, est sensualitas, & semper aduersùs spiritũ pugnat, vt Paulus ait. Caro concupiscit aduersus spiritum, &c. Sed tanta fuit virgini collata, vt omnino cõsopita esset, & per cõsequẽs ad peccatũ stimulare non poterat. Tertia armatura est singularis maternitas. Tantò enim ex hoc beneficio maternitatis Deo se obligatam cernebat, vt ex parte liberi arbitrij, & rationis semper, ne Deum in aliquo offenderet, assidue invigilaret, Luc. 2. *Considerabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Exemplum filij Imperatoris desponsantis pauperculam Virginem, &c. Quarta armatura erat suprema bonitas; vbi accipe regulam generalem. Quòd Virgo gloriosa dormiendo, vigilando, eundo, stando, & quodcumque opus faciendo semper Dei bonitatẽ habebat ante oculos, propter hoc semper vigilans erat, ne illã in aliquo offenderet. Psal. 39. *Statui supra petram pedes meos, & non sunt infirmata vestigia mea.* Quinta armatura est sua considerata paruitas. Certè, anima chara, si homo consideret, qualiter concipitur, & generatur, & quandiu aliter in ventre matris nutrimento, & ad quot nascatur labores, & eius nuditatem, aliqua ex parte, diuina beneficia in dies illi concessa, profectò caueret à peccatis, sed stultus non intelligit hæc, ideſt, peccator, vt Salomõ ait. Certè suã paruitatẽ cũ diuinitate cõferẽs, cuius mater verè facta est, adeo se Deo obligatam cõcludebat, vt meritò cauere deberet, ne in aliquo diuinã Maiestatẽ offenderet. Psal. 24.

Psal. 72. Cant. 2. 1. Ioan. 1. Paulus. Luc. 2. Psal. 39. Psal. 24.

Oculi mei semper ad Dñm, quoniã ipse euellet a laqueo pedes meos, non à laqueo certè, in quo ipsa aliquãdo inciderat, sed à laqueo, in quod incidisset, nisi Spiritus Sanctus tantã ei gratiam, & bonam armaturam cõtulisset. Hæ quinque armaturæ sunt interiores, alia autem quinque sunt exteriores. Prima armatura exterior est Angelica protectio. Vnde accipe regulam. Quòd quantò quis est in maiori dignitate, tantò plures Angeli ei ad custodiam dantur, licèt vnicuique pro persona particulari detur vnus Angelus ab ortu conceptionis suæ, siue natiuitatis, vt patet in 2. dist. 11. vnde plures Angeli dantur Papæ ad custodiam, quàm alijs Prælatis, plures Imperatori, quàm alijs Baronibus. In cuius signum, quia Christus maior erat omnium, *multitudo Angelorum*, gloriã in eius natiuitate *Lucæ 2.* decantauit, Luc. 2. cap. Item & in pugna facta in prima Dominica quadragesimæ cum Dæmone, & habita victoria dicit textus. *Matth. 4* Matth. 4. *Astiterunt Angeli, & ministrabant ei*, sed cum nulla maior in creaturis esse possit dignitas, quàm esse Reginam cœli, Matrem Dei, concludendum est, Virginem mul- *Psalm.* titudine Angelorum fuisse comitatam. Psal. *Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis.* Secunda armatura fuit expulsio Dæmonum. Psalm. 90. *Ca- Psal. 90.* dent a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis, ad te autem non appropinquabit. A sinistris cadunt Dæmones, ex odore bonitatis propriæ Virginis, quia sanctissima erat, à dextris ex odore bonitatis diuinitatis, quã nouem mensibus portauit in ventre. Tertia armatura est, virtutum exercitatio, quia otiũ est pabulum tentationum. Inde Bernardus. Semper aliquid facito, vt Diabolus te occupatum videat. Et Virgo gloriosa *panem ocio- Prou. 31. sa non comedit*, habitus enim generatur ex frequentatis actibus, ex 2. Ethicorum, quæ postea qualitas est de difficili mobilis, vt dicitur in prædicamento de qualitate, & per consequens, qui semper in bonis operibus delectatur, de difficili in peccatum cadit, & *Psal. 10.* per oppositum, qui in malum delectantur de facili ruunt. Psalm. 10. *Non est Deus in conspectu eius, inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.* Quarta armatura est, peccatorum abominatio, nec immeritò, quoniam naturã peccati perfectè cognoscebat, vt quòd animam gratia Dei priuat, mortuam facit, stipulam ignis inferni, & similia facit. Quis ille insanus consilium accipiet dicentis. Turrim hanc scande, & proijce te deorsum? & tamen grauius peccatum animam ledit, & ideo summopere à peccatis declinabat. Quinta & vltima armatura est, mun- *Ad Phi. 3* di despectio ad Philip. 3. *Omnia arbitror, vt stercora, vt Christum lucri faciam.* Quòd potissimum fuit in Virgine propter gratiæ plenitudinem. Quare, &c. Et hæc sufficiant quã tùm ad præsentem veritatem. Quantùm ad tertiam dico, quòd Spiritus Sanctus tantam Virgini fortitudinem in filij passione contulit, quanta possibile est alicui creaturæ communicari, quia sicut nulla mater in concipiendo, generando, alendo, & nutriendo filium, fuit Virgine gloriosa præstantior, ita nec in eius passione fuit aliqua mater amarior, & propterea Virginem gloriosam Sancti plusquam martyrem appellant. Vnde Bernardus. Dum perforatur, inquit, lancea ille tuus Iesus, omnium quidem, sed specialiter tuus, non ipsius animam gladius pertransiuit, sed tuam, vnde plusquàm martyrem præ dicamus. Hæc ille. Et Hieronymus, quia inquit, mente passa est, plusquàm martyr fuit alij enim martyres, licèt corpore paterẽtur, mente tamen, & animo gaudebant. Et tantus in ea hic mentalis dolor, quòd cor eius erepùisset, nisi eam virtus Spiritus Sancti roborasset. Christus autẽ eius filius mortuus est, ex dolore mentis, ideo clamans expirauit. Sed alios martyres, & Christũ relinquamus. Audi quid de martyrio Virginis dicat bonus ille Tobias 10. capite. *Flebat ergo mater eius irremediabilibus lachrimis.* Vbi grande *Tob. 10.* martyrium Virginis ex duobus ostendit esse, videlicet, ex grandi dilectione, & ex magna afflictione. Primò Virginis martyrium fuit magnum ex grãdi dilectione, quia flebat mater eius, scilicet, Iesu Christi crucifixi. Luc. 19. cap. *Stabat iuxta Crucem eius Mater Iesu, & soror Matris eius.* Inde Gregorius ait. Quæ enim ardenter diligimus, grauiter suspiramus ablata. Quantùm autem Virgo filium suum diligeret, tu ipsa anima excogita. Secundò Virginis martyriũ grande fuit ex magna afflictione, quia ait, irremediabilibus lachrimis, Trenorum 1. *Plorãs plorauit in nocte, & lachrimæ eius in maxillis eius, & non est, qui cõsoletur eam ex omnibus charis eius, &c.* Et hæc sufficiant quantùm ad præsentem veritatem. Quare patet secunda Conclusio. *Lucæ 19.* *Tren. 1.*

De apparenti gratiarum Spiritus Sancti multitudine in Virgine gloriosa.

CONCLVSIO III.

ACcipe tertiam conclusionem, videlicet: Mirabiliter Spiritus Sanctus Virginem perlustrauit quando omnium suorum donorum eam dispensatricem ordinauit, vbi tres inquiramus veritates, videlicet. Prima veritas est. An esset in Virgine aliquod euidens signum suæ plenitudinis gratiæ. Secunda veritas est. An omnes gratiæ Spiritus Sancti, & omnia dona transeant per manus MA-

RIÆ.

RIÆ. Tertia veritas est. Quare multi ab ipsa gratiam petunt, & non habent. Quantùm ad primam dico, quòd sic. Et inter cætera diuinæ gratiæ signa, hoc maximum fuit, quòd nullus quantumcumque luxuriosus, & vanus esset, potuit eam carnaliter concupiscere, immo ex eius aspectu luxuriam extinguebat. Et hoc maximè propter quatuor, quæ Spiritus Sanctus operabatur in ea. Primò, quia speciale donum Virgini Spiritus Sanctus cõtribuere voluit, vt scilicet nullus eã posset carnaliter concupiscere. Et do tibi exẽplũ satis huic materiæ conforme. Ioannes scortum nutrit, & vxorem habet longè præstantiorem, & pulchriorem scorto, & tamen vxorem videre non poterit, & apparet illi mulierum omnium turpissima, scortum autem libenter videt, & videtur illi omnium mulierum speciosissima. Vnde hoc? nisi quia in oculis illius scelerati Diabolus imprimit suæ maledictionis officium, vt vxorem faciat turpissimam, & odiosam. Vnde ex opposito arguamus. Si Diabolus tantæ potentiæ est, vt faciat hominibus vxores turpissimas, & odibiles apparere, à fortiori omnipotens Deus potuit tantam benedictionem Virgini MARIÆ infundere, vt nullus eam respiciens ad concupiscentiam moueretur, &c. Secunda ratio erat honesta conuersatio. Siquis enim alteram carinam sanctam habet ante oculos, & videret illam honestissimam in omnibus dictis, & factis suis, & contemplari, & eleuari à terra eam cerneret, quis ille tàm furibundus, qui illam ad concupiscendum, moueatur. Considera nunc honestatem Virginis, conclude propositum. Tertia ratio est, sancta occultatio. Si enim Christus virtute diuina A videbatur Magdalenę hortulanus, & tamen non erat. Et discipulis euntibus in Emaus peregrinus, quod tamen non erat. Quid obstat quod idem Christus potuit diuina virtute sic suam prætiosissimam Matrem facere apparere, vt concupisci inordinatè non posset? Quare, &c. Quarta ratio est irradiatio; ex Virginis namque oculis, vt sancti aiunt, claritas quædam exibat irradians, vt intuentium oculos, animosque confunderet, adeo vt nullus eam potuit inordinatè concupiscere, ob quam causam *voluit* Ioseph vir eius *occultè dimittere eam*, vt Bernardus ait. Tanquam se indignum suo arbitratus consortio. Inde Origenes. Si suspicionem in ea non habebat iustus, quomodo erat, vt immaculatã dimitteret? Ideo ergo dimittere volebat, quia magnum in ea esse Sacramentum cognoscebat, cui appropinquare se indignum existimabat. Hæc ille. Et hæc sufficiant quantùm ad primam veritatem. Quantùm ad secundam veritatem dico breuiter, quòd Hieronymus, Bernardus, & omnes Sancti clamant, quòd nulla gratia descendit de cœlis ad terras, nisi transeat per manus MARIÆ. Quare, &c. Quantùm ad tertiam dico, quòd defectus est ex parte rogantium, & non rogati, opponimus enim nubem, ne transeat, oratio nostra. Inde Bernardus. Solus ille, ò Virgo, tuas laudes fileat, qui te fideliter inuocatam senserit in aliquo defuisse. Quare, &c. Practica multa est, & poteris impedimenta orationis aliqua ponere. Ecce igitur quã rectè Virgo gloriosa, & benedicta à tota simul fuit Trinitate clarificata, quam per gratiam, hic & in futuro, per gloriam ingenti claritatem videre possimus.

B *Matth. 1.*

C

D

S. AMPHILOCHIVS ICONENSIS.

NOTA.

GRæcæ Ecclesiæ Pater, & Doctor perantiquus S. Amphilochius, siue Amphilogius, vt eum vocant Honorius, & Trithemius, Iconij in Lycaonia Episcopus factus est. Floruit anno à Virginea, & Bethlemitica gloria CCCXC. Hunc D. Hieronymus in Epist. 34. ad Magnum cum Basilio Magno, & Gregorio Nazianzeno cõparat, & parẽ ipsis doctrina sacra, & profana facere videtur; & cùm de his tribus æqualiter dicat, non facilè iudicari potest, quid in illis primùm admirari debeas, an eruditionem seculi, an scripturarum scientiam. Fuit enim prædictus S. Amphilochius in sacris litteris, sicut assiduè studiosus, ita & egregiè eruditus, & secularibus disciplinis

plinis non mediocriter imbutus. Præfuit denique in Synodo Sidæ habita aduersùs Hæresim Messalianorum, hoc est, Euchetarum, seu Adelphianorum, considentibus & alijs viginti quinque Episcopis, teste Photio in sua Bibliotheca; Ex quibus eius magna constat auctoritas. Scripsit Homilias à Theodoreto, & in vitis Patrum, & ab Antonio Possevino, & alijs non semel citatas, atque librum de Spiritu sancto, quem se legisse S. Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis testatur: vbi diserte, & efficaciter probabat (Græcus hic aduersùs suos Catholicus malleus) quòd Deus, quòd adoranda, quòdque omnipotens esset, infinita, coæterna, & veneranda illa tertia Trinitatis Persona. Scripsit etiam Homiliam egregiam de Purificatione Dei Genitricis Mariæ; & sub hoc titulo oratio in Hippapuntẽ sive occursũ Domini, Inuenitur Græca in Bibliotheca Regia S. Laurentij Escurialis pluteo 7. lit Z. num. 21. folio 7. & 1. ≡ 13. pa. 105. & IV. ≡ 7. pag. 180. T. A. 4. pag. 102 sub hac verò inscriptione Encomium in Beatam Virginem, & in S. Annam, & Simeonem VI. H. 6. pag. 25. & VI. H. 22. pag. 13. & III. Z. 5. pag. 101. & V. Z. 6. pagin. 72. & V. Z. 9. pagin. 82. Huic etiam S. Amphilochio attribuitur oratio in Natiuitatem B. Virginis, quæ extat III. H. 2. pag. 95. Prædictam de Purificatione Homiliam ex Græco Latinam fecerunt Interpretes multi, videlicet, Laurentius Sifanus Iurisconsultus ex editione Coloniensi Bricmani anno 1568. qua traductione vsi sunt Colonienses tom. 4. fol. 920. Biblioth. VV. PP. atque Parisienses in sua 5. editione. fol. 2. par. 2. fol. 837. Item Petrus Pantinus Tilletanus Decanus Bruxellẽsis, quam Antuerpiæ anno 1600. cum alijs Sanctorum Patrum opusculis Græcis publicauit. Alia editio est Gerardi Vossij qua vsi sunt Parisiẽses in sua nouissima Biblioth. completa anno 1644. to. 15. fol. 626. Quarta verò interpretatio à prædictis omnino diuersa est, quam adducit R. P. Laurentius Surius tom. 1 fol. 818. quam in hac nostra Virginea Bibliotheca eligo, amplector, & sequor, quia antiquior, emendatior, & correctior, nam multa, quæ in alijs editionibus mutila extant, vt ad marginem suæ Bibliothecæ Colonienses ipsi fatentur, hìc integra, & verborum sensu completa reperio. De Nostro Sancto Amphilochio in Romano Martyrologio, & Græcorum Menologio die 23 Nouembris. Qualis verò in sanctitate, & quantus in doctrina fuerit, latè dicitur in notis ad Martyrologium. Vide quos Cardinalis Baronius ibi citat, atque omnes Nomenclatores, & Scriptores, &c.

AMPHILOCHII EPISCOPI ICONII HOMILIA

in Purificationem Dei Genitricis MARIÆ.

MVlti quidem non vlgares, sed viri summi, atque præstantes Virginitatem admiratione magna prosequuntur: idque non immeritò faciunt, cùm verè sit admirabilis, vt Angelorum natura cognata, & eundẽ cursum sibi proponens, quem & naturæ illæ incorporeæ propositum habent, Ecclesiæ sanctæ lampadem gestans, vt mundum superãs, vt affectus, & perturbationes carnis conculcans, vt appetitum refrenans, vt cum Eua nõ communicãs, vt à dolore, ac tristitia liberata, vt castitati adhærens, vt à gemitibus redempta, quippe quæ condemnationis sententiam non admisit, quæ ait: *In dolore paries filios: & conuersio tua ad virum: & sub viri potestate eris.* Gen. 3. Verè igitur Virginitas ipsa est admirabilis, vt possessio quædam à seruitute libera, vt germen nunquam exarescens, sed semper virens, ac florens, vt vitæ institutio insignis, vt exercitationis, & vitę laudabilis ornamentum, vt humano habitu superior, vt corporeis affectibus pura, vt denique vnà cum sponso Christo in thalamum regni cœlestis ingrediens. Virginitatis igitur multiplex gloria talis, tãtaque est, cui hæc, & his similia conueniunt.

At

At Nuptiæ honoratæ etiam sunt, & quouis terrestri dono superiores, fœcundę arboris similitudinem præ se ferentes. Est enim coniugium ipsum tanquàm planta quædam pulcherrima, ex qua Virginitas ipsa nascitur, & rationalia animataque germina producuntur. Est, inquam, coniugium ipsum benedictio illa, qua mundus creuit, & generis instauratio facta est: per ipsum enim natura humana reparata fuit: quam cùm Dominus suscepisset, diuinam imaginem renouauit. Tale denique coniugium est, vt vniuersum genus humanum contineat, & cum illo versetur, ita vt liberè possit dicere: *Ecce ego, & pueri, quos dedit mihi Deus.* Cùm ergo tam eximium sit coniugium, quid Virginitas erit, coniugij flos? Non enim ex alia re, quàm ex coniugio Virginitas gignitur.

Esai. 8.

Hæc autem cùm dicimus, inter Virginitatem, & Nuptias contentionem, aut pugnam non introducimus, sed vtriusque bona, vt par est, admiramur, quandoquidem tã coniugij, quàm Virginitatis curam habet Dominus ipse, qui non alterum alteri, tanquam in trutina, opponit, sed facit, vt in vtraque parte Dei timor adsit. Nam si pietas absit, & Dei timor, neque Virginitas ipsa venerãda, neque Nuptiæ sunt honoratæ. Hæc antequã Euangelicæ lectionis explanationem aggrediamur, dixisse volui, propter id, quod in lege quidem scriptum, sed gratiæ tẽpore confirmatum est, ab vniuersis expectatum, sed in solo Domino completum est. Dico primogenitum fructum illum MARIÆ Virginis. Audisti enim Euangelistam paulò antè, dicentem: *Postquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in vtero conciperetur. Et post quam impleti sunt dies purgationis eius, tulerunt illum Hierusalem, vt sisterẽt eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur.*

Luc. 2.

Exod. 3.
Num. 8.

Audisti ne coniugij benedictionem? Id communiter quidem dictũ est de omnibus, sed in solo Domino perfectum. Quod enim scriptura dicit: *Omne masculinum adaperiẽs vuluam, sanctum Domino vocabitur*: ad solum Dominum Iesum refertur, nõ ad alium quempiam, licèt communiter dictum sit. Talis enim est vniuscuiusque virginis natura, vt primùm viri congressu aperiatur vulua ipsa, deinde pariat. Sed in Saluatoris nostri ortu non ita factum est. Nam nulla præeunte viri cognitione in Virgine matre, ipse sine virginitatis illius corruptione ortus est. Itaque dictum illud, Omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur, verè ac propriè ad Dominum Iesum referebatur. Nunquid Cain sanctus fuit, quoniam omniũ primus ex materno vtero editus est? Num, inquam, propterea sanctus vocabitur, qui nefariè vitam terminauit? Num Esau, vir bellicosus, & gladij hæres, propterea sanctus dicetur, quia prior natus est, quàm Iacob? An Ruben sanctus, quia primus ex vtero matris editus est, quippe qui patris cubile commaculauit? Nemo istorum sanctus fuit. Omnes isti rei extiterunt. Ex his igitur manifestum est, scripturæ dictum illud, Omne masculinum adaperiens vuluam, sanctũ Domino vocabitur, propriè, ac verè ad solum Dominum Iesum spectasse. Idque confirmatur illo Gabrielis ad Virginem testimonio: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.*

Gen. 4. 25 29. 35.

Luc. 1.

Sunt autem, qui nostris dictis aduersantes, hæc nobis obijciunt: Si scripturæ locus ille, *Omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur*: ad Iesum solũ refertur, non igitur Virgo ipsa remansit virgo, cùm scriptura dicat, *Omne masculinum adaperiens vuluam.* Animaduerte, & prudẽter intellige quicunque de virginea illa natura verba facis, quòd, scilicet, nullo modo virginalis illa porta patefacta sit, eius prouidentia, & voluntate, qui antea in ipsa conceptus est. Hoc enim futurum prædixit Spiritus sanctus, cùm per Prophetam dixit: *Hæc porta clausa erit, & non aperietur, & vir non trãsibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingredietur, & egredietur per eam, & porta ipsa erit clausa.* Quantùm igitur pertinet ad virginalem naturam, virginis claustra nullo modo aperta sunt, quòd verò pertinet ad potentiam geniti Domini, nihil clausum, omnia aperta, nihil quod impedimentum afferre potuerit, cùm omnia Domino ipsi sint reserata. Quamobrem, & superiores potentiæ clamantes, dicebãt inferioribus: *Tollite portas Principes vestras, & introibit Rex gloriæ.*

Ezech. 46

Psal. 23.

Admirabilis certè virginitas ipsa est, sed quæ vera virginitas dici possit; nam in virginibus discrimen est, cùm aliæ dormitent, aliæ vigilantes sint. Admirabile coniugium, sed quod verè coniugium est: multi enim coniugij legem seruarunt, multi eam violantes, transgressi sunt. Admirabilis est, & viduitas ipsa (quandoquidem omnes tres istos ordines decet commemorari) admirabilis, inquam, est, & viduitas ipsa, in castitatis certamine se victricem ostendens: cuiusmodi fuit Anna illa, de qua paulò ante Lucam Euangelistam narrantem audiuistis. Ea enim cùm benè, ac laudabiliter cõsenuisset, renouauit, vt aquila iuuentutem suam. Hæc autem ipse Lucas: *Et erat Anna prophetissa filia Phanuel de Tribu Aser. Hæc processerat in diebus*

Luc. 2.

Ibid.

bus multis, & vixerat cum viro suo annos septem à virginitate sua, & hæc vidua usque ad annos octoginta quatuor, quæ non discedebat de Templo, ieiunijs, & obsecrationibus seruiens nocte, ac die. Audisti, quibus laudibus in sacris Euangelijs ornata sit Anna vidua sancta? Verè fidelis fuit Anna illa, morũ probitate, vt nomine ipso gloriosa. Audiãt mulieres, & egregiam Annæ vitam imitentur, similem cursum & ipsæ teneant, vt pares coronas consequantur.

Nulla sibi proponat viduitatis defectionem, ne monogamiæ continentiam amittat. Certè viduarum corona fuit Anna, sexu mulier, ordine, ac dignitate Prophetissa, (vt est in Euangelio) in viduitate vitam degens, & in Templo versans: corpore quidem imbecillis, & propter senectutem infirma, sed animo fortis, ac robusta, corrugata facie, sed prudẽtia vigens, ac florẽs; senectute incuruata, sed consilio, & sententia rectè incedens: multorum annorum numero senior iam facta, sed Dei cognitione præcellens; ieiunijs, non saturitati studens; Deum precans, non interoscitantes vitam degens; in Templo perseuerans, non alienas domos obiens; Psalmos canens, non nugis vacans; prophetiæ intenta, non fabulis, aut nugacitati; diuina meditãs, inhonesta reijciens. Tot, tantæque fuerunt Annæ virtutes, vt illã etiam superarit, quam Apostolus beatus Paulus beatam prædicat, hæc scribens: *Vidua deligatur non minùs sexaginta annorum, si filios educauit, si sanctorum pedes lauit, si tribulationem patiẽtibus subministrauit, si omne opus bonum subsecuta est.* 1. *Timo.* 5

An non hanc ab Apostolo prædicatam viduam, superauit Anna, & annorum numero, & vita, ac moribus? Quæ enim prophetiæ dono digna, & sancti spiritus capax effecta est, Deique in carne humana præsentiam omnibus, qui eam expectabant, nunciauit, atque ostendit, quomodò non illa omnes alias viduas superauit, cùm Euangelium, sicut paulò ante audiuistis, de ipsa dicat: *Et hæc illa ipsa hora superueniens, confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem in Israel.* *Luc.* 2. Vides ne quanta fuerit Annæ præstantia? Pro Domino testimonium proferebat, & Domini spiritu afflata, quæ ipsius erant, præsente illo ipso Domino, loquebatur. O res admirabiles! Erat mulier illa vidua, & ea reuelabat, quæ Sacerdotes quidem, & Scribas mœrore afficiebant, sed populum ipsum recreabant, cùm ex Domini præsentia futuram in Israel redemptionem nunciaret. Videbat Anna infantem Dominum, dona pro seipso in Templo tunc offerentem, neque tamen propterea offensa est, neque quòd videret Dominum in ætate puerili, sed confessa est, infantem illum esse Deum, medicum, redemptorem, fortem, ac validum peccatorum destructorem.

Noli, quæso, Annæ verba simpliciter præterire, quæ omnibus, qui præsentes erãt, Domini Iesu Christi futurum opus prænunciabat. Videtisne, inquit, puerum hunc mammam sugentem, in materno sinu quiescẽtem, nondum pedibus vestigia supra terram figere valentem? Videtisne puerum istum, qui octauo die circunciditur? Hic fundauit seculà, hic cœlos in orbem circunduxit, hic terrã dilatauit, hic mare ipsum arena, tãquam vallo quodam circundedit. Puer iste *educit ventos de thesauris suis.* *Psal.* 134 Idem & Noe temporibus *cataractas* cœlorum aperiens, *diluuium* in omnem orbem terrarum immisit. Hic *pluuiam*, atque *imbres* componit. Iste puer *niuẽ* *Gen.* 7. *Psal.* 147 *vt lanam spargit.* *Exod.* 14 Iste Mosaica illa *virga* patres nostros de terra Ægypti liberauit. Iste mare rubrum dissecuit, & tanquam per campum aliquem fecit illos transire puluerulento pede, qui spem suam in eo collocauerant. Hic & manna, vt imbres quosdam, demisit. Iste patribus nostris terram *melle, ac lacte fluentem* sorte distribuit. Iste Templum hoc per Salomonem construi, atque in sublime erigi fecit. Iste iurans dixit Abraham: *Multiplicans multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli, & sicut arenã, quæ est in littore maris.* *Gen.* 17. De hoc puero Propheticus chorus consolationem afferens, dicebat: *Excita potẽtiam tuam, & veni, vt saluos facias nos.* *Psal.* 79. Non igitur offendatis in eo, quòd puer sit: idẽ enim & puer est, & cum patre coæternus. Idẽ sub tempore numeratur, & genealogiam nõ habet. Idem puer est balbutiens, & hominibus os, & sapientiam largitur, partim vt ex virgine homo factus, partim vt naturam habẽs, quæ comprehendi non possit. Nam & hoc expressit Esaias, cùm dixit: *Puer natus est nobis, & filius datus est nobis:* *Esai.* 9. partim enim genitus, partim datus est. Quod ad humanã naturam pertinet, genitus: quod ad diuinam datus est.

Hæc in illa viduæ Annæ prophetia continebantur. Hæc à muliere, & vidua illa egregia clara voce prænunciata sunt. Quæ verè fuit vidua, quæ benè vitæ statum permutauit, quæ virum quidem, cum quo fuerat cõiugata, diem suum obeuntem amisit, sed Deũ ipsum suscepit. Septem annos cum viro suo vixit à virginitate sua. Annorum hebdomadam complens, & anno septimo à viri cõsuetudine requiescens, benè sabbatismo functa est, benè amplexa est Dominicæ diei gratiã. Turturis morem Anna seruauit. Non oblita est coniugis sui, non admisit in cubile virum aliquem, à quo eius castitas violari posset. Nam in lecto ipso priorem virum, quamuis mortuum, memoria retinebat. Non commaculauit sindonem, in qua cum primo illo vi-

ro copulata fuerat. Verè reprehensione dignæ sunt, quæ virorum, quibus, auctore Deo coniugatæ sunt, memoriam cum eorum sepulchris obruũt, præsertim filio, aut filijs ex coniugio susceptis, cuius rei causa connubiũ concessum est. Nam si iuniori viduæ non sit proles, reprehendẽda non est, si filiorum desiderio impulsa, veniat ad alterũ cõiugium, quoniam, & beatus Paulus hoc admonens, di-
1. Tim. 5. cebat: *Volo iuniores viduas nubere, filios procreare, matres familias esse.* Itaque procreandorum filiorum causa, secundum cõnubium additum est. Cùm verò sit proles iuniori viduæ, superuacaneum videtur semen spargere, cùm, scilicet, aristæ floreant.

Sed quidnam deinceps narrat Euangelista? Operepretium est enim totam seriẽ tractare. Audisti paulò ante Lucam Euangelistã narrantem, quemadmodum Simeon dixerit
Luc. 2. virgini: *Ecce hic positus est in ruinam, & resurrectionem multorum in Israel, & in signum, cui contradicetur: & tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Quæso, quidnam, hoc est, tuam ipsius animam pertransibit gladius? Intellige prudẽter, quod dixit Simeõ virgini: Ecce hic positus est in ruinam, & resurrectionem multorum in Israel, & in signum, cui contradicetur. Diceret Virgo, vt mater Domini: Quidnam, hoc est, quod ais, Simeon? Cur tristia quædam aduersùs Christum denuncias? Ignoras, qua ratione hic puer conceptus fuerit, & propterea tanquam alicuius communis hominis signum contradicendum significas. Nulla in hoc ipso ruina, sed exaltatio multa inuenietur, qui ad alios extollendos se demisit. Cur igitur nõ ei benedicis, sed ais: *Ecce hic positus est in ruinam, & resurrectionem multorum in Israel, & in signum, cui contradicetur?*

Hæc dicere poterat Virgo, cui responderet Simeon: Satis est tibi, Virgo, matrẽ omnium creatoris dici. Satis est nutricem esse illius, qui nutrit orbem terrarum, & mundũ sustentat. Satis est, quòd eum feras, qui portat vniuersa. Qui nunc in te habitauit Christus, & nunc manibus meis tenetur, hic ipse suggessit mihi, quæ de ipso loquar, quòd, scilicet, hic positus est in ruinam, & resurrectionem multorum in Israel. In ruinam, scilicet, non credentium Iudæorum, & resurrectionẽ Gentium, quæ creditura sunt. Signum autẽ, cui contradicetur, Crucem appellauit. Quãdoquidem multi ex infidelium numero contradictionis verba cruci Dominicæ intulerunt, verbis, ac factis Iesum impugnantes,
Mat. 27. *arundine* caput ipsius percutientes, *acetum*
Ioan. 19. dantes illi bibere, fel pro cibo afferentes, *corona spinis contexta* eius caput induentes, sceleratis manibus *alapas* infligentes, *lancea latus* aperientes, cõtumeliosa illi verba magnis clamoribus obijcientes: *Alios saluos fe-*

A *cit, seipsum non potest saluum facere.* Totum hoc interpretatus est Simeon, cùm dixit: *Et erit in signum, cui contradicetur.* Multi illo ipso tempore contradixerũt, quo Petrus negauit, & omnes Apostoli, vt oues sine pastore, dispersi sunt. In eodem illo Crucis signo ipsius etiam Virginis cor dolore fuit repletum, ita vt vitam ipsam acerbã sibi esse existimauerit, eoquòd diẽ illum viderit, & crucifixo filio, intestino dolore affecta fuerit. Huiusmodi multas Virginis cogitationes, gladium Simeon appellauit, quippe quòd intimum cor pupugerint, & scandala intulerint, sicut Dominus noster prædixerat: *Omnes in me scandalum patiemini in nocte ista.* Mat. 26.

B Quamobrem & Simeon hoc futurum præuidit, & dixit: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelẽtur ex multis cordibus cogitationes.* Vides ne, quemadmodum infinitas illas cogitationes gladium appellauit, vt intimas cordis partes, & renes, ac medullas ferientes? In huiusmodi cogitationes incidit Virgo ipsa, cùm necdum resurrectionis potẽtiam cognouisset, quòd, scilicet, proxima esset Christi resurrectio. Ignorabat enim tantam esse Christi virtutem, vt mortẽ quidẽ ipsam gustaturus esset, sed ab illa deuorari non posset. Itaque post resurrectionem non ampliùs gladius anceps, sed hilaritas, & exultatio consecuta est. Signum igitur, cui
C contradicetur, Crucis signum Simeon appellauit, cuius causa gladius variarũ cogitationum animam Virginis penetrauit.

Licet etiã alia quædã de hoc signo dicere, si Dominum hæc in Euangelio dicentẽ attẽdamus: *Generatio hæc praua est, signũ quæriz, & signũ non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in vẽtre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit & filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Vides quemadmodũ Crucis signum, non solùm in nouo, sed etiam in veteri testamento nominatum sit? Multùm enim vetus testamentum conuenit cũ nouo, quoniam vnus, & idem est Deus, qui & veterem legem tulit, & nouam sanciuit. Huius
D rei testis est Dominus ipse, quem audi in Propheta Ezechiele dicentẽ ad Angelos, & vniuersalem consummationem significantem: Mat. 12. Ioan. 2. Ezech. 9. *Ne parcat oculus vester, neque misereatur senis, vel adolescentis, nõ virginis, aut pueri, & mulieres interficite vsque ad internecionẽ. Eos verò, qui tulerint in frõtibus suis signũ Tau, ne tetigeritis.* Vides ne signum veteris, & noui testamenti? Quod signum nihil aliud est, quã Crux ipsa, quæ mundo salutem dedit per Iesum Christum Dominum nostrum: Cui sit gloria, & imperium in secula seculorum.

Amen.

S. AN-

S. ANDRAEAS CRETENSIS.

NOTA.

MVlti & non infimæ notæ Doctores prædictum Græciæ lumen, & Doctorem decantatissimum Andræam Cretensem diuersum, ac distinctum ab Andræa Hierosolymitano, & ab Andræa Chartophilacio constituunt; sed immeritò quidem; etenim vnus, atque idem Andræas fuit: habitu, seu religione Monachus, vel Presbyter Hierosolymitanus, officio Chartophilax, hoc est, Archiuista Constantinopolitanus, dignitate Episcopus, vel Archiepiscopus Cretensis: patria verò, & natione Damascenus: sic ergo dum legeris, vel audieris Andræam nominare Hierosolymitanum, vel Cretensem Chartophilacem, vel Damascenum, intellige nomenclaturas esse distinctas officiorũ, non personarũ diuersitas, quod irrefragabiliter cõstat ex Rituali Græcorum Triodium appellato, cuius hæc sunt verba fideliter ab Auberto Myræo trãsumpta. Andræas Archiepiscopus Cretæ, cognomento Hierosolymitanus, Damasco oriundus decimoquarto ætatis suæ anno Grãmaticæ studia aggressus, & in omnium disciplinarum genere probè excultus, Hierosolymam peruenit, vitamque ibi Monasticam iniit. Multa Dei Ecclesiæ fructuosa, ingenij sui monumenta reliquit; in his varias Orationes, & Canones, inter alios magnum Canonem, infinita animi compunctione refertum, pro quinta Feria quintæ Hebdomadis elaborauit. Fecit autem hunc Canonem eo tempore, quo Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus vitam Mariæ Ægyptiacæ litteris mandauit, quæ & ipsa compunctionis plenissima est. Hunc præclarissimum Canonem, & Orationem in Mariam Ægyptiacam ipsemet Andræas primus Constantinopolim tulit, quando ab Hierosolymorum Patriarcha Theodoro ad sextam Synodum subsidio missus est. Tunc enim Monasticam vitam adhuc profitens, cùm aduersùs Monothelitas fortiter decertasset, Constantinopolitanæ Ecclesiæ Clero adscriptus est; deinceps in eadem Diaconus, & pupillorum Curator, atque Altor constitutus. Non lõgo post tempore Archiepiscopus Cretæ ordinatus est. Postea proximè apud locum, qui Hierisus dicitur, cùm Mitylenẽ peruenisset, migrauit ad Dominum, cùm sedis suæ fructũ copiosum percœpisset. Hæc ex Rituali Græcorum libro, qui Triodium inscribitur fideliter hausi. Hæc Myræus, hoc ipsum affirmat Menologiũ Græcorum, dicẽs ad diẽ 4. Iunij: Eodem die S. P. N. Andreæ Hierosolymitani Archiepiscopi Cretæ. Et 4 Iulij: S. P. N. Andreæ Hierosolymitani Archiepiscopi Cretensis, viri docti, & sancti, qui ad ædificationem in Ecclesia multa scripta reliquit. Floruit seculo 6. secundùm Canisium anno DL. vel secundùm Coccium DLXX. Hæc de nomine, patria & vita. De operibus verò N. Andreæ Cretensis, seu Hierosolymitani, scio scripsisse præter alia multa à quibus breuitatis causa supersedeo. De Deipara Nostra omniumque Regina MARIA primò, teste Antonio Possevino Orationem de Annunciatione, cuius hæc sunt verba in suo Apparat. fol. 74. Andreæ Episcopi Cretæ extant Sermo in Lazarum quatriduanum, & in diuam Domini Resurrectionem, & Homiliam in

Annun-

Annunciationem MARIÆ εἰς τὸν εὐαγγελισμὸν *Græcè ma. s. in Bibliotheca Augustana num. 66. qui fortè est eiusdem, cuius paulò ante mentionem fecimus, hoc est, Andreæ Chartophilacis, &c. Hæc Possevinus. Dum autem hanc de Annunciatione Virginis Homiliam, & alia huius Doctoris perquirerem antiqua monumenta, in insigni Bibliotheca Societatis Iesu Mantuæ Carpentana, Pluteo 240. in librum incidi impressum Venetijs cura Aldi Manutij mense Iunio anno Virginei partus MDII. vbi inter alia varia Latina, & Græca opuscula antiquissimorum Ecclesiæ Patrum, videlicet: Sedulij, Iuuencij, Aratoris, Falconiæ, Eudoxiæ, Lactantij Tripherni Cypriani, &c. Orationem, seu Homiliam de Annunciatione purissimæ Dei Genitricis Græcolatinam reperi absque Auctoris nomine, quæ Græcè maiusculo charactere sic incipit:* ΕΙΣΤΟΝΕΓΕΥΑΓΓΕΔΙΣΜΟΝΤΗΣΥΠΕΡΑΓΝΟΥΘΕΟΤΟΚΟΥ *quòd autem hæc sit quam Possevinus refert, & se vidisse testatur patet ex initio vtriusque, nam ipsissimum est, vt intuenti, & legenti clarissimè patebit. Secundò scripsit luculentissimam Orationem de eadem Annunciatione, siue Angelica salutatione ex cap. 1. Lucæ, quæ incipit: Adest hodie gaudium omnium. Quam ex Marco Hoppero Interprete Græco, Latinam adducũt Bibliothecæ v. PP. primæ editionis Parisiensis, tom. 7. editionis verò secundæ, tertiæ, & quartæ, tom. 2. fol. 430. editionis nouissimæ compilatæ anno 1644. tom. 4. pagin. 674. Latinam tantùm; editio Colonien sis tom. 6. part. 2. pag. 409. Biblioth. Homiliarum Laurentij Cundi, & Gerardi Massonis tom. 4. fol. 191. Laurentius Surius ex Metaphraste tom. 2. fol. 390. Græcè verò inuenitur in celebri illa Orbis Regia Bibliotheca Sancti Laurentij Escurialis III. H. 2. pag. 102. B. I. ξ 13. pag. 129. IV. ξ 7. pag. 194. B. 1. T. 3. pag. 8. Tertiò scripsit Orationes, seu Homilias tres de dormitione Beatæ Virginis MARIÆ, & alteram de eiusdem Sacratissima Natiuitate. Prima inuenitur IV. A. 4. pag. 551. 1.⊙. 1. pag. 212. III. H. 1. pag 278. B. VI. H. 22. pag. 88. Secunda III. H. 8. pag. 272. B. I. ξ 13. pag. 129. H. 8. pag. 341. Tertia, III. B. 9. pagin. 126. Quarta, de Natiuitate. VII. Z. 18. pag. 1. B. VI. A. 6. pag. 1. IV. ξ. 7 pag. 1. V. Δ. 17. pag. 2. B. I.⊙. 8. pag. 6. III. H. 8. pag. 18. B. Quæ omnia & alia huius Doctoris opuscula, ob eximiam in Virgine Dei Matre deuotionem, & nostrum amicitiæ vinculum ex suo amplissimo manu exharato Cathalogo à Dauide Colvillo Nobili Scoto confecto, in quo opera omnia Græca Ma. s. quæ in Bibliotheca Regia S. Laurentij Escurialis delitescunt ordine Alphabetico digesta, & aprimè cõposita per titulos, siue Rubricas Latinè redditas, Codices, numeros, & paginas, nobis exhibuit (& vtinam mundo vniuerso patefaciat) antiquitatis studiosissimus indagator, & in inuestigandis, simulque coaceruandis huiusmodi Codicibus æquè diligens, ac eruditus D. Laurentius Coccus Nobilis Suasanus, Apostolici Hispaniarum Nuncij quondam à Secretis. Ex his ergo sex de Deipara Virgine Andreæ Cretensis Orationibus, seu Encomijs, quatuor sequentia damus. Duo verò, quæ desunt, Deo fauente, & Græco Scriptore; & Interprete præstante, saltim in Appendice, publici faciemus iuris. Aduertendum tamen est ad calcem huius Notæ binos fuisse Andreas Cretenses, & Sanctos simul, & insignes; sed vnus fuit Martyr sub Constantino Copronymo ob defensionem Sacrarum Imaginum; de quo Baronius ad diem 17. Octobris. Noster verò, de quo locuti sumus; Doctor tãtùm, & antiquior extitit Martyre, cuius festum celebrantur, vt dictum est 4. Iunij.*

SAN-

SANCTI PATRIS NOSTRI ANDREÆ

Archiepiscopi Cretæ Hierosolymitani, in Annunciatione sanctissimæ Dominæ nostræ Dei genitricis Oratio.

ADuenit hodie omnium gratia, quæ primam illam execrationem soluit. Passim aduenit, vt omnia gaudio repleret. Quomodo autem aduenit? Non satellitibus, nō exercitu Angelorum stipata, non ostentans aduē tum suum, sed silētium, & quietem adhibēs, vt lateret Principē tenebrarum, & arte sapiē tiæ serpentem irretiret, draconemque decipiens, id est, mentem illam Assyriam, quæ in seruitutem suam omnem nobilitatem humanam redegerat, spolia ipsi detraheret. Neque enim infinita eius erga nos misericordia tā præclarū manuum suarum opus, nempe hominem, propter quem cœlos condiderat, terram firmauerat, aerem diffuderat, mare extē derat, & omnia, quæ sub adspectum cadunt, procrearat, affici detrimento sustinuit. Idcircò Deus in terra, Deus è cœlo, Deus in hominibus, Deus in Virginis vtero gestatur, qui nusquam concluditur.

Hinc hominis natura lætitiæ ducit exordium, & diuinæ conditionis initium sumit. Hinc multiplices suas à peccato natura diuitias separans, creatori, tāquam sponsa, exornatur. Hinc renouationē suscipit nostra formatio, & senex mundus cōtractā ex peccato vetustatem deponit. Lætetur cœlum desuper, & nubes pluant iustitiam. Stillent montes dulcedine, & colles exultent; quoniā misertus est Deus populi sui. Hodie enim mysterium, quod ante secula absconditum fuerat, declaratur, & omnia in Christo perfectionē recipiunt. Hodie rerum omniū potentia procreatrix, cōsilium, quod sibi in illis procreādis proposuerat, ad exitum perducit, vt malitiæ Principis dolos ab initio excogitatos destruat. Itaque lætantur homines, gaudent Angeli, & recreatus in se redit orbis vniuersus. Quæ mens hæc concipere? quæ lingua explicare? quæ oratio assequi, aut auris percipere valeat? Meritò igitur diem hunc faustū lætumque dicimus, quo nostri generis massam à Deo assumptam celebramus. Ex quo lætitia gestit omnis creatura, & humana natura excitatur.

Hodie lætitiæ nuncius affertur: Dei erga nos benignitatis patent indicia, mūdi totius salus ostenditur. Vndenam, & à quo, & cui affertur hic nūcius? E cœlo, & à Deo, & Virgini viro desponsatæ. Quæ nam hæc virgo? Ecquis iste vir? Et quibus nominibus appellā tur? Illa quidem MARIA, hic autē Ioseph. Ambo ex genere Danidis. Quo internuncio hæc gesta sunt? Et vnde is venit? Archangelo Gabriele, qui ab Altissimo missus, rē admirabilē nunciauit. Oportebat enim, vt minister Altissimi, ex Altissimis in terrā proficiscēs, A maximè omniū admirandū mysteriū indicaret. Quod nā mysteriū? Dei submissionem, arcanam seruandi generis nostri rationem, absconditum à seculo diuinæ voluntatis prouidentiæque cōsilium. Sed vbi hæc, & quando, & cuius gratia? In Nazareth ciuitate Galilææ, sexto mense, ex quo Ioannes conceptus fuerat, vt venientem, dū adhuc in vtero gestaretur, nunciaret. Gabriel igitur ab æthereis sedibus ad terrestrem Dei thalamum deuolans, & ad Virginem accedēs sine strepitu, virginei partus arcanum significauit.

Hoc inter Deū, atque homines reconciliationis mysterium, Dei cum hominibus coniunctionē, assumptæ carnis diuinitatē, imagi B nis nostræ instaurationē, & mutationē in melius, atque sublimen in cœlos exaltationem hodie celebramus. Quamobrem omnia increbili gaudio exultant. Lætatur omnis cœlestium Virtutum chorus, quibus gratum est, quòd Deo simus reconciliati, & meliorē in statum perducti. Benigni enim admodum sunt, & hominum amantes, ac studiosi, quippe qui in ministerium mittuntur eorum, qui salutis hæreditatem sunt accepturi. *Heb.* 1.

Res igitur omnes hodie lætentur, & gaudeant, triumphet ipsa natura. Aperitur enim cœlum, & terra ratione inuisibili suscipit orbis regē. Nazareth imitatur Edē, & ipsius Edē plātatorē in sinū suscipit. Pater misericor C diarū abiectā naturā humanā vnigenito Filio despondet suo. Et Gabriel mysterio inseruit, ac Virgini succinit illud, Aue: vt lætitiam, quā prima parēs Eua perdidit, filia Adā, orta ex Danidis stirpe, restituat. Hodie gloriæ pater genus humanū cōmiseratus, naturā in Adā corruptā, benignis oculis intuetur. Hodie clemētiæ largitor, clemētiū viscerū suorū abyssū patefacit, & naturæ misericordiā effundit, vt aquæ copia maria cōtegat. Consentaneū enim erat, vt is, ex quo, & per quē, & in quo omnia cōstitūt, antiquæ contra nos execrationis sententiā misericordia commutaret, & gloria sua naturā, quæ in Adā fœdata fuerat, honestaret, & pernicioſum patris D mendacij consiliū, quo primi parentes nostri ceciderant, excluderet. Ideò magnus inter Reges, ac diuinus pater Dauid: *Misericordia*, inquit, *& veritas obuiauerūt sibi, iustitia & pax oscultatæ sunt*. Cur dixit hæc? An vt Filij misericordiā ex bona Patris volūtate qua nostri misertus ipse misericordiæ dator, factus est, excepto peccato, quales nos sumus, & veritatē aduētus eius ad nos, significaret? neq; enim, vt aliquis fortè suspicatur, simulatā ex nobis humanitatē assumpsit, sed verā. Benignè enim, & humano more, ex hominis *Psal.* 84.

essentia sumpsit essentiam, qui omni est essentia præstantior, & totam naturam nostrã in seipso diuinam reddidit; neque dispensationem finxit, sed carnis veritatem susceptit, diuinitate ipsius aliena ab omni mutatione permanente.

Quoniam igitur misericordia, & veritas (vt prophetia testatur) obuiauerunt sibi, meritò iustitia & pax osculatæ sunt. Iustitia quidem, quæ aduersùs eum, à quo primi parentes iniuria effecti fuerant, sententiam tulit. Quando? Et apud quem? Hodie, & apud altissimum patrem, qui natura benignus, & hominum studiosus, dignum duxit, vt filius suus vnigenitus humanam formam indutus, aduersarium condemnaret. Pax autem, quã è cœlo repentè chorus Angelorum in ortu pacifici filij secundùm carnem decantauit: *Luc.2.* *Ephes.1.* Gloria, inquiens, in altissimis Deo, & in terra pax, in hominibus bona voluntas. Gloria nimirùm, qua humana natura per Christum super cœlos euecta est, & super omnem principatum, & potestatem, & virtutem, vt magnus inquit Apostolus. Pax autẽ, qua medius ipse conciliator intercessit, terrestribus cœlestia coniungens, & nouam in cœlum redeundi semitam mortalibus patefaciens. Bona porrò voluntas, qna Patri placuit dilectũ filium ad nos damnatos mittere: qui salutẽ nostram patri in ipso approbatam, eiusdem cum patre voluntatis expleret. Hoc nos hodie celebramus. Hoc Gabriel mandatum exequitur, & diuinitati, atque humanitati nuncius est, reconciliationisquè pignus affert ad Virginem.

Nam misericordiarum pater genus nostrũ peccati labe iam corruptum, miseratus, meminit operum manuum suarum, nec passus est, vt in perpetuum periremus. Primùm le- *Exod.31.* gem tabulis lapideis inscriptam Moysis manibus imposuit. Quæ quidem lex cùm nihil admodùm proficeret, viros diuino spiritu afflatos, nempe Prophetas futura prospicientes, ac denuntiantes misit, qui rectas Dei semitas demonstrarent. Verùm cùm ij, ad quos missi fuerant, sensibus occlusis, nihilominùs in peccatis iacerent, non despexit opifex opus à se conflatum; sed ex optimo sinu suo, & perfectissimo, filium eiusdem potentiæ, sapientiæquè, ac bonitatis genitum mi- *1.Cor.10.* sit ad nos indignos, ad quos fines seculorum deuenerunt. Satiùs enim esse duxit, vt peccatorum salutem perageret, quã vt opus à se confectum despiceret. Vni igitur ex præstantioribus Angelis mandat, vt mysteriũ exequatur, & amplitudinis suæ nutu sic illi, vt arbitror, imperat. Age Gabriel, abi in Nazareth ciuitatem Galileæ, in qua puella virgo habitat, nomine MARIA, viro, qui vocatur Ioseph, desponsata. Abi, inquit, in Nazareth. Quid ita? Vt Deo gratissimum virginitatis decus, tanquã suauissimam rosam, è spinosa regione decerpat Omnipotens. Et propter prophetiã, quæ Nazaræum vocatum iri prædixit. Quem? Eum, qui à Nathanaele posteà Dei filius, & Rex Israel vocatus est. Solet vtiq; Gabriel in Dei mysterijs minister adhiberi, vt patet in Daniele. Abi igitur in Nazareth ciuitatem Galilææ, cũq; illuc perueneris, hunc primũ Virgini lætitiæ nuntium affer, quę Eua iã amisit. Caue perturbes animũ eius. Gaudij enim, non mœroris, hoc est indicium: Solatij, nõ perturbationis, hęc est salutatio. Quod enim maius humano generi gaudium esse potest, quã vt fiat diuinæ particeps naturæ, vt vnum cum Deo propter cõ iunctionem in persona efficiatur? Quid porro admirabilius, quàm Dei submissionem eiusmodi videre, vt in mulieris vtero gestetur? O rem maximè omnium admirandam. Deus, cui cælum sedes est, terra autem scabellum pedum eius, quem cæli non capiunt, qui idem, quod pater, solium habet æternitatis, in Virginis vtero concluditur. Quid maiore dignum admiratione, quàm Deũ subhominis forma à propria diuinitate non deficientem intueri? Et humanam cernere naturam, totam omninò cum suo creatore cõiunctam, vt totus homo Deus euadat? *Iohan.1.* *Dan.8. & 9.* *Esai.66.*

Gabriel igitur, cùm hæc audisset, mantumque diuino nutu confirmatum, sed viribus suis maius accepisset, inter metum, atque lætitiam dubius hærebat, cùm nec sibi ipse fideret, nec iubenti repugnare tutum existimaret. Quamobrem diuina iussa facessens, ad Virginem deuolauit. Cumque Nazareth peruenisset, ad domunculam constitit, & cogitabundus, atque hæsitans, hæc secum ipse, vt arbitror, volutabat: Quomodò quæ mihi à Deo mandata sunt, perficere aggrediar? Celeriter in thalamum introeam? At animum Virginis perturbabo. Tardiùs ingrediar? At puella introitum abscondere me voluisse iudicabit, Foresne pulsem? Quo pacto, cùm id non sit Angelorum proprium, nec quicquam eorum, quæ continent, aut continentur, impedire possi ea, quæ corporis sunt expertia? Ostium aperiam? At mihi, vel ostio clauso, licet ingredi. Vocem ne Virginem nomine? At illi terrorem injiciam. Sic igitur faciam. Ex illius, à quo missus sum, voluntate gressum meum moderabor. Hoc enim illi propositum est, vt genus seruet humanum. Quod quidem reconciliationis consilium vt nouum est & admirabile, sic est benignitatis & clementiæ plenum. Quomodò igitur ad Viginẽ accedam? Gaudium illi nunciabo, an Dominum in ea dicam esse? An spiritus aduentum, aut altissimi obumbrationem significabo? Gaudium igitur illi nunciabo, iudicabo mysterium admirabile, accedã, salutabo, succinã vocem hãc,

Aue,

Aue, Gaude, Lætare. Aptũ ad fiduciam principium est, salutatio. Hoc verbum mihi Virginem alloquendi aditum patefaciat. Nihil enim illi timoris potest injicere; quin etiam animum eius leniet. Sit igitur exordiar, vt primùm illi gaudij, & lætitiæ nuncium afferam. His enim verbis decet Reginam salutare. Nam hoc est gaudij negocium, tempus lætitiæ, tranquillitatis imperium, consilium salutis, initium consolationis. Hæc ipse secũ Archangelus.

Tum domum petit, & ad thalamum, in quo Virgo habitabat, accedens, sensim ad fores appropinquauit. Cùmque iam esset intus, miti voce Virginem alloquens: *Aue*, inquit, *gratia plena: Dominus tecum*. Qui est ante te, hodie tecum est, & paulò post erit ex te. Illud quidem ab omni æternitate, hoc autẽ in tempore. O immensam humanitatem! ò benignitatem incredibilem! Non fuit satis gaudium indicasse, nisi ipsum gaudij auctorem inesse Virgini significaret. Illud enim, Dominus tecum, perspicuè Regis præsentiam declarat, qui sic ex ipsa corpus assumit humanum, vt à propria gloria non recedat. *Aue gratia plena*; Dominus tecum. Gaude lætitiæ instrumentum, per quod tristis execrationis sententia in lætum gaudij iudiciũ commutatur. Gaude verè benedicta. Gaude, Virgo præclarissima. Gaude, ornatissimum diuinæ gloriæ templum. Gaude sacrosanctum Regis palatium. Gaude thalame, in quo sibi Christus humanitatem sponsam adiunxit. Gaude electa à Deo, ante quàm geni ta. Gaude diuinum inter Deum, atque homimines conciliationis perfugium. Gaude the saure vitæ immortalis. Gaude cœlũ, in quo Sol gloriæ splendet, domiciliũ cœlo præstan tius. Gaude vnicum illius, qui nusquã capitur, amplissimum habitaculũ. Gaude sancta terra virginea, ex qua nouus Adam formatur, qui veterem Adam seruet. Gaude fermẽ tum sanctum, ac Deo gratum, ex quo totius generis humani massa fermẽtatur, & in vnius corporis Christi panem euadit, & admirabili ratione coagmentatur. *Aue, gratia plena: Dominus tecum*, qui dixit: Fiat lux, & facta est lux: Fiat firmamentum, & factũ est; cuius deniq; amplitudinis opera sunt omnia, quæ facta sunt. Gaude gaudij mater sempiterni. Gaude noua Dei arca, in qua Dei spiritus conquieuit. Arca, in qua noster Noe Christus humanitatem seruauit. Arca, in qua nouæ gloriæ sanctificatio, & qui natura sanctus est, in virginea naturæ officina corpus sibi ratione mirabili fabricatus est; non deponẽs id, quod erat (est enim immutabilis) sed assumẽs id, quod non erat (est enim benignus, & hominũ amantissimus.) Gaude vrna aurea, quæ continens illum, qui dulce manna, & mel è petra ingrato populo subministrauit. Gaude Seraphica mystici carbonis ardentis forceps. Salue spiritale præcognitionis perspicuæ speculum, per quod Prophetæ infinitam erga nos Dei submissionem mysticè vaticinati sunt. Gaude speculum, per quod iustitiæ Solem venientem è cœlo susceipientes ij, qui densis in tenebris peccati versabantur, illustrati sunt. Salue Prophetarum, & Patriarcharum omnium decus, & clarissima arcanæ præcognitionis humanæ tuba.

Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Et meritò benedicta: benedixit enim te Deus tabernaculũ suũ, quoniam paternæ gloriæ plenum Christum Iesum nominem eumdem, & Deum in ijs, ex quibus, & in quibus naturis consistit, admirabili ratione in vtero tuo gessisti. Benedicta tu in mulieribus, quæ cœlestem thesaurum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei reconditi, in sacro virginitatis tuæ penu sine angustia comprehendisti. Tu verè benedicta es, cuius vterus areæ cumulus est; quia benedictionis fructum, immortalitatis spicam Christum sine semine, sine cultoris labore multiplicem frugum innumerabilium messem, nostræ salutis agricolæ produxisti. Tu verè benedicta, quæ sola ex omnibus matribus creatori tuo mater electa es, &, quod est matrum omnium proprium, ignoras; cuius quoque excellentia virginitatis maternis doloribus corrupta non est; virgineo germine tuo signa tuæ castitatis integra conseruante. Tu verè benedicta, quæ sola sine viri coniunctione filium genuisti, qui cœlos condidit, & terram virginitate tua cœlis exæquauit. Benedicta tu in mulieribus, quæ sola benedictionem suscepisti, quam Deus per Abraham gentibus omnibus promisit. Tu verè benedicta, quæ sola benedicti filij Iesu Christi & Saluatoris nostri declarata es mater, per quã clamant gentes: Benedictus, qui venit in nomine Domini: &, Benedictum nomen gloriæ eius in sæcula: & Implebitur gloria eius omnis terra, fiat, fiat: *Benedicta tu in mulieribus*, quã beatam dicunt omnes generationes: quam Reges honorant, Principes venerantur, diuites populi obsecrant, virgines, quæ vel præcesserunt, vel sequuntur, in templum Regis comitantur. *Benedicta tu in mulieribus*, quam Esaias oculis propheticis adspiciens, prophetissam, & virginem, & laterem, & locum, & caput libri obsignatum arcana ratione nominauit. *Benedicta tu* verè, quam Ezechiel auroră, & portam conclusam, per quam solus Deus ingressus est, & rursùm conclusam appellauit. Tu sola verè *Benedicta*, quam vir desideriorum Daniel montem vidit: & Habacuc admirabilis montem opacum. Montem quoque Dei, montem pinguem, montẽ coagulatũ, mõtem, in quo placitum

Exod. 16. *Deut.* 32. *Esa.* 6.

Coloss. 2.

Genes. 21.

Psal. 117. *Psal.* 71.

Psal. 44.

Esa. 8. & 7.

Ezec. 44.

Dan. 2. *Habac.* 3.

Genes. 1.

citum est Deo inhabitare, te tuus ille progenitor, atque Rex prophetice decantauit. *Benedicta tu in mulieribus*, quam Zacharias rerum diuinarum inspector eximius, candelabrum aureum vidit, septem lucernis, & septem infusorijs, id est, septem Spiritus sancti muneribus exornatum. Tu verè *benedicta*, quæ tamquam paradisus, intra te continens ipsius Eden plantatorem Christum: qui infinita virtute ex almo vtero tuo prodiens, instar fluuij, quatuor principijs per Euangelium rigat faciem vniuersæ terræ.

Psalm. 64 *Zach.* 4.

Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Fructus, ex quo protoplastus Adam vescens, euomet veterem illã potionem, per quam fraudis venenum hausit. Fructus, ex quo lignì amaritudo dulcescit, qui expurgat humanitatem; qui vero Israeli fontes vberrimos præbet in solitudine, qui aquas amaras efficit dulces, & nouum panis, ac cibi imbrem emittit. *Benedictus fructus*, qui ex incorrupta Virginei vteri planta maturos racemos extulit. *Benedictus fructus*, ex quo fontes emanant aquæ salientis in vitam æternam. *Fructus*, ex quo vitalis panis Dominici corporis, & salutare immortalitatis poculum conficitur. *Benedictus fructus*, quem omnis lingua cœlestium, terrestrium, & infernorum celebrat triplici sanctitate, in vna diuinitate Trinitatem indicans personarum. *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.*

Luc. 1.

At illa *turbata est*, inquit, *hoc sermone, & secum ipsa cogitabat, qualis esset ea salutatio.* Non incredulitate, abiit, sed orationis potius nouitate commota. Mirabile enim vaticinium videbatur. Neque diffidentia subsitit, vt anteà fecerat in adytis Zacharias. Quamobrem pœna illi ex procreandi instrumentis ad ea, quæ ad loquendum pertinent, translata est, & qui priùs liberis caruerat, tũ loquendi caruit facultate. Sed cùm esset ab omni reprehensione remotissima, & ab hominum coniunctione, & consuetudine aliena, cumquè assiduè in rerum cœlestium contemplatione versaretur, ex ea salutatione non potuit non commoueri. Etenim cùm minimè esset audax, & ad loquendum velox, acri priùs rationis iudicio, quæ dicebantur, expendit, ne temerè, & inconsideratè respon deret. Quod sapienter admodum indicauit Euangelista. Cogitabat, inquiens. Puræ mentis examine Angeli verba perpendebat, ne illa sine iudicio susciperet. Quænam, dicebat, hæc est salutatio? Consentaneum enim est, eam, vtpote nobilem, & Dauidis filiam, diuinarum scripturarum non fuisse ignaram, & animum statim ad primæ matris casum cõuertisse, cogitasseq; quomodô decepta corruisset, & mente veteres alias eiusdem generis historias comprehendisse.

Gen. 3.

A Non immeritò igitur eam Euangelista cogitabundam descripsit. Sed vt prudentiam ipsius declararet, stabilem etiam mentis constantiam adiunxit, quæ respondendo nondũ assentiretur, propterea quòd illi de rei æquitate consideranti non constaret. Turbationem igitur Virgo sedare studens, orationem non adhibuit, sed gestu solo parum per dubitationem significans, animi habitum, & morum probitatem demonstrauit, secum ipsa cogitans, qualis esset ea salutatio. Solane ego, dicebat, inter mulieres naturæ ordinem immutabo? Egone sola ventris fructum feram sine viri congressu? *Qualis hæc est salutatio?* Quia mihi nuncium hunc attulit? Vnde ingressus est? Homone est iste,
B qui loquitur? At corporis expers videtur. Angelusne? At loquitur vt homo. Quid illud, quod video, sit, ignoro, & de eo, quod loquitur, dubito.

Quid igitur Gabriel? Vt Virginis turbationem animaduerterit, ad nihil aliud attendens, statim vocem emisit, &: *Ne timeas*, inquit, MARIA: *inuenisti enim gratiam apud Deum*, quam amisit Eua. Gratiam dicens, animo dubitationem ademit; & quod fieri non posse videbatur, adijciens: *Inuenisti gratiam apud Deum*: fecit, vt credibile esset, & Virgini metum eripuit. *Ne timeas MARIA:* non sunt hæc fallentis verba: non
C venio, vt te decipiam: non loquitur fallax serpens: è terra tibi non loquor, sed bonum ex altissimis nuncium affero, nec bonum tantùm, sed lætitiæ plenum. Nõ iudicra, nec tristis hæc est salutatio. *Dominus tecũ*, qui omnis lætitiæ largitor est, & mundi Saluator vniuersi. *Tecum* est, qui de sinu patris non recedit, & in vtero tuo concipitur. *Gratia* plenam te appellaui, vt mysterij gratiam in te existentis significarem. *Gratia* plenam te esse dixi, quoniam totam gratiam susci-
pis in vtero tuo, & stolam vere diuinarũ gratiarũ splendore decoratam. *Dominus tecum* adieci, vt potentiam in te præcurrentis declararẽ. *Dominus* enim est Deus potens, &
D princeps pacis, & pater futuri seculi, idemq; tuus ò Virgo filius, atq; omnium Saluator. *Dominus tecum*, gratia, & veritas tecũ: *Dominus* quidem legis, pater autem gratiæ, & veritatis fons. *Ne timeas MARIA: Dominus tecum.* Qui omnium dominationum est princeps, qui patris luminũ filius est, qui sine principio ab ipso genitus est, is in tempore ex te nascitur. Qui sursum totus est in sinu patris, is deorsum totus est in vtero tuo. Ipse tecũ & in te est. Adueniens enim in te desilijt, & in vterum tuum ingressus est, atque in te comprehendi voluit, qui natura comprehendi non potest. *Ne timeas, MARIA: inuenisti enim gratiam apud Deum*, Gratiã, quãnõ susceperit Sara, quã Rebecca nõ inuenit.

Esai. 9.

quam

quam Rachel ignorauit. *Inuenisti* talem gratiam, qualem Anna, licèt fuerit exaudita, nõ habuit. Tu sola ita materes futura, vt simul etiam virginitatis decus retineas. *Ne timeas* igitur: *inuenisti enim gratiam apud Deum. Gratiam*, quam nemo vnquam accepit. Quænam talis esse queat *apud Deum* gratiæ præstantia? *Inuenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum.* O rem admirabilem! Primùm illi dubitationis causam ademit, deinde rem explicauit. Vide autem, quã multa, quàm paucis exequatur. Metum eripit, gratiam indicat, conceptus rationem exponit, partum prænunciat, filij nomen declarat.

Neque verò hìc constitit: sed vt amplitudinem eius maiestatis ostenderet, subiecit: *Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur: & dabit ei Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Cernis quomodo Virginis metum abstulerit? Cernis, quantoperè animum eius confirmauit? Cùm enim altissimi filium dixisset, patrem orituri Dauidem nominauit. Statim igitur erectus est animus Virginis, vt indicant ea, quæ sequuntur. Sed eius prudentiam considera, quæ cùm hæc audisset, & immutabilem diuinæ voluntatis potentiam cognosceret, ad Angelum *Quomodo*, inquit, *fiet istud, quoniã virum non cognosco?* Noua, inquit, mihi, & quæ naturam superant, nuncias. Nuptiarum sum expers. Desponsata enim sum, sed non cum viro coniuncta. Ioseph sponsum tantũ, non autem maritum agnosco. Domo, non lecto, mihi iunctus est. Fœcundus quidem est venter, sed non cultus. Quomodo erit mihi hoc, quoniam virum non cognosco? Mene solam sine viri coniunctione matrem declarabit? Egone præter naturam sola nouum, atque inauditum naturæ partum edam? Nuptiæ non præcesserunt, virum experta non sum: Ioseph non maritum, sed sponsum, & custodem tantùm agnosco. Et quomodo erit mihi hoc?

Respondit Gabriel, & responsionis sublimitate Virginis diluit dubitationem: Cur hæc dicis, Virgo beatissima? Ego è cœlo veniens, cœlestis affero nuncium conceptionis. Non de terra loquor tibi. Dixi, Dominus tecum: & tu dubitas, quomodo id tibi sit futurum? Ego eum, qui aduentum meum antecedit, in vtero tuo nuncio: & tu mihi de viro, deque terrena loqueris generatione? Et dicis: Quomodo erit mihi hoc? Quomodo hoc erit tibi? Cogita, quomodo virga floruerit, quomodo petra copiam aquarum effuderit, quomodo ignis in rubo ardens eum non cõbusserit. Quæ si credis, & id, quod nuncio, crede. Is enim hoc faciet, à quo & illa facta sunt. Noua, & præter naturam ratione mater es futura. Non vt Elisabeth, non vt Anna, ex qua tu orta es. Illæ enim ex virorum semine factæ sunt matres: tu autem sine viri coniunctione paries eum, qui sine semine in te inhabitat; quòd si modum requiris, eum quoque tibi declarabo: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Non enim ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis gignetur. Nulla carnis voluptas intercedet. Naturæ enim terminos superat, quamuis enim naturalis conditionis omnino non ũt expers futurus, quem paris: præstantiori tamen ratione concipietur, & sine vlla perturbatione, quemadmodum, & ab æterno sine perturbatione genitus est: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Considera, quomodo Trinitatis mysterium declaretur. Spiritum enim sanctum, inquiens, non alium, quã Paracletum indicatii. Nam *virtus* apertè Filium significat. Vox autem illa *altissimi* Patris personam declarat. Illud verò, *obumbrabit tibi*, mihi videtur innuere id, quod anteà propheticis oculis Habacuc viderat, cũ montem vmbrosum Virginem appellauit, quasi obumbrantem illi Patris virtutem describeus, & arcanum sibi tabernaculum efficientem in carnis assumendæ ratione, qua sibi templum corporis, non manu factum in vtero Virginis ab omnibus maculis alieno, atque integerrimo ipse Dominus fabricauit. Id, quod ex sequentibus patet. Ait enim: *Ideoquè & quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei.* Qui enim ex sancto Spiritu per sanctum Patrem, diuina ratione formatur puer, meritò sanctus erit, *& filius altissimi vocabitur*, cùm altissimi sit Verbũ sempiternum.

Num. 17. *Exod.* 17. *Exod.* 32. *Habac.* 3.

Dilucidè igitur Virgini demonstratum est, quid, & vnde, & quale id quod in ipsa conceptum est: nempe sanctum, & ipsa, & filium Dei esse, quem pariet. Verùm vt clariùs adhuc, & expressius ostendat Verbi virtutem, Elisabeth exemplum adducit, quasi diceret: qui ventrem in vetula præter spem fœcundũ efficere potuit, Virginẽ etiam poterit præter naturæ rationem matrem reddere. Atque ita subiicit: *Quoniam non erit impossibile apud Deum omne verbum.* His Virgo auditis, & inhabitantis spiritus splendore illustrata, & faustæ promissionis lætitia affecta, in tranquillitate versabatur, & animi gratiam cum pulchritudine oculorum præferebat, quemadmodum de Dauide scriptura commemorat. Re enim admirabili, & salutatione gaudebat, in qua summa lætitia cõtinebatur. Facile igitur, sapienterq; Gabriel Virgini persuasit, vt miraculũ crederet: *Nõ*

erit, inquiens, *apud Deum impossibile omne verbum.*

Quid autem sequitur in Euangelio? *Dixit autem MARIA: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Prudentiam Virginis animaduertis? Vides præclaræ cunctationis decus? Cùm enim fœtus conceptionem, & filij ortum intellexisset, & quis, & cuius esset filius, & quo foret nomine appellandus, & cuius sedis successor, & quibus imperaturus, & regni eius nullum finem futurum, statim lætissimam vocem emisit: *Ecce*, inquiens, *ancilla Domini*, illud apertè significans: *Ecce* parata sum, & nihil prohibet. Animus promptus est, vterus oportunus, vtpotè minimè inquinatus, & soli seruatus creatori. *Ecce ancilla Domini*, ad obediendum parata, ad seruiendum idonea, ad suscipiendum prompta. *Fiat mihi secundùm verbum tuum.* Quoniam, inquit, quoad fieri potuit, rectè nunciasti, & quod faciendum est, diuina est gloria plenum. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* O prouidentiam, & gratiam admirabilem! ò consilium ab æternitate prænotum, atque institutum! Verè Spiritus sanctus in Virgine inhabitabat, & virtus Altissimi obumbrabat eam ex præfinito eius consilio, & præcognitione.

Et discessit ab ea Angelus. Cùm ea nimirùm, quæ sibi mandata fuerant, perfecisset, *discessit ab ea Angelus*; sed Dominus non discessit. Angelus enim, licèt sit expers corporis, loco tamen includitur. Dominus autem, quamuis in Virginis corpore, atque vtero capiatur, nullis tamen locorum terminis circunscribitur. Et ille quidem venientem ad salutem hominum nunciauit ex Virginis vtero oriturum: Hic autem essentiam nostram à se susceptam reformauit, naturæque imaginem, ac dignitatem, quam contumacia primi parentes amiserant, restituit: eamque supra omnem principatuum, & potestatem, & virtutem, atque omne nomen, quod in hoc, aut futuro seculo nominatur, prouectam, in cœlesti solio collocauit. Ipsi gloria, & imperium, & honor, & adoratio cum Patre, & Spiritu sancto nunc & semper, & in æterna secula. Amen.

Ephes. 1.

DE B. MARIA DEI GENITRICE
Oratio altera.

AD Annunciationem purissimæ Dei Genitricis Angelus præantistes è cœlo missus est, dicere Dei Genitrici: Aue; & cũ in corporea voce, corporeum factum te aspiciens, Domine, obstupuit, & stetit clamans ad eam hæc: Aue, per quam lætitia effulget. Aue, per quam nocumentum deficiet. Aue, Adam cadentis reuocatio. Aue, lachrymarum Euæ redemptio. Aue, altitudo difficilè accessibilis humanis intellectibus. Aue, profunditas difficultatum contemplabilis, & Angelorum oculis. Aue, quoniam es regis Cathedra. Aue, quoniam portas portantem omnia. Aue, Stellam manifestans Solem. Aue, venter diuinę Incarnationis. Aue, per quam renouatur creatio. Aue, per quam infans efficitur conditor. Aue, Sponsa innupta.

Aspiciens sancta se ipsam in castimonia, inquit Gabriel audacter, admirabile vocis tuæ, difficile percepta meæ animæ videtur, in seminatæ enim cõceptionis fœturam, quo pacto dicis clamans, Alleluia.

Cognitionem incognitã cognosceretur, Virgo quærens clamauit ad ministrantem ex lumbis castis filium, quo pacto est nasci possibile dic mihi? Ad quam ille dixit, in timore nisi clamans ita: Aue, consilij arcani Sacerdos. Aue, silentij indigentium fides. Aue, miraculorum Christi proœmium. Aue, dogmatum ipsius caput. Aue, Scala cœlestis, per quam descendit Deus. Aue, pons traducens terrestres ad cœlum. Aue, Angelorum diuulgatum miraculum. Aue, dæmonum diuulgatum vulnus. Aue, lumen ineffabiliter generans. Aue, quo pacto nullum docens. Aue, sapientum super gradiens cognitionem. Aue, fidelium illustrans mentes. Aue, Sponsa innupta.

Potestas Altissimi obũbrauit tunc ad conceptionem nuptiarum experti, atque fructiferum huius vetrem, vt agrum ostendit suauem omnibus volentibus metere salutem in psallendo sic. Alleluia.

Habens Dei plenum Virgo ventrem currit ad Elisabeth, infans autem illius statim agnoscens huius salutationem gauisus est, & saltibus, vt cãtibus clamabat ad Dei Genitricẽ. Aue, germinis in marcescibilis palmes. Aue, fructus incorrupti possessio. Aue, agricolam agricolata humanum. Aue, plantatorem vitæ nostræ producens. Aue, aruum germinans fertilitatem misericordiarum. Aue, mensa ferens abundantiam propitiationum. Aue, quoniã pratum deliciarum reuirescere facis. Aue, quoniã portum animarum paras. Aue, acceptum legationis incensum. Aue, totius mundi propitiatio. Aue, Dei ad mortales bona voluntas. Aue, mortalium ad Deum fiducia. Aue, Sponsa innupta.

Fluctuationem intus habens rationum ambiguarum, castus Ioseph perturbatus est at innuptam te aspiciens, & cœlantem nuptias suspicans irreprehensa, discens autem tuam conceptionem ex Spiritu sancto, dixit. Alleluia.

Audierunt pastores Angelos cantantes corpoream Christi præsentiam, & currentes, vt ad pastorem, aspiciunt hunc vt agnum immaculatum in ventre MARIÆ pastum, quam laudantes dixerunt: Aue Agni, & Pastoris mater. Aue, caula rationalis pecudum.

cudum, Aue inuisibilium ferarum telum, Aue paradisi Ianuarum apertorium. Aue, quoniam cœlestia congaudent terræ. Aue, quoniam terrestria coexultant cœlis. Aue Apostolorum non silens os. Aue certantium inuicta fiducia. Aue firmum fidei firmamentum. Aue splendida gratiæ cognitio. Aue, per quam spoliatus est infernus. Aue, per quam induti sumus gloriam. Aue Sponsa innupta.

Ad Deum currentem stellã videntes Magi, huius sequuti sunt splendorem, & vt lucernam tenentes ipsam, vestigauerunt fortem Regem, & præuenientes lætati sunt, clamãtes, Alleluia.

Viderũt filij Chaldæorum in manibus Virginis, qui fecerat manu homines, & dominium cognoscentes ipsum, etsi serui sumpsit formam, festinarũt donis venerari, & clamare benedictæ. Aue astri inoccidici mater, Aue lux mysticæ diei. Aue deceptionis fornacem extinguens. Aue Trinitatis Sacerdotes illuminans. Aue Tyrannum inhumanum expellens è principatu. Aue dominum humanum ostendens Christum. Aue à barbara redimẽs cultura. Aue à cœno liberans operum. Aue ignis adorationem quiescens. Aue à flãma affectuum absoluens. Aue fidelium dux castitas. Aue omniũ generationum lætitia. Aue Sponsa innupta.

Nuncij adeo ducti facti sunt, Magi conuersi sunt in Babylonem, cùm perfecissent tuum oraculum, & nunciassent te Christum omnibus, & dereliquissent Herodem illusum nescientem cantare, Alleluia.

Cùm illustrasses in Ægyptum illuminationem veritatis, expulisti mendacij tenebras. Nam idola huius, Saluator, non ferentia tuam fortitudinem, ceciderunt, ex his autem liberati nunc clamant ad Deiparam. Aue correctio hominum. Aue depressio Dæmonum. Aue deceptionis robur conculcans. Aue idolorum dolum arguens. Aue mare summergens Pharaonem stolidum. Aue petra pótum præbens sitientibus vitam. Aue ignea columna ducens eos, qui in tenebris. Aue tegmen mundi latius nebula. Aue ciue mannæ susceptiue. Aue delitiarum Sanctarum ministra. Aue terra annunciationis. Aue aqua fluit, * mel, & lac. Aue Sponsa innupta.

* fluens,

Migraturo Simeone à præsenti seculo deceptore, traditus es quasi infans ei, sed cognitus fuisti ei Deus perfectus, ideo obstupuit tuam ineffabilem sapientiam clamans, Alleluia.

Nouam ostendit ædificationem demonstrans conditor nobis ab eo factis ex insemine germinans ventre, & seruans ipsam, vt erat incorruptam, vt miraculum videntes, laudemus ipsam, clamantes: Aue flos incorruptionis. Aue corona continentiæ: Aue resurrectionis formam illustrans: Aue Angelorum vitam demonstrans: Aue arbor splendidi fructus, ex quo nutriuntur fideles: Aue lignum bonæ vmbræ foliorum, sub quo tegũtur multi: Aue quæ peperisti ducem errantibus. Aue quæ genuisti Redemptorem captiuis: Aue Iudicis iusti placatio: Aue multorum errantium venia: Aue dilectio omne desiderium vincens: Aue sponsa innupta.

Admirabilem partum in tuiti peregrè eamus à mundo, mente in cœlum trasposita: propterea igitur excelsus in terra apparuit humilis homo, volens trahere ad celsitudinem sibi clamantes Alleluia.

Totus erat inferioribus, & à superioribus non penitus aberat inconscriptibile Verbũ. Descensus enim diuinus non transmutatio, at localis facta est, & partus ex Virgine Deicipia audiente hæc. Aue Dei incomprehẽsibilis Regio: Aue venerandi mysterij ianua: Aue infidelium ambigua auditio: Aue fidelium certa locuto: Aue currus sanctissimus eius, qui supra Cherũbim: Aue habitatio optima eius, qui supra Seraphin: Aue quæ contraria in idem adduxisti: Aue virginitatem, & fœturam iugans: Aue, per quam soluta est transgressio: Aue, per quam apertus est Paradisus: Aue clauis Christi Regni. Aue spes bonorum seculorum: Aue sponsa innupta.

Omnis natura Angelorum obstupuit ob magnum incarnationis opus, inaccessibilem enim vt Deum speculabatur omnibus accessibilem hominem, nobiscum quidem conuersantẽ, audientem autem ab omnibus alleluia.

Oratores sonoros, vt pisces mutos videmus in te Dei opera; dubitant enim dicere, quo nam modo, & Virgo manes, & parere potuisti. Nos autem mysterium admirantes fideliter clamamus. Aue sapiẽtiæ Dei recepta culum. Aue prouidentiæ ipsius erarium: Aue sapientes insipientes ostendens: Aue arte loquentes indisertos redarguens: Aue, quoniã insanierũt graues indagatores: Aue, quoniã aruerunt fabularum poetæ: Aue Athenienſiũ nodos abrũpens: Aue piscatorum sagenas implens: Aue profundi ignorantiam extrahẽs: Aue multos in cognitione ditescens: Aue ratis volentium saluari: Aue portus vitæ nautarum: Aue sponsa innupta.

Saluare volens mundum cunctorum ornator in hunc ipse nuncius venit, & pastor existens, vt Deus per nos apparuit secundùm nos homo; simili enim simile cum accersiuisset, audit, vt Deus alleluia.

Murus Virginum, ò Deipara Virgo, & omnium in te confugentium, nam cœli, & terræ præparauit te, ò immaculata, cũ habitasset in mitra tua, & omnes acclamare docuisset: Aue columna virginitatis: Aue ianua salutis: Aue Princeps intelligibilis reforma-

rionis: Aue datrix diuinę bonitatis; Aue tu enim regenuisti conceptos turpiter: Aue tu enim admonuisti captos mẽte: Aue corruptorẽ mẽtiũ arctans: Aue satorẽ puritatis enixa: Aue Thalamus sponsalitij: Aue fideles Domino aptans: Aue pulchra puellarum nutrix Virgo: Aue animarum sponsa, ornatrix sanctarum: Aue sponsa innupta.

Laus omnis minuitur extendi festinans multitudine multarum miserationum tuarum æque numerabiles Psalmos, & Cantus, afferẽtes tibi Rex sancte, nihil perficim⁹ dignum eorum, quæ dedisti ad te clamantibus, Alleluia.

Luminis acceptricem lampadẽ ijs, qui in tenebris apparentem videmus sanctam Virginem, nam immateriale accedens lumen ducit ad cognitionem diuinã omnes splendore mentes illuminans, clamore autem honorãs hæc. Aue radius intelligibilis solis: Aue facula inoccidui luminis: Aue fulgur animas illustrans: Aue vt tonitru inimicos perterre faciens: Aue, quoniam ad te multiflua oritur illuminatio: Aue, quoniam multi muneris per te scaturit fluuius: Aue lauacri figurans formam: Aue peccati auferens sordem: Aue lauacrum abluens conscientiam: Aue poculum miscens exultationem: Aue odor Christi benevolentiæ: Aue vitæ figuratum conuiuium: Aue sponsa innupta.

Gratiam præbere volens debitorum antiquorum omnium debiti solutor hominum, venit per se ipsum ad profugos suæ ipsius gratiæ, & scisso Chirographo audit ab omnibus alleluia.

Canentes tuum partum laudamus te omnes vt animatum templum Deipara; in tuo enim habitans ventre, tenens omnia manu Dominus, sanctificauit, glorificauit, edocuit, clamare tibi omnes: Aue tentorium Dei, & Verbi: Aue Sancta sanctis maior: Aue scrinium deauratum Spiritu: Aue depositum vitæ inexpensum: Aue corona pretiosa Regum piorum: Aue iactatio honoranda Sacerdotum piorum: Aue Ecclesiæ immota turris: Aue Regni infracta mœnia: Aue, per quam excitãtur trophæa: Aue, per quam inimici decidunt: Aue corporis mei medicina: Aue animæ meæ salus: Aue sponsa innupta.

Opera laudanda, mater, quæ peperisti sanctorum sanctissimũ Verbum, accipiens, nunc oblationem, ab omni libera calamitates omnes, & à futura redime animaduersione clamantes,

Alleluia.

***

A *Sancti Patris nostri Andreæ Cretensis, Archiepiscopi Hierosolymitani, Encomium de dormitione sanctissimæ Deiparæ.*

MYsterium est festum præsens, cuius argumentum est Deiparæ dormitio, orationis facultatem superans: mysterium (inquam) quod non apud multos quidem iam celebrabatur, apud omnes autẽ nũc honoratur, & amatur. Et hoc est nostrum festum, mysterij declaratio, seu explicatio. In qua re nos vellemus quidem silentium præferre orationi, cogimur tamen à desiderio, quibus parum quid dicere conceditur, quamuis cõsidere non possumus, & nostram imbecillitatem non ignoremus. Non igitur committendum est, quominùs longi silentij secretum compensemus. Celebrandumque est donum, & non obruendum obliuione, non quòd recenter sit inuentum, sed quòd sit suo decori restitutum. Non enim quoniam à nonnullis, qui nos præcesserunt, nõ fuit cognitum, iam etiam est tacendum; sed quod non omnino effugit, id est sanctè prædicandum. Sit ergo hodie vnum commune festum cœlestium, & terrestrium, & cum Angelis collætentur homines, omnisque lingua choros ducat, & Deiparæ occinat. *Aue.* Hoc Gabriel priùs sumpsit exordium mysterij, quando id, quod est totius Theologiæ clarissimum, diuina Iesu secundùm nos formatio, ineffabili consilio, & dispensatione noua quadam & præclara ratione effingebatur in virginali naturæ officina. Et nos quoque rursus oportet hoc, tanquam comparatum ad agendas gratias, offerre Reginæ generis. Illi enim etiam post excessum conuenit dicere illud χαῖρε. Sola enim nobis introducto gaudio, expulit dolorem primæ parentis. *Luc. 1.*

Tubis ergo canamus in *Sion.* Accipiamus *psalterium, & citharam.* Canamus matri Dei nostri, canamus, non epithalamium, sed funebre canticum. Rogauerit autem meritò quispiam eorum, qui diligenter considerant: Quanam de causa Sion fecisti mentionem, ò qui canis hymnum sacræ præsentis lætitiæ? Sed non ab instituto est hoc alienum, ei ego dixerim, si memini sanctissimæ Sion. In ea enim peractum est hoc magnum Deiparæ mysterium. In ea sacrorum castissimi corporis genuum inflexiones, tanquam clara voce testantur tabulæ, quæ sunt humi constratæ. Toto enim tempore incolatus in ea est versata: & illic naturæ seruiens legibus, vitæ finem accepit. Hic quoque latuit Principem tenebrarum, quomodo in pariendo ea effugit, quæ accidunt matribus, illa sanctissima, & à Deo vocata, quæ gloria, & gratia cœlum, & terram impleuit magnitudine diuinæ suæ trãslationis. Cuius *Cap. 2. Psal. 80.*

si

si omnia vellem deinceps persequi, quomodo extiterit, aut concepta, vel nata sit, non inuenerim tempus, quod respondeat orationi, aut dicendi facultatem, quæ factis exæquetur, nisi quòd præclara eius omnia, quæ narrantur, possunt summatim recenseri. Dico autem generis claritatem, parentum vtrinque insignem nobilitatem, qui hinc sacerdotalem, illinc regiam nacti erant dignitatem, liberorum egestatem, & sterilitatem: pro eà frequentes interpellationes, & crebra sacrificia, in quibus Deum rogabant, orabant, supplicabant, vt vincula solueret sterilitatis, & vt qui carebant liberis, fœcundi fierent ex sterilibus, & ex infertilitate datum fructum producerent. Deinde amotionem sterilitatis, implementum promissionis: & paulò ante ea, quæ visa sunt in somnis, & quæ revera adiuuerunt, & quæcunque ambo communiter, & priuatim, visione præstantioribus diuinis exauditis vocibus, diuina illuminatione sancti accepere responsa. Deinde ad generandum aptitudinem, & ad eam progressionem: fascias aduentum ad Dei templum, quomodo sit pulchrum munus Deo dedicatum, quo modo in adytis, tanquam in aureis vecta thalamis, immortalem, non autem communem cibum sumebat. Deinceps verò educationem, & quomodo crescens, à puerili ætate peruenerit ad adolescentiam, & quæcunque declarant perfectam illam conditionem, quibus, vt par est, pubescens, augebatur conuenienter ijs, quæ sunt supranaturam. Mitto dicere occulta plusquam ignotæ conceptionis mysteria, & supra modum admirabilem, & ineffabilem partum Iesu apparitionis, vt verbi causa, quòd ea non fuerit corrupta, quòd sine dolore, & obstetrice pepererit, quòd ea fuerit sine macula, quòd inuiolatum fuerit clausirum virginis, quòd nouo, & admirabili modo lac produxerit, quòd ex lege fuerit purgata, & quæ in Templo fuere prophetias, quibus à Propheta, qui legem, & Deum suscipiebat, Simeone prædicta sunt futura. Deinde *Luc.* 2. *Matth.* 2 rursus persecutiones, fugam in Ægyptum, ex Ægypto reuersionem, quemadmodum circumierit, & in terra morata sit, quæ ante Crucem probra subierit, quos iuxta Crucem passa fuerit dolores, quos post Crucem terrores, & postremò quæcunque ab ea in vita, & facta, & dicta sunt. Quæ cùm esset immaculata, & impolluta, & supra modum plena purissimæ castitatis, eum, quem totus mundus neque capere, neque verbis explicare poterat, conseruauit perpetuò arcanum, & ineffabilem, tanquam Regis mysterium, quæ ex eo exprimuntur, ijs solis nota faciens, qui diuina diuinè conferre didicerunt. Quibus maximè purgatis ea, quæ est ad Deum appropinquatione, per loquendi egestatem, & ignorationem eo modo, qui omne superat silentium, intelligentem cutem aperiens sanctissima, ostendit aliquam partem occulti, qui intus latet, mystici splendoris. Vtinam autem nobis quoque, qui sumus præsente splendore illuminati, liceat longè clarissima dignatis effusione luminis, purè videre, aut modicè accipere radium mysticæ contemplationis, & ita imbui, si non in ijs, quæ ad planè inexplicabilem illam vitam pertinent (sunt enim ignota) at vt doceamur saltem, quoad eius fieri potest, ea, quæ hodierno die dicenda suscipimus.

Adeste ergo, O verbi charimystæ, & rerum honestarum amatores, & spectatores. *Cap.* 1. Vos enim voco magno, & alto præconio, vt orationis aperta contemplatione, quæ est velis adhuc tecta symbolicis, vobis ostendamus eum, qui est intus, decorem, qui Solis superat splendorem pulchritudine nitoris. Postquam autem ad hunc locum peruenit oratio, non alienum arbitror, nonnullos ex ijs, quæ hic sunt, præmunire, ne fortè illotis, vt dicitur, aut immundis pedibus sancta adeant. Non enim ex æquo ab omnibus ingrediendus sanctorum locus, sed ab ijs, qui propter mentis puritatem transcéderunt omnia materialia, & transilierunt omnia, quæ cadunt sub sensum: quibus maximè sanctissimum Dei Verbi tabernaculum parans, ingressum concedit liberaliter. Si enim ijs, qui ad Sina montem indignè progredi audacter contendebant, imminebant fulgura, & tonitrua, & terrores, & sonitus tubarum, & minæ horribiles: si *Exod.* 19 autem Templi quoque parietes non erat tutum vulgo tangere, & ideo secundis extrinsecus opus erat parietibus; magnaque res erat ante Sanctorum contactum priùs expiari, & antesacra, quæ peragebantur, præparari, idque cùm adhuc Deum colebant in vmbra, & à velis dependebant typicis: quantò magis oportet eos, qui veritatis lucem habent resonantem, studium adhibere, vt ad hoc magnificum, & longè maximum Dei gratiarum tabernaculum accedant diligenter? in quod cùm ineffabili quodam, & qui nec cognosci potest, & intelligentiam omnem superat, modo se demisisset ad exinaniendum, in terris est versatus: & is, qui nusquam capi potest, nullis compressus angustijs, habitauit in vtero Virginis, quæ vniuersam, quæ est in generatione, naturam superauit puritate: & hinc, tanquam ex sacris quibusdam adytis, suæ carnis peregit mysterium. Quis autem? Is, qui nullo indiget, & sibi attribuit omnes fines humanos. In hoc à Deo formato tabernaculo vniuersa lex, & Prophetæ re ipsa sunt

sunt adimpleti, & in eo adumbratæ typicorũ characterum formæ fuere deletæ, speculis veritate dissolutis.

Cap.4. His autem oratione satis iam præparatis, age, typo dimisso, ad ipsam accurramus veritatem, vel in ipsa potiùs adyta ingrediamur. Quousque enim in verbi immorabimur vestibulis, eam, quæ est ante ingressum, admirantes pulchritudinem, cùm liceat ingredi vnà cùm matre verbi, & velo discisso introspicere Sancta Sanctorum, & initiari in ijs, quæ sunt maiora, & perfectiora? Si enim sunt talia Sanctorum vestibula, & templi porticus excellunt pulchritudine, mentis oculos præstringentes: qualis fuerit locus adytorum, & eorum, quæ non licet adspicere, & ad quæ non datur aditus, intima? quæ solis illis oculis, & labris adspici, & dici possunt, qui gloriam Domini contemplantur euidentissimè, & quæ carbone calculi Seraphici sunt expurgata, & ad summam peruenerunt impatibilitatem. *Esai.6.*

Cap.5. Si mihi ergo rectè vobis consulenti credatis, iubentes quidem valere carnis perturbationes, cùm & materialem omnem amictiam, & quæ est infernè, commixtionem expurgaueritis, & deinde eius, quæ ex alto procedit, diuinæ illuminationis luce vos circundederitis, accurratis simul ad Deiparam. Iam enim illustratos, & actione orationeque, & virtutũ pulchritudine omni ex parte refulgẽtes, Christus ipse, qui est purum mysterium, lux semper viua, ex Sole, hoc est, patre sine principio, & absque egressione, tanquam ex luce radius refulgens, volet nos simul congregatos mystico conuiuio accipere. Hoc autem apertè ostendit ex eo, quòd suam matrem semper Virginem, ex cuius vtero suprà quã verbis dici possit, cùm esset Deus, formatus est, (quòd ad nostram conditionem pertinet) hodie è terræ locis, vt humanæ naturæ Reginam transtulit, non præcabilem quidem, sed non omninò incommunicabilem relinquens vim mysterij. Neque enim præter terminos, qui nobis desuper fixi sunt, neque noua præter naturam lege deducta est ad generationem, aut vixit, quatenùs versata est nobiscum sanctissima in ijs locis, quæ sunt supra terram. Etiamsi in hoc quoque, sicut in alijs, habuerit rationem valde admirabilem: vt quæ nobis præstantiùs vixerit, & conceperit, & tandem hinc excesserit, & reuera omnes superauerit, qui sunt in generatione, naturæ magnitudine.

Cap.6. Sed iam abeamus, eo modo, qui tempori conuenit, festum celebraturi. Omnia cum celebritate pulchrè concurrunt, & simul exultant. Ecce enim quilibet auditor eorum, quę à me dicuntur, talis est, qualia quæ nunc cernuntur, Regina tribuum, Ecclesia fidelium, Reginæ generis, quæ à Deo Rege, omnium Principe, in cœli regiam regaliter hodie assumitur, pompam celebrat, & ex se dono ei offert, quicquid est pulcherrimum, atque iucundissimum. Quæ puluerem reddit cœlestem, puluere exultat: & quod à generatione acceperat, deponit operculum, & terræ reddit id, quod est ei cognatum. Quæ cùm vitã conciliasset, in vitalem statum denuò reuertitur, & in locum introducitur, ex quo vitæ ducitur principium, & qui vniri non potest, & qui ab omni materiali, & patibili disiunctus est positura, ac habitudine. Et in summa ex ijs, quæ apparent, id, quod apparet, assurgit: & cum eo, quod intelligentia percipitur, intelligendi ratione congreditur, ijs rationibus, quas nouit is, qui priùs colligauit, & soluit, deinde rursus colligauit. Nisi fortè nimia sum ego audacia, qui ea attingo, quæ non licet assequi. Quibus nemo fit, qui nõ credat, aut qui de eis dubitet, Eliam, & Enoch in animo cogitans. Qui postquam ea, quæ videntur, superarunt, obstructis sensibus à carne, & mundo remoti, ille quidem in curru, hic verò sublimis raptus est, non disiunctis eis partibus, non dissolutis; sed eòsque productis vitæ eorum terminis, quos nobis, quę omnia sapienter definit, fixit prouidentia, à qua, & quæ olim fuere, & quæ nunc sunt, similiter simul, & conuenienter formantur, & deducuntur. Quòd si hæc parua videantur, si conferantur cum exemplo eius, quæ à nobis laudatur, ipsa certè sibijpsi sufficiet, sua conferens, & assimilans. *4. Reg. 2. Gen. 5.*

Considerãdum autem est, an inter miracula inueniendum sit maius eo, quod admirabiliter, & præter opinionem in ea factum fuit. Deprehensum est, legem naturalem euasisse imbecillam, quæ vix tandem concidit. Omnino aboletur, & euertitur acerba mortis cõdemnatio, soluta est vis maledicti. Sed nemo vicerit ea, quæ olim à Deo fuere definita, nisi sit Deus secundum naturam, qui omnia mutat, & trãsformat nutu suæ bonitatis. Ei autẽ cõueniẽter nunc quoque decuerit ea in matre innouare. Sic enim ostẽdet eam nõ solùm esse matrẽ suã secundùm naturã, sed etiam confirmabit eam, quæ est ex ipsa, dispensationem, per quam maximè eas, quæ sunt in ipsa, magis mysticas rationes modo excellenti extollimus, quo Verbum vitæ principium ea ratione, quæ comprehendi non potest, eius subijt vterum, & naturam hominis susceptam super essentialiter induit. Propterea ea, quæ olim quidem in ea facta sunt, à nobis autem nunc celebrantur, etiamsi videantur esse vtique admirabilia, & præter opinionẽ, & longè esse remota à naturæ legibus, si tamen considereretur, quæ naturam superat, inexplicabilis ratio conceptionis, ad eam relata, facilius erit illa assequi. *Cap.7.*

Erat ergo tunc quoque Verbum præsens, & *Cap.8.*

& legem fecit cessare, legem, inquam, mortis, cui nihil poterat afferri detrimenti. Erat autem spectaculum verè nouum, & quod nõ poterat consequi cogitatio. Mulier, quæ cœlorum superauerat naturam puritate, in adytorum, quæ sunt in cœlis, sancta commeans, & ingrediens. Virgo, ipsorum Seraphim ipsam vincens naturam miraculo Dei generationis, prima natura proximè accedens ad Deum, opificem omnium generationis: mater, quæ ipsum viuere pepererat, consecuta vitæ finem partui non absimilem, & miraculum Deo, & fide dignum. Sicut enim nõ fuit corruptus parientis vterus, ita mortuæ caro non interijt. O miracula: Partus effugit corruptionem, & sepulchrum nõ admisit interitum. Sanctos enim non attingit. Quomodo potest hoc demonstrari? Vultis dicam? Nemo autẽ ex ijs, qui adsunt, me irrideat. Quomodo est monumentum inane? Vos enim alloquar. Quomodo corpus euanuit? Quomodo non sunt in ea vestes, in quibus est sepulta, nisi effugisset interitum id, quod sepultũ fuerat, si traslatũ nõ fuisset thesaurus? Quòd si ita est, quomodo non est vera, & à mendacio aliena translatio? Nam alia quoque concurrerunt, animæ à corpore separatio, carnis depositio, compositionis solutio, partium disiunctio, resolutio, adiunctio, concretio, & eo discessio, vt nihil appareat. Stat enim sepulchrum inane vsque in hodiernum diem, quod & testimonio est approbatum, & approbat factam translationem.

Cap. 9. Nescio autẽ an id factum sit partibus rursus inter se collatis, & concretis in vnam cõpositionem (de his enim parum philosophabor) cùm sic fortè visum esset Creatori, arcano hoc excogitato modo honorare parentem; an vno ex his alteri imposito, & vno quidem extra, altero verò intra fines sortito constitutionem, postquam fuerunt à se inuicem separata; an noua quadam, & aliena cõsequentia supernaturaliter in ea concurrente, vt sint re vera omnia noua, quæ ad eã pertinent, appositè admittentia rationem, quæ superat naturam, vt quibus cedat omnis ratio, & cognitio. Nos ad hoc spiritale conuocat verborum conuiuium, quæ est Verbi mater secundùm carnem. Proponuntur autem hodie hæ mysticæ epulæ, & verborum argumentum diuinis abundans mysterij. Harum ego sum hodie epularũ conuiuator, qui sum hospes, & peregrinus expositor sublimiũ spectaculorum. Nemo autem intuens ad nostrã humilitatem, & abiectionem, renuat conuiuium. Non enim à nobis, sed ab ipsa Deipara, sunt diuinarum harum contemplationum mysticæ paratæ narrationes. Quarum quoniam plena est mensa, spiritales inuitans cõuiuas, eamus conueniẽter dignitati spiritus, ad profunda spiritus. Iam enim sapientiam, quæ ipsam sapientiam secundùm carnem genuit, appositè imitans, cùm totam seipsam, tanquam mensam mysticam cœlestemque parauerit, eos qui mente sunt in diuinis initiati mysterijs, benignè inuitat ad conuiuium, non victimas mactans, aut crateri liquores infundens: cuiusmodi fuerunt olim beatæ illæ victimæ & crater ille, qui beatum illud, & à Deo perfectum nectar susceperit: sed suorum mysteriorum illa planè admirabilia, & diuina reuera spectacula.

Ad quæ quidem maximè eos, qui sunt congregati, inuitans festi Domina, sapientiæ quidem domum, quantacunque sit, hinc nobis ex seipsa ostendit. Ostendit autem suam quoque sanctissimam mensam, vtpotè, quæ ipsum totum viuificum panem Dominum nostrum Iesum, qui est vita æterna, qui creatam continet naturam, ex fermento Adamicæ consperssionis panem factum, in vtero gestauit œconomicè: qui eos, qui sanctè ad eũ accedunt, reducit ad vitam recentiorem, & reddit in Deo perfectos. Quo quidem modo eos quoque expurgat, & reddit immortales, qui participatione nouæ illius, & pulchræ eius communionis ei coniunguntur, fiuntque familiares. *Cap. 10.*

Quæ autem suis amatoribus in conuiuio apponit, hæc sunt apertè, per quæ vita illa constat excellens & ineffabilis, quia nihil ex ijs, quæ considerantur in natura, est excelsiùs, per quam is, qui omnem superat Theologiam, per arcanam exinanitionem, hominis, cuius curam gerebat, flexus misericordia, vt qui vniuersa produxerit, se consultò demisit ad nostram vsque mendicitatem, & implicatus fuit in nostra consperssione, & similiter, atque nos, fuit particeps carnis & sanguinis: Qui nullius indiget, qui est summè plenus & diues: Qui non recedendo à sua supereſſentiali diuinitate, elegit eam, in qua non erat, substantiam, integritas in se seruans, etiam post vnionem explicabilem, rationes eorum, quæ conuenerunt, nulla vtique intercedente confusione, aut diuisione. Qui non supermundanis quidem cœlestium ordinum præfectis significauit, quidnam esset quod ab eo fieret, præterquam vni ex primis Angelis, qui ministrauit in progressione cœlestis mysterij. Sic enim qui erat incorporeus, intercedente mente & carne, nobiscum est versatus, vt omnino commixtus toti nostræ consperssioni, renouaret id totum, quod ex nobis sumpserat. Hæc quidem est, vt mea consequitur scientia, vt res sic in promptu offert, intelligens mensa diuino mysterio traditæ sapientiæ. Talia sunt etiã, quæ in ea mysticè peraguntur, quæ sunt à Deo tradita arcana: in quibus meritò oportet adnotare præsentis quoque diei mysteria, in quo Dei mater, nullo mutato ex eis

præ-

præscriptis, quæ sunt secundùm naturam, nostræ legi seruijt, & sub eisdē, quibus nos, terminis, quæ in carne erat, vitam finijt, miraculo plenum mundo relinquens suum ortum, & decessum. Si quid ergo, quod nos superat, in ipsa à diuina dispensatum est natura, nemo miretur, intuens ad nouum, & inexplicabile, quod in ea peractum est, mysteriū, ab omni infinitate infinities infinitè exemptum.

Cap. 12. Et sint hæc quidem perpetuò complicata, & arcana, & habentia suam rationem immobilem. Nos autem sanctissimæ, ex quo principium vitæ ductum est, corporis sepulturę memoriam splendidi splendidè celebremus. Ad quam, cum eo, quod est adspectabile, quicquid percipitur intelligentia, & quicquid est cœleste, & terrestre simul congregatum, Reginam honorat, & deducit ante tabernaculū. Ex quo commune hoc propitiatorium, quod ex ea absque manuum sectione, tanquam templum effectum, Dominicum, & salutare acquisiuit corpus, eius qui tam naturalis, quàm intelligentis motionis, ciuus nos, est particeps, excepto solo peccato. O miraculum! Quæ Deum, qui est infinita magnitudine, & ab omni circunscriptione seiunctus, in paruo sui uteri spatio cepit supersessentialiter, ei hodie circunscripto lecto vectæ, sanctis manibus iusta fiunt. Quæ in suo sinu habuit collocatum eum, qui tergis vehitur Cherubicis, insculptæ petræ finibus sepelitur. Et cuius partum admirati sunt Angeli, huius tabernaculum deducunt Angeli, cohors ducentes.

Cap. 13. Et quis eorum, quæ illic peracta sunt, rationes fuerit interpretatus? Quis pro dignitate in hoc extolletur mysterio? Quis menti dabit alas, vt vnà volet cum miraculo, & eius accipiat communionem? Quis (vt aliquid dicam magis mediocre, & fortasse ex ijs, quæ sunt secunda) nostræ concretionis fluxionem descripserit, & affluxionem? Quam cùm non posset consequi natura, & quam comprehendere non poterat, superet constitutionem, appetitione conuersa in admirationem, ea, quæ Dauid, diuino spiritu afflata eloquitur ad Deum vniuersorum: *Mirabilis facta est*, dicens: *Scientia tua ex me: valida effecta est, non potero ad eam:* propemodum nostram admirans compactionem, vel compositionē, aut contrà, eam, quæ fit in membris disiunctionem. Quin etiam quod huic intemeratæ, & clarissimæ Reginæ eius matri coniectu difficillimum factum est miraculum, tamquā diuinum celebrans, quod communiter in nobis, & propriè in ipsa, ipsi soli, vt omnium opifici, & talium operatori, ante secula est agnitum.

Psal. 138

Cap. 14. Hoc est nostra formatio, hoc concretio, hoc solutio, quod etiam hodie celebramus.

A Hinc ego me reprimens, ac contrahens, & metu honorans mysterium, cum eo, qui ex omnibus Prophetis maxima voce vtitur, Esaia simul loquor: O miser ego, dicēs, quòd sum compunctus, quòd homo cùm sim, & habeam labia immunda, audeo aliquid dicere de pura, & impolluta, & quæ summè plena est omni sanctitate: & eam aggredior funebri laudare oratione, cuius nubes tegunt ascensum ad contemplationem, intelligens autem quædam caligo circunfusa est theologicis, quæ sunt circa ipsam, conuersionibus, quæ non sinunt aperte explicari complicatā mysterij comprehensionem, quam est Deiparā tùm laudare pro dignitate, qui quas ipse noluit, rationibus in ea fecit miracula. Tantùm B abest, vt sit meum, qui humi iaceo, & nihil amplius scio, quā quod est ante pedes, quòd desit mihi egregius ad res honestas animus. Non erubuerim igitur, quæ sunt supra facultatem meam, etsi non possum pro dignitate ea dicere, cùm reijciendum non sit, quod fit pro viribus. Itaque loquendo, silentiū amouimus, Deo sermonem dedicantes: Cui gloria, & potentia in secula seculorum. Amen.

ANDREÆ ARCHIEPISCOPI Cretensis Hierosolymitani, aliud Encomium de dormitione sanctissimæ Dominæ nostræ Deiparæ.

C AD Concionem nos rursus vocat continuatio orationis, & oportet nos omnino ijs, quæ deinceps coniungentur, ea, quæ iam dictis deerant, supplere, vt sit perfecta, & indissolubilis oratio, vtquè nihil disiunctum vlla ex parte habeat. Atque in ijs quidem, quæ præcesserunt, quoad eius fieri potuit, paucis à nobis est dictum de admirando illius corpore, ex qua vitæ processit initiū. Dico autem de Virginali Dei Matris tabernaculo. Restat, vt dicamus, quisnam sit hymnus, & quænam sint ea, quæ in eo laudantur. Nemo autem mihi nunc inurat labem arrogantiæ, aut audaciæ, quòd aliquid audeam, quod sit vastæ magnitudinis: non enim ex dicendi facultate, sed ex sola precum promissione incitatus hanc compositi orationem, quæ nūc est in manibus, submissionis, & modestiæ semper curam gerēs pro viribus. Sed non ideò vult mysterium minuere oratio, etiamsi hoc tanquam non tritum, & minimè exercitatum, ex arrogātia id sit primum aggressa. Si quid autem ex ijs, quæ non sunt à multis considerata, hæc nunc est habitura oratio, nemo miretur. Ex coniectura enim, & vt mens ea potuit conijcere, (rē enim ipsam exactè vix Angeli potuerint consequi) hæc sunt à nobis considerata. 15. *Aug. cap.* 1.

Iam ergo illa innumerabilis eorum, qui Deum honorant, classis, sicut priùs diximus, *Cap.* 2.

mus, frequens erat congregata, & vniuersus supermundanarum potestatum, qui intelligentia percipitur, pulchrè instructus cœtus à nullo conspectus, desuper advolans, ad spectaculum confluebat admirabile. Aderant quoque sanctorum, quas Deus, vt arbitror, inspirauerat, animæ, choros ducentes circa lectum; quas liber Canticorum vocat adolescentes ex mystica contemplatione. *Cant. 1. & 6.* Oportebat enim cum Regina naturæ vnà adesse diuinas eorum, qui vixerant, animas in exitu præcedentes, & eam deducere, & ea canere cantica, quæ cani solent exeuntibus. Erat ergo in medio propositum illud tricubitale, & luminosum corpus Deiparæ, quod Dei Verbi totam capiebat plenitudinem. Quod quidem dum videbatur in lecto, vnguenti sanctificationis suaui odore perfundebat totam creatam naturam. Quę mens, & quęnam lingua eorum, quæ illic fuère conspecta, rationes inuestigaueeit? Omnia enim plùs, quàm in infinitum inuaserat omnis ignoratio, & videndi egestas. Hinc certè factũ est, vt diuinorum sapientum præcipui, à diuino spiritu arrepti, ex insigni lætitia diuini tũc oblectãtis splẽdoris id, quod supererat illuminationis in extasim traducentes, illos hymnos diuinitus inspiratos, illam, inquam, quæ est in hymnis, tropologiã, vt poterat vnusquisque, attingerent, alius alium excipiens. Erant autem ea, non qualia ipsi inducimur, vt mente agitemus, aut vt quis fortè descripserit; sed vt eos ad dicendum informabat spiritus, & audire iubebat: ita & ipse hymnus, & quæ in hymno celebrabantur, ab ijs, qui hymnos dicebant, dicebantur, & exaudiebantur, quæ ab inferiore quidem, & nostra harmonia, & consonantia, erant infinito interuallo seiuncta: parum autem, aut nihil aberãt à sono Angelorum, qui in cœlis festum celebrãt. Quorum altitudinẽ, & profunditatem, & infinitam pulchritudinem, non est nostrum, velle temerè describere, qui in tali dulcedine nullo modo sumus exercitati, sed silentio potiùs honorare, vt quæ nec possint comprehendi, nec verbis explicari. Ea autem sola tutò possumus aggredi, quę & iucundum est assequi, & si nõ assequaris, nullum est periculum, quę neque scienti afferunt molestiam, neque rudem cruciant. Hymnus autem, & quæ hymno celebrabantur, etiamsi nostram effugiant comprehensionem, quantùm tamẽ possumus assequi, vt rem vtcumque exprimam, sint eiusmodi.

Cap. 3. Hic est finis testamentorum, quæ nobis fecit Deus. Hæc est declaratio occultorum, & profundorum diuinæ incomprehensibilitatis. Hic est scopus, qui excogitatus fuit ante secula. Hæc est summa diuinorum oraculorum. Hoc est ineffabile, & quod planè cognosci non potest, eius, quæ est ante principium curationis hominum, consilium. Hæ sunt primitiæ cõmunionis, & cõiunctionis omnium genitoris Dei cum suo figmento. Hæc est diuinarum reconciliationum, quæ pignore dato fit, fideiussio: Eximia pulcritudo: A Deo sculpta statua: Rectè descripta diuini Archetypi imago: Totius contemplationis, & ascensus sustentaculum: Sanctissimum Verbi omnium creatoris tabernaculum: Qui Deũ susceipit, sapientiæ, quæ non potest exinaniri, crater: Vitæ, cui nihil potest auferri, penarium: Fons, qui non potest exhauriri, diuinarum illuminationum: Potẽtia, quæ nequit labefactari: quatenus nequaquam vincebatur ab animi perturbationibus, vt quæ erat putitate omnibus superior. Per hanc fuere nobis data pignora salutis. Et quòd vsque ad nostram quidem processerit mensuram, quæ fuit habita in tanta admiratione, & commune exoluerit debitum, est proprium naturæ. Quòd autem ita viueret, vt non haberet omnino easdem, quas nos, proprietates, erat proprium eius, quæ illi cum Deo intercedebat propinquitatis: quin etiam aperta quoque est probatio summæ eius impatibilitatis. Quid enim ex ijs, quæ sunt longè maxima, non in ea processit cum maxima virtutis abundantia? Quid verò ex ijs, quæ spectant ad ostendenda miracula, non productum est admirabile? adeò vt omnium miraculorũ, quæ quomodocunque facta sunt, aut fiũt, eam esse effectricem in omnium resonet auribus. Quorum pars est extrema id, quod nunc adest: etiamsi ante omne tempus id fuerat prædestinatum, cùm diuinum consilium sic altiùs definierit vniuscuiusque nostrum transitum.

Et ò prouidentiã, ad cuius extrema nemo venit eorũ, qui nati sunt, aut potest inuenire vestigium. *Cap. 4.* Cuius opus est etiam, quod nunc peragitur, Virginis mysterium. Est enim mysterium, etiamsi circa nostrum finem consideratur. Et hoc est pars, quæ ab initio hominis naturæ forte est attributa. Sed ô quomodo discissa est sepes, quæ peccato fuerat colligata! Quomodo diuulsum est vinculum, quod complexum fuerat transgressione! Quid, quòd contemptui mors est habita, tanquam diei somnium? Abit metus, non amplius terrens eos, qui sunt in Christo infantes. Sed nũ quid nisi mortuum fuisset Dei receptaculũ, non dissoluta fuisset corruptio, quæ semina fuerat inobedientia? Dissoluta certè fuit, Christo priùs mortuo. Iam enim excesserat natura à condemnatione, quæ erat in corruptione, susceptostatu, qui est per incorruptionem. O nouas remunerationes! O diuinas permutationes! Produxit natura liberum arbitrium spinis obseptum. Ipsa contra produxit eum, qui impleret paternam voluntatem. Peperit natura ex inobedientia mortem volun-

luntariam. Ipsa cõtra peperit eum, qui mortem sustulit per obedientiam. Sola enim, sola præter naturam fuit electa ad naturã renouandam: Sola seruijt opifici vniuersæ naturæ.

Cap. 5. Quoniam ergo nunc proponitur hæc diuina capsa eius, quod à Deo sumptum est, tabernaculi, quæ tanquam larga bonorum largitrix, inuitat eos, qui sunt honesti studiosi, nemo cunctetur vocatus. Non indiget enim labore gratia, præterquam sola voluntate. Eat ergo prompto, & alacri animo vnusquisque, qui certam, & minimè dubitantem habet fidem: eat ad thesauri Virginis repositorium, & discat experientia euentum eorum, quæ desiderat. Propositum est hoc commune reconciliatorium, Omnes Deo reconciliemini. Ecce fons immortalitatis, qui non potest exinaniri. Venite, qui morte affecti estis, haurite: Ecce vitæ fluuij perennes. Adeste omnes, efficimini immortales. O filia Adam, & mater Dei. O mater sine viro, & virgo quæ filium paris. O opus eius, qui in te factus est temporaliter, & non excessit à sua æternitate. De te resonarunt omnes spiritus interpretes. Moses primus, cùm vidisset rubum, te prædixit: Transiens, videbo magnam hanc visionem. De te, Dei pater, *Exod. 3.* Dauid Christum rogauit, dicens: *Exurge Domine tu, & arca sanctificationis tuæ.* *Psal. 131* De te idem, tuum præfigurans egressum, prædixit: *Vultui tui supplices erunt diuites populi. Ecce enim,* inquit, *omnis gloria filiæ Regis intrinsecus in fimbrijs aureis circumamicta varietate.* *Psal. 44.* Te Canticorum sanctus liber præ. describens, mysticè præsignificabit: *Quæ est hæc, quæ ascendit ex solitudine, tanquam rami fumi, suffita myrrha & thure ex omnibus pulueribus vnguentarij?* *Cant. 3.* *Ibidem.* De te rursus idem priùs scripsit liber: *Ecce,* dicens, *lectus Solomonis. Columnas eius fecit argentum, & reclinatorium eius aurum, ascensus eius purpura est intra ipsum, constratus charitate ex filiabus Hierusalem.* Et rursus: *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in corona, qua coronauit eum mater eius, in die desponsationis suæ, in die lætitiæ cordis sui. Videte eam filiæ Sion, & Beatam eam prædicate Reginæ, & pellices laudate eam:* quoniam *odor vestimentorum eius est supra omnia aromata.* *Cant. 6.* *Cant. 4.* Te præuidens diuino spiritu afflatus, exclamauit Esaias *Ecce virgo in vtero concipiet: & erit radix Iesse, & flos de radice ascendet.* *Esai. 7.* *Esai. 11.* De te magnus prædixit Ezechiel: *Ecce porta,* dicens, *in oriente: & erit porta clausa, & nemo ingredietur per eam: & Dominus Deus solus ipse ingredietur, & egredietur: & erit porta clausa.* *Ezech. 44* Te quoq; prophetãs vir ille desideriorũ, magnum vocauit montem, & lapidem sine manibus viri ex te sumptum, non excisum, abla-

A tum, non diuisum assumptione nostræ humanitatis. *Daniel. 2.*

Tu es res illa magna venerandæ œconomiæ, quam cupiunt inspicere Angeli. Tu es *Cap. 6.* diuinæ dimissionis pulchrum habitaculum. Terra, quæ es verè desiderabilis, Rex enim desiderauit gloriam tuæ pulchritudinis, & amauit diuitias tuæ virginitatis, & in te habitauit, & inter nos fixit tabernacula: & per te Deo patri nos reconciliauit. Tu es thesaurus absconsi ante secula mysterij. Tu es liber verè viuus eius, qui in te tacitè fuit inscriptus, verbi paterni, viuifico calamo spiritus. Tu sola verè es noui testamenti volumen, à Deo scriptum, quod Deus ante fecit cũ hominibus. Tu es ille decies mille millibus multiplicatus Dei currus, quæ millia locupletũ
B adduxisti ad eum carne tectum. Tu es mons *Psal. 67.* Sion, mons coagulatus, mons pinguis, in quo benè placuit Deo habitare. Ex quo in carnẽ concretus, quæ sicut nos, est intelligenter animata, is fuit coagulatus, qui est supersentialis. O diuinum Templum, & homo terrestris. O columna mortua, & columna viuifica, non carnalem per lucem deducens Israelem, qui fugatur; sed spiritalem, qui deducitur ad inerrantem lucem cognitionis, diuinis illuminans facibus. O nubes tota lucida, & mons vmbrosus, nõ adumbrans ingratum populum Iudæorum, sed electum Dei populum, gentem sanctam maternis tuis tædis illustrans. O quouis auro purior, & quauis sen
C sili, & immateriali natura. O terra virginalis, ex qua secundus, & vetere antiquior processit Adam.

Quodnam sepulchrum te teget? Quænam *Cap. 7.* te terra accipiet, quæ cœli, & cœlorum naturam superasti sanctitate? Quænam erunt vestes, quibus sepelieris? Quænam fasciæ? Qui amictus? Quibusnam autem vnguentis vngent tuum corpus odoriferum, impollutum, & plenũ sanctificatione, ex quo scatet remissio, ex quo manat immortalitas, ex quo est Deificatio, in quo est perfectio? Tu enim verè es, quæ es reuera pulchra, *& macula non* *Cant. 4.* *est in te.* Paruum quid tibi quoque accinat di- *Cant. 6.*
D uinissimus Salomon: *Formosa, vt Hierusalem, & odor vestimentorum tuorum, tanquã odor Libani.* Tu es noua theca vnguenti, quod minimè exinanitur. Tu es olei vnctionis exultatio. Tu es aromatum, quæ intelligentia apprehenduntur, suffitus. Tu es flos incorruptionis: Terra, quæ fers aromata: Lucerna luminosa: Quæ à Deo es contexta purpura: Indumentum regale: Amictus à Deo variatus: Aurea specie diplois: Verbi purpuræ, quæ intelligentia percipitur, quæ non potest nominari tinctura. Manu non factum regni diadema: Thronus excelsus: Porta sublata supra cœlos cœlorum: Regina omnis humanæ naturæ: Quæ habes non comparabilẽ

cum

cum alijs appellationem, quæ excepto Deo solo, es omnibus altior. Quænam te manus ad sepulchrum component? Quibusnam vlnis portabimus eam, quæ eum portauit, qui minimè potest cõtineri? Quasnam sepulchrales preces in te fundemus? Quibusnam te deducemus canticis? Quibusnam autem labris tuum laudabimus decessum? Qua voce, quibus verbis magnalia tua ornatè enunciabimus? Quamobrem pro omnibus tales tibi voces offerimus.

Cap.8. Beata es in mulieribus, & benedicta in generationibus, benedicta in cœlis, & glorificata in terra. Te enim gratè omnis lingua glorificat, matrem vitæ prædicans. Impletũ est, quicquid est creatum, tua gloria. Sanctificatum est vniuersum vnguento boni tui odoris. Per te deleta est peccati occasio; transmutata est in lætitiam primæ parétis execratio.

Luc.2. Omnes propter te nobiscum canunt: *Gloria in cœlo, pax in terra.* Te nequaquam potest habere sepulchrum. Corpus enim Dominicũ non delent ea, quæ intereunt. Aduersùs te nõ valebunt inferi. Animam enim regiam non attingunt ea, quæ seruiunt cum alijs. Abi ergo, abi in pace. Migra ex is, quæ sunt in natura creata, mansionibus. Placa Dominum pro communi figmento. Nam quandiù quidem versabaris in terra, te habuit parua terræ portio. Ex quo autem translata es è terra, te vniuersus mundus continet commune propitiatorium. Supra Enoch magnificare; supra Eliam in altum extollere, in lætitia, in gaudio ineffabili, in æterna luce, vbi est verè viuere, regnum totum lucidum, perpetua Angelorũ chorea. Præterea fuere pulchritudine Filij tui, exple te delicijs, quæ non possunt exinari, & beatitudine, in quam nõ cadit senectus: illic vbi est torrens æternarum deliciarum, vbi sunt prata incorruptionis, fontes vitæ æternæ, fluenta lucis, quæ ex Deo scaturit, fluenta semper viuentis lucis effusionis. Illic est finis eorum, quæ sunt sperata, & quæ nunc sperantur: propalatio eorum, quæ occulta fuerunt, & tunc solum conspiciuntur, comprehensio omnium bonorum, vltimus finis, vltra quem nihil est omnino. Illic Pater adoratur, & Filius glorificatur, & Spiritus sanctus laudatur, vnica natura vnius, quæ est in Trinitate, diuinitatis. Hæc & quæ sunt huiusmodi, arbitror, diuinos illos viros diuino Spiritu afflatos tunc & dixisse, & hymnis celebrasse, & quæ etiã sunt his superiora. Nescio enim quid dicam amplius, cùm sim terra & cinis, & in summa putredo, & non secùs, atque serpentes serpam super ventrem.

Cap.9. Atque orationis quidem debitum pro viribus est à me exolutum, nullo, vt arbitror, ex ijs prætermisso, quæ ad præsens festũ pertinent. Quòd si quis his aliquid sublimius conferat, & ad nos hoc contulerit, & is festo fuerit conducibilis. Cùm pauca autem dixero, sistam remos huius orationis. Atque vt pro dignitate quidem rem exequamur, ex æquo nullus assequitur. Vt autem præstet, quod possit pro viribus, est vniuscuiusque par alacritas. Scio autem fore, vt hanc nostrã susciplat orationem ea, quæ Verbum peperit, & reddet non ea quidem, quæ petimus, sed quæ meremur accipere. Solet enim sanctissima, vt quæ sit munificentissima, maxima reddere pro minimis. Et hæc quidem ita se habeant. Vos autem, ò clarissimi, & illustrissimi cœtus, vos rursùs voco ad conclusionem orationis: age in sacra virginalis thesauri deductione præeuntes, canamus carmina funebria, & eam quæ festo præest, quibus possumus, coronemus honoribus. Vt hoc verò fiat insigniùs, adsit hodie omnis cœtus terrestrium, & cœlestium, & vnà mecum compleat hymnum decessui accommodatum, qui constat his verbis: Mota sunt castra Dei à tabernaculis Cedar, ad materiæ expertia, & rediuiua tabernacula. Tabernaculum legis exé plar accepit arcam supermundanam, cuius figura erat arca legalis. Attollatur id, quod est supra supernas fores, vt summã cœli portam cœlestium regia regiè sinu accipiat. Hãc excipite cãdidis vestibus induti Angeli: Laudate cœli, glorificate terrigenæ. Attollite ciuitatem Dei, Regis magni. Plaude terra, prosequere laudibus, narra, quæ sunt gloriosa Virginis, partus, fascias, sepulchri miracula, quomodo sit sepulta, quomodo translata, quemadmodum cernitur inane sepulchrum, quod adoratur. Iudæa congrega tuos filios, prædica eam, quæ est ex Iuda, Reginam, esto bono animo, noli timere, celebra tua festa. Hierusalem exclama, iubila, deduc Dei Metropolim, canta Dauidicè, dic apertè: *In exitu Israel de Ægypto.* Mater Sion, quã adsciuit Dominus, quam elegit, voca tuas filias, Ecclesias ex gẽtibus: Cane canorũ aliquid, sed non tragicum, iubilans, non gemens. Lætus enim est, non lugubris, præsens cœtus. Gethsemane suscipe nouam Reginam, para sepulchrum, produc ea, quæ sunt vsui ad sepeliendum; orna thecam vnguentis. Sit arca tibi custos thesauri. Cautè & diligenter sanctum custodiatur. Si conseruetur quidẽ, manens in ipso, erit communis possessio, quæ adorabitur ab Angelis, & hominibus. Si quid autem contigerit admirabile, & præter opinionem, & translatum fuerit id, quod est impollutum, esto prædicãs miraculum. Narrato translationem ijs, quæ sunt posteà consecuturæ, generationibus, supernis quidem spiritibus concedens spiritum Dei matris: nobis autem dans quasi ex perenni fonte, instar vnguenti sanctificationem corporis. Accurramus simul omnes ad Deiparam: chori Patrum, & Patriarcharum, spiritus Prophetarum,

Psal.113

rum,& conuentus Sacerdotum, cœtus Apostolorum,populi Martyrum, Doctorum cõgregatio,iustorum animæ, piorum ordines, dignitas quælibet, & ætas, Reges, & potentes, Principes, & qui parent imperio, adolescentes, & virgines, senes cum iunioribus, laudate,supplicate: Dicite Dei matri,dicite: Quàm beata est domus Dauid, ex cuius lumbis germinasti Dei Mater? Matres, & virgines glorificate eã,quæ est sola mater, & semper virgo. Sponsæ præcedite eam, quæ inter adolescentulas sponsa quidem fuit, sed planè incorrupta, & sola sine dolore peperit eũ, qui non potest comprehendi. Steriles,& viduæ plaudite,eam deducentes,quæ virum nõ est experta, & liberorũ egestatis effugit vincula. Filiæ exultate eam,quæ filium peperit, B prosequentes in corruptione. Benedicite gẽtes, linguæ beatam prædicate. Cantate Matri Dei omnes Tribus terræ,cantate,deducite cum cãticis, & cymbalis,iubilate,magnificate,psallite. Tolle, tolle MARIA tympanum, & procede ante virgines: moue lyram Dauid,extolle vocem tuam, lauda Reginã, duc chorũ,extolle modos citharæ, voca virgines, congrega choros canentium, ordina choreas. Post lectum currant,ante lectum,cũ lecto: præcedãt, circa capsam choreas ducãt. Ecce enim Dei gloriæ noua arca, in qua est vrna aurea,& virga Aaron,quæ germinauit, *Gene. 28.* & tabulæ testamenti. Ecce summam,de qua clamarunt oracula Prophetarum. Ecce scalam, quam vidit Iacob, qui in diuinis erat initiatus,in qua vidit Angelos Dei ascendentes,& descendentes, quicunque is esset ascensus,& descensus. Hæc est porta cœlorum, de qua dixit ille: Quã terribilis est locus iste. Non est is aliud,quàm domus Dei,& hæc est *Hebr. 9.* porta cœli. Ecce propitiatorium, quod sanctum supra sancta est positum mystici tabernaculi, & adytorum: tunc quidem alis adumbratum Seraphicis: nunc autem nostra peccata expians per mysticam Iesu contemplationem. Legalis seruitutis iugum non ampliùs vero imponitur Israeli, cùm Christus nobis sua manu adscripserit libertatẽ per cultum, qui est in spiritu,in corpore, quod ex Deipara sumpsit, tanquam in charta. Non ampliùs anniuersarius Pontificum cursus sanctis applicatur. Ipse enim magnus Pontifex Christus,qui cœlos assumpta carne peruasit, quæ habebat animam ratione præditam,& intelligentem,tanquam in templo, in Virginis sanctuario nos adiens, suffit, & sacrificat,& sacrificatur,& offerens oblationes,offertur,& pro nobis seipsum sanctificans, sanctificat eos,qui ipsum sanctificant.

Cap. 10. Talia sunt,ò Deipara,supermundanæ tuæ dormitionis mysteria. Hæc sunt sacræ tui, Deus iusta facit, tabernaculi deductionis epitaphia. Hi sunt hymni, & laudationes, quæ A celebrantur in decessu. Hæc quę ante,& post sepulturam fiunt,monimenta ad prosequendam eam,quæ planè ignoratur,translationẽ. Hæc sunt diuinarum,& beatarum, quæ in te fiunt, illuminationũ simulacra per ęnigmata. Non enim potest mens nostra plura assequi,quam ea,quæ dicta sunt. Hæc breuis tibi à nobis elaborata est oratio, quæ eadẽ simul agit gratias, & supplicat. Si habeat quidem aliquid dignum tua maiestate,pro eo tibi sũt agendæ gratiæ, quæ dedisti promptũ, & alacre animi studium. Sin autem (quod necesse est omnino contingere ijs) qui aggrediũtur de te aliquid dicere) longè abfuerit, vt pro tua dignitate rem tractauerit, ignoscesomnino,cùm tibi sit omnino innatum misereri, B pro ea,quæ tibi cum Filio, & curatore omnino intercedit,propinquitate. Accipies autem hãc,satis scio,orationem,vt donum pulcherrimum, à me ex pauperibus compositũ laboribus. Nihil enim vltra habui, quod offerẽ excellentissimæ omnium matri Verbi, nisi orationem, quæ ex arcanis fontibus gratiæ,quæ est in te, promanat, ò Deo gratissima. Atque tuæ quidem, quæ nunquam senescet,beatitudinis venerandus,& planè ignotus status,vt qui nec omnino discerni,nec dici possit, honoretur silentio. Æquum est enim, cùm nostrum non sit ea aggredi, quæ sunt supra nos,& quæ propterea,quòd comprehendi nequeant, arceant omnem perscrutationem. C

Atque tibi quidem, ô sanctissima, ter Re- *Cap. 11.* gina, Dei gentrix, quæ à nobis debebantur, qui à te,& tuis liberis ad Deum precibus informati sumus arcanis tuis rationibus, hæc nũc sunt à nobis mediocriter composita pro viribus. Nobis autem quis præbebit vocẽ,& dicendi vires,quæ æquali proportione respõdeant altitudini, & magnitudini longè glorioſissimorum de te cogitatorum? Sed,ò omnium hominum Domina, & capax ipsius sapientiæ,& Verbi quod consistit,quod est primum & principale, & causa omnium, ò vitæ suppeditatrix,& vita viuentium, & causa vitæ;ò sancta,& sanctis sanctior, & omnis sanctitatis sanctissime thesaure,ò pars,quæ insolubiliter, & non per diuisionem Deo vnisti D hominem, ô regnum, è terrenis quidẽ sumptum, sed ex superna gloria potentiã habens inexpugnabilem,ò Christianorum fidei propugnaculum, & propugnatrix eorum,qui in te spẽ collocarunt, accipe à nobis, qui veritatis lucem per te accipimus,ea,quæ de te honorificè dicimus, quæ ex obscuris imaginibus à nobis,quoad eius fieri potuit,sunt mysticè considerata. Nobis autem,qui te,ò Dei Mater,ornamus, da vicissim hanc parui doni remunerationẽ, nempe, vt habeamus quibusuis thesauris, & diuitijs pretiosiores, & splendidiores, ad Filium tuum, & nostrum

Do-

Dominum, & Regem, & Deum, preces supplices: Per quas & peccantes Deum placamus: & nos rectè gerentes, ad nos melius attrahimus: per quas arma barbarorum, infantiũ tela ducimus, lanceaque, & galea & iaculatio, inutilia manẽt, & inefficacia: Et (vt in summa dicã) per quas omne bonum rectè geritur à Christianis, & quæ fit Deo asimilatio.

Habes, ò dilecte, rationem mysterij, etiã si spe longè inferiorem, qua tamẽ nihil maius præstare potuit promotũ nostri animi studiũ. Magis autẽ mysticã & sublimiorẽ quæsieris à Verbo, qui propter te fuit exinanitus, & carne incrassatus, & te totũ sibi propter suã vnijt clementiã, & vt melius dicamus, homo quoque factus est, vt te totũ Deũ faceret spiritu, & id, quod est deterius, eo, quod melius est cõsumeret, & humo ad se attolleret, & in spiritalibus sedibus collocaret. Ad quẽ semper erigaris per purã vitã, & contemplationẽ, vitam agens in diuinis sermonibus, & moribus, Deũque videns, quoad eius fieri potest, & visus. Qui quidẽ vt tibi manifestus euadat, stude ijs, quæ per cõtẽplationẽ fiunt, illuminationibus, & in virtute ascẽsionibus; vt vtrinque, ex actione, inquã, & cõtemplatione, sis perfectus & solidus, euadens in virum absolutissimum, *in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Cui gloria, & potentia in secula seculorum. Amen.

F. ANONYMVS.

CORONA B. V. MARIÆ.

NOTA.

NVlla Ecclesiæ ætas in litteris floruit, nullũ religionis seculũ in scriptis claruit, ante sanctũ Concilium Tridentinũ, in quibus aliqui non extiterint Anonymi Doctores, hoc est, Scriptores sacri, qui in operibus suis licèt eruditis, humilitatis causa propria non suppresserint, & cælauerint nomina. Et omissis pro nunc, vetustissimis Anonymis, & doctissimo illo Idiota, de quibus Biblioth. V. PP. ad Neotherica Monachorũ, & Religiosorum tẽpora accedendo, inter Anonymos celebris fuit Incognitus super Psalmos *iã cognitus Michael Anguanus Bononiẽsis Carmelita, qui ad annũ* 1381. *floruit. Notissimi sunt* Sermones Discipuli, *cuius Auctor Ioannes Veroalt Dominicanus extitit. Anonymus est* Hortulus Reginæ, *cuius excultor Meffreth penitus ignoratur. His ergo paucis exceptis, rarò vel nũquã inuenies opus, seu librũ Anonymũ, qui ex Seraphica S. P. N. Francisci nõ fuerit familia. Pronunciatæ propositionis euidẽtiã breuiter aliquibus cõprobo exẽplis. Et in primis Anonymus liber ille:* Biga salutis F. *Vngarũ vel Vngariũ habuit Auctorẽ, vt ex ipso prologo, & ex Viloto pagin.* 193. *cõstat. Itẽ Sermonariũ illud* Dormi securè *dictũ, F. Ioannes de Verdena Frãciscanus elaborauit teste Coluenerio in Kalen. Maria To.* 2. *fol.* 6. *liber dictus* Serpens antiquus de septẽ peccatis mortalibus *absque Auctoris nomine à F. Guillelmo Huet Minorita cõpositus fuit, vt Athenæ Fran Sodalitij referũt pag.* 169. *Celebre illud opus* Fortalitiũ Fidei contra Iudæos *licèt à Possevino tribuatur nescio cui Guillelmo indubitatum est fuisse. N. F. Alphonsi ab Spina Franciscani Ioãnis Hispaniarũ Regis II. à cõfessionibus: ita Doctor Albornoz, Garibai in Histor. Regis Henri lib.* 3. *c.* 58. *& alij. Anonymũ est opusculũ:* Prõptuarium Morale Scripturæ *subscriptũ sed istud quidã F. Minorita Hibernus disposuit, vt probat Vvadingus ibi. Deuotus liber ille* Passio duorum *intitulatus à quodã Minorita cõpaginatus est, teste Typographo in operis Prologo.* Sermones Peregrini *fuisse cuiusdã F. Peregrini Bononiensis Franciscani, de quo Athenæ fol.* 291. *Verisimile est. Liber dictus:* Mamotretus in Scripturam *elaboratus est à F. de Regio Lepidi Minorita*

secundùm Vilotum fol. 260. Anonymæ sunt Postillæ magnæ Bibliorum, *sed istæ compilatæ fuerunt à F. Guillelmo Parisiensi, vt in meis Asser. Prin. 16. dixi. Anonymi sunt* Sermones in Apocalipsim *apud Stephanum Gueinart. Sed Auctorem extitisse N. S. Bernardinum Senẽsem efficaciter probat P. Haye to. 4. Libri* Ascensus Montis Sion *sine Auctoris nomine semel, & iterum impressi F. Bernardinus Laredo Minorita & Laicus fuit Auctor. Anonymorum* Speculi, *atque* Floreti, *& aliorum quàm plurimorum, quorum nomina videnda apud Bosquerium in Prologo; compositores extitisse Franciscanos, & Seraphicã Religionẽ nutricem, & matrem habuisse euidenter constat. Denique propriè & verisimè Anonyma (vtpote carẽs Auctore loco, anno, ciuitate, Typographo, à quo & quãdo fuerit excussa) præsens est* Corona B. MARIÆ Virginis, *siue Corona Cælatissima ex 12. contexta coronis, & 144. ornata, & prædita stellis quam Typis mandamus; sed hanc fuisse N. Danielis Agricolæ Franciscani ex sequentibus euidẽtissimè cõuincitur, I. quia Doctor iste plura, & varia edidit opuscula, omniaque Anonyma, videlicet: Innouationes 430. quæst. subtilissimi Scoti, & Ioannis de Colonia, impressas Basileæ apud Adam Petrum de Lugendorff anno 1510. Postillas super Epistolas, & Euangelia, vt reor, excussas Lugduni anno 1541. & alibi sæpè absque Auctoris nomine. Coronam, pro Conceptione Virginis MARIÆ ex varijs Doctoribus contextã, de qua Daça in Tractatu de Cõceptione. Denique scripsit* Coronam duodecim Stellarum B. Virginis MARIÆ, *& alia, quæ omnia, vt dictum est, absque Auctoris nomine, vt dicitur in quæstionibus Ioannis de Colonia recognitis à D. F. Daniele Meyer Franciscano fol. 176. in qua Corona Daniel Agricola, vt loco supra allegato dicitur, Immaculatam MARIANAM Conceptionem à peccati originalis labe immunem prædicat, & liberam ab omni contagionis pruritu defensat. In præsenti autem Corona, quam ex tenebris, & obliuione extractam antiquissimis characteribus scriptam, & iampenè extinctam rediuiuam tibi exhibemus, pro Immaculata Cõceptione MARIÆ cõtra minùs pios nominatim, & aperto decertatur, Marte, vt cõstat ex 1. Corona 2. Stel. & Corona 10. Stel. 9. & Corona 8. Stel. 8. & Corona 10 Stella 8 & Corona 11. Stella 1. & alibi; Igitur hæc Corona est ipsa Danielis Agricolæ. II. probatur ex titulo, quia Corona Danielis Agricolæ dicitur Corona duodecim Stellarum Beatæ Virginis MARIÆ, hæc verò ipsissimum habet titulum tam in principio, quàm in fine, & in paginarum inscriptione. III. quia D. Antonius de Leõ Noster expectatissimus amicus in sua M. S. Bibliotheca Mariana, Classe 61. cum ad hanc Anonymam peruenisset Coronam, inquit: Corona Beatæ Mariæ Virginis sine Auctore, anno, & loco, & folio antiquo extat in Biblioth. Matritensi Societatis Iesu Collegij Imperialis arca 248. & cap. 7. agitur de prima Corona deinde secunda Corona duodecim habet Coronas, & quælibet duodecim Stellarum, vel lapidum: in secunda parte ponitur Corona seruiB. Virginis, & hanc existimo esse Coronam illam Danielis Agricolæ Franciscani supra relatam hæc Leon. IIII. probatur, quia Auctor huius Coronæ vixit seculo 15. hoc est ad annum M. CCCC. vt constat ex Corona. 1. Stella 2. etiam fuit Frater, seu Religiosus, vt ex Prologi initio euidẽter patet. Et in Corona Vltima seruii B. Virginis Stella 6. exhortans ad silentium, inquit, & vtinam Moniales, & reclusæ Religiosæ nostræ sorores tacendo cogitarent, &c. Noster Daniel Agricola vixit hoc eodem seculo; & tempore, in quo sola Religio Seraphica sorores habebat Moniales sibi subditas; quæ omnia, si non euidenter demonstrent, efficacissimè tamen probant meam opinionẽ; huic ergo Agricolæ præsentem adscribimus Coronam, dum aliquis euidentioribus nixus fundamentis propriũ, & legitimum afferat Agricultorem; nam semper, & in omnibus veritatem quærimus, nã si nõ prædicto, nescio cui alteri adscribenda sit, vt in Nota sequenti latiùs dicam.*

IN.

INCIPIT PROLOGVS IN LIBRVM, QVI dicitur, Corona Beatæ Virginis.

Signum magnum apparuit in cœlo, id est, Ecclesia. *Mulier*, id est, Beata Virgo *amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona Stellarũ duodecim*, Apoc. 12. *Apoc.12.* Cũ igitur ego frater N. omniũ seruorũ Beatæ, & gloriosæ Virginis MARIÆ vltimus, & Capellanus eius immeritus, & indignus. Iã diu aliquando ad laudẽ, & gloriã ipsius proposuissem ex diuersis tractatibus pro mea, & aliorũ deuotione summatim colligere. Quo dã tamen timore, & pudore, vsque nunc non immeritò, vt putò prohibitus fui. Maximè cũ B. Hieronymus, Sol, & lumẽ, totius Ecclesiæ, cũ laudes ipsius B. Virginis narrare vellet, in Sermone de Assumptione eiusdem ad Beatã Eustochiũ, ita scribit dicẽs: Timeo ne sicut reprobus ita, & indignus laudator inueniar. Sed quia Eccl. 24. dicitur: *Qui elucidãt me, vitã æternã habebunt.* *Eccle.24.* His verbis animatus, omni timore postposito, quando iamdiu mẽte apud me ipsum occultè tractaui ad honorem Dei, & laudẽ glorioſissimæ Virginis MARIÆ, in cuius meritis, & intercessione totã spem, & fiduciam meæ salutis cõstitui. Iam tandẽ pro meo modulo, & paruitate ingenij, cartæ tradere curaui. Vt igitur ad huiusmodi opus haberem occasionẽ, & materiã verba B. Ioannis in Apocalipsi supra posita mihi pro themate assumpsi; vbi ait: *Signum magnum apparuit, &c.* quamuis ergo B. Virgo MARIA omni virtute, & merito sit plena adeò, vt eã, dignè laudare sufficiat nullus. Ego tamen omniũ laudatorũ ipsius vltimus, & indigniſsimus preconia, & laudes necnon benedictiones, & priuilegia ipsius magnificare, & dilatare, cupiens, nõ solum vnam, sed duodecim coronas, & duodecies duodecim Stellas earundẽ coronarũ capitis ipsius, quæ faciunt centũ & quadraginta quatuor in vnũ ex diuersis dictis Sãctorũ Patrũ colligere curaui. Legimus enim in historia Machabęorũ, & aliunde quòd quidã Reges, & Tyranni, nõ solũ vnam coronã, seu diadema, sed tot suis capitibus licèt mortalibus impoſuerũt, quot Reges, seu Regna subiugauerant. Quia ergo B. Virgo MARIA non solũ Principes huius mundi, id est, portantes tenebrarũ harũ, sed etiã ipsum Regẽ Regum, & dominũ dominantium adeò sua humilitate deuicit, vt desc̃ederet cũ ea in Nazareth, & esset subditus ei, nõ immeritò plures, vt putò coronas suo sanctiſsimo capiti assignaui, & ex hoc non solũ ipsius magnitudo, claritas, & dignitas appareat, sed etiã quòd ad eam tanquaã ad matrẽ, & Reginam misericordię, & asilũ reorũ tutiſsimũ quilibet peccator securè, & fidenter accedere possit, innotescat. Hunc autem libellum nõ immeritò, vt reor coronã B. Virginis intitulari placuit. Quia solummodo de coronis B. Virginis, & de Stellis earundem narrabit. Circa thema ergo prædictum octo per ordinẽ sunt considerãda. Primò, de ipso signo magno Sancto Ioanni ostenso. Secundò, de Nomine B. Virginis MARIÆ. Tertiò, quare B. Virgo dicitur mulier. Quartò, quare dicitur Sole amicta. Quintò, quare Luna dicitur esse sub pedibus eius. Sextò, quid designetur per coronam capitis ipsius. Septimò, quòd per duodecim Stellas eiusdem coronæ notetur Octauò, & vltimo, quales debeant esse ministri B. Virginis, vt eam dignè laudare possint.

De Signo Magno.

CAP. I.

PRimò igitur de magno signo, quod apparuit in cœlo sciendum, quòd verba hæc verba sunt Beati Ioannis paranimphi matris Dominicæ per naturam; matris verò suę per gratiam, dignitatem, ac excellentiam ipsius glorioſæ Virginis sub breuiloquio describentis. Et notari possunt per ordinem in proposito verbo. Primò, cur MARIA appellatur *Signum*, non solùm hìc, sed & Esaiæ 7. vbi dicitur Iudæis, vel domui Dauid: *Ipse Dominus dabit vobis signum: Ecce Virgo concipiet, &c.* *Esai.7.* Pro quo sciendum, quòd *signum* congruè potest dici, & actiuè, & passiuè. MARIA dicitur Signum Magnum passiuè, quia signata est in operibus antiquorum, in factis Patriarcharum, in oraculis Prophetarum, vt in Arca Noe, in Virga Aaron, in Rubo Moysi, in Arca Testamenti, in Throno Salomonis, & huiusmodi. Actiuè, quia signat nobis sermonibus, responsionibus, & operibus suis quid amplectendum sit, quid cauendum, quid appretiandum, quid vilipendium. Item ratione dantis, scilicet, ipsius Domini, Esaiæ 7. *Dabit Dominus ipse vobis signum.* *Esai.7.* Nota, quod dicitur, Dominus ipse, quasi non alius, quia nullus dare posset tale signum, nisi ipse solus, vel in hoc, quòd dicitur, Dominus ipse, signatur quod hoc signum nec diuinitas operata est sine homine, nec humanitas sine diuinitate Verbi. Item ratione nouitatis: nunquam enim auditum, vel visum fuerat, nunquam in cor hominis ascenderat, quòd aliqua pura creatura, scilicet, homo exaltaretur super vniuersos, & singulos ordines Angelorũ. Itẽ ratione rei signatæ. Verè enim MARIA signũ ma-

magnum, vt potè, gratia, & gloria meritò, & premio, vel vt fiat comparatio magnũ, quia Virgo, maius quia mater, maximum quia mater Dei, vltra quod nulla magnitudo creaturæ. Item ratione vtilitatis immensæ, quia ante Assumptionẽ ipsius in cœlũ, aduocata nostra separata erat à nostro iudice. Cũ ille sederet ad dexteram Patris, & ipsa adhuc maneret in terris. Perutile ergo erat ipsis miseris, vt mediatrix inter ipsos, & Filium immediatè iudici assisteret, & ipsa pro eis è vicino oraret. Quod factum est in assumptione, quando illum impletum est. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato*, id est in corpore glorificato, vt valeat ei ostendere ventrem, quo eum portauit, & vbera quibus lactauit, quia *delectatur infans ab vbere*, Esai. 11. Ideo sæpè dicendum huic infanti: *Beatus venter, qui te portauit, &c.* vt ex horum recordatione faciliùs ad misericordiam moueatur. Decẽtissimè enim disponitur Regina misericordiæ iuxta Regem Iustitiæ. Itẽ ratione situs, vel loci, in quo apparuit. Vnde dicitur *apparuit in cœlo*. Verè enim magnũ est quidquid cœleste est, sed minimum quicquid terrenum est, quia terra est quasi punctus siue centrum cœli, cœlũ verò quasi magna Camera circumquaque diffusa. Aliter *signum magnum* Virgo mater, nec ante, nec post simile visum, vel *signum magnum*, quia Virgo desponsata. Quare autem fuerit despõsata habes in homilia Venerabilis Bedæ Præsbyteri super Euangelio Missus est. Sequitur *Apparuit*. Sed cui, vel quibus? Respondendum, quòd toti Ecclesiæ Triumphanti, vnde dicit: *Vidi speciosam sicut columbam ascendẽtem*. Triumphanti ergo apparuit per cognitionem, militanti, quæ hæc credit apparuit per fidem. Si quæratur quomodo ascendit? Respondendum, quòd sicut virgula fumi, quæ gracilis est, & semper, & superiora tendit, &c. Sequitur *in cœlo*. Triplex est cœlum aureum, in quo volucres cœli volant, de quo dicitur, *volucres cœli, &c.* Sidereum, in quo Stellæ cœlitant, de quo dicitur Eccles. 43. *Species cœli gloria Stellarum*, Empyreum, in quo Angeli Deum laudant; sed nec in primo, nec in secũdo, nec in tertio, cũ super omnes Angelorum Choros non dubitetur exaltata; vnde *ascendentẽ desuper riuos aquarũ*, sed in altiori, si quod altiùs est, vel in superiori parte Empyrei, vbi est thronus diuinæ Maiestatis, quod dicitur cœlum Sanctæ Trinitatis: nihil enim creditur altiùs in cœlo sede MARIÆ, quæ ad dexteram Filij sedere creditur in throno maiestatis, sicut præfiguratum est in matre Salomonis, 3. Regum 2.

Psal. 44.

Esai. 11.

Luc. 11.

Cant. 5. vel 2.

Psal. 8.

Eccles. 43

3. Reg. 2.

A

B

C

D

De Nomine MARIA.

CAP. II.

Mulier amicta Sole. Hæc mulier, vt iam tactum est, est Virgo MARIA, & ergo antequam ad declarationem huius clausulæ procedatur, breuiter de hoc nomine MARIA, de quo Lucæ 1. dicitur, *& nomen Virginis MARIA*, erit dicendum. Pro quo iciendum, quod quinque mala incurrit genus humanum per lapsum primi hominis, videlicet: Patris offensionem, interni languoris vexationem, spiritualium virium defectionem, mentis, & cordis obtenebrationem, crudelium hostium infestationem. Contra hæc quinque mala tollenda, Beata Virgo facta est nobis, & dicta MARIA, quod nomen ex quinque litteris componitur, scilicet, M. A. &c. Per M. denotatur, quòd ipsa est mediatrix contra patris offensionem. Per A. quòd ipsa est, alleuiatrix contra interni languoris vexationem. Per A. Reparatrix contra spiritualium virium defectionem. Per I. Illuminatrix contra mentis, & cordis obtenebrationem. Per A. Aduocata, siue auxiliatrix contra crudelium hostium infestationem: & propter ista cœlestis Exercitus Angelorum in Canticis eam admiratur, Canticorum 6. dicens: *Quæ est ista, quæ progreditur*, quoad primum; *quasi Aurora consurgens*, quoad secundum; *Pulchra vt Luna*; quo ad tertium; *Electa, vt Sol*; quoad quartum; *Terribilis, vt Castrorum acies ordinata*: quoad quintum, quia igitur Beata Virgo vocatur, & est mediatrix, ideo dicitur, *Progreditur quasi*: quia igitur Beata Virgo vocatur, & est alleuiatrix, ideo dicitur *Aurora consurgens*; quia igitur Beata Virgo vocatur, & est reparatrix, ideo dicitur, *Pulchra, vt Luna*: quia igitur Beata Virgo vocatur, & est illuminatrix; ideo dicitur, *Electa, vt Sol*, quia igitur Beata Vigo vocatur, & est auxiliatrix; ideo dicitur, *Terribilis, vt Castrorum acies ordinata*. Dicitur ergo primò de Beata Virgine, *Quæ est ista, quæ progreditur*, id est, pro reis graditur velut mediatrix, quia ipsa genuit Christum, qui mundum suo cruore Deo Patri reconciliauit, Corinthio. 5. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*; sicut ergo Christus est mediator inter Deum, & hominem, sic Beata Virgo inter Filium suum, & hominem. Vnde in persona ipsius Salomon dixit matri suæ, 3. Regum 2. *Pete mater mea, quod vis, nec enim fas est, &c.* Vnde Bernardus: Securum accessum habes, ô homo ad Deũ, &c. Itẽ in Deuter. 32. dicit Dominus: *Ego percutiã, & Beata Virgo tanquã mediatrix*

Luc. 1.

Cant. 6.

Cant. 5.

3. Reg. 2.

Deut. 32.

trix respondet, *& ego sanabo*. De hoc habemus exemplum in Theophilo, quem beata Virgo filio suo reconciliauit, postquam seipsum diabolo vendidit, & tradidit. Secundò dicitur: *Quasi Aurora consurgens*, velut alleuiatrix ægrotantium. In ortu siquidem Auroræ ægrotantes meliùs habentur, vnde in Geneſis 32. legitur, quòd in *Geneſ. 32* ortu Auroræ Angelus *Iacob benedixit*; vnde Aurora dicitur quasi aurea hora, quia tempus auroræ præ alijs horis ægrotis est charissimum, sic Beata Virgo omnibus infirmis, id est, peccatoribus est charissima, atque gratissima. Ipsa quippè Dei Filium Iesum Christum, qui est medicina omnium infirmitatum, edidit mundo; vnde Eccle- B *Eccle. 38.* siastic. 38. *Altissimus de terra*, id est, de beata Virgine *creauit medicinam*, id est, Christum secundùm corpus, & animam, quem quotidie in Sacramento Altaris, tanquam medicinam omnium vulnerum, & languorum quotidie percipimus Digni autem hunc cibum percipiunt ad salutem, & è conuerso 1. Corinthiorum 11. *Igitur multi inter* *1. Cor. 11* *vos imbecilles, & infirmi, &c.* scilicet, qui indignè communicant. Tertiò dicitur *Pulchra, vt Luna*, quia reparatrix debilium. Sicut Luna in suo crescento corporis humores recuperat, sic & beata Virgo Deum concepit, & peperit, qui dat virtutem, & fortitudinem plebi suæ. Item Luna noctem illuminat, animalia à frigore C præseruat, & seipsam per mensem renouat, Ita Beata Virgo MARIA mundum illuminat per vitæ sanctitatem, homines à frigore malitiæ conseruat per pietatem, renouat inueteratos per peccati vetustatem. De primo Ambrosius. In ea refulget exemplum castitatis, humilitatis, charitatis, & omnis sanctitatis; ipsa enim Virgo erat corpore, & mente, corde humilis, animo prudens, &c. De secundo Hieronymus. Ipsam totam repleuerat Spiritus sancti gratia, totus incanduerat diuinus amor, & ergo ab Angelo dicitur gratia plena. De tertio dicunt naturales, quòd Luna renouat se per mensem, & ad hoc hortaturos D *Ephes. 4.* Apostolus Ephes. 4. *Renouamini spiritu mentis vestræ*: ad hanc renouationem nullus meliùs nobis cooperari potest, quàm beata Virgo MARIA; vnde ipsa dicit *Eccle. 24.* Ecclesiast. 24. *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me*, scilicet, in necessitatibus vestris. Quartò, beata Virgo dicitur, *Electa, vt Sol*, quia terræ, & cœli illuminatrix, sicut enim Sol illuminat tenebras huius mundi, ita ipsa æterno Soli præparauit mansionem, qui ortus ex ea illuminat his, qui in tenebris, & vmbra mortis *Malac. 4.* sedent. De quo Malachiæ 4. *Vobis timen-*

A *tibus nomen meum orietur Sol Iustitiæ*. Christus est Sol Iustitiæ, qui mundum istum vita sua præclarissima, & doctrina illustrauit. Et ergo de seipso in Euangelio dicit, Ioannes 8. *Ego sum lux mundi, &c.* Beata etiam Virgo MARIA dicitur Sol, quātùm ad Beatos. Ipsa enim sanctis est causa diuinæ visionis. Per ipsam enim sancti meruerunt accessum ad Deum, & ad illud diuinum lumen speculandum, & participandum. Vnde dicit Bernardus: Per te, inquit, accessum habemus ad Deum, ò benedicta inuentrix gratiæ, genitrix vitæ, mater salutis, vt per te suscipiat nos, qui per te datus est nobis. Quintò dicitur, *terribilis, vt castrorum acies ordinata*, quia MARIA est prudens aduocata, & fortis auxiliatrix fidelium contra dæmones, & septiformem turmam vitiorum; vnde de ipsa Cāticorum 4. dicitur: *Sicut turris Dauid collū tuum, quæ* *Cant. 4.* *ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*. Per collum Beata Virgo designatur. Per ipsam enim, quasi excellentissimam totum corpus Ecclesiæ vnitur Christo capiti. Hæc est, sicut *Turris Dauid*, id est, manu fortis, quia fideles in ea fortè refugium inueniunt. Et est *ædificata cum propugnaculis*, id est, adiutorium habet à Patre, & Filio, & Spiritu sancto: *Mille clypei pendent ex ea*, id est, præsidium omnium Angelorum ad defensionem eorum, qui confugiunt ad eā, *Omnis armatura fortium*, id est, exempla omnium Sanctorū, omnes electi eum, quem ipsa iuuare voluerit, adiuuabunt. Bonum est ergo nobis per pœnitentiam ad ipsam fortem auxiliatricem nunc in præsenti confugere, vt in die Iudicij contra aduersarios nostros in opportuno tempore apud Filium mediatricem aduocatam, & auxiliatricem habere mereamur. Amen. Istud nomen MARIA etiam componitur ex quinque litteris, quia ipsa figurata est per quinq; dominas veteris Testamenti, quarum nomina incipiunt ab ali qua litterarum huius nominis. Per M. designatur, quia ipsa præfigurata fuit per *Michol*, quæ fuit vxor Dauid Regis, & in tātùm ipsa placuit Dauid, quòd cùm diu fuisset extra Regnum Iudæorum, noluit redire intraturus Regnum, nisi primò sibi præsentata esset, vt dicitur 1. Regum vltim. Sic Beata *1. Re. vlt.* Virgo in tantùm placuit Altissimo, quòd Filius Dei existens extra regnum huius mūdi, noluit illud ingredi, nisi Beata Virgo priùs sibi præsentata, id est, nata esset in mundo. Michol enim interpretatur pietas, & ipsa fuit pietate plenissima, quia vt Bernardus dicit. De plenitudine eius accepimus omnes. Per A. designatur *Abigail*, quæ etiā fuit vxor Dauid. Cū enim Nabal vir eius esset rusticus

& malè resp. ōdisset nūcijs Dauid; proposui Dauid ipsum occidere, & omnem domum eius, at vbi Abigail hoc cognouit, obuiauit Dauid, & verbis humilibus ipsum placauit, vt dicitur 1. Regum 25. Sic beata Virgo cognoscens Deum iratum contra genus humanum sua maxima humilitate ipsum placauit, quia secūdùm Bernardum, si MARIA humilis non fuisset, de Spiritu sancto Deum non concepisset, &c. Per R. *Rachel*, quæ fuit vxor Iacob, & genuit Ioseph, qui interpretatur Saluator, vt dicitur Genes. 33. Sic Beata Virgo genuit Christum Saluatorem mundi. Per I. *Iudith*, quæ virtute castitatis occidit Holofernem, vt dicitur Iudith. 13. Sic beata Virgo merito suæ humillimæ castitatis interfecit Luciferum Principem dæmonum, conterendo eius virtutem, & potestatē. Per A. *Abisag*, quę fuit electa super omnes filias Hierusalem, tanquam pulchrior, & delectabilior ad seruiendum, & ministrandum Regi Dauid 3. Regum 1. Sic beata Virgo fuit electa super omnes mulieres ad ministrandum Regi cœlesti, Ecclesiast. 24. *In habitatione sancta coram ipso ministraui*. Istud nomen MARIA etiam componitur ex quinque litteris designantibus in Beata Virgine virtutes, & perfectiones quinque lapidum pretiosorum. Per M. denotatur, quòd ipsa est Margarita, quæ est lapis pretiosus pulcherrimus, & confortat cor in periculis, sic beata Virgo est refugium nostrum in periculis. Bernardus. In periculis MARIAM cogita, &c. Per A. Adamas, qui habet virtutem reconciliatiuam, sic Beata Virgo reconciliauit genus humanum cum Deo; vnde cantamus: Reconciliauit peccatores. Per R. Rubinus, siue carbunculus, qui est valde splendidus, & nascitur in visceribus saphiri habentis splendorem, & colorem cœlestem: Iste Saphirus est Beata Virgo, in cuius visceribus operatione Spiritus sancti generatus est Rubinus, scilicet, Iesus Christus; vnde Ecclesia cantat, ex te enim ortus Sol iustitiæ Christus Deus noster. Per I. Iaspis, qui reddit hominem ipsum ferentem sine timore, sic Beata Virgo reddit nos securos à dæmonibus, qui ab ea tanquam à fulmine fugiunt; vnde quædam mulier diu à quodam dæmone, etiam visibiliter vexata, cùm tantummodo dixisset: Sancta MARIA adiuuame, statim liberata fuit. Per A. Alectorius, qui facit hominem fortunatum ad habendos honores, sic beata Virgo contribuit nobis maximos honores. Bernardus: Si MARIAM diligenter inspicias, nihil virtutis, nihil honoris, nihil splendoris, nihil gloriæ, quod ex ipsa nō resplendeat, &c. De hoc nomine MARIA. Idem Bernardus super Missus

1. *Reg.* 25

Gen. 33.

Iudith. 13

3. *Reg.* 1.

Eccle. 24.

A est, ita dicit: Ipsa MARIA præclara, & eximia stella super hoc mare magnum, & spacioſum necessariò subleuata, micans meritis, illustrans exemplis. O qui te intelligis, in huius seculi profluuio magis inter procellas, & tempestates fluctuare, quàm per terram ambulare, ne auertas oculos à fulgore huius syderis, si non vis obrui procellis, si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, inuoca MARIAM, si iracundia, si auaritia, aut carnis illecebra nauiculam mentis concusserit, respice ad MARIAM: si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fæditate confusus, iudicis terrore perterritus, baratro incipias perturbari, vel absorberi tristitiæ, & desperationis abysso, in periculis, in angustijs, in rebus dubijs MARIAM cogita, MARIAM inuoca, non recedat ab ore tuo, non à corde, & vt impetres eius orationis auxilium, non despicias conuersationis exemplum. Ipsam sequens non deuias, ipsam cogitans non erras, ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia peruenis, & sic in te ipso experieris, quàm meritò dictum est nomen Virginis MARIA; vnde Albertus Magnus dicit, quòd MARIA nomen Euæ mutauit, non voce quidem, sed re; illa quidem omnes genauit in mundum, ista in cœlos. Illa mater carnalis, ista spiritualis; illa mater crudelitatis, ista mater misericordiæ; illa principium mortalitatis, ista principium regenerationis; illa gratiam perdidit, ista gratiam inuenit; illa transiuit, & nos transire fecit de gratia in culpam; ista surrexit, & nos surgere fecit secum de culpa in gratiam; illa de latere viri dormientis facta est, ista de corde Dei vigilantis; illa viro suo octasio perditionis: hæc verò adiutorium redemptionis, illa desponsatur, meritò & origo corruptarum, hæc desponsatur, mansura virgo mater, virgo virginum; illa virginitatem primò perdidit, ista primo virginitatem Deo consecrauit; illa à diabolo decepta, ista ab Angelo edocta, illam diabolus vicit per superbiam, ista vicit diabolum per humilitatem, & sic patet, qualiter mutauit nomen Euæ, & meritò vocata est MARIA.

B

C

D

MARIA

MARIA dicitur Mulier.
CAP. III.

MVlier. Circa hoc quod MARIA hìc, & etiam in diuersis locis sacræ Scripturæ dicitur *mulier*. Notandum, quòd hoc nomen, *mulier*, quandoquè sonat sexum. Ioann. 2. an. 2. *Quid mihi, & tibi est mulier?* Item Idem 19. an. 19. *Mulier, ecce filius tuus*. Et ratione sexus dicitur beata Virgo *mulier*. Dicitur etiam *mulier*, propter fecunditatem, quia ipsa dicitur Mater generis humani, ex quo Christum Filium suum primogenitum peperit, cuius nos omnes fratres sumus, sicut Mat. 28. ipse dicit in Euangelio: *Dicite fratribus meis, &c.* Itē propter debitam Christo subiectionem. Vnde: *Ecce ancilla Domini, &c.* Luc 1. Item mulier dicitur secundùm sexum fœmineum, non secundùm corruptionem integritatis. Vnde Eua statim, vt facta est de latere viri, nondum contacta à viro mulier appellata est. Vnde Gen. 3. *Ædificauit Dominus costam in mulierem.* Vel quia *mulier* dicitur quasi emolliens herum, vel heroem, id est, Christum. Dicitur ipsa *mulier* per antonomasiam: quia, scilicet, Christus ante suam incarnationē, quasi durus in sua diuinitate; quia nō potuit esurire, vel sitire, calefieri, vel algere, fatigari, vel infirmari, aut mori. Hi sunt septē defectus, quos patitur in vita præsenti; quos omnes suscepit in se Christus in Virgine factus homo, quæ ipsū induit carne mortali. Vnde filius dicit matri. Iob 10. *Pelle, & carne vestisti me.* Alio etiā modo emolliuit beata Virgo filiū Dei, qui quasi durus erat, antequā incarnaretur; quia offensus humano generi propter peccatum Adæ extitit. Vnde quasi iratus totum genus humanum traducebat in infernum. Vnde dicit ei, Iob 30. in persona generis humani: *Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ aduersaris mihi.* Beata autem Virgo ipsum factum hominem emolliuit, & placauit, & genus humanum ei reconciliauit. Vnde, & in partu eius cantatū est ab Angelis: *Pax hominibus bonæ voluntatis*. Propter hoc etiā ipse Christus in Euangelio, multò crebriùs se appellat filium hominis, id est, beatæ Virginis, quàm filium Dei, quia emollitus est per eam, & in hoc commendat etiam nobis quod misericorditer sit dignatus esse pro nobis. Adapta exemplum de Rhinoceronte, de quo legitur, quòd in sinu Virginis capitur, & sic omni ferocitate sua priuatur. In hoc confundit etiam superbiam nostram, qui semper numeramus genus nostrum à digniori, quoad seculum, sicut fecit mulus in conuentu animalium, dicens se esse nepotem equi, nec volens recognoscere, quòd esset filius āsini. Item aliter MARIA in tantùm emolliuit Dominum, & adhuc emollit meritis, & precibus suis, vt nunc maiora peccata patienter tolleret, qui quondam minora durissimè vindicabat. Constat enim, quod multò grauiùs peccant moderni Sodomitæ, vel luxuriosi, quàm peccauerunt antiqui, qui atrociter sunt puniti. Necdum enim nata erat Beata Virgo, necdum Verbum caro factum est. Vnde tunc longè inferior, & indignior fuit natura humana, quàm modò sit. Nam Christus eam assumens, & sibi vniens maximam ei contulit dignitatem. Vnde Sapient. 7. dicit humana natura de sapientia incarnata: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius*, id est, dona gratiarum. Vnde matri, & filio maximè iniuriantur fœditate carnalium vitiorum se ipsos polluentes. Sed quantò nunc eis diutiùs, & misericordiùs pepercerit, tantò districtiùs, & immisericordius in ipsos tandem vindicabit. Item MARIA dicitur *mulier* alia ratione. Mater enim solet esse magis misericors filijs, quàm pater. Dabat autem Deus pater filium suum in patrem, & Regem iustitiæ, & ad eius iustitiam moderandam dedit nobis matrem pietatis, & Reginam misericordiæ. Sæpè enim, quòd iustè damnaret huius patris iustitia, clementer liberat huius matris misericordia. Vnde filij iustitia, & matris misericordia dicunt quasi ad inuicem: *Ego occidam, & ego viuere faciam, &c.* Deu. 32. Ad hoc etiam astare describitur tanquam aduocata à dextris filij, id est, in potioribus bonis eius, quia peroptimè congruit cum Rege iustitia Regina misericordiæ. Hæc est *mulier*, de qua dictum est serpenti, Gen. 3. *Ponam inimicitiam inter te, & mulierem*, quasi diceret: Vide amicitiam factam inter te, & mulierem, scilicet, Euam, sed inimicitias ponam inter te, & quandam aliam, scilicet, MARIAM, quæ conteret caput tuum. Sequitur: *Et semen tuum, & semē illius*. Quod impletum est, quando Herodes semen serpentis statim postquam natus est persecutus est Christum semen MARIÆ. Vnde dicitur Apoc. 12. *Draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura masculum, vt cùm peperisset, filium eius deuoraret*. Sed ipsa *conteret caput tuum*, quod superbè erigebas exultans de homine deiecto. Vel *caput tuū*, id est, vitium capitale, quod est superbia, *initium omnis peccati*, sicut dicitur, Ecc. 10. Pe de humilitatis, vel concupiscientiam carnis, pede virginitatis, &c. Hæc est *mulier* fortis, quæ à Salomone quærebatur, dicente, Prouer. in fin. *Mulierem fortem quis inueniet?* Sed donec veniretur ad MARIAM, non inueniebatur. Vnde sequitur: *Procul, & de vltimis finibus pretium eius*. Procul dicit, pro statu temporis, scilicet, à tempore Salomonis, vsque ad partum Virginis. MARIA dicitur fortis contra carnem per virginitatē, cuius

Gen. 3 — Ioan. 10. — Lob 30. — Luc. 2. — Sap. 7. — Apoc. 12 — Ecc. 10. — Prou. 31.

cuius votum prima emisit. Vnde tunc *accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachium suum*, & sic contemplit legem, quæ tales maledicebat. Secundò contra mundum per paupertatem, ad quod signandum inuenta est ab Angelo clausa in thalamo. Mundi enim amatores foris sunt, id est, in occupatione quærendi exteriora, sed talibus dicitur. *Væ væ*, Amos. 5. Vnde Esau venator amisit benedictionē, quam acquisiuit Iacob: *Vir simplex, & habitans in tabernaculis*. Genes. 25. & MARIÆ dictum est, *Aue*, & hoc etiā fecit supra legem, quæ temporalia promittebat. Tertiò fuit fortis contra Diabolum per humilitatem, cuius caput contriuit, vt dictū est. Quartò contra omne genus peccati per patientiam, quia aduersa omnia æquanimiter sustinens, & prospera omnia viriliter contemnens pro amore filij sui. Et oportebat, quòd fortis esset mulier, quæ paritura erat masculum, & talem masculum, qui Principē huius mundi foras proijceret, eripiensque inopem de manu fortiorum, vt eius propria virtute glorioſos terræ humiliaret, sequitur: *Procul, & de vltimis finibus pretiū eius*. Et nota, quòd hæc expositio communis est MARIÆ, Ecclesiæ, & fideli animæ; Dicitur igitur *procul, & de vltimis finibus pretiū eius*, id est, inuētoris. Dicit Glossa. Vel *eius*, id est, fortis mulieris, scilicet. MARIÆ, Ecclesiæ, vel fidelis animæ, Christus, scilicet, qui seipsum pretium dedit pro Ecclesia redimenda, 1. Corint. 6. *Empti estis pretio magno*. Ephes. 5. *Christus semetipsum tradidit pro nobis oblationem, & hostiā Deo. &c.* Procul enim fuit pretium MARIÆ, scilicet, Christus, qui de cœlo descendit in vterū eius, quia *à summo cœlo egressio eius*, & ex ea assumpsit carnem, & sanguinē, seu corpus, quod pro ipsa sicut, & pro nobis obtulit in cruce. Vnde & Christo dicitur: *Redemisti virgam hæreditatis tuæ*. Et verè Christus pretium eius, quo ipsam reddidit pretiosam, quia ex hoc beatā eam dicunt omnes generationes, & per hoc exaltatur in cœlo, & in terra, &c. Hæc est *mulier*, de qua loquitur Zorobabel, 2. Esdr. 9. *fortior vino, & Rege*: Quod enim nō potuit vinū libaminum, nec aliquis Rex Hæbreorū, fecit ipsa per filiū; liberauit enim genus humanum, ad quod non sufficiebant legis sacrificia, nec Prælatorum quantacumque iustitia. Confregit enim cornua Cerastis, dum contriuit pede humilitatis superbiam, & pede virginitatis luxuriam. Hæc est *mulier*, de qua dicitur: *Vbi venit plenitudo temporis misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret, &c* Hęc est *mulier* fidelis, per cuius fidem saluatus est Adam vir infidelis, quem fefellerat infidelitas primæ mulieris: nec ipsum solū, sed & totā posteritatē suā. Vnde 1. Cor. 7. Apostolus dicit: *Sanctificatus est vir infidelis per mulierē fidelem*. Hæc est, mulier gratiosa, quæ *inuenit gloriā*. Prou. 11. Quæ primò dicta est *gratia plena*. Ecce gratiosa, & inuenit gratia triplicē singularem, prima fuit, quādo Filiū Dei cōcepit, qui est gloria Patris, quia *Gloria patris filius sapiens*. Prouer. 10. Secūda, quia post eius cōceptū nullo modo peccare potuit. Tertia, quando assumptione innixa dilecto in cœlū ascendit, & ad eius dexterā, id est, in potioribus eius bonis resedit. Ipsa est *mulier sapiens*, ædificans domū suā. Prou. 14. *Et cuius species in ornamētum domus suæ*. Eccl. 26. Hæc est *mulier* sedula, sicut ibidē dicitur. Ipsa *mulier sensata, & tacita, sancta, & pudorata. stabilis, & in corde gerens mādata Dei*. Totū in eodē capitulo. Ipsa *mulier* virtutis designata per Ruth. eiusdē 3. *Mulier incōparabilis*. Iudith. 11. *Mulier circundans virū*. Hier. 31. *Mulier ex omnibus*. Eccl. 7 *Mulier*, quæ dedit filiū suū ad comedendū prima, 4. Reg. 6. *Mulier diligens corona viro suo*, scilicet, Ioseph, & addens ei *annos vitæ*. Prou. 12. Ipsa *mulier* habens *dragmas*, decē Luc. 15. Ipsa pars bona, quia *mulier* bona. Prou. 12. scilicet, pia, & casta, benigna, & modesta. In his quatuor præcipuè consistit bonitas mulieris. Si sit corde benigna, id est, benè ignita, scilicet, igne charitatis, opere misericors, in sermone modesta, quod difficilè reperitur, mente, & corpore pudica. *Mulier* bona, cuius *beatus vir*, Eccl. 26. *mulier*, quæ vbicumque non est, nisi gemitus, & egestas. Eccl. 36. *Vbi non est mulier gemiscet æger*. Vbicumque enim non est MARIA per gratiam, non potest esse, nisi miseria, & egestas.

1. Cor. 7 — Prou. 31 — Amos. 5 — Gen. 25 — 1. Cor. 6 — Ephes. 5 — Psal. 18 — Psal. 73 — 2. Esdr. 9 — Galat. 4 — Prou. 11 — Luc. 1 — Prou. 10 — Prou. 14 — Eccles. 26 — Idem 3 — Iudit. 11 — Hier. 31 — Eccles. 7 — 4. Reg. 6 — Prou. 12 — Luc. 15 — Prou. 12 — Eccles. 26 — Eccles. 36

MARIA dicitur Sole amicta.

CAP. IV.

MVlier *amicta Sole*. Ecce qualiter assumpta Beata Virgo MARIA, scilicet, non nuda, id est, non tantùm in anima, sed *amicta sole*, id est, glorificato corpore. Vnde dicitur: astitisse à dextris filij *in vestitu deaurato*, id est, in corpore glorificato. Quam videlicet, gloriam Dominus ostendit discipulis suis in *monte Thabor*. Matt. 17. Et promisit fidelibus cunctis. Matt. 13. *Tunc iusti fulgebunt sicut sol in Regno Patris sui*. Et quam verè creditur reddidisse matri suæ. Quæ si expectaret corporis sui glorificationem vsque ad diem iudicij, iam non essent omnia, quæ facta sunt in ea, nec ipsa videretur in omnibus singularis. MARIA ergo *amicta sole*, id est, ornata, decorata, & nobilitata tali, ac tanta prole. Bernardus. Hæc est virginis nostræ singularis gloria, &c. Omnes, enim sancti Christū induunt per fidē, & imitationē, vnde Apostolus,

Psal. 44 — Matt 17 — Idem 13

stolus. *Quotquot in Christo baptizati estis, Christū induistis.* Et ad hoc inuitat nos Apostolus ad Rom. 13. *Induimini Dñm nostrū Iesum Christum*, & per glorificationē ab ipso perfectius induendi, MARIÆ verò singulariter amictus factus est Sol iste, quæ ipsum carne sua singulariter amictum portauit: nulla enim sic in terris gratia eius; nulla sic in cœlis eius gloria est amicta; & nota, quòd MARIA facta est amictus Solis Iustitiæ, quando ipsum carne mundissima induit, & amicta ipso *Sole*, quando Filium portans in vtero facie resplendebat, vt Sol. Ita quòd Ioseph vt dicitur ipsam facie ad faciem videre nō poterat. Vnde Bernardus ad MARIAM: Manet inde, ò Domina, Sol iste, & tu in eo, vestis eum, & vestiris ab eo. Vestis eū substātia carnis tuæ, vestit ille te sua gloria maiestatis. Vestis nube Solem, & tu ipsa Sole vestiris. Triplicem enim amictum præbuit ipsa isti Soli, scilicet, pallium cœli, saccum repositorium pretij, & cilicium pœnitētię: Palliū cœli, quia ipse est Deus Zelotes. Esai. 11. *Indutus est vestimētis vltionis, & opertus est, quasi pallio cœli.* Zelus amor, zelus indignatio, & sub vtroque sensu Dominus zelo dilectionis zelabat animas seductas, & sibi ablatas à diabolo; zelo quoque indignationis zelabat, & indignabatur contra diabolū, quòd hominē Dei creaturā fraudulēter se duxerat, & rē alienā detinebat iniustè. Vtroque ergo modo zelo succēsus Dominus carnis susceptit palliū, quòd ratione prædicta dicitur palliū cœli; vnde Esai. *Væ qui prædaris, nōne, & ipse prædaberis?* Et sic eū isto pallio deprædatus est diabolū, hominem de potestate ipsius eripiendo, sicut diabolus ipsum fuerat deprædatus. Secundò, beata Virgo præbuit isti Soli saccū repositoriū, in quo repositū fuit pretiū nostræ redemptionis; qui saccus fuit cōfossus in cruce claui, & lancea, vt pretium effunderetur, quo sumus redempti, quod pretium fuit ille sanguis, de quo dicit Petr. 1. canonic. 1. *Non corruptibilibus, &c. sed pretioso sanguine, &c.* de hoc sacco Iob in persona Christi 16. *Saccum consui super cutem meam, &c.* In hoc etiam sacco repositū fuit triticum, quo pascuntur Angeli, & homines in altari, de quo tritico, Ioan. 12. *Nisi granū frumenti, &c.* Tertiò, cilicium ei præstitit, id est, carnem cum illis asperitatibus cilicinis, in quibus pœnitentiam fecit pro iniquitatibus nostris. Vnde dicitur per Psalm. *Posui vestimentum meum cilicio, &c.* Et in hoc cilicio soluit ipse, quod non rapuerat, sed quod primi parētes; sic B. Virgo fuit amictus huius Solis tripliciter. Item MARIA amicitur Christo, sicut ferrum amicitur candenti ignet *Deus enim ignis consumens est.* Quis ergo dubitet hoc igne cor Virginis succensum, cūm fuerit tali opertorio amictū, sicut

Esai. 11.

Esai. 33.

Petr. 1. can. 1.

Iob 16.

Ioan. 12.

Psal. 68.

Hebr. 10.

A Luna amicitur Solis lumine? vnde dicitur, pulchra vt Luna. Aliter enim nō est pulchra Luna, nisi cùm Solis radijs est vestita, sicut cera amicitur sigilli charactere. Cera, videlicet, informis, & rudis; filius enim *figura est substantia eius*, id est Patris, ad Hebr. 1. Quæ ergo dubitat, cor Virginis, & brachium huiusmodi figura impressum, & ita sigillo patris, quo filius ipse est insignitus, & hoc est, quod filius dicit tā MARIÆ, quā fideli animæ, Cāt 8. *Pone me sicut signaculū super cor tuū, & brachiū*, sicut vitrū purū, & candidū amicitur solari iubare, sicut aer nebulosus amicitur Solis claritate, & ignitur feruore: sicut aqua pura infusa dolio vini rubicundi amicitur ipsius cālore, sapore, & odore, sicut lana pura, & candida amicitur colore ipsius tinctura, sicut argentū cādidū coloré induit ipsius deauraturæ, sic B. Virgo dicitur tota pulcha in corpore, & anima. In corpore per integritatē incorruptionis, & omnium sensuū illibatā puritatem. In anima, non solùm pulchra per humilitatē, sed perpulchra, siue pulcherrima per virtutum omniū perfectam plenitudinem vestita, & amicta, &c. Aliter *amicta Sole*, quia caruit omnis peccati obscuritate, & hoc etiā in præsenti, vel *amicta Sole*, id est, glorioso corpore, quod dicitur Sole amictum propter quatuor dotes, quas habitura sunt corpora electorum: quibus, scilicet dotibus respondent quatuor proprietates Solis. Sol enim refulget clarissimè, itē agilissimè. Statim enim vt prima pars Solis in Oriente eleuatur in nostro emisphærio, percutit lux eius cœlum Occidentale eiusdē emisphærij, & sic in ictu oculi distantissima transit terrarum, soliditatem vitri, & chrystalli. Impassibiliter, quia solus Sol defectum, vel corruptionem non patitur. Ipsum enim, nec aqua emollit, nec fætor corrumpit, nec ignis comburit, nec gladius scindit, nec vitrum obsistit, & ita est impassibilis. Est ergo dicere: Mulier *amicta Sole*, id est, glorificato corpore cum quatuor dotibus signatis *in Sole*. In Assumptione enim eius, Sol quem vestierat glorioso carnis diademate, sicut dicitur Cantic. 3. quando Verbum Dei factum est caro in ea, vt matri filius vices rependeret, gloriosa claritate sua eandem insigniuit.

Ad Heb. 1.

Cant. 8.

Cant. 3.

MARIA dicitur Lunam habere sub pedibus.

CAP. V.

ET *Luna sub pedibus eius.* Hoc multipliciter exponit, & pertinet ad excellētiam loci, ad quem assumpta est. *Luna* enim vt quidam asserunt vltra omnes creaturas inferiores visibilis existit, & tamen Virgo su-

per

per ipsam. Siquidem Luna dicitur, quasi lux aliena, quia & mutabilis est, & lumen habet à Sole, & signat omne illud, quod aliunde lucet, & mutabile est in propria natura, sic Cherubin, & Seraphim non lucent à se, sed à Deo, qui solus est lux illuminans, & ideo dicitur Sol, quasi lux lucens. Cætera vero sunt lux illuminata, est ergo dicere, *Luna sub pedibus eius*, ac si diceretur, exaltata est super omnem puram creaturam, ideo etiam dictū est ei: *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas*. Ecce quid ei sub pedibus. Aliter, *Luna* sub pedibus eius. Nota, quòd *Luna* vnica est, & singularis, & quā doque corniculata apparet, & ideo signat Ecclesiam Catholicam, quæ vna est; vnde dicit Christus Cant. 6. *Vna est Columba mea, &c.* Cuius duo cornua Ecclesia militans, & triumphans Quòd, scilicet, *Luna sub pedibus eius* esse describitur, quam vtraque Ecclesia in gratiarum actione illius prostrata vestigijs, intercessione eius, tāquam mediatricis ab eodem Sole cupiens, & capiens participium veræ lucis. Quod enim triumphās, iam capit, & obtinet per MARIAM, cupit sibi militans obtinere per eam. Aliter, *Luna sub pedibus eius*, hoc referri potest ad statū ipsius præsentem, vt per Lunam designetur gloria mundana, quæ ad instar Lunæ nunquā in eodem statu permanet. Hanc mundi gloriam gloriosa Virgo spreuit vt contemptibilem, contempsit vt inutilem, conculcauit, vt vilem. Compressit pedibus vt rebellem, transit, & transiliuit, vt venenatam, & nociuam. Et in hoc principaliter, & primò decet fidelis anima MARIAM imitari. Huic gloriæ mundanæ peroptimè cōueniunt proprietates Lunæ; nam gloria ista vana deficiens, transitoria, vmbratilis, & caduca ab amore Dei refrigerans mundi huius amore humectans, & nunquam permanens in eodem statu. Hanc sub pedibus MARIA habet, & etiam habere debet omnis fidelis anima. Ideo dicitur, *Luna sub pedibus eius*. Aliter: Luna sub pedibus eius. Væ diabolo, dicitur, Eccle siast. 27. *Stultus vt Luna mutatur*. Sultus dicitur, quasi stans altus, hic est diabolus, qui noluit humiliari cum cæteris Angelis, sed dixit Esai. 14. *Ponam sedem meam ad Aquilonem, &c.* Et hic stultus mutatus est, vt Luna, scilicet, à claritate Angeli in obscuritatem diabolī. Ité Luna dicitur à meno, quod est defectus, hic est diabolus, qui à plenitudine domus Dei cecidit in defectum totius boni, hic autem stultus, vel hæc Luna *sub pedibus* MARIÆ, quia subiectus ei plenariè. Vnde dictum est serpenti, Gen. 3. *Ipsa conteret caput tuum, &c.* De quo habetur supra, quòd MARIA sit mulier fortis.

Prou. 31

Cant. 6.

Eccles. 27

Esai. 14.

Gen. 3.

Quid designetur per Coronam B. Virginis?

CAP. VI.

ET *In capite eius corona.* In his verbis exprimitur ad quantam gloriam, seu dignitate MARIA sit assumpta, caput beatæ Virginis cōgruè dici potest humilitas, cuius meritò coronata est in Reginam in sua Assumptione; quia sicut in humano corpore omnes sensus quodammodo ortum habent à capite; sic vniuersæ virtutes beatæ Virginis ortum habuerunt ab excellentia humilitatis eius, & sicut in corpore caput mēbris supereminet vniuersis, sic inter cæteras ipsius virtutes, quas omnes habuit in superlatiuo, humilitas præminebat. Et sicut à capite reguntur membra cætera, sic in beata Virgine erat humilitas quasi pedagogus cæterarum virtutum. Et ideo dicitur, quòd beata Virgo super omnes in cœlo nunquam ascendisset, nisi infra omnes in terra descendisset. MARIÆ igitur prærogatiua attēditur in corona gloriæ ineffabilis, quæ coronata est in cœlis in sua Assumptione, quando verus Assuerus, qui interpretatur beatus, siue beatitudo, & signat Christum dixit Esther Reginæ, quæ interpretatur eleuata in populis, & signat MARIAM, quæ exaltata est etiā super Choros Angelorum, & omnium beatorum ad cœlestia Regna, dixit, inquam ei, sicut legitur Esther 15. *Ascende huc, & tange sceptrum*, siue accede huc, & tene sceptrum, accipe Regiam dignitatem. Esto Domina cœli, & terræ, esto Regina, & Imperatrix Angelorum, & hominum; sede à dextris meis in gloria, quæ semper astitisti à dextris meis, seruiens pro æternis in vestitu deaurato, id est, corpore glorificato. Iustissimum enim erat, cùm Christus Verbum Patris factus, esset caro de carne eius, & os de ossibus eius, vt vbi esset Filius, ibi esset & mater eius. Vnde de Coronatione MARIÆ dicit ei Filius, Cant. 4. *Veni coronaberis* multiplici victoria, videlicet, quia triumphasti *de capite Amana, de vertice Sanyr, & Hermon*, id est, de malitia diaboli, quæ designatur per caput Amana, de mundana sapientia, quæ per verticem Sanyr; de perfidia hæretica, quæ per verticē Hermō; Amana siquidem dicitur Deus vigiliarum, & designat omnium dæmonum collegium, qui dente tentationis hominem rodunt, & ad eius subuersionem semper vigilant, sic dicitur Iob 3. *Nocte os meum perforatur doloribus*, ac si dicat *nocte*, dum, videlicet, mihi non prouideo, *os meum*, id est, robur virtutis meæ *perforatur doloribus*, id est tentationibus, quæ sūt causæ doloris, & subdit, *qui me comedunt*, scilicet, tentatores, *nō dormiunt, sed in multitudine eorum consumitur vestimentum meum*, bonæ, scilicet, con-

Hebr. 15.

Cant. 4.

Iob 3.

uer-

uersationis ornamentum. Huic concordat Petrus, dicens: *Sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester Diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* 1. *Petr.* 5. Huius autem Collegij, quod per Amanà designatur, caput est ille princeps Dæmonum, cuius caput beata Virgo contriuit. Sanyr interpretatur auis nocturna, quæ de nocte volat, & videt, & cæcatur ad solem. Hi sunt Philosophi, & sapientes huius mundi, qui ad lucem diuinæ sapientiæ cæci sunt: ad sapientiam verò huius mundi, & ad malitiam, subtiliter vident, de quibus dicit Hieremias: *Hiere.* 4. *Filij insipientes, & vecordes sunt; sapientes sunt, vt faciant mala; benè autem facere nescierunt.* De his triumphat Beata Virgo, & pro hac victoria coronatur, quia peperit sapientiam, per quam sapientia huius mundi stultitia comprobatur. Ipsa quoque coronatur de vertice Hermon, id est, de Capitaneis Hæreticorum, quia ipsa vniuersas hæreses interemit in vniuerso mundo. Hermon interpretatur anathema, vel separatus. Hi sunt Hæretici, de quibus sub nomine Effraim dicit Oseæ ad Iudam, id est, ad viros fideles, *Oseas* 4. & Catholicos: *Particeps idolorum Effraim dimitte eum, separatum est conuiuium eorũ.* Ac si dicat, hæretica perfidia participat cum idolatria. Tu ergo vir Catholice, dimitte eum, neque communices cum hæreticis. Separatum est enim conuiuiũ eorum, nam anathematizata est Hæreticorũ doctrina, perfidia, & falsa Religio. Coronatur quoque de *Cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Signant autem cubilia torporem, & mollitiem luxuriæ; per leones intelliguntur superbi, iracundi, potentes huius seculi, quos tamen velut leones sic emollit luxuria, vt in cubilibus libidinum suarũ torpeant, & marcescant. Vnde de muliere meretrice dicitur in Prouerb. *Multos vulneratos deiecit, &* *Prouer.* 7 *fortissimi quique interfecti sunt ab ea.* Pardus est diuersicolor, & quibusdam notis distinctus sine maculis, illos designat, qui bonis operibus mala commiscent, quos pro colore diuerso Dominus arguit per Ieremiam *Hier.* 12. 12. dicens: *Nunquid auis discolor hæreditas mea mihi*, tales cùm deberent humuliari ex opere malo, per quod bonum opus inficitur, ex ipso tamen opere bono in superbiam extolluntur, quæ superbia per montes exprimitur, cùm dicitur: *de montibus pardorum*, & quoniam tam his per Beatam Virginem subuenitur, quàm illis, qui per leones signãtur: ideo ipsa *decubilibus leonum, & de mõtibus pardorum* dicitur coronari: & nota, *Apoc* 12. quòd Apoc. 12. dicitur MARIA coronari de stellis; hìc permittit ei filius, quòd coronabitur de feris, vel mõtibus, & quidem hoc nisi quod feræ per gratiam, & orationes MARIÆ fiunt stellæ, vt conueniant capiti tantæ Reginæ, vt de stellis corona ei videatur exhibita: quæ de feris fuerat promissa, & hæc est mutatio dexteræ excelsi, vt sicut ex lapidibus suscitantur filij Abrahæ, sic ex bestijs creentur stellæ: sæpè enim, vbi superabundauit peccatum, per eam abundat gratia, & ita de nouis peccatoribus nouam coronam sibi præparat in cœlis; quod ergo promittitur ei ex impijs, soluitur ex iustificatis, sic & Dauid coronatur de corona Regis *Rabath.* 2. Reg. 12. & 1. Paralip. 20. & Machabæus pugnat cum gladio *Apollonij.* 1. Mach. 3. & sanctus Paulus post multos labores, quos pro Christo sustinuit, de se ipso dicit: *Bonum certamen certaui, &c.* Et subdit: *De reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, &c.* De qua etiam corona Psalmus dicit: *Posuisti Domine super caput eius*, scilicet Beatæ Virginis, *coronam de lapide pretioso, &c.*

2 *Reg.* 12 *&* 1. *Par.* 20. 1. *Machab.* 3. 2. *Tim.* 4. *Psal.* 20.

Quid per duodecim stellas designatur?

CAP. VII.

STellarum duodecim, stellæ sunt Sancti, vnde Eccl. 43. *Species cœli*, id est, Ecclesiæ. *Gloria stellarum*, id est, dignitates, & excellentiæ Sanctorum. Et Apostol. 1. Corin. 15. *Stella differt ab stella in claritate, &c.* Et Dan. 12. dicitur de Doctoribus, quia *ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Duodenarius autem numerus est vniuersitatis: duodecim ergo stellæ Sanctorum vniuersitas, qui per fidem Trinitatis in quatuor mundi partibus saluati sunt, & saluantur per eam; nam ab ipsa habuerunt illum, per quem viceruntid est, Christum, cuius auxilio viceruntriplicem hostẽ, & à quo coronati sunt victores. Omnibus etiam Sanctis Christum Dei virtutem peperit, & Dei sapientiam, qui & ipsos pugnare docuit cum antiquo serpente, & eius suffulti præsidio de hostibus triumpharunt: habuerunt nihilominus per eius exemplaexpugnandi trinam concupiscentiam mundi. Videlicet, exemplo paupertatis concupiscentiam oculorum, exemplo virginitatis concupiscentiam carnis, & vitæ superbiam exemplo humilitatis. Ipsi igitur conuenit illud quod dicitur de filio eius. Apoc. 19. *In capite eius diademata multa:* nam per eam Christum habuerunt, per quem omnes victoriæ obtinentur, propter quod dicit Zacharias: *Sume à transmigratione aurũ, &c. Et facies inde coronulas, & pones eas in capite Iesu* Quia omnes Sanctorum victoriæ debent ei ascribi. Denique, sicut Paulus ad Philip. & Thessal. Vocat coronam suam in Domino, quia exhortatione, & informatio-

1. *Cor.* 15 *Dan.* 12. *Apoc.* 19. *Zach.* 6. *Philip* 4. 1. *The.* 2.

ne

ne sua in agone certaminis permanserunt. A Sic MARIA omnem fidelium congregationem potest non immeritò coronam suam in Domino nuncupare. Assignatum est supra, ipsam enim omnes sancti quodammodo coronant, suas ei victorias, & coronas ascribentes, qua mediante, & per quam post Deum sciunt, se coronatos, & hoc signatum est Apocal 4. vbi Ioannes describit 24. Seniores *procidentes ante sedentem in throno*, & *mittentes coronas suas ante thronum*, quasi ad pedes sedentis in ipso throno, per viginti & quatuor, sicut & per duodecim Sanctorum vniuersitas designatur. Duodecim enim Patriarchæ, scilicet, filij Iacob fuerunt in veteri Testamento, & duodecim Apostoli in nouo, B quos Christus luctator noster genuit in passione, vel sicut dicitur in Glossa, viginti & quatuor sunt per sex, & quatuor in seducta: sex ad opera sex dierum, quatuor ad Euangelium referuntur, hæc est Ecclesia, quæ in veteri, & nouo Testamento Deum colit, mittebant igitur viginti & quatuor seniores coronas suas ante thronum, quasi ante pedes sedentis in throno, cognoscentes se non suis meritis, sed per passionem Christi, quam in humana natura, quæ per pedes designatur substinuit, coronatos. Easdemque coronas suas in capite MARIA collocant, de qua suscepit humanam naturam Sanctorum omniũ corona, & coronata Quis ergo dignè exprimat, quantis obsequijs, seu quanta reuerentia omnes Sancti Beatam Virginem excolant, & frequentent; cùm coronas suas eidem se debere non ignorent, hæc ex Mariali pro maiori parte. Et tanta de themate prædicto, & de corona Beatæ Virginis, & duodecim stellis eiusdem in genere sufficiãt dicta. Nunc de singulis coronis eiusdem Beatæ Virginis, & de duodecim stellis earundem erit dicendum.

Apoc. 4.

DE PRIMA CORONA Beatæ Virginis, & de duodecim Stellis coronæ eiusdem.

PRima corona Beatæ Virginis est corona magnę dignitatis, & excellẽtiæ; nam ex hoc, quòd ipsa Christum Filium Dei à Sancto Spiritu concepit, & peperit, omnes nos per eam in Christo regenerati sumus: & ex hoc magna dignitas, & corona remunerationis ei meritò ab omnibus debetur. Duodecim stellæ huius coronæ non immeritò possunt nominari duodecim priuilegia, seu benedictiones, quas in conceptione, natiuitate, & infantia Saluatoris Domini nostri Iesu Christi Filij sui habuit, de quibus sancta mater canit Ecclesia: Sãcta, & immaculata virginitas, quibus te laudibus referam, nescio, quia quem cœli capere non poterãt, tuo gremio contulisti. Prima igitur stella huius primæ coronæ est, quòd Angelo annunciante de Spiritu sancto sine virili semine Filium Dei cõcepit. Secunda, quòd ipsa ab originali culpa singulari Dei munere præseruata fuit. Tertia, quòd nouem mensibus Filium Dei in suo virginali vtero sine tædio, & grauamine portauit. Quarta, quòd elapso tempore ipsam saluo pudoris signaculo sine dolore virgo peperit. Quinta, quòd ipsa primò omnium, eũdem tanquam verum Deum, ex ea mirè genitum supplex in terram prostrata adorauit. Sexta, quòd ipsa tanquam vera mater suis virgineis vberibus cœlesti rore plenis sępius eundem lactauit. Septima, quòd vilibus pannis, sericis carens, tanquam verum Adæ filiũ eũdem involuit. Octaua, quòd virgineis suis manibus tanquam obstetrix supra fœnum ante animalia in præsepio suum Filium reclinauit. Nona, quòd fœliciſsimis labijs suis ei alludendo crebriùs reuerenter ipsum osculata fuit. Decima, quòd mox natum ab Angelis laudari, & à pastoribus visitari lætabunda audiuit. Vndecima, quod à tribus Magis eũdem adorari, & munera ei offerri lętis oculis aspexit. Duodecima, quòd quadragesimo die iuxta legis præceptum, in Templũ Deo Patri eundem Filium suum deuotè obtulit.

Luc. 1.

Apoc. 4.

Prima Stella primæ coronæ est Angelica annunciatio, Filij Dei incarnatio, & sigilli virginitatis illibata conseruatio.

NOta, quòd Angelica salutatio delata ad Virginem decem dictionibus consumatur, vt *Aue* sit prima dictio. *MARIA*, quod apponit Ecclesia sit secunda. Mulieribus decima, in quo inuenitur, quòd per eã erat Angelorum ordo decimus reparandus, & dracma decima reparanda. Item in hac salutatione totali Angelus primò apposuit *Aue*, Ecclesia interserit *MARIA* Elisabeth subiunxit: *Benedicta tu in mulieribus*, &c. quæ sequũtur, quia in salutatione MARIÆ conueniũt Ecclesia Triumphans, quæ per Angelũ, Ecclesia Militans, quæ apponit MARIA. Synagoga, quæ per Elisabeth designatur. Ité hanc salutationem pro maiori composuit Angelus, pro minori Elisabeth, quia acceptior est matri, & filio laus castorum, qui per Angelum, quàm coniugatorum, qui per Elisabeth designantur; vnde Apocal. 14. *Nemo poterat dicere Canticum illud, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra, hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati.* Item in hac salutatione benedicitur MARIA ab Angelo, quia Triumphantem Ecclesiam reparauit. Benedicitur ab Elisabeth, quia Ecclesiã Militantem iam ferè mortuam suscitauit. Vterque enim tam Angelus, quàm Elisabeth dixerunt ei: *Benedicta tu in mulieribus*, &c. Secun-

cundo notandum, quòd congruum fuit Deũ incarnari propter duo. Primò, propter remotionem mali, propter quatuor causas. Primò, quia per hoc homo instruitur, ne sibi diabolum præferat, & eum veneretur, qui est auctor peccati, vnde Augustinus 13. de Trinit. dicit. Quando sic Deo coniugi potuit humana natura, vt fieret vna persona, superbi illi maligni spiritus, non iam audeant sehomini præponere, quia non habent carnẽ. Secundò, quia per hoc instruimur quanta sit dignitas humanæ naturæ, ne eam inquinemus peccando: vnde dicit Augustinus in libro de Vera Religione. Demonstrauit nobis Deus, quàm excelsum locum inter cæteras habeat humana natura in hoc quod hominibus in vno homine apparuit. Et Leo Papa dicit in sermone de Natiuitate: Agnosce, ò Christiane, dignitatem tuam, & diuinæ cõsors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degenerem conseruatione redire. Memento cuius sis capitis, & cuius corporis membrũ reminiscere, quoniam erutus de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen, & regnum. Tertiò, quia ad præsumptionem hominis tollendam, gratia Dei nullis meritis nostris præcedentibus in nomine Christi nobis commendatur, vt dicit Augustin. 4. de Trinit. & sic superbia hominis, quæ maximum impedimentum est, ne inhereat Deo per tantam Dei humilitatem redarguatur, atque sanetur, vt dicit Augustinus ibidem, ad liberandum hominem à seruitute, quod quidem, vt dicit Augustinus 13. de Trinit. fieri debuit sic, vt Diabolus iustitia hominis IESV Christi superaretur, quod factum est Christo satisfaciente pro nobis; homo autẽ purus satisfacere non poterat pro toto humano genere: Deus autem satisfacere non debebat: vnde oportebat, Deum, & hominẽ esse Iesum Christum. Vnde Leo Papa in sermone de Natiuitate: Suscipitur à maiestate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas, vt quod nostris remedijs congruebat, vnus, atque idem Dei, & hominum mediator, & mori ex vno, & resurgere posset ex altero. Nisi enim esset verus Deus, non afferret remedium; nisi esset verus homo nõ præberet exemplum. Hæc ille. Secundò, cõgruum fuit Deum incarnari propter promotionem hominis in bono. Primò, quantùm ad fidem, quæ magis certificatur ex hoc, quod ipsi Deo loquenti credit. Vnde Augustin. dicit 11. de Ciuitat. Dei, vt homo fidẽtiùs ambularet ad veritatem; ipsa veritas Dei filius, homine assumpto constituit, atq; fundauit fidem. Secundò, quantùm ad spẽ; quia per hoc maximè erigitur, Vnde Augu. 13. de Trinit. Nihil tam necessarium fuit ad erigendam spem nostram, quàm vt demonstraretur nobis, quãtum diligeret nos Deus.

A Quid verò huius rei isto indicio manifestius, quàm quòd filius Dei nostræ naturæ dignatus est inire consortium. Tertiò, quãtùm ad charitatem, quæ maximè per hoc excitatur: vnde Augustinus dicit in libro de Cathecizandis rudibus. Quæ maior causa est aduẽtus Domini, nisi vt ostenderet Deus dilectionem suam in nobis. Si amare pigeat, saltem reamare non pigeat. Quartò, quantùm ad rectam operationem, in qua nobis exemplum se præbuit: vnde Augustinus dicit in quodam sermone de Natiuitate Domini. Homo sequendus non erat, qui videri poterat, Deus sequendus erat, qui videri non poterat. Vt ergo exhiberetur homini, & qui ab homine videretur, & quem homo sequeretur, Deus factus est homo, & sic plenam participationem diuinitatis, quæ vere est hominis beatitudo, & finis humanæ vitæ possideret. Vnde Deus assumendo carnem, suam maiestatem non minuit, sed ex hoc nobis appropinquare voluit per incarnationem, vt magis nos ad cognoscendum attraheret Vnde patet, *quomodo fiet illud*, scilicet, tam altum Sacramentum incarnationis. Circa tertium principale, videlicet, Virginalem conceptionem, sciendum, quòd caro Beatæ Virginis MARIÆ caruit virili attactu, qui non sequebatur ex dispensatione. Vnde de MARIA specialiter intelligitur illud Sapient. 3. *Fœlix sterilis, & incoinquinata, quæ nesciunt thorum in delicto, &c.* Origenes. Fœlix vmbelicus castitatis, qui amplexus non tetigit maritales: in nuptijs enim Ioseph, & MARIA defuit vinum carnalis delectationis, de quo vino dicitur Prouerb. 20. *Luxuriosa res vinum, &c.* Caro enim eius fuit terra ista, *per quam non ambulauit vir*, id est, maritus suus Ioseph. Esai. 2. Secundò, caro Beatæ Virginis caruit pruritu, & inquinamento in impræguatione; quia virtus Altissimi obumbrauit ei. Aliæ enim mulieres concipiunt in calore, & sordibus, sed hæc in refrigerio, & omnimoda puritate. Fuit enim ei Filius Dei in sua conceptione, firmamentum virtutis; quia concepit cum integritate tegimen ardoris, nam obumbrante ei virtute Altissimi, extinctus est omnino in ea ignis concupiscentiæ: immo, & ipsi cineres, id est, fomes peccati consopiti sunt, vt nullus in ea de cætero posset excitare pruritus. Tertiò, caruit fractura virginalis signaculi, concipiens absque defloratione. Vnde Ezech. 44 *Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non transibit per eam, quia Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritquè clausa Principi*, id est, ad honorem Principis, scilicet, Christi, & hoc est Iesus, quod dicit beatus Anselmus super illud Luc. 10. *Intrauit Iesus in quoddam castellum, &c.* Iesus namque saluat, non violat. Confracta so-

B C D

Sap. 3.

Prou. 20.

Esai. 2.

Ezec. 44.

lidat,

lidat, non confringit: sicut nomen eius, ita & opus eius; non enim concepit more cæterarum mulierum, sed per fidem eorum, quæ ei dicebantur ab Angelo. Vnde dixit ei Elisabeth Luc. 1. *Beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt ei à Domino*: & ita concepit per auram: quia fides ex auditu. Roman. 10. & hoc est, quod ipsa dicit. Cant. 5. *Dilectus meus*, id est, Deus Pater, *misit in me manum suam*, id est, filium suum *perforamen*, scilicet, auris meæ, &c.

Secunda Stella primæ Coronæ est, quòd Beata Virgo ab originali culpa singulariter Dei munere fuit præseruata.

SCiendum, quòd Beata Virgo MARIA fuit sanctificata in sui conceptione, scilicet, dum esset in vtero matris posita, quod probatur auctoritate, ratione, & exemplo. Auctoritate quidem, quia Psalmus dicit: *Sanctificauit tabernaculũ suum Altissimus.* Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Bernardus ait: Nec enim festiuis laudibus nascens honoraretur, nisi sancta nasceretur. Est itaque Virgo regia veris honorum titulis honorata, quæ proculdubio sancta fuit ante quàm nata. Ildephonsus Toletanus Archiepiscopus dicit: Si non in matris vtero sanctificata fuisset, eius Natiuitas celebranda non esset. Ratione quidem, quia tam preciosum thesaurum, scilicet, Dei filium, Deus pater in eius vtero non posuisset, nisi sanctus, & mundus fuisset. Psal. 92. *Domũ tuã decet sanctitudo Domine, &c.* Et Damascenus dicit: Sanctus Deus, nõ nisi in sanctis habitat. Et Anselmus dicit: decuit, quòd illius hominis, id est, Iesu Christi cõceptio ex ea matre fieret, quæ ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi. Exemplo, namque patet, quia Hieremias fuit in vtero sanctificatus, vt esset dignior Dei Propheta. Multò magis Beata Virgo debuit sanctificari, vt esset dignissima mater Dei. Etiam Sanctus Ioãnes Baptista fuit sanctificatus, vt esset dignior Christum baptizare, & ipsum digito demonstrare. Multò magis Beata Virgo debuit sanctificari, vt esset digna Christum de suis visceribus generare; vnde in Sacrosancto Concilio Constantiensi determinatum est anno Domini millesimo quatuorcentesimo, quòd Beata Virgo MARIA nunquam subiacuit peccato originali, & quòd festum de eius Conceptione debet ab omnibus Christi fidelibus sub nomine Cõceptionis celebrari: de qua materia Conceptionis ante illam Ecclesiæ determinationẽ egregius sacræ paginæ confessor Dominus Ioannes Gerson Ecclesiæ Parisiensis Cancellarius, respondendo cuiusdam dubijs sibi à quodam Religioso factis, inter cætera sic ait:

A Subtiliter à peritis materiam, quæ nũc apertè determinata est, nedũ per Doctores Theologiæ concorditer sequentes Augustinum dicentem. Cùm de peccatis agitur, nullam de MARIA volo fieri mentionem, &c. puto de fide ad Petrum, sed & auctoritas Ecclesiæ cõcors magis vrget canticis factis, & verbis, vt est illud: Cunctas sola hereses interemisti, scio, quòd in præclara Vniuersitate Parisien si prædicans oppositum cogeretur reuocare, nihilominus tenendum est cum Apostolo, quòd Beata Virgo indiguit redemptione, & in hoc benè dicebat Bernardus ad Lugdunẽses, quòd hoc priuilegium, non indiguisse redemptione, fuit proprium solius Christi. Ve-
B rumtamen non necessariò sequitur exisio, quòd Beata Virgo cõcepta fuerit in peccato originali, aut quòd vnquam peccauerit, etiã venialiter; quinimo Doctores, qui & subtiles arguunt ex necessitate redemptionis MARIÆ, quòd ipsa cùm fuerit perfectissima, debuit perfectissimè redemi: est autem inter quatuor modos redemptionis iste perfectissimus, vt fiat præseruatio, ne quis peccaturus de lege communi peccet, ex concessione priuilegij, exemplum dant de casuro in foueam, qui retinetur ne cadat, aut de filio proditoris exhæreditando, quem Rex ante natiuitatem dignificat ad hæreditatem paternalem: si autem inueniatur dictum ab aliquo
C Sancto, quòd Beata Virgo hora passionis dubitauerit, non accipitur dubitatio pro hæsitatione in fide, sed pro admiratione in amaginatiua virtute. Item idem Cancellarius de eadem materia sic dicit: Certum est, quòd Beata Virgo fuit excepta à regulis generalibus multis, vt ab illa; in dolore paries filiũ, & de incineratione corporis, secundùm Augustinum, & communem sententiam. Potuit ergo sic eximi ab illa maledictione, omnes nascimur filij iræ, immo sic solemnizat Ecclesia de natiuitate sua, festum agens sine cõtraditione. Potest similiter celebritas piè fieri, & fit à multis per Ecclesiam de Cõceptione propter multa, quæ non ita patebant primis Doctoribus. Et quoniam nostro tempo-
D re multi, maximè de Ordine Prædicatorum nimis pertinaciter adhæserunt, verbis Sancti Thomæ; placet hic adducere modum soluendi suam rationem principalem; similiter ad Bernardum de indigentia redẽptionis. Quærit enim idem Doctor circa finem 4. Sententiar. Vtrùm aliqui in aduentu iudicij occurrent Christo, nec morientur? & quamuis videatur magis sentire, quòd moriẽtur omnes, iuxta illud: *Statutum est omnibus hominibus semel mori, deinde iudicium, &c.* nihilominus, inquit, si aliqui reperirentur transire sine morte, hoc est, & ex priuilegio speciali, nec per hoc derogaretur generali, secundũ quàm omnibus incumbit semel mori, id est, neces- *Hebr. 9.*

neceſsitas moriendi; ſic in propoſito neceſsitas incurrendi peccatum originale, & redẽptionis ab eo incumbebat Beatæ Virgini de lege communi; ſed priuilegiata per præuentionem modo dicto fuit, aut eſſe potuit. Vnde non caruit pœnalitatibus debitis peccato originali, quas non voluntariè ſuſcepit, ſicut Filius eius, ſed ex natiuitate debita originali. Hæc dicta ſint pro laude puriſsimæ fœminarum, qua ſub Dei puritate nequit maior intelligi, ſecundùm Anſelmum, Omnia præfata ſunt dicta domini Ioannis Gerſonis Cãcellarij Pariſienſis, antequam de iſta materia aliquid determinaretur in Concilio Baſilienſi.

A

Tertia Stella primæ Coronæ B. Virginis eſt, quòd ipſa ſine grauamine fuit grauida.

CAro B. MARIÆ caruit omni grauamine, in portatione; vnde dictum erat ei, Virtus Altiſsimi obumbrabit tibi. Quod ſic exponitur. Vmbram tibi faciet, in te fomitẽ penitus extinguendo, nam tunc Filius eius fuit ei *vmbraculum* meridiani, Eccleſ. 34. *Eccle.* 34. Aliter ſic: Obumbrabit tibi, id eſt, vmbram in te accipiet, hoc eſt, carnem leuẽ, & à pecto immunem: peccatum enim pondus eſt; vmbra enim figuram habet corporis, ſed nõ ponderoſitatem. Caro enim Saluatoris fuit illa *nubes leuis*, ſuper quam Dominus aſcendit in ſua incarnatione, Eſai. 19. Qua Solem *Eſai.* 19. lucis æternæ tegebat inſtar nubis, & lippiẽtibus oculis mortalium temperabat. Hæc autẽ prærogatiua, quòd Beata Virgo MARIA ſine grauamine fuit grauida, demonſtratur in hoc, ſicut dicit B. Bernardus. Quòd in ipſo ſuæ conceptionis initio, quando cæteræ mulieres miſerabiliùs afliguntur, MARIA tota alacritate cõſcendit in mõtana *cũfeſtinatione*, vt Eliſabeth miniſtraret, quam ab Angelo audierat concepiſſe. Et notabiliter dicitur *cum feſtinatione*, id eſt, non lẽto gradu, ſicut mos eſt aliquo onere grauatorum; oſtẽditur etiam per hoc, quòd aſcendit in Bethleem imminente iam partu, portans in vtero pretioſiſsimum illud depoſitum. Portans illud onus leue. Portans à quo portabatur infantem. Portans, ſcilicet, in quantum erat homo, à quo portabatur in quantum erat Deus, *ſub quo curuantur, qui portant orbem.* Iob. 9. *Qui portat omnia verbo virtutis ſuæ.* Ad Hebræos 1. Et ita patet, quòd *Iob.* 9. *Hęb.* 1 corpus, quod Chriſtus aſſumpſit de Virgine, aut fuit ſine pondere, aut corpus à quo portabatur. Et poſtea ſimiliter vndas maris, quò pondus corporis ſuſtinere poſſent, ſua potentia ſolidiùs confirmauit. Et quia vt dicunt eſt peccatum, eſt pondus. Ergo Beata Virgo pondus non ſenſit, quia ſine peccato fuit. Et ergo in initio Angelicæ ſalutationis dicitur ei, *Aue.* Eſt enim triplex væ. Apocalipſ. 8. *Væ væ væ habitantibus in terra, væ* concu- *Apoc.* 8. piſcentiæ in carne, *væ* culpæ in ſpiritu, *væ* pœnæ æternæ. De primo Geneſis 3. *Maledicta terra*, id eſt, caro *in opere tuo*, id eſt, pro *Gen.* 3. opere, ſcilicet, pro peccato. De ſecundo, Oſeæ 7. *Væ eis, qui receſſerunt à me.* De tertio, *Oſeæ* 7. Oſeæ 9. *Væ eis cùm receſſero ab eis*, quod erit *Idem* 9. cùm detrudentur in infernum. Sine hoc triplici *væ* fuit MARIA. Ergo, &c.

B

Quarta Stella primæ Coronæ Beatæ Virginis, fuit quòd ſine dolore virgo peperit.

BEatus Bernardus dicit, quòd Beata Virgo fuit ſine dolore puerpera. Et hoc perpenditur, ex eo quod natum Filium ſtatim pannis inuoluit, & in præſepio reclinauit. Cùm aliæ mulieres perſepè pereant in puerperio, aut vix remaneant ſemiuiuæ, & hoc eſt, quod Sedulius Rector Romanæ Eccleſiæ in ſuo Paſchali opere ait inter cætera. Infans namque paruus, ac maximus emembris, ſcilicet, & exiguus corpore, ſed præexcelſus Deitate; per hoſpitalis templi ſinceram deſluens caſtitatem non læſit corpus, abſcedens, quod non læſerat, cùm veniſſet. Ideo canit Eccleſia in natali: Neſciens virum, C peperit ſine dolore, id eſt, ſine naturalium læſione Saluatorem ſeculorum. Ad hoc etiam innuendum, dictum eſt MARIÆ ab Angelo, Lucæ 1. *Ecce concipies in vtero, & paries Filium*, ſine parturitione media. In *Luc.* 1. alijs enim mulieribus parturitio media eſt inter conceptum, & partum. In Virgine autem ſequitur partus immediatè. Ad hoc eſt, quod dicit Eſai. 67. *Antequam parturiret peperit, &c. Quis audiuit vnquam tale?* *Eſai.* 67. Magiſter Richardus de Sancto Victore. Ideo peperit ſine dolore, quia concepit ſine libidine; libido ſanè cauſa eſt doloris, & dolor effectus libidinis: ex effectu ergo cauſa innuitur in eo quo ei dicitur: *In dolore pa-* D *ries filios.* Econuerſo autem, ſiue è contrariò *Geneſ.* 3. in conceptu Virginis ex ſublatione cauſæ perpenditur ipſius effectus ſublatio. Quæ enim concepit cum virginitate, concepit ſine libidine, & quæ concepit ſine libidine, portauit ſine grauamine; conſequenter peperit ſine dolore, & quia conceptus ſine concupiſcentia, & parturitio ſine præſſura; nam ſi cæterarum more mulierum cum concupiſcentia, & defloratione concepiſſet, maledictioni Euæ vtique ſubiacuiſſet, & more cæterarum mulierum in dolore, & triſtitia peperiſſet. Propter hoc etiam dicit Ambroſius in hymno

Veni Redemptor gentium.

Oſtẽ-

Ostende partum Virginis
Miretur omne seculum
Tali de partu Deum.

Non dicit ostende conceptum Virginis, sed partum, qui tantus, & talis est, vt & Deum deceat, & in quo omne seculum debeat admirari. Ideo etiam dicit, Ostende partum Virginis, quia in partu plùs aliquid declaratur, quàm in conceptu. In conceptu namque Virgo sine coitu grauidatur, id est, partu verò tota Virginis incorruptio ostenditur, scilicet, quòd Virgo ante partum, & in partu, & *Ezech.44* post partum; vnde ter dicitur, *porta clausa*. Ezech.44. Exoptat ergo Ambrosius, vt partus hic ostendatur ignorantibus eum, quia si Beata Virgo peperisset in fordibus, & dolore, nec Deum deceret talis partus, nec esset in eo, quod mundus deberet admirari, sed in quo, & cum quo lugeret, quod absit. Item *Psal. 93.* Augustinus in Epistola ad Ephesios, explanans illud verbum, Psalm. 93. *Deus vltionum liberè egit.* Quia Christus solus inter omnes liber fuit à culpa, ideo liberè egit, in nascendo liberè ex MARIA. Quod etiam *Psalm.18* ostendit Psalm. dictus. *Et ipse tãquã sponsus procedens de thalamo suo*, id est, ex vtero virginali. Christus enim tanquam Sponsus alacer, exultans, & totus festiuus ad ducendam vxorem, id est, coniungendam sibi Ecclesiã in sua natiuitate *processit de thalamo suo*, id est, vtero virginali, qui peruius factus est sibi soli. Vnde diligenda est à nobis MARIA, & specialiter honoranda, quia ipsa, mediante forma diuina, sponte venit ad hominem sponte deformatum, gratia gratis ad gratiæ ingratum, medicina non rogata venit vltro ad ægrum, virtus ad infirmum, sapientia ad fatuum, sanctificatio ad immundum, veritas ad mendacem, pietas ad immisericordem, pax ad rebellem, misericordia ad impium, charitas ad inimicum, iustitia ad iniustum, non vt Deum secundùm suam iustitiam iudicaret, & damnaret, sed vt Deum in sua iustitia iustificaret, & secundùm se formaret, & formatum secundùm se tandem glorificaret in se. Ad id enim forma Dei venit in carnem, vt sibi priùs in spiritu, post etiam in carne illos conformaret, *quos præsciuit, & prædestinauit* Deus Pater *conformes fieri Imaginis Filij sui.* Roman. 8. Hæc ergo formata formosa ex pietate sola se vniuit materiæ tam informi; nec modo informi, sed & deformatæ, nec deformatæ quidem ex vlla necessitate, sed ex sola propriæ voluntatis voluntaria peruersitate. Item diligenda est MARIA, quia per ipsam facti sumus de nihilo aliquid, noui de vetustis, & de damnatis, & mortuis, beati, & æterni: vnde *Apoc.21.* Filius ipsius dicit: *Ecce ego noua facio omnia*, scilicet, in virgineo partu; vnde per istũ A partum liberauit Deus Pater pauper à potẽte, & hominem à diaboli potestate, sicut cãtamus in sequẽtia, vnde de Christo dicit Ps. 71. *Liberauit*, vel *liberabit Dominus pauperem à potente*, id est, à diabolo paupere dico, *Psal. 21.* & talem, cui non erat adiutor alius, quia nec homo, nec Angelus, nec lex, nec liberum arbitrium poterat eum liberare, nisi Leo de tribu Iuda, natus per Virginem MARIAM.

Quinta Stella primæ Coronæ B. Virginis est, quòd ipsa statim Filium suum natum adorauit.

BEata Virgo MARIA, Virgo, & Mater Dei dicitur, & est, quod nulla alia; in huB ius enim prerogatiua dignitatis non communicat ei homo, non Angelus, nec aliqua creatura, sed sola cum Deo Patre dicere potest Filio Dei, Filius meus es tu. Hoc ergo sciẽs & credens, immo per virginalem partum experta meritò primo omnium mortalium eũ supplex adorauit, & nos eũ adorare docuit, vnde ipsa sola dicere potest de Christo homine illud Gen. 2. *Hoc nunc os ex ossibus meis,* *Gen. 2.* *& caro de carne mea.* Vnde & dicit ei Filius Iob 10. *Pelle, & carnibus vestisti me, ossibus, & neruis compegisti me.* Quod fuit pro- *Iob 10.* priè quando ipsa consensit, quòd Filius Dei caro fieret in ea, & ex ea, quando videlicet, respondit Angelo, *Fiat mihi secundũ verbũ* *Luc. 11.* C *tuum* Ideo dicitur, Gen. 3 & 1. Cor. 6. *Erũt* *Gen. 3.* *duo*, id est, Christus, & MARIA, *in carne vna* virginali, quia Mater, & Filius vna caro. *1. Cor. 6.* Ideo etiam dicit Beatus Bernardus: Hæc est Virginis nostra gloria singularis, & excellens prærogatiua MARIÆ, quòd Filium vnum, eundemque cùm Deo Patre meruit habere communem; in cuius nomine meritò *Omne genu flectatur, cœlestium, &c.* Anselmus Cantua. Deus Filium suum, quem solùm de corde suo æqualem sibi genitum, tãquam se diligebat, ipsum dedit MARIÆ, & ex MARIA sibi fecit Filium, non alium, sed eundẽ ipsum, vt naturaliter esset vnus, idemque Filius communis Dei, & MARIÆ. Idem su- D per illud: *Intrauit Iesus in quoddã castellũ,* *Luc. 10.* *&c.* Quoddam, id est, singulare castellũ Virgo MARIA fuit, quia singulariter, & Virgo, & Mater Dei extitit, quod nulla alia. Et si enim aliqua alia Virgo possit esse, & mater, quod est impossibile, etiam sic Virgo singularis MARIA erit, quia vnicum Dei Filiũ genuit, qui sicut est vnicus, vnico Patri, ita est vnicus vnicæ Matri, & ideo nulla etiãsi Virgo pariat, vel eũdẽ, vel talẽ generabit. Et nota, quòd magnũ, & laudabile fuit MARIÆ fuisse Virginem, sed maius per omnem modum, & mirabilius in virginitate fuisse fœcundam, & post euacuationem vteri habuisse vterum sigillatum, & hæc fuit

gra-

Eccle. 26. *gratia super gratiã* Eccles. 26. Et nota, quòd supermaximã, & ineffabile est, fuisse matrem Dei, quem deuotè post partum adorauit. A seculo enim non est auditũ, quòd aliqua mulier, excepta MARIA, dicere Deo poterit: *Filius meus es tu?* Et ecce hoc sub Sole *recès* est, quicquid dixerit Salomon, Ecclesiast. 1. In memoriam trium supradictorum instituit sapientiam Græcorum, vt in Iconijs, quas ad Imaginem B. Virginis depingunt superscriptionem trium hominũ impugnant, in hunc modum, Virgo mater, & mater Dei, tamen apud eos, est vna dictio, Theotocos apud nos verò duæ.

Psal. 2.

Eccles. 1.

A

Sexta Stella primæ Coronæ est vberum lactatio. B

MAternis vberibus B MARIA ministrauit lac Dei Filio, quo pastus est ipse solus, nec puer alius inde bibit; vnde ipse gloriatur, Cãt. 5. *Bibi vinum meum cũ lacte meo* virginali. Quod totũ fuit meum, & propter hoc ipse designatur per Moysẽ, Exod. 2. Qui nullius alterius mulieris præterquã proprię matris mammas voluit sugere, sicut dicunt, ex hoc autem glorioso lacte nutritus est, & coagulatus ille sanguis, ex cuius effusione nostræ est redemptionis pretium persolutũ, & in hoc sanguine continetur vita fidelium animarum. Leuit. 17. Propterea sanguis iste Dominicus bibitur in altari. Item ad eius vbera dictauit Dei Filius fœdus nostræ salutis, & ipsorum repræsentatio Christo exhibita ipsum exhilarat nostris iniquitatibus cõtristatum. Esai. 11. *Delectabitur infans ab vbere*, nutrit etiam nos vbere duplici mater misericordiæ, quæ sunt castitas carnis, & benignitas cordis. Et ista vbera tanquam pueruli petimus, ad suggẽdum, quando dicimus ei: Virgo singularis inter omnes mitis, nos culpis solutos mites fac, & castos. Nota singularia verba ad honorem istorum vberum sua comendatione Filius nos inuitat, Cãt. 4. vbi dicit: *Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea Sponsa*, id est, quanta reuerentia, & honore extollendæ, & quanta dilectione sunt amplectendæ, vt corde, & ore de ipsis Christo dicatur: *Beatus venter, qui te portauit, & beata vbera, quæ suxisti*, Luc. 11. Vẽter Beatæ Virginis dicitur beatus multis de causis, & quantũ ad se, & quantùm ad nos, quantũ ad se in tribus. Dicit enim Boetius, quòd beatitudo est status omnium bonorum congregatione perfectus; omne bonum respectu ventris, est integritas virginalis, fœcunditas coniugalis, continentia vidualis, & Beata MARIA fuit semper Virgo, fuit fœcunda, sed sine viro; fuit Virgo mortuo Sponso; fuit etiam venter iste beatus quoad nos, quia reuelauit miseriam nostrã, quæ triplex erat,

Cant. 5.

Exod. 2.

Leuit. 17

Esai. 11.

Cant. 4.

Luc. 11.

C

se, virtutis infirmitatis, & necessitatis. Primam, quia tulit thesaurum nostræ redemptionis. Prouerb. 20. *Thesaurus desiderabilis, & oleum, &c.* Secundam, quia fuit apotheca medicinæ nostræ curationis. Ecclesiastic. 38. *Altissimus creauit de terra* carnis virgineæ *medicinam*. Tertiam, releuauit ager plenus afferens panem, & hortus conclusus afferens fructum nostræ refectionis. Item beatus venter, quia concepit cum integritate, gestauit in leuitate, peperit cum suauitate, cùm è contrariò omnis mulier concipiat cum corruptione, portet cum grauamine, pariat cum dolore, & his tribus miserijs addictus est sexus muliebris per peccatũ primæ parentis. Dicant ergo Beatæ Virgini viri, & fœminæ: *Benedicta tu in mulieribus*, dicant Christo: *Beatus venter, qui te portauit*. Item Beatus venter, quia à Spiritu sancto consecratus; vnde Psalm. 45. *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus*. Item, quia Filio Dei repletus. Lucæ 1. *Ecce concipies in vtero, &c.* Item, quia lac virgineum Dei Filio MARIÆ vbera propinauerunt. Vnde sequitur, *& beata vbera, quæ suxisti*. Luc. 11. & benè venter, & vbera in benedictione coniunguntur; quia sicut dicit Beda, secundùm Physicos, ex eodem fonte procedit semen ad gignendos pueros, & lac ad nutriendos. Item *beatus venter, & beata vbera*, quia ex eorum repræsentatione Christo in precibus impetrat nobis Beata hæc mater absolutionem à culpa, & benedictionem in gratia, & glorificationẽ in patria. Vnde Bernardus. Mater ostẽdit Filio ventrem, & vbera. Item beatificandus est venter, vel vterus virginalis, quia *omne datum optimum, & omne donum perfectum* nobis inde profluxit; nã ab vtero MARIÆ exiuit fõs vitæ, qui Christus est, tendens ad redẽptionẽ mortuorũ, ad reparationẽ perditorũ, ad saluationẽ viuorũ, ad erectionẽ lapsorũ, ad ereptionẽ incarceratorũ, ad destructionẽ inimicorũ, ad restaurationẽ Angelorũ, & huiusmodi. Itẽ panis nostræ redẽptionis. Vnde Cant. 7. *Venter tuus, sicut acerbus tritici, &c.* Ipse enim est Arca continẽs verũ manna. Itẽ Calix nostræ inebriationis. Vnde Psal. 35. In Christo abũdat *ab vbertate domus tuæ*, qui est ille vterus, in quo habitasti nouẽ mensibus. *Venter tuus, sicut crater.* Cantic. 7. Itẽ aqua nostræ absolutionis; de qua Dominus, Ezech. 36. *Effundã super vos aquam mundam*, quia vterus eius est *fons patens domui Dauid.* Zachar. 13. Item medicamentum nostræ curationis. Vnde Eccles. 38. *Altissimus creauit de terra* virginalis vteri *medicinam*, id est, Christum. Item Viaticum, siue victualia nostræ peregrinationis; nam vterus eius fuit nauis continens panem viuum, qui

Prou. 20.

Eccle. 38.

Psal. 45.

Luc. 1.

Luc. 11.

D

Cant. 7.

Psal. 35.

Ezech. 36.

Zach. 13.

Eccle. 38.

Dan.4. de cœlo descendit, *& esca vniuersorum in ea.* Dan.4. Item pretium nostræ redemptionis, quia ipse fuit *sacculus* illius pecuniæ, *Prou.1.* qua sumus redempti. De quo Prouer.1. dicitur. Item præmium nostræ remunerationis in cœlo, &c. sequitur, *& beata vbera, quæ suxisti*: ornatus vberum in congrua dispositione, duritia, & parunitate consistit quo ad virgines. De vberibus Beatæ Virginis dicitur, *Cant.1.* Cantic.1. *Meliora sunt vbera tua vino,* *Ibid.* *&c.* Ibidem: *Memores vberum tuorum super vinum, recti diligunt te*: vbera Virginis possunt dici dilectio Dei, & proximi, quibus sensus suos nutriebat, vel vbera signant virginitatem, mammæ fœcunditatem. Item de mammis matris dicit ei Filius, Canticorum *Cant.4.* 4. *Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea, Sponsa. Pulchriora sunt vbera tua vino, &c.* dicit quidam, quòd vbera propriè sunt virginum, & mammæ, siue mammillæ matronarum, & Beata Virgo vtrumque habere dicitur, scilicet, vbera, & mãmas, quia & Virgo est, & mater, quod nulla alia; dicitur ergo, *quàm pulchræ sunt mammæ tuæ, &c.* Quid enim pulchrius in oculis peccatoris afflicti, quàm pietas, & misericordia, quæ signantur in vberibus, & mammis Beatæ Virginis? vnde ipsa dicit Filio suo pro peccatoribus intercedens; cum iratus fueris, misericordia recordaberis. Omnino siquidem lac, quod sancta labia Domini expresserũt, & traxerunt à maternis vberibus, ipsum delectauit, & quadam inenarrabili dulcedine inebriauit, ne recordaretur de cætero, sed nobis facilè condonaret irrogatas sibi iniurias, & largiter nobis daret gratias, & virtutes in præsenti, & in futuro gloriam sempiternam.

Septima Stella primæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd Filium suum pannis inuoluit. Octaua, quòd eum reclinauit in præsepio.

Luc.2. DE his duabus Stellis dicitur, Lucæ 2. *Et pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio.* Ad eadem, & similia obsequia paruulo Iesu exhibenda hortamur. Exod.2. vbi dicitur: *Accipe puerum, & nutri mihi, & dabo tibi mercedem.* Ad litteram verba ista exponuntur de Moyse, & quatuor in eis attendere debemus, scilicet, personam, quæ loquitur, cui, & de quo, & quid loquatur. Persona, quæ loquitur, filia Pharaonis est, cui loquitur mater pueri est. Puer, de quo loquitur, *Exod.2.* Moyses est, quid loquatur, ecce, *Accipe puerum, &c.* Origenes, & Isidorus in glossa exponũt allegoricè de Christo, & de Ecclesia. vnde dicit Glossa super locũ istũ: Filia Pharaonis est Ecclesia de gentibus, quæ dum descedit, dum ad aquas egreditur, dũ lauatur in flumine, dũ Moysem tollit sibi, figurã Ecclesię gerit, quæ descendit humiliando se, lauatur baptismate, tollit Moysem sibi, dũ Christum induit imitatione, Moyses enim, qui interpretatur raptus ab aqua Christus est, aqua enim humanũ genus designat, quia aquę multæ, populi multi. Moyses ergo sumptus de aquis est humana natura à Filio Dei assũpta. Hunc Moysem cernens filia Pharaonis paruulum elegantem misertа eius, dixit: De infantibus Hebræorum est hic; sic enim venustauerat eum, vt etiam ab hostibus alimento dignus haberetur, & refert Iosephus, quòd adeo pulcher erat, vt nullus adeo seuerus esset, qui eius aspectui non inhæreret; multi quoque dum cernerent ipsum per plateas portari, occupationes, in quibus studebant desererent, illum designans, *qui decorẽ* *Psal.103* *induit, amictus lumine, sicut vestimento*, qui in humana natura speciosus est forma præ filijs hominum, in quem Angeli prospicere desiderant, cuius pulchritudinem Sol, & Luna mirantur, in diuina natura splendor est Patris, & figura substantiæ eius. Hunc Moysem hodie filia quondam Pharaonis, scilicet Ecclesia tollens de fiscella scirpea intùs, & foris bitumine, ac pice linita tradit matri pueri nutriendum, fiscella hæc scirpea est B. Virgo MARIA, quæ benedictum fructum ventris sui omnibus communicauit, & verè fiscella, quam Pater Moysi, id est, Deus Pater Domini nostri Iesu Christi virtumine, quod feruidum, & indissolubile glutẽ est, id est, charitate, quæ nunquam excidit, & pice, quæ propter nigredinem humilitatem signat, liniuit intus, & extra, ita vt in ea nihil intrare posset fluxæ voluptatis, quia sola inuiolata permãsit, & benè dicitur fiscella scirpea pro eo, quia scirpus viridis est gracilis, acutus, erectus, enodis, plenus, medullis interius, candidus instar niuis; viror scirpi virginitatem signat; scirpus omni tempore viret, & Beata Virgo ante partum, & post, in integritate permãsit: gracilitas verò paupertati, & sobrietati cõuenit; fuit enim gracilis, quia pauper, & tenuis, & cœlestibus attenuata disciplinis; vnde Cant. 3. *Sicut virgula fumi* *Cant.3.* appellatur, acumen naturali ingenio competit, quod in ea acutissimum, & subtilissimum fuit. Vnde Luc.1. *Quomodo fiet istud?* *Luc.1.* *&c.* fuit & recta per intentionis puritatem, & erectionem ad superna per iugem contemplationem; fuit etiam enodis sine nodo peccati, & plena medullis, scilicet, omnium gratiarum, quia gratia plena, de hac fiscella hodie hunc Moysem filia quondam Pharaonis accipiens tradit matri pueri nutriendum, & hoc adducente sorore

pueri

pueri matrem eius, sed quæ est mater pueri, aut quæ est soror eius? ipsum interrogemus: Dic nobis puer, quę est mater tua? &c. Respõ det: *Mat.* 11. *Quicũque fecerit voluntatẽ Patris mei, qui, &c.* Si ergo facimus voluntatẽ Dei, sumus mater pueri; nobis ergo traditus ad cu- *Leuit.* 2. stodiendũ est; nobis dicitur: *Accipe puerũ, & nutri mihi, &c.* Christus dicitur puer, nõ tãtũ propter infãtilẽ ætatẽ, sed ipso pueri vocabulo eĩ' paruitas, & teneritudo, & dulcedo exprimitur; magnus enim paruulus factus est: *Hier.* 23. Verbũ enim abbreuiatũ fecit Dominus super terrã, cœlũ, & terrã ego impleo, ait ipse per Prophetã. Ecce quã magnus; sed nunc *Verbũ* *Ioan.* 2. *caro factum est*, & in angusto locatũ, scilicet in præsepio, ecce quàm paruulus *à sæculo, &* B *Psal.* 89. *vsque in sæculum, ipse est Deus*, dicit Psalm. 89. ecce quàm immensus, sed hodie factus est infans vnius Dei, ecce quantum se abbreuiauit, humiliauit, exinaniuit Dominus maiestatis, vt nos sic faciamus. Bernard. Intolerabilis impudentiæ est, vt vbi se exinaniuit maiestas, ibi vermiculus insletur, & intumescat, &c. ad exprimendam hanc teneritatem, & paruitatem puer vocatur, cùm dicit: *Accipe puerum*; & sequitur, *& nutri mihi*, cum maxima diligentia, & vigilantia, & solicitudine solent nutriri isti pueri, & solent nutrices multùm laborare circa pueros suos nutriendos, & specialiter circa tria est earum cura, fouent balneis, cubant cunabulis, ci- C bant lacte, & seruitiunculis. Valneum, quod appetit puer noster, luctus est, luctus dico pro proprijs, vel proximi peccatis, pro incolatu huius miseriæ, & pro desiderio patriæ. Vnde iste puer, vt nos luctum doceret, flens, & lugens ingressus est mundum: & ergo Eccle- *Sap.* 7. siastes ait: *Ipse natus communem accepi aerem, & primam vocem, sicut cæteri, emisi plorans*, de balneo in cunabulo puer reclinãdus est, cunabulum illud fidem dicere possumus. Vnde Apostol. Ephes. 3. dicit Christum *Ephes.* 3. *per fidem habitare in cordibus nostris*, ipsum ergo in cunabulis fidei cubauimus, si in nocte *Abac.* 3. ista Dominicæ Natiuitatis sacramenta fideliter pensauimus, si iacentem in præsepio in- D ter duo animalia verum Deum, & hominem cum Propheta agnouimus, & deuotè adorauimus; sed ne duritia in cunabulis grauetur puer noster, tener enim est. Cunas stramine impleamus, stramini sagum, sago duo linteamina munda, & candida apponamus; deinde ceruical ad caput, & quodam vellere cubam, aut pellibus agnorum cooperiamus, ne algeat; frigus enim est, stramen, quod dicitur à sternẽdo, humilitas est, quæ semper ad ima se externit; sagum, quod debet superponi, animi quietem significat, & in his duobus quieuit puer noster, ipso dicente per E- *Esai. vlt.* saiam vltim. *Super quem requiescet spiritus, &c. Nisi super humile.* Ecce stramen, &

A quietum, ecce sagum, linteamen inferiùs, super quod immediatè iacet puer, est omnimoda carnis munditia, *quoniam incorruptio facit proximum Deo* linteolum superius, quod habet puer præ oculis, est mentis munditia, in qua tantùm delectatur, quo talibus promittit suæ visionis refectionem. *Sap.* 7. Matthæi 5. *Beati mundo corde, &c.* Vbi non sunt ista linteamina, puer non requieuit, *Matth.* 5 quia *in maleuolam animam non introibit sapientia*, scilicet, vbi non est munditia, nec *habit abit in corpore subdito peccatis.* Sapiẽtia 1. Si autem ista linteamina aliquando *Sap.* 1. fuerint, maculata in cõtritione, & confessione, lauantur. Ceruical ratione plumarum est feruens desiderium, plumæ enim auium sursum eleuant, & bonum desiderium eleuat hominem à terrenis, & de terreno cœlestem facit, hoc desiderium habebat Apostolus, qui cupiebat dissolui, &c. & alibi; posteriorum oblitus, &c. Et nostra conuersatio in cœlis est. Et Psalmus 37. *Domine, ante te omne desiderium meum*, deinde cooperiendus *Psal.* 37. est quodam vellere charitatis, & agninis pellibus bonæ simplicitatis; hoc enim cooperiorium multum desiderat, quia vbi charitas est, manet ipse, & cum simplicibus sermocinatio eius; puero autem sic balneato, & in cunabulis reclinato danda sunt ei sua alimenta, lac, & sorbitiuncula; lac MARIÆ, & non alius appetit puer iste, quia eo solo nutritus est; sola enim Virgo lactabat vbere de cœlo pleno, lac candidum est dulce. MARIA amaritudo sonat; lac ergo MARIÆ puero præbet, qui præ amoris magnitudine non sentit, quas patitur molestias vitæ, cui & vigiliæ breues, & cibi aridi dulces, & panni suaues, & quicquid ad disciplinam pertinet, non solùm tolerabile, sed appetibile videtur. Sorbitiuncula eum pascit, qui gratus, & memor tanti beneficij sibi collatæ Beati Trinitati supernenarrabilibus donis eius deuotè gratias agit; Patri, quia misit; Filio, quia obediuit; Spiritui sanctò, quia totum præparauit, & hoc mysterium Sanctæ Trinitatis sorbitiuncula repræsentat. In qua similia Patrem, sal sapientiam, id est, Filium, aqua Spiritum sanctum designat, & sicut in sorbitiuncula, hæc tria vnum quid faciunt, & tamen saporeinuicem distinguuntur, ita & in Beata Trinitate est in personis trinitas, id est, substantię vnitas, &c. Iam non restat nisi obdormire puerum; vnde ponamus manus ad cunas, id est, fidei opera iungamus, vt sit fides operans per dilectionẽ, alioquin mortua est, & moueamus cunas ad dextram, & ad sinistram, vt tam ad amicos, quàm ad inimicos charitas pietatis opera extendat, & hoc cum cantu, & hilaritate. *Hilarem enim datorem* *2. Cor.* 9. *diligit Deus.* Istæ enim nutrices solent pul-

cherrimè cantare, & nos cum exultatione mentis in Spiritu sancto cantemus, & psallamus in cordibus nostris Domino, dicentes: Gaude Dei genitrix, &c. His studijs soluitur puer in soporem, hic est modus nutriēdi puerum. Accipe itaque puerum istum, *& nutri mihi.* Accipe, inquit, inter vbera, quia fasciculus mirrhæ. Accipe inter brachia, quia botrus cipri: accipe super genua, quia flos, vel calatus florū campi, & super humeros porta illum, quia saccus, in quo omnes thesauri absconditi sunt. Accipe itaque, & *nutri mihi*, & dabo tibi mercedem, quam oculus non vidit, nec auris audiuit.

A

Nona Stella primæ Coronæ B Virginis est de osculis, quibus B. Virgo sæpè suum filium fuit dulciter deosculata. B

PVlchritudo oris consistit in debita labiorū corolatione, & moderata grossitie, & modesta ipsius oris fissione, vel apertione. Debita verò labiorum coloratio est, vt exteriùs habeant colorem lilij, interiùs rosæ. Vnde Cant. 4 *Sicut vitta coccinea labia tua.* Et Cant. 5. *Labia eius lilia distillantia mirrhā primam.* Quod verè sentiendum est de labijs Beatæ Virginis, quæ pudica erant, quoad lilium charitatiuā, in precibus, quo ad rosam. A superflua grossitie præseruabantur per humilitatem, quando dicebat: Ecce ancilla Domini, & à nimia tenuitate, cùm diceret: Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna, qui potens est. Talibus autem labijs oportebat labijs filij, qui candidus est, & rubicūdus, propinari fœlicia oscula reconciliationis humanæ. In quibus, scilicet, labijs esset puritas, charitas, humilitas, & materna auctoritas, ex quo etiam assecura est fœlix illud osculum, quod petebat, Canticorum 1. dicens: *Osculetur me osculo oris sui.* Fecit ipsa osculum nouum inter omnes creaturas, scilicet, inter cœlum, & terram, inter diuinam naturam, & humanam, inter virginitatem, & fœcunditatem, inter cor humanum, & fidem inter Deum, & hominem, inter Angelum, & hominem; inter hominem, & hominem, scilicet, Iudæum, & Gentilem. Quæ omnia maximè discordabant, & facto illo osculo, omnia sunt inuicem osculata. Ideo etiam appellatu ipsa columba, quæ inter omnes aues sola osculum nouit. Ideo de labijs MARIÆ dicit Pater Esai. 57. *Creauī fructum labiorum pacem.* Item à dulcedine labiorum commendat filius matrem. Canticorum 4. dicens: *Fauus distillās labia tua, mel, & lac sub lingua tua, &c.* Credibile est enim, quòd Virgo mater sæpissimè deoscularetur filiū tā dilectum, & è cōuerso filius matrē suam, quasi satisfaciens illi maternæ petitioni, *Osculetur me osculo oris sui*, & maximè cū paruulus esset, & sederet in gremio eius. Vnde August. in quodā sermone de Assumptione B. Virginis. O fœlicia oscula labris lactentis impressa, cū inter crebra indicia reptantis infantię verus ex te filius hominis tibi matri alluderet. Cùm verus ex Patre Deus Dei genitus imperaret. Et ideo cōmendat eā à dulcedine labiorū ad litterā, & mysticè à dulcedine eloquij distillantis, quia cōmuniter, quòd notatur in distillatione huius faui, Deū exorabat pro genere humano, propter quod dixerat ei paulò superiùs, *eloquiū dulce.* Et sequitur, *Mel, & lac sub lingua tua* mel, & lac, id est, omnimoda dulcedo, vel per mel dulcedo sapiētiæ, quæ datur per eam, & ipsius preces maioribus, per lac simplex doctrina, quæ cōpetit minoribus. Sub lingua, id est, meditatione cordis, & hæc tibi est à melle meæ diuinitatis, & à lacte meæ humanitatis; vel sic, tanta est dulcedo spiritualis in verbis tuis, quanta corporalis in melle, & in lacte, & hoc sub lingua tua, quia non cuilibet patet, sed his tantùm, quibus datum est experiri: *Non enim sunt margaritæ spargendæ ante porcos.* Matth. 7.

C

D

Decima Stella primæ Coronæ B Virginis est de Cantu Angelorum, & de Visitatione Pastorum.

GLoria in Altissimis Deo, *& in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. 2. legitur Gen. 40. quòd Pharao habuit duos inimicos, scilicet, Pincernā, & Pistorē in carcere, sed in die natalis sui vnū recepit in gratiā, alterū suspendit in patibulo; sic Christus duos inimicos habuit, vnū sibi recōciliauit per gratiā, & misericordiā, scilic. hominē, aliū, scil. dæmonē superauit per sapiētiā, & iustitiam, & hoc in die natalis sui, vnde dicunt Angeli: *Gloria in Altissimis Deo*, pro dæmone superato, *& in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, pro homine recōciliato. Volēs autē Deus recōciliari homini ex sua misericordia, quæsiuit per internūcios, quid homo cōtra eum haberet Mich. 6. *Populemeus quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? responde mihi*, Homo verò ante tēpus placiti fui, scilicet, tandag sex causas per aduocatos suos Deo proposuit, Querebatur primò, quòd Deus esset nimis abscōditus, & ideo difficile inueniretur per aduocatum, Esai. 45. *Verè tu es Deus abscōditus*, quasi diceret homo: Tu me quæsiuisti in dimidia die, & inuenisti dicēs: *Adam vbi es?* Et ego te iam per quinque millia annorum quæro, & non inuenio. Testis Iob: *Cur faciē tuā abscōdis? &c.* Cōfitetur Deus, Exod. 33. *Faciē meam videre nō poteris, non enim videbit me homo, & viuet.* Secūdò querebatur, quòd nimis esset altus, & ideo difficilè inuocaretur, hoc proposuit aduocatus

Luc. 2.
Gen. 40.
Mich. 6.
Esai. 45.
Genes. 3.
Iob. 13.
Exod. 33

Da-

duobus sponsa testatur Cant. 5. *Quæsiui, & non inueni illum*, propter præmium: vocaui, & non respondit propter secundum, & Dominus perdidit seipsum. Eccl. 24. *Ego in altissimis habito*. Tertiò, quia nimis magnus, & ideò difficilè laudaretur. Psal. 144. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis*. Eccli. penult. *Glorificate Deum quantùm potestis*. Et parua adhuc. Item *cœlum, & terram ego impleo*. Quartò, quòd nimis fortis, & ideo difficile tolleretur. Iob 9. *Si fortitudo quæritur, robustus est*. Psal. 38. *A fortitudine manus tuæ ego defeci*. Item Exod. 3. *Non dimittet vos Pharao, nisi per manum validam*. Quintò, quòd nimis faciendus, & ideò difficile conueniretur. Iob 9. *Si voluero contendere cum eo, non respondebo ei vnum pro mille*. Item Exod. 4. *Quis fecit cor hominis? &c.* Et si tu es impeditæ linguæ, sed ego facundus sũ. Nota in scholijs historiæ, quare Moyses fuit impeditæ linguæ. Sextò, quia nimis iracundus, & ideò difficile placaretur, Iob 9. *Deus, cuius iræ nemo resistere potest*. Psalmus 89. *Quis nouit potestatem iræ tuæ, &c.* Qui de septuaginta millia hominum occiditi, nisi pro modica superbia vna die. Alius testis Moyses. Exod. 15. *Misisti iram tuam, quæ deuorauit eos sicut stipulam*, sicut Pharaonem cum seruis suis. Item *aperta est terra, & deglutiuit Datan*. Et quasi omnes præter duos occidisti in deserto. *Ipsi non cognouerunt vias meas, quibus iuraui, &c.* Dominus autem hæc omnia audiens in tempore statuto homini satisfecit. Tempus placiti est dies natalis. Gal. 4. *At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum*. Nascitur igitur Dominus in domo aperta, vt facilè inueniatur contra primum. Item reclinatur in præsepio, vt facilè inuocetur contra secundum, vnde consulit nobis aduocatus noster. Esai. 53. *Quærite Dominum, dum inueniri potest*, contra primum. Inuocate eum dum prope est, contra secundum. Item nascitur paruulus contra magnitudinem, & ideo placari potest paruo pomo, & huiusmodi. Item pannis inuoluitur contra fortitudinẽ, & manus, pedes, crura stricta cingit fascia, scilicet, mater. Accede ergo ad eunam, & pete veniã; quia paruulus est, & ligatus, & te repellere non potest. Nam si ascenderit in cœlum, fortior erit, & si adhuc times, ne fortè propter fortitudinem suam frangat fasciã: ideo permittit manus, & pedes cruci affigi. Item inuenitur infans contra facundiam. Luc. 2. *Inuenies infantem*. Propone ergo contra eũ quicquid ais; quia se defendere nescit quantum ad hoc. Item dicitur puer contra iracũdiam, quia puer iratus citò placatur. Mat. 2. *Intrãtes domũ puerũ inuenerũt*. De his ergo quærelis facta est stabilis reconciliatio inter Deum, & hominem; quia sororem nostram scilicet, humanam naturam duxit in coniugium. Psal. 18. *Tanquam sponsus*. Vnde dicunt Angeli bonos rumores, scilicet, in terra *pax hominibus bonæ voluntatis*. Quantũcumque etiam peccauerunt in præterito, si tamen in futuro sicut bonæ voluntatis. Sic ergo pincerna, id est, pœnitens, qui propinat Deo vinum compunctionis, recipitur in gratiam, sed pistor, scilicet, induratus peccator damnatur ad mortem. De secundo principali, scilicet, de pastorum aduentu, ait Euangelista: *Venerunt festinanter, & inuenerunt MARIAM, & Ioseph, & infantẽ positum in præsepio*. Sicut Saluatoris infantia manifestam prætendit humilitatem, sic per Virginem continentia. Iustitia per Ioseph, virum iustum, cuius laus est in Euangelio, non incongruè designatur, &c. Vt ergo semper in nobis inueniatur MARIA, & Ioseph, & infans positus in præsepio, *sobriè, & piè, & iustè in hoc seculo viuamus*: de hoc latiùs quære in sermone quarto beati Bernardi in Natiuitate Domini.

Canti. 5. Eccl. 24. Psa. 144. Hier. 23. Iob 9. Psal. 38. Exod. 3. Iob 9. Exod. 4. Iob 9. Psal. 89. Exod. 15 Psal. 105. Galat. 4. Esai. 55. Luc. 2. Matt. 2. Psal. 18. Luc. 2. Tit. 2.

Vndecima Stella primæ Coronæ est de Magorum adoratione, & oblatione.

Apertis thesauris suis, &c. Mat. 2. Magi inuento puero aperuerunt thesauros suos: in quo moraliter informamur, vt thesauros nostros in via non pandamus, donec præteritis hostibus, soli Deo ex occultis cor diũ offeramus, & obtulerũt singuli puero Iesu aurum, thus, & myrram: traditio fuit antiquorum, vt nullus ad Deum, vel ad Regẽ vacuus, & sine muneribus introiret. Secundũ Bernard. Obtulerunt auri prætium ob paupertatẽ, scilicet, ad pauperis matris, & filij sustentationem, thuris adoramentum ob sordidã stabuli mansionem, & contra loci fœtorem, myrrhæ vnguentum ob infantuli, vt assolet, corporis teneritudinẽ, & debilitũ membrorũ pueri, scilicet, consolidationem; quia ergo obtulimus Christo sua, offerimus ei & munera nostra. Quòd enim Regem, & Deũ, & hominem cùm esse credimus, suum est: nostra verò sunt, quæ nobis à Deo dãnata sunt. Sunt enim in nobis tria Deo placẽtia, & hæc offeramus. Primum est anima nostra, quæ notatur per aurum, quia sicut auro nihil est nobilius, pretiosius, & pulchrius, sic nihil nobilius, prætiosius, vel pulchrius anima coram Deo reputatur, & ergo vitam suam pro animarum salute donare dignatus est. Secundũ est corpus nostrum, quod per myrrhã signatur. Myrrha enim est amara, & corpus est amarizandum per castigationem, & passiones, sicut sanctus Paulus de se ipso dicit: *Castigo corpus meum, &c.* Tertium est, conuersatio nostra, & honesta in vtroque, scilicet, in corpore, & in anima, & hoc designatur in thure. Thus autẽ non redolet, nisi igne cremetur, sic conuersatio nostra non redditodo-

Mat. 2. 1. Cor. 9.

odorem Deo, nisi cremetur igne tribulationis. Debemus etiam offerre Christo aurum dilectionis, eoquòd pro nostra salute subijt pœnã pẽsionis, ac thus deuotæ laudis per gratiarũ actionem, & myrrham cõpassionis, per mortis eius recordationem. Figura huius noui Regis, & huius oblationis præmonstrata fuit in regno Salomonis. Salomon residebat in throno de ebore candidissimo, qui
3. *Reg.* 1. vestitus erat *auro purissimo*, vniuersi Reges terræ Salomonem videre cupiebant, & ei munera pretiosissima apportabant, sed Regina Sabba talia, & tanta munera ei offerebat, qualia, & quanta in Hyerusalem visa non erãt. Thronus viri Salomonis est Beata Virgo MARIA, in quo residebat Iesus Christus vera sapientia, hic thronus factus est de ebore candido, & auro puro; ebur propter sui candorem, & frigiditatem designat virginalis munditiæ castitatem, sed ebur antiquum in ruborem vertitur, sic longa castitas martyrium reputatur; aurum, quia in valore præcellit omne metallum, signat charitatem, quæ mater est omnium virtutum. MARIA ergo dicitur eburnea, propter virginalem castitatem, & auro vestita propter perfectissimam charitatem, & pulchrè virginitati coniungitur charitas; quia serie charitate coram Deo nihil reputatur virginitas. Thronus Salomonis super sex gradus erat exaltatus, & MARIA superexcellit beatorum sex status, scilicet, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, & Virginum. Duodecim leunculi super sex gradus thronum exornabant: quia duodecim Apostoli MARIÆ tamquam Reginæ Regi ministrabant, vel quia duodecim Patriarchæ progenitores MARIÆ erant. Summitas throni erat rotunda; quia MARIA erat sine angulo sordium, & tota munda; duæ manus sedile hinc, & inde tenebant, quia Pater, & Spiritus à matre filij nunquam recedebant; tandem Magi deuotè, & reuerenter pedes pueri deosculatæ sunt, & cùm redire vellẽt, responsum acceperunt in somnijs per diuinam reuelationem, ne ad Herodem redirent; quia cognita veritate non licet retroire. Piè autem credi potest, quòd Domina paupertatis amatrix zelans fortiter pro paupertate, & intelligens filij sui voluntatem, totum aurum intra paucos dies pauperibus errogauit. Vnde, quando intrauit templum, non habuit, de quo agnum emeret, quem offerret pro filio, sed emit turtures, vel pullos columbarum, quæ erat pauperum oblatio.

(.§.)

A

B

C

D

Duodecima Stella primæ Coronæ Beatæ Virginis est de filijs sui in templum præsentatione.

POstquam completi sunt dies purgationis eius, &c. Luc. 2. Deus æternus in incarnatione factus est puer, & hoc propter duas rationes. Primò, factus est puer, vt ostẽderet se velle nutriri, & portari ad modum pueri à nobis. Exod. 2. *Accipe puerum, & nutri mihi, &c.* vt sup. Ruth 4. *Susceptumquè Noemi puerum posuit in sinu suo, & nutricis, ac ferulæ officio fungebatur.* Nutritur autem iste puer per cordis deuotionẽ. Esai. 49. *Erunt Reges nutricij tui, & Reginæ*, id est, animæ sanctæ, & viri sancti *nutricis tuæ*, & subdit modum *in terram vultu demisso adorabunt te, puluerem pedum tuorum lingent*, præ deuotione. Portatur autem per bonam operationem. 1. Cor. 6. *Glorificate, & portate Deum in cordibus vestris.* Vel nutritur benè operando, secundùm illud Ioan. 4. *Meus cibus est, vt faciã voluntatem Patris mei*, sed portantur mala sustinendo. Sed notandum, quòd quidam portant Christum in vlnis suis, sicut Simeon. Hi sunt obedientes: interpretatur enim Simeon, audiens merorem, quando scilicet aliquid à Prælato contrarium voluntati eius iniungitur, & ad portandum traditur in vlnas, non in ore tantũ, sicut illi de quibus Hyerem. 12. dicit: *Prope es tu ori eorum.* Quidam autem portant, vt MARIA, qui ipsum per bonum propositum concipiunt, vel ad annũciationẽ Angeli, gratiæ, vel Prædicatoris. Esai. 27. *A timore tuo Domine concepimus spiritum salutis*, sed multi sunt, qui fœtidum extinguunt. 2. Thes. vlt. *Spiritum nolite extinguere.* Multi tamen, etsi non extinguũt, tamen contra naturam nimis diù portant, scilicet, aliquando per annum, vel per viginti annos sine operis executione, dicentes cum coruo, cras, cras. Quidam portant eum, sicut asina super dorsum, quibus omnia, quæ Dei sunt, onerosa sunt. Eccl. 6. *Quàm aspera est nimium sapientia hominibus indoctis.* Quidam etiam portant eum, sicut Crucem, quam ipse portauerat, & hoc per beneficiorũ, & maximè ipsius passionis recordationem. Hæbreor. vltim. *Exeamus ad eum extra castra improperium eius portantes.* Quidam non portant Dominum, sed Dominus portat eos. Isti sunt, qui nihil pro Domino sustinere volunt, sed sem per viuere in pace; benè comedere, benè bibere, & alia, quæ corpori sunt suauia facere, & credunt ita saluari, quia custodiunt se à peccatis. Cor. 10. *Qui stat, videat ne cadat*, qui stat per ignorantiam, videat ne cadat per negligentiam, vel pigritiam. Secundò, factus est puer, vt pueritiam spiritualem nobis commendaret, & ad eandem seruandam nos in-

Luc. 2. *Exod.* 2. *Ruth.* 4. *Esai.* 49. 1. *Cor.* 6. *Ioan.* 4. *Hier.* 12. *Esai.* 27. 2 *The.vl.* *Eccl.* 6. *Heb.vlt.* *Corin.*10.

inducerent exemplo suo, de quo dicit 1. Co-
1. *Cor.* 14 rinth. 14. *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote*, huiusmodi puericia in multis attenditur. Primò enim attenditur in vitæ, vel innocentiæ puritate, ipse enim solus est, *qui peccatum non fecit, nec inuentus*
1. *Pet.* 2. *dolus in ore eius*, 1. Pet. 2. & de isto puero di-
Esai. 11. cit Esai. 11. *Puer paruulus minabit eos*, id est, exemplo suo gubernabit, ipse enim ab instanti natiuitatis suæ nos minare, id est, gubernare exemplo suo cæpit, Esai. 11. ipsum vocat,
Esai. 11. *Puerum* propter puritatem; puer enim dicit quasi purus aer, secundò attenditur in voluntaria subiectione, siue obedientia, solet pueri parentibus esse subiecti, sic iste parentibus suis, scilicet, MARIÆ, & Ioseph volutarie se sub
Luc. 2. B didit, Luc. 2. *Et erat subditus illis*, & pro-
Galat. 4. pter hoc dicit Apost. Galat. 4 *Quãto tẽpore hæres paruulus est, nihil differt a seruo cũ sit dominus omnium*, formã serui accipiens, MARIÆ, & Ioseph subditus fuit vsque ad tempus præfinitum à Patre. Tertiò attenditur in sua humilitate, *Humiliauit enim se formam*
Philip. 2. *serui accipiens, &c.* ad Philip. 2. Cũ enim esset magnus dominus, & laudabilis nimis, modò factus est paruulus, & amabilis nimis, sicut dicit Bernardus; & ideo benè prophetauit de ipso, Esai. 60. *Minimus esset in mille,*
Esai. 60. *& paruus in gentẽ fortissimam.* Quartò attenditur in parua sui reputatione: volent enim pueri parui, siue parum reputari, sic & C puer noster parum reputatus est. Quis enim reputaret ipsum, videns eum iacentẽ in præsepio, & tendentem in patibulo, ideo benè
Esai. 53. prophetauit de ipso, Esai. 53 *Vultus eius despectus*, vnde, *nec reputauimus eum*; sed propter hoc dicitur Abdiæ 1. *Ecce paruulũ de-*
Abd. 1. *dite in gẽtibus, cõtẽptibilis tu es valde.* Quintò attenditur in charitate; vnde pueri diligunt se mutuo; vnde dicitur Ioan. 13. *Man-*
Ioan. 13. *datum nouum do vobis, &c.* quoniam ipse dilexit nos; nam secundũ Bernardum vehementi ardore dilexit nos, &c. Sextò attenditur
2. *Cor.* 6. in pacientia. Pueri enim non repercutiun, 2. Corint. 6. *In omnibus exhibe nos metipsos, &c.* Fuit enim puer iste patiens, sicut dicit D
Esai. 53. Esai. 53. *Sicut ouis ad occisionem, &c.* Istis modis debemus esse paruuli, quia qui istis modis voluerit esse paruulus, & istum paruulum imitari, triplicem mercedẽ, siue triplex commodum cõsequetur. Primò enim ab isto
Psal. 114 puero protegetur, Psal. 114. *Custodiens paruulos Dominus.* Secundò ab eo docebitur, &
Psal. 18. instruetur, Psal. 18. *Declaratio sermonis tui dat intelligentiam paruulis.* Tertiò, ab ipso in Regno cœlorum coronabitur, Matth. 19.
Matt. 19. *Sinite paruulos venire ad me, &c.* Matthæi
Mat. 18. 18. *Quicumque humiliauerit se,*
In eodem: *Nisi conuersi*
fueritis.

A SECVNDA CORONA, ET prima Stella eiusdem.

SEcunda Corona capitis B. Virginis MARIÆ est Corona saluationis, quia per eã omnes saluati sumus; vnde meritò toties coronatur, id est, laudatur, & magnificatur, quoties aliquis per eã saluatur. Duodecim Stellæ huius Coronæ sunt duodecim dignitates, quas prę omnibus alijs sanctis mulieribus B. Virgo habuit. Prima Stella est, quia est Mater misericordiæ. Secũda, quia est Ciuitas Regis iustitiæ. Tertia, quia humilis ancilla Domini. Quarta, quia inuẽtrix gratiæ. Quinta, quia genitrix vitæ. Sexta, quia Regina cœli. Septima, quia Domina mundi. Octaua, quia Virgo incõparabilis puritatis. Nona, quia subselium, siue domus S. Trinitatis. Decima, quia singulare agalma Deiformitatis. Vndecima, quia filialis dextrisodia maiestatis. Duodecima, quia Sacrariũ, & digna mãsio Spiritus sancti.

Prima ergo Stella, & secũdæ Coronæ Virginis est, quòd ipsa est Mater misericordiæ; vnde B. Virgo, vt Albert. Magn. dicit, secundũ vniuersalem vsum Ecclesiæ appellatur, & est Mater misericordiæ, quod non conuenit propriè alicui alteri creaturæ. Dicuntur autẽ & aliquãdo viri misericordiæ, id est, viri humiles misericordia. Et sic habẽt omnes Angeli cõparationẽ ad misericordiam per modũ principalem, & per modum accidentalẽ. Ipsa vero habet cõparationem ad misericordiã, per modum originis essentialis, quia per modum matris. Conuenientia autem essentialis improportionabiliter excedit modum inhærentiæ, & modum accidentalem. Igitur Beatissima Virgo improportionabiliter excedit in misericordia vniuersos. Hæc ille. Item duo sunt Regna. Vnum, quod Regnum iustitiæ dicitur, & erit in futuro, in quo vnusquisque recipiet, prout hìc *gessit in corpore, &c.* Aliud est Regnum gratiæ, siue misericordiæ, vbi nondum recipitur secundùm merita, sed adhuc regnat misericordia, peccata dimittendo, pœnas diluendo, bona multiplicando, mala differendo. Huius autem Regni, & origo, & potestas prima est à Beata Virgine, *per quam suscepimus misericordiam tuam Deus in medio templi tui.* Iesum Christum, per quem misericordia, & veritas facta est. Qui propriè modò regnat super eos, quos proprio sanguine redemit, & passione, & morte regenerauit. Et sibi figurauit donec in fine, omnibus cõpletis, tradiderit regnũ Deo Patri. Pater ergo, quòd omnes alij serui sunt misericordiæ B. Virgo mater misericordiæ. Item Ambrosius. Misericordia est nullum relinquere in miseria, & nullũ miserum facere. Hoc in summo fuit in Beatissima Virgine. Ergo *Psal.* 47.

habet beatitudinem in summo misericordiæ. Item quicquid est causa causæ, est causa causati, Beatissima Virgo est causa Filij, Filius est causa totius boni, & omnis misericordiæ. Igitur & mater erit causa totius misericordiæ, hoc autem non conuenit alij creaturæ. Item æquè propriè, & principaliter habebat duas naturas inconfusas Iesus Christus. Igitur, quæ propriè habet proprietates duarum naturarum. Vnde istæ sunt æquè propriè, Christus est Deus, Christus est homo; igitur, & hæc Christus natus est à Deo, Christus natus est ab homine; ergo etiam, & hæc. Christus est à Deo, Christus est ab homine, sed Christus omnes operationes attribuit Patri, à quo ipse est: igitur & Matri, à qua ipse est, attribuentur operationes eius, quæ conueniunt ei ratione humanæ naturæ, sicut & Patri operationes, quæ conueniunt ei ratione diuinæ naturæ; sed Christus in natura humana exhibuit nobis effectum summæ misericordiæ, scilicet, in passione; igitur Beatæ Virgini attribuitur effectus summæ misericordiæ, quod etiam patet in modo loquendi Ecclesiæ, scilicet, hodie mortem, quã fœmina intulit, fœmina fugauit. Item quia mors per fœminam intrauit, aptè reddit, & vita per fœminam. Et illud: mulier quæ damnauit, & ipsa saluauit. Quicquid ergo nobis misericordiæ filius exhibuit, totum hoc nobis mater contulit, quę filium genuit, in quo omnia nobis donauit, ex his patet, quòd Beatissima Virgo in misericordia excellit omnem creaturam. Vnde confidenter de ea quotidie canit sancta Mater Ecclesia: MARIA mater gratiæ, mater misericordiæ, quia illũ genuit, qui est misericordia nostra, de quo Propheta in Psalm. 38. dicit: *Adiutor meus tibi psallam, quia Deus susceptor meus es, Deus meus, misericordia mea.* *Psal. 58.* Super quo Sanctus Gregorius in homilia dicit: Ecce perpendens, in quibus laboribus sit humana vita, cõstituta Deum appellauit adiutorem. Et quia à tribulatione præsenti in requie æterna nos susceipit, appellat etiam susceptorem, sed considerans, quòd mala nostra aspicit, & portat, culpas nostras tolerat, & tamen per pœnitentiam nos ad præmia reseruat, noluit Deum misericordem, dicere, sed hunc misericordiam vocauit dicens: Deus meus misericordia mea. Hæc ille. Et quia Beata Virgo hunc genuit, iure, vt ostensum est, mater misericordiæ dicitur.

(?)

A *Secunda Stella secundæ Coronæ Beatæ Virginis est, quia est Ciuitas Regis iustitiæ.*

ISidorus. Ciuitas est concors hominum multitudo, societatis vinculo adunata, dicta à ciuibus, id est, ab ipsis incolis vrbis, pro eo quòd plurimorum conscisca, & contineat vitas; nam vrbs ipsa mænia sunt, ciuitas autem non saxa, sed habitatores vocantur. Vrbs autem vocatur ab orbe, quia antiquæ ciuitates fiebant in orbe. Hæc omnia Beatæ Virgini possunt adaptari, quæ est illa ciuitas, de qua in Psalmo 86. *Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei*: hæc gloriosa sunt, quòd Beatam dicunt eã omnes generationes. MARIA ciuitas, quæ dicitur quasi ciuiũ vnitas, id est, sensualitatis, & rationis plena concordia. Ciues huius ciuitatis sanctæ cogitationes, deuotæ affectiones, feruentia desideria, & huiusmodi, quæ omnia tendebant ad illud *vnum*, quod est *necessarium*, Luc. 10. regebãtur etiam ciues illi consilio Spiritus sancti, quia ciues consilio sunt regendi, & aduersarij fugandi, vel fugiendi, benè etiam ciuitas vnitas, quia nec ibi caro concupiscebat aduersùs spiritũ, nec spiritus aduersùs carnem, nec aliquid rebellionis, aut contradictionis in corpore eius, vel anima, cũ esset etiam Arca Noe, in qua omnia animalia, id est, motus sensualitatis fuerunt pacifica, & ideo summus habitator ibi pacificè hospitatus est, & ibi in pace factus est locus eius. Et ideo Beata Virgo meritò dicitur Ciuitas regis iustitię, dicitur etiam Ciuitas Dei, ad differentiã Ciuitatis *Babylonicæ*, quæ diaboli est, in quam Dominus non ingreditur, Oseę 11. Benè Ciuitas Dei, quæ tota fuit Dei, & nullius nisi Dei, quia nihil in ea habuit pars aduersa. Ideo dicit ipsa, Cant. 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Ideo etiam dilectus toties vocat eam suam in Canti. dicens: *Amica mea, Colũba mea, Soror mea, Spõsa mea*, & huiusmodi. Item Ciuitas Dei, quia sola digna tanto Regi, tanto Pontifice, tanto Fundatore, tanto inhabitatore, & huiusmodi. Ideo dicitur in Psal. 47. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis in Ciuitate Dei nostri, &c.* Cõmendatur autẽ ciuitas hæc à multis, & primò à fundamento; vnde *fundamenta eius in montibus sanctis*, ideſt, in Patriarchis, Regibus, & Prophetis. Ex quibus originem traxit, sicut patet in Genealogia Christi, Mat. 1. vel intrãsitiuè. Fundamẽta eius sunt mõtes sancti, scilicet, Abraham, Isaac, Iacob, Dauid, & cęteri. Itẽ erat hæc Ciuitas *fundata supra firmã petrã*, quæ est Christus, Mat. 7 Itẽ 1. Cor. 33. *Fundamentũ aliud, &c.* Item hæc Ciuitas cõmendatur à portis, vnde sequitur: *Diligit Dominus portas Siõ super omnia tabernacula Iacob*, dicitur B. Virgo Siõ, quia sicut Siõ erat

Psal. 86. *Luc. 10.* *Oseas 11.* *Cant. 2.* *Psal. 47.* *Matth. 1* *Matt. 7.* & 1. Co. 3

erat locus eminentissimus in Hyerusalem, sic Beata Virgo in vtraque Ecclesia. Portæ huius Sion fuerunt quinque sensus Beatæ Virginis, quia clausæ semper fuerunt contra omne noxium, & inhonestum. Vnde dici potest de quolibet sensu eius, illud Ezech. 44. *Porta hæc clausa erit Principi*, id est, Diabolo, qui non habuit in ea quidquam. Ioann. 14. Vel Principi, id est, peccato, quod regnat in quibusdam, contra quod Apostolus Roman. 6. *Non regnet peccatum in nostro mortali corpore*, vel Principi, id est, ad honorē Principis, scilicet, Christi. Item commendatur à fama, vnde: *Gloriosa dicta sūt de te*, per Patriarchas sub obscuritatibus figurarum, per Prophetas sub ænigmatibus verborum, vt est illud Esai. 7. *Ecce virgo concipiet*. Item eodem 11. *Egredietur virga*, &c. Item Numer. 24. *Orietur stella ex Iacob*. Item Cant. 6. *Viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicauerunt, & reginæ, & concubinæ laudauerunt eam*. Item ab vtilitate, quæ consistit in cōuersatione peccantium, in remissione peccatorum, in collatione gratiarum. Vnde sequitur, *Memor ero* ad miserendum, non ad puniendum. Neemi. 5. *Memēto mei Deus in bonum, Rahab, & Babylonis*, id est, peccatorum, si confundantur bona confusione, quæ *adducit gloriam*. Eccli. 4. Et ad signum matris misericordiæ confugiant, quæ est *ciuitas refugij*, Num. 35. vt ipsa mediatrice in filio suo satagant reconciliari. Item à ciuium multitudine, qui cùm priùs fuerint ciues Babylonis, per eam fient ciues Hierusalem. Vnde sequitur: *Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthyopum, qui fuerunt illic*. Remi niscere, id est, alieni prius à Deo, sed postea vim sibi facientes, hac auxiliatrice recipiunt regnum cœlorum, quod *vim patitur*. Matt. 11. Num. 24. Cadit, & sic aperiuntur oculi eius. Ideò dicitur tam matri, quàm filio. Sapien. 11. *Misereris omnium, quoniam omnia potes* Item à miraculi nouitate. Vnde sequitur: *Numquid Sion dicet homo, & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus*. In hoc enim consistit nouitas miraculi indicibilis, & hæc sunt gloriosa, quæ dicuntur de hac ciuitate Dei, scilicet, quòd Altissimus in quantum Deus *fundauit eam* priùs, & posteriùs fundationem natus est in ea, in quā tum homo. Prouer. 9. *Sapientia ædificauit sibi domum*, quæ non est aliud, quàm ciuitas Dei, de qua iam dictum est.

Ezec. 44. Ioan. 14. Rom. 6. Esa. 7. Idem 11. Num. 24. Cant. 6. Neem. 5. Eccli. 4. Num. 35 Mat. 11. Num. 24 Sap. 11. Proue. 9.

A *Tertia Stella secundæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd ipsa est humilis ancilla Dei.*

LIcèt Beata Virgo in omnibus factis suis humilis fuit, tamen in hoc singulariter eius humilitas apparet, quòd fuit desponsata cùm tamen firmum propositum, immo votū castitatis habuerit. Circa hoc Albertus Magnus in libro de Laudibus Beatæ Virginis, talem ponit quæstionē: quæritur de hoc, quòd Beata Virgo dicitur desponsata. Videtur enim, quòd legitimè non potuit desponsari. Ipsa enim habuit continentiæ votum, quod obligabat eam ad continendum: sponsalia autem obligant ad matrimonium, & matrimonium, debito tempore, ad soluendum debitum. Ergo si obligabat se ad sponsalia, venit contra votum suum. Item aut consensit in carnalem copulam, aut non, si sic: ergo primam fidem irritam fecit; quia talibus non tantùm nubere, sed etiam velle condemnabile est; si non consensit, ergo matrimonium nullum fuit, &c. Ad hoc dicimus, quòd ista desponsatio vtilis fuit, & possibilis; possibilis, quia licèt B. Virgo haberet votò continentiæ firmum; tamen potuit consentire in maritalem societatem, factam cum diuina inspiratione, vti quòd vterque vellet virgo permanere, & sic consensit in societatem maritalem, & non in copulam carnalem absolutè: quòd autem Augustinus dicere videtur, quòd consensit in carnalem copulam, non est intelligendum absolutè, sed sic. Si Deus vellet; quod autem obijcitur, quòd iura dicunt de conditione adiecta contra substantiam matrimonij, intelligendum est de conditione inutili, illicita, & inhonesta. Cōditio autē vtilis licita, & honesta non impedit matrimoniū. Vnde non est simile votū continentiæ, & procuratio sterilitatis, & similia: cùm etiam coniuges post copulam carnalem possunt votum continentiæ emittere, & si emiserint, tenētur obseruare, & sic ista desponsatio est possibilis, & vtilis. Fuit autem vtilis ad multa: primò, vt matrimoniū bonū esse ostendatur. Secundò, vt Domina omniū bonorū, & mater, nullo bono priuaretur. Tertiò, vt hostis fallatur. Quartò, vt testis ei⁹ castitatis haberetur. Quintò, vt origo Dominę describatur, quia nōcoſueuit Scriptura fœminas genealogizare. Sextò, vt ab infamia seruaretur. Septimò, vt pœna caueatur. Octauò, vt persecutio à Christo tollatur. Nonò, vt filius procuretur. Decimo, vt Domino seruiatur. Vndecimò, vt spirituale matrimonium significetur. Duodecimò, vt parentes spirituales ostendantur. Tredecimò, vt humilitas virginitati coniungeretur. Decimoquartò, vt occasio iniuriæ famæ virginibus tollatur. Decimoquintò, vt filij sui hu-

humilitas, & charitas ostendatur, qui potiùs voluit fabri filius reputari, quàm matrem infamari. Decimosextò, vt matris dignitas humilitati societur, vt quãtò maior sit in omnibus, tantò fiat humilior, vt sit Mater Dei, & vxor fabri. Quod autem obijci solet de simulatione, dicendum, quòd duplex est simulatio, scilicet, deceptionis, vt in hypochritis, & simulatio humilitatis, siue humiliationis, qua quis non solùm vult mansuetus, vel etiam humilis reputari, sed etiam vilis prædicari. Primã simulationem effugit Spiritus sanctus. Secundam, inhabitat. Vnde Esai. 66. *Esai. 66.* *Super quem requiescit spiritus meus, nisi super humilem, & mansuetum corde?* quod etiam obijci solet, quòd matrimonium debet esse causa prolis, vel causa vitandæ fornicationis. Dicimus, quòd hoc intelligẽdum est de matrimonio per carnalem copulam consumato. Istius autem matrimonij fuerũt causæ, quæ iam dictæ sunt. Hæc ille. Suscepit ergo Beata Virgo coniugium, sed non mutauit virginitatis propositum, & quia castitatẽ dilexit, & obedientiam tenuit, inuenta est in ea, & sine detrimento virginitatis coniugalis sanctitas, & sine opprobrio sterilitatis fœcunda virginitas. Sic Beatus Abraham ex obedientia dolens offerre filium, quem in repromissione hæreditatis acceperat, ex deuotione obedientiæ, qua, Deo iubente, parere non distulit, inuenit meritum, & ex fide, qua Deo promittẽti credidit, promissionis fidelis cõsecutus est effectũ. Ita etiã fieri potuit, vt Beata Virgo MARIA Deo commendans omne desiderium suum, tantam in ipso fiduciam habuerit, vt indubitanter crederet, & parentibus se debitam obediẽtiam posse exhibere, & votum castitatis, cuius solus ipse conscius erat, quemadmodum dum vellet eo patrocinante inuiolatum conseruare; meritò ergo Beata Virgo dicitur humilis ancilla Dei, quia desponsata, & in omnibus resignata.

Quarta Stella secundæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd ipsa dicitur Inuentrix gratiæ.

Luc. 1. *Inuenisti enim gratiam apud Deum*, Lucæ 1. super quod Beatus Bernardus dicit, Ne timeas MARIA, inuenisti gratiam apud Deum. O si scires quãtùm tua humilitas Altissimo placeat; quanta te apud ipsum sublimitas maneat Angelico te indignam, nec alloquio iudicares, nec obsequio, vt quid enim indebitam tibi dixeris gratiam Angelorum, quæ inuenisti gratiam apud Deum, inuenisti quod quærebas, inuenisti quod nemo ante te poterat inuenire? Inuenisti gratiam apud Deum, quam gratiam Dei, & hominem pacem mortis destructionem, vitæ reparationẽ; hæc est ergo gratia, quam inuenisti apud A Deum, & hoc tibi signum: ecce concipies, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Intellige prudens Virgo ex nomine promissi Filij, quantam, & quam specialem gratiam inueneris apud Deum, & vocauit, ait, nomẽ eius Iesum, rationem huius vocabuli ponit alius Euangelista, Angelo interpretante sic. Ipse enim saluũ faciet populum suum à peccatis eorum. Hæc ille. Notandum autem, quòd Beata Virgo vniuersas, & singulas virtutes, & dona gratiarum habuit in superlatiuo gradu, cùm alij sancti singuli singulas habuerunt; vnde Noe dicitur Iustus, Abraham Fidelis, Ioseph castus, Moyses Mãsuetus, Iob Patiens, Dauid Humilis, Salomon Sapiens, B Helias Zelator legis, & huiusmodi; vnde de quolibet sancto Cõfessore canitur illud Ecclesiast. 44. *Non est inuentus similis illi, &c.* *Eccle. 44.* quia quilibet illorum præcellebat alios sanctos sui temporis in aliqua singulari virtute. Nota, quòd istud dicitur de sanctis temporaliter, & particulariter; in tempore enim suũ nõ habuit Abraham parem in fide, nec Isaac in obediẽtia, nec Ioseph in castitate, nec Moyses in mansuetudine, nec Iob in patiẽtia, nec Dauid in humilitate, nec Helias in zelo. Apostoli verò Domini excesserunt omnes in virtutibus istis, & alijs, sed Beata Virgo supergressa est omnes Sanctos veteris, & noui Testamenti, non in quibusdam, sed singulis C virtutibus. Vnde dicit, Cant. 7. *Omnia poma noua, & vetera dilecte mi seruaui tibi.* *Cant. 7.* Virtutes, & opera virtutum appellantur poma propter refectionem, quia sunt cibus animarum propter sanitatem; sunt cibus infirmantium propter odorem, quia delectant, confortant, & refouent audientes, & currentes in odoribus huiusmodi vnguentorum; vnde Iob 9. *Dies mei transierunt, sicut naues poma portantes, &c.* *Iob. 9.* Dicit ergo omnia poma noua, & vetera, id est, omnia priuilegia Sanctorum noui, & veteris Testamenti in me coniecta, & commassata seruaui tibi, custodiui, scilicet, in me, tibi attribuens quicquid boni habeo, & non meritis meis, quia *gra-* *1. Cor. 25* D *tia Dei sum, id quod sum, &c.* & propter hoc dicitur, Prouerbiorum 31. *Multæ filiæ* *Prou. 31.* *congregauerunt diuitias, &c.* Idcirco etiam in salutatione Angelica dicitur, *Gratia plena*, plena ad Deum per humilitatem; ad Angelos, per virginitatem; ad homines, per fœcunditatem. Prouerb. 11. *Mulier gratiosa,* *Prou. 11* id est, MARIA *plena gratia, inueniet gratiã* illam, scilicet, de qua Prouerb. 10. dicitur? *Prou. 10* *Gloria Patris Filius sapiens.* Beatus Bernardus. Hæc est Virginis nostræ gloria singularis, & excellẽs prærogatiua MARIÆ, quòd Filium vnum, eundemque cum Deo Patre meruit habere communem; in hoc autem, quòd dicitur, *gratia plena*, interior, non exterior gratia designatur: exterior enim gratia

tia fallax, & vana est, vt est pulchritudo corporis, nobilitas generis, & huiusmodi. Pro-
Prou.31. uerbiorum 31. *Fallax gratia, & vana pulchritudo, &c.* Hæc plenitudo gratiæ fuit in Beata Virgine fomitis extinctio veritatis agnitio, virtutis dilectio. Prima est fuga vitiorum, & parat animum, secunda perficit intellectum. Tertia consumat affectum, ideo plena gratia magis, quàm Sanctus Stephanus, de quo dicitur, quòd erat plenus gratia, & fortitudine, minùs, quàm Christus
Colos.1. *in quo habitat, &c.* Stat ergo in medio Virgo MARIA, vnde dicit: *In me omnis gratia*
Eccle.24. *vitæ, & veritatis*, hæc cum Christo communicat, *In me omnis spes vitæ, & virtutis*, hęc cum Stephano, Stephanus plenus plenitudine apta, Christus plenitudine cumulata. MARIA plenitudine æqua. Prima sufficit. Secũda, affluit. Tertia perfecta est. Vnde omnis alia creatura aliquid habet vacuitatis, quia maiorẽ gratiã recipere potest, ipsa autem sic vsquequaque gratia plena fuit, quòd maiorẽ gratiam habere non potuit. Vnde de hac plenitudine gratia dixit Angelus ad eam: *Aue*
Luc.1. *gratia plena.*

Quinta Stella secundæ Coronæ Beatæ Virginis dicitur, quòd ipsa est Genitrix vitæ.

BEata Virgo dicitur Genitrix vitæ, quia Christum, qui vitã dedit mundo, ipsa genuit; vnde ex plenitudine gratię Beatæ Virginis sex bona nobis prouenerunt, scilicet, pretium redemptionis, aqua ablutionis, panis refectionis, medicina curationis, armatura expugnationis, pręmiũ remunerationis. Pretium redemptionis, quia ipsa fuit sacculus pecuniæ, in quo fuerunt *omnes thesauri*
Colos.2. *sapientiæ, & scientiæ abscõditi.* Colossens. 2. *quem secum tulit Dominus* in assumptione Matris, Prouerb. 7. Reuersurus *in die ple-*
Prou.7. *næ Lunæ*, id est, in consumatione Ecclesiæ,
Prou.vlt de hoc pretio. Prouerb. vltim. *Procul, & de vltimis finibus pretium eius*, id est, de vltima humilitate Beatæ Virginis, qua mediãte illud pretium promeruit, & in incarnatione nobis missum est. Aqua ablutionis, quia ipsa
Zach.13. est fons Zachar. 13. *In die illa erit fons pa-*
Cant.4. *tens.* Cant. 4. *Fons hortorũ, puteus aquarũ viuentium.* Ipsa enim est fons, quãtùm ad cõmunia beneficia, quæ exhibet omnibus, puteus, quantùm ad profundas, & speciales deuotiones, quas suis specialibus subministrat: ipsa enim est cisterna in quantum ab ipsa profluit refectio peccatoribus. Hæc est cisterna
2.Reg.24 Bethleem. 2. Reg. 24. *Iuxta portam*, quia omnes ad se transeuntes vult in quantum in ea est satiare; vnde clamat: *Transite ad me*
Eccle.24. *omnes, qui concupiscitis*; huius cisternæ aqua
Ioan.4. Christus est, qui est *Fons vitæ salientis in vi-*

tam æternam, Ioan. 4. Hanc autem concupiuit Dauid, & nos omnes concupiscere debemus, quia sine hac aqua anima nostra arida est, sicut terra; in hac aqua Christus lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, cum quo exiuit aqua. Panis refectionis. Ipsa enim est nauis institoris de lõgè portans panem suũ; de longè, quia ipse est panis viuus, qui de cœlo descendit, ad quam inuitat nos Beata Virgo. Prouerb. 9. *Comedite*, inquit, *panẽ meũ*, *Prou.9.*
& bibite vinum, quod miscui vobis, ipsa enim est Sara, *quæ miscuit tria sata farinæ*, *Gen.18.*
Genes. 18. diuinitatem, animam, & carnem, fermentum in hac conceptione fuit fides virginis, qui, scilicet, panis pistus fuit in incarnatione, decoctus in clibano vteri virginalis, igne spiritus, scilicet, vel charitatis MARIÆ, sed fructus in passione, hic est panis, quem petebant paruuli, Tren. 4. & Esai. 58.
Tren.4. *Frange esurienti panem tuum*, id est, permit-
Esai.58. te animam tuam, & corpus ad inuicem separari in cruce pro refectione famelicorũ Medicamentum, siue medicina curationis, Ecclesiast. 38. *Altissimus de terra* carnis virgi-
Eccle.38. neæ *creauit medelam*, id est, corpus Christi, Ecclesiast. 44. *Medicina omnium in festina-*
Eccle.44. *tione nebulæ*, scilicet, tempore incarnationis, quando Sol iustitiæ descendens in illam, inde assumpsit nebulam carnis humanæ; vnde 3. Reg. 8. *Dixit Dominus, vt habitaret*
3.Reg 8. *in nebula*, & quasi seipsum exponens, subiungit paulò post; ergo putandũ est, quòd Deus habitet super terram; de hac nebula dicitur, Eccles. 24. *sicut nebula*, id est, carne assumpta *texi omnem carnem*, id est, ab omni ho-
Eccl. 24. mine carnali lumen diuinitatis abscõdi, hæc medicina profluxit nobis de plenitudine MARIÆ; vnde Christus dicit, Eccles. 24. *Ego*
Eccl. 24. *quasi fluuius Dorix*, quod interpretatur me dicamẽ tum generationis, quia ipse sanat omnes infirmitates nostras, *& quasi aquæductus exiui à paradiso*, id est, Virginis vtero. Armatura expugnationis; sed quæ conuenié tia armis ad medicinam? MARIA siquidem designatur per domum *saltus* Libani, 3. Regum 7. quæ diuisa erat in duas partes, sicut
3.Reg.7. dicit Magister in historijs. Vna pars vocabatur pigmentaria, quæ continebat pigmenta, & aromata, ad vsum templi, & domus regię: altera pars, armaria, continens arma ad tuitionem regis, & decorem domus. Hæc domus signabat MARIAM, Libanus candor, vel candidatio. Hæc est Virgo tota candida, intus, & exteriùs, quam fecit Salomon, quia sapientia, id est, Christus *ædificauit sibi do-*
Prou. 9. *mum*, Prouerb. 9. Et hæc domus continuit medicinam contra morbos peccatorum, id est, Christum, & arma contra mundum, & diabolum, scilicet, virtutes, paupertatem, humilitatem, & huiusmodi. Præmium remunerationis, quod tandẽ recepturi sumus de hac

ple-

Psal.92. Dauid Rex, Ps.92. *Mirabilis in altis Dñs.* Idem: *Laboraui clamans: taucæ, &c.* De his plenitudine, quia filij merces, fructus vẽtris, vnde fructus ventris eius dicitur benedictus, in quo benedictæ sunt omnes generationes. Dicitur etiam benedictus vir, benedicta mulier, benedicta terra, & huiusmodi, sed singulariter benedictus fructus ventris tui cum sit super omnia benedictus in secula, benedictus in odore, benedictus in sapore, benedictus in
Psal.49. specie, *ex Sion enim species decoris eius.*

Sexta Stella secundæ Coronæ Beatæ Virginis dicitur, quia ipsa est Regina cœli.

REgina cœli dicitur Beata Virgo MARIA, eò quòd non solùm excellit dignitatem omnium Sanctorum, sed etiam, dignitates omnium cœlestium Virtutum. Superior est enim Angelis, quia plùs meruit, scilicet, quòd Dei filius assumeret ex ea naturam humanam, qui noluit assumere Angelicam,
Hebr.2. ad Hebræos 2. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Superior partu, quoniam Dominum Angelorum genuit. Superior honore, quoniam eam Deus super Choros Angelorum collocauit, & ideo admirabilis est etiam ipsis Angelis; vnde dicunt, Cantic. 8. *Quæ est ista, quæ ascendit de*
Cant.8. *deserto, delicijs affluens innixa super dilectũ*, cùm ipsi sint sub Deo; vnde meritò Regina cœli dicitur, quia in modum Bersabe filius suus verus Salomon ad dextram suam eam confedere fecit, superior virginitate, quia in cane fragili, quod non Angeli, præter vitia carnis vixit, superior reuelatione, & contemplatione, quia sicut dicit Bernardus, Dominus secretum suæ incarnationis priùs ipsi, quàm alicui Angelorum, excepto Gabriele, reuelauit, & cùm iam sit resuscitata, vt verè
Esai.33. creditur *Regem gloriæ in decore suo vident oculi eius*, Esai. 33. non solùm intellectuales, sed etiam corporales, quales Angeli non habent, qui intellectualibus oculis, solummodo vident, vnde dicuntur intelligentię. Item superior est Angelis, quia *nulli Angelorum dixit aliquando: Pater Filius meus es tu,*
Heb.1. Hebræorum 1. Sed hoc dixit Filio MARIÆ
Mat.3. in Baptismo, Matth. 3. Et in transfiguratio-
& 18. ne, Matth. 18. Item, quia nulli Angelorum
Psal.8. subiecit Pater orbem terræ, sed Filio MA-
Hebr.2. RIÆ, sicut dicitur in Psalmo, & Hebr. 2. & quia omnia *subiecit pedibus eius*, nihil dimisit non subiectum ei. Tota verò excellemtia matris ab excellentia Filij derivatur. Item ratione suæ excellentiæ, qua excellit omnem Angelicam dignitatem. Canit Ecclesia in Assumptione eius: Vidi speciosam, sicut columbam, ascendentem desuper riuos aquarum, quia non solùm cum Angelis sublimata, sed super omnes Choros Angelorum exaltata; vnde meritò Regina cœli dicitur; nam Rex cœli ei dicit: Veni electa mea, & ponam in te thronum meum; in summa autem MARIA honorata est à Deo, quia ab æterno prædestinata. Prou. 8. *Abæterno ordinata sum, & ex antiquis.* Ideo de ipsa canitur: Elegit eâ Deus, & prælegit eã, quia à Patriarchis, & Regibus generata; vnde canitur: Natiuitas gloriosę Virginis MARIÆ ex semine Abrahæ orta de Tribu Iuda, clara ex stirpe Dauid, quia à perditionis massa separata, & in vtero sanctificata; vnde Cã tic. 2. dicitur de ea: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Item Psal. 45. *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus*, quia filia gratiæ orta. Vnde Num. 24. *Orietur Stella, & consurget virga de Israel, &c.* propter hoc fuit filia Annæ, quæ interpretatur gratia, quia omnia charismate cumulata; vnde dicta est *gratia plena*, quia ad
Luc.1. vouendã prima castitatem à Spiritu sancto inspirata, quia ab vno de summis Archangelis officiosissimè salutata, vnde *Aue gratia*
Esai. 62. *plena*, quia in Matrem Dei electa, vnde dicit Esa. 62. *Terra tua inhabitabitur*; id est, caro tua fœcundabitur, quia complacuit Domino in te, quia opere Spiritus sancti Dei Filio impregnata; vnde Luc. 1. *Spiritus sanctus*
Luc.1. *superueniet in te, &c.* Ideoque *quod nascetur ex te sanctũ, vocabitur Filius Dei*, quia
Luc.1. salua virginitate, mater effecta, quia virtute fidei omne bonum assecuta, Luc. 1. *Beata quæ credidisti, perficientur in te, &c.* quia nullo portandi dolore cruciata; vnde canit Ecclesia, Nescíens mater virgo virum, peperit sine dolore Saluatorem. Bernardus. Quid mirũ, si dolorem non intulit matri, qui tollere veniebat dolores totius mundi? quia à Filio Dei, & suo in prælatam constituta; vnde Lu-
Luc.2. cæ 2. *Et erat subditus illis*, scilicet, MARIÆ, & Ioseph propter MARIAM, quia ad nutum ipsius, & insinuationẽ, à qua in nu-
Ioan.2. tijs in vinum à Filio commutata, Ioannes 2. quia à Filio ad Patrem de hoc mundo transeunte Virgini discipulo commendata, quia loco summi Magistri ad docendos Apostolos substituta, quia in morte temporali mortis nexibus non depressa; quæ sunt putrefactio, vermes, & incineratio, quia ante generalẽ resurrectionem gloria corporis, & stola duplici decorata, quia ascendit in cœlum
Cant.8. dilecto suo *innixa*, sicut dicitur Cantic. 8. quia super vniuersos ordines Angelorũ ad dextram Filij in throno gloriæ collocata, quia super omnem creaturam potestate plenaria ab omnipotente Filio in sua coronatione dotata, & insignita, & ideo meritò, vt dictum est,

Regina cœli est vocata.

Septi-

Septima Stella secundæ Coronæ Beatæ Virginis dicitur, quia est Domina mundi.

DOmina mundi meritò Beata Virgo MARIA dicitur, scilicet per contemptum, quia nihil de mundo habere voluit, sed eius honores, delitias, & diuitias contempsit, vt meritò de ea dicatur: regnum mundi, & omnem ornatum eius contempsi; vel dicitur Domina mundi, id est, illorum, qui sunt in mundo, & spem suam, quasi anchoram in illa terra, quæ est eius terra, scilicet, viuentium: fixerunt, ne seculi fluctibus submergantur: vnde ipsa dicit. Prouer. 8. *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* Ecce vita gratiæ in præsenti, & salus æterna in futuro, & in his duobus consistit quicquid necessarium est ad nostram salutẽ, ideo Prouer. 18. dicitur de MARIA: *Qui inuenit mulierem bonam*, id est, MARIAM dominam mundi, *inuenit bonum, & hauriet iucunditatem à Domino.* Iucunditatem duplicem, conscientiæ hic, lætitiæ in futuro. Ipsa enim Virgo MARIA diligit diligentes se: immo & serui, seruientibus sibi. Vnde dicit, Prouerb. 8. *Ego diligentes me diligo*, sed quicumque diligitur à matre diligitur, & à filio, & è conuerso, & perconsequens à tota Curia cœlesti. Ideo dicit ipsa cum filio, Ioan. 14. *Qui diligit me, diligitur à Patre meo*, & à filio meo, *& ego diligam eum, &c.* Sequitur in auctoritate prima, *& qui mane vigilauerint ad me, inuenient me*, vigilandũ est ad MARIAM mane gratiæ, fugata nocte peccati. Item mane, innouata cõscientia per pœnitentiam. Item mane, vt volens ei seruire, priùs exeat à nocte peccati. Item mane tẽporis surgendum est ad celebrandum seruitium eius; vigilauerint ad me, id est, propter me habendam, & inueniendam. Item ad me, id est, ad seruitium meum, quod decantandũ est vigilanter, & attentè. Vnde multa miracula leguntur accidisse. Sequitur, inueniet me. O fœlix inuentio, inuenire gratiæ inuentricem, quæ est Domina mundi, qua inuẽta, *inuenitur omne bonum.* Eccles. 32. Qui vigilauerint ad illam, inuenient eius benedictionem, ideo iustus quilibet tradere debet cor suum ad vigilandum diluculo ad Dominam mundi, per quam redemptus est, & reconciliatus. Item Sapient. 6. *Qui vigilauerit propter illam*, id est, MARIAM, vel sapientiam adipiscẽdam, *cito erit securus, quoniam dignus seipsa*, id est, mundos, *& humiles circumit quærẽs.* Circumit, id est, vndique munit, ne aliqua parte pateat ingressus hostis, & in vijs suis quando, videlicet, imitantur illam, ostẽdit se illis hilariter; viæ illius sunt pietas, humilitas, charitas, veritas, & huiusmodi. Vnde Prouerb. 3. *Viæ eius, viæ pulchræ, & omnes semitæ eius pacificæ.* Custodientibus, & ambulantibus per has vias ostẽdit MARIA seipsam hilariter exeũtibus de hoc mundo, & in omni prouidentia, quam ipsa dat ad conseruandam animam, occurret illis, quasi adiutrix fidelissima; summus ergo honor, summa gloria, & summa vtilitas est seruire MARIÆ, & de eius esse familia, quia ipsa est Domina mundi. Vnde ei seruire regnare est, sicut dicit Boetius de Domino & eius agi præmijs summa libertas est: seruus ergo MARIÆ, si ceciderit, non collidetur, quia Domina misericorditer supponit manum suam; ipsa enim sola post filium comes est, quæ possit subleuare cadentem. Vnde dicit cum filio, illud Oseæ 9. *Væ eis cùm recessero ab eis vastabuntur.* MARIA est iucunda ad confabulandum. Vnde Sapient. 8. *erit allocutio cogitationis, & tædij mei.* Philosophus, secundus comes in via prouehiculo est, humilis ad ministrandum, quod apparuit, Lucæ 1. Quando ministrauit Elisabeth minori se, dies ad exhibendum, Sapiẽ. 8. *Sciens, quoniam mecum communicauit de bonis suis*, potens ad protegẽdum. Vnde ipsi securè dicere potest seruus eius illud Iob. 17. *Pone me iuxta te, & cuius vis manus pugnet contra me.* Sapiẽs ad instruendum, quia doctrix est, *Sapientiæ Dei*, Sap. 1. Prou. 13. *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit, &c.* Misericors ad supportandum. Vnde de seruo eius dicitur in Psalmo 36. *Cùm ceciderit, non collidetur*, quia Domina *supponit manum suam*, & sic patet, quòd Beata Virgo MARIA meritò dicitur Domina mundi.

Prou. 8. *Sap.* 8. *Luc.* 1. *Iob.* 17. *Sap* 1. *Prou.* 13. *Psal.* 36

Octaua Stella secundæ Coronæ Beatæ Virginis dicitur, quia ipsa est Virgo incomparabilis puritatis.

VIrgo incomparabilis puritatis meritò B. Virgo MARIA dicitur, quia secundùm Beatum Bernardum, ipsa fuit virginitatis primiceria. Bartholomæus enim Apostolus dicit manifestè, quòd prima vouit virginitatem, & ideo prima, quia ante eam nulla, nec timuit maledictum illud, quod erat scriptũ, Exod. 23. & Deuter. 7. vbi pro benedictione dicitur, obedienti: *Non erit apud te sterilis vtriusque sexus*; vnde à contrario, sterilitas pro maledictione reputabatur in lege: erat enim tempore legis opprobriosa virginitas propter adiunctum, id est, sterilitatem, vnde filia Iephte *fleuit virginitatem suam*, Iudicũ 5. Et erat maledictio ista opprobrij; nam opprobrium, & vilitas erat mulieri sterilitas sua; vnde dicit Elisabeth concepto Ioanne, Luc. 1. *Sic fecit mihi Dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines.* Simile dixit Rachel nato Ioseph,

Exod. 23. *& Deu.* 7 *Iudic.* 5. *Luc.* 1.

Genes. 30 seph Gen. 30. Sed hanc maledictionem, hanc sterilitatem, hoc opprobrium, hunc contemptum contempsit MARIA, vt offerret Deo gratissimum sacrificium virginitatis absque omni humano præcepto, consilio, & exemplo, sola inspiratione Spiritus sancti, sicut dicit Beatus Bernar. Ratione autem huius voti appellatur ipsa Virgo virginum, quasi virginitatis significra, & exemplar; sed quia Domi
1. *Reg.* 2. nus dixerat 1. Regum 2. *Quicumque honorificauerit me glorificabo eum*, nec poterat esse mendax, fecit quod promiserat, & glorificauit honorificantem se, & ne ex oblatione virginitatis remaneret in opprobrio sterilitatis, sicut ipsa nouum fecerat in terra, vouendo virginitatem, sic & in ipsa nouũ dominus fecit super terram, quod nouum tota terra, quod nouum totus non capit orbis. Hierem.
Hiere. 31 31. *Creauit Dominus nouum super terram, fœmina circũdabit virum*, & quia pro amore virginitatis maledictum sterilitatis contempsit, summa benedictione remunerata est in conceptu Saluatoris, dicentibus illi Ange
Luc. 1. lo, & Elisabeth, Luc. 1. *Benedicta tu in mulieribus*, vel inter mulieres, & pro illa maledictione, de qua non curauit tam ineffabiliter, meruit benedici; illis enim, qui maledicta hominum non reputant propter Deum retribuit, ipse benedictionẽ pro maledictio-
Matth. 5 ne, Matth. 5. *Beati estis, cùm maledixerint vobis homines.* In Psalmo de amatoribus mũ
Psal. 108 di, *Maledicent illi*, id est iusto, *& tu Domine benedices* Origenes: Qui bene agit, & iustè, maledicitur, præmium illi pro maledicto reddetur. Magister Hugo de Sancto Victore, notandũ, quòd primò quando factus est mundus per Creatorem, benedicta est fœcũditas.
Genes. 9. Genes. 9. *Vt multiplicarentur homines*, postea quando ab vno populo tantùm agnitus est Deus per legẽ, maledicta est sterilitas, vt multiplicarentur fideles. Postremò quando instabat tempus, in quo nunc ab omnibus gẽtibus Deus colitur, benedicta est virginitas, vt ad vitam celibem à carnis opere cũcti prouocentur, nec fœcunditatem carnis meritũ, nec sterilitatem dicimus esse culpã, nec per multitudinem filiorum, sed per merita virtutum antiqui, vel moderni Domino placuerunt, nec ideo maledictam sterilitatem carnis in lege, vt eam damnabilem lex ostenderet apud Deum, quin potiùs, vt eo tempore quando successio temporis in multitudine filiorum quærebatur, eã apud homines infructuosam, & ob hoc quodam modo inhonoratam demonstraret; non ergo inculpanda est Virgo MARIA, nec accusanda de cõtemptu legis, in qua sterilitas maledicitur, immo sola singulariter laudãda, quæ prima legis verba non carnaliter sapienda, considerans elegit abiectio plebis in terra fieri, & opprobriũ hominum, vt per munditiam integritatis in

A cœlo fieret socia Angelorum, & pulchrè prima inter fœminas pro amore castitatis maledictum legis in carne sua sustinuit. Quæ illum ex carne sua paritura erat, qui ipse in carne sua. Ad Galat. 3. *Maledictum legis* pro *Ad Gal.* 3
nobis suscipiens nos à maledicto legis liberauit. Vnde meritò ei solidatum est, vt Filiũ Dei pareret, & virgo permaneret, vt quia prima fœcunditate carnis virginitatem prætulit, nunc & fœcunda sit in carne, & integra in virginitate.

Nona Stella secundæ Coronæ Beatæ Virginis, quia ipsa est subsellium sanctæ Trinitatis.

B SVbsellium dicitur sedes minorum sub pede posita, & inferius, & depressius, quã maiorum sedes, & componitur à sede quasi sub sidiũ, & sic Beata Virgo meritò dicitur subsellium sanctæ Trinitatis, quæ se non reginã, aut dominam, sed ancillam Domini nominauit, & ergo quàntò magis hæc humilis fuit, tãtò magis in cœlo est exaltata. Subsellium sanctæ Trinitatis iure Beata Virgo MARIA dicitur, dum enim in hac vita infra omnes homines se humiliauit in Assumptione, meritò super omnes ordines Angelorum, & Sanctarum animarum est exaltata. Vnde canitur in sua Assumptione: Vidi speciosam,
C sicut columbam ascendentem desuper riuos aquarum; aquæ istæ, sicut dicit Bernardus, sunt Virtutes Angelicæ, & cœlestes populi; aquæ istę inuitantur ad laudes Creatoris in Psalmo 148. Vnde *aquæ, quæ super cœlos* *Psal.* 148
sunt, laudate nomen Domini. Duo riui Angeli, & animæ sanctæ, vel riui aquarum, ordines Angelorum, scilicet, Angeli, Archangeli, Principatus, Virtutes, Potestates, Dominationes, Throni, Cherubim, & Seraphim. Item debent ordinari, & enumerari Virtutes cœlorum, & ordines Sanctorum,
D scilicet, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, & omnes huiusmodi Sãcti; propter priuilegium enim suæ Ascensionis super ordines Sanctorũ vniuersos glorificatur ipsa. Cant. 1. vbi dicit: *Introduxit me Rex in cellaria sua*, pluraliter. Contentus est enim suo cellario, quilibet *Cant.* 1.
ordo Sanctorum, & Angelorum, id est, sua mansione; sed MARIA speciali priuilegio in omnia est introducta, quæ sicut MARIA, ita & præmia omnium creditur assecuta, vtpote, cui nec continentia Virginum, nec sobrietas Confessorum, nec pacientia Martyrum, nec zelus Apostolorum, nec scientia Prophetarum, nec fides Patriarcharum, nec puritas Angelorum creditur defuisse; immo etiam sicut meritis, sic & præmijs supergressa est ordines Sanctorum vniuersos. Hieronymus: Quantum in terris adepta est MARIA gratiæ

tiæ præ cæteris, tantum in cœlis obtinet gra-
1. *Cor.*2. tiæ singularis, quòd si *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascẽdit, quæ præparauit Deus diligentibus se*, 1. Corin. 2. Quid præparauit gignenti se, & quod certũ est, diligenti præ omnibus? Item Hieronymus. Si in domo Patris mansiones multæ sunt, credimus, splendidiorem in sua Assumptione matri filium concessisse. Bernardus. Sicut non fuit in mundo locus honestior virginalis uteri thalamo, quo MARIA Dei Filium in incarnatione suscepit, sic nec locus in cœlo illo glorioſior, quo matrem filius in Assumptione sublimauit, & propter hoc de Assumptione matris congruè potest exponi, quod de Ascensione Filij dicit Psalmus 17.
*Psal.*17. *Ascendit super Cherubim, & volauit* volans *super pennas ventorum.* Ascendit super Cherubim, quod interpretatur plenitudo scientiæ, quia nulla humana scientia attingere potest, quantum ascenderit, vel ad quantam gloriam, nec dicit super Seraphim, licet verum sit, quòd super illum ordinem exaltata sit ad
*Psal.*44. dexteram Filij: vnde *Astitit Regina à dextris tuis, &c.* quia super Seraphim non est aliud, nisi Gerotheſia, id est, Sacer Ordo Trinitatis, cui Virgo subdita est, & sequitur: *Et volauit*, hoc est, velociter ascẽdit, vel *volauit*, id est, *auolauit* ab humano intellectu, *volauit super pennas ventorum*, & hoc dupliciter in præsenti, super virtutes, & merita Sanctarum animarum: in Assumptione super præmia Angelorum, & Sanctorum ani-
Iob 28. mæ dicuntur venti; vnde Iob 28. *Qui fecit ventis pondus*, id est, animabus corpus, & rotè propter hoc ponitur bis *volauit*: dicitur ergo, Vidi speciosam, sicut columbam ascendentem desuper riuos aquarum, nec tantùm super eos, sed in altiorem quendam recessũ desuper eos innuitur ascendisse, nec determinat quò ascẽdit, sed vnde, vsque eò enim eã prosequi potuit, qui hoc dixit. Et tunc quasi euanuit ex oculis eius, vt quò ascenderet, vel capere non potuerit, vel dicere ei non licuerit, nam super Angelos exaltatam se testatur
*Cant.*4. ipsa, cùm ait, Cant. 4. *Paullulum cùm pertrã sissem eos*, scilicet, Angelos, *inueni quem dilegit anima mea, tenui eum, nec dimittam*: ibi enim dilectum inuenit, vbi positus est thronus matri Regis iuxta Regem, vbi iam ab eõ audit cũ gaudio MARIA: Ecce filius tuus. Quasi diceret: Ecce quem genuisti, quem in tanta vides maiestate fulgentem; nam aliquã doãb eodẽ audiuit in statu lõgè alio sibi dici: *Mulier, ecce filius tuus:* quis enim esset gaudij locus, vbi non tãtùm dissimulabatur mater, cùm ei supponebatur alienus, & proprius pellebatur, immo dissimulabatur, & nota, quòd non MARIA, sed mulier vocabatur. Sed hæc prima iam abierunt, vnde iã nõ mulier, sed subsellũ sanctę Trinitatis vocatur.

A *Decima Stella secundæ Coronæ Beatæ Virginis est, quia ipsa singulare Agalma Deiformitatis vocatur.*

SIngulare Agalma Deiformitatis, idcirco Beata Virgo MARIA vocatur, quia in passione dilecti Filij sui omnino se diuinæ voluntati cõformauit. Vnde secundùm Bernardum, ipsa fuit Martyr in anima, & gladius doloris, qui pertransiuit animam eius in vnigeniti passione pro amarissimo ei martyrio computatur. Voluit siquidem Filius, vt omnium Sanctorum speciositati participaret mater sua, immo vniuersam Sanctorũ
B pulchritudinem excederet, & sicut vocatur Virgo Virginum, ita & Martyr martyrum deberet appellari; quia quidquid operabatur in Virgine, nouum erat, sicut prædixerat Hierem. 31. *Creauit Dominus nouum super terram, &c.* Et Apoc. 21. *Ecce noua facio omnia* placuit Filio, vt glorioſior martyr existeret, & mirabiliter appareret, vt nouo, & inaudito martyrij genere decoraretur, & vere nouum, & inauditum martyrium, quod mater passa est in vnigeniti passione in ea parte, quę est impassibilis, sicut dicit Hieronymus: nouum, inquam, martyrij genus multis de causis. Primò cùm alij martyres patiantur in corpore, ipsa passa est in anima, vel in cor
C de, iuxta Prophetiam Simeonis, Luc. 2. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius:* sic expone: *Tuam ipsius*, id est, *tui ipsius*; vel gladius *ipsius*, tuam animam pertransibit; non dicit, mouebit lucem rationis obnubilando, sed pertransiuit velut rem immobiliter stantem, nec resistentem, aut in aliquo vacillantem, gladius siquidem passionis, qui transiuit corpus, & membra Filij, *pertransiuit*, id est, perfectè transiuit per compassionem animam genitricis, & tunc *Omnis plaga fuit tristitia cordis eius*, Ecclesiast. 25. Alij enim Martyres etsi tormenta sentiebant in corpore interiori, tamen consolatione refrigerabantur in mente, & si eorũ corpora per-
D transibant gladij tormentorum pro Christo, tamen animæ eorum delectabantur in Christo. Filius etiam sinum patiebatur, & fruebatur, quia fuit in via comprehensor. Vnde dicit, Psalm. 15. *Prouidebam Dominum in cõspectu meo sẽper*; sed anima matris torquebãtur in Christo, & totam eius animam vehementia doloris possidebat. Beatus Bernard. Longè enim plusquam martyrem eam non immeritò censeam, in qua passionis sensum excessit compassionis affectus, cùm eius animam pertransiuit gladius passionis; anima quippè Filij iam non erat ibi, sed anima matris nequibat auelli. Fuit etiam plusquam martyr, quia duplex pertulit martyrium. Dum & mortem Filij vidit, & eius exemplo mem-

*Hiere.*31 *Apoc.*21.

*Luc.*2.

*Eccle.*25.

*Psal.*15.

exemplo membra super terram mortificauit, quod genus martyrij illi, nimirum, quo membra ceduntur ferro, horrore quidem mitiùs, sed diuturnitate molestiùs. Item sicut non fuit dolor, sicut dolor ille, qui transiuit corpus, & membra Filij, sicut ipse dicit Trenorum 1. *O vos omnes, qui transitis per viã, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus.* Si non fuit dolor sicut dolor ille, qui matris viscera per compassionem pertransiuit, vnde in Psalmo notabiliter dicitur: *Circundata varietate*, videlicet, tot dolorum, quot Filium suum videbat patientem: hinc enim videbat caput spinis coronari, hinc genas auelli, hinc vultum cõspui, hinc manus, & pedes configi, hinc os felle potari, hinc caput exspirãtis super humerum inclinari, hinc latus mortui lancea aperiri. Verè ergo *circũdata* varietate dolorum, vt verè posset dicere cum Susanna, Daniel. 13. *Angustiæ mihi sunt vndique*, & cum Dauid 1. Paralipom. 21. *Vndique me angustiæ præmunt, &c.* Item, quod non fecerit tam amarum martyrium aliorum Sanctorum, manifestissimè patet, non fuit talis filius, non fuit talis mater, non fuit tanta charitas, sicut inter istam matrẽ, & filium. non fuit tam indigna mors, nõ fuit tantus dolor: sciebat siquidem mater, qualis erat filius, vnde conceptus, & quomodo, & cætera huiusmodi, & ideo quantò dilexit teneriùs, tantò vulnerata est profundiùs, nihil habens omnino consolationis, sicut cæteri Martyres, vt supra dictum est, sed totum habens tribulationis; nam absorta erant ipsius viscera maternis doloribus, vltra quam homo, vel Angelus perpendere possit, non tamen vsque ad desperationem. In ipsa enim sola stetit Ecclesia, &c. Ad hoc martyrium designandum, quasi quodam præsagio nuncupata est MARIA, quod interpretatur mare amarum. Habes ergo causam primam, quomodo, scilicet, gladius filij, qui matris animam pertrãsiuit, ei pro martyrio computatur. Secundò, quia cùm alij Martyres passi sint propter fidem, MARIA passa est propter charitatem. Vnde dicit in Cantic. secundùm aliam litteram, quam ponit Gregorius: *Vulnerata charitate ego sum*, & sicut charitas maior est quàm fides. 1. Cant. 13. *Maior horum charitas.* Sic MARIÆ martyriũ quantalibet excellit martyria Sanctorum. Tertiò, quia alij in corpore, MARIA in corde, quod plus est, Eccles. 25. *Omnis plaga tristitia cordis.* Quartò, quia alij diuersis gladijs martyrizati sunt, MARIA eodem gladio, quo filius; vnde, *Tuam ipsius animam, &c.* Quintò, quia alij diuersis ictibus, MARIA eodem ictu, quo Christus; vnde dictum est ei, Ioan. 19. *Mulier, ecce filius tuus.* In his omnibus præminet MARIÆ martyrium martyrijs omnium Sanctorum, & ideo ipsa meritò dicitur singulare Agalma Deiformitatis.

Thren. 1. *Psal. 44.* *Dan. 13.* *1. Paral. 21.* *Cant. 2.* *1. Cor. 13* *Eccle. 25.* *Luc. 2.* *Ioan. 19.*

Vndecima Stella secundæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd ipsa est filialis dextri-sedia maiestatis.

FIlialis dextrisediamaiestatis Beata Virgo MARIA, idcirco dicitur, quia cũ omnes alij Sãcti, & Angeli possint Christo supplicare, & à Deo exaudiri, vnde & dicit eis: *Petite, & accipietis.* Ipsa sola maternaauctoritate potest ei, vt filio imperare, quod signatum est 3. Reg. 2. vbi legitur Salomon, qui signat Christum, respondisse Bersabee matri suæ, quæ MARIAM figurabat: *Pete mater mi, neque enim fas est, vt auertam faciẽ, &c.* Ad hoc etiam figurandum 3. Reg. 10. dicitur, quòd *Rex Salomon dedit Reginæ Sabbæ, quæ voluit, & petijt ab eo, &c.* quæ, videlicet, Regina significabat MARIAM, ideo sic oramus eam, Monstra te esse matrem, quasi diceretur ei, imperiosè, & maternæ auctoritate supplica pro nobis Filio tuo. Item illud: Ora Patrem, iube natum; dicunt autem quidam hoc non benè fuisse dictum, sed mentita est iniquitas sibi: nonne legitur Luc. 2. de Iesu, quod erat subditus illis, scilicet, MARIÆ, & Ioseph, propter MARIAM? & ibidem quòd ipsa materna fungens auctoritate corripuerit Filium, dicens: *Fili, quid fecisti nobis sic?* & paulò post subiungitur, quòd audita correctione materna patiẽter, & absque murmure descendit cum illis à Nazareth, & *erat subditus illis*; nõ enim euacuabitur præceptum illud Dominicum in patria: *Honora patrem, & matrem*, Exod. 20. Sed perfectissimè implebitur; nihilominus hæc omnia intellige de reuerentia, quam Dei Filius exhibet matri suæ, & in subiectione, qua Christus subditus fuit parentibus formam humilitatis nobis, & obedientiæ commendauit, nec fuit illa subiectio necessitatis, sed pietatis, sicut dicit ibidem Glossa, & quid parentibus debeamus, ostendit. Item ad prædicta deseruit, quòd Angelus ad Beatam Virginem dixit: *Dominus tecum*, qui ergo quærit Saluatorem, quærat ipsum cum ea, vnde magis dicitur, Matth. 2. *Inuenerunt puerum cum MARIA matre eius, &c.* vt cum ipsa semper quærendus nobis ostenderetur: dicitur enim Dominus frequenter in Scriptura, cũ illis esse, quos iuuare paratus est, & vota eorum, & desideria adimplere; vnde Ezech. 3. *Manus Domini erat mecum, confortans me*, Et de Ioanne Baptista; *Etenim manus Domini erat cum illo*, Matth. vltim. in fin. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi.* Implora igitur Beatam Virginem in omnibus orationibus tuis, nec desperes, aut defendas de impotentia auxiliandi, quia Dominus est cum ea, & ideo quo-

Ioan. 16. *3. Reg. 2.* *3. Re. 10.* *Luc. 2.* *Exod. 20.* *Matth. 2.* *Ezech. 3.* *Luc. 1.* *Mat. vlt.*

quotiescumque ipsa voluerit iuuare te, Deus cum ea est, vt & possit, vnde potentia MARIÆ adimpetrandum notatur Esther 5. vbi
Esther 5. dixit Assuerus: *Quid vis Esther Regina, & quæ est petitio tua, etiamsi dimidiam partem Regni mei petieris, impetrabis?* In hoc etiã, quòd dicit, quid vis Esther, & quæ est petitio tua, inuenitur, quòd non spectat filius, vt mater roget, immo etiam præuenit petitionis eius, secundùm quod ipsè dicit, & secundùm quod dicitur ei de veris pauperibus, E-
Esai. 65. sai. 65. *Antequam clament ad me, exaudiam*
Psalm. 10 *eos.* Et illud Psal. 10. *Præparationem cordis eorum audiuit auris tua.* Hanc autem exaltationem, & auctoritatem Beata Virgo promeruit humilitate sua, vnde ipsa Dominum solam humilitatem in se respexisse testatur, quia diuinitatis propitiationem, quam humana natura in primis parentibus per superbiam perdidit, in MARIA per humilitatem recuperauit: nam quia in ea Verbum Patris carnis substantiam, quam sibi vniret assumpsit, quasi ad eam quàm priùs abieceret naturam sublimandam per misericordiam respexit Deus humilitatem MARIÆ, cui per humilitatis meritum dedit, vt Filium suum in carne conciperet, & Mater ipsius, quod nõ erat, sublimiter esse promeruit, & quæ se ancillam nominauit, modò ipsius dextrisedea digna existat.

Duodecima Stella secundæ Coronæ B. Virginis est, quia ipsa est Sacrarium, & digna mansio Spiritus sancti.

SAcrarium, & digna mansio Spiritus sancti B. Virgo MARIA iure vocatur, quia secũ dũ Beatũ Bernardum, talẽ prærogatiuã à Deo accepit, quòd peccare non potuit, ex quo Filium Dei concepit. Vnde, & dicit Eccles. 24.
Eccles. 24 *Et sic in Sion firmata sum.* Priùs autem dicit: *Coram ipso ministraui*, & sic ministrando, scilicet, quando nominaui me ancillã, in ipso momento consensus mei, quẽ expressi dicẽs:
Luc. 1. *Fiat mihi secundũ verbum tuum.* Concepto Saluatore firmata sum, id est, in bono cõfirmata: & hoc in Sion, id est, Militante Ecclesia, adhuc posita quod fuit mihi priuilegium speciale, alij enim sancti non in hac vita sic firmantur, vt de cætero peccare non possint, sed tantũ in superna Hierusalẽ, & hoc multipliciter persuaderi potest, & probari. Primò, quia Spiritus sanctus superueniens in eã, & ei obũbrans virtus Altissimi, extinxit in ea carnalem concupiscentiam, & abstulit cordis ignorantiã, quæ sunt duæ radices peccati, Filius etiam Dei, qui ignis consumens est, ad Hebræos, in fine, in eam descendens cõsumpsit in ea ignorantiã, sicut lumen ignis cõsumit tenebras, & virtus Altissimi, scilicet, idẽ

A Filius Dei obũbrauit ei, & contra omne incẽtiuũ peccati præstitit refrigeriũ. Mira illa obumbratio Spiritus sancti, quæ sub vno memento detersit, & exterminauit à Virgine tã ignorantiã boni, quã concupiscentiam mali. Quã integrè in ea cõcupiscẽtia extincta fuerit, probat profecto, quòd cùm virginitatis integritate postmodũ concepit, & peperit; quã profũdè illuminata fuerit, probat, quòd illud tantæ profunditatis Sacramentũ, tã veraciter, tã velociter credidit, quòd huius mũdi sapientibus vix tandẽ aliquando per tot, & tanta miracula persuaderi potuit. Secũdo, quia plena erat gratia Spiritus sancti, & ita nullus locus vacuus, quo peccatũ posset admittere, quia in pleno non potest plus recipi.
B Tertiò, quia nũquam reliquit eã Spiritus sanctus, & ita nunquam accessum ad illam habuit spiritus malignus. Quartò, quia Christus lux est, sicut ipse dicit: *Ego sum lux mũdi.* Ioan. 8. Item 1. Ioan. 1. *Deus lux est, &*
Ioan. 8. *1. Ioan. 1.* *tenebræ nõ sunt in eo vllæ*, peccata verò tenebræ sunt. Vnde Ioan. 3 *Dilexerunt homines*
Ioan. 3. *tenebras, plus quã lucem; non est autem conuentio Christi ad Belial, vel lucis ad tenebras*, 1. Cor. 6. id circo MARIA dicitur, So-
1. Cor. 6. phon. 3. *Filia Hierusalẽ auertit inimicos tuos*
Sophon. 3 *ex Israel, Dominus in medio tui, non timebis malũ vltra*, malũ, scilicet, culpæ venialis, vel mortalis. Quintò, quia ipsa erat triclinium
C Trinitatis; Pater potens, cui cõpetit vis irascibilis, roborabat eam, contra excellentiam superbiæ, filius sapiens, cui vis rationalis cõtra insipiditatem totius voluptatis prauæ; Spiritus sanctus cui vis concupiscibilis contra venenũ totius malitiæ. Omne verò peccatũ ab hac triplici mala radice habet originem, sicut dicitur 1. Ioan. 2. Sextò, quia ha-
1. Ioan. 2. buit Gabrielem ad sui custodiam deputatũ, qui interpretatur, fortitudo Dei, quo patrocinante, nihil in ea proficere potuit inimicus, nec ei nocere iniquitatis Filius apponebat, nec solũ vnicũ Angelũ; sed creditur, quòd infinitos; vnde ei dicitur: *Angelis suis mandauit*
Psal. 90. *de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis*,
D scilicet, cogitationibus, locutionibus, actionibus, & huiusmodi. Septimò, quia ipsa dicitur *Electa vt Sol*, Cant. 6. Quem neque ignis
Cant. 6. cõburit, nec aqua emollit, nec gladius scindit, nec fœtor corrũpit, nec vitrũ obsistit, & ita est incorruptibilis. Similiter MARIA, ex quo electa est in matrem Solis iustitiæ, & nouus quidem Sol factus est ab eo, qui fabricatus est Auroram, & Solem. Octauò, quia MARIA tota erat cœlum, quòd dissimilia non recipit, scilicet, vitia cum virtutibus, de quo cœlo dicitur in Ps. 102. *Dominus in*
Psal. 102 *cœlo*, id est, in Beata Virgine, *Parauit sedem*
suã ministerio Spiritus sancti. Itẽ de ipsa dicitur, sub appelatione supernæ Hierusalẽ. Apoc.
Apoc. 21.

21. *Non intrabit in eã aliquid coinquinatũ*, per consensum in cogitatione, vel faciens abominationem in actione, & mendacium in locutione. Vnde ipsa erat sicut vitrũ, quòd illuminatum à Sole non recipit nubilum. Ideo ei competit, quòd de Sapientia dicitur Sap. 7. *Sincera est, & ideo nihil inquinatum incurrit in illam*, quia impossibile erat, eam posse peccare de cætero. Nonò, quia ipsa erat *Hortus conclusus*. Cant. 4. per quem transire non adijciebat incircuncisus, & immundus. Et tantum de secunda Corona, sequitur de tertia.

Sap. 7.

Cant 4.

TERTIA CORONA B. MARIÆ Virginis, & prima Stella eiusdem.

TErtia Corona capitis glorioſissimæ Virginis MARIÆ est Corona beneficẽtiæ; nam magnis beneficijs nos ditauit, propter quæ meritò coronari promeruit. Vnde duodecim Stellæ huius Coronæ sunt duodecim beneficia, quæ nobis quotidie exhibet; vnde Regina mundi vocatur, iuxta illud, Aue mũdi Princeps, & Regina, quamobrem ipsa dicit: *Transite ad me omnes, &c.* Prima Stella est, lapsorum subleuatio. Secunda est, sordidorum lauatio. Tertia est, cæcorum illuminatio. Quarta est, desolatorum lætificatio. Quinta est, tentatorum adiuuatio. Sexta est, obduratorum mollificatio. Septima est, mortuorum viuificatio. Octaua est, in aduersis roboratio. Nona est, viæ salutis demonstratio. Decima est, in morte protectio. Vndecima est, contra ignem purgatorij refrigeratio. Duodecima est, in vita cœlesti suæ præsentię delectatio.

Prima igitur Stella est, Lapsorum subleuatio, Dan. 11. *Cũque corruerint, subleuabuntur auxilio paruulo*, id est, auxilio B. Virginis, quæ paruula dicitur propter eius humilitatem. De hoc habetur notabile exemplum de muliere, quæ conceptum ex proprio filio puerum interfecit, & qualiter eam dæmon apud Regem accusauit, & qualiter Beata Dei genitrix eam ab improperio liberauit, ex octauo libro Speculi historialis. Fuit quidam dives Romæ cum vxore, vterque genere nobilis, moribus laudabilis, sola eis proles deerat, cùm ad votum cætera cederent vniuersa. Conuersi igitur ad Dominum postulabant filium, effusi in misericordijs pauperum, commendantes se ad omnem conscientiam, secundùm Deum. Qui videns afflictionem illorum, dedit mulieri conceptum, & peperit filium, quo nato regales præparantur deliciæ, sonant organa, chori ordinantur. Interea dum charo filio pater minus cautè amore gratulatur, & charitate à carnalitate aliquantisper suffocata, non ita deuotè, vt prius in datoris gloriam assurgit, vel gratiam quærst, aliquoties tamen ad se reuersus cõpungebatur, nec illius carnalitatis impuritatem ferebat esse impunitam. Tandem pepigit fœdus cum Deo, vt sumptis pennis columbæ in peregrinam regionem, vel in inuiam solitudinem auolaret; vbi ignotus velut ignobilis viueret, vbi puritatis, vel pacis internæ soliditatem seruaret, sed quia alligatus erat vxori, cor eius ad sui propositi inclinauit assensum, quæ quidem querulos gemitus ingeminare cæpit, & singultos concusso pectore cum lachrymis dixit. Quamuis molestè dulcissimi vultus tui sustineam absentiam, hoc solum tamen amaricati cordis habeo solatium, & gloriandi priuilegium, quòd amori meo solùm video præponi Christum, & quia hoc sanctissimum votum scio, liberum te dimitto tantùm, vt amore casto me corde retineas. Illo exulante, sed in gaudio victricis conscientiæ exultante, materfamilias soluta à lege viri iam licentiùs, quæ Christi erant cogitabat, & liberalitatem in pauperes exercebat. Interea paruulum suum à lacte suspensum à cunis abstractum propensiùs nutriebat, & delicijs reficiebat, omni die, aut matris habebatur gremio, aut pendebat è collo, omni nocte inter matris vbera morabatur, omni in loco in memoria versabatur. Sic succedentibus infantiæ pueritia, & pueritiæ adolescentia, etiam tunc mater non eum ab amplexu arcebat, non ab osculo repellebat, non etiam à lecto. Quid plura? carnalis amor, quia non inuigilauit cautelæ, se inclinauit corruptelæ: filius pro marito admittitur, conceptoque fœtu mater misera corde, & corpore angustiatur, & impellente hinc inde verecundiæ, & doloris æstu pœnè in desperationem labitur; spe autem veniæ ducta, & animata non desistebat à ieiunijs, orationibus, vigilijs, eleemosynis. Interim veste ad hoc congrua ventis velato tumore, & per falsam hilaritatem vultus cordis dissimulato dolore ventum est ad diem partus, & tunc magna velut mare contritio eius. Hinc enim suadebant dolori silentium timor, & verecundia, hinc impellebant ad placitum dolor, & angustia: sic nascitur infœlix puer sumpturus de ortu occasum, de initio finem: nam sæua tigris vix benè natum arripiens suffocauit, & suffocatum in ima latrinæ proijciens, propera sepultura damnauit, & tunc quidem homines tam grande piaculum latuit, sed mundi princeps cùm in anima captiuam mulierẽ teneret, cogitauit, vt cõmune trophæum de ipsa statueret, volens etiã in eã

Dan. 11.

A

B

C

D

sæui-

fæuire flagellis, quæ sibi seruierat in flagitijs, sumpto igitur dæmon scolaris clerici schemate Romam venit, Curiam intrauit, proceres salutauit. Interrogatus, quis esset? Clericus inquit: Sum potens in Scripturis, nullus mihi secundus in quæstionibus soluēdis, in secretis edicendis, & vt peritiæ meæ certam habeatis experientiam, dicat quisque quicquid perdiderit, & ego manifesto illi furti auctorem. Auditis, qui omnium causis, certo veritatis responso singulis satisfaciebat, & furti reum, fugam etiam, si fur aufugisset, propalabat, ad noui famam coniectoris, tàm exteri, quàm indigenæ conueniebant, latrones diffugiebant, aut esse, quales fuerunt desinebant. Interea dum sic placens Regi, & optimatibus eius plebi sua damna resarsit de ore suo, pendente ipso Rege præsente, turbam circunstantem sic allocutus est: Si vos credulos, & attentos polliceamini, auditores, mira loquerer: & quidē vix credibile auditu, horribile dictu, crudele actu vobis enarrarem. Misericordiæ Domini, quòd non estis consumpti, quòd Roma funditus non corruit, cùm facinus præ omnibus detestabile in ea patratum sit. Mulier enim ista, quam sanctissimam dicitis, quæ in vrbis vestræ plateis, & angulis sibi per hypocrisim fāmæ titulum erexit, sceleratissima est, & omnium crudelissima fœminarum; nam de proprio filio conceptum filium proprijs manibus trucidauit; & ne videretur, in latrinam proiecit. Ad hanc vocem omnes consternati, noli, inquiunt, blasphemare munditiæ Sacrarium, pietatis Templum. Multæ filiæ congregauerunt diuitias, sed hæc supergressa est vniuersas, hoc est, inquit ille, quod dixi, quod difficilè crederetis mihi. Veniat, examinetur, & interim rogus in media platea paretur, in quo si confessa, vel conuicta fuerit, viuens incendatur. Sin autem, ego ligatis manibus atergo, medijs injiciar flammis. Placuit Regi, & Satrapis eius, & missis satellitibus, iussit eam honorificè introduci. Cui intranti Palatium omnes assurrexerunt. Rex autem ipse sedem ei parari iussit, & sibi confedere fecit, factoque silentio, ait ei: Non te latet noui fama Vatis, quem suscitauit Deus in salutem Romanæ gentis, quòd autem non parum dolemus in multis, non parum te accusat, & non satis credibilia nobis cōtra te dicit testimonia. Confitere ergo si quod feciſti peccatum, & da gloriam Deo, vel purgate à crimine obiectō. Illa autem vnctione, quæ de omnibus docet, inspirantes respondit: Quoniam grauis est causa, & nihil sine consilio facere docet sapiens, nec ego tutum fore credo coram Rege, & proceribus eius sine consilij patrocinio allegationem meam exercere, sic acceptis inducijs egressa est. Non est confisa in homines, sed toto corde per pœnitentiam confugit ad Christum. Vir autem vitæ venerabilis Lucianus nomine, tunc temporis Romanam ornabat Cathedram: eius pedibus prouoluta cum gemitibus cordis, & torrente lachrymarum calamitatis suæ recensiuit historiam. Ruptisque vestibus, & euulsis criminibus, requisiuit ab eo, vtrum per quod cumque malagma pœnitentiæ curari posset vulnus peccatricis conscientiæ? at ille videns compunctionem in ea vehementem, & totus super eam pietatis visceribas affluens, confisus in Dei misericordia, reatus veniam, & vitæ remedium promisit, dicens: Animò æquior esto filia, quia maior est Dei pietas, quàm quæuis iniquitas; nam & Petrus per lachrymas non solùm reatus sui veniam, sed Apostolici Principatus obtinuit dignitatem, sic Maria Magdalena per sanctificationem lachrymarum de vase contumeliæ meruit effici vas gloriæ. MARIAM verò Matrem Iesu Christi consulo, vt præ omnibus inuoces, eamque assiduis precibus frequentes. Ipsa enim vnica spes reconciliationis humanæ, ipsa præcipua causa æternæ salutis: nolo autem tibi multa iniungere, quia tempus habes breue, sed Dominica oratio tibi sit absolutio pro peccato. His sermonibus animata mulier manus in cælum, & cor ad MARIAM leuabat, orans eam in multo fletu, vt eius liberaretur interuentu ab impetitione aduersarij, & confusione communi. Statuta itaque die, cum familiaribus perrexit ad Curiam, & erat eius spes de cœlesti adiutorio pendens, & cor maximè in MARIA fiduciam habens; nec deesse potuit mater misericordiæ tam mirabilibus suspirijs pœnitentis, sed inuisibiliter eam protegens præsentia suæ Maiestatis iudicandæ astitit ante tribunal terrenæ Maiestatis. Hac igitur Beata Comite mulier munita intrauit Consistorium, & à Rege, & à Populo reuerenter accepta consedit in medio, omnibus facta spectaculum. Tunc enim ore clauso, & aure aperta, Rex ait Clerico: En quam accusasti, Domina præsens est. Narra si quod habes; at ille intuitus mulierem mirabatur, quę hæc esset. Re vera, inquit enim non ipsa erat, quæ priùs, sed altera, quia per gratiam Sancti Spiritus alterata. Cumque omnes instarent, vt loqueretur, non, inquit, hæc incestuosa, & homicida illa, quam accusaui: hæc est enim sancta, hæc speciosa inter filias Ierusalem; hæc est, quæ ascendit de deserto delicijs affluens, innixa super dilectam suam: quod enim dicere timeo, & tacere non possum, MARIA Mater Iesu ei assistit, eamque confouet, & custodit, ad hāc vocem omnes in stuporem versi frontes suas vexillo crucis armauerūt, & diabolus virtutem signi Saluatoris non sustinens, quasi fu-

mus euanuit ex oculis eorum, omnisque cõcio gaudens MARIÆ iura gratiarum persoluit, & mulier sic liberata à macula conscientiæ, & famæ coram omni populo inuenit nomen grande, iuxta nomen magnorum, qui sunt in terra. Ex hoc exemplo satis claret, quòd MARIA verè est lapsorum subleuatio, & quòd nullus, qui Matrem Domini sinceriter diligit, vel ei fideliter seruierit, perire finaliter possit, quantumcumque grauiter etiam deliquerit.

Secunda Stella tertiæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd ipsa est sordidorum lauatio.

BEata Virgo MARIA in suis famulis mũditiã castitatis diligit. Vnde de ea 1. Re. 25. *Ecce famula tua sit in ancillã, vt lauet pedes seruorũ tuorũ.* Hæc dixit Abigail ad Dauid id est, MARIA ad Christũ, quę vult lauare cõscientias nostras, intellectũ, videlicet, & affectũ à sordibus vitiorum; aliàs enim obsequiũ, quod ei impendimus, non est ei gratũ, nec acceptũ, vt sequenti patet exẽplo: Fuit quidã miles, qui licèt malè viueret, & lubricè, tamen ob amorẽ B. MARIÆ quã diligebat, quinquaginta Aue MARIA quotidie dicere consueuerat. Cũ hic quidã die pro suis negotijs equitaret, inuenit quandã Ecclesiã, in quã gratia orandi, ac soluendi debitum B. Virgini declinauit. Illo autẽ deuotè orante, Aue MARIA, aliquãtulũ obdormiuit, viditque in somnijs B. MARIAM pulcherrimè adornatã, & cũ ea Angelorũ, & Virginũ multitudinẽ præcedentẽ, introeuntem per Ecclesiã. Vnus autẽ portabat cibaria pretiosissima & peroptimè parata, cui B. Virgo dixit: Da illi ad comedendũ. Vas autẽ, in quo erãt illa cibaria delicatissima, ita erat horribile, squalidissimum, & immundum, quòd solo visu fastidium, & abominationem maximam, & nauseam præstitit intuenti. Et cùm Beata Virgo eum moneret, vt comederet, Respondit: Charissima Domina, nullo modo edere possum de hoc cibo, quamuis delicato propter sordidissimum squalorem vasis, & eius fœtorem intolerabilem, cui illa, sic tu facis mihi; quia salutationem meam, quam multùm diligo, propter vitæ tuæ infamiam non accepto, nec seruitium tuum mihi placet, quod cum corpore sceleroso, & polluto corde fit, nisi sanctificatum fuerit. Ex hoc breui exemplo satis clarè apparet, quòd Beatæ Virgini sordes non placent, quia ipsa purissima fuit, & ergo eas in suis seruis reprehendit, & vt eas lauent, admonet, quia *vestimentum mixtum sanguine*, id est, corpus mortali peccato *fœdatum erit in combustionem.* Esai. 9. Ideo dicitur Eccles. 9. *Omni tempore vestimenta tua sint candida*: vel vestimentũ mixtum sanguine est conuersatio polluta per luxuriam. Apocal. 3. *Ambulabant mecum in albis*, scilicet, si fuerint in albis, & loquitur de illis, qui non inquinauerunt vestimenta sua, id est, corpora per maculam peccati mortalis, & tales debent esse serui Beatæ Virginis MARIÆ.

1. *Reg.* 25

Eccles. 9.

Apoc. 3.

Tertia Stella tertiæ Coronæ B Virginis est, quòd ipsa est cæcorum illuminatio.

CÆcorum illuminatio est Beata Virgo MARIA. Vnde ipsa Eccles. 11. 24. dicit: *Illuminabo omnes sperãtes in Domino*, quod tã de cæcitate mentis, quàm corporis potest intelligi. De hoc pulchrum habetur exemplum de cæco illuminato meritis B. Virginis in festo Purificationis ipsius, ex libro miraculorum Beatæ Virginis excerptum. Tẽporibus Beati Bonifacij Papæ, qui prout in Ecclesiasticis historijs legitur, Templum Pantheò à Phoca Cæsare impetrauit, vt in honorem B. MARIÆ, semperque Virginis, ac simul omnium Sanctorum consecrauit. Facta est in vrbe Romana inter Iudæos, & Catholicos non parua seditio. Impugnabant enim Iudæi fidem incarnationis Iesu Christi, asserẽtes Beatissimam MARIAM de semine Ioseph, non de Spiritu sancto Christum concepisse, adiacentes omnimodis impossibile forè Virginem contra naturam parere posse. Cùmque diutiùs hæc altercatio Romę haberetur, etiam Christiani feruentissimo fidei zelo profanos Iudæos nisi citiùs resipiscerent, & ad baptismum conuolarent, ex vrbe pellere vellent, erat quidam eiusdem vrbis ciuis cæcus natus, sed tamen Christianus, literis apprimè imbutus. Hic quidã die magno fidei amore succẽsus disputãdo aggressus est, & tãta illos cõstantia redarguit, vt penè omnes inuenirentur elingues. Ad vltimum verò Iudæi ad conuitia conuersi dixerunt. Tu cũ sis homo peccator, & in peccatis totus natus, quomodo ausus es fidem Christianorum defendere: nõ ne liquidò patet Christũ tuum, adeò impotentem esse, vt non possit etiam tibi lumina restaurare? Ad hoc cæcus fide plenus, expectate, inquit, triduo, & videbitis in me magnalia Dei viui. Instabat autẽ die tertio Purificatio S. MARIÆ. Quo audito, Iudæi indignè tulerũt, & subridẽdo dixerunt: Certè Christus, quẽ patres nostri crucifixerũt, nõ potest tibi oculos reddere, quia nec se metipsum potuit de mortis periculo liberare: attamen si in præsentia nostri te illuminauerit, pro certo nos omnes credere habebimus in illum. Et tunc liquidò constabit, quòd ipse sit Filius Dei. Cæcus verò hæc domi-

Eccles. 24.

Domino Apostolico Bonifacio indicauit. Tunc Papa omnibus Iudæis mandauit, quatenùs vnanimiter ad Templũ Pantheon concurrerent in nocte Purificationis ad Vigilias, quod & factum. Ductus est & ille cæcus in medium, plenus fide, nihil hæsitans de propositis. Cùmque ab omnibus fidelibus, & Clero præsente Apostolici Nocturni Hymni ibidem dicerentur, & iam octaua lectio recitata fuisset. Cæcus se ante Altare Matris Domini perduci rogauit, ibique canere cœpit responsorium illud. Gaude MARIA Virgo, cunctas hæreses, &c. cum Versu, vsque finem. Quod sibi ante biduum, quia musicæ artis gnarus fuit, compos erat, in quo tam viuaciter Iudæorum errorẽ confutauit, vt sub oculis omnium, qui aderant, cõpleto versu vera lux, quæ Christus est, genitricis suæ interuẽtu, cuius virginitatis integritatẽ in eodẽ cãtu idoneè defendit, clarissimũ ei lumen oculorũ reddiderit, qui ei mentem fidei primitus illuminauit: quo viso miraculo, Gloria in excelsis Deo canitur, & Virgo Mater, quæ cæco duplex lumen tribuit, ab omnibus honoratur. Iudæi quoque ad quingentos viros mox ad Baptismum conuolarunt. Reliqui fuga lapsi vlteriùs visi non sunt, & tunc ob memoriam illius rei institutum est ab Ecclesia, vt idem responsorium in eadem festiuitate octauum locum obtinere perpetuò debuisset.

Quarta Stella tertiæ Coronæ Beatæ Virginis MARIÆ est, quòd ipsa est desolatorum lætificatio.

DEsolatorum lætificatio Beata Virgo MARIA iure vocatur; quia de ipsa Cant. 1. dicitur: *Meliora sunt vbera tua vino.* Meliora enim sunt vbera pietatis MARIÆ peccatoribus, quã austeritas seueritatis iustitiæ Dei, quæ signatur in vino. Ad literã. Vinum lætificat carnem, sed vbera ista pietatis MARIÆ iucundat mentem, quod clarè in quadam Abbatissa patet prægnante, quam Beata Virgo ab infamia liberauit, & in extrema desolatione lætificauit, exceptum ex libro miraculorum Beatæ Virginis. Fuit quædam Sanctimonialium nomine, & actione Abbatissa, strenuè sancti regiminis curam exequens, & spirituali zelo subiectam sibi Congregationem ad sacri Ordinis custodiã per rigorem cõstringens, sed quia bonorum profectus prauis animis liuoris ingerit pœnas; cæperunt ei Moniales pro bonis mala rependere, & pro impensa mirifici cura regiminis odiorum studia exercere, sociauitque se liuori earum insidiatoris antiqui semper infesta malignitas; nam eius subplantata fraudibus illa pia mater cum dapifero incæsti crimen incurrit, & concepit. Nec tamen destitit re-

A gulari rigore subiectum sibi gregem ad obseruantiam ordinis coarctare, & inutiles vagandi licentia, singulis denegare. Instante autem tempore partus, tam per incestum, quàm per cibum à Monialium muliebri sagacitate imprægnata deprehenditur. Resque singularum relatu in notitiam omnium producitur, omnesque se in ea causam accusationis inuenisse exultant, quam suis voluptatibus aduersam iudicabant, scribuntur literæ accusatrices criminis deprehensi Episcopo in cuius ille locus erat Diœcesi. Imminet, illa nesciente, Pontificis aduentus, & ipso onere suo grauis, quid ageret ignorabat. Erat ei priuata Capella, vbi quotidiano vsu so-
B lebat horas Beatæ MARIÆ Virginis dulciori, quo poterat affectu decantare. Hanc ingrediens laudes solitas persoluit: finitis horis, toto corde, & corpore se in oratione prosternens precibus lachrymosis, ac profundis suspirijs piissimam Dei genitricem MARIAM obnixius orabat, eius interuentu, & reatus sui veniam obtinere, & horrenda opprobria imminentis sibi confusionis euadere. Inter hæc subitaneo oppressa somno, in silentium commutatis clamoribus, obdormiuit, cui dormienti pia Virgo, comitantibus duobus Angelis apparuit ei, & mœstam
C clementer alloquens, ait: Audiui orationem tuam, noueris me tibi à dulcissimo Filio meo impetrasse & à peccato veniam, & à confusione, quam times, liberationem plenissimam. Tunc duobus Angelis præcepit eam prolis onere, quo grauabatur, exonerare, & cuidam Eremitæ in vicino posito deferre, cui vt per septem annos gereret curam, mandauit, quod & fecerunt. Denique Abbatissa euigilans omni, quo priùs cruciabatur onere carere se sensit, ac Deo, & liberatrici suæ sanctissimi Dei genitrici semperque Virgini MARIÆ inæstimabiles gratias egit. Interim inuitatus Antistes veniens Capitulum intrauit, Abbatissam vocare præcepit. Quæ ingressa in loco sibi solito Præsuli considere festinauit. Quam accedentem
D Antistes opprobrijs aggreditur, & iniurijs fatigatam citò exire compellit. Duos quoque Clericos, qui diuulgatum crimen explorarent, mittit, qui accedentes, & attendentes, nullum in ea veteri prole fœcundi signum deprehendunt. Mulieris innocentiam præsuli denunciant, sed illos ipse pecunia corruptos æstimans per seipsum rei veritatem curiosiùs explorat. Itaq; nullũ in ea criminis obiecti vestigiũ cernẽs ad pedes eius corruit veniã de illatis iniurijs expõscit, omnib⁹ quę ei crimẽ obiecerãt vehemẽter irat⁹, vt de Monasterio citiùs exirent, præcepit. Abbatissa verò eas, licet malouolo animo, vera tamẽ dixisse perpendens, ad honorẽ B. Dei genitricis MARIÆ benignæ libertatricis suę maluit

peccatum, quod fecerat Episcopo reuelare, criminatrices suas aduersa pati permittere. Itaque ad eum secretè accedens coram eo se humiliter prosternit, eique omnem rei ordinem pandit. Miratur ille, & Deum in gloriosæ Virginis MARIÆ, & Beatæ Dei genitricis immensa pietate benedicēs, duos ex clericis ad Eremitam pro causa pueri solicitus inquirenda transmisit. Veniunt ergo, de puero sciscitantur, & edocti ab homine, puerum ea die natum, & à duobus iuuenibus paulò antè delatum, & ex parte Beatæ MARIÆ sibi ab eis commendatum conspiciunt, & reuertentes omnia Pontifici referunt: lætus igitur, vt Mater Dei præceperat, cum homine Dei nutriendum septem annis permisit, quem post in sui curam susceptum ad litteras posuit religioni, ac scientiæ clarum successorem sibi idoneum educauit; nam ipso vitæ suæ peracto cursu in Domino requiescente, in Episcopatu ei successit, Beatæ Dei genitricis, ac semper nominandæ Virginis MARIÆ gloriam, vita, & verbis magnificè prædicauit. Accedant itaque ad tam potentis Reginæ, & lætificatricis medicinam omnes ægroti, seu desolati veniant, sanentur, lætificentur, sanati, ac lætificati Beatam MARIAM correctis moribus, studiosis laudibus venerentur. Nescit ergo miseros deficere pietas illa, quia sæpè quos filij iustitia damnat, matris misericordia liberat; vnde Deut. 32. iustitia filij dicit, *Ego occidam, & percutiam*; misericordia Matris respondet, *Et ego viuere faciam*, sicut patet in ista Abbatissa.

A

B

C

Quinta Stella tertiæ Coronæ Beatæ Virginis MARIÆ est, quòd ipsa dicitur tentatorum adiuuatio.

TEntatorum adiuuatio, seu adiutrix MARIA dicitur; nā de ea Eccles. 24. scribitur: *Quasi platanus*, quæ habet folia ad modū scuti *exaltata sum ad aquas*, id est, iuxta populos baptizatos, siue tentatos. Et Ps. 34. cā alloquitur, dicens: *Apprehende arma, & scutū, & exurge in adiutoriū mihi*. Quāfidele autē adiutoriū, & auxiliū B. Virgo tentatis præbeat, per subsequens manifestè declaratur exēplū: Olim fuit quidam Monachus in Congregatione Monachorū, quem Domina nostra suum familiarissimum esse tali modo dignata est ostendere. Contigit aliquādo, vt credo, instigāte diabolo, illum in cellario bibisse, vt putaretur omnino sine sensu esse, ex quo cūiam advesperascente die ita imbutus exiret, ac versùs Ecclesiam per claustrum tēderet, visus est ei diabolus in specie cuiusdam miræ magnitudinis tauri occurrere, ipsumque de suis cornibus pelle transfodere. Tunc ecce quandam puellam decoram facie, ac super humeros diffusa cesarie, ante illum in sua manu dextera quandam niueam mappulam habētem vidit altare, quæ ipsum increpans diabolum, cur erga suum famulum talia ageret? iussit, vt cito discederet, nec quidquam mali ei ampliùs facere præsumeret. His dictis, disparuit terror dæmonis, & visio pulcherrimæ Virginis. Denique cùm cæptum iter perageret, & Ecclesiæ appropinquans dæmon quasi canis vehemens, & nimis terribilis ex improuiso contra illum prosilijt; sed prædicta puella, vt ante ei apparuerat, præsens affuit, ipsumquè dæmonem procul ab illo repellens, liberum ire præcepit. Sicquè discessit diaboli phantasia, & puellæ illius visio pulcherrima. Tandem Ecclesiam, quam petebat, pro dæmonis expulsione, & pro Virginis consolatione securior intrat. Quo intrante, adest iterum humani generis inimicus, terribilior, quàm priùs velut leo immanissimus aduersus eum rugiens, & impetum faciens, quasi eum eadem hora esset deuoraturus. At verò puella, quæ primò, & secundò eum liberauerat, prius, quàm ei aliquid mali faceret, accurrit, & de virga, quam in manu gestabat, ipsum diabolum acriter verberauit. Hæc dicens. Quia mihi obedire noluisti, hæc ad præsens accipere meruisti, sed si eum amplius adire ausus fueris, & in æternum maiora sustinebis. Itaque versipellis diabolus tribus vicibus deuictus, immo verberibus affectus, statim vt fumus euanuit, nec vltra comparuit. Postea quidem puella Monachum per manum accepit, & illico conualuit, & quasi nihil bibisset, in suum sensum redijt. Et sic tenens manum eius cum ipso pedetenus perrexit, & vsque ad lectum suum per gradus, qui intererant, eum adduxit, vbi ambo peruenientes puella lectum discooperuit, Monachum intro collocauit, caput ipsius super capitale suauiter reclinauit, ac signum Crucis in eius frontem impressit, & ait: Crastina illum tali nomine vocitatum, tibi benè notum, vt socium, mihi autem ob suum obsequium amicum veracissimum te iubeo requirere, atque ei puram confessionem facere, & quæcumque tibi iusserit, vide, ne differas adimplere. Tunc Monachus valdè iam exhilaratus satis humiliter, (vt ita dicam) suæ adiutrici taliter respondit. O Virgo dulcissima! tibi amodo toto corde obedire desidero, sed quæso, si placet, vt tuo mihi seruulo prius indices, quàm à me recedas, quænam es tu, quæ mihi impendis tanta beneficia? ad hæc illa se MARIAM Matrem Dei nominat, à quo facta est, cùm non erat, sicut & cuncta fuerant, per quem ipsa suos seruulos seruare poterat. Quæ illa voce audita cum magna cordis lætitia, medullitus labijs charitatis illius totus in feruo-

Eccles. 24

Psalm. 34

D

rem

rem dulcedinis ipsius gloriosæ matris succẽsus, manum in altum cum ardore fidei concitus eleuat, eamque tenere, & eius pedes osculari, atque vt suam saluatricem, & Domini sui matrem adorare nititur, & amplecti. Sed mater Domini casta, materq; misericordiæ, & pietatis, spes humilium, & consolatio miserorum, quoniam eidem magnum iam per se impendebat beneficium, dum ab illo teneri creditur, repentè altiùs euolans disparuit, ipse verò grates ei reddidit innumeras, & deinceps eam feruentiùs amare, & deuotiùs vsque ad finem vitæ ei seruire studuit.

Sexta Stella tertiæ Coronæ B. Virginis MARIÆ est, quòd ipsa obduratorum dicitur mollificatio.

OBduratorum mollificatio B. Virgo MARIA iure nominatur. Quod Num. 20. pulchrè præfiguratur: sic enim ibidem legitur: *Cumque percussisset Moyses virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ.* Virga est Beata Virgo, iuxta illud: Virgo Dei genitrix virga est, silex est cor durum, bina percussio fit, quando ipsa Beata Virgo suis meritis, & intercessionibus facit hominem peccatorem declinare à malo, & facere bonum, à quo egrediũtur aquæ lachrymarum largissimæ; vnde in libro Apum tale habetur exemplum de iuuene, quodam dissoluto, & in peccatis omnino obdurato, qui mediante salutatione Angelica meruit videre Beatam Virginem in magna claritate, & à corruptione carnis præseruari. Iuuenem fuisse prope nostra tempora in Germaniæ partibus certa relatione didicimus, qui mortuis parentibus, malorum consilio deprauatus hereditatem præclaram in ludo tesserum, & tabernis totaliter dissipauit, qui etsi aliàs stultus, castitatem tamen corporis conseruauit, quẽ quidam miles patruus eius non modicè miseratus obuiam quadam die habens, ita alloquitur, dicens: Malè te competit, cõsobrine charissime, taliter oberrare, qui clarus genere, probum virũ, & magnũ te efficere potuisses, nisi te talis insania rapuisset. Cuius verba cũ tanquam muliebria iuuenis deriderit, subiũxit, dicens: Est ne aliquid chare meus, quod pro me facere tu curares? Cui ille, est vtique & miles, volo vt gloriosam Dei genitricem MARIAM salutes quinquaginta vicibus omni die, cui cùm chachinando responderet hoc semel vtinam facere possem, & non omni die, patruus insistens, dixit. Hoc te facere modis omnibus oportebit, si quando oculis misericordiæ suæ te gloriosa Virgo respiciat, & pro tua miseria filium suum interpellet, ad huiusmodi verba annuit iuuenis, & recessit. Inde post annũ contigit, patruum videre iuuenem, quem & si promissum seruasset, interrogat, & ille, seruaui, inquit, & nollem me vllatenus non seruasse. Remissius enim mihi est, quàm antea in vanitate mundana, cui patruus cum gaudio dixit; ergo & isto anno sequenti seruitium matri Christi in salutationibus duplicabis, & iuuenis. Fiat, inquit, exacto autem secundo anno, reuersus est ad patruum dicens: Iam suffragãte matre Christi omnis vecordia miserrimi mei status, & obdurati cordis euanuit, & firmo benè faciendi proposito voluntatis meæ constantia stabilitur. Cui patruus cum lachrymis dixit: Benedicta sit pietatis mater, & tibi quoque, charissime, gratias refero, qui salubri consilio credidisti; nihil ergo restat, nisi vt anno præsenti propositum tuum fixum experiar, & si dignum inuenero, condignas tibi nuptias procurabo: tu autem medio tempore, auxiliatricem, & mollificatricem tuã in salutationibus quinquagenæ tertiæ sedulus honorabis. Consensit iuuenis, stabilis inuentus est, & euoluto anno impleuit patruus, quod promisit iuueni. Constituit nuptias, & instaurato conuiuio ex vtraque parte, conueniunt parentelæ. Positisque mensis, & lotis manibus, cùm iam spõsus, & sponsa cõmessuri pariter consedissent, exinopinato memor sponsus, nondum se pensionis debitæ salutationes, illa die gloriosæ Virgini MARIÆ occupatus alijs persoluisse, repentè surgens susurrat patruo, vt paullulũ induciet, fercula ministrando, quo annuente, solus iuuenis intrat thalamum, soluit matri Christi, quod vouerat eo deuotiùs, quantò se clementiùs probauerat exauditũ, nec mora, vt extremã salutationẽ ternæ quinquagenæ iam complet, apparuit ei Beata Virgo lucidior super Solẽ, tres togas in tunica iuueni, vnam anteriorem, & duas laterales ostendens. Ecce, inquit, salutationes tuæ litteris aureis scriptæ, quibus me in tribus quinquagenis sedulus honorasti. Et quoniam in tuo corpore licèt vanus, & vagus virginitatis tamen mundiciã conseruasti, mox te febris lenta corripiet, & ad me tertia die sine vlla carnis corruptione peruenies; hoc dicto, gloriosa Virgo disparuit. Iuuenis autem egressus hortabatur omnes lætari, epulari, gaudere, se verò appetitu comedendi destitutum ad præsens cũ eis esse non posse; singulis verò ad mensam sedentibus, & comedentibus, iuuenis interim lectũ ascendens, & facto prandio sponsam suam, patruum, & amicos suos in thalamum conuocauit, & eis, quid sibi contigerit, vel dictum fuerit, indicauit. Mortuus est ergo iuuenis die tertia, vt prædixit. Spõsa verò eius postmodum nulli nubere volens in sancta virginitate permansit.

Septima Stella tertiæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd ipsa mortuorum viuificatio dicitur.

MOrtuorum viuificatio Beata Virgo dignè nuncupatur; vnde ipsa Ecclesiast. 24. non insipienter gloriatur: *In me omnis spes vitæ, & virtutis.* De hoc in speculo historiali de quadam muliere, quam ipsa à mortuis suscitauit, donec peccatum suum confiteretur, tale habetur exemplum: In territorio Lingonensi erat quædam mulier Beatã Virginem valdè amans, ipsi, & filio eius in sanctitate, & iustitia seruiens, quæ cùm adhuc iuuencula esset, quoddam perpetrauit peccatũ, quod non tam sui pondere, quàm dictu horribile menti eius naturaliter, & verecundum portẽtuosumq; videbatur. Aliàs igitur strenuè in bonis operibus potens, & de cæteris excessibus per annum more Christianorum Sacerdoti suo Confessionem faciens, hoc solùm peccatum dicere subterfugiebat, propter pudoris cõfusionẽ. In fine tamẽ illud cõfiteri intendens, non manifestè, sed quasi occultè addebat de consuetudine, de his, & alijs, si quæ sunt in me, de quibus confessa nõ sum, Dei misericordiam, & vestram absolutionem postulo. Frequentiùs tamen ad Ecclesiam accedens, & ante quandã Beatæ Virginis Imaginem, toto corpore prouoluta iacens in amaritudine sua, illum quẽ zelabat, reatum loquebatur. Fundensque lachrymarũ diluuium, Christo faciente, & MARIA fauente, tandem aduertit versutiam confitentis solertia Confessoris. Etenim frons, ac genarum color subito mutatus, & tremulæ sonus vocis animum eius exæstuantem loquebantur. Cœpit ergo pius pastor peccatricem suauibus verbis, & suasibilibus allicere, vt ab ea exigeret tanti gemitus notitiã per confessionis veritatem. Cœpit bruto peccatori differere peccatorum diuersitates, & circũstantias, dæmonum peruersitates, & instantias, at illa conscientiæ domum euertens, pura confessione exprimeret, si quod delictum reliquisset, vel suppressisset; sed ligantes eius diabolo non potuit confiteri, nec vires habuit pariẽs, licèt ei cura obstetricis assisteret vigilans. Ipse etiam quendam de Cluniacensibus Priorem consuluit, vt ei de mulieris confessione fictitia admonito, & præmonito ipsam, vt eius cõsilio firmaretur, destinauit. Qui etiam confitentis audita conscientia, & in suspirandi modo, notata illa versutia fategit, vt tortuosus coluber de cordis eius latebra ejiceretur; sed quia serpens momorderat, non in sibilo, scientia nõ fuit incantatori; denique mulier sine peccati illius confessione rebus humanis exempta est, & potestati iudiciariæ præsentata tristem excepit sentẽtiam, sed postulante MARIA pro supplice sua, & Iesu adiudicante pependit in cœlesti Curia edictum, vt ad corpus rediret anima peccatricis; & quoniam sine confessione non constat salus, viuens Sacerdoti confiteretur, & sic de nouo morti quod suum est soluens Beatorum cætui sociaretur. Interim positũ in media flebili propinquorum frequentia seruabatur cadauer exanime, & ecce anima subitò reuertente, feretrum cõtremuit. Corpusque infremens, & in vocem planctus erũpens, fragoso sonitu domum concussit. Præcipitabant fugam circunstantes, & præoccupabant iter ad portam, sed qui arctiùs eam dilexerant, sustinuerunt, & licèt trepidi propiùs accesserunt. Colligẽtes itaque vitæ certitudinẽ ex motu, & ex voce, solutis fascijs erexerunt eam, Christi laudes, & MARIÆ præconia inculcantem: erecta ergo, vocatoque Sacerdote, de peccato illo cum cætis, fecit confessionem, ac communione accepta aliquantisper allocuta circunstantes prædicauit suam liberationem. Continuòque oculos clausit in morte, & suffragantibus Beatæ Virginis meritis, requieuit in pace.

Ecclc. 24.

Octaua Stella tertiæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd ipsa firmissima in aduersis est roboratio.

ROboratio in aduersis MARIA non incõgruè dicitur; nam de ea Esai. 28. ita scribitur: *Vrbs fortitudinis nostræ Sion*, id est, B. Virgo MARIA. Quod quàm verum sit, sequenti declaratur exemplo: In loco, qui Tũba dicitur, quædam Ecclesia in honore Michaelis Archangeli honorificè admodum constructa est. Ille verò locus Oceano vndique cinctus, ipso æstu, qui Græcè reuma dicitur, nimis terribilis propter accessum maris marina nuncupatus, & propter recessum redona dictus, omnibus aduenientibus, & limina Sancti Archangeli petere desiderantibus, his in dies sinum prætendit: non autem, vt cętera, MARIA gradatim vertitur, sed pręcipiti cursu cum magno fremitu, & strepitu, terrificoque sonitu accurrens, sæpè intercipit iter agentes, & ideo iste locus periculum maris appellatur. Omnium itaque terrarum populi hunc locum in solemnitate Sãcti Archangeli Michaelis iugi deuotione frequentant, Angelica suffragia perhoc se posse adipisci sperantes. Quadam igitur festiuitate ipsius Archãgeli turbis ad eius limina properantibus, ecce iam in medio arenæ maris positis adfuit inter cæteros quædam mulier pauperecula vicina partui, omnimodis iã grauida, tum ecce subitò terribilis maris sonitus intonat, & cunctis præpeti cursu more amentium fugientibus, ipsa miserrima mulier, nullum humanum habens auxilium, sola remansit, vsu etiam pedum præ nimio timore,

Esai. 28.

more, dolore, & labore destituta. Irruerant enim in eam, vt alia quædam diuina pagina narrat, dolores subiti: Quid ageret, quò se verteret, ignorabat clamabat cũ eiulatu miserabiliter, auxiliũ petẽs, sed vnusquisq; seipsũ tueri cupiẽs, audire dissimulabat. Quod forte non casu, sed magis diuina gestum voluntate constat, quatenus Christi bonitas ex hoc maximè in tribulatione præsẽs, eiusque pijssimæ matris misericordia omnibus claresceret. Igitur absente humano auxilio, recurrit ad diuinum, Deum lachrymabili voce inuocans, & eius genitricem Sãctam MARIAM, & Sanctum Michaelem Archangelum. Populus omnis ad hoc spectaculum in littore cõsistens, geminas manus ad sidera tendens, Dei, & eius misericordissimæ matris MARIÆ auxilium flebiliter inuocabant; vniuersis ergo Christi adiutorium implorantibus, aduenit Domina nostra, Dei genitrix, semperque Virgo MARIA, vltra omnem Angelicam, & humanam misericordiam pia, & veluti ipsi mulieri videbatur, manica super eã proiecta, ita intactam à terrisono impetu maris reddidit, vt nec minima etiam gutta totius abissi illius vestimenta contingeret. Ibi igitur quasi in tutissimo habitaculo posita, peperit filium sine timore, illic permanens, donec iterum mare suos fluctus in se retrahens, liberum iter eundi mulieri præberet. O mira Dei virtus! Seruauit enim olim Ionam Prophetam tribus diebus, & tribus noctibus in ventre cæti. Istam mulierculam in medio aquarum reseruauit per Stellam maris MARIAM. Erant quondã antiquo populo Dei aquæ quasi pro muro à dextris, & à sinistris, huic autem pauperculæ ad instar domus per Reginam cœli, & terræ extiterunt in necessitatibus suis. Refertur à quibusdam Sanctum Michaelem Archangelum quendam suum peregrinum per subleuationem aquarum liberasse à periculo maris, sed hanc mulierem Domina mundi in ipsis fluctibus liberauit à periculo mortis. Quis tantam Dei genitricis pietatem considerare sufficiat? Quis Reginam cœli, & terræ pauperculæ mulieri tãcitò in necessitate tanta succurrẽtem nõ miretur? Venit itaque cum puero ad littus, quę sola in mari relicta erat, miraculum omni populo præbens: æstimabant enim eam in põto necatam: hic reuera quilibet sapiens illam veridicam sententiam prætẽdere potest, vbi deest humanum auxilium, sine dubio adest diuinum. Cerneres namque super eam mirabili facto vnumquemque vltra quàm dici fas sit, gratulari, mirari, & quasi incognitum referre alteri, omnes in communi pijssimam misericordiam Dei genitricis, & semper Virginis MARIÆ prædicare. Denique pergit mulier cum puero ad Ecclesiam Sancti Michaelis, vbi Deum omnes laudabant, & quàm pia roboratio in aduersis Domina nostra MARIA sit, cum magno tripudio clamabãt.

A

B

C

D

Nona Stella tertiæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd ipsa viæ salutis demonstratio dicitur.

PIæ salutis demonstratio dignè MARIA dicitur, ipsa enim est illa columna, quæ filios Israel introduxit in terram promissionis. Psalm. 104. *Dedit nubem in protectionẽ eorum, & ignem, vt eis luceret per noctem.* Peccatores enim in nocte ambulant, & tenebras diligunt. Qui dum per Beatam Virginem admonentur, vt peccata deserãt, & per veram confessionem ad lucem redeant, quasi per eam ducatum recti itineris, & viæ salutis accipiunt. Istud patet de quodam milite, qui admonitus erat per quandam vocem, vt cõfessionem faceret propter Aue MARIA, cum quo semper salutauit Imaginem Beatæ Virginis MARIÆ: ex quodam Mariali. Quidam Rex obsedit quandam ciuitatem, in qua erat miles quidam multùm secularis, & rarò confitens. Vna autem nocte audiuit in exercitu vocem, dicentem sibi. Confitere. Secundò dixit: Pauper homo, surge, cõfitere, quia cras morieris misere. Qui valdè stupefactus surrexit, & confessorem quærere voluit. Vnde accidit, quòd Episcopus ciuitatis, & duo fratres cum Episcopo euntes militi obuiam venerunt, miles Episcopo inuocato, vnum de fratribus sibi pro Confessore obtinuit. In confessione narrans visionem, dixit, quòd mori eadem die deberet: frater rogauit militem, vt ei diceret, vnde donum tale à Deo haberet? Qui ait: Nescio Domine, sed hoc scio cũ paruus essem, mater mea duo me docuit, & rogauit, vt causa sui obseruarem. Primum est, quando Imaginem Beatæ Virginis pertransirem, ipsam cum Aue MARIA salutarem, pileum deponendo, & ei reuerenter inclinando, & sic abirem. Secũdum, vt nunquam ponerem me ad lectum, nisi ad minus dicerem vnum Aue MARIA, & vt mihi bonum finem concederet, eam rogarem, & hoc vsque huc tenui, & heu parũ bonum plùs feci. Qui post confessionem ad locum suum rediit, & sanus cum maxima contritione finem suũ expectauit. Episcopo hoc elato per Confessorem, considerans, miro factum modo, & admirans, contigit eodẽ die, vt ciues machinam probare vellẽtipsum, solùm casu lapidis occiderent, & saluatus fuit per Beatam Virginem, qui ei per antidotum confessionis viam salutis ostendit.

Psal. 104

Decima Stellatertiæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd ipsa in morte est protectio.

PRotectio in morte iure MARIA nominatur, dum quilibet per eam in mortis periculo liberatur. Vnde de ea, Ecclesiast. 15. legitur: *Obuiauit illi, quasi mater honorificata:* vnde ei quotidie cantamus: in hora mortis susci pe. Hoc patet de puero in Vigilia Paschæ concepto, & æternæ morti addicto, quem Dei genitrix de inferno eripuit. Ex Speculo historiali. Fuit quidam vir nobilis, & diues, & vxor eius nobilissima: quarũ manus erga pauperes erant semper largissimæ, cumque filios procreassent, & iam ętatis suæ maiorem partem præcesserant, cælibem vitã deinceps seruare promiserunt; sed hostis inuidus eorum castimoniæ propositum non ferens, animum viri in vxoris suæ illicitum amorem compulit, vt qui ob amorem pudicitiæ se ab inuicem separauerãt in nocte Dominicæ resurrectionis operarentur quod non debuerant. Vir itaque succensus, face libidinis accessit ad mulierem, recordãs eius prioris pulchritudinis: obstupefacta mulier multis eũ increpuit sermonibus, & bonorum operum allocuta est recordationibus, sed nihil proficiens, ad virum ait: Quicquid nobis in hac nocte fuerit operatum, sit maledictũ, & diabolo mancipatum, cõcepit, & peperit: natusque est infans visu mirabilis, crescebat decore spectabilis, & litteris docilis, & eloquentia laudabilis. Pater non attendebat, quod fecerat mater, mater sciebat quod dixerat. Puer autem cùm ad annum duodecimum peruenisset, & tenere à parentibus diligeretur, apparuit matri eius fallax inimicus, cui votum de puero temere fecerat, dicens: Esto parata mihi promissum anno tertio reddere. Inde mulier, in quotidianos fletus immersa promissionis infœlicis recordatione, posuit in cogitatione diuersa: mirabatur iuuenis, quòd populus de profectu eius gaudebat, solaque misera mater super illo indesinenter, eum aspiciens flebat: requisita igitur ab ea causa, diù quidem dicere distulit; sed tandem interroganti, ait, quòd eum in conceptione diabolo in proprium obtulit. Tunc adolescens nocte fugiens, quæ patris fuerãt, reliquit, petijtque anxius, nonnullos sapientium, vt ei de suo tam periculoso negotio darent cõsilium. Peragratis verò multis Prouincijs, non inueniens quod quærebat, venit Romam, & inde cum litteris Domini Papæ ad Hierosolymitanum Episcopum longo itinere fatigatus accessit, qui audiens ab eo rẽ, & omnes, qui cum eo erant, resoluti in fletũ adolescentis, gemitibus nimium condolebant. Igitur Episcopus religionis, & sanctitatis maiores, quos potuit congreganit, & de iuuenis liberatione cum eis cõcionari cæpit. Quidam autem vir sanctissimus in heremo longè à Hierosolymis eidem Episcopo notus erat, qui fugiens visus hominum corporales, etiam cibos reliquerat: hic Angelicis quotidie potiebatur loquelis, & toto animo versabatur in cœlis. Huic ab Angelo diuinæ celebrationis necessarium ministrabatur: huic de cœlo, sicut nix candidus in meridie panis, quo reficeretur, ministrabatur. Põtifici ergo de pueri salute solicito, venit in mẽte eius diuina reuelatio, quòd vir ille sãctus apud Deũ posset succurrere puero. Quo accersito, misit per puerum intersigna sancto viro, quatenùs adolescenti succurreret diabolo à matre donato. Arrepto igitur longo itinere, solus discessit, quoniam & ante sanctum senem Angelos duos panes deferẽs præcessit, intelligens vir Dei, quòd aliquis, volente Deo, veniret ad prandium, gratias egit dominatori omnium, venientemque suscipiens iuuenem, miratus est eius pulchritudinem, & eloquentiam. Perlectis litteris ab Episcopo missis, ait ad iuuenem. Attende frater, Dei pietatis consilium, & genitricis eius auxilium; habet enim Virgo MARIA dominium super omnes spiritus malignos, & potest inferni feras aperire, & frangere interiores aditus Obnixè igitur eam deprecemur, vt tibi subueniat. Itaque die Dominicæ resurrectionis, quãdo iam rapiendi puerum terminus impletus erat, vir Dei, pro iuuenis liberatione, quem in vanum diabolus expectauerat, cum lachrymis, & cordis contritione, salutarem hostiam, vt solitus erat, obtulit. Timentem verò puerum inter se, & Altare constituit, quem de loco illo diabolus parum ante pacem fugiens ad infernum rapuit. Sciens igitur Sacerdos iuuenem sibi ab hoste sublatũ, ingemuit, & vt Virgo Virginum, Mater Dei adolescenti succurreret, fiduciam in mente habuit. Itaque pia Virgo MARIA subuenire non distulit, sed corpus, & animam pueri de inferno inferiori liberauit, restituensque eum in locum, vnde sublatus fuerat, Viri Dei mœrori satisfecit. Cũque pax vobis Beatus vir diceret, & cum spiritu tuo respondisset, iuuenis à dæmone liberatus est. Acceptaque de manu eius communione sancta, narrauit ei quicquid de sua liberatione nouerat, & quòd multa millia in inferno reliquerat. Deinde accepta eius licẽtia, & benedictione lætus abijt, & ad Episcopum Hierosolymitanum, ac parentes suos cõsolandos redijt, & quòd Beata Virgo MARIA potens sit in mortis periculo subuenire, ac liberare omnibus prædicauit.

Vnde-

Vndecima Stella tertiæ Coronæ Beatæ Virginis MARIÆ est, quòd ipsa contra ignem purgatorij est refrigeratio.

REfrigeratio contra ignem purgatorij B. Virgo non immerito prædicatur; nam de ea, quod Hierem. 18. scribitur, verificatur: *Nunquid de petra agri deficiet nix Libani?* id est, refrigerium de MARIA post mortem nostram, quasi diceret, non, & hoc probatur tali exẽplo ex Speculo historiali. Beatæ memoriæ dominus Hugo Abbas Cluniacensis solebat narrare de quodam sui Monasterij fratre, qui Giraldus dicebatur, hic dum adhuc laicus esset, desiderabat quondã ad sancti Iacobi limina pergere. Præparatis itaque itineris necessarijs sub luce die, qua iter aggredi debebat cum socijs suis, cum sua concubina dormiuit, deuictus voluptate carnis. Cùmque paullulum in itinere cum socijs suis processisset, eum antiquus hostis decipere cupiens, qui aliquando transfigurat se in Angelum lucis, in similitudinem sancti Iacobi se ostendens ei dixit: Scias, quoniam pro malis operibus, quas gessisti, iam nõ potes salutem consequi, nisi feceris, quæ dixero tibi. Abscinde igitur primùm tua genitalia mẽbra, & deinde interfice temetipsum, & ob hoc habebis præmium à Deo sempiternum. At ille putans veraciter eum esse sanctum Iacobum, qui talia iuberet, accepto ferro membra virilia abscidit, & postea per guttur suũ ferrum trahens semetipsum ad mortem vulnerauit, quem iam proximum morti audientes socij eius, iamque extremum spiritũ violenter trahentem, vt viderunt cum sanguine cruentatum, dimittẽtes, eum fugerunt, metuentes, ne fortè dicerentur, vel cupiditate pecuniæ, vel aliqua occasione peremisse eum. Porrò cùm fuisset defunctus, rapuit animam eius hostis antiquus, qui eum deceperat cum suis satellitibus, se ita prædam cæpisse nõ modicè gauisus: nutu verò Dei, dum transiret secus Ecclesiam Sancti Petri, venit eis obuiã Sanctus Iacobus, qui assumpto secum Sancto Petro, dixit dæmoniacæ cohorti: Cur tulistis animam peregrini mei? Illi verò, cùm proferrent quicquid mali poterant, & quòd ad extremum se peremisset, dixit eis Sãctus Iacobus, sciatis certè, quia non gaudebitis de illius proditione, nam sub mei specie eum decepistis, & hoc, quod fecit, quasi mihi obediens, simpliciter egit. Quòd si contra hoc reluctamini eamus ad iudicium Sanctæ Dei genitricis MARIÆ. Igitur cùm ob hoc ante eandem Dei matrem veniissent, & quid de hac re sibi placeret, inquirerent, ipsa Sancta Virgo plena pietate iudicauit, animam debere ad corpus reuerti, vt de malis, quæ gesserat, posset pœnitẽdo purgari. Sic itaque meritis Sanctæ Virginis MARIÆ, & Sancti Iacobi Apostoli, anima regreditur ad corpus. Homo itaque reuiuiscens inuenit se sanum, & tantummodo cicatricem pro testimonio remansisse, vbi guttur fuerat vulneratum. Porrò virilia membra, quæ sibi demerat, nõ sunt sibi restituta præter vnum foramen paruum, per quod vrinam proijciebat, exigente natura, hìc denique Monachus factus in supradicto Monasterio Cluniacensi multis diebus vixit deuotus in seruitio Dei.

Hiere. 18

Duodecima Stella tertiæ Coronæ B. Virginis est in vita cœlesti suæ præsentiæ delectatio.

IN cœlesti vita præsentia Sanctæ MARIÆ Virginis summa est delectatio; vnde in eius figura Iudith. 15. dicitur: *Tu gloria Hierusalem; tu lætitia Israel; tu honorificentia populi nostri*; & ideo etiam benedicta in æternum, & quia in præsenti vita comprehendere non possumus eius speciositatem, & delectationem, quam sancti in Cœlesti Curia ex eius præsentia habeant, dignata est ostendere suum decorem cuidam iuueni, cui ipsa B. Virgo apparuit. Erat quidam iuuenis, qui assiduè cogitabat, & mirabatur pulchritudinem Matris Iesu Christi, singulis diebus, ac noctibus, cũ vellet dormire dixit: Aue MARIA, & corpus, & animam Beatæ Virgini comendabat, sic orans, vt immensam pulchritudinem eius mereretur in Cœlesti Curia videre. Et cùm mane surgeret, commendauit se iterùm Beatæ Virgini MARIÆ, eandem orationem deuotissimè replicando: cùm autẽ quodam mane deuotissimè eam peroraisset, astitit Beata Virgo ostendens ei immensam pulchritudinem suam, & dixit: Desideras videre meam immensam pulchritudinem? Respondit: O Regina cœlorum, quamuis indignus, tamen toto corde desidero. Tunc Beata Virgo dixit: Conspice decorem meum, quomodo decorauit me filius meus, videnſque à dextris, & à sinistris ante, & retro. Et cùm eam vidisset, dixit iuuenis: Si à tua pulchritudine separari debeo, numquam de cætero consolabor. Tunc dixit Beata Virgo: Ex quo tãtùm affectas pulchritudinem meã, iam animã tuam à corpore separabo, & mecum eum filio perenniter permanebis. Et his dictis, anima iuuenis separata est à corpore, & cum Beata Virgine ab Angelis in cœlum fœliciter deportata est. Meritò igitur de Beata Virgine dicitur: *Tu gloria Hierusalem*, vox est Angelorum, quorum ruina per eam reparata est: *Tu lætitia Israel*, vox est hominum, quorum tristitia per eam lętificata est. *Tu honorificentia populi nostri*, vox est mulierum, quarum infamia per eam deleta est. *Quæ fecisti viriliter*, vox est mortuorũ existen-

Iudet. 15

stentium in limbo, quorum captiuitas per eã redempta est, & reducta.

QVARTA CORONA CAPITIS gloriosæ Virginis MARIÆ, & prima Stella eiusdem.

QVarta Corona capitis gloriosæ Virginis MARIÆ est Corona virtuositatis, siue virtutum; nam omni virtutum decore fuit in præsenti adornata, vnde de istis virtutibus est in cœlo æternaliter coronata. Duodecim Stellæ huius Coronæ sunt duodecim virtutes, quas Beata Virgo in summo gradu, & perfectione habuit, quæ continentur in his versibus. Compatiens, verecunda, ferax, speciosa, pudica: Subdita, clausa, timens, humilis, pia, sedula, prudens.

Prima igitur Stella quartæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd fuit, & est compatiens, scilicet, tribulatis, tentatis, & peccatoribus, immo hominibus totius mũdi, qui in maligno, & extremo periculo positus est; vnde quidã solẽnis Doctor interrogat, dicẽs: Quid est ergo charissimi, quòd hodie de mundo nõ ejicimur, sicut Adam de paradiso, aquis non submergimur per diluuium, lingua non confundimur, & igne nõ incendimur, & sic de alijs, cùm plùs transgrediamur præcepta corruptissimus luxuria? numquid hodie cessauit elatio? nunquid contra superiores, & Sacerdotes diminuta est murmuratio? Sic discurrendo per singula, nullum vitium cessauit, sed omnino peiora sunt omnia, quã priùs. Quare ergo nobis differtur pœna? non est alia ratio assignanda, quàm quòd Virgo gloriosa nobis compatitur, & nos suis precibus sustentat, vnde legitur in legenda Sancti Dominici, quòd quidam frater Minor, qui multo tẽpore Frater Sancti Francisci extitit, pluribus de Fratribus Ordinis Prædicatorum narrauit, quòd cùm Beatus Dominicus Romæ pro confirmatione sui Ordinis apud Papam instaret, nocte orans vidit in spiritu Christũ in aere existentem, & tres lanceas in manu tenentem, & contra mundum eas vibrantem. Cui velociter Mater misericordiæ occurrẽs, quidnam vellet facere, inquisiuit. Et ecce, inquit, totus mundus tribus vicijs plenus est, scilicet, superbia, concupiscientia, & auaritia: & ergo his tribus lanceis ipsum volo perimere. Tũc Beata Virgo ad eius genua procidens ait: Fili charissime, miserere, & tuam iustitiam misericordia temperato. Habeo enim fidelem seruum, & pugilem, strenuum, qui vbicumque discurrens mundum, expugnabit, & tuo dominio subiugabit. Aliũ quoque seruum sibi in adiutorium dabo, qui secum similiter decertabit. Cui Filius, ecce placatus faciem tuam suscepi; sed vellem videre, quos ad tantum officium destinare velis. Tunc illa Christo Sãctum Dominicum, & Franciscum præsentauit, quos Christus acceptauit pariter, & commendauit, hæc, & alia magna patrocinia MARIÆ considerãs, Cassianus ait: Tu Patrona humani generis; tu afflictis rebus medicina singularis, quis tuo non egeat munere, cùm sit peccare commune? Figuratur ergo MARIA ratione suæ compassionis, & sapientiæ per Esther, quæ iram Regis Assueri mitigauit, & Israel, ne deleretur, impetrauit. Esther 9. Bernardus: *Esther 9.* ille solus, ò Virgo MARIA, tuas laudes fileat, qui te fideliter inuocatam senserit vnquam in suis necessitatibus defuisse; & quid mirum, si inuocata adest, quæ etiam non vocata præsto est? Debet ergo clementissimam Virginem quilibet honorare, & in necessitatibus inuocare, nec obstantibus peccatis cessare. Vult omnibus misereri, & omnibus à Filio veniam impetrare. Vnde legitur de quodam magno peccatore, qui ex consuetudine volens ire ad peccandum, veniens ad altare, vel Imaginem Beatæ Virginis stans, salutauit eam Angelica salutatione. Quod cùm semel faceret, vidit Imaginem Beatæ Virginis cum puero in sinu, sicut depingitur Christus in Cruce vulneratus, & matri allatus; vidit que sanguinem fluere de puero in gremio matris, sicut fluxerat in Cruce de vulneribus Christi, quo viso stupefactus dixit. O Domina, quis fecit hoc? Et Virgo respondit: Tu & cæteri peccatores, qui amplius crucifigitis Filium meum, quàm Iudæi. Volebatque Virgo sanguinem Filij tergere, & restringere, nec poterat. Et peccator ille cõuersus ad Virginem dixit: O Mater misericordiæ interce de pro me. At illa: Vos peccatores vocatis me Matrem miseriæ, qui nõ cessatis me facere matrem miserię, & tristitię; non sic clemẽtissima Domina loquere, sed memento te esse aduocatam peccatorum, & intercede pro me: & Mater ad Filium: O pijssime Fili, amore mei miserere huic peccatori, & Filius: Noli mater grauari, quòd te non audio, quia & ego rogaui Patrem, vt si possibile esset, alio modo genus humanum saluari, quàm per passionem meam amaram, transferret à me calicẽ passionis, & noluit audire me. Et Mater: O Fili memento, quòd materno amore te visceribus meis alui, & condona huic peccatori. Et Filius ait: Ex iustitia tibi ostendo, quòd exaudire te non teneor. Et Mater ait: Non secundùm iustitiã censemur, sed ad misericordiam tuam confugimus. Igitur propter tuam misericordiã miserere huic peccatori: & Filius: Rogaui & ego secundò Patrẽ, vt transferret calicem passionis à me, & non audiuit me. Et Mater iterum dixit: O Fili Memento omnium laborum, & dolorũ, quos sustinui tecum, & dona mihi illum peccatorem. Et Filius: O Mater noli tristari, quòd

te

te non audio, sed memento, quia tertiò rogaui Patrem, vt transeat calix passionis à me, & noluit audire me. Et Mater deposuit Filiũ volens procidere ad pedes eius, quòd videns Filius dixit: O Mater, quid vis facere? At illa: Tandiu ad pedes tuos cum pectore iacebo, quousque veniam ei concedas. Et ait Filius. Absit hoc Mater, quia sancitum est in lege diuina, quòd filius debet honorare matrẽ, & iustitia concludit, quòd ille debet legem implere, qui dedit. Cùm autem sim Filius tuus, te honorare volo, & peccatori propter teipsam indulgeo, & in signum pacis osculetur vulnera mea, quæ osculata, omnia sana fuerunt. Figurata est hæc Virgo compatiens,
2. *Reg.* 17 & clemens, 2. Reg. 17. in quadam muliere, quæ duos, scilicet Ionatham, & Achimaam fugientes à facie Absalon, quærentis eos occidere, ex clementia abscondit in *puteo, expandendo velum suum super os putei*, vbi latuerunt, quousque serui Absalon quærentes abierunt. Sic peccatores, qui Deum offendũt mater misericordiæ occultat velo compassionis, & clementiæ, in profunditate humilitatis suæ, si ad eam confugerent, quousque ira Dei, & vindicta cessauerint. Vnde ipsa dicitur Thronus Altissimi, & clemẽtissimi Prin
Prou. 20. cipis, iuxta illud Prouerb 20. *Roborabitur clementia thronus eius;* nam thronus diuinæ misericordiæ est MARIA mater clementiæ, & misericordiæ, in qua inueniunt, vt iã declaratum est, omnes solatia misericordiæ.

Secunda Stella quartæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd ipsa fuit verecunda.

VErecunda Beata Virgo MARIA fuit. Vnde cũ ipsa Virgo pulcherrima esset, duas habuit puellas custodientes, & seruãtes eam ab illicita occasione, quas etiã si qua Virgo, vel mulier haberet, etiam eam præseruarent ab illicita occasione. Prima est honestas verecũda, quæ MARIAM in omnibus sensibus custodiuit, & moribus, quod nec per illicitum visum, auditum, verbum, nec factum alicui occasionem malam dedit. Vnde Bernardus. Propter nimiam, & nobilem honestatem morum, & gestuũ, quæ in facie, & in toto corpore eam contuentibus apparebant, nullatenus potuit ad fœdum aliquem inclinare, quia erat dedicata, & Deitatis habitaculum speciale. Sed heu Virgines nostræ hanc puellam longè à se fugauerunt, nulla verecũdia, vel honestas modò relucet in eis; nam visu assimilantur capris loquacitate picis, gestu, simijs, & vestitu scortis, & ideo castitas earum libidinosè à viris impetitur, cùm absque omni verecundia, & honestate sic foris-
Gen. 34. venales prodeant. Sic etiam *Dina filia Iacob rapta fuit per Sichem*, Genes. 34. Secũda puella est humilitas; hæc Virgini puritatem seruauit, nec aliquem illicitum motum accedere permisit. Vnde Ambrosius in Homilia. Didicistis Virgines pudorem, discite MARIÆ humilitatem, & sequitur. Decet enim, vt quantò Virgo castior, tantò sit humilior; nam cùm ab Angelo salutaretur, & in Matrem Dei, & Reginã cœlorum eligeretur, & benedicta super omnes mulieres prædicaretur, non se Dominam Angelorum, non Reginam Cœlorum iactabat, sed humiliter respondit: *Ecce ancilla Domini.* Augustinus. *Luc.* 1. Virginitas non solùm prædicanda est, vt ametur, sed admonenda, ne inflatur: solent nãque Virgines modò fatuæ propter munditiam carnis ornatum exteriorem, vultus claritatem vento superbiæ concuti, & inflari, & perconsequens more Pharisæi alios spernere, seipsas decipere, & animas æternaliter condemnare, &c. Qui ergo pulchritudinem, & claritatem animæ voluerit cum Virgine gloriosa seruare, has duas puellas associare debet, & accepta erit Regi cœlorum, sicut figuratur in Esther, quæ cùm ad placandum Regem vellet accedere Assuerum, induta regalibus assumpsit *duas puellas* secum, vnam, sci *Esther.* 15
licet, *cui innitebatur*, & alteram, quæ *defluẽtia in terram vestimenta portarent*, & ferocem, & iratum Regem in mansuetudinem conuertit. Sic quæcumque anima Christiana etiam faciat, sicut iam dictum est. De verecundia MARIÆ, quæ castitatis eius custos extitit, & Paranimphus dicitur Luc. 1. *Quæ* *Luc.* 1.
cũ audisset, turbata est in sermone eius, &c. Quia enim Virgo erat ad inopinatum euentum, vt verecunda pauere debuit; sed quia Virgo prudentissima subito pauore superari non potuit, sed consilio regente circunspecta cogitabat qualis, id est, quàm noua, quàm inaudita, quàm perutilis, quàm admirabilis, quàm dulcis, & quàm suauis esset ista salutatio. Nota, quòd dicitur *turbata*, non perturbata. Turbata, id est, tantæ rei nouitate suspensa, & ingenti admiratione permota, & possũt assignari causæ multiplices turbationis suæ. Prima, quia cùm esset Virgo verecũda, expauit aduentum Angeli in viri specie apparentis, videns se inclusam in thalamo solam cum solo, & hoc sonat, ingressus Angelus ad eam. Beda. Trepidare Virginum est, & ad omnes viri ingressus pauere, omnes viri affatus vereri. Quæ autem expauit Angeli visum, vel auditum, haud dubium, quin tactum hominis nimium formidaret. Secũda, quia audiuit se laudari, quod magnæ fuit virtutis, qui enim verè humilis est de suis laudibus erubescit, & cùm omnes verè soleant inde lætari, ipsa turbata est, non exhilarata, vel elatas exemplo Filij, quem cùm quærerent videre Gentiles, Ioan. 12. respondit, *Venit hora,* *Ioan.* 12.
vt clarificetur Filius hominis. Et paulò post? *Nunc anima mea turbata est valdè.* Bonum

num enim fuisset Esaiæ, si turbatus fuisset, non exhilaratus ad aduentum nunciorũ Regis Babylonis, Esai. 39. Tertia, quia benedicta dicebatur intea mulieres, quæ inter Virgines benedici semper optabat, ideo cogitabat, qualis esset ista salutatio, quæ ab initio videbatur suspecta, at vbi in promissione Filij manifestè patuit virginitatis periculum; non potuit dissimulare quin diceret, *Quomodo fiet istud? &c.* Quarta, quia timebat thesauro suo, id est, virginitati: Solent enim Virgines timoratæ etiam tuta pertimescere, recolentes illud Apostoli. 2. Corinth. 4 *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, &c.* scilicet, quæ franguntur de facili, nec possunt reparari, vas fictile, scilicet, lampas corpus humanum, thesaurus castitas, vel virginitas, de qua Prouerb. 4. *Pretiosior est cũctis opibus, &c.* Quinta, pro dictorum incertitudine, Glossa, quia nesciebat, si præteritũ, aut futurum esset, quod Angelus dixit: *Dominus tecum.* Et nota, quòd hæc turbatio nõ fuit iræ, vel doloris, sed pudoris, pauoris, & admirationis; & erat pudor duplex, quia sola quasi cum viro videbatur, & quia tãto prę conto commendabatur, & timor duplex ex præsentia Angelica, quam horret fragilis natura, sicut Zacharias *turbatus fuit*, videns Angelum, Luc. 1. & ex causæ ignorantia: admiratio verò erat pro magnitudine eorum, quæ ei nunciabantur. Vnde Ambrosius. Ex verecundia pauet, ex prudentia nouam salutationis formam miratur, & ex hoc in ea hic notatur triplex virtus. Verecundia virginalis in eo, quòd turbatur, fortitudo mentis in hoc, quòd non perturbatur, quin deliberet prudentia in ipsa deliberatione. Bernardus. Quòd turbatur, verecundiæ est virginalis, quòd non perturbatur fortitudinis, quòd cogitat prudentiæ; & notandum, quòd verecũdia propriè non est virtus, sed est status, & perfectio virtutum, & maximè in mulieribus commendatur. Vnd Eccles. 6. postquam dixit, *Noli discedere à muliere sensata*; subdit quasi exponens, quid sit mulier sensata? *Gratia enim verecundiæ eius*, id est, gratiosa verecundia eius *super aurum*, id est, melior omni auro Item verecundia propriè donũ gratiæ est. Vnde Ecclesiast. 22. *Ante verecundiã peribit gratia, &c.* Item Ecclesiast. 26. *Gratia super gratiam mulier sancta, & pudorata*, id est, verecunda, gratia super gratiam, id est, super omnem gratiam, quòd enim mater Dei affecta est, super omnem gratiam est, gratia etiam, qua corpus eius, & venter impletus est, omnibus gratijs Angelorum, & hominum sublimior est. Item gratia super gratiã quasi dupliciter gratiosa, quæ sibi, & nobis gratiam acquisiuit. Vnde dicitur ei, *Multæ filiæ*, id est, virtutes Angelicæ, & animæ sanctæ *congregauerunt diuitias*, gratiarum virtutum, & meritorum, *tu supergressa es vniuersas.* Item maximum signum verecundiæ fuit, quòd cùm quadam die vellet loqui cum filio, domum in qua loquebatur intrare, vel sermonem eius interrumpere non præsumpsit, sed foris stans, reuerenuer expectauit, Marc. 3. Vnde Ambrosius, loquens ad Virgines de Beata Virgine. Cum ea semper singularum virtutum pudicitia comes irremota mansit, quia omnino pudor indiuiduus virginitati esse debet, sine quo rectè castitas vera seruari nõ potest. Idem pudor indiuiduus debet esse virginitati, sine quo non potest esse virginitas, & ergo Beata MARIA nunquam sine pudoris sui custode processit.

2. Cor. 4.
Prouer. 4
Luc. 1.
Eccles. 6.
Ecclo. 22.
Idem 22.
Marc. 3.

Tertia Stella quartæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd ipsa fuit ferax, id est, fœcunda.

FErax, siue fœcunda Beata Virgo miraculosè dicitur, quia cùm esset Virgo, & Virgo manere vellet, facta tamen est, diuina operatione fœcunda. Et hoc est, quod Hieremiæ 31. dicitur: *Creauit Dominus nouum super terram, fœmina circundabit virum*, quod nouum tota terra, immo totus non capit orbis. Si quæratur, quid sit illud nouum, videlicet, quòd integritati virginitatis accederet fœcunditas prolis, vt manens Virgo integra fieret mater fœcunda, vt gaudia matris habẽs cum virginitatis honore, sicut nec primam similem habuerat, tale votum emittendo, sic nec sequentem haberet virginaliter parieudo. Vnde conuenit ei illud Sap. 3. *Fœlix sterilis, & incoinquinata, quæ nescit thorum in delicijs, habebit fructum in respectione animarum Sanctarum.* Fœlix sterilis, id est, virgo, & benè fœlix MARIA, quia benedicta in mulieribus. In respectione, *Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, Matth, 5. Animarum Sanctarũ, quãdo, scilicet, animæ sanctæ facie ad faciem Regem videbnnt *in decore suo*, Esai. 33. Galat. 4. *Lætare sterilis*, Esai. 54. *Lauda sterilis*: nouum, inquit: Benè nouum, quòd virgo facta est mater, Deus homo, Pater Filius, & filia genitrix est effecta. Benè nouum, quòd paruula puellula vtero suo circundedit hominem perfectum cœlo, terraque maiorem, quòd manens virgo concepit, quòd Filium peperit manens virgo, Esai. 7. *Ecce virgo concipiet, & pariet*, & ponitur in hoc loco hoc nomen Virgo diasirticè. Verè enim fuit hoc nouũ, & inauditum à seculo. Alioquin nouum non esset, nisi supra naturam, & contra solitũ cursum naturæ Virgo Deum, & hominem sine complexu virili genuisset. Item benè dicit nouum. Tres enim mirabiles nouitates mirabiliter singulares, & singulariter mirabiles, quales nec factæ sunt, nec ampliùs faciendæ

Sapien. 3.
Matth. 5
Esai. 33.
Galat. 4.
Esai. 54.
Esai. 7.

sunt

sũt ſuper terrã, fecit omnipotẽs illa Maieſtas in aſſumptione noſtræ carnis, quando coniũcta ſunt ad inuicem Deus & homo, mater, & virgo, fides, & cor humanum. Item hanc nouitatem petebat à Domino, Eccleſiaſt. 36. in perſona Eccleſiæ: *Innoua ſigna, & immuta mirabilia.* Homo voluit fieri Deus, & Deus factus eſt homo. De viro facta eſt mulier, & de muliere factus eſt vir, nunquid non ſunt hæc mirabilia immutata, id eſt, in meliùs mutata, ſed & ſigna ſunt innouata? Olim virga ficea fioruit, modò virgo peperit. Olim ſerpens Æneus in palo fixus aſpicientes ſanabat, nunc Chriſtus Cruci affixus credentes ſanat. Verè nouum, & omni ſupereminẽns nouitati, quòd in partu virginali breuis agnoſcitur longitudo, latitudo anguſta, altitudo ſubdita, profunditas inundans: agnoſcitur ibi lux non lucens, verbum non loquens, aqua ſitiens panis eſuriens, triſtatur gaudium, pauet ſecuritas, patitur ſalus moritur vita, infirmatur fortitudo. Ibi potentia regitur, ſapientia inſtruitur, virtus ſuſtentatur. Qui reficit Angelos, vberibus virgineis lactatur, & vagit in cunis, qui miſeros conſolabatur. Ecõtra cernitur ibi triſtitia lætificans, pauor cõfortans, paſſio ſaluans, mors viuificans, infirmitas roborans; noua ſunt hæc, mira ſunt hæc, vt mirificè vetus homo renouetur per nouum, ſed non minùs nouum, nec minùs mirandum, quòd iuuencula fragilis baiulat, quẽ mundus terre non ſuſtinet, quòd pectus virgineum omni cœlorum amplitudine capacius totum interius illum claudit, qui cœlũ palmo metitur, & vniuerſam terram pugillo cõcludit. Magna ergo magnitudo MARIÆ, quæ immenſæ diuinitatis in ſe præſentiam, & digna ſuſcipere, & ſufficiens capere inuenitur, &c. Notãdum etiam, quòd Beata Virgo ſine corruptione facta eſt fœcunda; concepit enim ſine fœditate, & pruritu, quia de Spiritu ſancto. Magiſter Richardus de Sancto Victore: Nõ nouit Spiritus ſanctus Virginem corrumpere, ſed ſanctificare. Neſcit Spiritus ſanctus mũditiam Virginis minuere, ſed augere, neſcit fœdare, ſed glorificare. Item ſuper illum locum Lucæ 15. *Intrauit Ieſus in quoddam caſtellum*: dicit Beatus Anſelmus: Porta, per quam intrauit, eſt fides, quia cùm credidit, perfecta ſunt ei à Domino, quæ dicta ſunt ei ab Angelo. Nec quia Ieſus intrauit, violatum eſt hoc caſtellum. Ieſus namque ſaluat, non violat, cõfracta ſolidat, non confringit ſolida, ſecundùm quod nomen eius ita, & opus eius.

Ecclc. 36.

Luc. 15.

Quarta Stella quartæ Coronæ Beatæ Virginis eſt, quòd ipſa fuit ſpecioſa.

SPecioſa, & nimis pulchra fuit Beata Virgo MARIA, de cuius ſpirituali pulchritudine, quæ conſiſtit in virtutibus animæ, dicit Sponſus Beatæ Virgini matri ſuæ, Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea*, ab originali peccato præſeruata in vtero. Item tota pulchra ab actuali, mortali, fomite pœnitus ſubiugato: *Et macula* etiam venialis peccati *nõ eſt in te* in conceptione Filij Dei, fomite pœnitus extincto. Et ideo, *Tota pulchra es* in opere, *Tota pulchra* in corpore, *& macula nõ eſt in* corde: *Tota pulchra in opere* per ſimplicitatem, Matth 7 *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit*: Tota pulchra in corpore, per virginalem caſtitatem, Sap. 4. *O quàm pulchra eſt caſta generatio cum charitate immortalis. &c.* Tota pulchra in corde per humilitatem, quod eſt eſſe ſine macula. Ideo in figura MARIÆ Eſther, 2. dicitur: *Erat Eſther formoſa valde, & incredibili pulchritudine, omniumquè oculis gratioſa, & amabilis valde*: formoſa valdè, per charitatem, quæ eſt forma virtutum. Incredibili pulchritudine, per inſolitam caſtitatem. Inauditũ enim erat à ſeculo, aliquam perſonam ante Beatam Virginẽ emiſiſſe votum perpetuæ virginitatis, quod votũ ipſa prima emiſit abſque omni humano præcepto, conſilio, & exemplo, ſola inſpiratione Spiritus ſancti, ſicut dicit Beatus Bernardus: & ideo dicitur eius pulchritudo incredibilis, vel incredibilis pulchritudo in ſuperlatiuo gradu, virtutum omnium plenitudo. Vnde Eſai. 66. *Quis audiuit vnquam tale?* Omniumquè oculis gratioſa, & amabilis videbatur per humilitatem ſuam, quam reſpexit Deus, quia vbi amor, ibi oculus. Et nota, quòd dicit, oculis omnium. Primò, oculis ipſius Dei Trinitatis, qui eius humilitatem reſpexit, & ſpeciem eius deſiderat intueri. Vnde dicit ei Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, Cant. 7. *Reuertere, reuertere Sunamitis, & intueamur te.* Sunamitis interpretatur mortificans, vel mortificata. Hæc eſt MARIA, quæ mortificauit in ſe carnẽ, & omnẽ æſtum libidinis, & mortificata quodammodo fuit à mundo in Filij paſſione. Interpretatur etiam coccinea, quia in ſanguine Filij per compaſſionem rubricata. In hoc etiam, quòd dicitur, vt intueamur te, & ponitur verbum plurale, notatur Trinitas perſonarũ. Ideo dicit etiam Sponſus ei, Cantic. 2. *Vox tua dulcis* ad audiendum, *& facies tua decora* ad intuendum. Secundò, oculis Angelorum, & omnium Beatorum, qui in eam, ſicut in Filium, deſiderant intueri, 1. Petr. 1. Tertiò, oculis hominum. Creditur enim, quòd ferè nullus potuit eam intueri, quandiu fuit in

Cant. 4.

Matth. 7

Sap. 4.

Eſther 2.

Eſai. 66.

Cant. 7.

Cant. 2.

1. Petr. 1.

in mundo, qui eam non statim non amaret, nunquam tamen malè fuit adornata: & nota, quòd Esther, quæ tam pulchra describitur, interpretatur abscondita, in quo moraliter edocetur fidelis anima, vtramque suam pulchritudinẽ occultare, sicut fecit Sara occultans se *in tabernaculo*, Genes. 18. Rebecca *vultum suum operiens teristro*, Genes. 24. Iudith cum puellis, id est, cogitationibus mũdis, & humilibus, quòd sonat nomen puellæ, & cum sanctis affectionibus *clausa manens in tabernaculo*. Iudith. 8. & appellatur hic cubiculum secretum Oratorium. Matthæi 6. *Cùm oraueris intra cubiculum tuum*. MARIA clausa in thalamo, Luc. 1. Item de tribus his dicitur iterum, de Iudith. 11. in persona MARIÆ: *Non est talis mulier super terram in aspectu, in pulchritudine, in sensu verborum*: in aspectu conuersationis; in pulchritudine corporis; in sensu verborum, id est, in interioribus verbis, id est, puritate cogitationis. Aliter: Tota pulchra es, in corpore, scilicet, & anima: in corpore per incorruptionis integritatem, & omnium sensuum illibatam puritatem: in anima non solùm tota pulchra per humilitatem, sed perpulchra, siue pulcherrima per virtutum omnium perfectam plenitudinem. Vnde ipsa Eccl. 24. dicit: *In me omnis gratia, vitæ, & veritatis, &c.* & benè dicit omnis gratia. Nulla enim ei defuit virtus, nec puritas Angelorum, nec fides Patriarcharum, nec scientia Prophetarum, nec charitas Apostolorũ, nec patientia Martyrum, nec sobrietas Confessorum, nec innocentia, aut humilitas Virginum. Item notandum, quòd MARIA non solùm dicitur pulchra, vel tota pulchra; sed etiam speciosa, id est, omni corporali, & spirituali specie repleta; quia secundùm Grammaticos, nomina desinentia in osus signant plenitudinem. Speciositas enim mulieris maximè consistit in duobus. In colore nitido, quòd pertinet ad fidei viuacitatem, & membrorum compositione, quòd pertinet ad morum honestatem: verè igitur MARIA speciosa, quia omni speciositati comparatur, speciositati arborum. Vnde, *quasi cedrus, &c.* speciositati hortorum, & fortium, vnde *ortus conclusus*. Sotor mea, scilicet, speciositati gemmarum. Vnde *venter tuus eburneus distinctus saphiris*, id est, cœlestibus coloribus, speciositati luminum. Vnde, *quæ est ista, qui progreditur quasi Aurora*: speciositati herbarum; vnde *Nardus mea dedit odorem suum*: speciositati florum, vnde *sicut plantatio rosæ in Iericho*: & sic de multis alijs.

Genes. 18 Genes. 24 Iudith. 8. Matth. 6 Luc. 1. Iudith. 11 Eccles. 24 Cant. 4. Cant. 6. Cant. 1. Eccles. 24

A *Quinta Stella quartæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd ipsa fuit pudica.*

PVdica, id est, casta, & pura MARIA meritò dicitur; vnde Bernardus de puritate ipsius ita dicit: Gratia Dei purissimum Balsamum est, & solidissimum vas requirit. Huius vasis, id est, MARIÆ, quæ est receptaculum omnium gratiarũ puritas, eius virginitas, soliditas eius humilitas, adimpletio eius fœcunditas. Gregorius. Rubbus ardens, qui non cõburebatur, puritas virginea, quæ prole fœcundabatur. Hieronymus. Tanta fuit MARIÆ puritas, quòd portare meruit Regem Angelorum, & domus esse meruit omnium purgatorum. Beatus Anselmus dicit, quòd tanta puritate nitebat MARIA, quanta sub Deo maior nequit intelligi. Alioquin non intrasset in eam illa sapientia, sicut dicit Fulbertus, quæ non intrat in animam maleuolam, *nõ habitat in corpore subdito peccatis*, Sapient. 1. Propter purissimam enim puritatem eius cõparatur ipsa Soli, cuius radiũ, nec aqua emollit, nec fœtor corrũpit, nec ignis comburit, nec gladius scindit, nec vitrũ obsistit. Ratione enim claritatis comparatur Soli, quia Sol clarior luminaribus vniuersis. Vnde Sol à Iulio dicitur, quasi solus lucens, id est, præ cæteris luminaribus cœli: Solis ergo claritas MARIÆ puritas. Tãtò enim res est clarior, quantò purior; tantò purior, quãtò purgatior, & à sordibus munditior. Mundant corpus continentia, & abstinentia, quæ duo sunt prius necessaria, quia veluti Sol vitrum non penetrat, nisi prius decoctum, sic claritas Dei cor hominis, nisi prius ipsius corpore penetrato. Exemplum de quoddam sanctissimo Angelorum Pontifice, cuius corpus tantæ claritatis erat per virtutem continentiæ, & abstinentiæ, quòd ipso stante ante Altare extensis manibus solaris radius intrãs per vitream fenestram translucebat per manus illius, ac si vitreæ essent. Animam verò principaliter mundant pura confessio, intẽta lectio, deuota meditatio, feruens oratio, diuina contemplatio: vel Solis radius signat in Virgine purissimum visionis radium, qui mentem eius insitis cõtemplationibus, ineffabiliter illustrabat. Secũdùm hoc, Sol dicitur oculus cœli: cœlum Ecclesia Sanctis, vt cœlum stellis illustrata. Huius cœli oculus est MARIA ratione puritatis suæ; quia sicut oculus totum corpus, sic MARIA totã illustrat Ecclesiam, quæ est corpus Filij sui sanctorum radijs exemplorum. Vnde canitur de ea, cuius vita inclita cunctas illustrat Ecclesias.

Sap. 1.

Sexta Stella quartæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd ipsa fuit subdita.

Subdita, & parua Beata Virgo iure dicitur, quia cùm eligeretur in matrem Dei, ancillam Domini se nominauit, iuxta illud sapiẽtis. *Quantò magnus es, humilia te in omnibus.* Et ex hoc domus Dei dici, & fieri meruit, de qua domo dicitur. Prou. 9. *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem.* In verbis istis tria possumus videre. Primò, quæ sit ista sapientia? Secundò, quæ sit Domus quam ædificauit? Tertio, quæ sũt columnæ, supra quas ista Domus fuit ædificata; notandum autem, quòd ista sapiẽtia est Dei Filius, de qua dicitur. Sap. 7 Quòd *Sapientia omnium est artifex, omnẽ habens virtutem, omnia prospiciẽs*, omniũ est artifex, quia sicut dicit Dauid: *Omnia in sapientia fecisti.* Omnem habens virtutem: vnde & mundum destruet, quando ei placuerit. Omnia prospiciens, & ideo eum timere debemus, & cauere, ne aliquid faciamus, quod ei displiceat. Omnia enim, vt Apostolus ait, *nuda, & aperta sũt oculis eius.* Hęc sapiẽtia domum ædificauit, id est, Beatam Virginem, quam elegit, vt in ea habitaret, & illam ædificauit in omni sanctitate, quia erat domus Dei futura, vnde Dauid. *Domum tuam Domine decet sanctitudo.* Columnæ septem huius domus sunt septem virtutes, quæ tanguntur per ordinẽ in Euangelio isto: *Missus est &c.* Prima columna fuit Virginitas, quæ notatur cùm dicitur: ad Virginem Vnde Bernardus. Voluit eam esse Virginem, de qua immaculata immaculatus procederet, omniũ maculas purgaturus. Et hæc est prima columna, supra quam ædificatur ędificium spirituale virtutum, sicut pictura fundatur super albedinem, quia nisi pudicitia primùm sedeat, nulla perfectio sequitur in opere, vt dicit Gregorius. Ideo dicit Augustinus, virginitas incorrupta fons est, & origo sciẽtiæ, & virtutis, Vnde Beata Virgo fuit Virgo ante partum, in partu, & post partum. Secunda columna, siue virtus est solitudo, & hæc nobis datur intelligi, per hoc quod dicit. *Ingressas*, id est, intrauit ad illã, vbi scilicet erat inclusa: de hoc latiùs habes in Stella septima immediatè sequenti. Tertia columna, siue virtus fuit verecundia, & hoc datur nobis intelligi, in hoc quod dicitur in Euangelio: *Turbata est*, quia propter magnam verecundiam, quam habebat, fuit turbata, & super hunc locum dicit Glossa. Trepidare Virginum est, & ad omnes viri ingressus pauere, & viri affatus vereri: De hac columna habes latiùs supra in secunda Stella huius quartæ Coronæ. Quarta columna, siue virtus, quæ fuit in ea, erat taciturnitas, quod notatur, cùm dicitur: *Et cogitabat.* Quod est magnæ prudentiæ, sicut dicit Bernardus. Non enim fuit garrula, sicut sunt aliquæ mulieres, quæ non curant, quid dicant, dummodo loqui possint. Contra tales sapientia dicit. *Verbis tuis facito statueram, quia in multiloquio non deerit peccatum.* Vnde Bæatus Ambrosius de Beata Virgine dicit, quòd loquax non fuit Vnde de ea illud potest intelligi. *Lex clementiæ in lingua eius.* Lex enim dicitur, quasi ligans, quæ os eius ita ligauerat, quòd in tota Scriptura non legimus eam, nisi quatuor vicibus locutam fuisse, & in vnaquaq; vice magnum miraculum contigisse. Vnde in primo verbo locuta fuit Angelo, cùm dixit *Quomodo fiet istud?* & *Ecce ancilla Domini.* Et tunc fuit factum miraculum, quia Deus factus est homo. Secundò, quando salutauit Elisabeth, & tunc exultauit infans in vtero, quod fuit etiam magnum miraculum. Tertiò, quand dixit Luc. 2. *Ego, & pater tuus, &c.* Et tunc ostendit eum verum Deum, qui tamen *descendit cum eis, & erat subditus illis.* Quartò, cùm dixit: *Vinum non habent*, & tunc facta est mutatio aquæ in vinum; apparet ergo, quòd Beata MARIA non fuit multùm loquax, sicut aliquæ, de quibus dicit Apostolus 1. Thim. 5. *Non solùm otiosæ, sed & curiosæ, & verbo seloquentes*, quæ non oportet, cùm tamen Dominus dicat. Mat. 12. *De omni verbo otioso, &c.* Quinta colũna, siue virtus fuit, quòd erat sapiens, & prudens, & hoc datur nobis intelligi in hoc, quòd quando Angelus ei dixit negotium propter quod venerat, non respondit statim, sed sapienter dixit. *Quomodo fiet istud?* modum, & ordinem quo posset concipere Filium Dei interrogando. De hac prudentia ipsius habes latiùs in vltima Stella huius quartæ Coronæ. Sexta columna, siue virtus fuit humilitas, quã habuit, & hoc nobis datur intelligi, quòd cũ omnia diligenter audisset, quæ Angelus voluit dicere, & fuit certa per inspirationem Spiritus sancti, dixit *Ecce ancilla Domini* Et proculdubiò Dominus plus respexit eius humilitatem, quàm Virginitatẽ, sicut Beatus Bernardus dicit, quòd nec MARIÆ Virginitas, sine humilitate Deo placuisset. Vnde istam virtutem singulariter à Filio suo didicit, qui dicit. Mat. 11. *Discite à me, quia mitis sum, &c.* Quia sicut dicit Gregorius: euidentissimum signum reproborum est superbia, & è conuerso. De hac humilitate plura habes in Stella nona huius quartæ Coronæ. Septima columna, siue virtus fuit obedientia, & hoc nobis datur intelligi, in hoc, quòd quando benè certificata fuit de promissione Angeli, dixit, fiat mihi *secundùm verbum tuum.* De quo vide Ber-

Ecclesiastici 3. — *Prouerbiorum 9.* — *Psalmi 103.* — *Hebræorum 4.* — *Psalmi 92.* — *Lucæ 1.* — *Ecclesiastici 28.* — *Prouerbiorum 31.* — *Lucæ 2.* — *Ioan. 2.* — *1. Thi. 5.* — *Mat. 12* — *Mae. 12*

nardum super Missus est. Et videte, quòd ad obedientiam nos mouere debet specialiter exemplum Christi, vt Apost. ad Phil. dicit: *Philip. 2* *Qui cũ in forma Dei, &c.* Quantũ autẽ inobedientia Deo displiceat, patet in Saul 1. Re- *1. Reg. 15* gũ 15. cui dixit Samuel: *Melior est obedientia, quã victimæ*; vnde etiã tantã vindictam accepit de Adã, &c. Itẽ obedientia debet esse volũtaria, quia secundũ August. coacta sacrificia Deo nõ placent; sic obediuit Paulus *Act. 9.* cũ dixit: *Domine, quid me vis facere?* Obedientia est tanta virtus, quòd seruat animam *Prou. 19* mundã à peccato. Prou. 19. *Qui custodit mã-* *Eccle. 8.* *datũ, custodit animã suã.* Item in Eccles. *Qui custodit præceptum, non experietur quidquã mali.* Perfectè ergo oportet obedire, qui B vult ad Deũ ire, sicut fecit B. Virgo, in qua vera obedientia fuit.

Septima Stella quartæ Coronæ B. Virginis est, quòd ipsa fuit clausa.

CLausa, id est, secreta, abstracta, & in seque stro posita, frequenter B. Virgo fuit, Lu- *Luc. 1.* cæ 1. *Ingressus Angelus, &c.* Et in hoc apparet eius prudentia; nã prudentia est mundũ, & omnia quæ in eo sunt diuinorũ contẽplatione despicere, & omnem cogitationẽ animi in sola diuina dirigere. Ita describit Macrobius prudentiam in somnio Scipionis. In *Mat. 25.* Euangelio Mat. 25. de quinque prudentibus C Virginibus legitur, per quas signantur quinque prudentiæ, quas omnes reperire possumus in MARIA, quæ fuit Virgo prudentissima. Cõsistit autẽ prudentia in malis cauendis, quia facit astutum, vnde Dominus hanc *Mat. 10.* commendat. Mat. 10. *Estote prudentes, sicut serpentes.* Prima autem eius prudentia est, quòd sibi cauit à mundi vanitate; vnde inuẽ- *Prou. 7.* ta est ab Angelo domi sedens, vel fortè orãs, sicut illa Salomonica mulier, Prouerb. 7. sed magis creditur in conclaui, sciens, quod in cunctis, qui foris sunt dicetur, *væ væ.* Amos *Amos 5.* 5. & recolens, quòd Dinæ acciderit ex euagatione, quòd ideo corrupta est, quia vaga Ge- *Gen. 34.* nes. 34. Ideo autẽ signata est per Sarã vxorẽ D *Gen. 18.* Abrahæ, latitantem in *tabernaculo.* Gen. 18. *Thob. 3.* & per Saram filiam Raguelis Thob. 3. orãtẽ in *superiori cubiculo domus suæ*: & per Iu- *Iudith. 8.* dith 8. quę *clausa manebat in cubiculo*, id est in secreto Oratorio *cum puellis suis*, id est, cogitationibus humilibus, & mundis, & affectionibus sanctis: & per hoc, quando Gabriel ingressus est ad eam, tunc Angelus magni consilij ingressus est ad cor eius, quare dixit de ea Gabriel: *Dominus tecum.* Secunda, quòd cauit sibi ab euagatione cõtra hoc, *Psal. 39.* quod conqueritur, Psalm. 39 *Cor meum dereliquit me*, propter hoc præcipuè de ea potest intelligi illud, quod dixerat Dominus *Oseæ 2.* Oseæ 2. *Ducam eam in solitudinem* animi, A scilicet, *& loquar ad cor eius.* In solitudinem ducta erat à Domino, quando sola claudebatur in thalamo, ad cor eius loquebatur Dominus per Euangelium, dicens sibi: *Aue gratia plena*, at cætera quæ sequuntur. Tertia, quod turbata est in sua exaltatione, exemplo Dauid patris sui, qui dicit: *Exal-* *Psal. 87.* *tatus, humiliatus sum, & conturbatus.* Cõtra hoc, quod Lucifer de sua exaltatione superbiuit, & contra eos, qui suos adulatores secum tenent, in quorum laudibus gloriantur. De humilitate ipsius habes plura in nona Stella quartæ Coronæ. Quarta, quòd cogitabat de salutatione; si quidem, quia prudens erat, non solùm quid loqueretur, sed cui loqueretur, & quid deceret eam loqui, B considerauit prudenter, & discretè. De hac prudentia ipsius plura inuenies in duodecima Stella huius quartæ Coronæ. Quinta apparuit in interrogatione, & breui respõsione, Prou. 17. *Qui moderatur sermones suos,* *Prou. 17* *doctus, & prudens est*, supra in Stella sexta immediatè præcedente.

Octaua Stella quartæ Coronæ B. Virginis est, quòd ipsa fuit timens.

TImorata mulier fuit Beata Virgo, & est iste timor filialis, vel castus collectaneus humilitatis. Ideo Lucæ 1. dixit ei Gabriel: *Ne timeas MARIA.* Timor autem præpa- *Luc. 2.* rauit in eo locum aduenienti Spiritu sancto, C iuxta illud Esai. 66. *Ad quem respiciam, nisi* *Esai. 66.* *ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos.* Pauperculus propriè est pauper, & humilis, qualis erat MARIA, vnde ipsa audiuit, tacuit, & quæsiuit. Timor enim filialis, & castus fecit ipsam inquirere beneplacitum Dei, &c. Eccle. 2. *Qui* *Eccles. 2.* *timent Dominũ, inquirent quæ beneplacita sunt ei, & qui diligunt illum, replebuntur lege ipsius.* Ipsa autem fuit mulier timens Deum, & eius dilectio *fortis, vt mors.* Cant. *Cant. 8.* 8. Quoniam inuitè præueniret virum, vt iret ad eum loqui, quæ veniente Angelo ad se, & salutanti, & bona promittenti: & ideo bis allocuto eam vix acquieuit loqui vnum verbum, & in hoc quies, & taciturnitas bonis mulieribus proponitur æmulanda. Erubescat Salomonica mulier *garrula, &* *quietis impatiens*, & ei consimiles, Prouer- *Prou. 7.* bior. 7. Igitur, quia prudens erat Virgo, & timorata, non solùm quid loqueretur, sed etiam cui, & quid deceret eam loqui, considerauit. Ideo benè dicitur: *Dixit autem MA-* *RIA ad Angelũ*, nõ illa, vel illi, quasi diceretur, vt MARIA, & vt ad Angelũ locuta est. Decebat enim Virginẽ, & talẽ Virginẽ breuiter, & tacitè loqui, & propositã continentiã protestari, maximè vbi eius periculũ imminere videbat, & vt ad Angelũ, quẽ interro-

gari

gari breuiter, quasi sapientem oportebat,
Eccles. 6. Eccles. 6. *Si videris sensatum, euigila ad illũ audiendũ in scholis, & imitandum in factis.*
Eccle. 30 *Quomodo fiet istud? &c.* Eccles. 30. dicitur: *Qui credit citò, leuis est corde, & minorabitur.* Eua leuis fuit corde, quia citò credidit, & nec verbum, nec loquentem discutiens, facilè consensit. Duplici quippe funiculo trahebatur, quia promittebatur sublimitas, suadebatur voluptas, ad quæ duo, homines facilè inclinantur, sed MARIA neutrum voluit, quia humilis, & virgo fuit; sed vtilitatem, non solùm propriam, sed communem desiderans, prudenter quæsiuit: *Quomodo fiet istud?* quod tu dicis, vt Virgo concipiã, & pariam filium, *quoniam virum non cognosco.* Ecce tangit se vouisse castitatem. Vnde secundùm Bernardum, Angelus intuitus Virginem, & varias eam secum voluere cogitationes, facillimè deprehendens pauidam consolatur, confirmat dubiam, ac familiariter vocans ex nomine benignè, ne metuat, persuadet: *Ne timeas*, inquit, *MARIA, inuenisti gratiam apud Deum.* Solent enim, vt idem Bernardus dicit, Virgines, quæ verè virgines sunt, semper esse pauidæ, & nũquam securæ, & vt caueant timẽda, etiam tuta pertimescere, scientes se in vasis fictilibus thesaurum portare pretiosum, & nimis arduum esse viuere inter homines Angelum, & in terris more cœlestium conuersari, & in carne cælibem ducere vitam: ac proinde quicquid nouum, quicquid subitum fuerit ortum, suspectas habere insidias totum contra se æstimant machinatum. Idcirco & MARIA tanquam timorata, turbata est in sermone Angeli. Hæc ille.

Nona Stella quartæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd ipsa fuit humilis.

HVmilis, immo multùm humilis Beata Virgo MARIA fuit, vnde humilitas eius signatur per Nardum, de qua sic loquitur ipsa Cant. 1. *Dum esset Rex*, id est, Christus *in accubitu suo*, id est, in sinu patris nõdum factus visibilis *Nardus mea*, id est, humilitas *dedit odorem suum*, scilicet, solitum. Nardus est herba humilis, & calida, & valdè propriè MARIÆ signat humilitatem; vnde signanter dicit, Nardus mea; quia eius humilitas magis ex calore charitatis, quàm ex veritatis cognitione processit. Est enim humilitas, quam veritas parit, quæ cõsistit in cognitione, & hæc est in intellectu. Si enim te ad lumen veritatis sine dissimulatione inspicias, eris profecto vilis in oculis tuis, quamuis nondum id patiaris in oculis aliorum. Humiliaueris ergo ex veritate, & non ex charitate; est & alia humilitas, quam charitas formar, & informat, & hæc
Cant. 1.

A est in affectu, quã si habueris, voles quantum in te es, eam de te omnes tenere sententiam, quam apud te veritatem habere cognoscis. Quantùm in te est dico, quia multa sunt in nobis, quæ ab alijs sciri nõ expedit, eò quòd nocere posset scientibus. Ideo dicit Beatus Bernardus: verus humilis non vult humilis prædicari, sed vilis reputari, alioquin si primato amore tui, vel timore vilitatis alijs nolis innotescere, qualis es, minùs probaris diligere veritatem, & timendum, ne incurras illud Prouerbior. 29. *Pondus, & pondus, &c. abominatio est apud Deum.* Tu enim te deprecaris in occulto trutina veritatis ponderatus, & foris alterius pretij metiens maiori pondere te vendis, quàm ab ipsa accepisti. Ideo dicitur, Prouerbior. 27. *Sicut probatur in conflatorio aurum, &c. sic probatur homo ore laudantium.* Et hæc tentatio tantò est grauior, quantò maior est, qui laudat. Processit igitur MARIÆ humilitas ex amore, quæ peccatum non habuit, cuius causa humiliaretur. Et ideo bene signata est per Nardum. Item humilitas MARIÆ pretiosissima; vnde Prouerbior. 31. *Procul, & de vltimis finibus pretium eius*, quia Christus pro humilitate dedit se ei, sicut ipsa dicit: *Respexit Dominus humilitatem ancillæ suæ.* Et ideo signatur per aurum Throni Salomonis, quod erat fuluum nimis, Gallicè orsin. Humilitas enim aliorum Sanctorum, aurum pallidum est; vnde *posteriora dorsi eius in pallore auri*, sed aurum MARIÆ fuluum nimis, id est, pretiosissimum. Vnde Prouerbior. 27. *Quomodo probatur, &c.* Sicut enim pretiositas auri omnia metalia transcendit, sic MARIÆ humilitas omnem gradum humilitatis excessit. Quantò enim MARIA fuit virtutibus præminentior, tantò ipsa humilitas mirabilior. Humilitas MARIÆ in corde, & sensu nihil de se sentiens, vel æstimans magnum, sed de Deo imitatrix patris sui Dauid, qui dicit: *Si non humiliter sentiebam, &c.* Et item: *Ecce ancilla Domini.* In cogitatu. Vnde cùm audiret de se magna, *cogitabat qualis, &c.* In oculis, & visu. Vnde videtur dixisse cum Dauid, nec *elati sunt oculi mei.* Item 2. Regum 6. *Humilis ero in oculis meis, &c.* In auditu iuxta consilium Spiritus sancti, qui eam docuerat, dicens: *Inclina aurem tuam, &c.* id est, humiliter audi nuncium Gabrielem, sicut & ipsa fecit. In olfactu: nõ enim erat de numero illorum, quorum spiritus in naribus eorũ Esai. 11. *Quiescite ab homine, cuius spiritus in naribus eius.* In sermone, & voce. Vnde audita magnitudine, & multitudine promissorum, quæ ei Angelus faciebat, humiliter respõdit: *Ecce ancilla Dñi.* In opere quãdo, videlicet, Elisabeth cognatæ suæ mi-

B

C

D

Prou. 29

Prou. 27

Prou. 31

Luc. 2.

Psal. 67.

Prou. 27

Psal. 30.

Luc. 1.

Ps. 130.

2. Reg. 6.

Psal. 16.

Esai. 11.

nori ſe miniſtrauit. Item in hoc, quòd purgari ſecundùm legem non erubuit. In colle, & capitis demiſsione, quorũ eleuatio eſt ſignũ elationis, & è conuerſo. Vnde non fuit de filiabus Siõ, quæ eleuatæ ambulabant *extento collo*. *Eſai.3.* Eſai.3. In guſtu cũ nunquam aliquid guſtauerit, quod guſtatũ *offerret mortem*. *Iob.6.* Iob 6. Sicut prima mater Eua pomũ appetijt toxicatũ, quod per inobedientiã comedit, &c. In tactu, nã cotrectaſſe creditur mẽbra Filij ſui cum omni humilitate, reuerentia, & tremore, quẽ certiſsimè nouerat Filiũ Dei. In inceſſu, quia non ambulauit in magnis, nec in mirabilibus ſupra ſe, nec fuit de filiabus Sion, quæ *cõpoſito gradu* incedebant pedibus ſuis. *Eſai. 3.* Eſai.3. Ambroſius de ea, non inceſſus ſolutior. In habitu, & omni motu, & guſtu. Amictus enim corporis, & riſus dẽtium, *& ingreſſus hominis annunciãt de illo*. *Eccle.19.* Eccleſ.19. Et quia non tam conuenit ornari veſte, quàm moribus, ſicut dicit Hieronymus. Et ex his igitur patet, quòd B. Virgo in tantũ plena humilitate fuit, quòd quantò magis à Deo, ab Angelis, & ab hominibus extollebatur, tantò magis à ſeipſa deijcieba tur. Vnde cùm ab Angelo audiret, ſe in Matrem Dei eligi, ipſa humiliter reſpondit: *Ecce ancilla Domini, &c.*

Decima Stella quartæ Coronæ B. Virginis eſt, quòd ipſa fuit pia.

PIa, & clemens Virgo MARIA dignè nominatur; vnde de pietate, ſeu cõpaſsione ipſius dicit Beatus Bernardus ſuper illum locum Ioan.2. *Deficiente vino dicit Mater Ieſu ad eũ: Vinum non habent*. *Ioan. 2.* Cõpaſſa eſt enim verecundiæ miniſtrorũ, ſicut miſericors, & benigniſsima. Quid enim de fonte pietatis procederet, niſi pietas? nonne qui pomũ vna hora tenuerit in manu, reliqua parte diei pomi ſeruabit odorem? Quantum ergo viſcera illa virtus pietatis affecit, in quibus ipſa pietas, quæ Chriſtus eſt, nouẽ menſibus requieuit; nã & ante mentẽ repleuit, quã ventrem, & cũ proceſsit ex vtero, ab anima nõ receſsit. Itẽ exemplũ de electuario in pixide, quo extracto, remanet odor. Item quo ſemel eſt imbuta, recens ſeruabit odorẽ, teſta diu. Ipſa verò tantò magis imbuta, quantò magis recens, & amplius fitiens. Ipſa eſt enim valde cõpatiens, & ſuper afflictos pia geſtãs viſcera; vnde ipſa per Eſther, quæ ſignum accepit clementiæ, meritò deſignatur; nã per Mardocheum intelligitur genus humanum, quod à paradiſo erat expulſum, & egebat in hac lachrymarũ valle, ſed Eſther, ſcilicet, Dei Mater, *inuenit gratiã corã Domino*. *Luc.1.* Luc.1. Et ſignũ accepit clementiæ à Chriſto, non tantũ pro ſe, ſed pro toto genere humano, ita quòd in figura ei dixit: *Pete Mater quod vis; nec enim fas eſt, vt auertã faciẽ tuã*. *3.Reg.2.* 3.Reg.2. Et ratio ibidẽ aſsignatur, quia ei nõ poteſt quicquã negari, propter quod in proſa cantãdo, taliter ipſam imploramus. Audi nos, nam te Filius nihil negans honorat, & ad Filiũ, ſalua nos Ieſu, pro quibus Virgo mater te orat; vnde ad propoſitũ adducendo narrat Valerius libro ſuo 5 c.4. quòd Cornelius ſapiẽs, & prudẽs poſtquã Rẽpublicã gratioſè multis annis rexit, Romę ratione malitiæ ciuiũ, expulſus eſt de ciuitate, qui ſe transferẽs ad Vallenſes, ſic fecit, quòd ad imperiũ peruenit. Volens itaque de ingratis Romanis ſe vindicare, ciuitatẽ Romanã maximo exercitu ambiuit: ciues verò coacti pacẽ facere, legatos miſerũt, qui vacui, & ſine expeditione reuerſi ſunt. Secundò miſerunt Sacerdotes ſtolis albis, & alijs ornamẽtis ſacris indutos, quos etiã audire contẽpſit. Tertiò conſilio ſapientiũ matrẽ ſuã, quę ventura dicebatur, quã in ciuitate reliquerat, miſerunt, vt filiũ pro pace deprecaretur, qui matri pacẽ concedens ait: viciſti me, & expugnaſti: moraliter ad propoſitũ. Cornelius iſte eſt Chriſtus Filius Dei benedictus, cui genus humanũ erat offensũ, & plures legatos miſerunt, puta Patriarchas, Prophetas, & cũ nihil proficerẽt, tandẽ Matrẽ eius dulciſsimã miſerunt, quæ pacem populo obtinuit, & Mardocheũ, ſcilicet, hoſtem, ad ſtatum priſtinum reuocauit. Tanta igitur eſt MARIÆ benignitas, vt accedere ad eam nullus debeat formidare. Vnde Beatus Bernardus in illo ſermone de Aſſumptione: Signum magnum, &c. Quid ad MARIAM accedere trepidet humana fragilitas, nihil auſterũ in ea, nihil terribile, tota ſuauis eſt, omnib⁹ offerẽs lac, & lanã. Reuolue diligentiùs Euangelicæ hiſtoriæ ſeriem vniuerſam, & ſi quid fortè increpatorium, ſi quid durum, ſi quid denique ſignum indignationis occurreret in MARIA, de cætero ſuſpectam habeas, & accedere vereariſ. Quod ſi, vt verè ſunt plena magis omnia pietatis, & gratiæ, plena manſuetudinis, & miſericordiæ, quæ ad eam pertinent, inueneris, age gratias ei, qui tibi talem mediatricem benigniſsima miſeratione prouidit, in qua nihil poſſet eſſe ſuſpectum. Denique omnibus omnia facta eſt, ſapientibus, & inſipientibus copioſiſsima charitate debitricem ſe fecit, omnibus ſignum miſericordiæ aperuit, vt de plenitudine eius accipiant vniuerſi. Captiuus redemptionẽ, æger curationem, peccator veniam, iuſtus gratiã, Angelus lætitiã, denique tota Trinitas gloriã, Filij perſona carnis humanæ ſubſtantiam, vt non ſit, qui ſe abſcondat à calore eius. Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus MARIAM hanc veneremur, quia ſic eſt volũtas eius, qui totum nos habere voluit per MARIAM. Hæc ille. Ideo dicit quidam de hac Matre. Ad

quem

quem refugient filij miseriæ, si eos repellat mater misericordiæ? Mater enim ista omnia bona nobis vult, sicut mater filijs. Vnde & dicere videtur Christianis omnibus illud Philip.1. *Philip.1* *Testis est mihi Deus, quomodo vos cupiam in visceribus Christi, Filij mei.* Non enim mater hæc dedignatur peccatores, sicut nec bona mater filium scabiosum, quia propter peccatores factam se recolit misericordiæ genitricem. Vbi enim non est miseria, misericordia non habet locum.

Vndecima Stella quartæ Coronæ B. Virginis MARIÆ est, quòd ipsa fuit sedula.

SEdula, siue diligens, & obsequiosa Beata Virgo dignè nominatur Vnde & per Martham solicitam designatur. Ipsa enim in singulari actione, & in omni bona operatione Filio Dei, qui fuit in vnum dies, & pauper per sedulum obsequium sex opera misericordiæ exhibuit excellenter. Vnde in iudicio poterit ei dicere Filius excellenter illud Matthæi 25. *Mat.25.* *Hospes eram*, & collegisti me, scilicet, in tabernaculo virginalis uteri tui. Vnde Iob 31. quasi in persona MARIÆ: *Foris* *Iob 31.* *non mansit peregrinus*, scilicet, Filius Dei. Assigna de peregrinatione Christi: *Ostium meum viatori patuit*. De quo, scilicet, viatore dicitur Hierem. 14. quasi loquentis ad *Hier.14.* Filium Dei. *Quare colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum.* Qui, videlicet, viator, cũ non haberet, quo *caput suum* reclinaret, Matth. 8. Susceptus est, & hospitatus in utero, & in domo virginali. Item nudus fui, & cooperuisti me, vestimento, videlicet, carnis tuæ Virgineæ. Vnde dictum fuerat MARIÆ: *Quod nascetur ex te sanctum, &c.* Item Luc 2. Et pannis eum inuoluit. Ecce vestimentum, & reclinauit in præsepio, ecce materiale hospitiũ. Propter hoc Christus dicit se *granum frumenti*. Ioannis 12. quod nudum *seminatur*. 1. Corinthior. 15. Sed surgit vestitum palea sua. Propter hoc etiam comparatur ipsa velleri Gedeonis, quia lana sua, id est, carne virginea vestiuit Agnum Dei. Vnde & Filius dicit ei, Iob 10. *Pelle, & carnibus, &c.* Itẽ esuriui, & dedisti mihi manducare, vnde Hieronymus dicit, quòd cum acu, & colo acquirebat, vnde se, & Filium pascebat. Vnde Canticor. 2. dicitur, quòd Christus pascitur *inter lilia*, & hæc lilia interpretatur Beatus Bernardus manus MARIÆ, dicens: Manus MARIÆ quædam candidissima lilia sunt, nec causabitur liliorum amator inter lilia non inuentum, quicquid inter MARIÆ manus inuenerit. Item sitiui, & dedisti mihi potum, scilicet, lactis virginei, quod ego solus bibi. Potest etiã istud intelligi de potu fidei, quo MARIA pro omnibus ipsum potauit,

A figurata per Samaritanam mulierem, cui Christus dixit Ioan. 4. *Da mihi bibere.* Item infirmus eram, & visitasti me, quod impletum est, quando Christus crucifigebatur, & ipsa stabat iuxta Crucem, quando, scilicet, Deus Pater percutiebat filium pro salute populi sui. Esai. 53. & quãdo *vulneratus est propter iniquitates nostras, & attritus propter scelera nostra, & liuore eius sanati sumus.* Sicut ibidẽ dicitur. Item in carcere eram, & venisti ad me. Quasi incarcerabatur Christus in carcere nostræ mortalitatis, quando nascebatur de Virgine verus homo, & ad ipsum tunc veniebat MARIA, sicut mater ad filiũ iacentem in cunabulo, sed tũc quàm maximè B fuit incarceratus, quãdo positus est in sepulchro. Vnde in persona ipsius dicit Hierem. Thren. 3. *In tenebrosis collocauit me, quasi mortuos sempiternos.* Item ibidem: *Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me.* Tunc autem licèt hoc non legatur in Euangelio, non dubitatur ad sepulchrum venisse filij Mater pissima. Vnde Hieronymus: Quàm miserum erit, & impium sentire de matre, vt quando cæteræ sanctæ mulieres tantam curam habuerunt de Dominica sepultura, ipsa se absentauerit? Absit. Ipsa enim in singulari ministratione sedulò seruiuit Filio Dei, non solum in vita, sed etiam in morte, & post mortem, vt iam ostensum est. Multi enim alij, & multæ aliæ susceperunt Christum in suis domibus, vno die, vel duobus, aut tribus, ipsa verò in propria domo uteri virginalis, non tantùm vno die, vel duobus, sed mensibus nouem. Item alij pauerunt eum cibis communibus, & fortè dederunt ei aliquod indumentum: ipsa verò de carne propriai, pñi nudo, id est, puro Deo carnis cõtulit vestimentum, & de lacte proprio ministrauit alimentum. Et de cæteris operibus misericordiæ sic poteris assignare. Et propter hoc dicit ipsa anthonomasticè. Coram ipso ministraui, id est, ad beneplacitum eius sedulè, & diligẽter ei ministraui.

Duodecima Stella quartæ Coronæ B. Virginis MARIÆ est quòd ipsa fuit prudens.

PRudens Beata Virgo fuit, de quo facillimè veritas comprobatur, si quomodo locuta est cum Angelo, attendatur. Quis enim in iuuene puella non miretur tantam sermonis constantiã, interrogationis prudentiam, fidei facilitatem; nimirum, quia datum est cordi eius lumen intelligentiæ. Dedit enim ei, qui se vniuit ei, & sẽtire fideliter, & proferre vtiliter, & efficaciter adimplere, & hic est funicul⁹ triplex, qui difficilè rũpitur, qui videlicet, animas nostras ad exẽplum MARIÆ de lacu fæcis, & miseriæ extrahat, & post eã ad regna cœlestia trahat, id est, si

rectè sentiamus, si dignè proloquamur, si vi- A
uendo confirmemus: & nota, quòd tres mu-
lieres, quæ figurant MARIAM, commendã-
tur à prudentia. Prima *Abigail*, quæ erat pru-
1. *Reg.* 25 dentissima, & speciosa, 1. Reg. 25. Et hæc
per prudentiam malum imminens viro suo,
& domui suæ præcauit, & Dauid iratum co-
tra Nabal stultum verborum suorum subti-
litate placauit. Et nota, quòd Abigail in-
terpretatur, patris mei exultatio, quia de ea
exultant Pater, & Filius, & Spiritus sanctus,
& ipsa orando impetrauit à vero Dauid, ne
statim interficiat Nabal stultum, & pessimũ,
id est, genus humanum; de quo habes supra
in prima Stella huius quartæ Coronæ. Secũ-
da mulier *Thecuites*, cui dixit Ioab 2. Reg.
2. *Reg.* 14 14. *Lugere te simula, & induere te veste lu-* B
gubri, &c. Et hoc malum, quod iam euene-
rat, quasi aboleuit Dauid patri suo reconci-
lians Absalon fratricidam; sic MARIA ver-
bis prudentibus, & orationibus Christo recõ
ciliat homicidas fratris, id est, spiritus sui.
De hoc etiam habes exemplũ in prima Stel-
la, vbi supra. Tertia mulier *in Abela*, 2. Reg.
20. quæ dicit ad Ioab: *Nunquid subuertere*
vis ciuitatẽ, & euertere matrẽ in Israel? Et
hoc caput, siue, qui seditionẽ mouerat cõtra
Dauid, proiecit per murũ ad Ioab, & ciuitas
saluata est. Sic MARIA sub pedib⁹ cõtriuit
Barrabã, id est, Diabolũ, qui propter seditio
nẽ, quã mouerat in cœlo, quod est regnũ veri
Dauid, & homicidiũ, quod perpetrauerat in
seditione, quando se, & suos cõplices interfe
cit; vnde & dicitur, *homicida à principio*,
Ioã. 8. & Ioan. 8. *missus est in carcerẽ* inferni. Luc. 23.
Luc. 23. Itẽ gloriosa Virgo est prudẽtissima Virgi-
nũ, habens lãpadẽ integerrimæ virginitatis,
& oleũ misericordiæ in omnibus vasis suis.
In vase cordis per affectũ misericordię, inva
se mãnũ per effectũ operis, & in vase orisper
benignitatẽ orationis. Itẽ MARIA fuit pru
dens, quia prudenter cogitãs, qualis esset An
gelica salutatio. Cũ enim sub lege nulla esset
mulier sine maledictione, vel sterilitatis, vt
virgines, vel corruptionis, vt matres, meritò
cogitabat, quomodo ei diceretur *Aue*. Itẽ cũ
sciret sub lege, nõ esse plenitudinem gratiæ,
Hebr. 7. quia lex *neminẽ duxit ad perfectũ*. Hebr. 7.
Mirabatur quomodo plena gratia diceretur.
Itẽ cũ audisset, *cõcipies, & paries*, cõferebat
Esai. 7. verba, Esai. 7. dicẽtis: *Ecce Virgo cõcipiet, &*
pariet filiũ, cũ verbis Angeli dicentis: *Ecce*
concipies in vtero, & paries filiũ, &c. Certa
de facto, sed dubia de modo, MARIA etiam
fuit prudens, ore, vel sermone, quia certifica
ta de modo, cũ dictũ esset ei, *Spiritus Sãctus*
superueniet in te, &c. fidẽ, quã in corde ha-
bebat, ore expressit, dicens: *Ecce ancilla Do-*
mini. Item prudens sermone, quia cũ summa
deuotione postulauit quod ei promittebatur impleri, subiungens: *Fiat mihi secundùm*
verbum tuum. Item opere, quia concepto
Filio Dei, spontaneè, & deuotissimè se hu-
miliauit ad seruiendum Elisabeth, iuuẽcula
seni, Virgo mulieri veteranæ, & morata est
cum ea tribus mensibus, sicut dicit Ambro-
sius in libro de Virginitate. Item ex verbis
Beatæ MARIÆ facilè perpendi potest eius
sanctitas, eius charitas, eius prudentia; non
enim, nisi septem verba tantùm ad quatuor
personas locuta legitur in Euangelio: &
hæc septem verba ad septem dona Spiritus
sancti, qui eam repleuerat, referenda sunt.
Locuta autem est bis cum Angelo, bis cum
Elisabeth, bis cum filio, semel cum minis-
tris, nec etiam cum viro suo semel locuta
legitur. Innuitur autem in hoc, quòd reli-
B giosa persona, & maximè mulier Monialis,
& puella rarissimè debet loqui, & tunc cum
Deo in oratione, aut lectione, & cum Ange-
lo, id est, Sacerdote Angelicæ conuersatio-
nis, & honestæ in confessione, aut cum Eli-
sabeth vetula, id est, cum matura, & sancta
muliere in mutua, sed rara consolatione, aut
cum ministris, & hoc coram omnibus non in
angulo, in necessariorum postulatione. Et
nota, quòd quicquid locuta est, aut ad sui hu
miliationem, vel ad Dei laudem, vel ad pro-
ximorum ædificationem referebat. Ideo de
ipsa congruè potest dici illud Ecclesiastic.
43. *In sermone eius composita sunt omnia.* 1. *Eccl.* 43.
Petr. 1. *Si quis loquitur, quasi sermones* *1. Petr.* 1.
C *Dei*. Colossens. 4. *Sermo vester semper in gra-* *Coloss.* 4.
tia sit conditus sale. Item Sapient. 6. ipsa di- *Sap.* 6.
cit nobis cum sapientia: *Concupiscite sermo-*
nes meos, & diligite illos, & habebitis disci-
plinam. Sic expone hanc auctoritatem, *con-*
cupiscite, id est, cum omni concupiscentia
audite, *& inuestigate sermones meos*, qui mo
nent seriem, & ordinationem vitæ Christia-
næ, quia sermo dicitur, quasi seriem monẽs,
& diligite illos, id est, in exhibitione ope-
rum diligere vos ostendite, quia probatio
dilectionis exhibitio est operis, sicut dicit
Gregorius, *& habebitis disciplinam*, id est,
ordinatam morum correctionem.

D *QVINTA CORONA, ET PRIMA*
Stella eiusdem.

QVinta Corona capitis glorioſissimę Vir
ginis MARIÆ est Corona fructificatio
nis, siue fertilitatis, quia ipsa fructifera fuit.
Vnde ortus, siue pomeriũ Domini dicitur,
quod constitũ est manu sapientiæ omni arbo-
rũ genere, id est, omnimoda virtute. Duode-
cim Stellæ huius Coronæ sunt duodecim fru
ctus, qui ex duodecim arboribus fructiferis,
& pulcherrimis huius pomerij colligũtur, &
in B. Virgine MARIA vbertim reperiũtur,
& sunt isti arbores, vitis, oliua, rubus, ce-
drus, palma, cipressus, libanus, platanus, cin-
namomũ, myrrha, balsamus, therebinthus.

Pri-

Prima Stella huius quintæ Coronæ Beatę Virginis est, quòd ipsa dicitur Vitis. MARIA dicitur Vitis, immo se nominat Vitę, Eccles. 24. Eccles. 24. dicens: *Ego quasi vitis fructificaui suauitatẽ odoris, & flores mei fructus honoris, & honestatis.* Ego, dicit MARIA, quasi Vitis fructificaui suauitatem odoris, id est, suauem odorem sanctæ conuersationis, & opinionis cum iucunditate mentis, quæ designatur in *Vino*, seu in vite. Iudicum 9. & flores mei, id est, virtutes, scilicet, viola humilitatis, rosa charitatis, lilium virginitatis sunt fructus honoris, & honestatis, quia imitatores meos in his virtutibus reficiunt spiritualiter, & saginant, & ideo fructus, vel sic. Flores mei, id est, decor honestæ conuersationis, & fragrantia bonæ opinionis sũt fructus honoris, & honestatis, quia ipsos satiant, & reficiunt, qui ab ipsis exemplum sumunt. Aliter, *Ego quasi vitis, &c.* id est, de virginea carne mea sine læsione pudoris processit Filius Dei, cuius dulcis opinio replet mundum. Luc 4. *Fama exijt per vniuersum mundum de illo.* Hæc vinea plantabatur in suis radicibus, id est, in antiquis Patribus; vnde Psalm. 79. *Plantasti radices eius, & impleuit terram*, & benè dicit, impleuit, quia nobis attulit plenitudinem omnis boni, id est, Christum, qui est *sufficientia omnium*, sicut dicitur 1. Corinthiorum 15. Et in eius natiuitate incepit *tempus plenitudinis.* De quo habetur Galat. 4. Item hæc vitis præ cæteris arbustulis diligentiùs, & quasi assiduè excolebatur totius Trinitatis operatione: speciales etiam eius cultores fuerunt inspiratio diuina, Filij sapientia, Spiritus sancti disciplina, motitio Angelica, propria diligentia, Patris, & Matris doctrina, & huiusmodi. Pastinabatur singulorum charismatum impinguatione; vnde dicitur Christo: Psal. 64. *Inebriasti, & multiplicasti locupletare eam*, id est, multipliciter locupletasti. Marc. 12. *Vineam pastinauit homo, &c.* Putabatur resecatione omnimodæ superfluitatis à corde ipsius omnibus membris, & sensibus, Canticorum 2. *Tempus putationis aduenit.* Concludebatur secretissima conuersatione. Vnde Angelus inuenit eam in conclaui, Lucæ 2. quære supra in septima Stella quartæ Coronæ, fodiebatur veræ paupertatis, & humilitatis dilectione: humilitas enim profundauit mentem eius, vt capax fieret totius bonitatis, paupertatis amor excluſit ab ea appetitum totius terrenitatis, & vtraque virtus fecit eam capacem totius diuinæ largitatis; de qua dicitur Iacob. 1. *Omne datum optimum, &c* Sed quia non tantùm semel, sed etiam bis, vel ter foditur vinea, multipliciter fossa est hæc vitis per compassionem in passionis feruore, cùm eius animam toties gladius Filij pertransiret, quoties ipse singulares pœnas nunc in manuum, & pedum perforatione ligonibus clauorum, nunc diræ lanceæ lateris eius apertione sustinuit, &c. Propagabatur, & extendebatur manum mittens ad fortia, quæque vitis enim in se replicata est humilis, in latum extẽsa, vel in altum porrecta, prolixa, & sublimis. Ideo de ipsa potest exponi illud; extendit palmites suos, id est, orationes, beneficia, & exempla, vsque ad mare, id est, vsque ad existentes in qualibet amaritudine, & passione. Vnde ipsa in Cantico suo: *Ecce*, inquit, ex hoc *Beatam me dicent omnes generationes.* Nunquam enim cessat propagari, & dilatari, cuius quædam propagatio est exemplo eius virginitatis ęmulatio. Cùm iam nõ sit numerus adolescentularum in eius odore currentium. A terra leuabitur iugi cœlestium contemplatione, dicens illud Iob 7. *Suspendium elegit anima mea.* Item sedebat solitaria, *& tacebat, & leuabat se supra se.* Thren. 3. Et ideo verè dicere poterat cum Apostolo: *Mea conuersatio in cœlis est.* Philippens. 3. Diligentissimè conuersabatur à Deo Trinitate, qui dicit de ea sub appellatione vineæ Esai. 27. *Nocte, ac die seruo eam, indignatio non est mihi*, singulariter seruabatur per Gabrielem, & Ioannem, qui eius custodes fuerunt. Et nota, quòd principaliter quasi quinque modis vinea destruitur. Per demolitionem vulpecularum, id est, primorum motuum furtiuè irrumpentium. Canticorum 2 *Capite nobis vulpes, quæ demoliunt vineas; nam vinea nostra floruit.* Item per inundationem aquarum, quæ designat copiam temporalium. Item per grandinem, quæ designat luxuriam. Per gelicidium, quod auaritiam: per nebulam, quæ signat superbiam: à primo præseruata est per fomitis extinctionem: à secundo, per paupertatem: à tertio, per virginitatem: à quarto, per largitatem: à quinto, per humilitatem.

Iudic. 9.

Luc. 4.

Psal. 79.

1. Cor. 15

Galat. 4.

Psal. 64.

Cant. 2.

Luc. 2.

Iacob. 1.

Luc. 2.

Cant. 2.

Secunda Stella quintæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd ipsa dicitur Oliua.

OLiua MARIA dicitur. Vnde dicit ipsa Ecclesiastic. 24. *Quasi Oliua speciosa in campis*, supple exaltata sum propter misericordiam, & pietatem. Videndum igitur, quare, vel quomodo, vel vbi speciosa? Dicitur Raba, quòd olea arbor est, oliua fructus; cuius, scilicet, oliuæ liquor, vel succus dicitur oleum Latine, sed Græcè oleon, sed oliua sæpè pro arbore ponitur vt ibi: *Ego autem, sicut oliua fructifera in domo Dei, &c.* MARIA autem Oliua dicitur, quia Oliua amara

Esai. 24.

Psal. 51.

amara eſt in radice, & ipſa ex radice originalis culpæ amaritudinem habuiſſet in conceptione, niſi ſingulari munere Dei præſeruata fuiſſet, quære ſupra in ſecunda Stella primæ Coronæ. Dulcis in fructu, id eſt, in filio, qui dicit: Spiritus meus ſuper mel dulcis, odorifera in flore: flos eius filius eius eſt, qui ſicut cinnamomum, & balſamum aromatizãs, *dedit ſuauitatem odoris*, Eccleſiaſt. 24. Fructũ ſuum in quantum in ſe eſt, omnibus communicat, quod apparuit, quando filium ſuum peperit in via, vt poſſet ab omni prætereunte capi, & dicerent tranſeuntes: filius datus eſt nobis, ſed nota, quòd non inuenitur hic fructus, niſi à traſeuntibus. Vnde de paſtoribus, qui dixerunt: *Tranſeamus vſque ad Bethleẽ, &c.* Luc. 2. dicitur paulo poſt: *Venerunt feſtinantes, & inuenerunt, &c.* Arbor frondoſa, & ramoſa, cuius frondes, & rami amatores eius ei, quodammodo fide, ſpe, & charitate inſerti, quia amor eſt amantis, & amati vnio quædam ſpiritualis. Vnde talis poteſt dicere: *Mihi adhærere ei bonum eſt, & ponere in ea ſpẽ meam*, quia talibus nutrimentum gratiæ ſubminiſtrat. Maximè autem inſeruntur ei imitatores eius in pietate, & duplici miſericordia, ſcilicet, in affectu, & effectu. Cana eſt per ſapientiam, Sapient. 4. *Cani ſunt ſenſus hominis, &c. Et in antiquis eſt ſapiẽtia*, Iob 12. Signum eſt pacis; vnde in eius partu cantatum eſt: *Pax hominibus bonæ voluntatis*; per ipſam enim finita eſt guerra, quã Eua fecerat inter Deum, & hominem, inter hominem, & Angelum, inter hominem, & hominem, inter corpus, & animam; vnde ipſa eſt columba illa, quæ ceſſante diluuio, ramum oliuæ in ore ſuo detulit ad Noe in Arcam, Deum humano generi reconciliatum demõſtrans, & ſic ipſa deſignatur per oliuam, quæ eſt ſignum pacis; & per columbam, quæ eſt auis pacifica. Comam ſuam diù conſeruat, id eſt, fidem, ſpem, & charitatem: vel coma eſt virginitas, cui debetur aureola, vnde MARIA pingitur coronata; hãc comam iugiter ſeruauit, quia Virgo ante partum, in partu, & poſt partum; folia eius amara, quia verba eius inuitant ad pœnitentiam, vel verba eius ſunt verba Euãgelicæ prædicationis, quibus docuit Apoſtolos, & filios naſcentis Eccleſiæ: folia etiam eius, id eſt, verba medicinalia, Ezech. 47. *Fructum facit in frigore pinguem*; quia ad litteram in hyeme peperit Saluatorem, myſticè quando refriguerat charitas, & abundabat iniquitas. Æſtate, & hyeme viret: viror autem, fides, & perſeuerantia, quæ non aruit in ea propter hyemem Dominicæ paſsionis, ſicut in omnibus diſcipulis. Tunc enim defecit omnis Sanctus. Ideo prædictum erat de ea, Prouerb. 31. in fine: *Non extinguetur in nocte* Dominicæ paſsionis *lucerna eius*, id eſt, fides. Cãtat ides nutrit, quæ libenter comedunt flores oliuæ. Et ſunt cantarides muſcæ fætentes, & lucidæ, quę ſignãt Clericos, vel Monachos, vel Canonicos lucentes habitu, & tonſura, ſed fætentes vita. Cùm dicat Auguſtinus, vt non tam ſtudeamus placere veſtibus, quàm moribus, quos Beata Virgo nutrit beneficijs ſuis. Arbor inſignis MARIA glorioſa eſt generis nobilitate, glorioſior morum honeſtate, & gratiarũ vniuerſitate, glorioſiſsima filij dignitate, ramos habet flexibiles, quia facillimè flecti poteſt ratione deuota, vt habeatur fructus eius, qui eſt Chriſtus. Valde copioſa in fructu; vnde dicit *Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Dei, &c* id eſt, in Eccleſia, quia fructus eius omne bonum eſt, & ſummum bonum, qui omnibus omnia factus eſt, vt *lucrifaciat* vniuerſos, 1. Corinth. 9. & ipſe in futuro erit omnia in omnibus, id eſt, *ſufficientia omnium*, 1. Corinth. 15. Ipſa eſt etiam oliua, id eſt, fructus, quia plena pinguedine gratiæ, & miſericordiæ, luce ſapientiæ, & hilaritate bonæ conſcientiæ ſequitur ſpecioſa in campis, id eſt, in pectoribus incultis, quibus gratiam ſuam orationibus, exemplis, & meritis ſubminiſtrat, vt excolantur, & referant fructũ. Dicitur etiam *ſpecioſa in campis*, propter communitatem pietatis eius, & miſericordiæ, quam cunctis exhibet, quantum in ſe eſt ſine acceptione perſonarum: ſi vis ergo participare de pinguedine huius oliuæ, depone fatum ſuperbiæ, & fruſtrea vitiorum profunde, & ſicarios fures, & venenata animalia, dæmones, ſcilicet, & vitia expelle, vt ſic in te campi facies appareat.

Tertia Stellæ quintæ Coronæ Beatæ Virginis eſt, quòd ipſa dicitur Rubus.

RVbus MARIA dicitur: Et ipſa, vel eius conceptus eſt illa viſio magna, Exod. 3. quam deſiderabat videre Moyſes, quaſi de prope dicens: *Vadam, & videbo viſionẽ hanc magnam, quare non comburatur rubus, &c.* Hæc viſio magna propter ſingularitatẽ, quia nec primam ſimilem viſa eſt, &c. Vtilitatẽ, quia nulla maior vtilitas eſſe poteſt, rei magnitudinem, ſcilicet, quòd Virgo concepit, non purum hominem, ſed Filium Dei; rei nouitatem. Hierem. 31. *Creauit Dominus nouum, &c.* ſignificatione, quia & præſens miraculum exhibuit, & incarnationem Verbi, & Virginis matris perpetuam integritatem præſignauit: magni myſterij repræſentationem. Sed quid videbat Moyſes? flammam ignis, id eſt, Filium Dei, qui dicitur flamma ignis, id eſt, ſplendor lucis æternæ, quia *Deus noſter ignis conſumens eſt*. Hebr. 12. in fine: *Procedentem de medio rubi*, id eſt, virginalis vteri, & dicitur ibi: *Quòd rubus ardebat, & non comburebatur*, quia Virgo concipiebat

Ecclеſ. 24

Luc. 2.

Pſal. 72.

Sapien. 4. *Iob* 12.

Luc. 2.

Ezech. 47

Prou. 31.

1. *Cor.* 9.

1. *Cor.* 15.

Exod. 3.

Hiere. 13

Hebr. 12.

bat

bat Filiũ, nec violabatur, grauidabatur, sed nõ grauabatur, alleuiabatur in partu, sed nec dolebat, nec enacuabatur: vel per flãmã intelligè Spiritus sancti gratiã, Domino apparẽte in rubo, flamma rubum non læsit, quia Filio Dei assumente carnem in Virgine obumbrata à Spiritu sancto pudor virgineus illæsus permansit: vel sic: Ignis in rubo, Christus in corpore virgineo, qui ibi ardebat, quia fœcũditatem accedebat, nec virginitatem consumabat, & in hoc magna visio, quia cùm sit ignis consumens, non consumebat. Christus igitur rubus igne succensus, nec combustus iure scribitur: Quid enim est rubus in flamma, nisi humana natura à diuinitate Verbi susceptа, qui etiam ardet, & non comburitur, quia mediator noster in similitudine carnis peccati sine peccato apparuit? Isidorus videtur velle, quòd rubus sit quædam arbustula, quæ Gallicè dicitur botomer: & dicitur rubus, quia fructus eius, vel virgultum rubet, & ideo Dominus voluit apparere in rubo, quia de ea nõ possunt fieri imagines. MARIA etiam rubus, arbor parvula per summã humilitatem, & contemptum sui, quæ est humilitas, aspera per exercitium virtutum cõtra mollitiem, & dissolutionem: viridis per fidem, vel perpetuam sanctitatẽ, vel per virginitatem, vel quia nõ emarcuit corpus eius per putrefactionem: florida per virginitatẽ, vel quia sicut in flore est spes fructus, sic in ea spes omnis boni. Vnde dicit: *In me omnis spes vitæ, & virtutis.* Eccles. 24. Odorifera per sanctam opinionem. Vnde dicitur Eccles. 24. *Sicut cinnamomum, & balsamum aromatizãs, &c.* Aculeata per multiplicis tribulationis punctionem, & hoc maximè in Filij passione. Est enim rubus genus arbustulæ spinosæ. Item Christus rubus, asperitas rubi, caro mortalis, quam de Virgine sumpsit, ignis amor, quem erga nos habuit. Rubus comburi visus est, nec tamen combustus, hic est caro Christi, quæ amore mortua, & sepulta visa est, putredini data, cùm tamen gloriosior surrexerit. Moraliter rubus incombustus fidelis anima probata tentatione non consũpta. Vnde de iustis dicitur, Sapient. 3. *Tanquam aurum in fornace probauit electos Dominus.* Purum, quod ibi est, non minuitur, sed purius redditur, quod apparuit in pueris, in caminum missis, qui pueri ibi missi sunt, & puriores exierunt: sicut dicit Hieronymus in prologo Abacuch. Vel rubus incombustus malitia increpata non consumpta. Vnde Hierem. 6. *Frustra conflauit conflator, malitiæ eorum, non sunt consumptæ*, vel reproba anima flagellata à Deo, sed non emendata. Vnde Hierem. 6. Frustra percussi filios vestros, disciplinam non receperunt.

Eccle. 24. *Idem* 24. *Sapien.* 3. *Hierem* 6

A *Quarta Stella quintæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd ipsa comparatur Cedro.*

CEdrus quoque MARIA; vnde dicit Ecclesiast. 24. *Quasi Cedrus exaltata sum in Libano*, qui interpretatur candor, qui est omnium colorum mundissimus. Cedrus dicitur ex eo, quòd à Græcis Cedros vocatur, quasi Ceomenes Drosorion, id est, arboris humor ardentis, & est Libanus mons quidam significans Christum montem in vertice mõtium, qui *est candor lucis æternæ.* Sapient. 7. Alij enim montes, id est, sancti candidi sunt, non candor, sed ab ipso candore candescunt, quia ab ipso mundantur, & de plenitudine eius accipiunt. In hoc monte præ cæteris omnibus Beata Virgo exaltata est super homines, & Angelos, tanquam præcipuum membrum in corpore subcapite. Dicit ergo, quasi Cedrus exaltata sum in Libano, id est, in Christo, in mundo, in cœlo, in Ordine Cister; quia omnes Ecclesiæ illius sunt de ipsa, & benè dicit *exaltata*, quia de humili ancilla in Reginam cœli, de Filia Dei, in Matrem Dei. Item Cedrus serpentes fugat, & ipsa odore nominis sui serpentes spirituales, & dæmones fugat. MARIA Cedrus, quia Cedrus arbor procera, & eminentissima super omnes arbores; vnde & à quibusdã dicitur, Rex arborum, & benè competit dignitati MARIÆ, quæ in hoc, quòd ipsa facta est Mater Dei, nec primam humilem visa est, nec habere sequentẽ. Ideo dicit, quasi Cedrus exaltata sum in Libano; quia sicut dicit Beatus Bernardus: Hæc est Virginis nostræ gloria singularis, & excellens prærogatiua MARIÆ, quòd Filium vnum eundemque cum Deo Patre meruit habere communem: vel altitudo MARIÆ humilitas eius, quia *qui se humiliat, exaltabitur*, vel altitudo eius fuit à terra elongatio, & cœlo approximatio; terra, id est, terrena voluptas, terrena opulentia, terrena gloria. A prima se elongauit per virginitatem, à secunda per paupertatem, à tertia per humilitatem; & per hæc tria super omnes creaturas propinquauit per meritum ad cœlestia, & æterna. Arbor annosa. Licet enim in exordio noui testamenti, & in conceptu Filij fuerit iuuencula, tamen in figuris veteris testamenti, & in Prophetis quasi senex erat, & annosa. Vnde signatur per *cisternam veterem.* Genes. 37. Quia in ea missus est verus Ioseph in incarnatione. Esai. 9. *Verbum misit Dominus in Iacob*, id est, Filium suum in MARIAM. Ideo etiam in templis de hoc ligno propter durabilitatem eius solebãt lacunaria fieri, arbor medullosa. Vnde Ezech. 17. *Aquila grandis magnarũ alarum longo membrorum ductu plena plumis, & varietate, venit ad Libanũ, & tulit me-*

Ecclé. 24. *Mat.* 23. *Genes.* 37. *Esai.* 9. *Ezech.* 17

medullam Cedri. Sic & MARIA medullosa per pinguedinem charitatis, & vbertatē pietatis, libenter crescit prope aquas, Numer. 24. *Tabernacula, qui fixit Dominus quasi Cedri prope aquas*; quia spiritualiter creuit B. Virgo iuxta aquas scripturarum, & gratiarū spiritus Sancti; vnde dicit de Patre illud Ps. 22. *Super aquam refectionis educauit me.* Materia fuit templi, id est, corporis Dominici, quod de purissimo eius sanguine, sicut dicit Damascenus, fabricatum est, manu sapientiæ Dei, & operatione spiritꝰ sāctī, de quo tēplo Ioan. 2. *Soluite templum hoc*, id est, soluetis, sed quia domum Dei decet sanctitudo, oportuit, quòd sine corruptione conciperet, quod competit Cedro, quæ est imputribilis. Ideo dictum est ei, Luc. 1. *Spiritus sanctus superueniet in te*, id est, super alias mulieres veniet, quia Virgo cōcipies. Propter hoc *exaltatur*, sicut *Cedrus*, id est, sicut Mater, & Virgo *in Libano*, scilicet, manēs in candore virginitatis. Ita dicit Christus de ea Cantic. 2. *Sicut lilium inter spinas*, & propter hoc excellit omnes mulieres, sicut Cedrus omnes arbores: *Vnde multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas.* MARIA Cedrus, quia Cedrus magnas, & altas habet radices, & profundissimè radicatur; vnde in tam immensum potest crescere. Radices eius parentes eius, de quibus orta est secundùm carnem Abraham, Iesse, Dauid, &c. Esai. 11. *Egredietur virga de radice Iesse*, spirituales eius radices excellentissimæ virtutes, & præcipuè humilitas, per quam vsque ad conceptū Dei creuit. Ideo etiam in Assumptione exaltata est super Choros Angelorum. Præcipui odoris, id est, famæ, & opinionis, quia iugiter laudata ab vtraque Ecclesia, & tamē maior omni laude. Vnde ipsa Cant. 1. dicit. *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum*, odore, & succo fugat, & extinguit serpentes; odor eius, scilicet, quòd Virgo, & Mater, vel quòd vniuersis charismatibus delibuta, à quo odore fugiunt dæmones, & prædam suam relinquunt, id est, peccatores, quos fuerant deprædati. Bernardus: Non ita metuunt hostes visibiles quālibet castrorum multitudinem copiosam, sicut aereæ potestates, MARIÆ vocabulū, patrocinium, & exemplum, cedunt, & pereunt, sicut à facie ignis, &c. Exemplum de quadā muliere, quæ dixit Sancta MARIA adiuua me, & statim fuit à dæmone liberata, qui eā diu visibiliter vexauit. Imputribilis per virginitatem, quæ carnem præseruat à putredine, & corruptione. Vnde virginitas signatur per myrrham, quæ, &c. Incombustibilis per voluntariam paupertatem. Amor enim temporalium, si fuit nimius, ignis est vsque *in perditionem deuorans.* Iob 31. Incombustibilis etiam per mansuetudinem contra ignem. A Immarcescibilis, quia semper mansit incorrupta, & sine marcore vitij, vel peccati. Etiā in hyeme persecutionis, quando Iudæi persequebantur filium eius vique ad mortem, nō proiecit folia patientiæ, sine vermibus fomitis prauorum motuum conscientiæ. Ideo dicit MARIA de corpore suo, & de corpore sponsi sui, Cant. 1. *Ligna domorum nostrarū cedrina, laquearia nostra cipressina*, ipsa enim *domus cedrina* Dauid, id est, Christi, de qua legitur 1. Paralip. 17. Semper viret per virginitatem, quæ est virorum genitus, vel fidei immarcescibilitatē, vnde comparatur iaspidi, & smaragdo, qui semper virent. Crescit in Libano, qui interpretatur cādor, & designat innocentiam mentis, & candore geminæ castitatis, scilicet, mentis, corporis. B

Cant. 1. *1. Par.* 17

Quinta Stella quintæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd ipsa dicitur Palma.

PAlma. vnde ipsa dicit: *Quasi palma exaltata sum in Cades.* Cades interpretatur Sāctā mutata, vel trāslata. Dicit ergo: *Quasi palma exaltata sum in Cades.* Plenitudo sanctitatis in duobus consistit. Vnum est rei mutabilis contemptus; aliud, amor Dei immutabilis perfectus. Per hæc autem duo meruit exaltari, quia temporalia perfectè contempsit, & Deū perfectè amauit. Qui amor perfectus signatur in intensissimo rubore rosæ, de qua sequitur: *Et quasi plantatio rosæ in Ierichò*, vel *exaltata in Cades*, id est, in illis, qui translati sunt de malo ad bonum, vel mutati de bono in melius. Item palma secundū figuram corporis, sicut dicunt, qui palmas viderunt, similis est aspersorio aquæ benedictæ. Aqua gratia Spiritus sancti, Iesus Sacerdos magnus secundùm ordinem Melchisedech. Hoc aspersorium, id est, Beatam Virginem apprehendit, quia ipsa *semen Abrahæ apprehendit.* Hebr. 2. Et ipsum aspersorium a qua prædicta replens, vnde dicta est *gratia plena*, populum vndique aspersit, sicut promiserat Ezech. 36. *Effundam super vos aquā mundam* ab effectu, scilicet, *quia de plenitudine eius omnes accepimus*, Ioan. 1. Centenaria facit fructum rubicundum, quasi, scilicet, post desperatam senectutem, & Beata Virgo licèt ætate temporis iuuenis, in figuris tamen, & Prophetis annosa, fructum tulit benedictū, & dulcem; in Cruce autem rubicundum per quinque millia annorum à fidelibus expectatum. Arbor succincta, sic & ipsa per votum virginitatis. Vnde Prouerb. 31. *Accinxit fortitudine lumbos suos.* Amarissima est, & horrida in radice, & ideo dulcissima in fructu. Dicitur enim, quòd natura arborum est, quòd quantò radix amarior, tantò fructus dulcior, MARIA egressa est de radice Iudæorum, quæ Deo suo erat gens amarissima, sicut dicitur Hierem. 2. *Scito, & vide, quia malum* C D

Ecclesi. 24. *Hebr.* 2. *Ezech.* 36. *Ioan.* 1. *Prou.* 31. *Hier.* 2.

malum est, & amarum reliquisse te Dominum Deum, &c. & paulo post secundùm aliam translationem. *Quomodo conuersa es mihi in amaritudinem vitis alienæ?* Diuturna in foliis, id est, in verbis, quia verba eius posita in Euangelio, nunquam deficient ab Ecclesia Dei, nec *aliquod verbum eius defluxit* ad ceporalia, sicut dicitur de Samuele 1. Reg. 3. Speciosa in floribus exemplorum, & virtutum, quia flores palmæ copiosi, & iucundi, & flores MARIÆ *honoris, & honestatis,* Eccles. 24. Suauis in fructibus, fructus enim eius, quos colligimus in præsenti, suauitas miserationum eius, vel fructus eius Sacramentum Filij, qui dulcissimum ferculum est digne recipienti. Vnde Sponsa Cant. 2. *Fructus eius dulcis gutturi meo.* Arbor victoriosa, & designans victoriam, quia mundū paupertate, carnem virginitate, diabolum vicit humilitate. Donantur victores, & coronantur. Vnde MARIÆ dicitur, Esa. 62 *Eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui:* fructu enim huius palmæ cibabuntur, qui vicerint. Vnde Apoc. 2. *Vincenti dabo edere, &c.* Quantò inferiùs in radice plus præmitur, tanto superiùs in ramis, & frondibus exaltatur, & quia ipsa cum Filio de torrente in via bibit, cui commortua est compassione, propterea exaltauit caput in sua Assumptione. Stricta, gracilis, hispida, & aspera inferiùs: dedit enim illi Dominus *panem arctum, & aquam breuem,* Esai. 30. Ecce strictura. Gracilitas paupertas, quia fuit simul in vnum diues in spiritualibus, sed pauper in temporalibus. Hispida, quia inculta; vel hispida, quia Filij passionibus, & miserijs afflicta. Aspera, & quasi quibusdā maridis corticibus involuta, quia propter verba labiorū Domini, id est, vtriusque testamenti custodiuit vias duras. Econtrario in superioribus, scilicet, ramis, frondibus, & cacumine dilatata, grossa, plana, & speciosa. De primo dicit ipsa, *& ambulabā in latitudine, &c. Quæ sursum enim sunt, quæ sunt, non quæ super terram.* Colossen. 3. de secundo Prouerb. 13. *Est quasi diues, cū nihil habeat, & est quasi pauper cùm in multis diuitijs sit.* De tertio Cant. 7. *Quam pulchra es, & quàm decora in delicijs. Statura tua assimilata est palmæ, &c.* quæ sicut dicit Gregorius. Gracilis in imo iuxta fructum, id est in superioribus grossescit; nā ipsa priùs humillima modò gloriosissima est ad Filij dexteram collocata. Omnes rami eius sursum eriguntur, quia quicquid boni habuit, Deo attribuebat, dicens:

Fecit mihi magna, qui potens est.

Sexta Stella quintæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd ipsa dicitur Cipressus.

Cipressus, vnde dicit: *Et quasi Cipressus in monte Sion.* Mons Sion Ecclesia, vt Sion significet Ecclesiam Militātem, in qua Deus videtur per speculum in ænigmate. Mons Siō Ecclesiam Triumphantem. Sion enim interpretatur Speculum, vel Specula. Exaltatur ergo in *monte Sion* Beata Virgo, id est, in eminentia vtriusque Ecclesiæ, quia *Beatam me dicent omnes generationes* Angelorum, & hominum, Ephes. 3. *Ex quo omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur,* vel in *mōte Sion,* id est, in eminentia speculationis. Aliter *Cipressus* arbor est medēdis apta corporibus. *Sion* interpretatur Speculum, quod, licet, speculum homini reddit imaginē suā; deformatus erat homo per peccatū, quod ei abstulerat imaginem Dei, ad quam factus erat, sed per Beatam Virginem, quæ est fons gratiæ, reformata est in homine Imago Dei per gratiā. MARIA Cipressus, quia Cipressus arbor est medicinalis, & medetur corporibus, & MARIA medicinalis est, quia genuit salutem animarum fidelium Christum, scilicet, medicum vulnerum nostrorum. Vnde Ecclesiastic. 38. *Altissimus,* id est, Pater *creauit de terra medicinam.* Vnde dicit Isidorus 45. de Filio: Ego Dominus creaui eū hominem de terra, id est, Beata Virgine, medicinam, id est, Christum, *qui languores nostros tulit.* Esai. 53. Consolidat hæmosos quibus interiora descendunt inferius. Et exēpla MARIÆ consolidant nos, ne per cupiditatem proijciamus in terram interiora nostra, Ecclesiast. 16. de cupido: *In vita sua proiecit intima sua.* Complexione calida per dilectionem, qua Filium diligit, & creaturas eius, & omnia propter ipsum: Sapore amara, quia multùm amarizata est in Filij passione. Vnde competit ei illud Ruth. 1. *Ne vocetis me Noemi, id est, pulchrā, sed vocate me Maram, id est, amaram, quia valde repleuit me omnipotens amaritudine.* Colore subrufa. Caro enim Christi rufa fuit per sanguineam passionem. Vnde signatus est per *equum rufum.* Zachar. 1. Et ipsa subrufa per compassionē; nam spiritualiter passa est in Filio. Odorifera, vt supra de Cedro. Recta per dilectionem. Vnde *recti diligunt te.* Cant. 1. Recta etiam, quia nunquam inclinata per amorem mūdanum, vel aliquod peccatum; vel recta per paupertatem, quæ est rectitudo animæ, diuitiæ verò faciunt tortuosum. Durum habet fructum Christum, scilicet, qui durus est in Sacramento indignè accedentibus, Ioan. 6. *Durus est hic sermo.* Membra mollia indurat, & cōfirmat. Vnde oramus eam. Succurre miseris, iuua pusillanimes, & huiusmodi. Fluxum sanguinis restringit. Et MARIA Cipressus

est

Luc. 2. *Ephes. 3.* *Eccle. 38.* *Esai. 53.* *Eccle. 16.* *Ruth. 1.* *Zach. 1.* *Cant. 1.* *Ioan. 6.*

1. Reg. 3. *Eccle. 24.* *Cant. 2.* *Esai. 62.* *Apoc. 2.* *Esai. 30.* *Psal. 118.* *Coloss. 3.* *Prou. 13.* *Cant. 7.* *Luc. 2.*

est animæ æmorroissæ, quia desiccat venas mortis. Oseæ 13. *Nullo impulsu, nulla vetustate comam deponit*, id est, virtutes, quibus ornat Christum caput suum, ei totum attribuendo, cùm dicit: *Fecit mihi magna, qui potens est.* Ipsam enim nec extulit fœlicitas, nec depressit afflictio. MARIA Cipressus, qui coma eius tendit in conum, vnde & dicitur cipressus conifera. Cipressus enim Græcè appellatur Conos, eòquòd caput eius à rotunditate erigatur in cacumine, & imitatur formam coni, & fructus eius dicitur conus. Per hanc etiam comã designatur MARIÆ virginitas, cui debetur aureola, vnde & depingitur coronata. Lignum eius, & fructus, & folia medicinalia sunt, sed in fructu eius, quo Christus signatur, id est, in pomis præcipuè cõsistit virtus medicinæ, quia ipse operatus est salutem in medio terræ: folia etiam eius fructus, & frondes, id est, verba opera, & exempla sunt in medicinã per exẽplum sapientiæ eius, sunt in cibum in Filij Sacramento, sunt etiam in vmbram, & protectionem quoad frondes, in quibus habet venustatem per exemplorum honestatẽ. Dicitur fuisse quædam pars Crucis Dominicæ, videlicet lignum infixum in rupe, quod portabat totam Crucem ad multos vsus necessaria. Inde enim sunt tabulæ ad scribendum manubria cultellorum ad secandum, & huiusmodi, sic & ipsa nobis in diuersis necessitatibus auxiliatrix, & prodest; nam ipsa omnibus omnia facta est, vt quantum in se est *lucrifaciat* vniuersos, 1. Corinth. 9. Oneribus supportandis aptissima, quia infrangibilis, & nunquam oneribus cedit, sed sub eis perpetua stabilitate perdurat. Similiter & MARIA nunquam cessit oneribus tribulationum, quas patiebatur in Filio. Per charitatẽ verò, quia *omnia sustinet*, 1. Corinth. 13. infatigabiliter, & quasi infrangibiliter humanæ infirmitatis in nobis onera sustinet, & supportat. Vnde cum Apostolo dicit: *Quis infirmatur, & ego non vror?*

Oseæ 13. — Lucæ 2. — 1. Cor. 9. — 1. Cor. 13 — 2. Cor. 11

Septima Stella quintæ Coronæ Beatæ Virginis MARIÆ est, quòd ipsa dicitur Libanus.

LIbanus. Vnde Ecclesiast. 24. dicit MARIA: *Quasi Libanus non incisus vaporaui habitationem meam.* Nota, sicut dicit Cantuariensis, quòd hic Libanus dicitur pro monte, hæc Libanus dicitur pro arbore, sed per methonimiã posuit auctor nomen montis pro arbore crescente in monte. Ideo supra de arbore dicitur Libanus non incisus, cùm deberet dici Libanus non incisa. Libanus mons quidam est Fœnicum terminus Iudeæ contra Septentrionem, cuius arbores proceritate, specie, & robore cæterarum sylA uarum ligna præcellunt: hoc monte Beata Virgo signatur propter virtutum eminentiam. Ipsa enim terminat Iudæam, quæ interpretatur confessio, contra Septentrionẽ, quo signatur diabolus; quia ipsum misericorditer arcet à mentibus vere confitentiũ. Sicut autem arbores huius montis omnes alias excedunt proceritate, specie, & odore, sic virtutes Virginis omnes virtutes aliorũ Sanctorum. In proceritate virtus contemplationis, vel sancta desideria. In specie virginitas, vel sancta exempla. In robore charitas fortis, vt mors humilitas, supportãs omnem virtutem, & virtus patientiæ figurantur. Libanus autem quandoque accipitur pro B monte, vt dictum est, quandoque pro arbore crescente in monte, vt supra, & secũdùm vtrumque modum interpretatur cãdidatio. Quandoque verò accipitur pro thure, quia Liban°, quia Græcè thus Latinè. Thus enim gumi est illius arboris, quę Libanus appellatur, & de tribus his prosequemur. Nomine igitur montis Libani designatur tam generosa celsitudo MARIÆ, quàm excellentia partus eius. Per hoc autem, quòd dicitur de Libano arbore, quasi Libanus non incisus, illibata eius virginitas, per hoc, quod sequitur. Vaporaui, matris fœcunditas designatur. Est ergo dicere, vaporaui habitationem C meam, id est, Christi humanitatem, in qua habitauit cum hominibus in modum aromatici vaporis exalaui, sicut enim terra, vel hortus exalat vaporem, vt in huiusmodi exalatione non scindatur, aut corrumpatur: sic Beata Virgo genuit Saluatorẽ, vt in ea virginitas illibata seruaretur. Aliter Libanus non incisus est thus integrum, quod si igne tãgatur, vaporem suum sursum emittendo, manifestat habitationem suã. Sic Beata Virgo per dilectionem, quasi per ignem inflammata per dilectionem operando, & tã opera præcepti, quàm consilij ad Deum referendo ostendit, quia *conuersatio sua in cœlis erat*. Philippens. 3. per puram intentionem, vnde dicit supra: *Ego in altissimis habitaui* D per mentis in Deum eleuationem. *Vaporaui habitationem meam*, id est Christum, qui est habitatio mea. Fuit enim Christus habitatio Virginis actiuè, & passiuè: actiuè, quia in ea nouem mensibus corporaliter habitauit: passiuè, quia Beata Virgo, sicut & omnes iusti spiritualiter habitant in eo. Vnde Actuum 17. dicit Apostolus: *Ipse est, in quo viuimus, mouemur, & sumus.* Aliter de Libano. Libanus est arbor thuris, vnde nascitur Olibanum, id est, lucidissimum incensum, & interpretatur cãdor, & significat cãdorem virginitatis. Christus autẽ, qui oblatus est Patri fernore passionis incensus in odorem suauitatis, per gumi huius arboris designatur, & dicitur castitas MARIÆ, Li-

Philip. 3 — Eccle. 24. — Act. 17.

banus non incisus, quia sine læsione virginitatis concepit, & peperit Saluatorem. Aliarum enim coniugatarum castitas Libanus incisus est, quia opere virili concipiunt; sed MARIA, *sicut Libanus non incisus* suum gumi protulit, id est, Filium, non incisa, vel Libanus, vt aiunt, arbor est in Arabia cortice, & folio lauro similis succũ amigdali modo emittens, qui bis in anno colligitur, scilicet, in Autumno, & vere; sed Autũnali collectioni præparatur inciso cortice in æstatis feruore prosiliente spuma pingui, quæ concreta densatur, & hoc est thus candidum. Quando verò non scinditur arbor, concretum est in ea thus suauissimum, & in se suũ retinet odorem. Dicit ergo MARIA *quasi Libanus non incisus vaporaui habitationem meam*, quia conuersationem sanctam in mente conglomeraui, non emisi per incisionem adulationis, vel superbiæ, sed in me concretam abscondi, vt vaporarem suauiter habitationem mentis Domino, & non impudenter promulgarem populo. Item aliter, Libanus nomen montis est, qui pascualis est, & ferax herbarum, & ibi nutriebantur vituli in sacrificio offerendi; vnde *& comminuet eos, tanquam vitulum Libani*, id est, humiliabit à Deo, vt parati sint immolari pro Christo, qui priùs per superbiam erant quasi Cedri, vel quia Libanus sonat thus in Græco, & signat in Beata Virgine gratiarum actionem de impensis sibi beneficijs; vnde dicit: *Magnificat anima mea Dominum.*

Psal. 28.

Luc. 2.

Octaua Stella quintæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd ipsa dicitur Platanus.

Eccle. 24. ET Platanus, Eccles. 24. dicit MARIA, *quasi Platanus exaltata sum iuxta aquã in plateis.* Platanus latis foliis vmbram faciens exteriùs, refrigerat aquam interiùs. Homo verò dupliciter exæstuat, exteriùs in tribulationibus, interius in tentationibus, & concupiscentijs, vt ergo in Beata Virgine plenum ostendatur refrigerium, Platanus dicitur *iuxta aquas*, quia contra æstum exterioris tribulationis, & interioris cõcupiscẽtię, seu tentationis, remedium præstat, & per hoc digna est exaltari, & laudari *in plateis*, id est, in populis. MARIA *Platanus*, quia Platanus à Platos Græcè dicitur, quod est latitudo Latinè; vel quia est arbor patula, quæ expansis ramis vberem facit vmbram, & idoneum præbet vmbraculum calore solis nimirum fatigatis; Sol Christus, cuius Solis feruor ira iustitiæ eius, & vindictæ, quam scilicet, iram ipsa suis temperat precibus, à peccatoribus, deuotè, & fideliter exorata. Et nota, vbi sunt folia lata, ibi est vmbra magna, & magna est vmbra protectionis eius:

A nam protegit contra carnalem concupiscentiam; quia Virgo contra ventum mundanæ vanitatis, quia humillima cõtra tentamenta diuitiarum, quia pauperrima, contra feruorẽ Solis, quia Mater Solis Iustitiæ, diligas ergo MARIAM, & seruias ei, vt non vrat te Sol per diem, nec Luna per noctem. Arbor est sterilis à fructu, & MARIA vouens virginitatem, prælegit sterilitatem, quàm cõcubitus fæditatem; vnde de ipsa dicitur Sap. 3. *Fœlix sterilis, & inchoinquinata, &c. habebit fructum, &c.* similis viti in foliis, & MARIA in moribus similis folio, qui est *vitis vera*, Ioã. 15. vnde nubes, quæ ascẽdebat mari, 3. Reg. 18. quasi *vestigium hominis* dicitur habuisse. Oseæ 10. *Vitis frõdosa Israel,* B id est, MARIA; fructus, id est, Christus adæquatus est ei. Item ex Platano fiunt sciphi, quibus vinum propinatur, quia gratissima est prædicatio, quæ fit de Beata Virgine. Arbor mollis, & tenera in foliis, quia pia, & cõpatiens peccatoribus, quos instruit verbis, & exemplis in spiritu lenitatis, quia *lex clemẽtiæ in lingua eius.* Iuxta aquas plantatur affectu misericordiæ, id est, iuxta peccatores fluxibiles ad vitia; *nam prope est omnibus inuocantibus se* in veritate. Et iuxta est omnibus, *qui tribulato sunt corde*, & benè iuxta aquas, id est, fluidos populos, quibus semper parata est subuenire, quia sicut dicitur Ec- C clesiast. 40. *Iuxta omnem aquas viriditas.* Et nota, quòd arbor iuxta aquam copiosè haurit humorem, vnde accipit virorem, & ipsa in his plateis non marcescit, vt tædio peccatorum affecta foliorum, vel ramorum, ideſt, orationum suarum, & patrocinij subtrahat eis protectionem. Aliter iuxta aquam se dicit exaltatam, non in aqua, quia coniugata fuit, sed non vsa coniugio, *in plateis* ciuitatum, vel Ecclesiarum. Aliter: *Exaltata sum* à terrenis ad cœlestia *iuxta aquam*, id est, iuxta Filij mei doctrinam, quæ docuit humilitatem. Matth. 11. dicẽs: *Discite à me, &c.* Per quam, scilicet, sapientiam *exaltata sum iuxta aquam*, cœlestis sapientiæ in plateis Ie- D rusalem ciuitatis supernæ, quia *qui se humiliat*, exemplo meo *exaltabitur*, Luc. 14. sequitur *in plateis.* Plateæ sunt corda iustorũ dilata charitate. Thobiæ 13. *Plateæ Ierusalem ex lapide candido, & mundo sternentur.* Aqua in platea, gratia in corde lato per charitatem, & plano per simplicitatem, & in tali corde exaltatur MARIA. Aliter: Exaltata sum in plateis, in illis, scilicet, qui constituti sunt latis vijs, quæ ducunt ad mortem. Thren. 3. *Non sunt cogniti*, id est, sunt æternaliter reprobati, quia in plateis huiusmodi, qui quantò fragiliores, tantò indigent misericordia maiori, & in his plateis est ipsa *quasi Platanus*, protegens eos misericordia copiosa, ne mox rapiantur ad infernum, sed ad

Sap. 3.

Ioan. 15.

3. *Reg.* 18

Osse. 10.

Prou. 31

Psal. 144.

Psal. 33.

Eccle. 40

Mat. 11.

Luc. 14.

Thob. 13

Thren. 3.

pœ-

pœnitentiam misericorditer expectantur, & ne diabolus ipsos quantùm vellet peruertere, prævaleat, vel exaltatam se, ideo dicit *in plateis*, id est, in latitudine multiplici, quia virgo cum virginibus, vidua cum viduis, cõiugata cum coniugatis; vnde dicit: *Et ambulabam in latitudine*, vel aliter. Platanus, vt dictum est, habet folia lata, & MARIA Platanus est, quia abundans in doctrina; nã cùm seruaret omnia, quæ de Filio dicebantur, *conferens in corde suo.* Luc. 2. *exabundãtia cordis.* Matth. 12. prudenter, & sapienter poterat loqui Apostolis, quæ ab ipsis erant scribenda.

Luc.2. *Mat.12.*

Nona Stella quintæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd ipsa dicitur Cinnamomum.

Cinnamomum, vnde dicit Eccl. 24. *Sicut Cinnamomũ, & balsamum aromatizãs odorẽ dedi, &c.* Cinnamomum arbor est, sic dicta, quasi Camnomomus, quia eius cortex admodum Cannæ est rotundus. Canna Hebraicè, Canna Latinè. Et cùm frangitur spiramẽtum emittit ad modũ nebulæ, vel pulueris. Myrrha crescit in Arabia, & est similis spinæ, quam Acãthum dicunt, sarmenta eius Arabes ignibus fouent, quorum fumo satis noxio, nisi ad odorem storacis accurrat, plerumque insanabiles morbos contrahunt. Vbi autem nos habemus, sicut Cinnamomum, alia litera habet *Aspaltũ* pro Cinnamomo, & est Aspaltum arbor modica, & odorifera rubea, vel rufi coloris, spinas habens candidas, de cuius radice fit vnguentum. Dicit ergo MARIA, sicut Cinnamomũ, & Balsamum aromatizans odorem dedi pietatis, & humilitatis, quæ duo in Cinnamomo, & Balsamo figurantur. Qui ergo fætet, currat ad MARIAM, vt pigmentetur ab ea, & quandoque sumitur Cinnamomũ pro arbore, quãdoque pro arboris cortice. Primò ergo de arbore. Secũdò de cortice videamus. Item Cinnamomũ arbor crescit in peregrinis, & longinquis regionibus, scilicet in India, & in Æthyopia, ad literam, in quo significatur, quòd vsque ad remotissimas regiones habetur veneratio Virginis glorioſæ, sicut ipsa dicit, Luc. 1. *Beatam me dicent omnes generationes.* MARIA etiam ab illis, qui fuerũt flagitiosi peccatores honoratur, & per misericordiam vult ab ipsis honorari. Mysticè regio peregrina vita peccatoris, sicut de filio prodigo dicitur, Luc. 15. *Quòd peregrè profectus est in regionem lõginquam.* Vita enim peccatoris regio peregrina est à Deo, & à conditione humana, quia homo non est factus ad peccandum, sed ad seruiendum Deo, qui nemini mandauit impiè agere, & nemini dedit laxamentum peccandi. Duorum cubitorum, & hæc proprietas æquè competit Matri, & Filio; sicut enim ipse sẽper fuit Filius Dei, & mansit Filius Dei, & cæpit homo esse, vt verè posset dicere, sum quod erã, scilicet, Deus; nec eram quod sum, scilicet, homo: nunc dicor vtrumque, scilicet, Deus, & homo; sic potest dicere MARIA post partum, sum quod eram, scilicet virgo, nec erã quod sum, id est, mater, modo dicor vtrumque, id est, mater, & virgo; & hi sunt duo cubiti, quibus MARIÆ dignitas mensuratur, scilicet, virginitas, & fœcunditas. Ideo dicitur Ecclesiast. 26. *Gratia super gratiam mulier sancta, & pudorata*, gratia fœcunditatis super gratiam fœcunditatis. Et nota *super*, quia vtrumque fuit ex speciali gratia Spiritus sancti, sed quòd facta est Dei Mater super omnem gratiam est, & hoc figurat hæc propositio, supermedicinalis, quia ex MARIA sumpta est caro Christi, qua curatum est genus humanum. Ecclesiast. 38. *Altissimus creauit de terra medicinam, &c.* Vnde super illud Hebr. 7. vbi dicitur, quòd *Leui decimatus est per Abraham*, dicit Glossa, quòd Christus non traxit ex matre fœtorum vulneris, sed materiam medicaminis. Tenuissimas, & subtiles dicitur habere virgulas, & sursum tendẽtes, quæ quasi in seipsas replicantur, quibus designantur cogitationes Virginis super omnes alios Sãctos spirituales, sublimes, & subtiles, & ad Deum tendentes. Virgulę istæ in seipsas replicabãtur, quia MARIÆ cogitatus per sui discussionem ad seipsam reciprocabantur. Vnde dixit: *Ecce ancilla, &c.* Ecce replicatio. Itẽ, Luc. 2. *MARIA conseruabat omnia conferens in corde suo.* Ecce Virgarum collectio. Aliter tenuitas, & erectio virgarum designant in ea tenuitatem paupertatis, & erectionem à terrenis. Item Cinnamomi cortex robustus, quo designatur in Beata Virgine virtus patiẽtiæ, quæ tribulationibus pluuiarum, grandinum, & ventorum obijcitur, ne spiritualis viror arescat: assigna de patientia MARIÆ, & dicitur iste cortex tricolor esse, scilicet, cinereus, vel subniger, vel secundùm physicos citrinus; Fuit etiam color virginis quasi cinereus, id est, despectus, vel propter paupertatem, vel quia corruptæ reputabatur à Iudæis; vnde dicebant de Filio eius, Matth. 13. despectiuè *nonne hic est fabri filius, nõne mater eius dicitur MARIA? &c.* Sub nigra autem fuit in afflictionibus, quas filius eius sustinuit ante passionẽ: subrufa autem, vel quasi citrina per compassionem in Filij passione. Rotundus, & subtilis, quia MARIA cõuersationis cœlestis, & subtilis substantiæ per carnis macerationẽ, paupertatem, humilitatem, & contemplationẽ, qua die, noctuque occupabatur, & mente ad Deum eleuabatur, &c.

Ecclesiast. 24. *Luc. 15.* *Ecclesiast. 26* *Ecclesiast. 38* *Hebr. 7.* *Luc. 2.* *Mat. 13.*

De.

Decima Stella quintæ Coronæ Beatæ Virginis MARIÆ est, quòd ipsa Myrrha nominatur.

Eccl. 24. MYrrha, Ecclesiast. 24 *Quasi Myrrha electa dedi suauitatem odoris.* Myrrha est arbor in Arabia, quinque cubitis crescẽs in altum, odorifera, albæ spinæ similis, guttam quandam distillat, quæ viridis est, & amara, quæ gutta dicitur similiter myrrha, quandoque inciso cortice, quandoque sine corticis incisione, quæ etiam talis est virtutis, quòd corpora mortua, quæ ipsa perungũtur, à putredine, vermibus, & fœtore dicitur conseruare, quæ spõte manat pretiosior est, & dicitur myrrha electa. Quæ verò per incisionẽ corticis emanat, vilior est, & minoris efficaciæ, hæc etiã guta medicinalis est; cõparatur autem sapiẽtia myrrhæ electæ, quia docet spontaneam carnis mortificationem dicens, ad Colossens. 3. *Mortificate membra*
Coloss. 3. *vestra, &c.* docet etiam perfectam cõtinentiam, quæ est myrrha electa, si sit voluntaria ad depressionem carnis; communia sunt amaritudo pœnitentiæ, & cõtinentiæ: & hæc duo dant alijs odorem, quia ædificant; non tamen dant suauitatem odoris, nisi sit Myrrha electa, id est, pœnitentia, & continentia voluntaria. Dicit etiam MARIA, *quasi Myrrha electa dedi suauitatem odoris*, MARIA Myrrha, quia myrrha arbor in Arabia, quæ interpretatur vespera, vel occidẽs: myrrha interpretatur amaritudo: MARIA mare amarum, propter multas amaritudines, quas sustinuit in Filio; fuit autem arbor myrrhæ in vespera passionis Filij: fuit etiam ar-
Exo. 2. bor lætitiæ, quando dixit: *Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo*; sed amaritudinis, quando occidit Sol Iustitiæ; arbor est quinque cubitorum, quibus crescit in altũ; hi cubiti sunt mundatio in vtero, vnde ab omnibus celebratur hoc festum, Natiuitas, Annunciatio, Purificatio, Assumptio, vt primus cubitus sit interstitium temporis inter mundationem, & natiuitatem, & sic de alijs. Spinæ similis, per spinas intelliguntur peccatores; vnde MARIA apparuit quasi spina, quando legem datam de mulieribus, quæ de viris conceperant, & consuetudinem obseruauit, guttam distillat, quæ viridis est, & amara. Gutta ista Christus Filius MARIÆ viridis, qui color refertur ad cœlestia, quia Christus de cœlo venit in Virginem, amaritudo refertur ad passionem; MARIA igitur est arbor Myrrha, cuius arboris gutta Christus Dominus. Veruntamen, quia secũdùm, quòd hæc litera legitur de Beata Virgine, Beata Virgo comparatur guttæ myrrhæ. Notandum ergo, quòd myrrha arbor
Hiere. 2. designat Iudæã propter amaritudinem peccatorum, cui dicitur Hierem. 2. *Quomodo*

A *conuersa es in amaritudinem vitis alienæ?* nostra litera habet *in prauum*, hæc arbor in Arabia fuit tempore Beatæ Virginis, quia tendebat in defectum: quinque cubitos huius arboris faciebant Regnum, & Synagoga, quæ Synagoga, sicut dicit Gregorius, de qua tuor angulis domus filiorum Iob, diuisa erant in quatuor, scilicet, Principes Sacerdotum, Scribas, Seniores populi, & Pharisæos, & hi omnes erant similes spinæ per multas peccatorum punctiones: ab hac arbore effluxit, quasi gutta Myrrhæ Beata Virgo, vt possit dicere: *Sicut myrrha electa dedi suauitatem odoris, &c* secundùm hunc processum à superioribus colligantur. Dicitur ergo MA
B RIA *Myrrha electa.* Illa autem myrrha est electa, quæ sine vulnere manat ab arbore, & illam amaram carnis mortificationem designat, quam præfert anima nullo peccati vulnere sauciata. Talem Myrrhã distillauit Beata Virgo, quæ licèt peccati vulnus non haberet, seipsam tamen multipliciter mortificare curauit, & talis mortificatio siue myrrha propter Deum est. Vnde ipse dicit Can-
Cant. 5. ticor. 5. *Messui myrrham meam, &c.* & hæc est myrrha prima, & probatissima, sicut ibidem dicitur: *Et myrrha electa*, vt supra. Minùs enim pretiosa est pœnitentia peccatorũ, quàm pœnitentia iustorũ; & nota, quòd Do
C minus messuit myrrham istam in sua Assumptione, & ideo iustũ erat, vt in mense Augusti, quando metuntur segetes, celebretur Assumptio eius. Item MARIA comparatur Myrrhæ, quia sicut myrrha corpora inde perũcta seruat à corruptione, sic MARIA per gratiam meritorum, exemplorum, & orationum suarum seruat familiares suos à corruptione luxuriæ. Myrrha probata castitas coniugalis, probatior continentia vidualis, probatissima castitas virginalis, quam ipsa præcæteris eligit in exterminium legis, quæ virginitatem habebat opprobrio. Ideo ipsa dicit Cant. 5. *Digiti mei pleni sunt myrrha*
Cant. 5. *probatissima.*

D *Vndecima Stella quintæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd ipsa Balsamus nominatur.*

BAlsamus. Balsamus arbor, & balsamum liquor, nota, quòd Beata Virgo bis se comparat Balsamo. Eccles. 24. Primò, cùm dicit: *Sicut Cinnamomum, & Balsamum aro-*
Eccle. 24. *matizans odorem dedi.* Secunda dicit: *Quasi Balsamum nõ mixtum odor meus*, & in hoc notatur virtus perseuerantiæ, & de duobus pariter assignauimus. Per Balsamum aromatizans charitas Virginis; nam sicut odor balsami omnes excedit odores, sic eius charitas omnium Sanctorũ vniuersas virtutes, & more balsami sua charitas odorem longè

ex-

extendit, ad superna, scilicet, per perfectum desiderium æternorũ, ad inferiora per perfectam misericordiam, & compassionem peccatorum, & propter hoc ipsa dicitur Virgula fumi, & eius charitas est ignis, quem Christus venit *mittere in terram*, Luc. 12. idest, in Beatam Virginem, & per ignem rubi, *quẽ viderat Moyses*, Exod. 3. Ignis in rubo, charitas in fragili carne. Propter hoc cùm Beata Virgo sit apotheca singularum, & vniuersarum virtutum, & habeat ignem feruentissimæ charitatis, necesse habet odorem suum procul diffundere, & ideo charitas ipsius *balsamum* dicitur, *aromatizans*. Item benè charitas balsamum, quia MARIÆ charitas nũquam excidit, sicut balsamum corpora conseruat à putredine, & ea facit durabilia. Benè etiam hoc *balsamum aromatizans*, quia charitas in cæteris virtutibus operatur, quæ sunt quasi materia eius: benè etiam dicit: *Odorem dedi*, non vendidi, volens, vt omnes gratis gustent odorem ipsius, & currant in odorem vnguentorum suorum. Ideo dicit cum sapientia, Prouerb. 9. *Si quis est paruulus declinet adme*, &c. dicit & cum Filio, Esai. 55. *Venite, emite absque argento*, &c. & hoc est, odorem dedi MARIA significatur per balsamum, vt dictum est, quia odores excedit omnium Angelorum, & Sanctorũ, sicut balsamum odores omnium aromatum, non mixtum, sed purissimum, quia nullam habuit contrarietatis admixtionem; nam in ea, & per eam facta est exclusio totius maledictionis, quam Eua induxit in mundum; vnde dictum est ei, *Aue*, & per ipsam, & in ipsam venit plenitudo totius benedictionis; vnde dicta est, *gratia plena*, & de plenitudine illa nos *omnes accepimus*, Ioan. 1. Etsi non accepimus, non stat per illam, sed per nos. Ideo odor MARIÆ, id est, delectabilis, & iucunda opinio sanctitatis eius comparatur balsamo, non mixto, sed purissimo, miscetur balsamum, & corrumpitur, atque adulteratur oleo ciprino, vel melle; sic vitæ sanctitas corrumpitur; cùm geritur pro oleo laudis humanæ; sed MARIA dicebat cum Dauid: *Oleum peccatoris non impinguet caput meum*, vel pro acquirendo melle delectationis carnalis, vel mundanæ, quæ est illa meretrix, de qua dicitur Prouerb 5. *Fauus distillans labia meretricis*; sed MARIA contemnens omnes carnales, & mundanas delitias, spiritualibus tantùm adhæsit delitijs. Item ideo odorem suum comparat balsamo, quia sicut balsamum facit corpus mortuum, si inde perungatur videri quasi viuum, & nulla putredine permittit illud corrũpi, sic odor misericordiæ, virtutum, & exemplorũ MARIÆ facit per peccatũ mortuos in spem veniæ respirare. Dicit ergo, *quasi balsamum non mixtum, odor meus*, quasi dicat, quamcumque virtutem habet balsamum purum, & merum ad conseruandum corpus, habet odor meus ad animam viuificandam, & conseruandam à putredine vitiorum. Perducit etiam amatores, & feruentes suos ad gloriã resurrectionis, quæ incorruptibilitatem veram tribuit corporibus mortuis. Isidorus sic dicit de balsamo. Balsamus arbor similis viti in stipite, foliis similis rutæ, sed albidioribus semperque manentibus. Arbor dicitur balsamum, vel balsamus, lignum eius dicitur xilobalsamum, fructus, vel semen carpo balsamum, succus opobalsamum. Quod ideo cum adiectione significatur, quia percussus ferreis vngulis cortex ligni per cauernas odoris eximij guttas distillat. Cauerna enim Græcè opè dicitur; gutta eius adulteratur admixto oleo ciprino, vel melle; sed si cera probatur à melle, si cum lacte coagulauerit ab oleo, si aquæ instillata, vel admixta facilè resoluatur. Item si laneæ vestes ex ipsa pollutæ non maculantur; adulterata verò gutta balsami, nec cum lacte coagulat, & velut oleum in aqua supernatat, & vestẽ maculat. Hæc ille.

Luc. 12. *Exod.* 3. *Prou.* 9. *Esai.* 55. *Luc.* 1. *Ioan.* 1. *Psal.* 140 *Prou.* 5.

Duodecima Stella quintæ Coronæ B Virginis MARIÆ est, quod ipsa dicitur Therebintus.

THerebintus MARIA dicitur, de qua Eccleſiast. 24. *Ego quasi Therebintus extendi ramos meos, & rami mei honestatis, & gratiæ.* Therebintus arbor parua, & humilis, & nascitur in Damasco Syriæ: Syria interpretatur sublimis, & signat superbiam. Damascus saccus sanguineus. In sanguine designatur peccatum, in sacco nostræ carnis miseria, qua induti sumus, tanquam lugubri cilicio, vt sic in hoc exilio ad luctum temporaneum prouocemur, sicut ergo Therebintus in Damasco nascitur, & de Syria arbor humilis, & medicinalis, sic Beata Virgo de peccatoribus nata est sancta, & humilis de superbis, & ex se produxit Filiũ ad nostrorũ medicinam dolorum: MARIA igitur dicitur Therebintus, quia arbor parua, & signat hæc paruitas humilitatem eius: assigna de humilitate eius, & assigna quomodo ipsa arbor vitæ in medio paradisi, id est, Ecclesiæ. Genus quercus, quia ipsa fructificauit principaliter peccatoribus: vnde de fructu, id est Filio eius dicitur 1. Petr. 3. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est.* Sudat risinam optimam, id est, Christum, qui est medicina languentium animarum: nota sudat, quia sicut sudor exit de carne, ipsa manente integra, sic natus est de eius carne integra manente Filius Dei: & sicut sudor medicinalis est carni humanæ, sic Filius caro factus medicina carnis, & animæ nostræ; vnde appellatur,

Eccle. 24. 1. *Pet.* 3.

Eccle. 24. latur: *Fluuius Dorix.* Eccl. 24. quod interpretatur, medicamentum generationis; folia eius, & odor, id est, nominis eius inuocatio, & virtutum suarum opinio, siue imitatio fugant à seruis suis serpentes vitiorum; vel folia eius, id est orationes, quando pro seruis Apoc. 12. suis orat filium. Vnde Apoc. 12. *Terra aperuit os suum, & adiuuit mulierem, cuius portum nitebatur draco deuorare.* Vel odor trium principalium virtutum, scilicet, virginitatis, paupertatis, & humilitatis, tres illos serpentes, de quibus legitur, Deut. 8. Deute. 8. *Intersicit, humilis, contemptilibis, & horrida.* Talis apparuit MARIA in filij passione, expandi, vel extendi ramos meos, id est, exempla operum ad obumbrandum peccatoribus, & refrigendum contra incentiua vitiorum, & maximè contra æstum libidinis. In ramis crescit fructus, & ex imitatione exemplorum eius fructus nostræ redemptionis, & salutis, & rami mei, id est, virtutes, vel exempla honoris, & gratiæ collatiui, & gratiæ huius honoris in sæcula sæculorum: Quia de partu Virginis, & virtutibus eius totus honor mundi, & gratia data est toti mundo. Item in ramis crescit fructus. Duo rami principales, id est, duæ priuilegiatæ virtutes Beatæ Virginis sunt humilitas, & virginitas. Merito enim humilitatis placuit altissimo, meritò virginitatis, quam ipsa prima vouit, meruit habere, quòd factus est in ea Christus filius virginitatis, & in his duobus creuit fructus vitæ Christus, odor eius fugat serpentes vitiorum, & serpentes, id est, dæmones fugantur à foliis eius, id est, per verba eius; quando, scilicet orat pro peccatoribus, & etiam per recordationem nominis eius, illis, qui currunt per viam mandatorum Dei in odorei, ilius. Vnde Bernardus: non sic timēt, &c. Valet contra malū auriū, quia obedientia MARIÆ, quando respondit: Ecce ancilla Domini, purgauit inobedientiam Euæ, qua consensit diabolo pro-
Gene. 3. mittenti *Eritis sicut dij.* Gene. 3. Item per hoc, quòd MARIA se comparat therebinto, dat nobis orandi formam. Therebintus arbor breuis, & fructuosa, hæc est oratio, quæsi sit breuis in verbis, sæpè erit magis vtilis. Vnde Mat 6. *Orantes nolite multum lo-*
Matt. 6. *qui, sicut ethnici.* Folia autem densa, vt frequens sit oratio, fœmina, non mascula facit fructum, quia illa oratio fructuosa est, quæ nascitur ex cognitione proprię infirmitatis. Beata Virgo ramos suæ orationis de fonte pietatis procedentis ad nos ostendit, dum exemplo eius breuiter, & fiducialiter orare docet: breuiter, cùm dixit: *Vinum non ha-*
Ioan. 2. *bent.* Ioan. 2. humiliter, quia non dixit, filij da eis vinum, sed contenta fuit narrare necessitatem aliorum iuditio eius omnia relin-

A quens: fiducialiter, cùm dixit ministris: *Omnia quæcumque dixerit, &c.* Hæc tria similiter docuit, Luc. 1 *fiat mihi, &c.* fiat ecce breuitas, sed priùs dixit. *Ecce ancilla Domini.* Ecce humilitas fiducialiter *Secundum verbum tuum, & rami mei, &c.* Rami miserationis eius honoris sunt, quia inuenit gratiam impetrandi, & gratiæ, quia nullam patitur repulsam, 3. Reg. 2. *Pete mater mi.* Esther 4. *Quæ est petitio tua? &c.*

Luc. 1.

3. Reg. 2.

Esther. 4.

SEXTA CORONA, & Prima stella eiusdem.

SExta Corona capitis glorioſisimæ Virginis MARIÆ est Corona dilectionis, siue institutionis; quia ita vitam suam instituit, & direxit, vt temporalia despiceret, & cœlestia adamaret. Vnde meritò cęlum potest nominari. Duodecim stellæ huius Coronæ sunt duodecim virtutes, quæ per duodecim signa, quæ in cœlo sunt, possunt designari, & sunt sex signa, per quæ sol ascendit, & sex per quæ descendit. Primum igitur signum, siue stella huius cęli est Capricornius. Secundum Aquarius. Tertium Pisces. Quartum Aries. Quintū Taurus. Sextū Geminis. Septimum Cancer. Octauum Leo. Nonum Virgo. Decimum Libra. Vndecimum Scorpio. Duodecimum Sagittarius.

Prima igitur stella huius sextæ Coronæ, siue primum signum est Capricornius, quod idem est, quòd capra, scilicet, animal fœtidum, per quod designatur peccati exprobratio. Non dico peccati proprij, quia peccatum non fecit, sed quia exprobrabat, & ægrè ferebat omne peccatum, sicut largitur in libro de infantia eius, & etiam; quia seruis suis exprobrandi peccata propria gratiam submministrat, & ab eis exigit exprobrationem peccatorum. Ipsa enim est Rebecca, quæ dicit Iacob, id est, filio suo spirituali. Gen. 27. *Fili, acquiesce cōsilijs meis,*
& pergens ad gregem, affer mihi duos hædos optimos, vt faciam ex eis escas patri tuo quibus libenter vescitur. Duos hædos confessionem peccatorum, & pœnitentiam possumus accipere, hædi optimi; quia confessio peccatorum, & pœnitentia valdè est à Deo acceptabilis. Vnde *gaudium est in*
cœlo super vno peccatore, &c. Sic è conuerso, valdè est periculosum in præsenti vita carnalibus vitijs intendere, & pœnitentiam negligere. Hoc sequenti declaratur exemplo, ex libro miraculorum Beatæ Virginis de Monacho submerso in aqua, qui precibus Beatæ Virginis liberatus est ab vtraque morte. Erat quidam Monachus in quodam cœnobio secretarij officio functus: hic ergo valdè lubricus erat, & dæmoniaco instinctu libidinis vrebatur æstibus. Tamen

Gen 27.

Luc. 15.

sanctam Dei genitricem non modicum diligebat, & transiens ante eius sanctum altare dicendo: *Aue Maria, gratia plena, &c.* Cũ reuerentia salutabat. Adiacebat ipli Monasterio fluuius, quem frater supradictus transibat, quando ad explendam concupiscentiã suã pergebat. Quandã autem nocte volens ire ad scelus assuetum coram altare, vt solitus erat, sanctam MARIAM salutat, ac deinde per Ecclesiæ ianuas exiens ad prædictum fluuium peruenit. Quem dum vellet transire à diabolo, impulsus in eundem cecidit, & mox submersus ibidem interijt. Cuius animam rapuit multitudo dæmonum cupientes eam deferri in baratrum, sed pietate Dei affuerunt, & Angeli, si fortè possent illi ferre aliquod solatium, quibus venientibus, dixerunt dæmones verbis contumacibus: vt quid huc aduenistis? nihil in ista anima habetis, quoniam propter mala opera, quæ gessit iure, concessa est nobis. Ad hæc tristes sancti Angeli dum non sufficienter haberent quid proferrent boni operis; subitò aduenit sancta Dei genitrix, & liberali auctoritate dixit istis dæmonibus. Cur nequissimi spiritus hãc animam rapuistis? Respondérunt, quia inuenimus eam vitam consumasse in operibus malis, at illa dixit: falsa sunt, inquit, quæ profertis: scio enim, quia alicui pergens me primum salutando à me licentiam accepit, & rediens similiter hoc agere solebat. Quod si dixeritis, quia vim vobis facimus, ecce ponamus in iuditio summi regis. Cumque ex hoc inter se altricarentur, placuit altissimo Domino pro meritis sanctæ matrisæ, vt anima fratris rediret ad corpus, quatenus pœnitentiam ageret de suis reatibus. Interea aduenit tempus, quo fratres ad cantandos Matutinarũ Hymnos, conuocarentur, & dum hora fieret ad pulsandum signum, surgentes aliqui ex fratribus secretarium prædictum quæsierunt, & nõ inuenientes, vsque ad flumen perrexũt, & eum demersum in aqua repererunt, cuius corpus ab aqua extrahentes, mirabantur cogitantes, qua occasione ei id contigisset. Cumque plura opinantes inter se sermocinarentur, mirum in modum. Ecce ille frater à morte resurgens, inter eos astitit viuus, & narrauit fratribus, quæ contigerant sibi, & quomodo euaserat succurrente Dei genitrice. Post hæc non solùm vitium illud quo delectari solebat, deseruit, sed & Deo, & sanctæ matri eius feruentius seruiuit, & vitam suam in bonis actibus consummans, etiam in pace, & animam suam Deo reddidit.

Secunda Stella sextæ Coronæ.

SEcunda Stella, siue secundum signum sextæ Coronæ Beatæ Virginis, est Aquarius, quia ipsa habuit in se fletum multiplicem, & virumque irriguum. Ideo ipsa dicitur, Eſai 15. *Per ascensum luith flens ascendet.* Luith interpretatur maxilla, & per virtutem lacrymarum per maxillas suas fluentium ascẽdebat ipsa ad Deum, & nos in necessitatibus nostris ad Deum per lacrymas occurrere docuit, & singulariter ipsam in tentationibus nostris inuocare nos admonuit: quia huiusmodi lacrymæ nobiles pervtiles existũt, vt sequenti declaratur exemplo. Ex summa lam pertica de vxore cuiusdam militis liberata à nequitia diaboli. Miles quidam dives, & potens cum omnia bona sua, indiscreta liberalitate dispergeret, ad tantam deuenit inopiam, vt qui consueuit magna tribuere, tam inciperet minimis indigere. Habebat autem quandam vxorem pudicissimam, & Beatæ MARIÆ valde deuotam; appropinquante autem quadam solemnitate, in qua prædictus miles multa donaria consueuerat elargiri, cum iam quod tribueret non haberet, nimia confusione, & verecundia ductus, quousque prædicta solemnitas transisset, desertum locum meroris amicum petijt, vt & fortuna sue incomoda plãgeret, & verecundiam euitaret. Et ecce subito quidam equus valde terribilis, terribilem habẽs sessorem, ad eũ accessit, cuius assessor cùm alloquitur, & causam tristitiæ suæ scitatur. Cui cùm omnia quæ sibi contigerant, per ordinem enarrasset, ille ait: si mihi in modico obtemperare volueris, magis, quã ante gloria, & diuitijs abundauit. Spondet ille principi tenebrarum se quicquid iusserit libenter facturum, dummodo impleat, quod promittit. Et ille. Ecce pergens in domum tuam tali loco requires, & ibidem tot auri, & argenti pondera, tot lapides pretiosos inuenies: Mihi autem hoc facias, vt tali die huc vxorem tuam ad me adducas. Sub tali promissione miles ad domum reuertitur, & in loco de quo sibi dixerat, omnia reperit, quæ prædixit, quæ inueniens mox emit palacia, largitur dona, redimit fundos, comparauit seruos: appropinquante vero die statuto vxorem vocauit, & dixit. Equum conscendite, quia aliquo longiùs mecum pergere vos oportet. At illa tremens, & pauem viri imperio contradicere non præsumens, Beatæ MARIÆ se deuotè cum lacrymis commendauit, & post virum abire cæpit. Cum autem longiùs processissent, & in via quandam Ecclesiam inueniissent, illa de equo descendens, Ecclesiam intrauit,

vi-

viro exteriùs expectante. Dum verò Beatæ MARIÆ se deuotè commendaret, illa subitò obdormiuit. Et Virgo gloriosa prædictæ matronæ per omnia habitu, & qualitate similis de altari processit, & foris exiens equum conscendit, matrona illa in Ecclesia dormiente, & remanente. Vir autem vxorem suam arbitrans esse, profectus est. Cùm autem ad locum statutum veniſſet, ecce Princeps tenebrarum cum impetu nimio veniebat, & ad locum properabat, & cùm appropinquasset, statim ille infremuit, & tremens, ac pauens accedere non præsumpsit. Dixitque militi: Infidelissimus hominum, cur mihi taliter illusisti, & pro tantis beneficijs talia contulisti? Ego enim tibi dixeram, vt ad me adduceres tuam coniugem, & tu adduxisti Dei genitricem; volebam vxorem tuam, & tu adduxisti MARIAM. Nam cùm vxor tua multas mihi iniurias inferat, de ea volebã expetere vltionem, & tu ad me illam adduxisti, vt me torqueat, & ad infernum mittat audiens hæc vir, vehementer stupebat, & præ timore, & admiratione nimia loqui non poterat: Beata autem MARIA dixit: Qua temeritate nequam spiritus deuotæ meæ nocere præsumpsisti nõ hoc impunè tibi cedet. Et nunc te hac plector sententia, vt in infernum descendas, & alicui me cum deuotione inuocanti nocere de cætero non præsumas. Ille autem cum multo eiulatu recedens, & vir de equo exiliens se ad eius pedes strauit, quem Virgo increpans ad suam vxorem, quæ adhuc in Ecclesia dormiuit, iubet redire, & omnes diuitias dæmonis abijcere. Rediens igitur, cùm adhuc vxorem suam dormientem inueniret, eam excitauit, & sibi, quæ acciderant enarrauit. Cùm autem domum rediſſent, & omnes diuitias dæmonis abiecissent, in laude Virginis deuotissimè permanserunt, & multas postmodum diuitias ipsa largiente acceperunt.

A *det, vt veniat petitio mea? &c.* Et Abacuc. 3. *Ingrediatur putredo in ossibus meis, &c.* *Abuch. 3*

MARIA siquidem designatur per Rebeccam, quæ interprætatur multa patientia, siue quæ multum accepit. Nam quia multam habuit patientiam exemplo filij sui, multum retributionis ab eo creditur accepisse, &c. Sic etiam ministris suis, qui patientiam habent in tribulationibus, & infirmitatibus suis, non solùm in futuro, sed etiam in præsenti, sua pietate dignatur subuenire, quod sequenti declaratur exemplo, ex illustribus viris Ordinis Cister, defratre, cui Beata Virgo MARIA cœlestem patientiam per visum dedit. Fuit autem in

B Claraualle Monachus quidam, qui quamuis homo bonæ voluntatis existeret, corpore tamen delicatus, atque infirmus erat, & propterea in obseruatione ciborum procuratione medicaminum curiosus, atque superstitiosus. Clemens autem Dominus, qui misericorditer solet errantes corrigere, ipsum voluit ad viam veritatis reducere, vt sciret, & intelligeret, quàm salubriter Apostolus monet nos omnẽ solicitudinẽ nostrã proijcere in ipsũ, *quoniam ipsi est cura de nobis*, tali modo visitationem suam simpliciter delin- *1. Pet. 5.*
quenti prerogare dignatus est, aspiciebat idẽ frater in visione noctis, & ecce vniuersitas fratrũ quasi ad lampades diuini seruitij

C celebrandas ad Ecclesiam festinabant. Porrò ad ostium Ecclesiæ stabat illa sublimis mater misericordiæ, pia Virgo MARIA, quæ tanquam pretiosi electuarij pixidem portans, singulis fratribus oratorium intrantibus singula ex eo cochlearia dulcissima manu distribuebat, & mira dulcedine gustantes reficiebat. Quo viso frater ille gratulatus est vehementer, reputans secum, quòd & ipse cœlestis illius almoniæ, sine ob staculo particeps fieri deberet, cùmque ad manum pijssimæ procuratricis accederet, benignissima dissimulatrix & verè mitis Virgo repulit eum, dicens: nunquid tu medicamine nostro opus habes? Nonne sa-

D piens medicus es, & tui met solicitè curã geris? Vade itaque, vade, & tuis medicamẽtis vtere, sicut volueris, quoniam de his, qui curam suã super Dominum, & filium meũ iactant, cura est mihi. Quod cùm ille audisset, erubuit, & petens indulgentiam, promisit ei, quòd ampliùs se de ipso non intromitteret, sed totam vitæ suæ curam Deo, & sibi committeret, ad quam sponsionem generale refugium omniũ Christianorum, sed singularis protectio specialium seruorum suorum Cistercienſiũ fratrũ satisfactione accepta benignissimè pœnitentia veniam indulsit, & mendicanti salutifer pitantiæ pabulũ impertiuit. Gustata igitur benedictione cœlestis antidoti, protinus à sua teneritudine, &

Tertia Stella sextæ Coronæ.

TErtia Stella, siue tertium signum sextæ Coronæ Beatæ Virginis est, Pisces. Piscis dicitur à pascendo, & MARIÆ conuersatio pastus est sapidissimus. Vnde ipsa dicit, *Qui edunt me, adhuc esurient, &c.* Pis- *Eccl. 24.*
cis gaudet in mari, & ibi nutritur, & ipsa in tribulationibus, quas patiebatur, cum filio, & pro filio exultabat, & sic spiritualiter impinguabatur. Vnde de ipsa, & cæ- *Deut. 33.*
teris sanctis dicitur. Deuteronom. penultim. *Inundationes maris*, id est, tribulationes mundi, *quasi lac*, quod dulce est, & nutritiuum, sugent, id est, dulciter, & cum desiderio attrahent, sicut pueri lac *Iob 6.*
de mamma, exemplo Iob. 6. dicentis. *Quis*

infirmitate frater conualuit, & abdicatis omnibus medicamentis, & delicatioribus alimentis, ad communes cibos se transtulit, ideoque cooperante gratia Dei in breui decorem cum salute corporis, & animæ pariter induit, & deuotè beatæ Virgini seruiuit.

Quarta Stella sextæ Coronæ.

QVarta Stella, siue quartum signum sextæ Coronæ B. Virginis est Aries, hoc est vêtilatio peccatorum. Aries enim defendit se cornibus suis, & dicitur ab ares, quod est virtus, quasi duo cornua MARIÆ Virginitas, & humilitas. Protexit enim se ab omni carnali vitio puritate Virginitatis, & ab omni spirituali nequitia, virtute humilitatis, & hæc sunt cornua, quæ exaltabuntur in futuro. Ipsi enim conuenit illud. Prou. 30. *Aries nec est, qui resistat ei*, quia ventilauit ab Ecclesia omnem hæreticam prauitatem; & quantum hoc placeat Beatę Virgini, vt illud de ea credatur, & cantetur in subsequenti pulcherrimo, declaratur exemplo ex fortalitio fidei. In Liconia ciuitate regis Angliæ accidit, quoddam miraculum, quòd Deus voluit ostendere precibus Beatæ Virginis MARIÆ. Vnde mulier quædam vidua, & paupercula, filium quendam, nomine Alfonsum habebat, quem tradidit ad docèdum litteras, & rudimenta Grammaticalia, & musicalia, &c. Erat autem prædictus puer æratis annorum decem, cuius erat consuetudo ordinata, vt primo quotidie iret ad Ecclesiam, deinde ad scholas. Cùm autem sæpè in Ecclesiâ illam præclaram antiphonam: Alma Redemptoris mater audiret cantare, tantam deuotionem concepit in Beata Virgine, & sic menti impressit prædictam antiphonam, quòd quocùmque iret de die, & de nocte per vicos, & plateas, more puerorum, suprадictam antiphonam alta voce dulcissimè cantabat. Transitus autem eius erat, cùm iret ad domum matris, vel rediret ab eadem per vicum quendam Iudæorum. Qui audientes frequenter prædictam Virginis cantationem ab ore iuuenis, quidam eorum quæsiuit à quodam docto Christiano, quis esset sensus illius cantationis? cum eius cantus tã dulcis esset, & vt cognouit, quòd illa erat antiphona quædã, quæ ad honorem, & laudem Virginis Beatæ MARIÆ matris Redemptoris Iesu Christi veri Messiæ decantabatur à fidelibus in Ecclesia, *concepit dolorem, & peperit iniquitatem*, quod consilium habuit cum suis complicibus, quorum corda diabolus possidebat, quomodo prædictum infantem morti traderent, & occiderent. Hora ergo opportuna obseruata, cùm paruulus prædictus alta voce cantando prædictam antiphonam transiret per eorum vicum, subitò sicut à rugientibus leonibus rapitur, & reclusus in domo quadam, de modo mortis eius tractauerunt. Et diffinitum est inter eos, quòd eius lingua, cum qua Beatam Virginem laudabat, extraherent per oppositam capitis partem. Secundò, quòd etiam extraheretur eius cor, cum quo cogitabat prædictam cantationem: & vltimò, quòd corpus eius proijceretur in loco profundissimo, & immundissimo, fætoribusque pleno, qui locus erat eorum continua latrina, vt nullatenus signum eius inueniri posset. Et factum est sic. Sed Virgo Beata, quæ mater est misericordiæ, & pietatis, nec obliuioni tradit seruitium quodcumque sibi factum, statim cùm illi deuotissimus suus cantor in prædicto loco fætido fuit proiectus, adfuit præsens eidem, & posuit in ore eius lapidem quemdam prætiosum, qui locum linguæ suppleret; & statim cœpit cantare, vt prius prædictam antiphonam; immo meliùs, & altiùs, quàm primò, nec aliquando cessabat nec de die, nec de nocte à prædicto cantu: & tali modo stetit in prædicto loco paruulus ille quatuor diebus; cùm verò mater eius videret, quòd sicut consueuerat ad domum eius non veniret, celeri gressu ad domum cuiusdam religiosi, qui iuueni prandia sæpè propter paupertatem matris præbebat, peruenit, ac deinde ad scholas, nec poterat inuenire. Discurrebat vndique per ciuitatem anxia mulier, si posset alicubi inuenire filium suum, & disponente Deo in fine quatuor dierum prædictorum, mulier illa transiuit per vicum illum, in quo filius suus fuerat occisus, & in latrinam proiectus. Et ecce vox filij sui cantantis dulcissimè cantationem illam Virginis, quam sæpissimè ab eo audierat, intonuit in auribus eius. Quo audito, clamoribus magnis prædicta mulier clamare cepit, & congregatæ sunt multæ gentes, & cum eis iudex ciuitatis, intraueruntque domum illam, in qua vox illa audiebatur. Et finaliter inuentus est iuuenis in loco prædicto, & extractus, nec vnquam cessabat à cantu illo dulcissimo, licèt mortuus foret. Indutusque alijs vestimentis per dominos, qui ibidem venerant, notificatum est Episcopo ciuitatis, qui illico veniens ad spectaculum, præcepit, quòd poneretur honorificè in quodam lecto, & sic deductus est cum solemni processione, & magno honore ad Ecclesiam Cathedralem prædictæ ciuitatis, semper tamen continuabat canticum suum: conuenientibus ergo in vnum ad prædictam Ecclesiam, dictus Episcopus celebrauit, & fecit solemnem sermonem præcepitque omnibus audientibus, quòd deuotas funderent ad Deum orationes, vt precibus Beatæ Virginis

Prou. 30.

Psal. 7.

nis Deus dignaretur reuelare hoc secretum. Finito verò sermone, placuit Altissimo, & suæ Beatissimæ matri, quòd fuit detecta impijssimorum Iudæorũ proditio, & crudelitas, quia eadem hora surrexit paruulus ille, & stetit per pedes in lecto, in quo iacebat, & extraxit ex ore suo vnum prætiosissimum lapidem, dixitque omni populo. Læta, & hilari facie, qualiter sibi acciderat sicut dictũ est, & quomodo Virgo Beata ad eum venerat, & posuerat dictum lapidem in ore eius, vt non cessaret mortuus ab eius laude, & vt ostenderetur gloria filij sui in salutem credentium, & perditionem odientium, & incredulorum. Post hoc autem vocauit ad se Episcopum, & dedit sibi pacem, similiter & matri, & facta expeditione ab omni populo, certificauit eos, quòd ascendit ad cælos in societatem Virginis gloriosæ, & tradidit prædictum lapidem prætiosum Episcopo, vt poneret cum alijs reliquijs in altari. Quo facto, signaculo sanctæ Crucis se insigniuit, & coaptans se lecto, animam tradidit Saluatori, qui honorificè sepultus fuit in quodam sepulchro marmoreo, quod multo tempore prætiosos lapides emanauit, & omnes Iudæi in Regno prædicto sunt occisi.

A

B

Quinta Stella sextæ Coronæ.

QVinta Stella sextæ Coronæ Beatæ Virginis, siue quintum signum est Taurus, qui est animal superbum, & immolaticium, & designat quandam sanctam superbiam, qua quis dedignatur, & reprobat vitia, & peccata. Hanc habuit Beata Virgo, cùm esset Virgo sapientissima, quia in *multa sapientia, multa indignatio.* Eccl. 1. Vnde & dicit cum filio. Esai 63. *Indignatio mea ipsa auxiliata est mihi.* Vitulus etiam solet Domino immolari, & designat sacrificium laudis de victoria vitiorum. Vnde Oseæ. 14. *Reddemus vitulos labiorum nostrorum.* Et Psalm. 50. *Imponerẽt super altare tuum vitulos.* Et victoriam vitiorum attribuere, nõ sibi, sed Deo, & illud. Sacrificium, quod placebit Deo super vitulum nouellum, & debet hic *vitulus* esse *signatus.* Luc. 15. per deuotionis pinguedinem: Hanc deuotionem habuit quidam miles ad Beatam Virginem, ideo meruit ab ea contra diabolum defendi. Ex speculo historiali de milite raptore, quem diabolus semper nitebatur strangulare, sed non poterat die illa, qua gloriosam Virginem salutauerat. Quidam miles quoddam in via cõmuni habebat castrum, & omnes transeuntes sine miseratione aliqua spoliabat; Virginem tamen MARIAM Dei genitricem quotidie salutabat, nec pro aliquo impedimento emergenti ab ipsa salutatione aliqua die cessare volebat. Accidit autem, vt quidam vir sanctus inde transitum faceret, & ipsum prædictus miles spoliari iuberet. Vir autem sanctus rogauit prædones, vt ipsum ad Dominum suum deducant; quia ad ipsum haberet secreta, quæ proferret. Adductus autem rogauit militem, vt omnes de familia sua, & castro congregari faceret, vt eis verbum Domini prædicaret. Cùm autem congregati fuissent, ait ille: nequaquam adhuc omnes hic estis, sed aliquis adhuc deest. Cui cùm se omnes ibidem esse assererent, aiebat: Diligenter perquirite, & aliquem inuenietis abesse. Tunc vnus exclamans ait, quoniam illuc sòlus camerarius non veniisset. Ille autem dixit: verè ille est, qui solus deest. Pro eo ergo cito mittitur, & in medium adducitur. Cùm igitur virum Dei vidisset, reuolutis terribiliter oculis, caput instar insani agitabat, nec propriùs accedere audebat: vir autem sanctus dixit ei. Adiuro te per nomẽ Dñi nostri Iesu Christi, vt qui sis edisseras nobis, & quã ob causam huc veneris palam pandas, cui ille respõdit. Heu adiuratus procedere cogor, & inuitus: Ego enim non sum homo, sed dæmon, qui formam hominis accepi, & quatuordecim annis cum hoc milite permansi: nam Princeps noster me huc misit, vt diem, qua hic suæ MARIÆ salutationem non diceret, diligentiùs obseruarem, vt in eum potestate accepta ipsum continuus strangularem, & sic in malis operibus vitam finiens noster esset: Quacumque enim die illam salutationem dicebat, in ipsum potestatem habere nõ poteram. Ecce autem de die in diem diligentiùs obseruauit, & nullum diem, quin eam salutauerit, prætermisit. Hoc miles audiens, vehementer obstupuit, & ad pedes viri Dei procidens, veniam postulauit, & in melius deinceps vitam mutauit. Vir autem sanctus dixit dæmoni. Præcipio tibi dæmon in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt hinc statim abscedas, & talem deinceps locum possideas, vbi nulli gloriosam Dei genitricem inuocanti nocere præsumas. Hæc vbi iussa dedit, dæmon abscedens, vt fumus euanuit.

C

D

Sexta Stella sextæ Coronæ.

SExta Stella sextæ Coronæ Beatæ Virginis, siue sextum signum est Gemini, quod est aliena negotia curare, vt propria, & non sibi, sed toti genitum se credere mundo. Et hoc maximè fecit virtus charitatis, quæ *non quærit quæ sua sunt.* 1. Corinthior. 13. sed communia negotia proprijs anteponit, vt dicit Beatus Augustinus. Et hæc fecit beata Virgo, quæ concepto Saluatore, noluit residere in pace, sed statim visitauit Eli-

1. Cor. 13.

lisabeth prægnãtem, vt ministraret ei. Quæ etiam cum filio mori desiderauit pro salute mundi, & si animam non posuit, exposuit tamen. Vnde, & nostra dicitur aduocata, & meritò, vt in subsequenti satis lucide appareat exemplo. Ex libro apum de domo Ordinis Cistercienſis liberata à maxima tempestate, dum Conuentus Antiphonam, Salue Regina cantaret. Fonij clauſtrum est Ordinis Ciſtercienſis nobiliſsimum, atque ditiſsimum. Contigit autem, vt ob nubilatione cœlum tempestatem aeris grauiſsimam minaretur, quæ & facta est; sparsis ergo coruscationibus vndequaque per aera sequuntur, & fulgura. Quæ, vt vident Monachi, certatim ad Ecclesiam fugerunt, vbi Conuentu in choro totaliter congregato, videntes patriæ, & clauſtro ſpecialiter imminere, inchoant altiſsimis vocibus; Salue Regina, mater miſericordiæ, &c. Et cùm veniſſent ad illum locum: Eia ergo Aduocata noſtra, &c. Subitò vehementiſsimus ventus ab occidente veniens cum horribili fragore tonitrui, feneſtras Eccleſiæ vitreas cum tanto impetu totaliter diſsipauit, vt Eccleſia firmiſsimè ſolida corruere videretur, nec mora, vbi in tanto diſcrimine ſacer Conuentus flexit genua, & illa verba Antiphonæ cantauit, & Ieſum benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende. Statim imago Crucifixi, quæ media ſtabat inter Chorum Monachorum, & Chorum Conuerſorum fratrum, conuerſa ad orientem, verſus Chorum Monachorum reflexa eſt, & vt mihi à Monachis dictum eſt, contra naturam pictnræ oculos aperuit, & mox omnis timor ſublata tempeſtate ceſſauit. Quis ergo in tanto miraculo non obſtupeſcat? Quis non videat, & planè collaudet illam miſericordiæ patronam, & matrem, quæ ſpeciali priuilegio Chriſto poteſt imperare, vt filio, & reconciliare miſeros, quos noxa præſcripſerat, vt benedictum Ieſum fructum ventris ſui, illis in ſalutem oſtendat, qui venturus eſt reprobis in condemnationem.

A Deo, & Beatæ Virgini placeat, ſcilicet, quòd homo à vitijs, & mala conſuetudine deſiſtat, & ſeipſum recognoſcens, pro peccatis ſuis aliquam pœnitentiam in præſenti facere incipiat, ſubſequenti declaratur exẽplo, ex Dialogo Cæſaris de latrone, qui diẽ Sabbati, ob reuerentiam Beatæ Virginis ieiunabat. In vicinia Ciuitatis Tridentinæ latro famoſiſsimus fuit, à quo multi deprecabantur, & qui ſe defendere voluerunt, nec potuerunt, occidebantur. Hic cùm die quadam Monachum quemdam Ordinis Cisterciensis obuium haberet, ſperans, quòd pecuniam haberet, & portaret, ait Monacho, niſi libenter ſequaris me, ego occidam te, quẽ B cùm Monachus ſequeretur, & quæreret in via, quis eſſet, vel quod opus haberet. Reſpõdit ille: Ego ſum latro ille famoſiſsimus, nomẽ ſuum exprimens; cui cùm Monachus diceret, iam incipitis canescere, & non timetis animæ veſtræ. Reſpondit ille, non plus, quàm pecus, & tacuit Monachus. Veniens autem in ſpeluncam ipſius, ait intra ſe: ſi poſſem hunc hominem conuertere, magnũ Deo præſtarẽ obſequium. Dixitq, ad latronem. Si liceret mihi aliquid vos interrogare? Reſpondente illo: Licet, Monachus ſubiunxit. Qualis extitit vita veſtra à principio? Reſpondit ille: Peſsima, quando puer eram, cum omnibus coætaneis meis contendebam, factus adoleſcens, furti operam dedi. C Deinde in virum proficiens, latrocinia exercui, in quibus adeò profeci, vt hodie caput ſim, & magiſter omnium latronum huius Prouinciæ, ad quem Monachus: non timetis pœnas æternas huiuſmodi operibus præparatas? Dicente illo: De anima nulla quæſtio eſt mihi, eò quòd perdita ſit. Monachus reſpondit: Quid, ſi poſſem vobis oſtendere viam ſalutis, velletis mihi acquieſcere? Ait latro: Etiam conſentirem: & Monachus. Ieiunate vnum diem in hebdomada in honorem ſanctæ Dei genitricis, & nullum lædatis, & ſciatis pro certo, quòd gratiam apud filium eius obtinebitis. Reſpondit latro: Hoc revera faciam, & iam voueo, nihil ea die comedam, quã ſemel, & neminẽ deprædabor: nec aliquem lædam. Elegitquè diem Sabbathi, nihil in eo mali operans, immo plurimos ſociorum manibus deprædandos, vel occidendos ob honorem Beatæ Virginis eripiens. Eodem tempore Tridentinum ab hoſtibus per circuitum infeſtabatur; & exientes ſatellites ciuitatis cum hoſtes quadam die Sabbati inſequerẽtur, iã dictum latronem inermem propter Sabbatũ cæteris cœperunt, & cũ eſſet fortiſsimus, non ſe defendebat, cũ caperetur, nõ ſe excuſabat, & noluit loqui interrogatus cũ ducerẽtur, venienſq; in ciuitatẽ mox vt cognitus eſt, patibulo adiudicatus eſt: nutu tamen vt

Septima Stella ſextæ Coronæ.

SEptima ſtella ſextæ Coronæ Beatæ Virginis, ſiue ſeptimum ſignum eſt Cancer; qui retrograditur, quod eſt redire ad ſe per ſui diſcuſionem. Hoc ſignum fuit in hoc cœlo, quando cùm annunciaretur ei conceptus filij Dei, conſcia humanæ fragilitatis, & ſexus muliebris, & indignam ſe reputans ad tantam dignitatem, humiliter dixit: *Ecce Ancilla Domini, &c.* Moraliter, Eſai. 46. *Redite præuaricatores ad cor.* Naum vlt. dicitur peccatori. *Intrà in lutum, & calca, &c.* Mich. 6. *Humiliatio tui in medio tui.* Quomodo autem retrogradus iſte inceſſus

Luc. 1.
Eſai. 46.
Naũ vlt.
Mich. 6.

creditur Beatę MARIÆ Virginis super pul chritudine corporis eius iudices moti in hoc conuenerunt, vt prouincia abiurata viueret, quod cùm abnueret, & diceret, non faciam: melius est enim, vt hic peccata mea luam, quàm in futuro. Respondérunt iudices. Sine tamen, vt decolleris. Non curo, inquit, qualis sit pœna, dummodo occidar, & illi, vis vt tibi vocetur Sacerdos? Respondit, nõ est necesse. Omnes enim Christiani estis, omnibus vobis peccata mea cõfiteor. Quòd cùm fecisset cum multa contritione, nihil se boni vnquã fecisse testabatur, præter illud ieiunium, quod à Monacho didicerat. Sicq; extra ciuitatem decollatus est, & in eodem loco sepultus. Nocte eadem vigiles portarũ circa eius tumulũ luminaria viderunt. Quinque enim matronæ corpus eius effodientes, & caput corpori adaptantes posuerunt in feretro, miræ texturæ purpura superiecta, ex quibus quatuor singulas cãdelas ardentes in manibus habentes per quatuor partes feretrum tollentes, quintaque clarissima omniũ erat cum candela sequente ad portam vsque venerunt, ibique corpus deponentes. Custodes verò ista videntes, timuerunt, putantes esse phantasma, quibus illa dicebat: Dicite Episcopo vrbis, vt Capellanum meum à vobis decollatum in tali loco Ecclesiæ honorificè sepeliat. Minas, addens si negligerét, & nominauit se. Mane verò cum Episcopo nũciata hæc essent, cum Clero, & populo exiẽs purpuram deposuit, caput præscissum corpori vnitum expauit, texturamque purpuræ humanum artificium excedentem admiratus, relatis credidit, hominem cum timore, & honore maximo, non vt latronẽ, sed vt Christi martyrem in loco designato sepeliuit. Ab illo tempore vsque hodie vix aliquis adultus inuenitur in illa Prouincia, qui eius exẽplo in honore Dominæ nostræ Sabbatum non ieiunet.

A

B

Octaua Stella sextæ Coronæ.

OCtaua Stella sextæ Coronæ B. Virginis, siue octauũ signũ est leo, quo rugiente animalia fugiunt, gradum, hoc est repressio prauorũ motuum sensualitatis, & fomitis. Haud dubium hoc signum fuisse in hoc cœlo: nam ante conceptum filij omnino fomes extinctus est in ea, nec vnquam sensit huiusmodi. Quantùm ergo valeat clamor, & auxilium huius leonis, id est, Beatæ Virginis, contra malas bestias, id est, dæmones, in sequenti declaratur exemplo, ex dialogo Cesarij de Monacho, cui Beata Virgo MARIA gratiam confitendi obtinuit. In Prouincia Aphrica domus Ordinis Cisterciensis est sita, quæ Cruppa vocatur. In hac infirmatus est quidam Monachus ad mortem, & deputati sunt ei duo ad seruiendum, qui dũ simul

C

D

exissent, & ægèr solus iaceret, ingressi sunt duo tetri spiritus in angulo domus stantes complosis autem manibus cachinnãtes, dicebant ad inuicem, cras hora tertia cum magno gaudio deducemus animam huius ad infernum: Mox infirmus tremere cæpit, atq; pallescere, maximè propter remorsum conscientiæ. Commiserat enim quædam peccata grauia, quæ vetante erubescentia confiteri non poterat, nec Clericus in sæculo, nec nouitius, vel Monachus in Monasterio. Iacens verò, & circumpiciens contemplatus est in angulo oppositò matrona pulcherrimam in hæc verba dæmonibus cachinnantibus respõdére: nolite nimis gaudere, ego dabo illi cõsilium, qualiter dentes vestros euadat. Post quod verbũ omnis vitio ministris intrantibus disparuit. Consiliũ autẽ confessionis intelligẽs, matronam verò sanctam Dei genitricẽ, quã in tanto periculo, vt opinor, inuocauerat. Priorẽ vocari fecit, cui omnia peccata sua meritis Beatæ Dei genitricis adiutus, plenè, ac deuotè confitens, & vt eadem Abbati, qui absens erat, reuelaret, supplicans, oleo sacro inunctus, & Dominici corpori Sacramento munitus, hora à dæmonibus prædicta, sub spe veniæ spiritum exalabat.

Nona Stella sextæ Coronæ.

NOna Stella sextæ Coronæ Beatæ Virginis, siue nonum signum est Virgo, hoc est bona sterilitas, de qua dicitur Sap. 3. *Felix sterilis, & incoinquinata, &c.* Sub hoc signo exorta est gloriosa Virgo nostra, quæ prima vouit virginitatem, & repudiauit virilis coitus fœditatem. Vnde dixit: *Quoniã virum non cognosco.* Moraliter per hoc signum intelligitur consideratio propriæ infecunditatis, qua sumus steriles, & infructuosi à bona operatione, de quibus dicitur. Matt. 7 *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Ideo non restat, nisi planctus, luctus, & gemitus. Vnde Ioelis. 1. *Plange quasi Virgo accincta sacco, &c.* Propter hoc dicitur *filia Iepthe* fleuisse *virginitatem.* Iudicum 11. Huc fletum quidam adolescens nobilis habuit, qui Deum negauit, & homagium diabolo fecit, intercessione tamẽ Beatæ Virginis, quam negare noluit, remissionẽ meruit. Ex dialogo miraculorum Cæsarij. Iuxta floresulam cæno Ordinis Præmonstratensium, in Diœcesi Leodicensi, adolescens quidam nobilis habitabat: cui pater moriens, vtpote vir magnus, & potens multas diuitias reliquit. Factus miles idem iuuenis, vt gloriam sibi acquireret, temporalem in breui ad magnam deductus est paupertatem. Causa enim laudis humanæ torneamentis totus deditus erat hystrionibus larga manu sua tribuebat, & quia ad tales effusiones

Sap. 3.

Luc. 2.

Mat. 7.

Ioelis. 1.

Iudic. 11.

redditus annui minus sufficiebant: hæreditatem vendere paternam compellebatur. Erat in proximo manens miles quidam diues, & honestus ministerialis tamen: huic iuuenis iam dictus allodia, siue fœuda partim vendebat, & partim in vadimonio exponebat. Et cùm iam non haberet quod vendererit, vel exponeret, cogitabat exulare tolerabiliùs, iudicans inter extraneos mendicare, quàm inter notos, & affines egestatis confusionẽ sustinere: habebat autem villicum hominem quendam malignum, nomine non re Christianum, & dæmonũ ministerio ex toto mancipatum. Videns hic dominum suum tristẽ, & tristitiæ non ignorans causam, dicebat ei: Domine, vultis diues fieri? Respondit: Libẽter diues fierem, dummodo diuitiæ ipsæ possent esse cum Deo. Et Villicus: Nolite timere, sequimini tantum me, & benè erit vobis: statim secutus est miserum tanquam serpentis vocem Eua, quasi Sybilum aucupis auicula, in laqueum diaboli celeriùs deponendus, & duxit eum in ipsa nocte per quoddam nemus in locum palustrem, & cœpit cum aliquo quasi habere sermonem. Cui iuuenis, cũ quo loqueris? Respondit Villicus: Tacete tantùm vos, & non sit vobis cura cum quo loquor. Cumque secundò loqueretur, & iuuenis iterato sciscitaretur, respondit, cum diabolo, & cœpit iuuenis nimis horrere. Dicebatque Villicus diabolo: Domine, ecce virũ hunc nobilẽ dominũ meũ adduxi gratiæ vestræ, & Maiestati vestræ supplicans, vt vestro auxilio pristinis honoribus atqui restitui mereatur. Ad quem diabolus: Si mihi voluerit esse deuotus, & fidelis, dabo diuitias magnas, insuper addam gloriam, & honores, quales non habuerunt eius patres. Respõdit Villicus: Libenter vobis obsequiosus erit, & fidelis, si talia fuerit consecutus. Et ille: Si voluerit ista à me consequi, abrenuntiare in instanti altissimo. Quod cum iuuenis audiret, & facere renuerit, dicebat ei homo ille perditionis: Quid timetis proferre vnum verbum? Dicite, abrenuntio. Tãdem miser iuuenis à Villico persuasus, Creatorẽ suum ore negauit, manu æstipulauit, diabolo homagium fecit. Hoc scelere perpetrato, diabolus adiecit. Adhuc opus imperfectum est etiam abrenuntiare debet Matri Altissimi. Illa est enim, quæ nobis maximum infert damnum, quos Filius per iustitiam abijcit, Mater quia nimis misericors est, ad indulgentiam reducit. Sybilauit iterum serpens in aure adolescentis, vt domino suo in hoc obediret, vt sicut filium sita eius matrem abnegaret. Ad quod verbum iuuenis nimis expauit, & turbatus supra modum respondit, hoc nunquam faciam. Quare, inquit, fecistis quod maius est, facite etiam quod minus est? Maior est Creator, quàm creatura. Et ille. Nunquam eam negabo, etiamsi oportuerit me ostiatim mendicare per omnes dies vitæ meæ, & non acquieuit. Sicque imperfectõ negotio ambo reuersi sunt, nihil liquidẽ honoris consecuti, sed maximo peccati pondere grauati villicus suadendo, iuuenis consentiendo. Pergentes verò simul venerunt ad quandam Ecclesiam, cuius Campanarius ianuã exiens, reliquerat semiclausam. Mox iuuenis exiliens de equo, commisit eum villico dicẽs: expectame hic, donec reuertar ad te, & intrans Ecclesiam ante ortum auroræ, prostrauit se ante altare, & ex intimo corde ipsam matrẽ misericordiæ cæpit inuocare. Erat autem super idem altare imago ipsius Virginis, & matris puerum Iesum in sinu habens, & ecce meritis ipsius præclarissimæ Stellæ maris verus Lucifer oriri cæpit in corde sæpè dicti adolescentis. Tantam ei Dominus propter honorem matris, quam non negauerat contrictionem donare dignatus est, vt præ fletu rugieret; & præ planctu nimijs clamoribus Ecclesiam repleret. Eadem hora supradictus miles, qui omnia bona eius habebat, diuino, vt creditur, nutu ad eamdem Ecclesiam diuertens, & videret apertam, putansibi diuina celebrari, maximè propter clamoris intrinsecus, solus intrauit, inueniens coram altari iuuenem sibi benè notum lacrhymantem, & putãs, quòd solummodo deflereꝛ calamitatem suam, retro quandam columnam latenter se cessit, rei exitum expectans, cumque terribilem illam maiestatem, quam negauerat nominare, vel inuocare non auderet, sed tantùm pijssimam eius genitricem lacrhymosis vocibus pulsaret, vtroque audiente per os imaginis suæ Beata, & singularis Christianorum aduocata filio loquebatur in hæc verba: Dulcissime fili, miserere huic homini. Puer verò matri nihil respondit, faciem ab ea auertens. Cumque iterum rogaret hominem se ductum asserens, matri dorsum vertit dicens. Iste homo negauit me, quid ei faciam? Post hæc verba, imago surrexit, puerum super altare posuit, eiusque pedibus prona se prostrauit, & ait: Rogo fili mi, vt propter me dimittas ei peccatũ hoc. Respõdit illi: mater, nũquã aliquid tibi negare potui: Ecce propter te totum dimitto. Surgẽs autẽ iuuenis, exiuit de Ecclesia tristis quidẽ de culpa, sed hilaris de indulgentia, exiuit post eũ sæpè dictus miles latenter, & quasi rẽ ignoraret, quæ fuit, quare tã humidos oculos haberet! Respõdit de vento est, & ille. Domine non me latet causa tristitiæ vestræ; habeo enim vnicã filiam, si vultis illam ducere vxorem, omnia vestra cum illa vobis restituam; insuper & hæredem diuitiarum mearum vos constituam. Ad hæc iuuenis letus effectus. Si hoc facere dignaremini inquit, plurimum mihi placeret. Reuersus

miles

miles ad vxorem suam, rem ei per ordinem retulit. Consensit illa. Celebrantur nuptiæ, & iuueni sub nomine dotis omnia sua restituuntur.

Decima Stella sextæ Coronæ.

DEcima Stella sextæ Coronæ Beatæ Virginis, siue decimum Signum est Libra, hoc est ponderatio pœnitentiæ ad quantitatem peccatorum, vel ponderatio operationis ad gratiam nobis datam, vel ponderatio gratiarum actionis ad beneficia Creatoris. *Eccle.21.* Et hanc habuit istud cœlum, iuxta illud Ecclesiast. 21. *Verba sapientium statera ponderabuntur*; nam ad singula Dei beneficia, singulas reddebat gratiarum actiones, dicens: *Fecit mihi magna, qui potens est*, & huiusmodi. Propter hoc in libro de infantia eius dicitur, quòd sine intermissione benedicebat Deum. Et ne fortè, vel in salutatione sua à Dei laudibus tolleretur, si quis priùs eam salutaret, illa pro salutatione, Deo gratias, de- *2. Cor. 9.* spondebat. Ipsi enim maximè conueniebat dicere incessanter illud Apostoli 2. Cor. 9. *Gratias Deo super enarrabili dono eius*, nobis enim summe incumbit, hoc idem, quia nobis misericorditer contulit hanc MARIAM. Moraliter. Ille in se habet hoc sig- *Deut. 25* num, qui ponderat pœnitentiam suam secundùm quòd peccauit; vnde Deuteronom. 25. *Pro mensura peccati erit, & plagarum modus, &c.* nisi hic plagarum modum meritis, & intercessione Beatæ Virginis moderetur, quod manifestè patet exemplo sequenti. De Rolando Archiepiscopo, qui vi oppressit quandam Abbatissam, intercessione tamen Beatæ Virginis MARIÆ meruit remissionem. Ex Speculo Historiali. Fuit quidam Archiepiscopus Bisuntiæ, nomine Rolandus, nobili prosapia ortus, satis potens, & vtilis Ecclesiæ, Virgini etiam gloriosæ deuotus, sed quod peius est, & totam massam corrumpit, lubricus, & gulosus. Cùm autem quædam Abbatissa ex claro genere orta, Virgoque pulcherrima, ac Deo dicata, quadam vice ad eius curiam venisset propter domus suæ negotia, mox vt Episcopus eam vidit, in concupiscentiam eius exarsit, dicès ad eam: O Domina, post prandium redeatis, quia volumus vobis in omnibus cõplacere, & nunc, & semper vestræ Ecclesiæ negotia, prout vobis placuerit, terminare; facto ergo prandio Abbatissa cum solemni Comitatu ad Curiã regreditur, sed Episcopo præcipienti ad primam ianuam famuli, ad secundam milites, ad tertiam puellæ excluduntur, ipsa penitus nesciente, & cùm prædicta Abbatissa tanquã columba simplex, & seducta se solam cerneret, ingemuit, & ait: Heu, heu, Domine Deus, quid est, quod accidit mihi? Cùmque hæc & similia diceret, Episcopus de lecto amplissimo velociter surrexit, ipsam Christi violenter amplectitur, & libidinosis motibus aggreditur, & violenter eam violauit. Cùm autem Episcopus post hanc execrabilẽ luctam in thoro pausaret, & Abbatissa incõsolabiliter fleret, ac semetipsam vnguibus laniaret, ecce Iesus ad pedes eius stetit, ipsum flammeis oculis, & terribili vultu intuens. Et erat Dominus Iesus toto corpore nudatus vsque ad lumbos, & erat in dextro latere horribilis cultelus vsque ad manubrium infixus. Quo viso Episcopus prætimore, & stupore, nec oculos, nec se de loco mouere potuit, cui Dominus post mediam horam dixit: O Episcope, cur Dei Filium tam crudeli vulnere sauciasti? Cur templum Spiritus sancti violasti? & cur sponsam meam polluisti? aut quare super dolorem vulnerum meorum addisti? aut quomodo tantum facinus facere præsumpsisti? His dictis, Dominus Iesus infremuit, & cultellum de latere excutiens sanguine rubricatum super culcitram ante Episcopi faciem proiecit. Et tunc euanuit. Abbatissa verò ad domum reddiens, flens, & eiulans nunquam deinde exiuit. Episcopus autem post prædictam Christi visionem desperauit, & ab inuocatione Dei cessauit. Verumtamen Basilicam quandam, quã ipse ad honorem Beatæ Virginis MARIÆ construxit, ingressus cultellũ totaliter cruẽtatum super Aram posuit. Deinde se prosternens, nec oculos, nec manus ad cœlum leuauit, sed per triginta dies pane, & aqua contẽtus, matrem misericordiæ cum ingenti deuotione solum modo inuocabat: & ecce die trigesimo Regina cœli apparuit Episcopo, dicens: Quomodo vales, ò homo? Et ille: O Domina, tota spes mea, & valitudo vos estis. Ad quem Virgo: Triplicem inquiens excommunicationem incidisti. Primã, quando Dei Patris Filium, Summum Sacerdotẽ quantum in te fuit vulnerasti. Secundam, quando consecratam Virginẽ violasti. Tertiam, quando desperasti. Sicque totam Trinitatem, & me similiter offendisti. Sed modò, surge, & sta, ac cœlum respice: ego enim sum porta veniæ, sicque dices post me. Iesu benignissime miserere mei. Quod cùm fecisset, Beata Virgo adiecit. Vade, & amplius noli peccare, quia demissa sunt tibi peccata tua. Cultellus tamen ita cruentatus in ista Capella seruabitur, vt sciãt successores tui, & omnes Christiani, quàm graue peccatum sit violare virginis Christi. His dictis, Virgo disparuit, & Episcopus deinceps sanctissimè vixit. Ecce quomodo plagarũ modus circa istum Episcopũ meritis, & intercessione B. Virginis fuit minutus, siue immutatus; nam per pœnitentiam triginta dierũ pœnas euasit sempiternas.

Vnde-

Vndecima Stella sextæ Coronæ.

VNdecima Stella sextæ Coronæ Beatæ Virginis, siue vndecimum signum est scorpiō, qui capite blanditur, sed cauda pūgit, & signat peccatum blandiens in culpa, sed pungens in pœna. Hoc signum habuit quodammodo in se cœlum nostrum, quia ad hanc considerationem precauit sibi ab omni peccato, licèt multoties inter *Scorpiones* cum filio habitaret. Ezech. 2. & maximè hic scorpio diabolum signat, qui caput est omnium peruersorum. Et sæpè sub melle prauæ delectationis nititur propinare venena mortis æternæ. Hunc scorpionem facilè per merita Beatæ Virginis possumus euincere, vt in sequenti magnifico declaratur exemplo, ex speculo historiali libro 8. capitulo 90. de Imperatrice, cuius castitatem à violentia seruorum Beata Virgo eripuit. Fuit quidam Romanus Imperator, cui prouidit Dei clementia vxorem, genere, & moribus nobilissimam, ac pulchritudine honestissimam, nec turpis, aut carnalis delectatio illos captiuabat, sed inuicem sobriè & iustè sub legali coniugio se non mediocriter diligebant. Venit autem in mentem Imperatori, vt pergeret longè, latèque per Orbem visitare loca sanctorum. Accepto itaque consensu à coniuge & regnum, & quendam fratrem suum adolescentem attētius ei commēdans, digressus est. Ipse autem dictus adolescens specie deceptus Imperatricis, in amorem eius vehementer exarsit, & tandem etiam, quo stimulo vrgeretur ei aperuit. Cùmque ei pluries molestus esset, & illa penitus renueret, tandem iuueni cæcato ad eius amplexus se venturam simulate promisit. Interim verò turrim quandam parare nō distulit, in qua duos adolescentes, & duas puellas ad seruiendum iuueni mittere curauit, vt necessaria quæquè illi sursum cum funibus traherēt: determinato autem die, quo Imperatrix, & iuuenis turrem illam priuatim ascēderent, vt ille quod desiderabat expleret, gauisus est. Sed illo præeunte, & intrante, pudica Domina in domun, redijt, retento iuuene in turre. Sedit autem sub Imperatrice Roma pacifica, donec Imperator rediret ad propria. Post quinque annos audiens aduentum eius gauisa est valde, iussitque nobiles, & maiores Cleri in occursum eius secum exire, & vicos ciuitatis ornari decenter, fratrem quoque Imperatoris inconsultè de turre emisit, vt fratri obuius exiret. Qui in occursu illius Reginam præuenit, & versa viceam malè infamauit, requisitus enim à fratre, cur tā afflictus, & pallidus ac crine deformis esset, respondit cum lacrymis, illi frater charissime, pessima meretrix cōiux tua, sicut cum multis fornicari consueuit, meipsum in scelus præcipitare secum tentauit: nullus enim ab eius impudico amplexu, ex quo recessisti, prohibitus est, quod ergo ego ferre non potui, sed ab ea recedens, in quadam turri me nunc vsque cōclusi. Audiens Imperator quas non sperauerat in vxore contumelias nunciari, dolore cordis percussus, penè ex animis in terram corruit. Post spatium vnius horæ surrexit, & confortatus est adstātium cōsolationibus equum ascendit, in crastinum autem cū comitatu multo ad virum suū peruenit. Quæ cùm illum, vt dignum erat amplecti vellet, percussa ab eo in facie grauiter confusa cecidit. Vocatisque duobus seruis, Imperator ait: Quia non est cum meretrice certandum, ite in syluam profundam, & ducite eam ad decollationem. Qui cùm ad locū vbi decollanda erat, peruenissent, admirantes eius pulchritudinem, dixerunt ad inuicem: Priùs quàm occidatur, cognoscamus eam, quia nō est in mundo pulchrior illa. Irruentibus illis in eam, illa suspiciens in cœlum voce lacrymabili Dei respectum, & Virginis Sanctæ MARIÆ efflagitabat auxilium. Quidam autem nobilis heros non longè iter faciens cum comitatu multorum, qui limina Apostolorum, & Sanctorum loca Romæ visitauerant, audientes clamoribus resonare syluam, primò putauerunt aliquam feram in retibus corruisse, & veloci cursu illuc venerunt. Videntesque tam venerabilem personam seruos impudicos distrahere, morti eos cōcitæ tradiderunt. Requiritur mulier, quæ esset; & cur illi talia contingerent? At illa celata dignitatis altitudine, supplici vultu, & humili voce rogauit, vt eam dominus eorū secum duceret, & ab ea ancillare obsequium, saluo honore pudicitiæ, reciperet; qui petitioni eius libenter annuens, illam ad propria perduxit. Quam vxor eius honorificè recipiens vnicum ei filium educandum commisit. Paruulo autem suscepto, illa maiorem adhibuit diligentiam, quàm si ipsa eum genuisset, fugiebat lasciuiam, frequentabat Ecclesiam, sed neque ibi malignus spiritus tentare desijt, quam vincere tamen non valuit. Erat quidam miles in Curia, qui ad amorem eius pertingere cupiens, blandis sermonibus ac multis promissionibus eam, vt sibi coniugio copularet, tentabat. Illa verò castè se eū diligere respōdens amore domini sui, cuius frater erat, & nubere ei omnino negauit. Quamobrem cępit miser tractare in animo, quid mulieri, quæ in tanta eum vilitate habebat, pararet, vt occideretur, vel fugaretur. Itaque intempesta noctis hora ductu diabolico venit, vbi illa dormiebat, & infans in sinu eius sibi commendatus, gutturque pueri filij fratris sui cultro per medium secuit, & gladium in manu mulieris dormientis re-

relinquens, receſsit. Cùm ergo ſanguis occiſi pueri per medium lecti decurreret, & latus mulieris inficeret, excitata vehementer expauit. Et cùm ſe miſeram proclamaſſet ſolicita mater, & pater de filio ſurgentes concito de lecto venerunt cum lumine ad filium, quem iugulatum videntes, & in manũ mulieris cultrum, quantus dolor eos inuaſit, & omnem familiam, vix explicari poteſt. Venit denique ſceleratiſsimus homicida fictas lachrymas fundens, & voluit occidere tanti ſceleris ignaram, dicens fratri ſuo: adduxiſti huc meretricem in multis criminibus in alia patria iudicatam interfici. Iam igni tradatur, dignam eam facit mors filij tui. At heros filiæ nobilis, & vxor eius eam interfici prohibentes, mandauerunt nautis ad portum proximi maris, vt eam in alienã terram inducerent. Venit ergo perfuſa lacrymis, faciem, & comam diſcerpens cum ſeruis ad mare, & intrauit nauem. Cùmquè nautæ per altum mare nauigaſſent, cõſiderata eius ſpecie, allocuti ſunt eam, vt eis aſſentiret, reſiſtentiquè ob amorem pudicitiæ, dixerunt: Vnum è duobus elige, aut nobis cõmiſceri, aut in mare præcipitari. Reſpondit illa, ſe libentius inter fluctus deficere, quam eorum libidinoſis petitionibus aſſentire: qui mutato conſilio in quadam alta rupe, quæ ante eos in mari eminebat, Domino prouidente, eam reliquerunt. Vbi cùm totam noctem duxiſſet inſomnem, ſummo diluculo, mœrore, & triduano ieiunio afflicta, parum obdormiuit. Apparuitquè ei ſancta Virgo MARIA Regina gloriæ, admirabili facie, ſtellante oculorum acie, dicens ei: quia multa propter caſti coniugij ſeruandam fidem ſuſtinuiſti aduerſa, omnis amodo tentatio impiorum à te expellenda eſt, & quas paſſa es, iniuriæ manifeſtabuntur, collige herbã, quæ eſt ſub capite meo, & quibuſcumque leproſis dederis inde bibere, in nomine Domini ſanabuntur. Excitata autem mulier, & de viſione lætificata cum deuotiſsimis orationibus herbam collegit, cui ſimilem antea non viderat, & chirotecas de manibus ſuis extrahens impleuit. Hora autem tertia, nautæ à Deo miſsi iter facientes iuxta rupem illam, vocati ab ea applicuerunt. Qui videntes eam tam venerabilem eſſe perſonam, condolentes ei, recepram in nauem duxerunt ad portum. Egreſſa autem de naui, inuenit leproſum vultu miſerabilem, attritãquè herbæ porciunculam cum vino ei dedit bibere, & confeſtim ſanatus eſt. Exit fama eius longè, latèque, & venit ad ciuitatẽ illam, in qua erat impius ille leproſus effectus, qui fratris ſilium in ſinu huius dominæ occiderat. Ad hunc multis precibus adducta, ſed nec ab ipſo, nec ab vllo de familia domus cognita, rogatur obnixè à fratre illius leproſi, vt ei ſubueniat, & quicquid inde mercedis velit, recipiat. Illa ſe ſubuenire promittit, ſi de omnibus peccatis ſuis corã ea, & ſeptem perſonis confeſſus fuerit, & ille quidem confitens multa dixit, ſed celabat ſcelus, quod in eam commiſit. Reſpondit ei mulier, nihil ei proficere medicinam ſuam, abſcondito vllo criminali. Tunc ait frater ſuus, cuius filium interfecerat: Aperi cor tuum, & emunda ab omni peccato, & ſi quid aduerſum me malè egiſti, totum tibi dimittatur. Reſolutus itaque in lacrymis qualiter egerat, manifeſtauit, audiẽs heros, expauit vehementer, dicens, ſe plus de amiſſione nobiliſsimæ mulieris, quàm de morte filij triſtem eſſe. At illa reſpondit: Domine, ego ſum mulier illa, quæ malum pro malo non reddam, ſed bonum pro malo retribuam; reſtitutaquè illi ſanitate, rogabant illam, vt ibi maneret, & quem ſanauerat, in ſponſum acciperet, quibus non acquieſcens, receſsit, & ſanando leproſos nonnullos, Romam incognita petijt, ibiquè plurimos à læpra mundauit, ſed & fratrem Imperatoris vleiſcente Deo, inuaſerat læpra grauiſſima vſque ad mortem, ad quem curandum adducta, ſed à nullo agnita ſimili modo, & hunc peccatum ſuum, quod in ea commiſerat, confiteri coram Papa, & Senatu Romano fecit. Quo audito, Imperator flens, & pugnis faciem, pectuſque percutiens, miſerum ſe exclamauit. Flebant quoque omnes, qui aderant, & audierant recordationẽ Imperatricis egregiæ. At illa, fletus eorum nõ ſuſtinens, ſanato priùs iuuene, dixit: quia ego illa ſum. Tunc quanta lætitia Romanũ populum impleuerit, non eſt facile dictu. Voluitque eam Imperator, quaſi à Deo reſuſcitatam in vxorem, & populus in dominam accipere: ſed illa intra ſe aliter agens, dixit ad Papam, votum feci in tribulationibus meis Domino, me nulli viro vlteriùs coniungere, ſed in Monachali veſte caſtimoniam ſeruare. Requiretur ergo anima mea de manu tua, ſi timens, vel diligens hominẽ plus, quàm Deum veſte ſancta non velaueris me. Tunc ille mox eam benedixit, & induit.

A B C D

Duodecima Stella ſextæ Coronæ.

DVodecima ſtella ſextæ Coronæ Beatæ Virginis MARIÆ, ſiue duodecimũ ſignum, eſt Sagittarius, quia pro filio multiplicem ſuſtinuit naturalem defectum, quaſi ſagittam multiplicem, vt famem, ſitim, fatigationem, vigiliam, & huiuſmodi. Paſsio etiam filij ipſius animam quaſi multiplici iaculo ſagittauit, iuxta prophetiam Simeonis. Vndeverè dicere potuit illud Iob 6. *Sagittæ Domini*, id eſt, pœnalitates filij mei *in me ſunt* per compaſsionem, &c. Deſigna- *Iob 6.*

signatur ergo per hunc Sagittarium patiens perpessio pro amore Dei quarumlibet tribulationum. Vnde & nos libenter ob amorem Dei, & Beatæ Virginis debemus aduersa, & tentationes dæmonum patienter, & fortiter sustinere, quia in fine Deus suos non deserit, & hoc maximè propter merita, & intercessionem gloriosæ Virginis MARIÆ, vt insequenti declaratur exemplo de muliere, quam de incendio Beata Virgo liberauit. Ex libro miraculorum Beatæ Virginis. Quidam vir, & vxor filiam vnicam habentes eã cuidam iuueni nuptui tradiderunt. Ob amorem autem filiæ generum suũ secum in domo tenebant. Mater autem puellæ iuuenem amore filiæ suæ tam diligenter colebat, vt non maior esset amor puellæ ad puerum, socrus ad generum. Inter hæc malicioſi dicere cœperunt, quòd hæc non filiæ causa faceret, sed vt eidem pro filia se se ingereret. Cùm igitur mulieris animum tanta falsitas cõcussisset, timens ne in vulgi fabulã verteretur, duos rusticos alloquitur, & si occultè generum suum strangulare velint, cuilibet viginti solidos pollicetur. Quadã ergo die eos in cellario recludens maritum suum ex industria aliquò ire consuluit, & filiam aliò transmisit. Tunc adolescens iussu dominæ suæ cellarium, vt vinum afferret, ingreditur, & mox à latronibus strangulatur. Mox socrus ipsum in lectum filiæ suæ detulit, & quasi dormientem vestibus circumtexit. Redeuntibus igitur marito, & filia, ac ad mensam positis, iubet mater filiæ, vt maritum deberet excitare, & ad mensam vocare. Quem cùm defunctum reperisset, & hoc concita nunciasset, & tota familia in lamentum vertitur, & illa mulier homicida, quasi dolens cum cæteris lamentatur. Tandem mulier de perpetrato scelere valde ingemuit, & sacerdoti omnia per ordinẽ confessa fuit. Post aliquod tempus, inter mulierem & Sacerdotem litigium oritur, & à Sacerdote sibi generi homicidium improperatur. Quod cùm ad parentum notitiam deuenisset, adducitur ad iudicem, & ab eo ignibus coneremanda damnatur. Finẽ ergo suum imminere considerans ad Beatã Virginem MARIAM se conuertit, & eius intrans Ecclesiam in oratione, se cum lacrymis prostrauit. Post modicum exire compellitur, & in magnum proiecta ignem, omnes eam ibi stare illæsam, & incolumem contuentur. At parentes pueri ignem paruum esse putantes, ad sarmenta concurrunt, & in ignem proijciunt. Videntes autem, quòd nec sic in aliquod læderetur, lanceis, & hastis eam impugnare cœperunt; tunc iudex, qui aderat, vehementer obstupuit, & eos ab impugnatione compescuit. Eam autem diligenter considerans, nullum in ea signum incendij præter sola vulnera lancearum inuenit. Cùm autem parentes eius domi eam reclusissent, & eam fomentis, & balneis recrearent, noluit eam Deus vlterius humanæ suspicione fœdari, post triduum in laude Beatæ Virginis perseuerans, ex hac vita vocauit.

SEPTIMA CORONA, & prima stella eiusdem.

SEptima Corona capitis Glorioſissimæ Virginis MARIÆ est corona liberationis, quia per eam ab infestis sumus liberati, & porta cœlestis Hyerusalem, quæ ante natiuitatem ipsius multis annis fuerat clausa, est nobis reserata. Duodecim stellæ huius Coronæ sunt duodecim virtutes Beatæ Virginis per duodecim portas ciuitatis Hierusalem designatæ, per quas ipsa cœlestẽ Hyerusalem intrauit, & nos meritis ipsius possumus intrare. Prima stella huius septimæ Coronæ, siue prima porta dicitur porta stercorum: Secunda dicitur porta gregis: Tertia dicitur porta piscium. Quarta dicitur porta vetus. Quinta vallis. Sexta sterquilinij. Septima fontis. Octaua equorum. Nona aquarum. Decima collis. Vndecima iudicialis. Duodecima regalis.

Prima igitur stella septimæ Coronæ Beatæ Virginis, siue prima porta dicitur porta stercorum, & signat virtutem humilitatis, quæ facit, vt homo consideret vilitatẽ peccati, Mich. 6. *Humiliatio tui in medio tui.* & hæc est humilitas peccatorum, & est alia humilitas iustorum, qui considerantes potentiam diuinæ maiestatis, & conditionem propriæ vilitatis, seu infirmitatis, se in cũctis deijciunt, & humiliant. Sic Abraham, quando cum Domino loquebatur nominauit se puluerem, & cinerem, & Dauid canem vnum, sic beata, & gloriosa Virgo MARIA cùm eligeretur in matrem Christi, ancillam Domini se nominauit, dicens: *Ecce ancilla Domini.* Nomen ancillæ nomen seruile est. Et est quadruplex seruitus. Prima conditionis, qua omnes creaturæ debent seruire suo Creatori, sicut opus factori suo, & eius dispositionibus obtemperare, & sequi instituta, vt sicut ab ipso facta sunt, ita non nisi sub ipso, & secundùm ipsum incedant. Secunda, necessitatis, qua Deo seruire dicũtur malæ voluntates. Quæ cùm eius iussionibus contraire nituntur, per inefabilem tamen in eius dispositionem arctantur, vt nihil sine ipsius nutu ad effectum perducere queant. Vnde dicit authoritas, & militat omne quod obstat; seruiunt ergo nolentes eius dispositioni, qui volentes, subiecti non sunt eius præceptioni. Tertia timoris, quãdo diuina præcepta non ex dilectione im-

Mich. 6.

Luc. 1.

ple-

plemus, sed ex formidine. Quarta, dilectionis quando voluntarie iussionibus illius obtemperamus, quia ipsum qui iubet, diligimus, nec aliud in nostra seruitute extra ipsum commodum quærimus, quàm, vt secundùm ipsum ambulantes, ad ipsum peruenire valeamus. Hoc enim est propter ipsum facere, quod ipse iubet, propter ipsum adipiscendum facere quod iubet. Ex his quatuor seruitutibus videtur illa cõmendari in hoc loco, quæ est secundùm debitum conditionis. Hanc enim primi parentes in paradiso exhibere conditori noluerunt, quoniam in superbiam elati despexerunt esse sub illo, à quo conditi fuerant, & voluerunt peruersè esse cum illo in maiestate consimiles, qui non erant in natura æquales. Conuenienter ergo gratia culpæ respondet, Eua per superbiam creaturam se esse, & opus Dei non considerans, Deo parificari voluit. MARIA autem suo factori humiliter se subdens, Ancillam se nominauit, & idcirco illa abiecta, & ista electa est. Superbam despexit, & humilem respexit, & quod superba perdidit, humilis recepit. Ideo ait: *Respexit humilitatem ancillæ suæ*. *Luc. 2.* Respexit humilitatem, respexit humiliationem; humilitatem respexit humilem remunerans; humiliationem respexit humiliatam exaltans. Duo autem sunt humilitas, & humiliatio, & vtrumque excellenter reperire est in MARIA. Humilitas intus est in virtute mentis: humiliatio est foris in abiectione humanæ abiectionis. Non potest autem haberi humiliatio sine humilitate. MARIA ergo, quæ apud Deum humilis erat, & apud homines propter Deũ, abiecta in vtroque se à Deo respectam testatur: quia & eius humilitas apud Deum acceptabilis facta est, & eius humiliatio apud homines in gloriam commutata. Vnde subdit. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Secunda Stella septimæ Coronæ.

SEcunda stella Septimæ Coronæ B. Virginis, siue secunda porta dicitur porta gregis, & hæc signat benignitatem, per quã discordes reconciliantur, & ardor vindictæ refrigeratur. Quam benignitatem in se beata Virgo in summo gradu habuit: quia inter Deum, & hominem pacem, & concordiam fecit. & sic ab ira Dei, & ab omni turbatione, & tentatione nos protegit. Igitur, quotiescumque tentaris super vires tuas, clamãdum est ad eam Esto mihi Domina *turris fortitudinis à facie inimici*. Sicut enim *Psal. 60.* puerulus timens canem, fugit, & clamat ad matrem; sic quicumque vehementer tentatur, & timet morsum diaboli, vel cuiuscumque tentationis, per orationem, debet recurrere ad Matrem pietatis, & dicere illis, sicut dicit Domino Rex Iosaphat. 2. Parali. 20. *In nobis quidem non est tanta fortitudo vt possimus huic multitudini resistere, quæ irruit super nos*: Sed cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te. MARIA protegit nos, vt ardor sub vmbra ramorum, & foliorum suorum, id est, per exẽpla suorum bonorum operum, & meritorũ sub pallio humilitatis, & virginitatis suæ. Humilitas enim, & virginitas alæ eius sunt, & latæ sunt alæ istæ per vtriusque virtutis plenitudinem, de quibus alis dicimus ei: *In vmbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas*. In vmbra virginitatis contra incendium luxuriæ. In vmbra humilitatis contra ventum inanis gloriæ, vel tempestatem superbiæ. In vmbra mansuetudinis contra grandinem iracundiæ, &c. In vmbra orationis contra pluuiam diabolicarum tentationum. Sub scuto patientiæ suæ per exẽplum. Scuto circundabit te veritas eius, *& ideo non timebis à timore nocturno*. Angelos nobis in auxilium mittendo, sicut fecit Basilio. Vnde: *Angelis mandauit de te*. Angeli enim ministri, & tatellites sui sunt de præcepto Creatoris. Contra inimicos nostros pro nobis pugnando. Vnde conuenit ei illud Eccl. 29. *Super scutum, & superlãceam aduersus inimicum tuum pugnabit pro te*. Æstum prosperitatis frigore aduersitatis temperando, amaritudinem tribulationis dulcedine consolationis leniendo, quæ velut sapiens mulier ponit in olla cordis nostri per impatientiam bullientis aquã consolationis. Protegit etiam nos respectu misericordiæ suæ quoad nos, sed iustitiæ quoad dæmones, vitia, & peccata. Vnde ipsi verissimè conuenit, quod dicitur de filio, Prouer. 20. *Rex qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo*. Similiter Regina, id est, MARIA sedens cum filio in solio Paradisi, oculo misericordiæ respiciẽs peccatorem, intuitu suo dissipat omne malum, id est, triplex malum; malum scilicet culpæ, cuius impetrat veniam; malum pœnæ, quam non sinit statim infligi; malum diaboli, ne tentando, tantùm nocere prævaleat, quantùm desiderat. Protegit etiam ab accusationibus dæmonum, qui accusant iustos in conspectu Dei, die, ac nocte, id est, assiduè. Sed si MARIA pro nobis, quis contra nos? & si ipsa est, quæ *iustificat, quis est qui condemnet*? Roman. 8. De hoc multa habentur superiùs in tertia, & sexta Corona. Protegit etiam ab accusationibus detractorum, & à conuentu malignantium, sicut patet in Abbatissa prægnante, quam virgo Virginũ reuirginauit, de quo habes superiùs in quarta stella tertiæ Coronæ. Protegit etiam à cor-

2. Pa. 20.

Psal. 15.

Psal. 90.

Eccl. 29.

Prou. 20

Roma. 8

corporalibus incendijs, sicut patet de quodam puero Iudæo, quem pater suus proiecit in clibanum ardentem, quia adorauerat imaginem Beatæ Virginis cum pueris Christianis, & Beata Virgo apparuit ei in medio fornacis in specie imaginis, quam puer adorauerat, & protexit eum sub pallio suo ab incendio, & fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem. Quo miraculo viso, multi Iudæi conuersi sunt ad fidem, & pater pueri in ipsam fornacem proiectus est, & statim combustus est. Protegit etiam nos MARIA à corporalibus inimicis, prout sæpè legitur in miraculis eius, & à seductoribus animarũ, & ei conuenit illud Sapiẽ. 10.
Sap. 10. quod dicitur de sapientia, & rectè potest intelligi de MARIA, *Custodiuit illum*, id est, seruum, & amatorem *suum ab inimicis* exterioribus, & manifestis, id est, detractoribus, qui famam Hæreticis, qui fidem tyrãnis, qui vitam conantur auferre, *& à seductoribus* tutauit illum, id est, ab occultè insidiantibus, scilicet, mundo, carne, dæmonibus, quorum primus pietatem per zuaritiam; secundus castitatem per luxuriam; tertius humilitatem per superbiam conatur auferre: Ecce sex atrocissimi inimici, & septimus, id est, propria voluntas. Hi sunt septẽ gentes, quæ impugnant Israel, sed per MARIAM, vt dictum est, vincuntur.

Tertia Stella Septimæ Coronæ.

TErtia stella septimæ Coronæ B. Virginis, siue tertia porta dicitur porta piscium, & signat simplicitatem; quia piscis est animal simplex. Vnde faciliter capitur, & Beata Virgo, quàm citò intellexit diuinam voluntatem de conceptu virgineo, captiuauit intellectum, & voluntatem suam,
Luc. 1. dicens: *Fiat mihi secundùm verbum tuum.* Piscis in aquis cibum quærit, sic nos in Beata Virgine, quæ est fons patens, & signatus, cibum, & refectionem animarum nostrarũ quærere debemus. Hic enim fons Zachar.
Zach. 13. 13. dicitur *patens*. Can. 4. dicitur *signatus*.
Canti. 4. Patens amicis, signatus inimicis. Patens mundis, signatus immundis. Patens pœnitentibus, signatus impœnitentibus. MARIA ergo, quasi fons, quantùm descendit, tantùm ascendere potest, & quia fons iste inferiùs omni creatura descendit per humilitatem in conceptu Dei, ideò in sua assumptione super omnem ascendit creaturam. Primò terram irrigat, aqua oritur, & tamẽ transit ad aliam irrigandam: de Beata Anna canit Ecclesia cœleste beneficium in MARIA, &c. Rigauit etiã post ea Elisabeth cognatã, & Ioannẽ cognatulũ, nõ solũ gratia, & agnitione, sed etiam spiritum prophetiæ, ac deinde, *De plenitudine eius omnes accepimus, gratiã pro gratia*. Scaturiẽs ab imo surgũ lapillulos eleuat, sed nõ lapides grãdes. *Ioan.* 1.
Lapilluli humiles peccatores, quos eleuat de profundo peccatorum ad statum gratiæ, sed non sic obstinatos, & grandes in oculis suis. Ideò de ea potest dici, quòd *esurientes* gratiam conuersionis *replet bonis, & diuites*, qui non credunt se aliquo indigere, *dimittit inanes*. *Luc.* 2.
In se modicus longo fluento innotescit. Modicitas, humilitas, longũ fluentum, magna copia beneficiorum, quibus omnis participat creatura. Caput est fluminis, id est, Christi, quoad humanitatem, qui egrediebatur de loco voluptatis, id est, vtero virginali, quando nascebatur in mundo factus caro. Aquam priùs latentem in terra manifestat; nam per ipsam apparuit nobis benignitas, & humanitas Saluatoris, qui in terra viuentium priùs erat *Deus absconditus*. Esai. 45. Se ipsum in aquis, quasi euacuat, vt impleat riuum suum, sibi nihil attribuens, totum Deo. Vnde dicit: *Magnificat anima mea Dominum*, non meipsam. Item, *fecit mihi magna qui potens est*. Semper scaturit aquas, suscipit de plenitudine *Luc.* 2.
Dei Patris, qui & ipse dicitur *fons aquæ viuæ*. Hierem. 2. Temperatam habet aquam *Hier.* 2.
in quolibet tempore: nam feruorem refrigerat vitiorum, & hæsitantium torporem accendit, spem veniæ tribuens desperatis. Viuidum habet hortum, quod non piscina; nam gratia eius, qui tepidos fugit, & præsto est feruentibus, nescit tarda rerum molimina: facilem præbet haustum, quod non puteus, prona ad miserendum, & abhorrens immisericordes. Continuum habet fluxum, quod non aquæ Siloe, vnde dicit: *Vsque ad futurum seculum non desinam*, miseris, scilicet misereri. Ideo dicitur ei Esai. 58. *Eris* *Eccl.* 24.
quasi fons, cuius non deficient aquæ, id est, misericordiæ, communis, & expositus, sic & gratia eius. Vnde clamat Esai. 55. *Omnes* *Esa.* 58.
sitientes venite ad aquas. Per quosdã aquæductus deducitur ad officinas; nam si haberemus aquæductum, id est, veram cordis humilitatem, præstò esset omnibus necessitatibus nostris. Ad loca humilia transmittit riuulum suum: nam conciliat, & largitur humilibus natum suum. Vnde inter mediũ montium, vbi est concauitas vallium, pertransibunt aquæ, id est, beneficia MARIÆ montes deserit, id est superbos, quia tumor infusa repellit. Sitim releuat, id est, desiderium antiquorum: nam per eã venit in mundum *desideratus cunctis gentibus* Agæ. 2. Sitim etiam concupiscientiarum, releuat
Ag. 2. exemplis virtutum suarum. Loca vicina viridia reddit virtutibus, florida sanctis desiderijs, & fœcunda operibus bonis. Eccl. 40
Eccl. 40 *Su-*

Super omnem aquam viriditas, non congelatur, sicut cæteræ aquæ, sed iugiter fluunt miserationes eius, quia non flat ibi Aquilo ligãs, cui dictum fuit à principio à Deo Trinitate. *Surge aquilo*, id est, ò tentator, recede. Ignem multiplicem extinguit tentationum luxuriæ, auaritiæ, iracundiæ, exemplis virtutum suarum ignem peccatorum, & incendium gehennæ. Ad riuos fontium abluuntur pedes, manus, facies, oculi, & vestes, &c. Et per exempla MARIÆ affectus nostri, & opera, interna facies, & ipsius mentis intentio, & ornamenta virtutum, quæ quãdoque squallorem contrahunt ex vicinitate vitiorum. Sic igitur fons hic lauat, & recreat, & pascit pisces, id est, peccatores, iustos rigat ad fructificandum, & perfectos potat in desiderijs suis.

Can.4.

Quarta Stella Septimæ Coronæ.

QVarta stella septimæ Coronæ Beatæ Virginis, siue quarta porta dicitur porta vetus, & significat detestabilitatem vitiorum per renouationem vitæ. Et quia Beata Virgo nihil de vetustate habuit, facilè seipsam renouare valuit, dans nobis exemplum, vt qui tanquam vestimentum veterascimus cum aquila, deponendo rostrum, & plumas veteres renouari, & iterum iuuenescere studeamus. Ad hoc etiam Christus dedit nobis exemplum, qui in sepulchro, quasi plumas, & veteres pennas, mortalitatem, & passibilitatem deposuit, & velut rostrum recuruum quærelas humanæ miseriæ, & in resurrectione factus immortalis, & impassibilis, velut pennas nouas, & rostrum accipiens, totus est renouatus. Vnde dicit ei Psal. 102. *Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua*, sic & nos exemplo Christi debemus omnem corruptionem, & vetustatem peccati in præsenti deponere, vt in futura vita, in ætate iuuenili cum Christo valeamus resurgere. MARIA etiam dicitur Aquila, quoniam aquila Regina volucrum, & MARIA Regina Angelorum, contẽplatiuorum, & Virginum, qui in nido suo, id est, in corde posuit Ametistum, quem aquila in nido solet ponere: videlicet fidem, quæ concepit filiũ Dei. Luc. 1. *Beata, quæ credidisti, &c.* Et per excellentiam sui conceptus induta est veste purpurea, id est, dignitate Regali. Vnde de ea dicitur Prouer. vlt. *Bissus, & purpura indumentum eius*. Habuit etiam colorem violæ, cui per humilitatem assimilata est, & quasi per compassionem liuida facta est in filij passione. Expulit etiam à se serpentes, & venenata spiritualium vitiorum, quæ nunquam ad mentem eius ingredi potuerunt. Fuit enim mulier timens Deum, Prouer. in fin. & Eccl. 1. dicitur, *Timor Domini expellit peccatum*, id est, intrare non permittit: expedit etiam à famulantibus sibi serpentes, & venenata, iuxta illud Marci 16. in fin. *In nomine meo dæmonia eijciẽt.* MARIA, scilicet, & cæteri Sancti per virtutem perpetuæ virginitatis suæ cauit ab ebrietate omnium carnalium voluptatum, quæ ad veterem hominem pertinent, & amicis suis potens est præcauere. Hæc aquila in arduis posuit nidum suum, id est, in excelsis virtutibus conuersationem suam, & cor suũ in præruptis silicibus, id est, in Angelis, de quibus prærupti fuerunt superbientes Angeli, quia *conuersatio eius* semper *fuit in cœlis*. Phil. 3. Et inde contemplabatur escam suam, id est, refectionem mentis suæ, scilicet, ipsum Deum, vt eo frueretur. Et ideò de hac aquila dicitur, quòd oculi eius de longè prospiciunt, & ad præceptum Domini eleuata est hæc aquila in sua assumptione, quando scilicet ascendit super Cherubim, id est, super choros Angelorum, & volauit super pennas ventorum, id est, super rationem, & omnem intellectum humanum. In excelsis etiam mentibus, & eleuatis à terra per mundi contemptum, diligit per gratiam habitare. Aquila cæteras aues præcellit in volatu, & solis aspectu, & ipsa Sanctos cæteros in volatu contemplationis, & aspectu solis iustitiæ, id est, filij sui, qui *lucem inhabitat inaccessibilem*. 1. Thimot. 6. Quæ videlicet lux in ipsa fuit abscondita, & quam ipsa nobis accessibilem fecit, vicinius, atque limpidiùs contemplatur. Ditissimum virtutibus, & donis optimis facit nidum suum, id est, cor, id est, quem inhabitat per gratiam, vt verè dicere possit, qui ipsam spiritualiter hospitatur illud Sap. 7. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, &c.* Procurat optimè filios spirituales, quos adoptat per gratiam cibo deuotionis, vino consolationis, & compunctionis, pane lacrymarum, & huiusmodi, & hoc pastu dignos reddit carne, & sanguine vnigeniti sui. Respiciens misericorditer ad cadauerosos peccatores, ipsam humiliter inuocantes, aduolat duabus alis, pietate, & compassione, vt patet in Theophilo, quem quasi rostro orationis, quam pro eo fudit ad filium, & quasi vnguibus iustitiæ à Diaboli faucibus potent[illegible] eripuit, chirographum suum ei restituens, annulo proprio consignatum, propter hoc dicitur de MARIA: *Confidit in ea*, & de eius fide, & fortitudine, *cor viri sui*, Christi, scilicet, & *spolijs non indigebit*. Ipsa enim ditat quasi illis sponsum suum, quibus spoliat, vt dictum est, diabolum aduersarium.

Psal. 102

Luc. 1.

Pro. vlt.

Eccl. 1.

Mar. 16.

Phil. 3.

1. Thi. 6.

Sap. 7.

Pro. vlt.

(.?.)

Quin-

Quinta Stella Septimæ Coronæ.

QVinta Stella septimæ Coronæ Beatæ Virginis, siue quinta porta dicitur porta vallis, & significat puritatem quoad verecundiam de peccatis, quæ humili satisfactione tollitur. Et quia Beata Virgo nihil de peccato habuit, sicut beatus Augustinus dicit, cùm de peccato agitur, &c. Nos verò multũ de peccatis habemus, vtpote in peccato cõcepti, nati, & enutriti, & pro his per nos metipsos satisfacere nõ possumus, debemus ad ipsam, tanquã ad portã veniæ recurrere. Ipsa enim omnes inuitat, & dicit: *Trãsite ad me omnes qui concupiscitis me, &c.* *Eccl. 24.* Quasi dicat, Quid discurritis per carnales voluptates, & mundanas vanitates, quæ vos nequeunt satiare? In me omnis gratia, quam vobis subministrabo, si transieritis ad me, & hoc est, quod sequitur: *A generationibus meis implemini.* Mira facuitas peccatoris, qui si diligeret aliquam rinaldam, quæ esset vltra flumen, & ipsa clamaret, Transi ad me, & ero tota tua: statim miser se exponeret morti, & submersioni: matri verò Dominicæ se facit surdum, sed caueant sibi tales, ne quandoque audiant ab ea illud Prou. 1. *Vocaui, & renuistis:* extẽdi manum meã, *Prou. 1.* vt vobis darem filium meum, qui est omne bonum; secundùm illud consilium Ioan. 2. *Omnia quæcũque dixerit vobis filius meus facite.* Illud enim omne est, & summum cõsilium facere, scilicet, quod præcepit Deus, sed quia hoc consilium contemnitur à multis, subdit ipsa: *Ego quando qui in interitu vestro ridebo, &c. Trãsite ad me omnes,* non quidam, non pauci, exemplo filij dicentis, *Ibid.* *Mat. 11.* Matth. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis, &c.* Et qui dicit Esai. 55. *Omnes sitientes venite ad aquas.* *Esai. 55.* Vocat ad se gloriosa Virgo. *Omnes enim vult saluos fieri,* & neminem vult perire. 1. Timot. 2. In hoc etiã *1. Thi. 2.* nobis suam indicat largitatem, suas diuitias, suam liberalitatem, & desiderii, quod habet de salute creaturarum filij. Item cũ dicit: *Transite ad me omnes,* videtur propriè loqui peccatoribus mundum diligentibus, non eam, nec seruientibus ei, ad me, vt vobis impetrem vinum compunctionis, quia *ego* quasi *vitis fructificaui* pastum deuotionis, quia *flores mei fructus honoris, & honestatis:* virtutem dilectionis, quia *ego mater pulchræ dilectionis,* gratiam timoris Dei, quia Mater sum *sanctæ spei:* omnem gratiam incipientem, proficientem, & consummantem: *quia in me omnis gratia:* dona Spiritus sancti, quia *spiritus meus super mel dulcis:* gloriã Paradisi, quia *hæreditas mea super mel & fauum.* Item *transite ad me:* seruo enim coniugatos in matrimonio, viduas in statu suo, virgines in puritate, omnibus his impetro gratiam, & promitto gloriam: Sunt enim in terra pro vua coniugati, malo granata continentes, ficus dulcis virgines. *Transite ad me.* Nota ad me. Libẽter enim debet venire pauper ad diuitem, vt locupletetur. Pollutus ad fontem, vt mũdificetur. Debilis ad fortem, vt corroboretur. Mortuus ad vitam, vt viuificetur. Cæcus ad collirium, vt illuminetur. Egrotus ad medicinam, vt sanitati reddatur. Famelicus ad refectionem, vt benè procuretur. Nudus ad munificam, vt ab ea vestiatur. Miser ad misericordem, vt misericordiam consequatur. Deformatus ad replasmatricem, vt reformetur. Captiuus ad redemptricem, vt à carcere redimatur. Exhæredatus ad patronam, vt hæreditati restituatur. Seruus ad dominam, vt libertati donetur. Miles ad Reginam, vt si vicerit, coronetur. Tenebrosus ad lucem, vt lucis filius appelletur. Hæc enim omnia, & in infinitum plura subministrat Virgo gloriosa transeuntibus ad se, & ideo prius, quàm illos inuitet ad se, promittit in epistola hodierna: *In me omnis gratia viæ, & veritatis,* videlicet, tribus modis, intellectus contemplando, affectu inhærendo, actu, vel opere imitando. Sequitur, *Qui concupiscitis me,* qui scilicet vultis mihi seruire, & me honorare, vel qui plenè vultis satiari, vel qui meum desideratis patrocinium in præsenti, & aspectũ in futuro. Et possunt assignari tria, quæ deberent nos mouere ad transeundum. Primũ est labor mundi huius, ad quem euadendũ festinandum esset ad ipsam, in qua est requies, secundum onus corporis, & peccatorum, quod citò esset deponendum. De primo onere Sap. 9. *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam.* *Sap. 9* De secundo Psalm. 37. *Iniquitates meæ, sicut onus grauatæ sunt super me.* *Psal. 37.* Tertium, amor matris, & filij, qui deberet nos allicere ad transeundum, sicut libenter transitur ad rem valdè dilectam. Sequitur: *Et à generationibus meis implemini.* Quid autem sunt generationes eius, ostendit ipsa, vbi paulò superiùs dixit: *Ego Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei.* Vel istæ generationes possunt dici odores eius, qui attrahunt affectum, & flores, qui delectant intellectum, & fructus, qui reficiunt animum, vt iam dictum est.

Sexta Stella Septimæ Coronæ.

SExta Stella Septimæ Coronæ B. Virginis, siue sexta porta dicitur porta sterquilinij, & significat firmitatem boni propositi ad euacuandas fœces peccatorum; sed quia Beata Virgo purissima est, & nos pleni fœcibus peccatorum, debemus ad ipsam recurrere, vt per merita, & intercessiones

ipsius

ipsius, à nostris immundicijs possimus mundari. Vnde in Letania Sanctorum tribus modis interpellamus MARIAM, vt oret pro nobis, qui sunt. Sancta MARIA ora pro nobis, Sancta Dei Genitrix ora pro nobis, Sancta Virgo Virginum ora pro nobis; & contra tria vitia, quæ principaliter nos infestant, id est, superbiam, auaritiam, luxuriam. MARIA interpretatur Stella maris, quæ videlicet Stella modica est, & lucida, & MARIA modica est per humilitatem, lucida per exemplum; ecce medicina contra superbiam, quæ de se magna æstimat, & interiùs obscurat, & excæcat. Roganda est assiduè MARIA, vt nomen suum interpretetur in nobis, quæ est illuminatrix. Genitrix solet esse filijs pia, & misericors. Ecce medicinam contra auaritiam, quæ spoliat, aut fraudulenter, aut manifestè, quæ ipsam Dei imaginem, id est, Filium pro pecunia crucifixit. In hoc nomine Virgo Virginum duplex notatur munditia, carnis scilicet, & spiritus, contra affectū, & actum luxuriæ, & ita in his tribus appellationibus insinuatur, quòd quantumcumque quolibet morbo peccati maculatus fuerit, quis in Beata Virgine potest lauacrum inuenire, & feces peccatorum abluere. Dicat ergo Beatæ Virgini superbus, sicut verè es Stella maris, modica, & lucida; tolle à me inflationem, & superbiæ nubem. Inexorabiliter enim odit superbiam, quæ inæstimabiliter humilitatem dilexit, similiter auaritiam cùm sit mater pietatis, & luxuriam cùm prima emiserit virginitatis votum. Dicat ei auarus, sicut verè es mater pietatis, tolle à me duritiem auaritiæ, & da teneritatem misericordiæ. Dicat ei luxuriosus, sicut verè es Virgo Virginum, extingue in me concupiscentias carnis, & fac mundū & pudicū, & hoc est, quod oramus cū dicitur: nos culpis solutos, mites fac & castos, & vitam præsta puram, &c. Item MARIA designata est per templum Salomonis, de qua dicit Dominus, 2. Paralip. 7. *Oculi mei erunt aperti, & aures meæ erunt erectæ ad orationem eius, qui in loco isto orauerit. Elegi enim, & sanctificaui locum istum.* Vnde Anselmus. Sicut o Beatissima, omnis à te auersus, & à te despectus necesse est, vt intereat, ita ad te omnis conuersus, & à te respectus impossibile est, vt pereat. De MARIA enim potest intelligi illud Psalmi 103. *Auertente te faciem tuam*, id est, respectum, misericordiæ *turbabuntur*, &c. Item ipsa est Sol, à cuius respectu soluitur glacies, id est, gelicidium cordis peccatoris. Item auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Iob. 13. *Cur faciem tuam abscondis.* Esa. 64. *Abscondidisti faciem tuam à nobis, & allisisti nos in manu iniquitatis nostræ.* Item, quia MARIA facilè impetrat quicquid petit à filio. Ideo infigura eius dictum est, Iudith. 8. *Ora pro nobis, quia mulier sancta es, & times Deum.* Similiter in figura eius dictum est. Esther. 15. *Inuoca Dominum, & loquere pro nobis Regi, & libera nos de morte.* Ipsa enim detinet iram Dei, ne statim vindicet in nos. Vnde dicitur. Canticor. 3. *Tenui eum, nec dimittam, &c.* Gratiositas autem eius ad impetrandum figurata est. Esther. 7. Vbi dixit Assuerus Esther. *Quæ est petitio tua Esther, vt detur tibi, & quid vis fieri? Etiam si dimidiam regni mei partem petieris impetrabis.* Conquerebatur enim Dominus antequam MARIA nasceretur, dicens, Esai. 64. *Non est qui consurgat, & teneat me*, sed ipsa facta est aduocata nostra, & allegat pro nobis fideliter coram filio suo, ventrem, & vbera ei repræsentans, sicut decit sanctus Bernardus. Securum habes accessum ad Deum, ò homo, &c. Et ipse veluti pijssimus infans *delectatur ab vbere* matris ei repręsentato, Esai. 11. Pete igitur à MARIA gratiam, seu vinum compunctionis, quod signatum est *in nuptijs*, Ioan. 2. gratiam reconciliationis, sicut *mulier Thecuites* Absalon fratricidæ. 2. Reg. 14. gratiam ablutionis peccatorum signatam in libro Regum per Abigail. Deletionem Chirographi diaboli signatam per Esther, quæ *literas Aman* fecit irritari. Esther. 16. in fine. Sic igitur patet, quòd iure MARIA dicta est porta Aquilinij, non quo ad se, sed quo ad nos, quia per eam sordes vitiorum deponimus.

Iudit 8. *Esth.* 15. *Cant.* 3. *Esther*, 7. *Esai.* 64. *Esai.* 11. *Ioan* 2. 2. *Re.* 14. *Esth.* 16.

Septima Stella septimæ Coronæ.

SEptima Stella septimæ Coronæ Beatæ Virginis, siue septima porta dicitur porta fontis, quia Beata Virgo est fons ille purissimus, in quo feces peccatorū nostrorū lauantur, vt superiùs dictum est, & ergo ad eam peccator recurrat tanquam ad fontem misericordiæ, immo tanquam ad pincernam veniæ, quia ipsa est dispensatrix, & pincerna gratiarum, immo vitis, & cella vinaria, Vnde dicit, Canticor. 2. *Introduxit me Rex in cellaria sua*. Propinat igitur hæc pincerna mustum forte, & calidum, spiritualem gratiam primò gustantibus, quo calefacti, & à se alienati in amorem matris, & filij dulciter inardescunt. Potando siquidem pauper cornua sumit, quæ sunt Christi dilectio, & MARIÆ, vel dilectio Dei, & proximi. Isidorus dicit, quòd mustum vinum est statim è lacu sublatum, sed vinum dicitur

Cant. 2.

eo, quòd potus eius venas sanguine citò repleat. Veteres enim vinum venenum appellauerunt, sed postquam inuentum est vinus læthiferi succi, hoc vinum vocatum est illud venenum. Vnde Hieronymus in libro de virginitate. Virgo Christi vinum fugiat, vt venenum, ne pro ætatis colore feruenti vinum bibat, & pereat. Vinum compunctionis pœnitendo lugentibus, qui dicere ei
Psal. 59. possunt: *Potasti nos*, o MARIA *Vino compunctionis*. Vinum lætitiæ spiritualis de
Ps. 103. impetranda venia per eius adiutorium spem concipientibus, de quo dicitur: *Vinum lætificet cor hominis*. Vinum mixtum deuotionis ipsam ex corde inuocantibus, hoc non debet bibi sine aqua lacrymarum, ne reddat B hominem præsumptuosum: & de hoc dicit
Ioan. 2. ipsa filio: *Vinum non habent*, & hoc bibitur in nuptijs Christi, & animæ pœnitentis ad ipsum redeuntis; & talibus dicit ipsa, Pro-
Prou. 9. uerbior. 9. *Bibite vinum, quod miscui vobis*. Vinum defecatum aduersus vitia reluctantibus. Siquidem mustum semper in motu est, donec purum ab impuro separetur, & donec impurum in fracta, quod subsint feces. Sic debet ratio superponere se sensualitati, & carni, & quibuslibet vitijs, & peccatis. Ideo dixit Dominus ad Caim.
Gen. 4. Genes. 4. *Sub te erit appetitus eius*, id est, sensualitatis, vel peccati, & *Et tu dominaueris illius*. Vinum doctrinæ spiritualis C sapientiam filij, quæ vera est libenter ad discentibus: *Hoc est vinum germinans virgines*, hoc est reuirginans corruptas priùs
Zach. 9. mentes. Zachar. 9. hoc vinum propinat ipsa reuelans, quibus vult occulta mysteria scripturarum. Vinum duræ increpationis, quibusdam horribiliter delinquentibus, hoc vinum propinauit ipsa theophilo, quem de impietate sua austerè coarguit. Sed addit oleum consolationis, ne de filij misericordia desperaret, & sic vulneribus eius spiritualibus *infudit oleum*, & *vi-*
Luc. 10. *num*. Lucæ 10. Vinum amineum, id est, album ab A, quod est sine, & minio castitati studentibus, & hoc est: *Vinum germinans* D *virgines*. Zachar. 9. id est, virgineas cogita-
Zach. 9. tiones, & affectiones. Germen principium est rei crescentis, & humilitas semper dicit nunc cæpi. Ideo in germine notatur humilitas, vinum roseum, quod scilicet, rubet, vt rosa charitate feruentibus, & hoc est vinum, vel sanguis illi, in quo Iudas *lauit stolam suam*, & *pal-*
Gen. 48. *lium*. Genes. 48. Vinum humanæ redemptionis sitim iustitiæ patientibus ad hoc vinum inuitat ipsa cum filio, Esai. 55. di-
Esai. 55. cens: *Omnes sitientes, &c. venite emite absque argento vinum, & lac*, vt possit dicere
Cant. 5. redemptus illud Cant. 5. *Bibi vinũ meũ cum lacte meo*. Vinum meracissimum Sa- A cramentum filij sui dignè recipientibus, de quo Deut. 32. *Et sanguinem vuæ biberent meracissimum*. Hoc vinum propriè dicitur *Deu. 32.* vinum passum, quia de vua passa exprimitur, id est, de corpore Iesu Christi floratum nouitijs sibi, & filio seruire incipientibus. Raspatum humilitatis feces peccatorum conculcantibus, vel feces suas, id est, peccata præ oculis cordis habentibus, qui dicunt cum Psalm. 50. *Peccatum meum contra me* *Psal. 50.* *est semper*. Ferratum ad honorem suum, & filij sui vitam suam arctantibus. Gariophilatum aromatizans saporose, & dulciter se, & filium laudantibus. Claretum sapidissimum filij passionem, & suam compassionem deuotè recolentibus, & tam filio, quàm matri ex toto affectu compatientibus. Vinum huius clareti est sanguis Christi, qui est vba, de quo dicitur: *Sanguinem vuæ biberet* *Deu. 32.* *meracissimum*. Ecce qualem fontem, & quale vinum propinat nobis Virgo MARIA.

Octaua Stella septimæ Coronæ.

OCtaua Stella septimæ Coronæ Beatæ Virginis, siue octaua porta dicitur porta equorum, & significat velocitatem, scilicet obedientiæ, quam Beata Virgo omnibus exercitijs præposuit. Vnde cùm in se votum virginitatis haberet, tamen por obedientiam se resignauit, vt mater Dei fieret. Hac igitur obedientiam etiam ei exhibere debemus. Vnde ipsa promittit. Eccles. 24. *Qui* *Eccl. 24* *audit me, non confundetur*. Glossa, *audit*, id est, obedit: *Qui audit me*, id est, qui studet meæ informationi per auditum verborum meorum, & eorum inuestigationem, *non confundetur* per auditum verbi asperi, Matth. 25. *Ite maledicti, &c.* Et nota, quòd *Matt. 25.* principaliter in duobus locis inuenimus, quòd MARIA obedientiam consilijs suis petit exhiberi, scilicet, Eccles. 24. *Transite* *Eccl. 24.* *ad me omnes, &c.* & Ioan. 2. Vbi dicit mi- *Ioan. 2.* nistris: *Omnia quæcumque dixerit vobis facite*, & subiungit paulo priùs, qua vtilitate dicens: *Qui audit me, non confundetur*. Et nota, quod in hac authoritate, *Qui audit me &c.* Promittit ipsa tribus generibus hominum retributionem. Deuotè audientibus verba sua. Vnde, *Qui audit me, non confundetur*, & imitantibus eius glorioſa exempla. Vnde, *& qui operantur in me*, id est, propter me, vel in me, id est, ad exemplum mei, *non peccabunt, vel qui operantur in me* tanquam super fundamentum, opera mea accipientes in exemplum. Item prædicantibus eius præcelsa præmia. Vnde, *Qui eluciдant me, &c.* Primis promittitur premium liberans à pœna. Vnde non *confundetur*. Secundis, premium iustificans à culpa. *Vnde non peccabunt*. Tertijs pre-

mium

mium æternitatis in gloria. Vnde *vitam æternam habebunt*. Propter hoc etiam dicitur. Prouerb. 8. *Beatus homo, qui audit me.* Nota, quòd multa sunt consilia MARIÆ quibus consulit nobis animarum salutem. Vnde dicitur, Prou. 8. *Meum est consilium, & æquitas, &c.* Ipsa est enim Rebecca, quæ dixit filio suo Iacob. Genes. 27. *Fili mi acquiesce cõsilijs meis, &c.* Et nota, quòd Rebecca Iacob, qui interpretatur luctator, vel supplantator, appellauit filium suum, non Esau, quia soli luctatores, & supplantatores vitiorum Filij MARIÆ sunt digni hæreditate ipsius, & soli tales possunt vocare MARIAM matrem suam. Consilia MARIÆ. Primum, vt faciamus pœnitentiam, quæ notatur in præparatione hædorum, quos sibi præcepit afferri à filio suo, qui sic acquisiuit benedictionem Isaac patris sui, obediendo scilicet consilijs matris suæ: Secũdum, vt fugiamus diabolum volentem occidere nos, qui significatur per Esau, sicut Esau ille volebat occidere Iacob. Tertium, vt citò reuertamur ad Dominum, si recesserimus ab eo per peccatum. Vnde Neemiæ 2 *Rex & Regina dixerunt Neemiæ. Quando reuerteris, & vsque ad quod tempus erit iter tuum.* Tãquam si dicerent ei, festina reuerti. Quartum vt obediamus Sacerdoti, & diuino nũcio, sicut ipsa Gabrieli dicens: *Ecce ancilla Domini.* Quintum, vt fugiamus strepitum mundi, & diligamus vitam solitariam, sicut ipsa in cella orabat, quando Angelus ingressus est ad eam, sicut dicebat Beatus Bernardus. Sextum, vt quãdo laudamur, terreamur magis quàm exultemus, & cogitemus vtrũ dignè, vel indignè, sicut ipsa cogitabat qualis esset illa salutatio. Septimum, vt constanter persistamus, quilibet in statu suæ professionis, sicut ipsa priùs votum virginitatis cõstanter respondit. *Quomodo fiet istud? quoniam virum non cognosco.* Octauum, vt quilibet suam voluntatem diuinæ voluntati conformet, sicut ipsi fecit, respondens. *Ecce ancilla Domini.* Cuius est velle quod Dominus eius vult. Nonũ, vt quilibet spiritus spretis terrenis appetat cœlestia. Vnde concepto Domino *Ascendit in montana cum festinatione.* Decimum, vt nobiliores, & maiores etiam minoribus se seruiant, & ministrent, sicut ipsa ministrauit Elisabeth. Vndecimum, vt mulieres pulchræ, & nobiles non contemnãt viros suos, sicut Vasti Assuerũ, sicut ipsa fabro nò contempsit desponsari, quãuis esset, de progenie Regali. Debemus igitur obedire consilijs suis, & accedere ad vocantem nos ad Hebræos 12. *Videte, ne recusetis loquentem.* Et hoc duplici de causa. Propter reuerentiam eius, quia Regina est, & propter periculum nostrum, qui inter dæmones, & malos homines habitamus, & viuimus in peccatis: nolentibus enim ei obedire dictura est aliquando illud Prouerbior. 1. *Despexistis omne consilium meum, &c. Ego quoque in interitu vestru ridebo,* id est, non condolebo.

Prou. 8. *Gene.* 27. *Neem.* 2. *Lucæ.* 1. *Hebr.* 12. *Prou.* 1.

Nona Stella septimæ Coronæ.

NOna Stella septimæ Coronæ Beatæ Virginis, siue nona porta dicitur porta aquarum, & significat lacrymositatem, quam Beata Virgo habuit, non pro suis, sed pro alienis miserijs. Et ergo quia lacrymæ nostræ non sufficiunt nobis pro venia impetranda, debemus recurrere ad Beatam Virginem, quæ est aduocata nostra ad filium, sicut filius ad patrem, immo apud patrem, & filium procurat negotia nostra, & petitiones nostras. Vnde dicimus ei. Eia ergo aduocata nostra, &c. Tam prudens, & diserета est hæc aduocata nostra, quòd non potest filius vindicare in eos, pro quibus illa allegat, quòd signanter in facto *Abigail* 1. Reg. 25. Quæ auertit iram Dauid à *Nabal*, quia noluit emendari. Designatur etiam per illam mulierem sapientem, quæ ciuitatem *Abelam* liberauit sapientia sua. 2. Reg. 16. Notandum igitur quòd multiplicem habemus aduocatum, in Curia Dei. Aduocatus primus est Spiritus sanctus, *qui postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Roman. 8. id est, facit nos postulare, qui est amor patris, & filij, & placat nobis iram patris. Secũdus est Filius Dei semper viuens *Ad interpellandum pro nobis.* Hebræor. 7. Qui tanquam bonus pugil ostendit patri stigmata passionis. Impetrat etiam nobis filius à patre gratiam Spiritus sancti. Vnde dicit Ioan. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium paraclitum,* id est, consolatorem *dabit vobis*: & de hoc aduocato dicitur in prima Canonica, Ioannis 1. *Siquis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum.* Item ad Romanos 8. *Iesus Christus, qui mortuus est, & qui resurrexit, & est ad dexteram Patris, etiam interpellat pro nobis.* Est ergo filius aduocatus noster apud Patrem, & impetrat nobis remissionem peccatorum, & gratiam Spiritus sancti, vt dictum est: & Spiritus sanctus impetrat nobis gratiam gemitus, & pœnitentiæ. Tertius aduocatus Beata Virgo, præcipuè coram filio suo, & nobis generaliter impetrat omne bonum. Siquidem deerat nobis aduocatus apud filium, antequam MARIA nasceretur. Dixit autem pater, Genes. 2. *Non est bonum hominem esse solum,* id est, non sufficit vnicus aduocatus, vel mediator, aut intercessor huma-

Ioan. 14. 1. *Ioa.* 1. *Roma.* 8. *Genes.* 2.

no generi in cœlo, cùm tot, & tam periculoſas habeat cauſas coram me, *faciamus ei adiutorium*, id eſt, Beatam Virginem, quæ alleget pro genere humano coram filio, ſicut filius coram me. Propter hoc dicitur de ipſa in Pſalmo 88. *Teſtis fidelis in cœlo.* De his duobus aduocatis, ſcilicet, Matre, & Filio dicit Bernardus. Securum acceſſum habet homo ad Deum, vbi mediatorem cauſæ ſuæ filium habet ante Patrem, & ante Filium Matrem; Chriſtus nudato latere Patri oſtendit latus, & vulnera; MARIA Filio pectus, & vbera, nec poteſt eſſe vllo modo repulſa, vbi concurrunt, & perorant omni lingua diſertiùs hæc clementiæ monimenta, & charitatis inſignia; huic autem tantæ aduocatæ debemus maximum ſolatium gratiarum actionis, & ſalutationis, & huiuſmodi. De iſta aduocata narrauit quidam ſanctus homo, quòd cùm quidam Religioſi cantarent illam Antiphonam: Salue Regina Mater miſericordiæ, & dicerent verbum illud. Eia ergo aduocata noſtra, &c. Pluries in ſpiritum ipſam Matrem Domini vidit ante Filij præſentiam proſterni, & pro totius illius ordinis conſeruatione precari. Quartus aduocatus noſter eſt Angelus. Vnde Dan. 12. dicitur Michael ſtare *pro filijs populi ſui.* Quintus aduocatus eſt eleemoſyna, Eccl. 29. *Conclude eleemoſynam in ſinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* Sextus, Oratio. Vnde ſuper illud, Pſalmi 87. *Intret in conſpectu tuo oratio mea*, dicit Gloſſa. Magna virtus puræ orationis hic oſtenditur, quæ quaſi quædam perſona ad Deum intrat, & illuc mandatum peragit, quò caro peruenire nequit. Dicit ergo intret, id eſt, non arceatur ab Eccleſia cœli, vt excommunicata, qualis eſt oratio diuitũ, qui nolunt audire pauperes, vel legem miſericordiam præcipientem. Prou. 28. *Qui declinat aurem ſuam, ne audiat legem eius, oratio erit execrabilis.* Orationes Tobiæ qui interpretatur bonus Domini, *deferebatur* à Raphaele *ante Deum*, Thob. 12. Septimus, lacrymæ, Gregorius 5. moralium ſuper illud Iob 4. *De mane uſq; ad veſperam ſuccindentur, redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt.* Tempus quidem redimimus, quando præteritam vitam, quam laſciuiendo perdidimus, flendo pijs lacrymis reparamus. Ambroſius. In omni culpa priùs flendum eſt, quàm petendum.

Pſal. 128.

Thob. 12.

Iob. 4.

Ephe. 5.

A *Decima Stellæ ſeptimæ Coronæ*

DEcima Stella ſeptimæ Coronæ Beatæ Virginis, ſiue decima porta dicitur porta collis, & ſignificat operoſitatem, ſcilicet, bona opera faciendo, in quibus Beata Virgo diligẽter ſe exercuit. Igitur ne nos tanquam infirmiores ieiuni in hoc deficiamus, neceſſe habemus recurrere ad ipſam, vt nos paſcat, & confortet. Ipſa enim dicit: *Qui edunt me, adhuc eſurient, & qui bibunt me, adhuc ſitient*, quaſi diceret: Qui dulcedinem meam guſtauerit in præſenti, adhuc plus de ea deſiderabit experiri. Paſcit MARIA ſuos conuiuas primo, & digniori modo glorioſo, fructuoſo, qui eſt Chriſtus, B quem ſumimus in Sacramento, qui fructus fructuũ dulcis ſuper mel, & fauum, in quo plena eſt, & vera refectio, quantùm ad militantes, vera, & æterna fruitio, quantùm ad triumphantes, & propter vtroſque dicit Chriſtus. Ioan. 6. *Caro mea verè eſt cibus, &c.* Secundò, carne ſua virginali, vnde dicit, *qui edunt me, &c.* Similiter in Sacramẽto, vbi ſumitur caro Chriſti, quia caro Chriſti, & caro MARIÆ, ſicut caro Matris, & Filij vna caro. Vnde Apoſtolus loquens de Matre, & Filio. 1. Corint. 6. *Erunt, inquit, duo,* id eſt, Chriſtus, & Virgo in *carne vna* Simile dixit Adam, Gen. 2. delicatiſsimũ ferculũ carnem virgineã manducare. Terriò, verbis C ſuis poſitis in Euãgelio, quę verba Dei ſunt, & quæ docuit eam ſpiritus veritatis, quia *non in ſolo pane viuit homo, &c.* Matth. 4. Propter hoc de ea dicitur Eccl. 15. *Cibauit illum*, id eſt, amatorem ſuum, *pane vitæ, & intellectus*, id eſt, doctrina verbi Dei, quæ dat intellectum credentibus, & hoc in præſenti, & in futuro pane Angelorum, id eſt, Dei fruitione, de quo pane dicitur, Luc. 14. Beatus, qui manducat panem in Regno Dei; vel pane vitæ, id eſt, filij Sacramento, qui eſt *panis viuus, qui de cœlo deſcendit.* Ioann. 6. Conferens hic vitam gratiæ, in futuro vitam gloriæ. Ipſa enim procurat amatoribus ſuis gratiam dignè D celebrandi, & communicandi. Quartò, quaſi quibuſdam delicatiſsimis ferculis exemplis ſuæ ſanctiſsimæ, & virtuoſiſsimæ conuerſationis. Vnde dicit, *qui edunt me*, id eſt, qui meam conuerſationem ſibi incorporant, adhuc eſurient, quia non parit faſtidium, ſed deſiderium. Conuerſatio enim ſancta cuiuſcumque, quæ trahitur in exemplum, cibus eſt ſpiritualis reficiens, & ſaginans. Vnde dictum eſt Petro. Ioann. 21. in fine: *Paſce oues meas*, exemplo ſcilicet honeſtæ conuerſationis. Multò fortiùs ergo reficit, & paſcit conuerſatio Virginis, cum ipſa ſit panis *omne delectamentũ* in ſe habens, & omnis ſaporis ſuauitatem. Sap. 16. Ideo ipſa dicit Cant. 5. *Comedite, & eritis amici, be-*

Eccl. 24.

Ioann. 6.

1. *Cor.* 6.

Geneſ. 2.

Matt. 4.

Eccl. 15.

Luc. 4.

Ioann. 6.

Ioan. 21.

Sap. 16.

Cant. 5.

bibite, & inebriamini, & eritis chariſsimi. Imitatio autem operum illius duplex eſt, vel exemplo eius benè operari, & hoc eſt edere, quia maſticando laboratur, vel exemplo eius in ſe extinguere prauas concupiſcentias, & hoc eſt bibere, in quo ſitis extinguitur. Quinto modo paſcit ſe ipſa quaſi totaliter. Ipſam enim comedere eſt amore, & deuotione ipſam ſpiritualiter reficere. Ipſam enim comedit, quaſi fauũ mellis, qui in eius eloquijs delectatur, dicens illi. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, &c.* Item, qui virtutes eius, & beneficia ſæpiſsimè ad mentem reuocans, prorumpit in vocem confeſsionis, & laudis, & in voce exultationis, & confeſsionis ſit ſonus taliter epulantis, propter hoc ei competit illud, quod dicitur de ſuperna Hyeruſalem. Eſai. 51. *Gaudium, & lætitia inuenietur in ea,* ab illis, ſcilicet, qui eam comedunt, *gratiarum actio, & vox laudis.* Sextò paſcit omni edulio delicato, & ſapido, quia *eſca vniuerſorum in ea.* Danie. 4. Nam ipſa eſt arca, de qua dixit Deus, pater vero Noe, id eſt, filio carmen ſumptuoſo, Geneſ. 6. *Tolles tecum ex omnibus eſcis, quæ mandi poſſunt, & comportabis apud te.* Ipſa ſiquidem pane vitæ nos reficit vt dictum eſt, *carnibus agni immaculati.* Exod. 12. *Frumento primo* ſi fuerimus columbini. Ezechiel. 27. Piſce fidei, olio ſpei, pane charitatis, pomis odoriferis ſanctæ opinionis, vua paſſa, id eſt, memoria paſsionis, malogranatis, in quibus ſub vno cortice multa grana ordinabiliter diſponuntur, faciens nos conuerſari, & diligere vnitatem fraternitatis. Piſce aſſo ſubminiſtrans nobis gratiam fraternæ compaſsionis. Piſcis enim aſſatur, quando pius affectus aliena miſeria vritur, ſicut ſanctus Paulus. 2. Corinth. 11. *Quis infirmatur, &c.* Propter hoc Dominus *Piſcem aſſum* comedit, Lucæ. 24. His, & alijs cibis deuotionis, & oleo lætitiæ ſpiritualis Beata Virgo nos paſcit.

Pſal. 118.
Eſai. 51.
Dan. 4.
Geneſ. 6.
Exod. 12.
Ezech. 27
2. *Cor.* 11
Luc. 24.

Vndecima Stella ſeptimæ Coronæ.

VNdecima Stella ſeptimæ Coronæ Beatæ Virginis, ſiue vndecima porta dicitur porta iuditialis, & hæc ſignificat charitatem, qua Deo reconciliamur, quod præcipuè factum eſt, & quotidie fit per Beatam Virginem MARIAM. Vnde ipſa dicitur altare placationis Domini, quia placatur erga peccatores. Cùm ſuper hoc altare offerunt dona, & ſacrificia ſua, de quo altari ipſe dicit. Eſai. 60. *Offerentur ſuper placabile altari meo, &c.* Nu. 1. *Celebra Iuda feſtiuitates tuas, & redde vota tua.* Vt ergo viri ſancti ad æternam feſtiuitatem poſsint peruenire, modò implent ea ſpiritualiter, quæ ſolent fieri literaliter in vigilijs ſanctorum, vt enim Beatus Bernardus dicit. Præſens vita eſt, quaſi quædam vigilia futuræ feſtiuitatis. In vigilijs balneatur, & in balneo deſignatur contritio, quæ eſt primum lauacrum animæ, vbi Chriſtus adamat animam. Quod deſignatum eſt in hoc, quòd *Dauid,* qui Chriſtum ſignat, *vidit,* ſcilicet, oculo miſericordiæ *Berſabeæ,* id eſt, animam pœnitentem *ſe lauantem* in balneo contritionis, *& adamauit eam.* Caput ablutur, id eſt, mens per confeſsionem, quæ eſt ſecundum lauacrum animæ. De hac duplici ablutione, ſcilicet, per contritionem, & cõfeſsionem dicitur, Eſai. 1. *Lauamini* lauacro contritionis, & confeſsionis, in quo omnia lauantur: *mundi eſtote,* id eſt, immunditia perſeuerate poſt lotionem, quia aliter non prodeſt lotio. Et hæc præmunit contra recidiuum. Confeſsio enim vera mundat animã, ſicut ſcopa domum, ſicut lixiuium telam, ſicut balneum carnem, ſicut lima ferrum, ſicut ablutio pedem, vel manum veſtis mundatur, id eſt, caro, quæ eſt veſtis animæ. Vnde *Pelle, & carnibus veſtiſti me.* Similiter per contritionem, confeſsionem, diſciplinarum ſuſceptionem, abſtinentiam, elemoſinarum largitionem, & maximè per lacrymarum effuſionem domus conſcientiæ mundatur à cœno luxuriæ, puluere auaritiæ, aranearum telis, id eſt, vanitate ſuperbiæ, quod totum fit, tam ſpiritualia, quàm carnalia vitia veraciter confitendo. Et etiam quãdo ſatagimus, vt caſtra noſtra ſancta ſint, & vt nihil fæditatis in ipſis appareat, *nec derelinquat nos Dominus Deus noſter.* Deuteron. 23. *Barba raditur & Corona,* Gregorius ſuper Iob. Barbam ſibi radunt, qui ſibi de proprijs viribus fiduciam ſubtrahunt. Ratio enim barbæ, quæ ſignificat virilitatem, eſt amputare à ſe de proprijs viribus præſumptionem. Sicut ergo barba tollitur ante feſtum, ſic ſi vis venire ad feſtum æternum, neceſſe habes tollere præſumptionem de virilitate tua, vt ſis *Vir videns paupertatem tuam.* Thre. 3. *Et humiliatio tua in medio tui.* Mich. 6. Item in ratione Coronæ caput deſuper raditur ad deſignandum, quòd animus noſter debet eſſe mundus ad Deum, & temporalia, quę quaſi capilli propter neceſsitates continuas capiti, id eſt, mentæ adherere coguntur, non occupent partem animę principalem, ſed pendeant tanquam à latere, & breues ſint, vt in mentibus noſtris temporalia decurtentur per contemptum, non protrahantur per deſiderium, & amorem. Vnde vbi temporalia perfectiùs contemnuntur, ibi breuior eſt tonſura capilli circunci-

Iob. 10.
Deut. 23.
Iob 19.
Thre. 3.
Mich. 6.

duntur, vt dictum est. Capilli cogitationum superfluitas Hyerem. 1. *Tolle capillum, & proijce.* Item Mich. 1. *Decaluare, & tõdere super filios deliciarum.* Vnde pœnitentia dicitur forceps, quia superflua tollit, & solummodo necessaria admittit. Vngues rescinduntur, per quos signatur rapacitas, quæ tantò damnabilior, quantò solemnitas sublimior. Domus ornatur, id est, conscientia diuersis virtutibus, tanquam cortinis, vel ramis, & frondibus foliatis, quæ designant virorem æternorum, quæ tunc maximè debent inquiri per orationem, & desiderium. Iob de Onagro 39. *Virentia quæcunque perquirit.* A seruili opere cessatur, id est, à peccato, quod facit hominem seruum diaboli. Ioann. 8. *Qui facit peccatum seruus est peccati*, 2. Petr. 2. *A quo quis superatus est, eius est seruus.* Ideo dicitur Leuit. 23. *Omne opus seruile non facietis in eo*, & non solùm ab opere seruili, sed etiam ab operibus necessarijs, & licitis alijs diebus. Vnde in eodem capitulo dicitur: *Omne opus non facietis in eo, &c* Holocaustum multiplex Domino offertur. Vnde ibidem: *Et holocaustum offeretis Domino*, maximè autem sacrificium contritionis, & recogitationis peccatorum suorum in amaritudine animæ debet à fidelibus festiuis diebus Domino immolari. Vnde Leuit. 24. *Sabbatum requietionis est, affligetis animas vestras. Omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hoc peribit de populis suis*, & hæc debent fieri ex diuino amore Vnde in eodem capitulo dicitur: *Offeretis sacrificium in igne Domino.*

Hyer. 1. *Mich.* 1. *Iob.* 39. *Ioann.* 8. 2. *Pet.* 2. *Leu.* 23. *Leu.* 24.

Duodecima Stella septimæ Coronæ.

DVodecima Stella septimæ Coronæ Beatæ Virginis, siue duodecima porta dicitur porta Regalis, & hæc significat sanctitatem, scilicet, quoad conscientiam, pœnitentiam, & conuersationis redolentiam, & vt hanc sanctitatem possimus obtinere, debemus nostræ mentis intuitum, iugiter ad Beatam Virginem dirigere, & ad ipsam intuendam spirituales oculos attollere. Vnde Eccl. 4. *Qui intuetur illam*, id est. Sapientiam, vel Christum in cruce, vel ipsam MARIAM intuetur, inquam oculo fidei, & veræ dilectionis, vt ad eam iugiter stillet oculus serui sui. Iob 16. *Permanebit confidens in die iudicij*, vt etiam possimus dicere illud, 1. Machabeo. Domina nostra *ad te sunt oculi nostri, ne pereamus.* Item illud 2. Paralip. 20. *Cùm ignoremus quid fugere debeamus, hoc solum refugij habemus, vt oculos nostros dirigamus ad te.*

Eccl. 4. *Iob.* 16. *Mach.* 1. 2. *Paral.* 20.

A Item vt de ea dicamus: *Prouidebam* Domina mea *in conspectu meo semper, &c.* Nota, quòd intellectus, & affectus notter duo sunt oculi, quibus Filium, & Matrem debemus pariter intueri, sicut acies oculorum corporalium ad idem pariter diriguntur, sed multi oculum sinistrum, id est, intellectum vertunt ad cœlum per studium, & dextrum, id est, affectum vertunt ad terram. Hi sunt qui *fœdus ineunt cum Naas*, id est, diabolo, 1. Reg. 5. Qui eis eruit oculos dextros à capite, id est, Christo, quia cor eius exultat de nostra emendatione, & cor nostrum ei congratulari debet de gratia, quam inuenit apud Deum, & de cæteris bonis, quæ data sunt ei. Ideo designatur per Saram, quæ dicit. Genes. 21. *Risum fecit mihi Dominus, & quicunque audierit, corridebit mihi.* Risum enim fecit Dominus MARIÆ in Conceptione Saluatoris, cùm & ei, & in ea nobis arrisit, vel cùm tam ei, quàm nobis dedit ridendi, & gaudendi materiam. Vnde & in partu eius dixit Angelus ad pastores: *Annuncio vobis gaudium magnum*, Luc. 2. Eccl. 51. *Lætatum est cor meum in illa, & ambulauit pes meus*, id est, affectus *iter rectum*, scilicet, mãdatorum Dei. Ecce fructus huius gaudij. Ideo etiam dicit Beatus Anselmus, quòd assiduè roganda est MARIA, vt & congratulatio beatitudinis eius sit semper ad C nos, & compassio miseriæ nostræ semper sit apud eam. Debemus etiam ei de corde compassionem, & tam matri, quàm filio condolere, & compati, quia & Christi Passio, & MARIÆ compassio, cuius animam filijs gladius pertransiuit, à nobis exigunt compassionis affectum, quia *si compatimur, & conregnabimus.* 2. Thimot. 2. *Et si fuerimus socij passionum, erimus & consolationum*, 2. Cor. 1. Et nota, si supra dictam sanctitatem obtinere voluerimus, debemus MARIÆ reuerentiam exhibere, ne videlicet coram oculis eius aliquid indecens cogitare, desiderare, consentire, aut facere audeamus, ne illos misericordes oculos, D qui non possunt respicere ad iniquitatem, auertat à nobis. Ipsa enim est mulier illa fortis, de qua Prouerb. in fine dicitur: *Considerauit semitas*, id est, secretas cogitationes conscientiarum *domus suæ*, id est, familiæ suæ, & non solùm reuerentiam, sed & timorem ei demus, vt coram ea non cogitemus, nedum faciamus turpia, noxa, vel iniqua, *peruersæ enim cogitationes separant* ab ea, & à filio eius, Sap. 1. Et Nota vndecim bona, quæ exemplo Filij facit ipsa timentibus se. Protegit enim eos potenter ab omni aduersitate, & contra potentiam malignorum spirituum. Diuus Bernardus nihil sic metuunt, &c. Firmamentum virtutis, quia

Psal. 15. 1. *Reg.* 15 *Cene.* 21. *Luc.* 2. 2. *Thim.* 2 2. *Cor.* 1. *Prou.* 31 *Sap.* 1.

quia dat firmamẽtum virtutibus, quas ſuis orationibus impetrat eis à filio, & confirmat eis ipſas virtutes. Tegimen ardoris, quia miſericorditer in nobis refrigerat cõcupiſcentias, quas diabolica ſuggeſtio inflãmat. Vmbraculum meridiani, id eſt, refugium contra æſtum perſecutionis vrẽtis, & feruentis, ſicut Sol in meridie vrit, & feruet, vel contra incentiua libidinis. Deprecatio offenſionis, quia pro offenſione hominum filium deprecatur, & aditorium caſus, quia timentibus ſe præcauet à caſu, id eſt, ne cadant in peccatum, vel infernum, & etiã erigit eos, ſi forte ceciderint. Vnde orat eam Eccleſia. Succurre cadenti, ſurgere, qui curat populo. Exaltat pauperem, id eſt ſpiritum humilem, vt ſedeat cum principibus, id eſt, Angelis, & Sanctis, & ſolium gloriæ teneat. Et illuminans oculos mẽtis, intellectum, ſcilicet, & affectum, de quibus habes ſupra, dans ſanitatem conſcientiæ, & vitam gratiæ, & benedictionem gloriæ, & nota, quòd hæc omnia fuerat filius matri quando concepit ipſum.

OCTAVA CORONA, ET *Prima Stella eiuſdem.*

OCtaua Corona capitis glorioſæ Virginis MARIÆ eſt Corona fæcunditatis, qua nõ tam corpore, quàm mẽte, fæcũda, & Deo grata extitit. Duodecim Stellæ huius Coronæ ſunt duodecim nomina amicabilitatis, ſiue familiaritatis, quibus MARIA probatur ſecretior, & familiarior fuiſſe Chriſto, quàm aliqua mulier, ſeu ſponſa ſuo viro, aut ſponſo. Prima Stella eſt, quòd Beata Virgo dicitur Mater. Secunda, quòd dicitur amica. Tertia, quòd ſoror. Quarta, quòd chariſſima. Quinta, quòd filia. Sexta quòd ſponſa. Septima, quòd columba. Octaua, quòd formoſa. Nona, quòd vxor. Decima, quòd Virgo. Vndecima, quòd vidua. Duodecima, quòd Regina.

Prima igitur Stella huius octauæ Coronæ eſt, quòd Beata Virgo dicitur Mater, quia habuit vnum filium naturalẽ, & multos filios adoptiuos, vt ſecundùm Apoſtolum, Ro. 8. *Ipſe primogenitus ſit in multis fratribus.* Qualiter autem ad gratiam eius conſequendam, & vt filij ipſius eſſe poſſimus, nos debeamus habilitare, oſtendit Eccle. 24. cùm dicit: *Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis & ſanctæ ſpei.* Primi ergo, quorum vult eſſe mater, ſunt, qui pulchram habent dilectionem & dicitur pulchra dilectio, ad differentiam triplicis turpis dilectionis: mundialis, quæ turpis eſt; carnalis, quæ turpior, malitioſæ, quę turpiſsima; prima eſt inanis glorię, & terrenæ ſubſtantiæ, ſecunda gulæ, & luxuriæ; tertia iniquitatis, & nequitiæ, ſcilicet in odio, & ira. De prima dicitur Hyerem. 2. *Ambulauerunt poſt vanitatem, vani facti ſunt.* Hoc de inanis gloria. Item Thren. 4. *Qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora,* id eſt, temporalia, hoc de terrena ſubſtantia. De ſecunda. Eccleſiaſt. 13. *Qui tetigerit picem,* id eſt, gulam inuiſcantem, & luxuriam coinquinantem, *inquinabitur ab ea.* De tertia dicit authoritas: non deſerit malitiam, qui diligit, ſuper illud. Pſalm. 51. *Dilexiſti malitiam ſuper benignitatem.* Ideo talis dilectio turpiſsima, & peſsima eſt, &c. & timoris, & adde pulchri timoris. Pulcher quidem timor eſt ille *timor Dei,* qui nihil negligit. Eccleſiaſt. 7. hunc timorem habet, qui nihil agit de omittendis, nihil omittit de agendis. Item, qui nihil loquitur de tacendis, & qui nihil tacet de loquendis. Sic de cogitationibus, & alijs. Timor autem humanus, & mundanus, turpes timores ſunt. Timor autem ſeruilis pulcher eſt, qui etſi non expellat peccatum, quod inuenit, tamen prohibet ne inueniat peccatum. Pulchrior timõr initialis, de quo dictum eſt, qui Deum timet, nihil negligit. Pulcherrimus de quo Pſal. 115 *Timor Domini ſanctus permanens in ſeculum ſeculi,* & agnitionis ſupple pulchræ. Pulchra eſt agnitio, quæ eſt ex fide, & Sacræ Scripturæ, ſcientia pulchior, quæ eſt per reuelationem, & intelligentiam propheticam; pulchrrima, quæ ex ipſa fidei reuelatione ipſius rei creditæ præſentiam habet, & experentiam. Et hoc erit in patria, de qua Dominus. Lucæ 10. *Multi Reges, & Prophetæ voluerunt, &c.* Et ſanctæ ſpei; ſancta & pulchra ſpes eſt, quæ eſt ex fide, & meritis prouenies. Sanctior & pulchrior, quæ eſt ex reuelatione, & teſtimonio conſcientiæ, de qua Apoſtolus. 2. Corinth. 1. *Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ,* ſanctiſsima, & pulcherrima, quæ eſt per ſecuritatem inamiſsibilem, de qua Apoſtolus, Roman. 8. *Scio quia nec mors, nec vita, &c. Poterunt me ſeparare à charitate Dei.* Hæ ſunt pretioſæ generationes, quibus glorioſa Virgo promittit ſe adimplere tranſeuntes ad ſe. Vnde dicit: *Trãſite ad me omnes, qui cõcupiſcitis me, & à generationibus, &c.* & nota, quòd dilectio eſt ad præmiorũ acquiſitionẽ. Timor ad acquiſitorũ conſeruationẽ Eſai. 3. *Timor Domini ipſe Theſaurus eius.* Agnitio ad deſiderij inflammationem, vt quod agnoſcimus, amplius appetamus. *Spes, quæ non confundit.* Ro. 5. ad confirmationem. In hoc ergo quòd B. Virgo inuitat nos ad generationes ſuas, monet nos ad motus contemplationis, ſecundùm

Rom. 8.

Eccle. 24.

Hyir. 2.

Thren. 4.

Eccl. 13.

Pſal. 51.

Eccl. 7.

Pſ. 115.

Lucæ 10.

2. Cor. 1.

Roma. 8.

Eccle. 24.

Eſai. 33.

Rom. 5.

quadruplicem materiam eius, scilicèt, quid appetendum, quid fugiendum, quid credendum, quid sperandum? appetendus est Deus, fugiendum peccatum, timenda gehenna, speranda cælestis patria, dilectio mouet ad petendum, timor ad fugiendum, agnitio ad credendum, spes ad sperandum. Horum quatuor se dicit Matrem, scilicet, *pulchræ dilectionis*, quam à Deo dante accepit, & in lucem emisit. Pulchra dilectio est, nihil sub Deo diligere, quia quocumq; modo tanguntur; stercora inficiunt. Ideo Apostolus omnia reputauit, *vt stercora, vt Christum lucrifacerem.* Phil. 3. Siquidem Abraham, Isaac, & cæteri Sancti, Sara, & Rebecca habuerunt sanctam dilectionem, non tamen omnino de pulchram, quia amor eorum diuisus fuit per temporalia, sed amor MARIÆ fuit purus, quia indiuisus, quia temporalia plene contemplit, & in nullo ab eis fuit coinquinata, similiter virginitatem prima vouit, & ideo dicitur Mater pulchræ dilectionis, quam adinuenit, & in lucem emisit, sicut mater puerũ, quem conceperat, est etiam mater timoris, docens fugere, quod fugiendum est, id est, peccatum, quod ipsa prima non solùm fugit, sed etiam occasiones peccatorũ declinauit. Ideo dicitur *porta clausa*, scilicet, occasionibus peccatorum. Ezech. 44. & ipsa *conterruit* caput serpentis. Genes. 3. Etiam initium tentationis signata per Iael, quę Iudicum 5. *malleo* timoris *percussit caput Sisaræ*, & per Iudith, quæ caput *Holofernis amputauit* Iudith. 14. Et agnitionis, id est, reuelatæ fidei, quæ scilicet fidei reuelatio ab ipsa, & in ipsa facta est, quia ipsa dedit exemplum credendi, quod credendum est, vnde dictum est ei. Luc. 1. *Beata, quæ credidisti.* Ipsa est enim Luna, exemplo fidei mundum tenebrosum illuminans. Cant. 6. *Pulchra vt Luna*, & est *Stella*, exemplo fidei Magos ad Christum adducens. Matth. 2. Ipsa etiam Aurora terminans noctem infidelitatis, & diem, id est, lucem fidei adducens, ipsa etiam Mater solis *iustitiæ*. Malach. 4. & lucerna gratiæ, & fidei *posita super candelabrum*, Matth. 6. & ideo mater agnitionis, & sanctæ spei, quæ exemplo suæ spei docuit, quid sperandum, nouit enim, quòd *vnum est necessarium*, Luc. 10. Vnde fuit exemplum non solùm spei, sed & sanctæ spei, id est, immobilis, cadentibus enim stellis de cœlo, id est, discipulis à fide, & dicentibus, *nos sperabamus*, &c. Luc. vlt. Ipsa sola mansit luxa in firmamento, id est, Christo, qui est firmamentum diuidens *aquas ab aquis*, Gen. 1. Non enim extincta est in nocte Dominicæ Passionis lucerna eius, id est, fides, & ergo dicitur mater sanctæ spei, id est, firmæ spei, quia dat gratiam perseuerandi in bono, sicut ipsa perseuerauit in fide, vel mater sanctæ spei, quia contraria Euæ, quæ malè sperauit, quod fieret, vt Deus, & ideo mortua, sed hæc mater est sanctæ spei, quia vitam gignendo, mortis sententiam reuocauit, signficata per *Hester.* 5. quæ mortis sententiam reuocauit. *Hester.* 5.

Phil. 3. *Ezech.* 44 *Gen.* 3. *Iudith.* 14. *Luc.* 1. *Cant.* 6. *Matt.* 2. *Malach.* 4. *Matt.* 6. *Luc.* 10. *Luc. vlt.* *Genes.* 1.

Secunda Stella Octauæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd ipsa dicitur amica.

AMica Beata Virgo dicitur. Vnde toties in Cant. appellatur amica, & dilecta, & hoc multiplici ratione. MARIA amica Christi, quia magno zælo ab eo dilecta, Vnde de ea dicit Christus. Zachar. 1. *Zelatus sum Hyerusalem, & Syon zelo magno*, MARIAM scilicet designatam per Hyerusalem, & Syon multiplici ratione. Ipsa enim hac de causa designatur per Esther, quam Rex Assuerus amauit super omnes mulieres. Ideo etiam de ipsa dicitur. Sap. 8 *Omnium Dominus dilexit eam.* Præcipuè autem ratione humilitatis dilecta est à Domino. Vnde in figura eius dixit Lia. Genes. 29. *Vidit Dominus humilitatem meam, nunc amauit me vir meus*, quia non seruiens in timore, sed in vinculo charitatis, nullum aliud emolumentum quærens ex sua dilectione, quàm ipsum dilectũ. Vnde dicit Cant. 2. *Dilectus meus mihi*, quasi diceret: Ille solus sufficit mihi, nihil aliud quæro. Ideo etiam dicitur Cant. 3. *Inueni quem diligit anima mea*, id est, vltima voluntas, & affectio mea, *tenui eum; nec dimittam.* Propter hæc etiam ipsa debet appellari amica cordialis, quod benè apparuit in Passione Vnigeniti sui, cùm matris animam gladius filij pertransiuit. Omni enim tempore, id est, tam in prosperis, quàm in aduersis diligit, *qui amicus est.* Prou. 17. Quia conscia secretorum ipsius, quod manifestè patuit in incarnatione, quando consilium tuum de redemptione generis humani priùs ei reuelauit, quàm alicui spirituum Beatorum, excepto Gabriele, sicut dicit Beatus Bernardus, quòd scilicet Gabriel tantę inter suos fuerit excellętiæ, vt tali nomine dignus haberetur, & nuncio. Dicebat enim, vt verbum mox diuulgandum vbique, priùs sciret Virgo per Angelum, quàm audiret ab homine, ne mater Domini à consilijs filij videretur amota, si eorundę quæ tam propriè gerebantur, interim remanisset ignara. Amos. 3. *Non faciet Dominus Deus verbum, nisi priùs reuelauerit ad seruos suos Prophetas.* Multo fortius suæ matri, quæ magna est prophetissa, sicut apparet in Cantico suo

Zachar. 1 *Sap.* 8. *Gen.* 29. *Cant.* 2. *Cant.* 3. *Prou.* 17 *Amos.* 3.

Quia

Quia voluntatem suam diuinæ voluntati per omnia conformauit, in hac enim coformatione, seu conformitate vera amicitia certissimè comprobatur vnde. Tullius. Idẽ velle, & idem nolle ea demum amicitia est, hoc autem ex toto corde fecit Beata Virgo, quando intelligens per Angelum, quòd Filius Dei de ipsa volebat carnem assumere, statim respondit: *Ecce ancilla Domini, fiat*, &c. Quia amici sui Christi per omnia præcepta adimpleuit, quod propriè est amantium. Vnde Ioan. 15. *Vos amici mei estis, si feceritis*, &c. Similiter ipse Christus præcepta, & voluntatem adimpleuit matris, quando *descendit cum illis Nazareth*, &c. Luc. 2. Quia filio suo ad mundi redẽptionem coadiutrix fidelissima extitit, quando Filio Dei de carne sua virginali tunicam texuit, quam pro salute omnium Deo Patri in Cruce sacrificium obtulit in odorem suauitatis, Ideo prædictum fuit, Gen. 2. *Non est bonum, hominem esse solum, faciamus ei adiutorium*, quod non de illa literali Eua, quæ fuit in destructorium, sed potiùs de MARIA Virgine, quæ fuit in adiutorium, potest intelligi; quia nec in prosperis, nec in aduersis filium deseruit, nec ab eo deserta est, quod signum est veræ amicitiæ. Vnde Prou. 17. *Omni tempore*, id est, in aduersis, & prosperis diligit, *qui amicus est*, & re, & nomine, vera etiam amicitia, non solùm verbis, sed factis contrahitur. Vnde 1. Ioan. 4. *Filioli non diligamus verbo*, &c. Eccl. 6. *Si possides amicum in tentatione*, id est, in aduersitate eius *posside eum*, sic in vltima necessitate, quando nec amicus, nec amica cum Christo remansit, sola MARIA verè credidit, & ad pedes crucis remansit. Et sic secundùm Isidorum, vir non erat cũ Christo, sed sola mulier, quia probata est in necessitate. Vnde Prou. 15 *Frater in angustijs probatur*, similiter dici potest de sorore, & amica: sicut ergo Beata Virgo Christo fuit fidelis in necessitatibus suis, sibi assistendo, sic ipse eam honorando, super omnes Choros Angelorum exaltauit, & ad dexteram eius gloriosè collocauit.

Luc. 1. *Ioan.* 15. *Luc.* 2. *Gen.* 2. 1. *Ioan.* 4. *Eccl.* 6. *Prou.* 15

Tertia Stella Octauæ Coronæ B. Virginis est, quòd ipsa dicitur Soror.

SOror. Vnde dicit Christus Cant. 4. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa*, vulnerasti cor meum vulnere charitatis, non doloris, id est, me ad amorem tuum delectabiliter attraxisti, vt te profundè diligerem de corde meo. *In vno*, id est in vnitate *oculorũ tuorum*, scilicet, affectus, & intellectus, quæ in te ita sunt vnum, quòd nõ aliud desiderat affectus, nisi quod desiderandum iudicat intellectus. MARIA igitur est soror Christi, qui Filius est Dei Patris per naturam, & ipsa specialis, immo specialissima filia eiusdem Patris per gratiam, & tantò specialior Christi soror, quantò ipsi duo vnus sanguis, & vna caro, de quibus 1. Cor. 6. *Erunt duo*, scilicet, Christus, & MARIA *in carne vna virginali*. Item ipsa soror Christi per castissimam, sinceram, & feruentissimam dilectionem, quæ solet esse inter fratrem, & sororẽ. Vnde ipse dicit Zach. 1. *Zelatus sum Hierusalem*, &c. vt supra de amica Item soror, quia cohæres eius, & communicans eum eo Regnũ Patris. *Hæres Dei, & cohæres Christi*, Rom. 8. Ergo soror eius per naturæ identitatem, conformis, & connaturalis ei, & hereditatis eius comparticeps. Summè etiã dilecta ab eo, quia nemo carnem suam odio habuit, simile suo simili nosci tur, & ab eo diligitur, quia volatilia ad sibi similia *congregantur*. Eccl. 26. eodem 13 *Omne animal diligit sibi simile*, &c. Et quantò MARIA naturæ mundioris, & moribus, & virtutibus Christo similior, tantò plus ab ipso diligitur, quasi spiritualis soror, populi Christiani per naturam, quod summa gloria est ipsi populo Christiano, si esset qui aduerteret, habere, scilicet, sororem Reginam Angelorum, & hominum, immo quod plus est, habere sororem sponsam Patris, Matrem Filij, & amicam Spiritus Sancti, Reginam etiam cęlestis Regni, vbi plenariam habet potestatem, quoscumque voluerit introducendi, quicquid voluerit imperandi, quidquid à filio petierit obtinendi. Ideo potest verè dicere cum filio, Mat. 28. in fin *Data est omnis potestas in cœlo & in terra*. Ideo etiam dicit Eccles. 24. *In Hierusalem* superna, *potestas mea*, sodalium Christi, id est, Angelorum, vel Patriarcharum, & Prophetarum, qui dicunt de ea. Cant. 8. *Soror nostra paruula est, & vbera non habet*, & sunt verba sodalium Christi, Sanctorum videlicet, Prophetarũ, qui quasi repræsentant Domino Beatã Virginem, tanquam ad hoc aptam, vt carnem assumat ex ea, & dicunt, soror nostra Virgo MARIA paruula est per humilitatem mentis, munda quoque, & pura, tanquam tenella iuuencula, quæ nondum habet vbera Sanctorum Angelorum, per virginitatem, charitatem, & humilitatem, & maximè propter cælibatus integritatem ideo dicunt, Cant. 8. *Quid faciemus sorori nostræ in die, quando alloquenda est*, &c. In illa videlicet die, quando eam allocutus est Archangelus Gabriel, & ipsa prudenter respondit.

Ioan. 15. *Luc.* 2. *Gen.* 2. 1. *Ioan.* 4. *Eccl.* 6. *Prou.* 15 *Cant.* 4. 1. *Cor.* 6. *Zach.* 1. *Rom.* 8. *Eccl.* 26. 13. *Mat.* 28. *Eccl.* 24. *Cant.* 8. *Cant.* 8.

Quar-

Quarta Stella Octauæ Coronæ Beatæ Virginis est quòd ipsa dicitur Charissima.

Cant. 7. CHarissima. Vnde dicit ei sponsus Cant. 7. *Quã pulchra est, & quã decora charissima in delicis*, in hoc quodvis quæritur, quã pulchra est & quàm decora, & geminatur nomen pulchritudinis designatur, quòd ipsa mirabiliter, & inæstimabiliter, & immẽsurabiliter pulchra est, & decora. Item *pulchra* dicitur fide, decora bona operatione, vel *pulchra* in virtutibus, quæ spiritũ illuminant, & exornant, *decora* in virtutibus, quæ carnem venustant, & purificant. *Charissima* sponso suo in delicijs spiritualium, charismatum, vel potest fieri comparatio, vt dicatur, quòd cara facta est toti Trinitati, quando in vtero sanctificata, charior, quãdo Vnigenito Dei impręgnata *Charissima*, quando in assumptione in sponsi thalamum introducta, & gloria immortalitatis est coronata, vel Charissima, quia Vnigeniti sui sanguine redempta, & charissime ab eo dilecta, vel ideo dicitur, *charissima* in delicijs, quod tanquam delicata mulier cibos grossos, & communes fastidiens, non potest gustare, nisi quædam specialia, sic & ipsa quidquid amarum, vel nociuum animæ respuens, delicijs supercælestibus tantũmodo vacabat, quę sic comeduntur, vt semper esuriantur, & sic satiant, vt semper fastidium tollant, & hic est *cibus cibo melior*. Eccl. 36. Filius Dei qui dicit: *Qui edunt me, adhuc esurient, &c.* Propter hoc dicit ipsa de filio, qui est manna omnis saporis, Cant. 1. *Dilectus meus mihi*, quasi diceret, alias non curo delicias, &c. Item charissima in delicijs est illa anima, quæ quasi fastidit quædã bona, vt transeat ad meliora, sicut dicit authoritas super illud: *Ibunt Sancti de virtute in virtutem*, non semper vni virtuti insistendum est, sed de virtute in virtutem eundum, donec videatur *Deus Deorum in Syon*.

Eccl. 36. & 24. Cant. 1. Psal. 83.

Quinta Stella Octauæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd ipsa dicitur filia.

Psal. 44. FIlia, quam instruit Spiritus Sanctus in Psalmo 44. *Aude filia, & vide*, audi, vt scholaris, quæ versaris in schola Spiritus Sancti, cuius schola est fidei, & morum, & bonorum operũ, audi, vt possis credere his, quæ tibi dicenda sunt ab Angelo, quia *fides ex auditu*, Rom. 10. *Audi*, id est, fac verbo Dei sponso tuo audientiam in corde tuo per silentium, Eccl. 32. *Audi tacens, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia; filia* propter paternam circa te solicitudinem.

Rom. 10. Eccl. 32.

A Eccl. 34 *filia Patris abscondita est*. Hæc est MARIA, quam inuenit Angelus clausam in thalamo, *filia* per imitationem Patris. Ruth. 3 *Benedicta est filia, &c.* Et vide fragilitatem tuam secundùm humanam naturam, vt te humilies in oculis tuis, & Deum exaltes. Cant. 1. *Si ignoras te o pulcherrima, &c. & inclina aurem tuã*, vt humiliter obedias diuinæ voluntati, & de te nõ præsumas, & *obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet Rex*, id est, Christus *decorem tuum* spiritualem, qui in virtutibus consistit, MARIA enim significata est per Ruth. quæ reliquit populum suum, & domum patris sui *propter Noemi*, quæ interpretatur pulchra, id est, popter amorem spiritualis pulchritudinis, & ideo Booz, id est, Christus, *concupiuit eam, &c.* Item in Psalmo Omnis gloria eius, scilicet, *filiæ Regis ab intus in fimbrijs aureis*. Maria filia Regis Dauid secundum carnẽ, quia regali ex progenie MARIA orta filia summi Regis, id est, Dei Patris per creationem, & gratiam, cuius gloria, quòd hospita, & triclinium totius Trinitatis, cuius gloria testimonium bonæ conscientiæ, cuius *omnis gloria ab intus*, id est, in conscientia pura. Vnde tamen sæpè de ea dicitur: *Absq; eo quod* pulcherrimum est, *& intrinsecus latet*, vbi Glossa. Si gloriam foris quæreret, intus gloriam, quam Rex concupisceret, nõ haberet ab intus. Exteriùs enim reputabatur corrupta, sed gaudium de incorruptione habebat interiùs. Vnde Cãt. 1. *Nolite me considerare, quòd fusca sim*, id est, corrupta reputer, *quia decolorauit me sol* iustitiæ, & hæc gloria *ab intus in fimbrijs aureis*. Fimbriæ aureæ opera humanitatis Christi, in quibus relucet ipsius mera charitas, quæ per aurum designatur: & quia omia fecit humiliter, comparatur fimbrijs, quę sunt pars vltima, & minima vestimenti, & hæc opera specialiter augent gloriam Virginis Matris eius, vel fimbria vltima pars vestimenti est perseuerantia Virginis in aurea charitate, quod apparuit in Passione, quando perseueranter stetit iuxta crucem Filij charitate vulnerata. Moraliter, *omnis gloria filiæ Regis*, id est, animæ fidelis, quæ filia Dei est, per creationem, formationem, & recreationem, debet esse *ab intus*, vbi Deus videt, hoc est coram Domino, non afforis contra hypocritas, qui signantur per Herodem, qui interprætatur gloria pellis, vel gloriosus in pellibus, id est, in exterioribus mundi.

Eccl. 32. Ruth. 3. Cant. 1. Rud. 2. Cant. 4 Cant. 1.

(.?.)

Sexta

Sexta Stella Octauæ Coronæ B. Virginis est, quòd ipsa dicitur sponsa.

Psal. 17. SPonsa, vnde MARIA dicitur per Psal. *Misit de summo* gaudiosa charismatum, & gratiarum per Gabrielem paranimphum, *Luc.* 1. quando dixit mihi: *Aue gratia plena*, & accepit me in sponsam. Ecclesia etiam dicitur sponsa Christi, quia sponso cælesti spirituali dilectione copulata: dicitur etiam vxor, quia per gratiam eius ad multorum spiritualium filiorum procreationem fœcundata. *Cant.* 4. Item MARIÆ sponsæ dicitur, Cant. 4. *Vide Libano sponsa mea, &c.* Et dicitur MARIA sponsa Christi quadam similitudine, nam qui vult sponsam assumere, priùs eligit, quæ sibi placeat. Ideo de MARIA cani- *Ps.* 131. tur. *Elegit eam Deus, & prælegit eam*, & dixit illi: Tu mihi sola places. Canit etiam Ecclesia: sola sine exemplo placuisti Domino, id est, Christo, secùdò sponsa ornatur, & purgatur, quod factum est in sanctificatione, & singulari priuilegio, quando præseruata est ab originali, & ornata donis Spiritus Sancti, & tunc concupiuit Rex decorē eius. Tertiò coniuncta Christo per verba de præsenti, quando respondit Angelo. *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Quartò scilicet in assumptione introducta in thalamo sponsi. Fuit igitur electa in prædistinatione, mundata, & ornata in sanctificatione, copulata Christo in eius conceptione, assumpta ad thalamum in assumptione; aliter MARIA Sponsa Filij, quia in matrimonio solent fieri donationes, vxor enim dat aliquid viro propter nuptias, & vir dotat vxorē. Dedit enim MARIA Christo carnem de sua carne, in qua passus est. Vnde & in passione dixit ei: *Ioan.* 19. *Mulier, ecce filius tuus.* Ipse verò dedit ei quasi duplicem dotem. Gratiam primò, vn- *Psa.* 83. de dicta est, *gratia plena*, & tandem gloriam in excelsis, *quia gratiam, & gloriam dabit Dominus*, propter hoc in figura MARIÆ *Genes.* 30 dixit Lia Genes. 30. *Ditauit me Dominus dote bona.* Ideo prædictum fuit de ea. Prou. *Prou.* 9. 9. *Mulier gratiosa inueniet gloriam*, de isto matrimonio exponunt quidam illud ver- *Genes.* 2. bum Adæ, Genes. 2. Postquam euigilauit ab extasi, vel somno, vbi præuiderat lapsum humani generis, & modū reparationis. Vnde euigilans prophetauit dicens: *propter hoc*, scilicet, propter lapsum humani generis reparandum, *relinquet* Deus homo factus, vel Filius carnem sumpturus, *Patrem* in mundum veniens, quia egressus à patre, *& Matrem*, id est, Synagogam, de qua natus est secundùm carnem, *& adhærebit vxori suæ*, scilicet, Ecclesiæ de gentibus, vel *vxori suæ*, id est MARIÆ, & in hoc Sacramento fiet illud nouum, & mirabile, scilicet, quòd *duo erunt in carne vna*, id est, Mater, & Filius, Virgo, & Christus, cum secundum debitum naturæ cursus, tres consueuerunt esse in carne vna, scilicet, Pater, & Mater, & Filius: ad hoc facit, quòd ipsa Beata Virgo dicit. Cant. 6. *Ego dilecto meo*, sine *Cant.* 6. Patre singularis, & vnica, *& dilectus meus mihi*, est singulariter vnicus Filius; *aliter propter hoc*, vt supra expositū est, *relinquet homo patrē, & matrem.* Quasi Patrem reliquit Filius Dei. Cū desinu eius ad terrā descendit, & in sinu Virginis se recepit. Vnde hominem assumpsit, quem pro sponsa sua daret. Matrem etiam quasi reliquit, cùm affectum matris, quasi abijciens corpus, quod ex ea assumpserat, pro Ecclesia dedit in cruce, quā scilicet Ecclesiam ita sibi vniuit, vt ipse sit caput, & ipsa sit corpus, quod figurabatur quando quasi dissimulans matrē dicebat ei de Ioanne: *Mulier, ecce fi-* *Cant.* 2. *lius tuus.* Ioan. 19. Et nota quòd filius vocat matrem suam sororem, & sponsam, Cant. 4. *Cant.* 4. *Vulnerasti cor meū soror mea sponsa.* Sororē propter humanæ naturæ contubernium, sponsam propter inconcussam fidei constantiam. Cùm enim tempore Passionis fides Apostolorum concussa vacillaret, ipsa velut sponsa fidelis sponso suo, sine fidei titubatione constanter adhæsit. Ipsa etiam velut sponsa spōso suo familiarior maiorē in bonis sponsi obtinet portionem. De eius fidelitate confidit valdè sponsus, sicut dicitur Prou 31. in fine: *Ps.* 31. *Confidit in ea cor viri sui, & spoliis non indigebit*, quia quoscumque suis orationibus, meritis, & exemplis liberat à diabolo, ea ponit, & assignat dominio spensi sui. Quantùm autem concupierit hanc sponsam sponsus cælestis, ostenditur, Eccl. 36. vbi dicitur: *Species mulieris exhilarat faciem viri sui, & super omnem concupiscentiam hominis superducet desiderium*, species enim mulieris virum potentem humiliat, severum, & austerum emollit, & huius mulieris speciem sic concupiuit Dominus, & elegit, quòd ipsa eius desiderium in tantùm superduxit, quòd ad nostram infirmitatem humiliatus est Omnipotens, & qui est vita viuentium, emollitus est ad mortem. Item de hac sponsa dicitur Eccl. 36. *Non est vir illius* *Eccl.* 36. *secundùm filios hominum*, & paulò priùs: *adiutorium secundùm illum est, & columna, & requies.*

Septima Stella Octauæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd ipsa dicitur columba

RAtione simplicitatis comparatur MARIA columbæ, quæ est auis simplicissima. Vnde dicit ei filius, Can. 2. *Veni colūba* *Cant.* 2. *mea in foraminibus petræ*, est autē simplicitas, quasi collectanea humilitatis simplex est,

Psalm.26 est, qui vni rei intendit. Vnde Psalm. 26. A
Luc. 10. *Vnam petij à Domino.* Item Luc. 10. *Vnum necessarium est.* Et dicitur simplex, quasi sine plica, id est, sine duplicitate: est autem triplex simplicitas, vera, ficta, indiscreta. Vera
Mat. 10. iustorũque comitẽ habet discretionẽ, hanc præcipit Dominus. Matt. 10. dicens: *Estote prudentes, sicut serpentes, & simplices, sicut columbæ.* Talem habuit Beata Virgo super omnes creaturas ficta hypocritarum, qui cõponuntur secundùm exteriorem hominem in vultu, gestu; habitu, & huiusmodi, vt credantur Religiosi, & hæc sunt vestimenta ouium, sed deintus peruersa sunt omnia; & lupina. Indiscreta stultorum, qui sunt,
Oseæ 7. *vt columba seducta, non habens cor.* Oseæ 7. B
Solent autem tria incommoda sequi simplicitatem, à quibus peroptimè sibi cauit MARIA. Primum est temeritas, quia de facili simplices decipiuntur. Vnde comparantur columbæ seductæ, vt dictum est, sed MARIA loco temeritatis habuit prudentiam spiritus, qua benè discernabat esse Angelum Dei, cùm consentire deberet. Secundum est debilitas; simplices enim de facili cadunt; quia resistere nesciunt, sed ipsa fuit mulier prudens, & fortis, quæ contriuit caput serpentis antiqui. Tertium est timiditas, qua non audent ardua aggredi, sed ipsa habuit confidentiam, fidem, & spem certam, qua Deum credidit de se incarnari, & respondit C
Luc. 2. audacter, & deuotè: *Ecce ancilla Domini, &c.* Fortitudo autem eius, & confidentia in hoc apparuit, quòd Ezechiel, & Daniel, & Beatus etiã Ioannes videntes Angelos legũtur corruisse, sed ipsa videns Angelũ turbata est, sed nõ perturbata, & aspectũ Angelicũ sine casu potuit sustinere. Nota, quòd species columbæ consistit in colorum mutatione, & varietate circa collum, & signat in B. Virgine doctrinæ veritatem, quæ in collo intelligitur, quia doctrix fuit Doctorum, &
Cant. 4. Magistra Apostolorum. Vnde quædã Glossa dicit super illo verbo. *Tota pulchra es,* quia sponsa est pulchra prædicatione, hanc speciem præfigurauit species secundæ filiæ D
Iob 42. Iob, quæ vocabatur *Casia.* Casia enim habet folia purpurea, in folijs autem verba, in purpura Christi Passio notatur. Quid igitur per folia purpurea, nisi passionis doctrina, quæ maximè creditur affectu, & effectu in Virgine abundasse. Vnde & Lucas, cui inter cæteros Euangelistas apropriatur descriptio Dominicæ Passionis Euangelij seriem à Virgine gloriosa dicitur dedicisse.

(***)

Octaua Stella Octauæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd ipsa dicitur formosa.

FOrmosa, siue pulchra Beata Virgo dicitur, Can. 1. *Ecce tu pulchra es amica mea,* *Cant. 1.*
ecce tu pulchra. Vnde dicitur ei attribuere sponsus duplicem pulchritudinem, corporalem videlicet, & spiritualem. De spirituali pulchritudine MARIÆ, quæ consistit in virtutibus animæ, dicit Sponsus Beatæ Virgini Matri suæ. Can. 4. *Tota pulchra es amica mea,* *Cant. 4.*
ab originali peccato præseruata in vtero. Item tota pulchra ab actuali peccato mortali, fomite penitus subiugato, & macula etiam venialis peccati, *non est in te,* in conceptione Filij Dei fomite penitus extincto. Et ideo *tota pulchra* es in opere; *tota pulchra es* in corpore, *& macula non est in te* in corde, si quis autem quærat de pulchritudine corporali Beatæ Virginis, congruentissimè mihi videtur posse dici, & credi eam præ filiabus hominum speciosam, quæ speciosum forma, non solùm præ filijs hominũ, sed etiam præ millibus Angelorum suæ carnis substantia vestiuit Vnigenitum Dei. Non enim conuenienter tota pulchra, & sine macula appellaretur, nisi secundùm dispositionem, & figuram corporis, & colorem facie pulcherrima, & sine macula appareret, sed fortè sicut in apocripho de infantia Saluatoris scriptum reperitur, nemo plenè poterat ipsius faciẽ intueri. Vnde dicitur Mat.
1. quòd Ioseph accepit MARIAM, *& non* *Matt. 1.*
cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum, &c. Et dicit Chrisostomus, vt quidam asserunt, quòd in Euangelio Nazareorum legitur quòd Ioseph MARIAM videre non poterat facie ad faciem, quoniã Spiritus Sanctus eam ad Conceptionem Filij Dei impleuerat, ita quòd non cognoscebat eam propter splendorem vultus eius. De isto decore eleganter dicit ei quidam prosaicè: tu decorem induisti, tu plùs sole refulsisti, tu beata membra Christi tuæ carnis protexisti polimita tunica. Alij dicunt, quòd ex quo Ioseph cognouit & credidit MARIAM de Spiritu Sancto concepisse, in tanta eam habebat reuerentia, quòd nunquam ausus est contemplari faciem eius. Vnde nõ cognoscebat, cuiusmodi esset vultus eius, simile legitur de Moyse. Exo. 34. & 2. Cor. 3.
quòd *non poterãt filij Israel respicere in* *Exod. 34.*
faciẽ Moysi propter gloriam vultus eius, *& 2.*
quia cornuta apparebat facies eius ex con- *Cor. 3.*
sortio sermonis Domini. Si ergo tan pulchra aparuit facies Prophetæ ex cõsortio sermonis Domini, quid æstimas de facie matris ipsius verbi? Item ratione pulchritudinis corporalis, & virginitatis figuratur ipsa per
Rebeccam, de qua legitur, Genes. 24. *Ecce* *Gen. 24.*
Re-

Rebecca egrediebatur, &c. Habens hidriam in scapula, *puella decora nimis, Virgoque pulcherrima, & incognita viro.* Propter hoc etiam figuratur ipsa fere per vniuersas mulieres, quæ de corporali pulchritudine commẽdantur in Biblia, vt fuerunt Sara, Rebecca, Rachel, tres filiæ Iob, Noemi, Abisac, Abigail, Bersabee, Susanna, Iudith, Esther, & cæteræ multæ. Postremò Beata Virgo propter suam formositatem comparatur rosæ, de qua Eccl. 24. dicitur: *Quasi plantatio rosæ in Hyericho.* Plantatio rosæ in Hyericho est in candorem virginitatis plantata affectio martyrij, & passionis. Ideo Luc. 1. dictum est eleganter: *Et nomen Virginis MARIA*, quia in amaritudine cordis sui compassa est Christo morienti. Color enim roseus, quasi sanguineus est, & sanguis signat martyrium. Vnde ipsa fuit rosa in Hyericho, quod sonat defectus, quia compassa est filio, quando fides in omnibus defecerat, præter ipsum. MARIA igitur dicitur rosa, quia rosa inclinis, & humilis in statura per humilem obedientiam, iuxta doctrinã Spiritus Sancti dicentis ad eam: *Audi filia, & vide, inclina, &c.* Aromatica. Vnde Cant. 4. *Odor vnguentorum tuorum super omnia aromata.* MARIA rosa propter pulchritudinem naturalem. Vnde Can. 4. dicit ei spõsus: *Tota pulchra es amica mea*, &c. Verecundiam virginalem, vnde dicitur ei Cant. 4. *Sicut fragmẽ mali punici, ita genæ tuæ, &c.* Patientiam singularem, purpurei enim, vel sanguinei coloris est, & in sanguine signatur martyrium; quia mente compassa, est filio, & intentio eius doloris signatur in rosa per intensionem ruboris Dei, & proximi charitatem: rosa enim coloris est ignei, & per ignem charitas designatur. Luc. 12. *Ignem veni mittere in terrã*, est enim rosa intensissimi ruboris, in quo summa perfectio amoris est, & frigida, in quo notatur exclusio totius praui amoris, quod benè competit Beatæ Virgini, quæ dicit Cant. 2. *Dilectus meus mihi.* Hunc perfectum amorem ipsa habuit in Hyericho, id est in creatione mortali, MARIA rosa, quia Hyericho defectus, frigida folia eius, verba eius. Vnde protestata est: *Quoniã virum non cognosco*, frigida etiam in foljis ab effectu, quia orationibus suis, mentis, & exemplis malarum concupiscentiarum feruores refrigerat, & maximè in familiaribus suis. Amara, & hoc ab effectu, quia semen eius, id est, verba, & exempla in suis imitatoribus amarizant mundi noxias voluptates. Ipsa enim designatur per librum, quẽ deuorauit Ioannes Apoc. 10. *Qui erat dulcis* gustu, *& amarus effectu.* Crocea in quo designantur affectus intimæ charitatis suę. Ei enim *cura est de omnibus*, Sap. 6 quasi

Ecclꝛ 24.
Luc. 1.
Psal. 44.
Cant. 4.
Cant. 4.
Luc. 12.
Cant. 2.
Luc. 1.
Apoc. 10.
Sap. 6.
Phil. 1.

diceret illud Philip. 1. *Testis mihi est Deus, quomodo vos omnes cupiam in visceribus Christi* filij mei, capitis confortatiua. Per caput mentem intellige, confortauit enim Basilium Iulianum Apostatã formidantẽ, & Theophilum iam ferè desperantem, quando locuta est ad cor eius. Ideo dicitur rosa in Hyerico, quod interpretatur defectus, quia sæpè nisi confortaret, peccatores deficerent. Oculorum clarificatiua, derosis enim efficitur aqua rosea, quæ doloris est mitigatiua, pulcherrima ad intuendum. Ipsa enim est *pulcherrima* mulierum, Canticor. 5. Sicut rosa florum, cui dicit filius, Cant. 5. *Ostende mihi faciem tuam, &c. quia facies tua decora.* Suauissima ad tangendum: rosa enim de spina nascitur, non spinosa, & MARIA de Iudęis, qui erant quasi spinæ. Vnde sicut spina rosam, &c. Sed ipsam non inueniunt peccatores spinosam, aut scrupulosam, quia suauis est vniuersis. Bernardus: Quid ad MARIAM accedere trepidat humana fragilitas, nihil austerum in ea, nihil terribile, tota suauis est, omnibus afferens lac, & lanam. Delicatissima ad olfaciendum. Vnde dicunt adolescentulæ, Cant. 1. *Curremus in odorem vnguentorũ tuorum*, & propter eius pulcritudinẽ, & hanc suauitatẽ dicit ei Ecclesia, speciosa facta est ad intuendũ, & suauis ad tangendum, & olfaciendum, spinis adhæret, licèt eis omnino dissimilis, & MARIA peccatoribus, qui sunt spinæ pietate adhæret, & compassione, licet à peccato omnino existat immunis. Priùs clausa ad solis ortum aperitur. Vnde licèt votum castitatis haberet, soli tamen iustitiæ aperuit suum consensum: *Ecce ancilla Domini*, &c. Antequam marcescat, carpitur, quia licet Beata Virgo moreretur, tamen caro eius non vidit corruptionem. Augustinus. Credimus, quòd nunquam caro cõputruerit in terris, cuius pars glorificata est in cœlis

Cant. 1.
Luc. 1.

Nona Stella Octauæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd ipsa dicitur vxor.

VXor figurata Genes. 3. vbi legitur. *Vocauit Adam nomen vxoris suæ Euam, eòquòd mater esset omnium viuentiũ* Apoc. 19. *Venerunt nuptiæ agni*, id est, tempus carnẽ assumendi. *Et vxor eius præparauit se*, id est, se redidit idoneam, vt de ipsa carnem assumeret. Præparauit, inquam, per libertatem arbitrij, sed quia hoc non sufficit sine adintorio gratiæ. Subdit, *& datum est illi, vt cooperiat se bysso*, id est, castitate splendente ad alios per exemplum, & candido, quoad se, & hoc maximè quando vouit vir-

Gen. 3.
Apoc. 19.

Esa.25. virginitatem. Esa.25. *Gloria Libani*, id est, candor virginitatis, *decor Carmeli*, id est, bona conuersatio exterior. Ideo de MARIA dicitur, Eccl.6. *Decor enim vitæ est in illa, &c.* Vxor hæc figurata est. Iudicum 5. vbi legitur in figura MARIÆ. *Benedicta inter mulieres Iabel vxor Aber Cinei, &c.* Beata MARIA dicitur vxor Christi; nam si omnis anima spiritualiter vxor Dei est, illa præcipuè vxor dicitur, in quâ plus contulit gratiarum, sed in contractu matrimonij cõsuetudo est, vt vxor det aliquid viro propter nuptias, & vir dotet vxorẽ. Quid Christo dederit Beata Virgo propter nuptias, signatur in nominatione sponsi, cùm dicitur: *Aber Cineus.* Aber interpretatur vulneratus, vel liuidus, Cineus, lugens; Christus enim sumpsit in Virgine, & ipsa dedit ei per consensum naturam, in qua vulneratus est, & liuidus factus, & lugens. Luxit enim *propter peccata nostra*, sicut dicitur ad Hebræos 5. vt nõ solum carnis sanguinẽ, sed & animæ lacrymas pro nobis daret: nam sicut vulnerata carne sanguis fluit, sic ex anima ipsius per compassionem vulnerata fluxerunt lacrymæ, & quia duplex est peccati genus, apertum scilicet, quod dicitur vulnus, & occultum, quod dicitur liuor, pro nobis sustinuit vulnera, & liuores. Esa.53. *Vulneratus est propter peccata nostra, & liuore eius sanati sumus.* Bis autem quasi dotauit Dominus Virginem: primò gratia, secundò gloria, vt supra dictum est de sponsa. In hoc autem, quòd Beata Virgo dicitur vxor, & desponsata, cùm tamen firmum propositum virginitatis habuerit, eius notatur humilitas, vnde & meritò violæ comparatur, & cum filio suo. Cant.2. dicit: *Ego flos campi, &c.* qui propriè est viola, sicut quidam dicunt; & secundùm Isidorum dicitur à viodoris, cuius flos ante omnes alios flores apparens serenitatẽ temporis venientem designat, quia nascitur, incipiente tempore vernali. Similiter MARIA, quæ prima emisit votum perpetuæ virginitatis, quasi in principio nascentis Ecclesiæ apparuit, & in tempore vernali, quando omnia terræ nascentia quodam modo innouantur; nam ab ipsa incæpit reparatio mũdi, & postea ipsa, quasi purpurata est in Filij passione, cuius dolor ei pro martyrio comparatur, quod in purpura figuratur. MARIA viola, quia viola flos paruulus per humilitatem. Incliuis per obedientiam terræ adhærens, id est, terrenis peccatoribus per compassionem, pietatem, & affectum misericordiæ, subtilis, & suauis odoris, per suauem olentem opinionem, Deum, Angelos, & homines delectantem, ideo propter vim odoris, dicitur viola. Temperatæ complexionis per omnimodam modestiam, quando regebatur omni moderamine rationis purpurei aerei, & iacinthini coloris, & etiam liuidi, purpurei, quia Regi Regum conuenient. Purpura enim Regibus conuenit, vel purpurei per martyriũ animæ, quia sanguis, quo signatur martyriũ purpurei coloris est. Iacinthini, qui color cęlestis est, quia *conuersatio eius erat in cœlis.* Philip. 2. aerei ratione suæ contẽplationis. *Cœlos* enim *attingebat* stans in terra. Sap. 18. liuidi, quia mente compassa est filio patienti. Vnde dicit, Cant.1. *fusca sum, quia decolorauit me sol.* Ardores febrium reprimit, id est, vitiorum tentantium, maximè in familiaribus suis, ardor, tentatio carnis, vel iracundia mentis, frigus, auaritia, pigritia, ignauia, torpor, & desperatio noxios, & corruptos purgat humores, quia orationibus, & exemplis suis malos elimiant, & egregios format mores. Deficcata, & arida membra humectat, quia amatoribus suis deuotionis, & charitatis pinguedinem submistrat. Ex ea componitur Syrupus violatus, quia sanguis ægriditudinibus peccatorum medicinalis est intercessio eius, propriè appellatur flos campi. Cant.2. *Ego flos campi*, quia de terra inculta nascitur, & propter communitatem, & cæteras proprietates, quas paulò superiùs assignauimus, Christo, qui florem campi specialiter se appellat. Ipsa etiam nata est de Iudæis incultis, & squalentibus per vitia, & peccata.

Hebr.5. *Esa.53.* *Cant.2.* *Phili.2.* *Sap.18.* *Cant.1.* *Cant.2.*

Decima Stella Octauæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd ipsa dicitur Virgo.

VIrgo. Nota, quòd Virgo dicitur à viridiori ætate, sicut virga, & virgula, & ab incorruptione, quasi virago, eòquòd ignoret fęmineam passionem. Sed tamen non rectè dicitur virago, sed non facit opera virilia, sicut Amazones. Virgo autem dicitur per syncopam, quasi virago, id est, viriliter agens. In hoc autem, quòd syncopa tollit de medio, designatur humilitas, quæ de medio eius, id est, de corde tulit omnimodam præsumptionem, & tumorem superbiæ, quę infusa repellit. Hyerem. 2. *Nunquid obliuiscetur virgo ornamenti sui*, quod est summa pulchritudo eius, *aut sponsa fasciæ* pectoralis, id est, summæ sapientiæ suæ. Viriliter enim egit Virgo MARIA, immo viriliùs omnibus creaturis, quando accinxit fortitudine lumbos suos, & prima emisit votũ virginitatis absque omni humano præcepto, consilio, & exemplo, sola inspiratione, & familiari consilio Spiritus Sancti, sicut dicit Beatus Bernardus. Roborauit, & brachium suum, & manum misit ad fortia; quãdo mater effecta Creatoris sui ipsum cũ omni diligentia, & deuotione nutriebat.

Hyere.2.

Hæc

Hæc est Virgo, quæ ſęuum Rhenocerontem manſueſcere fecit in ſuo gremio virginali. Dicunt, qui ſcripſerunt naturas animalium, quòd Rhenoceros, vel vnicornis animal eſt ſæuiſsimum, & tantæ fortitudinis, quòd nulla venatorum arte capi poteſt, ſed viſa virgine in tantùm miteſcit, quòd à venatoribus capi poteſt. Rhenoceros iſte Chriſtus eſt, cuius poteſtati, quæ deſignatur per cornu, nemo reſiſtit. Sæuus enim, & indomitus videbatur iſte Rhenoceros, quando pro ſola cogitatione ſuperbiæ Luciferum cum ſuis de cœlo, pro morſu pomi. Adam, & Euã expulit de Paradiſo, Originalem mundum deleuit diluuio, Sodomitas igne complutos, & ſulfure demerſit in inferno, & huiuſmodi, ſic in cœlo, ſic in terra iſte vnicornis ſæuiebat, donec glorioſa Virgo noſtra Chriſtum in huius mundi caſtellum intrantem ſuſcepit in domum ſuam. Hoc eſt in gremium veteri virginalis, velut vnicornem in ſinu, & ipſum veſtiuit carne virginea, in qua incompręhenſibilis ſecundùm deitatem capi dignatus eſt à venatoribus gentilibus, ſcilicet, & Iudæis, & adductus ſponta neæ occiſioni ſe paſſus eſt crucifixi. *Iob 39.* Dicit etiam Gloſſa ſuper illud, Iob 39. *Nunquid volet Rhenoceros ſeruire tibi?* quòd Rhenoceros captum ſe intuens, ex indignatione moritur. Sic & Chriſtus mortuus eſt ex indignatione, quam habuit contra peccata. Nota, quòd Beata Virgo propter ſuam puritatem comparatur lilio, Cant. 2. *Cannt. 2.* *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Verba ſunt Chriſti de MARIA, vel fideli anima, lilium ratione candoris ſignat innocentiam, & peccati immunitatem, quia MARIA, ex quo ſanctificata eſt ab originali, creditur non peccaſſe. Dicitur autem, lilium, quaſi lacteum propter colorem lacteum. MARIA dicitur lilium, quia ſicut lilium ſpinis, inter quas naſcitur, præſtantius eſt abſque comparatione, ſic MARIA Iudæis, de quibus nata eſt. Vnde ſicut ſpina roſam, genuit Iudea. MARIAM, immo in eius comparatione ſpinæ reputantur & animæ ſanctæ, & virtutes Angelicæ, quia ſicut dicitur, Iob. 25. *Iob 25.* *Luna non ſplendet, & Stellæ non ſunt mundæ in conſpectu eius, quãtò magis homo putredo, &c.* Item ſicut lilium candorem ſuum retinet inter ſpinas, & quanto magis ab illis pungitur, maiorem emittit odoris fragrantiam, ſic MARIA dum à nequam Iudæis in filio pungeretur, ſemper retinuit mentis innocentiam, nõ reddens malum pro malo, nec pro maledicto retribuens maledictum, immo cùm ipſius mentem pertranſiret gladius paſſionis, vbi tota cõpuncta eſt, vt diceret cum Suſanna, quod interpretatur lilium, *anguſtiæ mihi ſunt vndique,* *Dan. 13.* Dan. 13. Tunc veriſimè dixiſſe viſa eſt illud Cant. 1. *Cùm eſſet Rex in accubitu ſuo,* id eſt, in humiliatione Crucis, *nardus mea dedit odorem ſuum.* Inde etiam candori huius lilij accreuit rubor roſæ, quia compaſsio cordis virginei, pro ſummo martyrio Virgini reputatur. Item ſicut lilium totum, quod habet odoris, & decoris fructus, & amęnitatis tranſmittit ad ſummum, & collocat in capite ſuo, ſic MARIA Deo Trinitati quidquid boni habet, attribuit, dicens: *Fecit mihi magna, qui potens eſt, &c.* quaſi diceret cum Apoſtolo illud, 1 Cor. 15. *Gratia Dei ſum id quod ſum,* & hoc facit exemplo Filij ſui, Patri, à quo habet originem totum attribuentis. Vnde dicit Ioan. 17. *Pater omnia mea tua ſunt.* Item ſicut lilium dolores mitigat, & ardores extinguit, ſic MARIA precibus ſuis, & exemplis in nobis peccatoribus, & in ſeruis ſuis, quàm maximè noxias refrænat, & extinguit concupiſcentias, & mitigat dolores animæ, conſolationẽ gratiæ tranſfundendo in eam, vt ei veriſimè poſsit dici. *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ o MARIA lætificauerunt animam meam.* Item liliũ in medio floris grana habet crocea, quæ quaſi aurea, quæ ſeptem haſtulis ſupportantur, in quo ſeptiformis gratia deſignatur, quæ florem MARIÆ, id eſt, Chriſtum ſuper omnes *impleuit.* Eſa. 11. Deſignantur etiam in granis aureis initia bonorum operum, & theſauri *ſapientiæ, & ſcientiæ,* quæ fuerunt abſconditi in hoc flore. Coloſ. 2. Vel grana aurea in medio floris Filius Dei, Deus, & homo in vtero Virginis. Item in lilio flos fructus eſt, ſic & in Virgine flos eius, id eſt, Chriſtus fructus eius. Vnde ipſa dicit, Eccl. 24. *Flores mei fructus honoris, & honeſtatis.* Chriſtus enim flos eſt expectantibus, fructus fruentibus, flos in via, fructus in patria. Lilium etiam MARIÆ, id eſt, virginitas eius fructificauit ſola per naturam. Item radix Filij, quæ latet ſub terra, ſignat fidem Virginis, quia fides eſt de occultis, haſtillæ quod in altum ſurgit, ſpem Virginis de cæleſtibus, flos candidus intus, & extra innocentiam virginalem, grana aurea chariratem. Quia ſicut concauitas floris hæc grana continet, ſic & humilis innocentia, & innocens humilitas cordis MARIÆ plena extitit Dei, & proximi dilectione. Claua ſupportans grana illa ſignificat timorem, qui ſi ſit filialis, vel caſtus, cõtiguus eſt charitati. Itẽ generaliter in lilio totali flore, & ſtipite notantur hìc in candore puritas, & innocentia, in odore deuotio, & bona fama, in virore immarceſcibilitas deſignatur. Item moraliter flos lilij ſex folia candida habet, ſex folia caſtitas cordis, & quinque ſenſuum, & ſex ſunt, quæ præcipuè incorruptam cuſtodiunt caſti-

Luc. 2. *1. Cor. 15* *Ioan. 17.* *Pſal. 93.* *Eſa. 11.* *Eccl. 24.*

castitatem, videlicet, sobrietas, operatio, cultus asperitas, custodia sensuum, verecundia sermonũ, vitatio opportunitatis peccãdi, scilicet, loci, tẽporis, & personæ, de primo, 2. Petr. 5. *Sobrij estote, & vigilate, &c.* Hoc folium lacerat spina gulositatis, vt patet in *Loth.* Genes. 19. Qui ebrius commisit incestum. Ideo Rom. 13. *Non in commessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicicijs.* De secundo Ioann. 9. *Me oportet operari, &c.* Hoc folium lacerat spina ociositatis, vt patet in sodomitis Eccl. 16. *Hæc fuit iniquitas sodomitarum, &c.* Ociositas enim via est ad luxuriam; ideo dicitur Eccl. 33. *Mitte seruum,* id est, corpus *in operationem ne vacet. Multam enim malitiam docuit ociositas,* de tertio, Matt. 6. *Nolite soliciti, &c.* vsque *induamini.* Item habentes alimenta, &c. Nimia enim compositio vestium via est ad luxuriam, de quarto Esa. 33. *Qui ambulat in iustitia, & loquitur veritatem, &c.* Hoc folium lacerat curiositas videndi vana, audiendi noua, & huiusmodi, & hæc est via ad luxuriam, vt patet in *Dina,* Genes. 34. Hierem. 9 *Docete filias vestras lamentum, quia mors intrauit per fenestras,* de quinto, Eccl. 22. *Quis dabit ori meo custodiam, &c.* Item debet dicere puella: *Posui ori meo custodiam, cùm consisteret peccatum aduersùm me.* Hoc folium lacerat loquacitas, quia est via ad luxuriam. Vnde Prou. 7. *Irretiuit eum multis sermonibus, &c.* statim ea sequitur. 1. Cor. 5. *Corrumpunt bonos mores colloquia mala,* vel confabulationes pessimæ. De sexto, 1. Thim. 5. *Adolescentiores viduas deuita.* Opportunitas autem loci via est ad luxuriam. Vnde *Tamar corrupta est* ab Amon, quia sola cum solo, 2. Reg. 13. Ideo Loth. dictum est, Genes. 19. *Nes stes in omni circa Regionem Sodomæ.* Item intra florem lilij sunt sex grana aurea, quæ figurant charitatem, qua tribus modis diligitur Deus, scilicet, dulciter, sapienter, fortiter, & tribus de causis propter tẽporalia, quæ tribuit, propter spiritualia, quæ infundit, propter cælestia, quæ promittit, de primo Hierem. 5. *Metuamus Dominum, qui dat nobis pluuiã tẽporaneam, & serotinam in tempore suo, & plenitudinem annuæ messis,* de secũdo. *Aperi os tuum,* scilicet, os cordis ad desiderandum, & os corporis ad orandum, & *implebo illud* charismatibus gratiarum: de tertio, 1. Cor. 2. *Oculus non vidit, &c.* Sumptum est de Esa. 63. capite, secundùm aliam editionem

(***)

1. *Pet.* 5.
Gen. 19.
Rom. 13.
Ioann. 9.
Eccl. 16.
Eccl. 33.
Matt. 6.
Esa. 33.
Gen. 34.
Hiere. 9.
Eccl. 22.
Psal. 38.
Prou. 7.
1. *Cor.* 5.
1. *Thim.* 5.
2. *Reg.* 13
Gen. 19.
Hiere. 5.
Psal. 80.
1. *Cor.* 2.
Esa. 63.

Vndecima Stella Octauæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd ipsa dicitur vidua.

VIdua Beata Virgo dicitur, designata per viduam illam Euangelicam, quæ tantùm *duo minuta misit in Gazophilacium,* Luc. 21. quæ plus cunctis diuitibus posuit iuxta Dominicam sententiam. Vnum minutum fuit eius humilitas, quæ valde minutã fecit eam in reputatione sua, & quæ valde minutum facit hominem se ipsum reputare. Vnde dicitur Angelo Philadelphiæ, Apoc. 13. *Ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere, quia modicam habes virtutem,* id est, humilitatem. Talibus enim apertum est ostium Paradisi, quia *humilem spiritum suscipiet gloria.* Prou. 29. Aliud minutum est fides, quæ comparatur *grano sinapis,* Luc. 17. Hæc duo minuta posuit MARIA, quasi in Gazophilacio, quod est Christus, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi.* Coloss. 2. quando dixit: *Ecce ancilla Domini.* Ecce primum minutum, *fiat mihi, &c.* Ecce secundum, & benè dicta est plus omnibus obtulisse, quia omnibus humilior, & omnibus fideliot, & istud plus sonat in pretium, non in numerum; nam Dominus non considerat quantum datur ei, sed ex quanto. Plus enim attẽdit dantis charitatem, quàm muneris quantitatem; & secundùm charitatis intentionem retribuit gloriam, vel coronam. Nulla enim preciosiorem Deo obtulit oblationem voto virginitatis, quod ipsa prima obtulit, sicut manifestè dicit Beatus Bartholomæus. Dicitur etiam posuisse totum victum suum, quia in sola humilitate gloriabatur, & ei dictum est. Luc. 1. *Beata quæ credidisti, &c.* Per humilitatem enim viuit anima vita gratiæ, *& iustus ex sua fide viuit.* Abacuch. 2. vel duo minuta duplex humilitas. Item per viduam MARIAM Sareptam signatur MARIA, quæ pauit Heliam, id est, Christum. 3. Reg. 17. de cuius hidria *non defecit farina, nec oleum de lechito,* designatur etiã per viduam illam, *quæ vasa vacua impleuit oleo* ad præceptum Helisei, id est, Christi, 4. Reg. 4. sed plena nequaquam, quia sicut dicit Philosophus, fundit potius, qui mittit in plenum, vasa vacua sunt corda vacuata ab amore terrenorum, & ab immundicia mortalis peccati lota, &c.

Luc. 21.
Apoc. 3.
Prou. 29.
Luc. 17.
Coloss. 2.
Luc. 1.
Luc. 1.
Abac. 2.
3. *Reg.* 17.
4. *Reg.* 4.

Duo-

Duodecima Stella octauæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd ipsa dicitur Regina.

REgina MARIA vocatur, de qua Christo in Psalmo 44. dicitur, *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate.* Commendatur autem hæc Regina à multis. Primò à promptitudine seruiendi, vel ministrandi, quia astare ministrantis est, vbi dicitur: *Astitit*, Dan. 7. *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei*, 3. Reg. 10. Dixit Salomoni Regina Saba: *Beati seruitui, qui stant coram te semper, &c.* Secundò, à promptitudine auxiliandi, quia astare auxiliantis est, vnde Stephanus vidit *Iesum stantem*, scilicet, quasi iuuare paratum. Actuum 7. Item Apoc. 14. *Vidi supra montem Sion agnum*, id est, Christum, per innocentiam *stantem*, quasi iuuare paratum. Tertiò à promptitudine contradicendi aduersarijs nostris, accusantibus nos in curia Vnigeniti sui, quia astare contradicentis est, & ideo ipsa dicitur aduocata nostra, quia in conspectu Dei bonum pro nobis loquitur, & contradicit aduersarijs nostris, quæ sunt duo officia aduocatorum, &c. Quartò à perseuerantia in supradictis, quia astare perseuerantis est. Vnde Eccl. 2. *Filij accedens ad seruitutem Dei sta in iustitia, & timore*, id est, perseuera in hac duplici virtute, ipsa enim indesinenter, & perseueranter opitulatur seruis suis, nec vnquam deserit hominem, nisi priùs ab homine deseratur. Ideo dicitur. *Astitit*, & prophetica certitudine posuit Dauid præteritum pro futuro. Vnde in quadam prosa dicitur: stabat iuxta crucem Christi Mater dolorosa: stabat, id est, perseueranter manebat iuxta crucem. Quintò à Regia dignitate, authoritate, potestate, maiestate. Vnde de ipsa amatoribus suis murus est inexpugnabilis, & turris fortitudinis, terribilis malignis spiritibus, vt castrorum acies ordinata, id est, sicut vniuersitas Sanctorum, vnde alij Sancti orant pro nobis Filium suum: ipsa autem materna, & Regia authoritate præcepit Filio. Vnde ipsa designatur per Regiam *Saba*, 3. Reg. 10. & 2. Paralip. 9. & per Esther Regiam. Sextò à consensu ad dexteram Filij. Vnde *à dextris tuis*, id est, in potioribus bonis tuis, qui videlicet consessus designatur, 3. Reg. 2. vbi dicitur, quòd Bersabee *positus est thronus Regius*, & sedit ad dexteram Regis Salomonis. Septimò, à speciositate, & pretiositate vestimenti, id est, corporis glorificati. Vnde *in vestitu deaurato*, id est, in corpore glorificato. Sicut dicit Beatus Bernardus. Octauò, à vestimentorum, id est, virtutum, vel meritorum, seu dignitatum, vel præmiorum multitudine. Vnde *circundata varietate.* Nonò, àboni exempli diffusione. Vnde *circundata*, vt qui viderint, id est, qui intellexerint, ædificétur, & ad simile inuitentur. MARIA etiam Regina dicitur propter Regiam parentelam, & generis nobilitatem, quia regali ex progenie MARIA orta de tribu Iuda, clara ex stirpe Dauid. Fuit enim de tribu Sacerdotali, & Regia, quia Christum paritura erat, qui est Rex, & Sacerdos. Vnctionem. Vnde dicitur ei: *Vnxit te Deus* omnium per creationem. *Deus* Filius tuus secundùm humanitatem, *Oleo lætitiæ*, quo Spiritus Sanctus propriè intelligitur, quo repleta est vtero Matris suæ: non enim *ad mensuram donauit* illi Deus Spiritum Sanctum, Ioann. 3. cuius gratia non solùm impleta est, sed etiam cumulata, vt de eius plenitudine accipere omnes valeamus *gratiam pro gratia*, Ioann. 1. *Præ participibus tuis*, quæ sunt omnes, & singulæ bonæ mulieres, virgines, viduæ, & coniugatæ, quod ostenditur, cùm ei dicitur: benedicta tu in mulieribus. Desponsationem. Cui dictum est, Oseæ 2 *Sponsabo te mihi in fide.* Quære supra, vbi MARIA dicitur sponsa. Dotationem, cui sponsus suus Rex primò gratiam, secundò gloriam, immo & Regum cæleste cum omnibus pertinentijs suis contulit loco dotis. Vnde in figura eius dixit Lya, Genes. 30. *Ditauit me Deus dote bona.* Dignitatem. Participat enim, vt dictum est, Regnum cæleste cum Filio, & quæ in præsenti se exhibuit humilem ancillam, ibi tanquam sublimis Regina à Sanctis omnibus adoratur, iuxta illud, Eccl. 11. *ab humilitate exaltauit caput eius*, maximè quando coronata est gloria & honore. Potestatem, qua potenter subuenit peccatoribus ab ipsis fideliter inuocata, sicut patet in Theophilo, vt ipsi congruè possit attribui istud. Prouerb. 20. *Rex, qui sedet in solio iudicij, &c.* Et ditatur Regina, quæ sedet in solio iudicij, quia per ipsam nobis adiudicatum est Regum, quod per Euam perdidimus. Largitatem; largitur enim seruis suis dona gratiarum, vestes virtutum, thesauros meritorum, & magnitudinem præmiorum. Vnde & ipsa dicit Prouerbior. 8. *Mecum sunt diuitiæ & gloria*, id est diuitiæ gloriosæ, &c. Ipsa enim *dat omnibus affluenter, & non improperat.* Iacob. 1. Liberalitatem. Liberalis enim est, quia liberalitas est virtus omnibus exposita, communis alloquio, dulcis obsequio, omnium bonorum familiaritatem retinens: & hæc descriptio

Psal. 44. — *Dan.* 7. — 3. *Reg.* 10 — *Act.* 7. — *Apoc.* 14. — *Eccl.* 2. — 3 *Reg.* 10 — 2. *Paral.* 9. — 3. *Reg.* 2. — *Ioann.* 3. — *Ioann.* 1. — *Ose.* 2. — *Genes.* 30 — *Eccl.* 11. — *Prou.* 20 — *Prou.* 8. — *Iacob.* 1.

benè conuenit liberalitati MARIÆ. Protectionem. Tria enim in hac vita turbant, seu tentant nos, à quibus Beata Virgo nos protegit, æstus, turbo, & pluuia, per æstum concupiscentia, per turbinem superbia, per pluuiam assiduam importunitas tentationum designatur. Protegit autem nos Beata Virgo MARIA contra æstum concupiscentiæ exemplo castitatis, contra turbinem superbiæ exemplo humilitatis, contra importunitatem tentationis diabolicæ, virtute assiduæ orationis, nec patitur summa eius benignitas supra id, quod possumus nos tentari, sed cum ipsis tentationibus dat prouentum. Ideo de ipsa dicitur, Esa. 4. *Erit tabernaculum in vmbraculum diei ab æstu, &c.* Custodiam. Tradita est enim custodienda Egeo eunucho exemplo Reginæ Esther, per quem scilicet eunuchum signatur Gabriel, vel melius Ioannes Euangelista, virgo electus à Domino, vel etiam pluribus eunuchis, qui designant Angelos, iuxta illud Psalmi 90. *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te, &c.* Coronationem. Coronata est enim in Reginam in sua Assumptione, sicut ei promiserat Filius, Canticor. 4. *Veni de Libano, veni coronaberis.* Ideo designata est per Esther, quam Rex Assuerus accepit in vxorem, & voluit esse Reginam, & posuit diadema Regni in capite eius, id est, coronam virtutum in gratiæ adimpletione, & coronam gloriæ in Assumptione. Caput MARIÆ dici potest humilitas ipsius merito cuius coronata est in Reginam. Vel etiam virginitas, cui debetur aureola, & dedit sibi Rex Assuerus, id est, filius suus medietatem Regni sui, quia MARIÆ tanquam Reginæ concessit misericordiam, & sibi reseruauit iustitiam, &c.

Esa. 4.

Psal. 90.

Cant. 4.

NONA CORONA, ET prima Stella eiusdem

NOna Corona capitis gloriosæ Virginis MARIÆ est corona magnæ dignitatis, quia de Partiarchis orta, & omnes gratias, ac excellentias, quas habuerunt Patriarchæ, quibus Deo fuerunt accepti, multò excellentiùs ipsa habuit. Duodecim Stellæ huius Coronæ sunt duodecim Patriarchæ, de quorum progenie Beata Virgo fuit nata, & quorum virtutes in se habuit. Prima Stella huius Coronæ fuit Adam, Secunda Abel. Tertia Enoch. Quarta Noe. Quinta Abraham. Sexta Isaac. Septima Iacob. Octaua Ioseph Nona Moyses. Decima Samson. Vndecima Dauid. Duodecima Salomõ.

Prima igitur Stella huius nonæ Coronæ, vt dictum est, fuit Adam, de quo orta est Beata Virgo MARIA, & eius virtutes perfectissime habuit, sicut & cæterorum. Primo enim Adam tanquam primus parens humani generis habuit donum iustitiæ originalis, per quam fuit in innocentia creatus. Beata Virgo habuit solem, & fontem iustitiæ, per quem nocentes, & peccatores ad statum sempiternæ innocentiæ perducuntur. Adam ergò per peccatum perdita iustitia de Paradiso cecidit, quo casu totam posteritatem corrupit, & ad mortem condẽnauit. Beata Virgo de massa corrupta concepta, tantam gratiæ efficaciam obtinuit, vt obseruata innocentia ipsam vitam de cœlo traxerit ad terram, per quam omnibus credentibus vita perpetua, & innocentia condonaretur. Adam propter inobedientiam maledictionem promeruit. Beata Virgo propter obedientiam maledictionem illam in benedictionem commutauit. De obedientia MARIÆ dicit ipsa, Cant. 5. *Anima mea liquefacta est* per incendium charitatis. Parata videlicet instar metalli liquefacti decurrere in omnes modulos diuinæ voluntatis, *vt dilectus locutus est* ad me per Gabrielem, postulans me in matrem, cui me obtuli in ancillam, sciens, *quoniam qui se humiliat, exaltabitur*. Nota, quòd proprium est metalli liquefacti descendere, sic fecit MARIA obediendo, cùm postulata fuit in Matrem Dei, quod fuit ei summa dignitas, se nominauit ancillam, quod fuit summa humilitas, & ideo animæ suæ attribuit liquefactionem, quæ est propriè metalli. Itẽ ratione obedientiæ comparatur MARIA auro, vbi dicitur Archa, Thronus, Solium, & comparatur fere omnibus vasis Templi, & tabernaculi, quæ fuerunt aurea. Aurum enim tractabilius est omnibus metallis, & quantò tractabilius tantò subtilibus operibus faciendis competentius, de quo videlicet auro fabricatum est artificio Spiritus Sancti vas illud admirabile opus excelsi, in quo Filius Dei comedit fauum suum cum melle suo, bibit vinum suum cum lacte suo. Item in obedientia MARIÆ impletum est, quod olim prædixerat Dominus, Osee 6. *Obedientiam se malle*, quàm *sacrificium*. & scientiam Dei, &c. Item ratione obedientiæ potest ipsa dicere cum Filio suo, Esai. 50. *Erigit mane, mane erigit mihi aurem, vt audiam quasi Magistrum. Dominus Deus aperuit mihi aurem, &c.* Eleganter verba disposuit, cùm sibi prius erectam aurem perhibuit, quàm apertam: erectam habet aurem, qui non ad rumusculos singulares, vel ad eloquium de terra musitans, sed ad ea, quæ de sursum sunt, paratum habet auditum, quibus bonum est aurem aperiri: de-

Cant. 5.

Osee 6.

Esai. 50.

depressa est enim auris, quæ verbis secularibus diligenter attendit. Manè dicit MARIA erectam sibi aurem, quæ ab initio ætatis, ad verba cælestia paratum habuit auditum, & docuit nos habere: Erexerat autem, & aperuerat Dominus auditum MARIÆ. Vnde quasi iuuencula erectam habens aurem facilè, & libenter suscepit verba Angelica, in quibus turbata est, quæ etiam nullum verbum audisse legitur in Euangelio ante illud, & ab auditu ipsius initium sumpsit nostra reparatio, vt intraret medium, vnde irrepsit morbus, & per eadem vestigia sequeretur vita mortem, lux tenebras, veritatis antidotum, serpentis venenum, & vitæ ianua fieret auditus, per quem intrauerat mors in mundum.

Secunda Stella nonæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd ipsa habuit virtutes Abel.

ABel virginitatem, & martyrium obtinuit à Domino. Propter quæ primus iustus à Domino vocatus est, ad quem *respexit Deus, & ad munera eius*, Genes. 4. Sed virginitas eius fuit infæcunda, & martyrium ei solùm profuit, Beatissima Virgo longè excellentiorem habuit virginitatem, quia cum fæcunditate in concipiendo Deum, & hominem, & excellentius martyrium eius fuit, Luc. 2, *Tuã ipsius animam pertransibit gladius*, scilicet, Passionis Iesu Christi. Nota, quòd tria incommoda solent sequi virginitatem, quæ non fuerunt in MARIA. Primum est superbia, quæ de facili sequitur virginitatem, quia virgines de facili in superbiam eleuantur, & fortè propterea *lampades* fatuarum virginum *extinguuntur*. Matth. 24. Quia vento superbiæ plenæ sunt. Augustinus. Virginitas est prædicanda, non solùm, vt ametur, sed monenda ne infletur. Idem. Bonum virginitatis, quãtùm maius bonũ video, tantò furere superbiam pertimesco. Secundum, amoris trepiditas, *quia cui minùs dimittitur, minùs diligit*. Luc. 7. Quia enim virgines immunes sunt à delicto carnis, nõ accenduntur quandoque ad tantam vim dilectionis. Multùm enim accendebat Magdalenam ad amorem, quia sentiebat tantæ culpæ remissionem. Vnde *dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm*, Luc. 7. Tertium est, sterilitas. Argumentum enim tale est. Virgo est, ergo sterilis. Ideo dicitur de MARIA, Cant. 8. *Quæ est ista?* id est, quanta laude, & admiratione digna, quæ cum virginitate habuit humilitatem, cum integritate feruidam charitatem, cum incorruptione fæcunditatem. Item propter excellentiam suæ virginitatis dicitur, Luc. 1. *Missus est Angelus Gabriel ad virginem*, quasi per excellentiam. Beatus Bernardus. Virginem carne, Virginem mente, Virginem professione, &c. Item de castitate MARIÆ dicit Chrisostomus. O ineffabilis laus MARIÆ. Magis credebat Ioseph castitati eius, quàm vtero eius, & plus gratiæ, quàm naturæ. Possibilius enim credebat mulierem sine viro posse concipere, quàm MARIAM posse peccare. MARIÆ virginitas fuit multipliciter priuilegiata, à Patriarchis quibusdam operibus præfigurata. Præfigurata enim fuit in fenestra christallina, quam Noe fecit in archa, secundùm quod tradunt Hebræi, quæ excludebat aquam in quantùm fenestra, & illuminabat archam in quantùm christallina susceptæ aliunde luce. Archa MARIA. Fenestra christalina eius virginitas, quæ exclusit ab ea aquas carnalium voluptatum, & quę digna fuit in se suscipere Christum ducem veram à Prophetis prænunciata. Vnde Esa. 7. *Ecce Virgo concipiet, &c.* Item Ezech. 44. *Porta hæc clausa erit, &c.* Pro magno munere Dei Ecclesiæ repromissa, cui dictum est, Esa. 60. *Gloria Libani*, id est, candoris virginei ad te veniet, o Ecclesia militans, & triumphans. In quibusdam mulieribus Testamenti veteris præsignata. Figurata enim fuit in virginitate Rebeccę, de qua legitur, Genes. 24. *Quòd erat puella decora nimis Virgoque pulcherrima, & incognita viro.* Et MARIÆ dicit Dauid: *Concupiuit Rex decorem tuum*, id est, virginitatem tuam à Deo Patre benedicta. Vnde in figura MARIÆ dixit Axa patri suo Caleph. Iosu 15. & Iudicum 1. *Da mihi benedictionem Pater, quia terram arentem dedisti mihi, iunge obsecro, & irriguã aquis, &c.* Propter hoc etiam dictum est MARIÆ, *Aue Maria gratia plena, &c. benedicta tu, &c.* à Dei Filio desiderata, quæ dixerat Mich. 7. *Præcoquas ficus desiderauit anima mea, &c.* Præcoquæ ficus prinata virginitas. Ficus enim profert fructus dulcissimos, & sapidissimos, & folia eius candidum lac emittunt. In candore lactis candor virginitatis, in dulcore, & sapiditate fructus, Domino dulce, & sapidum in MARIA votum virginitatis. A Spiritu Sancto corde virgineo inspirata. Ipsa enim prima absque omni humano præcepto, consilio, & exemplo, diuinitus inspirata votum emisit virginitatis, sicut dicit Beatus Bernardus, ad hoc, vt Dei Filius in ea pasceretur à tota Trinitate præparata. Vnde Cant. 2. dicit MARIA de Filio: *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia.* Nouerat siquidem Beata Virgo diui-

Gen. 4. *Luc.* 2. *Mat.* 24. *Luc.* 7. *Luc.* 7. *Cant.* 8. *Luc.* 1. *Esai.* 7. *Ezech.* 44 *Esa.* 60. *Genes.* 24 *Psal.* 44. *Iosue* 15. *Iudic.* 1. *Luc.* 1. *Mich.* 7. *Cant.* 2.

diuinitus inspirata Filium Dei, desiderare lilia virginitatis, in quibus pasceretur. Vnde vouit virginitatem, quasi diceret, lilia desiderabat, lilia ei exhibeo, id est, duplicem virginitatem, carnis, & spiritus, & ergo lilia in plurali, &c. à tota Trinitate in
Eccl. 24. Virgine confirmata Vnde ipsa dicit. *In Sion firmata sum.* Sion interpretatur speculum, quia virginitas sicut vitrum; sicut enim vitrum absque sui dissipatione solarem radium recipit, & emittit, sic MARIÆ virginitas illibata Filium Dei concepit,
Luc. 1. & peperit. Vnde dixit Angelo: *Quomodo fiet istud? &c.*

Tertia Stella nona Coronæ Beatæ Virginis est, quòd ipsa habuit virtutes Enoch.

ENoch cum Deo ambulauit, & nomen Domini inuocauit, & tandem in Paradisum translatus est. Beata Virgo non solùm nominis Dei notitiam habuit, sed Deus ipse se totum eidem visibilem ad cognoscendum, pariterque palpandum præbuit, per quam nomen Dei in vniuersum orbem est mirabiliter diffusum, quæ absq; Deo, quem mente, & ventre gestabat, ambulare nequibat, in cuius vterum velut in Paradisum transtulit se ipse Deus. Vnde vterus Beatæ
Prou. 9. Virginis domus Dei, siue sapientiæ dicitur, Prou. 9 *Sapientia ædificauit sibi domum, &c.* In domo, quæ est MARIA sunt fundamenta per quadrum, scilicet, per quatuor Cardinales virtutes, quas singulas inuenimus, emicuisse in MARIA: habuit enim ex temperantia carnis pudicitiam, sermonis modestiam, cordis mundiciam: ex prudentia siluit turbata, intellexit audita, respondit sapienter ad proposita: ex iustitia reddidit omnibus, quod debebat duris corde gessit morem, in sua desponsatione, in Filij circuncisione, in legali purificatione,
Ioann. 2. Afflictis exhibet compassionem. Ioann. 2. *Filij vinum non habent*, Sanctis reddidit communionẽ, quia erat cum mulieribus, & Discipulis in oratione perseuerans. Ex fortitudine virginitatis propositum assumpsit,
Luc. 1. assumptum tenuit, rei tam immensæ fidem exhibuit. *Fiat, inquit, mihi secundùm verbum tuum*, muri similiter per quadrum. Vn-
Ezech. 40 de Ezech. 40. *Vidi, & ecce murus foris secus in circuitu domus*, vndique muri Angelica custodia, vel muri patrocinia, & beneficia Beatæ Virginis ad illos, qui transgressi sunt regulam Euangelicæ doctrinæ, pro quibus se opponit, tanquam murus contra iram Dei, qui ad hoc elegit eam, vt esset refugium peccatorum, &c. Puritas, virginitas, & maternitas, Eccl. 14. de seruo MARIÆ. *Requiescet iuxta Dominum illius, & in paritibus eius figens palum*, id est, affectum, quadratura amor, & desiderium dolor, & gaudium: de primo. Luc. 1. *Ne timeas MARIA*, de secundo. *Fiat mihi, &c.* dolor in Filij passione. Vnde Luc. 2. *Tuam ipsius animam, &c.* Gaudium de Filij resurrectione. Dimensiones, profundum humilitas, longum fides, vel perseuerans sanctitas, latum charitas, altum spei proceritas, vel excessus contemplationis. Tigna, Laquearia, Cant. 2. *Tigna domorum nostrarum cedrina.* Hæc tigna sunt membra corporalia Beatæ Virginis, ex quibus connexa est domus sapientiæ, quæ velut cedrus fuerunt peccatis incombustibilia. *Sequitur: Laquearia nostra Cypressina.* Laquearia sunt thalami ornamenta, & designant interiora bona spiritualia, quæ ad modum cipressi nulla vetustate peccati comam virtutum deposuerunt. Tigna enim sunt ad fortitudinem domus. *Laquearia* ad decorem, &c. Tectum, patientia contra aeris intemperiem. Multæ mansiunculæ, & diuersoria, multiplicia receptacula ad se confugiendum. Dicit enim cum Filio. Ioann. 6. *Et eum, qui venit ad me, non eijciam foras.* Id circo de ea dicit Filius. Ioan. 14. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Hæ sunt mãsiunculæ, quas de præcepto Patris fecit verus Noe in archa, quæ figurabat MARIAM. Pauimentũ, de quo dicitur, 2. Paralip. 3. *Strauit Salomon pauimentum Templi pretiosissimo marmore, decore multo.* Per hoc pauimentum signatur humilitas Virginis, semper se inclinans deorsum instar pauimenti, quæ receptiua fuit totius virtutis, & omnis spiritualis decoris. In hoc autem, quòd pauimentum factum est de marmore, signatur stabilitas humilitatis mentis virgineæ, & coniunctio harum duarum virtutum pretiosissima, & pulcherrima est coram Deo, & ideo pretiosissimo marmore, decore multo. Sculpturæ huius pauimenti, vel picturæ exempla Patriarcharum, & Prophetarum, quæ omnia inter se transformauit, quæ fuerunt iustitia Noe, fides Abrahæ, obedientia Isaac, lucta Iacob, castitas Ioseph, mansuetudo Moysi, patientia Iob, humilitas Dauid, sapientia Salomonis, zelus Heliæ, & huiusmodi. Qui omnes quasi pauimentum fuerunt respectu huius excellentissimi ædificij. Vnde de Beata Virgine dicitur: *Multæ filiæ*, id est, animę deuotæ, *congregauerunt diuitias*, scilicet, virtutum, *Tu supergressa es, &c.* Porta, fides, qua Christus intrauit, quæ semper clausa fuit Principi, id est, diabolo, qui *dicitur Princeps mundi.* Ioan. 14. de hac porta dicitur, Ezech. 46. *Erit porta clausa sex diebus*

Eccl. 14. *Luc.* 1. & 2. *Luc.* 2. *Cant.* 2. *Ioann.* 6. *Ioan.* 14. 2. *Paral.* 3. *Prou.* 31 *Ioan.* 14. *Ezech.* 42

bus, in quibus opus fuit, die autem Sabbati aperietur, quia clausa fuit ad humanam peccati consuetudinem, sed aperta est, ad introducendum nos in æternam requiem.

Quarta Stella nonæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd ipsa habuit virtutes Noe.

Gen. 5. DE Noe profeticè dictum est: *Iste consolabitur nos ab operibus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus.* Beata Virgo consolata est totum genus humanum, quæ genuit Dominum omnium consolatorem. Item massa carnis humanæ substantiæ maledictioni concupiscentiæ sola Virgo produxit fructum vitalis germinis, per quem liberati ab idolatria, qua manuum nostrarum opera colebamus: cœlestem consolationem accepimus, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, mira pietate, & misericordia. Hanc autem misericordiam, & consolationem per MARIAM accipimus, ratione cuius ipsa fons misericordiæ appellatur, cuius fontis ille se fecit riuum, Psal. 58. & 143. & 144. de quo dicit Psalmus 58. *Deus meus misericordia mea*, & iterum. *Misericordia mea, & refugium meum, &c.* Et cuius vniuersæ *viæ misericordia, & veritas.* Non enim, vt dicit Augustinus, quædam misericordia, & quædam veritas, sed vniuersæ viæ misericordia, & veritas, cùm ergo MARIA misericordiam genuerit, quid aliud est eius vterus, quam ipse misericordiarum thesaurus, & ideo dicitur Mater misericordiæ. O pulcherrima Christi generatio! Priùs enim habuit Patrem misericordiarum, deinde Matrem misericordiæ. Quid ergo ex his nasci potuisset, quàm misericordia? Item largitas MARIÆ imitatur, & assimilat largitatem Luc. 23. Filij sui, qui dat ampliùs, quã petatur. Vnde Luc. 23. Cũ peteret latro, vt haberet sui memoriã, respondit ei Iesus: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Similiter & Rebecca, quæ interpretatur, multum accepit in figura MARIÆ. Helieser petenti aquam ad bibendum sibi, respondit, Genes. Genes. 24 24. *Bibe Domine mi, quin etiam & camelis tuis potum tribuam, &c.* Item ratione misericordiæ eius, dicitur ei, Cant. 1. Cant. 1. *Oleum effusum nomen tuum* Quod nomen effusum, si quis voluerit recolligere, palato suo saporem, vulneribus suis medicinam, lucem tenebris suis poterit inuenire. Nunquid Mater misericordiæ, quæ plena est gratia nomen suum totis præcordijs inuocantem, poterit despicere? Nunquid eam vero corde salutantem poterit, aut volet repellere? Cùm sit enim Mater Regis Regũ, cœlorum Regina, & Domina Angelorum, si aliquem voluerit saluare, non erit ei quicquam difficile. Reginarum libertas est, vt pro sceleribus, & maleficijs, quemquam, iam diffinitiua sententia damnatum, etiam iam fune collo circumligatum, vel iam patibulo appensum, vel quemuis huiusmodi morte plectendum, si inquam Regina superuenit, & adhuc, vel spirantem, vel iam vltimum spiritum trahentem inuenerit, possit liberare. Non æstimo Reginam cœlorum in Regno Filij sui minorem iurisdictionem habere, vel minoribus priuilegijs debere gaudere, si non facit Deus grande, vel paruum, quod non *reuelet seruis suis Prophetis.* Amos. 3. Amos. 3. Quantò minùs faciet grande, vel paruum, quod non reuelet Matri suæ? Gen. 18. *Num celare potero Abraham? &c.* Ipsa enim nouit animæ languenti cibum in dulcedine præparare, nouit vulnera circumligare. Nouit leni manu, suaui attactu tumorem præmere, venenum eijcere, spem, & certitudinem vitæ, & longitudinem dierum dare. Eccl. 24. Vnde dicit: *In me gratia omnis vitæ, &c.* Item à largitate MARIAE recipiunt peccatores multiplex beneficium. Primum, quòd vsque ad diem iudicij non desinit succurrere. Vnde dicit, *vsque ad futurum seculum non desinam.* Ideo dicit Bernardus: In angustijs, in periculis, in rebus dubijs MARIAM cogita, MARIAM inuoca. Secundùm, quòd non cessat gratiam perditam reddere. Bernardus. Cupientes inuenire gratiam, quæramus eam per MARIAM, &c, Tertium, quòd vsque tunc naues, id est, fidelium mentes, vel animas non cessat ad portũ salutis, qui est Paradisus, dirigere, quoniam ipsa est Stella maris. Quartum, quòd seruis suis in morte dignatur occurrere. Vnde Hieronymus scribit ad quamdam virginem. Qualis erit illa dies, cum MARIA Mater Domini choris occurret tibi comitata virgineis? &c. Ideo de virginibus dicitur, *quòd exierunt obuiam sponso, & sponsæ*, id est, Christo, & MARIÆ. De his omnibus pulchra habes exempla, in tertia, & sexta Coronis. Item de pietate, seu compassione MARIÆ dicit Bernardus super locũ illũ Ioannis 2. *Deficiente vino, dicit* Mater *Iesu ad eum, vinum non habent.* Compassa est enim verecundiæ ministrorum, sicut misericors, & benignissima. Quid de fonte pietatis procederet, nisi pietas? Nonne qui pomum tenuit in manu, reliqua parte diei pomi seruabit odorem? Quantùm ergo viscera illa virtus pietatis affecit, in quibus ipsa pietas, quæ Christus est, nouem mensibus quieuit? Nam, & ante mentem repleuit, quàm ventrem, & cùm processit ex vtero, ab anima non recessit.

Mat. 25.

Ioann. 2.

Quinta Stella nonæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd ipsa habuit virtutes Abraham.

ABrahæ promisit Deus, quòd ex eo egrederetur, *in quo omnes gentes benedicerentur.* Galat. 3. Beata Virgo semen illud
Galat. 3. sanctissimum produxit, per quod in æternâ benedictionẽ vniuersus orbis deduceretur.
Prou. 31 Vnde MARIA meritò naui comparatur, de qua Prou. 31. in fine dicitur: *Facta est, quasi nauis institoris, de longè portans panem suũ.* MARIA siquidem per panem vitæ, quem de cœlo suscepit, & in vtero portauit, habuit quoad se esse verum in vita præsenti, & modò habet viuere sempiternum, & nos habebimus per eam. Vnde ipsa se comparat
Eccl. 24. naui. Eccl. 24. vbi dicit: *Influctibus maris ambulaui, & viam* istius nauis in mari huius mundi dicit, se Salomon ignorare, Prou.
Prou. 30 30. Commendatur autem nauis ista principaliter à septem. Primò ab artifice. Vnde dicitur, *facta est*, supple à Deo Trinitate. Eius enim artifex, *& conditor* Deus. Ad
Heb. 11. Hebræ. 11. Eccl. 9. *In manu artificis opera laudabuntur.* Ipse enim fecit nos, & non ipsi nos. Ipsa enim est *vas admirabiles opus excelsi.*
Eccl. 33. *Pſal.* 117. Eccl. 33. de quo scilicet opere dicitur in Psalm. 117. *à Domino factum est istud*, scilicet, opus, vel vas istud, & est mirabile in oculis nostris. Item de hoc opere dicitur,
Eccl. 32. Eccl. 32. *Gloria Domini plenũ est opus eius. &c.* Secũdò ab omnium virtutum cõpage, quia cùm sit specialissimum opus Dei, compaginata est omnium virtutum firmitate. Vnde sequitur: *quasi nauis.* Ipsa enim velut archa Noe, & velut archa testamenti ad præceptũ Dei facta est de lignis Sethim, quę fortia sunt, & imputribilia: propter hoc etiam dicitur, Esa. 40. *Forte lignum, & imputribile elegit sibi artifex sapiens*, scilicet, Chri-
Esai. 40. stus sapientia Patris, qui MARIAM ædificauit sibi domum, & nauem. Tertiò à plenitudine omnium gratiarum, & omnium bonorum operum. Vnde sequitur *institoris*, qui videlicet institor omni instantia, qua potest, nauem suam mercibus onerat pretiosis. Quartò ab vtilitate. Vnde sequitur *de longè portans*, id est, de cœlo apportans panem suum, qui nõ fuit de terra, sed *de cœlo*, Ioan.
Ioann. 6. 6. respirans ad vitam cælestem non terrenã, hoc impletum est ad literam, quando Christus, qui viuus panis est, in eius vtero, quasi nauigio virginali de Nazareth venit in Betheleem domum panis, quasi per tres dietas. Facta est igitur, *quasi nauis, &c.* Quintò à materia. Potest enim dici, quòd facta est de lignis Sethim, sicut archa Noe,

A & archa testamenti, vel membra Virginis, tam animę eius, quàm corporis possunt dici materia huius nauis, quæ deliccata fuerunt ab omni humore nociuo, calore Spiritus Sancti, quoad corpus, dolata etiam prudentia summi Artificis, & quasi complanata, vt essent sine pondere peccati mortalis, quia ligna Sethim leuia sunt, & sine scrupulo veniali, propter hoc dictum est Noe. Genes. 6. *Fac tibi archam de lignis leuigatis.* Sextò à fine finis. Qui secundum Philo- *Genes.* 6.
phum, primus in oratione ad mentem pertinet architecti, vt scilicet per hanc nauem Angelorum panis deferretur ad homines, vt ipsum gustando, fierent Angeli, quia
B per MARIAM panem Angelorum manducauit homo, & per ipsam cœli cibaria misit hominibus in abundantia Deus Pater. Congruè igitur comparatur naui, quia suos amatores deducit in portum voluntatis eorum. Septimo à forma, quæ consistit in multis. In naui naturali sunt quasi quatuor partes principales, quæ notãtur his versibus.

Prora prior nauis pars est, Pars vltima puppis.
Dic latus esse ratem, Ventrem dic esse carinam.

Et possunt hæ quatuor partes adaptari
C quatuor virtutibus Cardinalibus, quas perfectissimè habuit in se MARIA. Prora prima pars nauis, & dicitur à proruendo, quia semper proruit, & in anteriora se extendit, designat prudentiam, quæ præcauet à periculis, quia futura intuetur, & rerum exitus metitur: vnde & prouidentia species est huius virtutis, qua cauetur naui, ne in loca aspera incidat, &c. Ratis dicitur, quasi fortis, quia ratum idem est, quod firmum. Hæc sunt latera nauis, quæ fortia debent esse, ne procellarum ictibus dissoluantur. Ideo per ratem signatur fortitudo, quę maximè tunc apparuit in ea, quando sola Filio astitit patienti, cùm fugerent vniuersi. Prouerb. vltimo. *Accinxit fortiter lum-* *Prouerb.*
D *bos suos.* ibidem. *Fortitudo, & decor indumentum eius.* Carina, quæ est venter nauis, *vltim.*
signat sobrietatem, & temperantiam, & dicitur carina, quasi carima, id est, carens rima, vel quasi currina. Illa enim pars semper currit in aqua: vnde necesse est, quòd maximè integra sit, & rima careat, ne intrantibus aquis, nauis submergatur. Per hanc enim virtutem Virgo gloriosa caruit omni rima, quia nunquam in ipsam ingredi potuit vel vnica gutta carnalis illecebræ, vel mundanæ voluptatis. Puppis vltima pars est nauis, & dicitur à pus, quod est custodia, & per hanc partem iustitia

designatur, quia ab hac parte nauis solicitius custoditur, sicut iustitia custodia est Reipublicæ, ibi etiam fit iustitia de fore factis, quæ fiunt in naui, quia ibi sedet iudex nauis. Et etiam nauclerus in alto ibidem sedens explorat ventos, & tempestates, & ibi est regimen totius nauis, quod fit per iustitiam.

Sexta Stella nonæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd ipsa habuit virtutes Isaac.

ISaac sua oratione impetrauit conceptum Rebeccæ, quæ concepit geminos, & ex illis duo populi orti sunt, quorum maior seruiret minori, Beata Virgo sua humilitate concepit Christum geminæ substantiæ, scilicet, diuinæ, & humanæ naturæ. Qui duos populos, scilicet, Iudaicum, & Gentilem in vnam fidem collegit, sed Iudaicus populus sua perfidia reprobatus, seruit Gentili populo, tanquam maior minori. Vnde notandum, quòd quantò Beata Virgo MARIA se in omnibus humiliauit, tantò à Deo multipliciter est exaltata, & honorata, quia ab æterno prædestinata, & *Prou. 8.* electa, vnde dicitur Prou. 8. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis. Ideo de ipsa canitur. Elegit eam Deus, & præelegit eam, quia à Patriarchis, & Regibus generata. Vnde canitur. Natiuitas gloriosæ Virginis MARIÆ, ex semine Abrahæ, orta de tribu Iuda, clara ex stirpe Dauid. Quia à perditionis massa separata, & in vtero sanctificata. *Cant. 2.* Vnde Canticor. 2. dicitur de ea: *Sicut lilium inter spinas, &c.* Item Psalmus 45. *Sanctificauit tabernaculum suum* *Psal. 45.* *Altissimus*, quia Filia gratiæ orta. Vnde Numeri 24. *Orietur Stella ex Iacob, &c.* *Num. 24.* Propter hoc fuit filia Annæ, quę interpretatur gratia. Quia omni charismate cumulata. Vnde dicta est gratia plena. Quia in templum præsentata, ad quod tota alacritate per quindecim gradus ascendit, quia ad vouendam prima virgitatem à Spiritu Sancto inspirata. Quia ab vno de summis Archangelis officiosissimè salutata. Vnde *Aue gratia plena.* Quia in Matrem *Esa. 62.* Dei electa. Vnde Esai. 62. *Terra tua inhabitabitur*, id est, caro tua fœcundabitur, *qui acomplacuit Domino in te.* Quia opere spiritus Sancti Dei Filio in prægnata. *Luc. 1.* Vnde Luc. 1. *Spiritus Sanctus superueniet in te, &c. Ideoque quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Quia salua virginitate Mater effecta. Quia virtute fidei omne bonum assecuta. Vnde dictum *Luc. 1.* est ei Luc. 1. *Beata, quæ credidisti, quoniam perficientur, &c.* Beatus Matthæus in le-

A genda sua, in conceptu Filij Dei fides MARIÆ vxor extitit Spiritus Sancti. Quia nullo portandi filium pondere prægranata. Beatus Bernardus. Quia iugum Domini leue grauidari potuit. MARIA non grauari. Quia Filium pariendo, nullo dolore cruciata. Vnde canit Ecclesia. Nesciens Mater Virgo virum peperit sine dolore Saluatorem. Bernardus. Quid mirum si dolorem non intulit Matri, qui tollere veniebat dolores totius mundi? Quia à Filio Dei, & suo in Prælatam constituta. Vnde Luc. 2. *Et erat subditus illis*, scilicet, *Luc. 2.* MARIA, & Ioseph propter MARIAM. Quia ad nutum ipsius, & ad insinuationem, B *aqua* in nuptijs *in vinum* à Filio commutata, Ioann. 2. Quia à Filio ad Patrem de *Ioan 2.* hoc mundo transeunte Virgini Discipulo commendata. Quia loco summi Magistri ad docendos Apostolos substituta. Quia in morte temporali mortis nexibus non depressa, qui sunt putrefactio, vermes, & incineratio. Propter hoc comparatur Cedro, quæ est imputribilis, & cuius succus vermes consumit, & quæ est incombustibilis, quia per ignem fiunt cineres. Quia ante generalem resurrectionem gloria corporis, & Stella duplici decorata. Quia ascendit in cœlum, dilecto suo innixa, sicut dicitur, Canticor 8. Quia super *Gant. 8.* C vniuersos ordines Angelorum ad dexteram Filij in throno gloriæ collocata. Quia super omnem creaturā potestate plenaria ab Omnipotente Filio in sua coronatione dotata, & insignata. Benè ergo, vt expeditis patet, MARIA Dominum solam humilitatem in se respexisse, testatur, quia diuinitatis propitiationem, quam humana natura in primis parentibus per superbiam perdidit, in MARIA per humilitatem recuperauit. Nam quia in ea verbum Patris carnis substantiam, quam sibi vniret, assumpsit, quasi ad eam, quam priùs abiecerat, naturam sublimandam per misericordiam res- *Luc. 2.* pexit. *Respexit* igitur *Deus humilitatem* D MARIÆ, cui per humilitatis meritum dedit, vt Filium suum in carne conciperet, & de sua carne verum Deum, & hominem omnium hominum, quantum in ipso est Saluatorem generaret. Cuius humilitatis virtutem mox determinans subiungit, *ancillæ suæ*. Nam, quia humiliter, se quod erat, ancillam cognouit, ideo quod non erat, sublimiter esse mater promeruit: *Exinauit* enim se exemplo Filij sui, *formam* ancillæ *accipiens*, *propter quod*, *& Deus exaltauit* illam, *& donauit illi nomen*, *quod est super omnem nomen*, *prius* nomen filij sui, vt in nomine ipsius omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum

norum, qui ad nomen ipsius dæmones contremiscunt.

Septima Stella nonæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd ipsa in se habuit virtutes Iacob.

IAcob vidit scalam, cuius cacumen Cœlum tangebat, & Dominum innixum scalæ, *& Angelos descendentes, & ascendentes per eam* Genes. 28. Beata Virgo recte dicitur scala trium graduum, scilicet, humilitatis, virginitatis, & charitatis, cui Dominus est *innixus* per incarnationem. Luc. 1. *Dominus tecum*, per quam tanquam per medium descendunt *Angeli*, & ascendunt homines prædestinati. Nota, quod dignitas MARIÆ, quæ signatur per hanc scalam, non ostenditur, nisi in somnis, quia oportet animam sopitam esse à curis sæcularibus, & occupationibus exterioribus, quæ videre appetit, id est, intelligere dignitatē, & altitudinem eius. Vnde Numer. 12. *Si fuerit inter vos Propheta, in visione apparebo ei*, vt scilicet, sensus exteriores ab illicitis sopiantur, nec ostenditur eius excellentia, nisi luctantibus contra vitia, & peccata, quæ designantur per Iacob. MARIA scala, cuius latera sibi apposita virginitas, & maternitas, quæ non facerent scalam, nisi coniungerentur. Scalones gradus Templi Salomonis, vel illi qui notantur ibi. *Missus est Gabriel.* Pes huius scalæ paupertas, qua contempsit omnia carnalia, & mundana. Vnde describitur Apoc. 12. Lunā habens sub pedibus. Cacumen humilitas, qua attigit vsque ad cœlum, non solùm aereum, vel sidereum, sed Empireum, scilicet, vsque ad sedentem in throno Dominum Maiestatis, vel pes huius scalæ virginitas carnis, quà inferiùs est, cacumen humilitas mentis. Pars etiam huius scalæ superior contemplatio MARIÆ in Deum, pars inferior compassio, & pietas eius ad hominem. Ipsa enim tanquam quidam aquæductus, seu canalis hausit superiùs per orationem aquam viuam de fonte viuo, qui apud Deum, quam refundit inferiùs per pietatem peccatoribus. Item mediante scala ab alto descenditur ad imū, & ab imo conscenditur ad summum, & ipsa mediante descendit Filius Dei ad nos, illectus humilitate ipsius. Vnde dicit Augustinus: Facta est certè humilitas MARIÆ scala cælestis, per quam Deus descendit ad terras. Per ipsam nihilominus conscendimus in cęlum, qui per Euam cecidimus in miseriam huius mundi. Dicitur ergo hæc scala stare super terram, & cacumen eius tangere cœlum, quia mediante MARIA terrena cælestibus vniuntur, sicut scala illa quodam modo cœlum terræ coniungere videbatur. Sequitur: *Angelos quoq; ascendētes, & descendentes* per scalam, id est, propter scalam. Angeli siquidem descendebant ad ipsam vitandam. *Vnde missus est ad eam Gabriel*, & ascendebant sancta eius desideria, sanctas orationes, & pias lacrymas Domino nunciātes, quod est officium Angelorum, & hoc est, quòd ipsa efflagitabat ab Angelis. Can. 5. dicens: *Filiæ Hyerusalem annunciate dilecto, quia amore langueo*, per hanc scalam, id est, per preces MARIÆ, merita, & exempla viri iusti, qui Angelos imitantur, ascendunt contemplando, descendunt strenuè operando, & qui imitantur eam in præsenti, in morte incurrunt in amplexus Domini, qui videbatur innixus scalæ, quasi tenens eis scalam per gratiā, ne à seruitio, vel dilectione MARIÆ tentatione aliqua, vel impulsu corruerent, & hoc est, quod sequitur, & Dominum innixum scalæ, vt scilicet qui finaliter ascenderet per scalam in morte, incurreret in amplexum Dominicum. Item in hoc, quòd Dominus scalæ innitebatur, possunt notari plura. Primum, quòd sicut ipsa in annunciatione innixa fuit super dilectum suum, per fidem, quia credere non est, nisi firmiter inniti veritati. Vnde Cant. 8. dicitur. *Innixa super dilectum suū.* Sic & ipse in incarnatione innixus est ei. Vnde Prou. 31. *Confidit in ea cor viri.* Secundùm quod Dominus continet in bono amatores Matris suæ. Item notandum, quòd qui vult ascendere per scalam, appendit se ei manibus, pedibus, & genibus. Pedibus, id est, affectibus, vt ipsam diligat, ita quòd ex redundantia illius dilectionis resonet in ore eius gratiarum actio, & vox laudis. Manibus, vt quandiù viuit, ad honorem ipsius Virginis omni instantia aperitur, quidquid Beatæ Virgini crediderit complacere. Genibus, vt ante ipsius imagines, siue altaria, & cum recitatur nomen eius, humiliter ea flectat, & humile obsequium, ac seruitium ei semper impendat. Sicut enim qui non honorificat filium, non honorificat patrem, qui misit illum, sic è contra, non honorificat filium, qui non honorificat matrem, quę genuit illum. Hieronymus, nimirū honor maternus eius est, qui natus est ex ea. Idem nullus honor matris alius est, nisi cum ille iure honoratur, qui nasci dignus est ex ea. Dicat, qui meliùs sentit, in nullo quippe mihi videtur maior Deus, quàm quòd se humiliauit, factus homo, nec vnquam laudabilior quàm quòd factus est clementior, qui omnipotentiam suam maximè parcendo, & miserando manifestat. Propter hoc dicitur de MARIA. 1. Cor. 5. *Mulier gloria est viri*, & Prou. 12. *Mulier diligens coronā est viro suo.*

Gen.28. *Luc. 1.* *Num. 12* *Apoc. 12.* *Cant. 5.* *Cant. 8.* *Prou. 31* *1. Cor. 5.* *Prou. 12.*

Octaua Stella nonæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd in se habuit virtutes Ioseph.

IOseph pro salute fratrum suorum descendit in Ægiptum, vt tẽpore famis sua prouidentia frumenti copiam distribueret. Beata Virgo in mundo orta est, vt salutem generi humano afferret. Psalm. 73. *Operatus est salutem in medio terræ*, vt tempore famis gratiæ Corpus Christi deuota communione, velut frumentũ toti mũdo saturitatem cõferret, & ministraret, & quia Beata Virgo corpus Christi nouẽ mensibus in suo virginali vtero portauit, ideo meritò cõparatur vasi, de quo Eccl. 44 dicitur: *Vas admirabile opus excelsi*, & de quo dicit verus Heliseus, 4. Reg. 2. *Afferte mihi vas nouum, & mittite in illud sal.* Dicitur ergo MARIA vas admirabile, & vas nouum, quia nunquã tale inuentum est. In quo scilicet reperiuntur multa mirabilia, & multæ nouitates. MARIA vas admirabile propter continentiã. Continebat enim suum continens. Nullum enim aliud vas potuit magis se continere, sed MARIA illum continuit, quem totus non capit orbis, & à quo ipsa continebatur propter continendi modum, quia cùm Deus sit in omni creatura per essentiam, in solis iustis per gratiam, his duobus modis in ea fuit, & nouo, & admirabili modo, per vnionem. Item propter contrariorum concordem contrarietatem, scilicet, mortalitatis, & immortalitatis, virginitatis, & fęcunditatis, & quòd mirum fuit, rationis, & fidei, quæ multùm sunt contrariæ. Vnde MARIA potuit dicere priùs partum sum, quod eram, id est Virgo, nec eram quòd sum, id est, Mater, modò dicor vtrumque, id est, Mater, & Virgo propter conformitatem. Contentum enim in vase accipit formam vasis, non è conuerso, sicut videre est in aqua, vel lacte congelatis in vase, vel in campana, quæ formã accipit moduli, è cõtrario modo fuit hoc, quia continens mutatum fuit secundùm exigentiã contenti: assimilata est enim humana natura Deitati, propter operositatem, quæ superabat materiam: fuerunt enim in hoc vase omnes varietates virtutũ, & donorũ, omnes sculpturæ sanctorum desideriorum: omnes picturæ sanctarum cogitationum. Ideo dicitur, *Vas admirabile, opus excelsi*, propter omnimodam sufficientiam quia quò plus ex eo hauritur, eò plus in eo inuenitur. Vnde dicitur MARIÆ. Cãt. 7. *Vmbilicus tuus crater tornatilis, nũquã indigens poculis* recipiendi, & emittendi modum ineffabilem, & singularem, quia contremorem aliorum vasorum, nec factum, nec apertum est in recipiendo, vel emittendo. Recepit enim cum integritate, vt oculus, & vitrum solem, vt stella radium, & flos odorẽ propter pretium, & vtilitatẽ, quæ inenarrabilia sunt, Prou. in fine. *Procul, & de vltimis finibus pretium, &c.* dicitur ergo MARIA *Vas admirabile opus excelsi*: opus illius artificis, qui operatus est auroram, & solem, vnde Eccl. 9. *In manu artificis opera laudabuntur.* Item Eccl. 42. dicitur de hoc opere: *Gloria Domini plenum est opus eius*, opus excogitatum ante secula, consummatũ in fine seculorum. Item ipsa est vas auri solidum ornatum *omni lapide pretioso.* Eccles. 50. lapides pretiosi, qui vas istud ornauerũt, sunt virtutes, quibus MARIA decorata est, & ibidem describuntur sub appellationibus rerum diuersarum Lapis primus humilitas. Vnde *quasi stella matutina*, quæ parua apparet cùm sit magna, *in medio nebulæ*, id est, in hac vita caliginosa. Secundus compassio peccatoris. Vnde *quasi luna plena* rore gratiæ, & misericordiæ. Luna est roriflua, est & proxima terræ, id est, peccatoribus terrenis pietate, & compassione. *In diebus suis lucet* ad illuminandam noctem, in qua sunt peccatores, quibus dicitur: *Eratis aliquando tenebræ*, id est, tenebrosi, *nunc autem lux*, id est, illuminati per gratiam MARIÆ. Tertius verecundiæ virginalis. Vnde *Et quasi Sol, qui rubens est*, vel in feruore solis charitas MARIÆ, in rubore color faciei virgineæ ad litteram. *Refulgens* coram Domino, qui decorem eius concupiuit, vel *refulgens* hominibus, exemplis virtutum suarum. Quartus, obediẽtia, vnde. *Quasi arcus refulgens.* Arcus plicabilis est *inter nebulas gloriæ.* Quintus odor sanctæ opinionis eius, & famæ. Vnde quasi *flos rosarum in diebus vernis.* Flos enim rosæ aromaticus est, & capitis confortatiuus. De quo habes supra in octaua stella octauæ Coronæ. Sextus duplex virginitas carnis, & spiritus. Vnde *quasi lilia in transitu aquæ*, id est, carnalium, & mundalium voluptatum, quæ citò transeunt velut aqua decurrens. Septimus oratio aromatica. Vnde quasi *Thus redolens in diebus æstatis*, id est, in feruore charitatis. Octauus charitas, qua in se ardebat, & proximos illustrabat *Vnde quasi ignis effulgens* Ipsa enim erat rubus ardens charitate, manens incombustus ab omni carnea voluptate. Nonus oratio pro his, qui comburuntur in camino purgatorij. Vnde *& Thus ardens in igne.* Decimus pietas, & misericordia indeficiens, & semper crescens. *Vnde quasi oliua pullulans, & quasi oliua speciosa in campis.* Vnde dicimus: medicinalitas, recta intentio. Contemplatio cælestium. Vnde *& cypressus in altitudinem se extollens.*

Pro. vlt. Eccles. 9. Eccl. 42. Eccl. 50. Epes. 5. Cant. 7.

Nona Stella nonæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd in se habuit virtutes Moysis.

MOyses factus magnus in terra Ægypti liberauit populum Israel de manu Pharaonis per sanguinem agni. Beata Virgo verum agnum, & immaculatum genuit ex suo purissimo sanguine, quem Christus in pretium redemptionis humani generis in Cruce Deo patri persoluit. Vnde gloria Beatæ Virginis MARIÆ non solùm in hoc exiſtit quòd ipsa eundem immaculatum agnum genuit, sed quòd de ipsa ab initio seculi multa, non solùm dicta sunt, sed etiam figurata sunt glorioſa. Ipsa enim est illa ciuitas, de B
Psal. 86. qua dicit. Psalmus 86. *Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei.* Nec solùm dicta sunt, sed dicuntur quotidie, & dicentur in æternum. Vnde beatam eam dicunt omnes generationes. Gloria MARIÆ Sacerdotalis, & regia
Psal. 44. generositas. Vnde: *Omnis gloria filiæ regis*, id est, MARIÆ filię Dauid *ab intus*, propter hoc etiã appellata est Virga Iesse, à quo immediatè ortũ habuit Tribus Regis. In sanctificatione collata ei sanctitas. Vnde Eze-
Ezech. 3. 3. *Benedicta gloria Domini*, id est, MARIA *de loco suo*, id est, de matris vtero. Vnde poterat dicere illud, Iob. 31. *Ab infantia creuit mecum sanctitas, & de vtero matris meæ egressa mecum.* Nota creuit, quia MARIÆ C
Iob. 31. sanctitas semper augmentabatur, sed ineffabiliter in conceptu Saluatoris omnimoda gratiositas. Vnde Prou. 11. *Mulier gratiosa*
Pro. 11. *inuenit gloriam* omnimodæ bonitatis, & virtuositatis conscientiæ plena tranquillitas quam peccatum non remordebat, de qua Apostolus, 2. Cor. 1. *Gloria nostra hæc est*
2. Cor. 1. *testimonium conscientiæ nostræ*, & Iob. 39.
Iob. 39. *Gloria mea semper inuocabitur.* Spiritualis, & vera paupertas, de qua Dominus dicit,
Esa. 40. Esa. 40. *Gloriam meam alteri non dabo.* Gloria Domini præelegisse paupertatem, & hãc gloriam excellentissimè dedit filius, & inspirauit matri suæ, & sic exponendum, *alteri* quàm MARIÆ, singularissima humilitas D
quam Deus respexit, & adamauit, & merito, cuius ipsam omni virtute, & gratia adim-
Eccl. 43. pleuit, Eccl. 43. *Species cœli gloria stellarum* cœlum MARIA, cuius species humilitas, quam *speciem Dominus concupiuit* iuxta
Psal. 44. verbum, Psalm. 44. Gloria stellarum, ornatus cęterarum virtutum, quarum humilitas theca erat, & repositorium. Primitiua, & fæcunda virginitas. Ipsa enim familiari Spiritus sancti consilio prima vouit virginitatem, & merito voti huius dedit ei Deus singularem fæcunditatem. Vnde Esa. 35. *Glo-*
Esa. 35. *ria Libani data est ei* Libanus candor, quo significatur virginitas. Saluo flore virginitatis singularis fęcunditas. Vnde dictum est

A ei. Luc. 1. *Quod nascetur ex te sanctum, &c.* de gloria ista dicitur Os. 9. *Gloria eorum à partu, & ab vtero, & à conspectu*, expone ordine præpostero, & quære expositionem, Excellentissima maternitas, quia facta est Mater Dei. Bernardus hæc est Virginis nostræ singularis gloria, & excellens prærogatiua MARIÆ, quòd filium vnum, eum demquè cum Deo patre meruit habere communem, &c. per partum ipsius humani generis redempta captiuitas, & hoc est vnum, & præcipuum de illis glorioſis, quæ dicuntur de Ciuitate Dei, id est, Beata MARIA, &c. summæ honorificentiæ singularitas cùm in morte temporali mortis nexibus non est depressa, qui sunt putrefactio, vermis, & incineratio, sed in anima, & corpore, vt verè creditur, à filio assumpta est in cœlum. Vnde ipsa dicit cum filio, *Tenuisti manum dexteram meam, &c.* Ideo dicitur, Cant. 8. quòd ascendẽs de deserto delicijs affluens, enixa super dilectum glorificati corporis cum suis dotibus, ante diem iuditii ei collata fælicitas, in cuius figura dictũ est Esth. 15. *Tertia die circundata est gloria sua; &c.* Vnde Miletus Sardẽsis Episcopus dicit, se audisse beatum Ioannem prædicantem tertia die Christum suscitasse matrem suam, &c. supra naturam Angelicam exaltata in ea, sicut in filio nostra humanitas. Vnde Ezech. 10. *Eleuata est gloria Domini desuper Cherubim.* Iudith in fine dicitur de ipsa Iudith: in figura MARIÆ: *Erat Iudith diebus festis procedens cum gloria magna.* Dies festi, dies æterni claritatis, de quibus dicitur, Prou. 3. *Longitudo dierum in dextera eius*, & in Psalm. 83. *Melior est dies vna in atrijs tuis, &c.* Supra totam cœlestem Curiã collata ei plena ria potestas. Vnde dicit *In Hyerusalẽ*, scilicet, cœlesti *potestas mea*, imperandi videlicet virtutibus Angelicis, & animabus sanctis ad beneplacitum meum, & introducendi in illud regnum quoscumque voluero. Vnde potest dicere cum filio. *Data est mihi potestas*, Matth. in fine.

Luc. 1. *Osee. 9.* *Psa. 32.* *Cant. 8.* *Esth. 15.* *Ezech. 10.* *Iudit. 16.* *Prou. 3.* *Psal. 83.* *Eccl. 24.* *Matt. 28.*

Decima Stella nonæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd in se habuit virtutes Samsonis.

SAmson sanctificatus in vtero, tanto ardore mulieres dilexit, vt etiam scienter in sinu vnius accubans se morti exposuit, Beata Virgo amore castissimo Deum ad se attraxit, in cuius sinu humanitatem nostram susceptt, vt pro omnibus hominibus innocenter moreretur, vbi notandum, quòd propter amorem castissimum, & puritatem Beata Virgo MARIA Soli comparatur. Vnde dicitur. *Pulchra, vt Luna, electa vt Sol.* *Cant. 6.*
Cant. 6. Item Eccl. 26. *Sicut Sol Oriens in* *Eccl. 26*

mun-

mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus eius. Item in
Psal. 88. Ps. 88. dicit Pater de filio. *Thronus eius*, id est, Beata Virgo *sicut Sol in conspectu meo, &c.* MARIA dicitur Sol, quia sicut Sol luminare est, par sibi non habens, & toti mundo sufficiens, sic Beata Virgo nec primam similem visa est, &c. Item quia fulgor miraculorum eius lucet vbique terrarum, & lucebit vsque ad diem iudicij. Vnde dicit, *vsq; ad futurã seculum non desinam.* Alij vero sancti priùs transitum suum aliquot annis
Eccl. 24. fulserunt in specialibus locis. Item, quia Sol dicitur quasi solus lucens, id est, præceteris luminaribus. Sicut enim cæteris syderibus claritate luminis, & maiestate præfertur, sic in cœlesti gloria MARIA sanctis omnibus honore, & gloria superponitur. Ideo in figura MARIÆ dictum est de Iudith. 9. *Non*
Iudit. 9. *est talis mulier super terram, &c.* Sicut enim Sol pulcherrimum luminarium cœli, sic MARIA dignissima creaturarum Dei priùs animam Christi. Vnde canitur in sequentia Sol Luna lucidior, & Luna syderibus: sic MARIA dignior creaturis omnibus. Ideo etiam ipsa dicitur primo *genita*
Eccl. 24. *ante omnem creaturam*, id est, dignior omni pura creatnra. Eccle. 24. In mundo enim est vnus Sol, & MARIA vna sola est Mater, & Virgo, Vnde & comparatur Phœnici, quæ est vnica auis sine patre. Vnde Sedulius: nec primam similem visa est, nec habere sequẽtem. Ideo etiam dicitur: *Electa vt Sol*, qui similem non habet, nec ipsa similem habet, nec habitura est in æternum: item Sol dicitur, quasi sua omnibus largiens, quia quidquid habet, quantùm in se est, omnibus communicat, & bonis, & malis, vt ei conueniat quod de patre dicitur, Rom. 8. *Si pro nobis*
Rom. 8. *omnibus tradidit filium suum*, scilicet, volens eum pati, *quomodo etiam cum illo omnia nobis non donauit?* Malis enim et eniam impetrat, & gratiam, vt patet in Teophilo. Vnde canitur Theophilum reformans gratiæ, iustis verò gratiam impetrat, multiplicat, & conseruat. Ideo dicitur aurora, quo ad incipientes; his, qui in nocte sunt, id est, profundè peccantibus, stella est, & luna, quasi Sol vero proficientibus, & perfectis. Item MARIA *electa vt Sol*, vt supra dictum est, maximè in quinque priuilegijs. In magnitudine, in potestate, in vtilitate, in claritate in calore. Magnitudo eius, humilitas eius, quia secundùm humilitatem omnis animæ quantitas à Deo mensuratur, Matt. 18. *Qui-*
Matt. 18. *cumquè humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in Regno cœlorum.* De humilitate MARIÆ, quære supra in septima stella huius nonæ Coronæ. Potestas eius, fides eius, quia fides potentia est animæ. Quantũ habet quisque fidei, tantum habet potentiæ:

A si parum habet fidei, parum habet potentiæ; si multum, multum, si omnem fidem, omnẽ potentiam. Marc. 9. dixit Dominus cuidam *Marc. 9.* *Si potes credere, omnia possibilia sunt credẽti.* Et intelligе de fide viua, quæ per dilectionem operatur, quia fides mortua nihil potest, sicut nec mortuus homo. Opera verò bona, vita sunt fidei, sicut carbones, & ligna vita ignis. Verè potẽs, & viua fides MARIÆ, quæ vnica operata est, quod nunquam auditum fuerat, nec in cœlo, nec in terra, incarnationem videlicet Filij Dei, quando respondit Angelo: *Ecce ancilla Domini, &c.* *Luc. 1.* Vtilitas huius Solis misericordia MARIÆ, quia post misericordiam Dei nihil vtilius
B est humanæ creaturę. De misericordia MARIÆ habes supra Corona secunda stella prima; claritas huius Solis puritas Virginis, quæ supra Corona secunda stella octaua. Calor huius Solis charitas Virginis, quoniam charitas est animæ caliditas. Propter quod dicit Dominus, Matth. 24. *Refrigescet cha-* *Mat. 24.* *ritas multorum.* Sol enim fons caloris est. Et quantus cumque sit Sol, nihil est nisi ignis. Nam calidior est toto globo terræ, si totus igniretur, & de igne charitatis dicit Dominus, Luc. 12. *Ignem veni mittere in terrã,* *Luc. 12.* *& quid volo, nisi vt ardeat?* Apoc. 3. *Vtinam* *Apoc. 3.* *frigidus, &c.* Item Sol diem inchoat per ortum, terminat per occasum, distinguit in certas partes per processum, discernit noctem
C à die suæ claritatis splendore. Sic MARIA vitam iusti exemplo vitæ suæ, vt ei conuenire videatur illud, quod de filio dicit, Psalm. *Psal. 118.* 118. *Ordinatione tua perseuerat dies*, id est, vita Christiani. Item Sol suo lumine penetrat tantummodo materias mundiores, & quasi limatas, velut vitrum, & christallum, sed crassiores nequaquam. Sic ergo vitreus per pœnitentiam, quæ corpus excoquit, cũ ipsa sit ignis, & per puritatẽ, quasi christallinus, si Solis huius radijs desideras illustrari. Item Sol Rex Syderum, & MARIA Regina Virginum, immo omnium sanctorum.

D *Vndecima Stella nonæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd ipsa in se habuit virtutes Dauid.*

DAuid plus in cęlo, quàm in terra habitans, amore mulieris ad Philisteum accessit intrepidus ducentis præputijs aliam emit, propter aliam virum iustum occidi mandauit, in sinu speciosæ iuuenculæ omni castitate seruata, tandem obdormiuit. Beata Virgo sua charitate Deum fortissimum in certamine contra diabolum sumpta fundibula nostræ humanitatis, iactis quinque lapidibus, scilicet, quinque vulneribus adduxit, quem acerrimè deuicit. Propter cha-

charitatem autem, & misericordiam, quam Beata Virgo ad peccatores habet, comparatur Lunæ, Genes. 1. *Fecit Deus duo luminaria magna, luminare maius*, id est solem, scilicet Christum, *vt præesset diei*, id est iustis. *Luminare minùs*, id est, Lunam, hoc est MARIAM, *vt præesset nocti*, id est, ad illuminandum peccatoribus, *& stellas*, id est, iustos. Ideo dicitur Christus *sol iustitiæ*. Malach. 4. Quia ab eo est omnis iustitia. MARIA Mater gratiæ, fœcundata scilicet à Deo, id est, impleta misericordia erga peccatores, sicut mater erga filios misericors est. Ioann. 9. Deus enim *peccatores non audit*, Ioann. 9. Sed Mater Dei ipsos non repellit. In sole, id est, in Christo feruor, id est, iustitia puniens, & splendor scilicet misericordi parcens. In Luna, id est, in MARIA splendor misericordiæ sine feruore seueritatis, quia non offendit infirmos oculos se respicientes, sicut feruor solis. Bernardus. Quid ad MARIAM trepidas, &c. MARIA igitur Luna, quia semper aut crescit, aut decrescit, sed post crementum decrescit, & crescit post decrementum. MARIA verò, quò magis crescebat in omni virtute, plùs decrescebat per humilitatem in sua reputatione, iuxta illud Eccl. 3. *Quando magis es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* Ideo ipsa dicitur luminare, quod *minuitur in consumatione*. Eccl. 43. Quia nihil tam simile Soli, quàm Luna, non tamen omnino similis. Nullum enim luminare tantùm habet luminositatis, quantum Sol, cuius luminositatem Luna viciniùs æmulatur. 1. Cor. 15. *Alia est claritas Solis*, id est Christi. *Alia claritas Lunæ*, id est, MARIÆ. *Alia claritas Stellarum*, id est, Sanctorum. Quia inter Planetas nullus Soli tam proximus. Vnde Psalmus 44. *Astitit Regina à dextris tuis.* 3. Reg. 2. Bersabee *sedit ad dexteram* Salomonis, quia nihil medium inter Lunam, & Solem. Vnde dicit hæc Luna. *Osculetur me osculo oris sui.* Cant. 1. Et ideo nullus tantùm nouit de secretis Creatoris. Vnde dicit, Cant. 2. *Introduxit me Rex in cellam vinariam*, quæ dicitur à celando. Quia inferior Planetarum, id est, humillima omniũ Sanctorum. Nullus enim Planeta tantùm terræ, vel mari accedit, & nullus Sanctorum tantùm peccatoribus, qui terra sunt, per compassionem condescendit, maximè verò his qui amaricantur pro peccatis. Quia citiùs quàm alij Planetæ, perficit cursum suum, & ipsa facilius impetrat à Christo, quàm alij Sancti. Vnde 3. Reg. 2. Dixit Salomon matri suæ in figura MARIÆ. *Pete mater mi.* Item Assuerus Esther 5. *Quid vis Esther Regina? &c.* Quia præ cæteris Planetis dominationem habet in mari. Nam secundùm ipsam fluxus, & refluxus maris. Vnde Lucanus.

Thecios vnda vagè lunaribus æstuat horis.

Ideo Luna propriè dicenda est Stella maris. Mare est amaritudo pœnitentiæ, qua Deo reconciliamur. Si assistat nobis MARIA, affluit, & abundat in nobis hoc mare. Ecclesiastic. 23. *A mari abundat cogitatio eius.* Si elongetur MARIA à nobis, refluit, & recedit hoc mare. Item Luna videtur habere quandoque ferrugineum colorem, quia per pœnitentiam mortificabat corporis membra, & contudit sicut metalla, vel hæc proprietas impleta est in filij passione, quando non fuit ei *species, nec decor.* Esa. 53. Et ipsa per compassionem nigra fuit, & offuscata. Secundùm Lunæ crementum, vel decrementum abundant, vel decrescunt medullæ in ossibus animalium. Virtutes, & gratiæ medullæ sunt, quæ ossa irrigant virtutum naturalium, sine quibus deficiunt. Hæ verò medullæ, nisi per gratiam, & orationes MARIÆ in nobis nequeunt abundare. Medullæ verò illę sunt humilitas, pietas, charitas, castitas, patiẽtia, & huiusmodi, de quibus. Prou. 3. *Sanitas enim in vmbillico tuo, & irrigatio ossium tuorũ.* Roriflua est, quia Luna rorem dicitur ministrare. Vnde & MARIA in sequentia dicitur purpurea, vt viola, roscida vt Luna. Ipsa enim dicit: *In me omnis gratia vitæ, & veritatis.* Quia lumen pulchritudinem suã habet à Sole, & MARIA quidquid boni habet, attribuit vero Soli. Vnde dicit. *Fecit magna qui potens est.* Quia quò magis accedit ad Solem, minùs videtur habere luminositatis. Sic MARIA in se totum suscipiens Solem iustitiæ, quasi vacuam se reputans, & inanem dixit: *Ecce ancilla Domini.* Quia potest coniunctionem cum Sole gracilem se exhibet, & subtilem oculis intuentium. Et hoc benè apparuit, quando concepto filio visitauit Elisabeth multò minorem se, & ipsi parienti humillimè ministrauit.

Eccl. 23. Luc. 1. Eccl. 24. Luc. 2.

Duodecima Stella nonæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd in se habuit virtutes Salomonis.

SAlomon nigram, sed formosam adamauit, qui tamen maxima sapientia floruit. Beata Virgo nigra humilitate, sed formosa virginitate, cuius decorem concupiuit Dominus Deus. Sapientia Filij Dei in vtero suo habitare coegit, cuius amore delectatus nostra petijt, & nos à cæcitate noctis liberauit. Vnde meritò MARIA auroræ comparatur. Aurora gallicè alba ab albedine, quia tota candida intùs per sanctimoniam carnis, & spiritus. Vnde & *Lilio* comparatur. Cantic. 2. MARIA aurora Latinè aurora ab auro, hoc est, à splendore secundùm Isidorum, quia

Cant. 2.

quia tota fulgida, intus, & exteriùs; vel ideo dicta est ab auro, quia in se habuit tripliciter aurum. Aurum mundum virgineę puritatis, Apoc. 21. *Ipsa ciuitas aurum mundum, &c.* Aurum ignitum feruentissimæ charitatis, Apoc. 3. dicitur Angelo laodiciæ. *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum.* Aurum optimum sapientiæ à sapore, *quia vidit, & gustauit, &c.* Gen. 2. *Aurum terræ Euilath optimum est.* Quasi aurea hora, iuxta Isidorum, quia adduxit ætatem auream, id est, tempus gratiæ. Vnde ei conuenit, quod dicitur de Saturno. Aurea per cunctas disponens secula terras: ab aura, id est, gratia, & flatu Spiritus sancti, qua perflata est in sanctificatione, & semper deinceps. Vnde Cant. 5. *Veni auster, perfla ortum meum*, id est, MARIAM, dicitur Spiritui sancto. Quasi aurora rorans: nam precibus, & meritis eius percepimus auram, id est, refrigerium, & rorem gratiæ contra incentiua vitiorum. Ipsa enim fuit aura illa, de qua dicit Eliphat, Iob 4. *Vocem quasi auræ lenis audiui.* MARIA siquidem dicitur aurora propter refrigerium gratiæ, quam infundit diligentibus se. Lenis propter multitudinem lenitatis suæ. Quasi hora roris, quia in conceptu suo descendit in eam Filius Dei, quasi ros. Vnde dicit, Oseæ. 14. *Ero quasi ros, & Israel*, id est MARIA *germinauit quasi lilium* Vnde de plenitudine gratiæ, quam sibi filius contulit: *Accepimus omnes.* Ioan. 1. ab aure, quia concepit per aurem. Vnde dicit, Cant. 5. *Dilectus meus*, id est, pater misit in me *manum suam*, id est, filium *perforamen* auris meæ. Ideo canit ei Ecclesia. Concepisti per aurem Dominum nostrum, vt benedicta dicaris inter omnes mulieres. Per aurem, id est, per fidem dictorum, *quia fides ex auditu.* Rom. 10. Item aurora, id est, auium hora, quæ tunc incipiunt modulari voces suas in laudibus matris, & filij. Aues istæ viri spirituales, qui sunt Aues mundi. Aues cęli sunt Angeli, qui cõcorditer laudãt eã; vnde te laudãt Angeli. Itẽ Iob 38. *Cùm me laudarẽt simul astra matutina.* A vigilibus à lõgè prænunciatur, nã ab æterno præordinata est in officium salutis humanę. Sic ipsa dicit, Pro. 8. *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret.* Prefigurata est etiam in factis Patriarcharum, & prænunciata oraculis Prophetarum. Noctem finit, & diem inchoat: fuit enim finis legis, & inchoatio gratiæ. Nox enim quædam longa admodum ab Eua fluxit vsque ad MARIAM, quam finiuit ipsa MARIA in ortu suo, & hæc nox fuit illa *solitaria, nec laude digna*, Iob 3. Quæ licèt fuerit obscura, suis tamen vigilijs, quasi quibusdam fulgoribus distinguebatur. Prima vigilia illuminatio occultæ inspirationis. Hæc fuit obseruata temporibus. Noe, & Abraham, qui occulta inspiratione aliquid figuratiuum de ea intelexerunt. Secunda eruditio legalis: hæc tẽpore Moysi, & illorum, qui per legem instructi sunt. Tertia certitudo Propheticæ pronunciationis: hæc tempore Prophetarum. Quarta vehemens sanctorum desiderium de promissione facta à Domino adimplenda: hanc habuerunt Symeõ, Elisabeth, & Anna, qui velut in puncto iam erumpentis auroræ constituti, non solùm ipsam, sed & filium suum videre ardentissimè gestiebant, &c. Item aurora media est inter noctem, & diẽ. Dies, Christus, nox peccator. Sicut enim filius est mediator inter Deum, & hominem, sic MARIA inter filium, & peccatorem, quod patuit in passione. Item aurora fugat fures illos, de quibus dicitur, Iob. 24. *Si subitò apparuerit aurora, arbitrantur vmbrã mortis.* Vitium quodlibet furatur thesaurum virtutum sibi oppositum, sicut superbia humilitatem, reuelat infirmitates corporales, & MARIA languores animarum: Nam ante ortum ipsius, per Euam totus infirmabatur mundus, ita quòd *à planta pedis, &c.* Esa. 1. Mundans aues excitat ad laudandum, vt supra nocturnas aues conuertit in fugam. Hi sunt hæretici. Nam qui *malè agit, odit lucem.* Ioan. 3. Quia MARIA, mediante filio, cunctas hæreses interemit.

Apoc. 21. Apoc. 3. Prou. 31. Gen. 2. Cant. 5. Iob 4. Os. 14. Ioan. 1. Cant. 5. Rom. 10. Iob 38. Prou. 8. Iob 3. Iob 24. Esa. 1. Ioan. 3.

DECIMA CORONA, ET prima Stella eiusdem.

DEcima Corona capitis gloriosæ Virginis MARIÆ est Corona singularis benedictionis, quia Virgo singularis, & omnes mulieres in benedictionibus supergressa. Duodecim Stellæ huius decimæ Coronæ sunt duodecim benedictiones duodecim mulierũ insacra Scriptura benedictarũ, quas B. Virgo perfectiùs habuit. Prima Stella huius Coronæ fuit Eua. Secunda Sara. Tertia Rebecca. Quarta Lya. Quinta Rachel. Sexta Noemi. Septima Ruth. Octaua Abigail. Nona Abisag. Decima Bersabee. Vndecima Iudith. Duodecima Esther.

Prima igitur Stella huius decimæ Coronæ, vt dictum est, fuit Eua, cuius benedictionem Beata Virgo MARIA perfectissimè in se habuit, sicut, & cæterarum mulierum benedictarũ. Circa quod primò nota, quòd sicut viri veteris testamenti, quasi Stellæ verisolis præmonstrabant ortum, & vitam; sic omnes mulieres, quomodocumque laudibus attollantur, MARIÆ Virginis figurabant virtutes, & mores perfectos, quarum benedictiones à Deo illis datas in se ipsam complectitur. Quapropter secundò est notandum, quòd in veteri testamento, sunt duodecim Dominæ valdè honorabiles, quã-

uis etiam plures fuerunt, quæ habuerunt speciales gratias, & benedictiones, quia tamen nulla earum immunis fuit à peccato, ideo nulla ipsarum inuenit gratiam redemptionis generis humani, præter Beatam Virginem, quæ hoc promeruit. Prima ergo mulier, vt dictum est, fuit Eua in benedictione generationis; nam in Paradiso terrestri Eua habuit quatuor priuilegia. Primò, de viro innocente & iusto formata est à Deo. Secundò, factum est matrimonium castissimum inter Eua, & Adam, quibus *benedixit Deus.* *Genes.3.* Genes.3. Tertiò, in illâ Paradiso Eua in generatione prolis permansisset virgo, quia non fuissent fracta clausira pudoris, vt dicit Beatus Augustinus, libro 14. de Ciuitate Dei. Quartò, in illa Paradiso Eua, & quælibet mulier fuisset sine grauedine grauida, sine pœna puerpera, & genuisset sine culpa: immo cum originali iustitia. Sed illa priuilegia Eua per peccatũ amisit, propter quod cum tota posteritate sua ejecta est de Paradiso. Beata Virgo ampliora priuilegia est à Deo consecuta; nam Eua de osse viri in carnem est formata, in signum futuræ corruptionis, & infirmitatis, quoniam costa dura, & fortis transmutata est in carnem mollem, & fragilem, eò quòd homo ab illo forti statu innocentiæ erat casurus in statũ mortalitatis. In Beata Virgine de fœmina, sine viro factus est vir perfectissimus Iesus Christus in signum recuperandæ virtutis, quia sanguis mollis, & delicatus transmutatus est in ossa solida Iesu Christi, quia per hanc incarnationem sanctissimam, homo mollis peccato reformandus erat ad statum virtuosæ fortitudinis. Etiam Eua fuit virgo corpore, sed non mente, quia consensit in carnalem delectationem, quam postea fuit experta. In Beata Virgine fuit virginitas corporis, & mentis cum proposito non consentiẽdi, nec experiendi carnalem copulam. Similiter matrimonium Euæ fuit ad replendam terram, sed matrimonium Virginis fuit ad replendum cœlum, quæ concepit sine corruptione, portauit in vtero sine grauitate, peperit sine dolore, genuit Filium absque peccato, qui venerat delere peccata: & quia dictum est, quòd matrimonium Virginis fuit ad replendum cœlum, ideo ipsa meritò cœlum nominatur. Vnde Hyerem. 23. dicitur. *Cœlum, & terram*, id est, animam, & corpus MARIÆ: *ego impleo.* Nota priùs dicit cœlum, quàm terram, quia priùs concepit eum Virgo in mente per fidem, & dilectionem, quàm in ventre per naturæ vnionem. Aliter *cœlum, & terram ego impleo*, id est, MARIAM, terram per naturã, sed cœlum per gratiam. Item in Psalmo 102. *Dominus in cœlo*, id est, in virginis vtero *parauit* ministerio Spiritus Sancti, vel per sapientiam, quæ ipse est, quia sapientia *ædificauit sibi domum.* Prou. 9. *Sedem suam.* Ezech. 44. *Princeps ipse sedebit in ea, &c.* Dicitur autem cœlum à celando, quia nobis celat archana Dei, & Beata Virgo diuina mysteria reprobis prudenter celauit, sed ea Euãgelistis dilucidè manifestauit, Luc. 1. *MARIA cõseruabat, &c.* Ibi Beda. MARIA virginalis pudicitiæ iura custodiens secreta Christi, quę nouerat diuulgare nolebat, sed ipsum hęc quando vellet, & quomodo vellet, diuulgare reuerenter expectabat. De huiusmodi arcanis dicitur. Col. 1. *Mysteriũ absconditum à seculis, & generationibus,* Esa. 24. *Secretum meum mihi, &c.* Dicunt Christus, & MARIA. Dicitur etiam cœlum à celando sub alia verbi significatione, quasi, scilicet, vas celatum, id est, in Stellis insignitum. Dicitur quoque cœlum, quasi cellarium Domini, quia inde *descendunt* nobis *Omnia data optima, & perfecta*, Iacobi 1. Dicitur etiam cœlum, quasi casa helyos, id est, domus Dei Solis iustitiæ, in qua nouem mensibus corporaliter habitauit, casa propriè dicitur parua domus, in quo notatur humilitas Virginis, & paupertas.

Prou. 9. *Ezech. 44* *Luc. 1.* *Coloss. 1.* *Esa. 24.* *Iacob. 1.*

Secunda Stella decimæ Coronæ Beatæ Virginis MARIÆ est, quòd ipsa habuit benedictionem Saræ.

SEcunda fuit Sara in benedictione gratificationis: nam habuit quatuor priuilegia. Primò, fidelitatis, quia cùm vidisset Ismaelem filium Agar ancillæ suæ deducentem Isaac filium suum ad idolatriam, dixit ad Abraham. *Eijce ancillam, & filium eius.* Gen. 21. Secundò, hospitalitatis, quia Angelos Dei libenter recepit hospitio, quando Abrahã dixit ei: *Accelera, tria sata similæ commisce, & fac subcinericios panes* Genes. 18. cap. Tertiò, humilitatis, quia virum suũ Abraham primò vocauit Dominum dicens: *Dominus meus vetulus est.* Ibidem. Quartò, charitatis, ratione cuius Dominus dixit ad Abraham: *Sarai vxorem tuam non vocabis Sarai, sed Sara, & benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus sum, eritque in nationes, & Reges populorum oriẽtur ex eo.* Gen. 17. sed ista priuilegia non fuerunt tantę gratiæ, vt redemptorem adducerent propter prædictam Saræ. Derisit enim verba annunciantis ei conceptũ Isaac, & mentita est se non risisse, Gen. 18. B. Virgo vltra ista priuilegia habuit virginitatẽ, absque omni peccato, propter quæ meruit vt ex ea Dei filius nascetetur, & de suo vtero proferret mundi Saluatorem. Vnde ipsa meritò firmamentum nominatur, de quo dicitur. Genes. 1. *Fiat firmamentum in medio*

Gen. 21. *Gen. 18.* *Gen. 17.* *Gen. 18.* *Genes. 1.*

Psal. 102.

dio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Ad literam firmamentum est superficies mu di sensibilis, quod dicitur constare de aquis congelatis, & supra firmamẽtum aquæ sunt. *Ps.148.* Vnde dicit Psal. 148. *Aquæ, quæ super cœlos sunt, laudate nomen Domini.* Et dicitur firmamentum, quasi firmum, quia est terminus intransgressibilis. MARIA firmamentũ dicitur, quoad se & quoad nos; quoad se, quia sic formata est in omni virtute, & gratia, maximè in filij cõceptione, quòd postea *Eccl. 24.* nullomodo peccare potuit, nec venialiter, nec mortaliter. Vnde ipsa dicit: *Et sic in Syõ firmata sum*: quoad nos, quia suos firmat in bono, & in ipsis firmat in bono gratias, & virtutes. Et propter hoc appellatur firmamentũ cœli, id est, Ecclesiæ. Vnde Ge. *Fiãt lumi- Genes. 1.* naria in firmamento cœli, id est, Apostoli, & Euangelistæ edocti à Beata Virgine, & quoniam firmamentum secundùm Gregorium, naturam aquæ tenet, quæ videlicet aqua geluconstricta in glaciem postmodum solidata est in christallum, benè designat MARIAM, quæ in hac vita fuit quasi aqua fluida, non quoad culpam, sed quoad pœnalitatem: fuit etiam vt glacies, quia lucida per vitæ sanctitatem: fuit vt *christallus*, quæ *Eccl. 44* *gelauit ab aqua.* Eccl. 44. quando concepit Saluatorem. Item MARIA dicitur firmamentũ, quia instar firmamenti alijs Dei operibus præminet tripliciter. Primò, cõditionis specie, quia *tota pulchra est sine macula.* *Cant. 4.* Cant. 4. Secundò, magnitudine, quia Virgo & mater, nec cuiuslibet, sed Dei. Vnde sola dicere potest cum patre ipsi Filio Dei: *Filius meus es tu, &c.* Tertiò, sublimitate, quia benedicta est inter mulieres, id est super omnes mulieres, sicut glossat Hieronymus, & super Angelos omnes, & animas sanctas ad dexterã filij in throno gloriæ collo- *Eccl. 43.* cata. De altitudine, & specie eius. Eccl. 43. *Altitudinis firmamentum pulchritudo eius species cœli in visione gloriæ.* Item firmamẽtum splendidissimum est, sic & ipsa per luminaria virtutum, & scientiam scripturarum. *Dan. 12.* Dan. 12. *Qui docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti, &c.* Item firmamentũ à terra remotissimum, & hoc per mundi contemptum. Ipsa est enim illa Regina austri, quæ venerit à finibus terræ, audire sapientiam Salomonis. Item firmamentum ad literam diuidat aquas ab aquis, vt supra dictum est. Per aquas intelliguntur delitiæ, & MARIA instar firmamenti aquas superiores, id est delitias cœlestes habebat super se per desiderium, aquas verò, id est, delitias terrenorum, seu carnalium voluptatum habebat sub se per contemptum: nam ipsa est *mulier amicta Sole*, Lunam habens *sub pedi- Apoc. 12.* bus, Apocal. 12. aquæ superiores dicuntur christallinæ, quia cœlestes delitiæ stabiles sunt, & solidę. Aquæ verò inferiores, id est, temporales delitiæ labiles sunt, *Nec vnquã permanent in eodem statu*, sicut de homine dicitur, Iob. 13. & ad mare fluunt, quia si- *Iob. 13.* cut dicit Gregorius, omnis humana felicitas multis amaritudinibus respersa est. Eccles. 1. *Omnia flumina intrant in mare.* Item *Eccle. 1.* firmamentum licèt velocissimè, & continuè voluatur, locum tamen non mutat. Sic MARIA licèt continuè moueretur ad bona exercitia, & de virtute in virtutem procederet, iuxta illud, Sap. 10. *Iustum deduxit* *Sap. 10.* *Dominus per vias rectas*, deduxit, non stare fecit. Locum tamen proprium, id est, humilitatem, qui est propriùs locus iusti, non mutauit.

Tertia Stella decimæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd ipsa habuit benedictionem Rebeccæ.

TErtia fuit Rebecca in benedictione prædestinationis; nam ipsa habuit quatuor priuilegia. Primò electionis, quia ex voluntate Dei electa est vxor Isaac, Gen. 24. se- *Gene. 24.* cundò, confirmationis, quia fratres eius confirmauerunt hanc voluntatem Dei, dicẽtes, *à Domino egressus est sermo, & non possumus extra placitum eius quicquam aliud tecum loqui*, vt dicitur ibidem. Tertiò inuiolationis, quia erat *puella decora nimis, Virgoque pulcherrima, & incognita viro*, vt dicitur ibidem. Quartò, exauditionis, quia *deprecatus est Isaac Dominum pro Rebecca vxore sua, eò quòd esset sterilis, qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ.* Gen. 25. sed illa priuilegia non promeruerunt redemptorem, eò quòd peccauerit astu- *Gene. 25.* tia sua priuans Esau benedictione primogeniturę, ibidem 27. capitulo. Quæ etiam di- *Gene. 27.* xit: *Tædet me vitæ meæ*, propter impatientiam; Beata Virgo electa à Domino, iuxta illud, Elegit eam Deus, & prælegit eam, &c. Confirmauit voto virginitatem suam subdens illam diuino beneplacito. Quæ cùm oraret pro redemptione generis humani, dicens illum Psalm. 84. *Benedixisti Domi-* *Psal. 84.* *ne terram tuam auertisti captiuitatem Iacob*, mox exaudita est. Vnde non immerito Lucifer nuncupata est: & hoc triplici ratione. Primò, quia tulit in se veram lucem, id est, Christum, qui est Dei sapientia. Inde Lucifer quasi ferens lucem. Secundò, quia illuminauit tenebrosa legis, & Prophetarum, pariendo Christum, quem Prophetæ obscurè prædixerant, quia tenebrosa aqua in nubibus aeris, id est, obscura scientia in Prophetis. Inde dicitur Lucifer, quasi lucem excis ferens. Tertiò, quia tulit in se lucem, id est, gratiæ abundantiam, de cuius plenitudine omnes accepimus. Inde dicitur Lucifer, qua-

quasi luce fertilis, quia vita eius gloriosa lucem dedit seculo, de isto Lucifero canit Ecclesia in Natiuitate eius: Orietur, vt Lucifer inter astra ætherea, &c. Item de hoc *Iob.03.* Lucifero potest exponi illud Iob 30. vbi Dominus loquitur ad Iob dicens, *Nunquid produces Luciferum in tempore suo, & vesperum super filios terræ consurgere facies*, Benè autem ortus MARIÆ comparatur ortui Luciferi, quia orta est non tenebrosa in ortu, sicut nos, *qui omnes nascimur filij iræ*, *Ephes.* Ephes.2. Sed ipsa sanctificata, antequam nata, orta est, vt Lucifer, id est, tota clara, & in spe maioris claritatis, scilicet, Solis iustitiæ, qui natus est ex ea. Et hunc Luciferum produxit Dominus tempore suo, id est tempore gratiæ, & hoc est, quod Dominus dixit ad Iacob: *Nunquid produces Luciferum, &c.* Ac si diceret: Non tu, sed ego. Item benè MARIA comparatur Lucifero, quia sicut Lucifer præeminet cæteris stellis in claritate, sic MARIA sanctorum Ordinibus vniuersis in dignitate. Vnde ipsa Stella matutina dicitur. Lucens antequàm diescat, quia ortus MARIÆ præcessit ortum diei, id est, non solùm cæterorum Sanctorum, sed etiam Christi, qui lux est, & dies. Hæc est Stella, quæ vincenti promittitur *Apoc.2.* in præmiũ. Vnde Apoc.2. *Vincenti dabo stellam matutinam*. Et nota quòd in ortu huius stellæ, scilicet quando gratia, & dilectio MARIÆ oritur in corde iusti, fugiunt fures, id est, dæmones, quibus ipsa terribilis est, *vt castrorum acies ordinata*. Vigiles fiunt alacriores, id est, Prælati, vel quicumque de sua salute soliciri, ægri animi æquiores, operarij vigilautiores, & benè MARIA Stella matutina, quia semper fuit in mane oriendi, nunquam tendebat ad *Psal. 76.* occasum peccati, vel Stella matutina gloria æterna, quæ nunquam habebit finem, & quæ semper videbitur inchore, vt dicere videatur quilibet de beatis. *Et dixit nunc cæpi*, scilicet, gustare, quoniam suauis est Dominus, & Nota, quòd triplex potest distingui Stella, scilicet, vespertina, nocturna, matutina, id est vita Euæ, vita Patrum antiquorum, & vita MARIÆ. Prima vesperus, id est, vesperans. Hæc est Eua, quæ toti mundo spirauit væ culpæ, & væ pœna, quæ scilicet Stella vocatur *absinthium*, *Apoc. 8.* Apoc.8. propter amaritudinem illatæ mundo miseriæ. Secunda, vita iustorum qui fuerunt, & ante aduentum Domini, & post: de quibus dicitur. Philip.2. *Phpili.2.* *In medio nationis prauæ, & peruersæ lucentes, sicut luminaria in mundo verborum, vitæ continentes.* Tertia Lucifer, id est, vita MARIÆ, cuius vita inclita cunctas illustrat Ecclesias. Itẽ hæc est Stella, quæ apparuit Magis, quæ non in firmamẽto, sed subter firmamentum, quasi inclinata Stellarum natura in inferiori spatio aeris decurrebat, ac si diceret cum Psalm. 17. *Inclinauit Dominus cœlos, & descendit.* Noua erat stella illa, illam scilicet nouitatem designans, de qua Hierem.31. *Creauit Dominus nouum super terram famina circundabit virum*, id est MARIA Christum. *Psal. 17* *Hyer.31.*

Quarta Stella decimæ Coronæ Beata Virginis est, quòd ipsa habuit benedictionem Lyæ.

QVarta fuit Lya in benedictione actionis: nam ipsa habuit quatuor priuilegia. Primò humiliationis, cum dixit: vidit Dominus humilitatẽ meam. Secundò exauditionis, cùm dixit. Quoniam audiuit Dominus haberime contemptui dedit mihi filium. Tertiò, dilectionis cùm dixit: hoc *Luc.1.* pro benedictione mea. *Beatam quippè me dicent omnes generationes.* Quarto, confessionis, & gratiarum actionis, cum dixit: *Modò* *Gene 29. & 30.* *confitebor Domino*, Genes.29. & 30. sed ista priuilegia non promeruerunt Redemptorem, quoniam Lya lippis erat oculis, & vir eius, scilicet Iacob despexit eum, vt ibidem *Cant. 6.* dicitur. Beata Virgo vltra illa priuilegia fuit pulcherrima, Cant.6. *Pulchra est amica mea suauis & decora*, quam Deus ma- *Cant. 4.* xima charitate dilixit, Canti.4. *Vulnerasti cor meum in vno oculorum, tuorum*, ideoquè meruit concipere Saluatorem seculorum, quæ sola sine exemplo placuit Domino, vt constat, & ergo dignè diluculum vocitatur, de quo, Oseæ.6 *Quasi diluculum* *Os.6.* *præparatus est egressus eius.* Ortus MARIÆ fuit diluculum Dei gratiæ, quia vsque ad ipsam durauit nos, quam prima mater in mundum introduxit, & huius diliculi principium illuminatum fuit in ipsius vteri sanctificatione, vt supra habetur de aurora: ortus verò Christi fuit plena dies. Inde ca- *Esai.9.* nitur illud, Esa.9. *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.* Ideo etiã *Luc.2.* tunc dictum est pastoribus, Luc.2. *Natus est vobis hodie Saluator, &c.* Et dictum est hodie, cùm esset nox, quia de illa nocte prædixerat, Psalm.138. *Nox, sicut dies illuminabitur, &c.* Passio verò Domini fuit, quasi *Amos. 8.* meridies. Vnde Amos.8. *In die occidet Sol in meridie*, quando scilicet habetur plenitudo caloris, & luminis. In meridie enim est Sol altior, feruentior, splendidior. Tunc enim Dominus ostendit magnum feruorem dilectionis, sicut prædictum erat. 1. Regum. 11. *1.Re.11.* *Cras erit vobis salus cum incaluerit Sol.* *Ioan.15.* Feruor enim charitatis fecit eum pati. Ioan. 15. *Maiorem charitatem nemo habet, &c.* Et tunc non fuit, qui se absconderet à calore eius,

eius, cùm oraret etiam pro inimicis. Tunc etiam fuit plenitudo luminis, id est, cognitionis, quia tunc velum templi scissum est, id est, manifestata velamina Scripturarum. Et miro modo occasus huius Solis fuit in meridie passionis. Alio autem respectu tepuit iste Sol in vespere suo, vel occasu, quando summam ostendit misericordiam, vt seruor ipse dicatur iustitia tepor misericordię.

Oseæ.6. *Quasi diluculum præparatus est, &c.* Diluculum principium est diei, & MARIA principium Christi secundùm humanam naturam, quam assumpsit de ea, qui Christus dies est æternus, secũdùm naturam diuinam. Diluculum etiam istud coniungit noctem, id est, peccatores diei, ideſt, Christo, sicut dictũ est de aurora, & in hoc diluculo incæpit mundo diescere. Præparatus est egressus eius, id est, ab æterno paratus per prædestinationem.

Prou. 8. Vnde ipsa dicit. Prouerb. 8. *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret.* Vel præparatus vt ternam sanctificationem, vt tota munda nasceretur, per quã mundus erat. Vel præparatus per sapientiam

Psal. 21. patris, cui ipsa dicit: *Tu es, qui extraxisti me de ventre, &c.* Præparator Spiritus Sanctus, vel tota Trinitas. Sequitur: *& veniet nobis quasi imber temporaneus, & serotinus* terrę, datiui casus. Benè dicit quasi imber, scilicet, vt nos cùm pluat gratia sua, & fœcundet ad fructificandum per opera bona, & extinguat in nobis feruorem concupiscentiarum. Adapta Mariæ cæteras proprietates pluuiæ. Pluuia enim lauat lanam ad emundationem, terram rigat ad fructificationem, &c. Descen

Psal. 71. dit cum silentio, vt ibi, *descendit sicut pluuia in vellus*, quia venit cum omni plenitudine, & abundantia gratiarum. Vnde Ezech. 24.

Ezech. 24 *Pluuiæ benedictionis erunt, &c.* Imber, id est, gratia, vel doctrina Christi, & MARIÆ, quæ duo pulueres, id est, peccatores conglutinant, vt inde fiant vasa in honorem. Temporaneus, & serotinus. Imber temporaneus secund ũ Hieronymũ, quo iactum semen coalescet in terra, est gratia præueniẽs, serotinus, quo ipsa grana iam ingrossata maturãtur, est gratia consummans. Sic promittit Dominus aduentum suum, & talis fuit mundo natiuitas MARIÆ. Ideo assiduè roganda est à nobis, vt nolentes præueniat, vt velint, volentes se quatur, ne frustra velint, sicut docet Augustinus, vt Dominus exoritur, tribuens gratiam incipiendi, perficiendi, & perseuerandi. Item sicut lux diluculi semper augmẽtatur, & crescit vsque ad perfectam diem, sic MARIA, prę cęteris, ante sanctificata, quàm nata, quotidie sanctior procedebat, & tandem Angelicam supergressa est sanctitatem, vt supradictum est de aurora.

A *Quinta Stella decimæ Coronæ Beatæ Virginis Mariæ est, quòd ipsa habuit virtutes Rachelis.*

QVinta fuit Rachel in benedictione contemplationis: nam ipsa habuit quatuor priuilegia. Primò, affinitatis, quia erat consobrina Iacob, quam ipse *osculatus est* Gen. 29. capitulo. Secundò, diligibilitatis, quia Iacob seruiuit Laban quatuordecim annos, *vt ipsam haberet vxorem*. ibidem. Tertiò, formositatis, quia Rachel *erat decora facie*, & venusto aspectu, vt dicitur ibidem. Quartò, impetrabilitatis, quia cùm esset sterilis, *exaudiuit Dominus vocem eius, dans ei*

B *filium*, Genes. 30. Sed illa priuilegia non promeruerunt Redemptorem, quoniam cernens Rachel, quòd infæcũda esset, inuidit sorori, & ait marito suo: *Da mihi liberos alioquin moriar*. Ecce inuidia, & impatientia eius. Genes. 30. Beata Virgo fuit ex eadem Tribu cum Iesu Christo, quæ cupiebat eius osculum, dicens illud Canticorum 1. *Osculetur me osculo oris sui*. Etiam seruiuit Deo in templo quatuordecim annos, vt Deus dignaretur mittere Saluatorem mundi, cuius pulchritudo inæstimabilis erat nimis. Cuius orationem exaudiuit Deus cùm Angelus dixit ei: *Ecce concipies in vtero*. Quod fuit initium nostræ saluationis. Inde ipsa meritò mane appellatur, de

C quo dicitur. Esai. 58. *Tunc*, id est, in tempore gratiæ *erumpet*, id est, subitò, & improuisè nascetur de tenebrosa Synagoga, *quasi mane*, quod videtur procedere de tenebrosa nocte, *lumen tuum*, ò Ecclesia, id est, Beata Virgo cuius vita cunctas illustrat Ecclesias, & *sanitas tua*, id est, Christus, de quo Psalmus 26. *Dominus illuminatio mea, & salus mea, & cætera*. Citiùs orietur, *quia medicina omnium infestinatione nebulæ*. Eccles. 43. in acceleratione incarnationis Dominicæ. Istud enim mane genuit nobis diem, id est, Christum, qui est dies æternus. Et nota, quòd ma ne multa leguntur accidisse ad litteram,

D quæ spiritualiter implentur in nobis beneficio huius mane, vel huius diluculi. Per mane enim infusio gratiæ designatur. In mane feræ, & aues nocturnæ delitescunt. Vnde. *Ortus est Sol. & congregati sunt, & in cubiculo suo collegerunt*. Et loquitur ad literam de catulis Leonum rugientibus, vt rapiãt, per quos dæmones designantur. Simile Iob 37. *Ingredietur bestia latibulum suum, & in antro suo morabitur*. Nocturnæ volucres, prauæ cogitationes. Latrones diffugiunt, id est, dæmones. Exod. 14. *Iam aduenerat vigilia matutina, &c.* Et paulò priùs: *Dixerunt ergo Ægyptij: fugiamus Israelem, &c.* Aues mun-

Gen. 29.
Genes. 30.
Genes. 30.
Cant. 1.
Esai. 58.
Psal. 26.
Eccl. 43.
Psa. 103.
Iob 37.
Exod. 14

dæ cantare incipiunt, scilicet, turtur contritionis, philomena dilectionis à laude lætitiæ, & huiusmodi. Iob 38. *Cùm me laudarent simul*, id est, concorditer *astra matutina, &c.* Tunc enim decantant viri religiosi Laudes Matris, & Filij. Vnde *Mane oratio mea præueniet te*, Ité, *mane astabo tibi, &c.* Viri iusti prauos motus interficiunt, ne ab ipsis interficiantur. Vnde dicit quidam ex ipsis. In matutinis interficiebant omnes peccatores terræ, id est, prauos motus sensualitatis, de quibus dicitur: *Beatus, qui tenebit, & allidet paruulum suum ad petram*, vel peccatores terræ dæmones sunt, quorum pro curatione peccata fiunt in terra, vt disperderem de ciuitate Domini, id est, anima fideli omnes operantes iniquitatem, id est, prauos motus, qui pariunt iniquitatem. Ad litteram enim in mane magis tentat diabolus. Vnde Iosue 8. *Festinauit Rex Hay egredi mane, &c.* Propter hoc Cistercienses vigilant in mane, nec vadunt ad lectos priùs matutinas, sed orant, vt sic interficiant prauos motus. Mane etiam exeundum contra hostes; vnde 1. Regum 11. legitur, quòd viri Iabes Galaad, audito, quòd Saul veniret eis in auxilium, sumpta audacia, dixerunt hostibus suis: *Mane exibimus ad vos*, Tũc enim egressus est castra in vigilia matutina Saul, & deuicti sunt hostes, & dispersi, ita, vt non relinquerentur duo ex eis pariter. Iudith 14. *Cùm exierit Sol, accipiat vnusquisque arma sua, & exite cum impetu, &c.* Submerguntur Ægyptij in mari contritionis rubro propter tristem memoriam sanguinis, id est, peccatorum, *factum est in vigilia matutina, &c.* Expelluntur tenebræ peccatorum. Iob 17. *Rursum post tenebras spero lucem*, id est, gratiæ claritatem. Alleuiantur infirmitates, id est, tentationes. Iob 8. *Si diluculo surrexeritis, &c.* In hoc etiam mane incepit mundus languidus meliùs se habere, in quo *à planta pedis vsque ad verticem non erat sanitas*, propter peccatum primorum parentum.

Iob 38. Psal. 87. Psalm. 5. Psal. 134. Iosue 8. 1. Reg. 11. Iud. 14. Iob 17. Iob 8. Esai. 1.

Sexta Stella decimæ Coronæ Beatæ Virginis Mariæ est, quòd ipsa habuit benedictionem Noemi.

SExta fuit Noemi in benedictione repletionis; nam ipsa habuit quatuor priuilegia. Primò, cognationis, quia fuit vxor Eli Mesech Iudicis, & Sacerdotis. Secundò, venustationis, quia erat pulcherrima inter mulieres Bethleemitas; vnde populi dicebant: *Hæc est illa Noemi.* Tertiò, ditationis, quia dicebat: *egressa sum plena.* Quartò, deductionis, quia nurum suam Ruth, quæ erat Moabitis, deduxit ab idolatria ad cultum veri Dei, vt dicitur Ruth. 1. Sed illa priuilegia non promeruerunt Redemptorem, quia velut impatiens aduersitatis dicebat: *Nolite me vocari Noemi, id est, pulchra, sed vocate me mara, id est, amaram, quia valde me amaritudine repleuit omnipotens*, vt dicitur ibidem. Beata Virgo vltra illa priuilegia fuit patientissima, dicens: *Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.* Attulit enim panem cœlestem pro mundi vita, & lucem, *quæ illuminat omnẽ hominem venientẽ. &c.* Vnde dignè MARIA lux nominatur, quia ipsa peperit veram lucem; comparatur autem luci proprietate multiplici. Vnde Sap. 7. *Proposui pro luce habere illam, &c.* Genes. 1. *Vidit Dominus lucem, quòd esset bona, &c.* Hæc est enim lux, quæ post filium illuminat omnem hominem. MARIA lux propter speciositatem, quia nulla pura creatura MARIA pulchrior. Vnde de ea dicitur. Sap. 7. *Est enim speciosior Sole, & super omnem dispositionem Stellarum luci comparata inuenitur prior.* Nihil enim luce subtilius, sic infra ostenditur, nihil luce purius, in quo simplicitas eius, & innocentia. Nihil mundius, in quo operum eius munditia. Nihil clarius, in quo lumen exemplorum. Nihil humanæ vitæ iucundius, in quo notantur in ea doctrina, & sapientia verborum. Ergo munditia ad virginitatem. Claritas ad opinionem, gratia ad sermonem pertinet. Propter claritatis diffusionem absque sui diminutione, quia peperit Christum sine sui corruptione, de qua luce. Eccles. 1. *Effudit illa super omnia opera sua, & super omnem carnem.* Hoc dicitur de sapientia, & potest exponi de MARIA propter suam incorruptibilitatem, & puritatem, quia inquinari non potest. Vnde Sap. 7. *Nihil inquinatum incurrit in illam.* Sicut apparet in radio Solis, quem nec ignis comburit, nec aqua emollit, nec fætor corrumpit, nec gladius scindit, nec vitrum obsistit, & ita incorruptibilis. Quia visibilia facit ea, quæ priùs non apparebant ante faciem filij sui, misericorditer statuens eos, qui priùs longè distabant ab eo, vt patet in Theophilo. Ipsa enim, vt dicitur Iob 12. *Reuelat profunda de tenebris, & producit in lucem vmbram mortis.* Quia per angustissimam rimam, vel foramen ingreditur, gratiam infundendo. Vnde dicit cum filio illud Apoc. 3. *Si quis mihi aperuerit, introibo ad illum.* Vnde per minimum obsequium, quod ei impendimus, refundit nobis lumen gratiarum, & misericordiæ suæ. Quia præuenit oculum ad hoc, vt videatur ab oculo. Et sapientia, vel MARIA *præoccupat se qui se concupiscunt*, vt illis se priorem ostendat. Sap. 6. Quia oculos illuminat, id est, intel-

Rut. h 1. Luc. 2. Ioan. 1. Sap. 7. Genes. 1. Sap. 7. Eccle. 1. Sap. 7. Iob 12. Apoc. 3. Sap. 6.

le-

lectum, & affectum, qui sunt oculi animæ. Intellectum cogitatione sui, & Dei; affectum dilectione Dei, & proximi. Quia tenebras fugat, & sequelam tenebrarum, id est, ignorantiam, quia mundo peperit æternam veritatem, quæ Christus est: Ioan. 14. *Ego sum via, veritas, & vita.* Quia splendorem diffundit. Quia ex eius vtero egressus est per carnalem natiuitatem ille splendor, de quo dicitur Esai. 62. *Donec egrediatur, vt splendor iustus eius.* Quia singulis rebus species proprias, & differentias restituit, quas abstulerant tenebræ, quia tempore tenebrarum omnia sunt in chao, & confusione, sic factum est mundo per peccatum Euæ. Sed MARIA, luce vera veniente ad formas proprias, omnia quasi de tenebris euaserunt, scilicet, status, ordines, & gradus Ecclesiæ Catholicæ, & exemplaria virtutum: Quia sine acceptione personæ omnibus se ei debito modo exponentibus se exponit. Sapien. 6. *Æqualiter est ei cura de omnibus*, æqualiter, id est, communicatiuè. Ideo dicit ei Pater. Esai. 49. *Dedi te in lucem gentium.* Quia sanis oculis delectabilis. Eccles. 11. *Dulce lumen, & delectabile est oculis videre Solem.* Oculi nostri spirituales affectus, & intellectus. Quia lippientibus, & non sanis oculis, id est, Iudæis, Paganis, Hæreticis odibilis. Ioann. 3. *Qui malè agit, odit lucem.* Augustinus. Oculis ægris odiosa lux, &c.

Ioan. 14. Esa. 62. Sap. 6. Esai. 49. Eccle. 11. Ioann. 3.

Septima Stella decimæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd ipsa habuit virtutes Ruth.

SEptima fuit Ruth in benedictione desponsationis, nam ipsa habuit quatuor priuilegia. Primò, charitatis, quia socrum suam, scilicet, Noemi, redeuntem in patriam suam noluit ex charitate derelinquere, dicens: *Sola mors à te me separabit.* Secundò, veritatis, quia populum suum idolatrantem reliquit, & verum Deum coluit, dicens: *Populus tuus populus meus, & Deus tuus, Deus meus.* Ruth. 1. Tertiò, gratiositatis, quia inuenit gratiam coram Booz potentissimo, & ditissimo homine. Ibidem 2. Quartò, affinitatis, quia copulata est Booz in coniugem. Ibidem 4. Sed illa priuilegia non promeruerunt Redemptorem, quia antequam desponsaretur à Booz, venit absconditè, & discooperto à pedibus eius pallio, ipsa se proiecit ad pedes eius. Et ecce nocte iam media expauit homo, & conturbatus est. Ibidem 3. Beata Virgo floruit maxima charitate, quæ dicit: *Ordinauit in me charitatem.* Canticorum 1. Floruit veritate. Psalmus 44. *Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua.* Maximam gratiam inuenit apud Deum, quæ virginitatem suam Deo consecrauit pura mente, quæ nihil tenebrosum in se habuit. Vnde ipsa dignè dies nominatur, quia illum genuit, qui dicit: *Nonne duodecim horæ diei sunt?* Dies dicitur à dian, quod est claritas, vt quidam dicunt, Gen. 1. Appellauit Deus lucem diem, quando, scilicet placuit ei, quòd MARIA nascente, inciperet mundo diescere tenebroso, & per diem de die, id est, filium de matre illuminaretur omnis homo veniens in hunc mundum. Et nota, quasi per tria morarum spatia, scilicet, mane, meridie, vespere, dies cõpletur. Similiter quibusdã gradibus meritorũ, quasi quibusdam spatijs horarum completa est perfectio sanctitatis MARIÆ. Et hæc tria solicitè prædicanda sunt. Vnde Psalm. 54. *Vespere, & mane, & meridie narrabo, & annunciabo, & cætera.* Huius diei mane, quando crebrior inter homines fieri solet salutatio, designatum est, quando ei dictum est Aue. Et ab ista salutatione, quasi inchoauit aurora huius diei coruscare, & incepit mundo diecere, quia per quinque millia annorum ambulauerat in tenebris, & caligine peccatorum, & ignorantiæ pro delicto primorum parentum. Et tunc videtur Dominus respexisse, humilitatem MARIÆ, quia quasi domesticam, & familiarem habebat, quam cum tanta reuerentia, quasi ex parte sua salutari ab Angelo faciebat. Tunc enim Dominus *mandauit salutes Iacob*, id est, MARIÆ, quæ simul, & semel vitia omnia supplantauit. Quasi meridies fuit huius diei, quando dicta est Gratia plena. Quia sicut meridies plenitudinem habet caloris, & luminis, sic & ipsa tunc ostendebatur recepisse omnem plenitudinem charismatum, quæ animam illuminant per cognitionem, & calefaciunt per amorem. Quasi vespera fuit huius diei, quando dictum est ei: *Dominus tecum*, qui à primis parentibus recesserat per peccatum. Quia sicut ad vesperam Sol terris propinquior efficitur, sic in verbo isto ventris hospitio Deus illabitur. Nota, quòd in illo verbo: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*, concepit virgo per fidem, sicut manifestè dicunt, Fulgentius, & Bernardus, & sic est vespere, scilicet, virtute altissimi ei obumbrante, & mane, id est, Spiritu Sãcto in eam superueniente, dies vnus id est, singularis. Vespere in refrigerio carnis Christi, mane in illuminatione Spiritus sancti. Psal. 77. *Deduxit eos in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis.* Vespere in fine veteris testamenti: mane in initio noui. Vespere dum terminatur Regnum Iudæorũ, mane dum inchoatur Regnum Christianorũ: dies vnus, id est, singularis, & solus, in quo creator hominis factus est filius hominis, assu-

Ruth. 1. & 2. & 3. & 4. Canti. 1. Psal. 44. Ioan. 11. Genes. 1. Psal. 54. Luc. 1. Psal. 43. Psal. 77.

sumens nubilum nostra carnis. Duo dies in die vna, sicut duo in carne vna: Virgo carnem offerens, Christus carnem induens, & fit dies vnus, & vnus, id est, altera sola, & alter solus. In matre speciatis, & sine exemplo virginitatis, in filio singularis, & vnica humilitas. Huius diei sunt duodecim horæ, per quinque, & septem diuisæ. Quinque pertinent ad sensus corporis virginalis, in quibus à mundanis illecebris præcellens omnimbus continentia specialis, septem ad mentem Virginis propter septem gratias animæ præsides, quæ de fonte spiritus vniformis riuulo prodeunt septiformi, & cætera. Hæc
Genes. 18 autem dies, siue meridies figurata videtur in Genes. 18. vbi dicitur, quòd *Abraham sedit in ostio tabernaculi, in feruore diei*, quando annunciatus fuit Isaac. Hæc autem annunciatio fuit figura annunciationis Beatæ MARIÆ. Ergo debuit fieri in meridie.

Octaua Stella decimæ Coronæ Beatæ Virginis Mariæ est, quòd ipsa habuit virtutes Abigail.

OCtaua Abigail in benedictione humiliationis: nam ipsa habuit quatuor priuilegia. Primò, speciositatis, quia ipsa fuit speciosa valde. Secundò, affabilitatis, quia fuit prudentissima in loquendo. Tertiò, remunerabilitatis, quia dona, & munera præsentauit Dauid, vt auerteret iram eius à domo sua. Quartò, copulabilitatis, quia Dauid
1. *Re.* 25. *accepit eam in vxorem.* 1. Regum 25. Sed illa priuilegia non promeruerunt Redemptorem, quia detraxit viro suo, & adulata est ipsi Dauid, vt patet ibidem. Beata
Cant. 6. Virgo fuit prudentissima, *quasi aurora consurgens, pulchra, vt Luna, electa, vt Sol*, seipsam obtulit Deo in ancillam humilem à Spiritu Sancto de cælis edocta. Vnde non incongrue MARIA nubes dicitur, de qua
Esai. 19. Esai. 19. *Ascendit Dominus super nubem leuem, & ingredietur in Ægyptum, &c.* Secundùm Iudorum nubes dicitur ab obnubendo, & Beata Virgo humana carne velauit vnigenitum Dei. Obnubere enim operire est, MARIA nubes leuis, quam Spiritus Sanctus in sanctificatione à peccato originali, quasi à quodam pondere præseruauit, & à peccati fomite in conceptione Christi mundauit ex toto, & cætera. MARIA nubes, quia candida per virginitatem, & omnimodam puritatem. Vnde Apocalip.
Apoc. 14 14. *Vidi, & ecce nubem candidam*, per innocentiam, virginitatem, benignitatem, & immortalitatem corporis, vt verè creditur. Quia lucida per gratiæ illustrationē, & sāctæ cōuersationis exēplū designata per illā nubē lucidā, de qua legitur in historijs de opere quartæ diei, quæ, antequam Sol fieret, mundum illuminabat, & de qua secundùm quosdam factum est corpus Solis. Ideo dicitur Iob 37. *Nubes*, id est, MARIA, & Sancti, *spargunt lumen suum*, scilicet, lumen exemplorum. Rubicunda per pulchritudinem naturalem, verecundiam virginalem, feruentissimam charitatem, patientiam singularem. Quære illud supra de rosa, octaua Corona, & Stella octaua, vel etiam rubicunda per martyrium animæ, quando Luna *conuersa est in sanguinem* per compassionem in vnigeniti passione. Ioel 3. Iacintina per cœlestem conuersationem, vel per cœlestium contemplationem, quia verissimè dicere potuit, *mea conuersatio in cœlis est*. Philip. 3. Nigra per humilitatem, quæ dicitur, quasi humo latens. Sicut enim Iacintinus, color, propriè color est cœlestis, sic & color terreus proprie color niger est, & per terram proprie figuratur humilitas. Ideo dicit ipsa Canticorum 1. *Nigra sum, sed formosa*, quia nigredo humilitatis excellentissima est formositas animæ fidelis. Suspensa quasi inter cœlum, & terram, & hoc per desiderium æternorum. Iob 7. *Suspendium elegit anima mea, & mortem ossa mea.* Duo dicit se elegisse Iob, quæ bene conueniunt Beatæ Virgini. Primum est suspendi, id est, eleuari à mundo, vt conuersatio eius esset in cœlo.
Colos. 3. Coloss. 3. *Quæ sursum sunt quærite.* Secundum mori mundo. Vnde Coloss. 3. *mortui enim estis*. Ideo enim sequitur, *& mortem ossa mea*. Glossa Fortitudo carnis scilicet mortificationem. Aquosa per gratiarum, & omnium charismatum abundantiam; vnde dicta est gratia plena. Ideo dicuntur nubes, quasi nimborum naues. Aquis enim sapientiæ salutaris onerata fuit hæc nubes, quando *conseruabat omnia verba hæc, &c.* Luc. 2. Vento ducitur, id est, gratia Spiritus Sancti, qui ipsam & impellebat, & trahebat, & circumdabat, & custodiebat, vt de ea illud posset exponi. Deute. 32. *Circumduxit eam, & docuit, & custodiuit*. Spiritus enim sapientiæ docuit eam, qualiter debuit respondere Angelo. Spiritus pietatis traxit eam ad Elisabeth, & sic de alijs. Ad fructum terram habilitat, & fœcundat. Vnde dicitur Eccles. 35. *Eccl.* 35. *Speciosa est misericordia eius in tempore tribulationis*, sicut nubes pluuiæ in tempore siccitatis. Ipsa enim, velut nubes misericorditer abscondit peccatores ab ardore Solis, & ipsis refrigerat ardorem concupiscentiarum & eos fœcundat ad benè operandum. Fructibus, hominibus, & animalibus Solis ardorem temperat. Ardor Solis iustitiæ, ira eius, quam suis precibus modificat, & refrenat, ne peccātes illico feriat. Deu. 32. *Percutiam*, dicit, filius eius, & ipsa respondet, *& ego sanabo*. Item de hac nube dicitur in
Deu. 32.

Psal-

Psal. 104. Psalm. 104. *Expandit nubem in protectionem eorum*, id est, Israelitarum, & ignem, vt luceret eis per noctem. Ecce duo officia ad quæ nobis data est MARIA, scilicet, vt nos protegat à feruore Solis iustitiæ, tanquam nubes, & ideo quasi suspensa est inter cœlum, & terram, vt nos illuminet suis orationibus, & exemplis, tanquam ignis, quoniam ipsa est lux ostendens lucem virtutum, & etiam nos protegat contra diabolum, quasi igneus murus, & contra vitia peccata, &c.

Nona Stella decimæ Coronæ Beatæ Virginis Mariæ est, quòd ipsa habuit benedictionem Abisag.

NOna Abisag Sunamitis in benedictione ablactionis; nam ipsa habuit quatuor priuilegia. Primò, condecentiæ, quia erat *puella pulchra nimis*. Secundò, confidentiæ, quia erat *Virgo*, & dormiebat cum Rege Dauid, qui *non cognouit eam*. Tertiò, consistentiæ, quia *stabat coram Rege*, & fouebat eum. Quartò, congruentiæ, quia ministrabat ei, & calefaciebat eum. 3. Regum 1. *3. Reg. 1.* Sed illa priuilegia non promeruerunt Redemptorem, quia propter eam Salomon fecit occidi *Adoniam* fratrem suum. 3. Regum 2. *3. Rge. 2.* Beata Virgo, tanquam Regina astitit à dextris Dei in vestitu deaurato, quæ Deo ministrauit in habitatione sancta, & cùm Deus esset frigidus erga humanum genus, tanto igne charitatis eum accendit, quòd homo factus est, & de cœlis ad terram descendit. Vnde digne MARIA terra appellata est: hæc est *terra*, de qua formatus est *homo*. Genes. 2. scilicet, nouus Adam de limo *Genes. 2.* terræ, id est, argilla, quæ est tenax tractabilis, & firma, super quam securè fundantur opera lapidea. Similiter MARIA tenax, & firma fuit in proposito conseruandæ virginitatis, & per obedientiam tractabilis. *Luc. 1.* Vnde dixit: *ecce ancilla Domini*, quasi diceret: quid quid ei placuerit, faciat de ancilla sua, ecce tractabilitas. Hæc est terra promissionis promissa Iudæis, reddita Christianis, cuius fructus ficus, vua, & malogranatum. Per ficum dulcedo MARIÆ, per vuam dilectio eius, lætificans ineffabiliter cor sibi deuotum, vel virtus orationum eius, quæ Christum inebriant, & faciunt obliuisci peccatorum nostrorum; malogranatum diuersitas gratiarum, quibus facit nos socialiter, & charitatiuè inuicem conuersari. *Psal. 64.* Item de hac terra dicitur in Psalmo 64. *Visitasti terram, & inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam*. Sermo de Incarnatione Dominica: Dauid eximius Prophetarum, cui specialiter de Christo facta est repromissio. Vnde: *de fructu ventris tui ponam super sedem meam*. *Psal. 131.* De conceptu Virginis differens, & quasi gratias agens, quòd exaudita sit illa eius oratio. Visita nos Domine in salutari tuo, dicit, *visitasti*, ò, *Domine terram tuam*, id est, MARIAM. Sequitur, & *inebriasti eam*, id est, gratia repleti, quæ est vinum optimum. Vnde tunc dicta est gratia plena. Inebriasti eam pigmentis omnium gratiarum. Raspato humilitatis, vino albo virginitatis, vino rubeo charitatis, vino plano mansuetudinis, vel paupertatis. Ferrato constantiæ, & fortitudinis. Musto forti, & calido diuinæ dilectionis. Gariophilato lætitiæ spiritualis. Sementato contemplationis, quæ surgit ex diuersis. Pigmento interioris consolationis. Pigmentum enim dicitur, quasi pius gustus mentis. Rosato aromatico perfectæ dilectionis, qua cupiebat dissolui, & esse cum Christo. Clareto sapidissimo æternæ beatitudinis, &c. Hæc ebrietas fecit eam obliuisci populum suum, & domum patris sui lætificauit gaudio ineffabili. Vnde dixit: *Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo*. *Luc. 2.* Audaciam subministrauit ex securitate conscientiæ. Vnde dicebat de Patre: *Osculetur me osculo oris sui*. *Cant. 1.* Fortitudinem præbuit. Vnde: quoniam *virum non cognosco*. *Luc. 1.* Quasi cancellare fecit, quando electam in Matrem Dei per humilitatem respondit. *Ecce ancilla Domini*. Appetitum eius excitauit, quando orauit: *Fiat mihi secundùm Verbum tuum*. Insensibilem reddidit in bono sensu in passione filij. Vnde visa est tunc dixisse illud. Prouerb. 23. *Per virtutem patientiæ, vulnerauerunt me* in filio, *& non dolui*, largissimam & liberalissimam eam fecit, & totius misericordiæ genitricem. Sequitur: *Multiplicasti locupletare eam*, id est, multipliciter locupletasti eam, & tunc in ea impletum est illud. Prouerb. in fine. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias*, &c. Item multi locuntur eam, tribuens ei, & nobis per eam tuam diuinitatem, & ex ea assumens nostram humanitatem. Item de hac terra in Psalmo 73. *Deus Rex noster ante secula operatus est salutem in medio terræ*, id est, in vtero Virginis, qui mirabili proprietate terræ medium appellatur, vtpote centrum medium circumferentiæ. Beatus Bernardus, sicut enim punctum in medio figitur, à quo linea inchoata in longum protenditur. Sic MARIA in tribus Israel minima ad exemplum totius mundi, quasi protensa proponitur. Ad ipsam enim, sicut ad medium, sicut ad archana Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium seculorum respiciunt, & qui in Cœlo habitant, & qui in inferno

Prou. 23. *Pro. vlt.* *Psal. 73.*

no, & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui sequuntur, & nati natorum, & qui nascentur ab ipsis. Qui sunt in cœlo, id est Angeli, vt refarciantur, qui in inferno, id est, Patres antiqui, vt eripiantur, qui præcesserunt, vt Prophetę fideles inueniantur, qui sequuntur, vt conuertantur à peccato, & per eam glorificentur. Hæc est terra, de qua dicitur Patri. Qui fundauit terram, id est, MARIAM super stabilitatem suam, fidem, scilicet, vel humilitatem. De qua *Isai.* 48. dicit Pater Isai. 48. *Manus mea fundauit terram, &c. non inclinabitur*, scilicet, ad peccandum, vel titubandum de Angelica promissione, &c.

Decima Stella decimæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd ipsa habuit benedictionem Bersabee.

DEcima fuit Bersabee in benedictione obseruationis: nam ipsa habuit quatuor priuilegia. Primò, decoris, quia erat mulier *pulchra* valde. Secundò, amoris, quia Dauid *introduxit eam in domum suam*, & facta est 2. *Reg.* 11 ei vxor 2. Regum 11. Tertiò, valoris, quia genuit filium, & vocauit nomen eius Salo- *Ibid.* 12. mon, & Dominus dilexit eum. Ibidem 12. Quartò, honoris, quia veniens ad Regem Salomonem, surrexit Rex in occursum eius, adorauitque eam, & fedit super thronum suum, *positusque est thronus matris Regis*, 3. *Reg.* 2. quæ sedit ad dexteram eius. 3. Regum 2. Sed illa priuilegia non promeruerunt Redemptorem, quia ipsa commisit adulterium cum Dauid, & fuit causa mortis viri sui. 2. *Reg.* 11 2. Regum 11. Beata Virgo ab æterno fuit electa, vt esset mater Filij Dei, propter quod in plenitudine Sanctorum fuit detentio eius, in cuius vtero requieuit diuina sapientia, à qua illuminata est, & vsque ad nos omnes lumen eius cognitionis peruenit, vnde meritò dignè ipsa campus vocata est, cuius se esse florem Dominus gloriatur. *Cantic.* 2 Canticorum 2. *Ego flos campi*, qui propriè est viola: hi enim flores viola, & liliij nascuntur de terra inculta, sic & Christus de Virgine inculta operatione humana. MARIA campus propter florigeram amenitatem virginitatis, communitatem pietatis. Vnde beatus Bernardus, fileat misericordiam tuam, &c. Spaciositatem charitatis, quia MARIA diligit diligentes se. Agricolationem diuinæ studiositatis, fœcunditatem maternitatis. Ibi enim creuit frumenti illius, pretiosum granum, quo pascuntur aues, & animalia, Angeli, scilicet, & fideles simplices in Sacramento Altaris, quasi in vno præsepio. MARIA campus, quia

A ibi creuit fœnum Dominicæ carnis, quia *omnis caro fœnum*. Isai. 40. Fœnum videlicet, quod MARIA producit iumentis, *Esai* 40. quo etiam saluat homines, & iumenta, id est, rationabiliter viuentes, & suorum deferentes onera mandatorum. Quia campus communis locus pascuæ, & in vita eius, & exemplis reficiuntur, & pinguescunt fideles animæ. MARIA etiam pascua est, quia pascuæ sponte proferunt herbam. Vnde, *germinet terra herbam virentem*. Gene- *Genes.* 1. sis. 1. Item pascua hæc viret fide, & virtutibus, & æterna perseuerantia sanctitatis. Item communis, vt dictum est. Item nutritur humore, & imbribus gratiarum. Item B dat fœnum, id est, gratiam cognoscendi se esse fœnum, id est, carnem citò morituram, vt humilietur. Item pascua non excolitur, similiter nec MARIA humano semine. Quia campus ab auibus frequentatur, id est, ab Angelis. Eccles. 27. *Volatilia ad sibi similia congregantur*, quia virginitas soror *Eccl.* 27. est Angelorum, sicut dicit Thomas Apostolus; quia cœlo semper exponitur, & ipsa corde patulo semper inhiabat ad dona perfecta, quæ descendùt à patre luminum, Iacob. 1. *Iacob.* 1. Quia ibi aer salubrius, quàm in villis, quia gratia eius salus animæ, sed gratia mundi fallax, & vana pulchritudo ipsius. Quia obediens, dicitur campus, quando fructitudo respondet agricolæ, & ipsa benè respondet agricolæ suo, id est, Spiritui Sancto, quando concepto Saluatore, statim *Visitauit Elisabeth*. Luc. 1. Quia planus per simplicitatem, & demissus per humilitatem. *Luc.* 1. Vnde *ascendunt montes, & descendunt campi*. Quia locus est ad spaciandum: Vnde *Psal.* 103 ipsa vocat amatorem suum ad meditandum de ea. Canticorum 7. *Veni dilecte mi, egre-* *Cant.* 7. *diamur in agrum*. In hoc quòd dicit, egrediamur, ostendit se esse sociam meditantium de ea. Ezech. 3. *Surgens egressus sum in* *Ezech.* 3. *campum*. Nota, priùs enim surgendum est à vitijs, & egrediendum à se carnali, vt fiat spiritualis. Et ecce gloria Domini ibi stabat. MARIA enim habitaculum gloriæ, D id est, Filij Dei, quia *gloria Patris, filius sapiens*. Prouerb. 10. Cùm illis etiam stat *Prou.* 10. gloria Domini, qui sunt campi secundùm proprietates prædictas. Dicitur ergo MARIA campus, vt prędictum est, propter communitatem pietatis. Vnde & oliua speciosa in campis vocatur, & liquor oliuæ oleum est, & benè oliua speciosa, id est, omnimoda specie spirituali repleta per misericordiam, quæ est virtutum suarum gloria. Vnde de ea dicitur Oseæ in fine. *Oseæ vlt.* *Erit quasi oliua gloria eius, & cætera.* In campis propter communitatem: nam misericordia eius, & gratia communis est omnibus inuocantibus eam in veritate, quasi

di-

dicat eum filio suo illud Ioan. 6. *Eum qui* A
Ioann. 6. *venit ad me non eijciam foras.* Et ideo *ado-*
Cantic. 1 *lescentulæ*, id est, fideles animæ *diligunt eã* nimis, quia oleum effusum nomen eius, ad hoc autem, quòd oleum suum tibi infundat hæc oliua, oportet vas vacuum habere. ipsa enim est illa mulier, de qua legitur. 4.
4. Reg. 4. Reg. 4. quæ *vasa vacua impleuit* ad præceptum Helisei, id est Christi, *sed plena nequaquam, &c.*

Vndecima Stella decimæ Coronæ Beatæ Virginis MARIÆ est, quòd ipsa habuit benedictionem Iudith.

VNdecima fuit Iudith in benedictione B
gubernationis: nam ipsa habuit quatuor priuilegia. Primò austeritatis, quia habebat *super lumbos suos cilicium.* Secundò domabilitatis, quia ieiunabat *omnibus diebus vitæ suæ præter Sabbata, & Neomenias, & festa domus Israel.* Tertio veuustatis, quia *erat eleganti aspectu nimis, & habebat diuitias multas.* Quartò sanctitatis, quia erat in omnibus *famosissima, & timebat Deum valdè, nec erat qui loqueretur de illa verbum malum.* Iudith 8. Sed
Iudi. 8. illa priuilegia non promeruerunt Redemptorem, quia abstulit à se cilicium, & exuit se vestimentum viduitatis suæ, & lauit corpus suum, & vnxit se mirto optimo, & di- C
scriminauit crinem capitis sui, & imposuit mitram super caput suum, & induit se vestimentis iucunditatis suæ, & omnibus ornamentis suis ornauit se, vt deciperet Holofernem, & prouocaret eum ad concupiscientiam sui. Iudith 10. Quem delusum
Iudi. 10. manu sua occidit. Ibidem 13. Beata Virgo asperioribus indumentis vestiebatur, quotidie ieiunans, pulchra super omnes mulieres, quam omnes miro venerabantur affectu, quia omnia terrena transcendit, & cœlestia concupiuit. Vnde iustè mons nuncupata est, qui dicitur ab eminentia, secundũ Isidorum, vel secundùm alios dicitur mõs, quasi moles oppositа nascenti Soli. Mo- D
les enim immobilis humilitas MARIÆ, quam humilitatem Christus adamauit, vt de ipsa nasci dignaretur. Vnde opponit se pro familiaribus suis feruori solis iustitiæ, ne ipsos arefaciat, &c. MARIA mons, quia latus in pede, vel radice. Radix MARIÆ humilitas, quæ est fundamentum eius, latius, & profundius, quàm omnium Sanctorum. Quia angustum in cacumine. Cacumẽ MARIÆ est maternitas, cuius modus incomprehensibilis, & sine modo exemplo singularis: *quia generationem eius quis e-*
Esai. 53. *narrabit?* Esai 53. eodem 66. *quis vnquam*
& 66. *audiuit tale?* quia terra adiacẽte superior, id est, omni pura creatura cœlo, id est, solo Christo, Deo, & homine inferior. Anselmus: nihil æquale MARIÆ, nihil, nisi Deus maius MARIA. Quia terram se toto excedens, qui in nulla virtute inuentus est similis illi, quia terra super terram exaltata. Aliter enim non est mons, nam filio Dei impregnata, non tantùm super omnes homines est exaltata, imo in se continuit ipsum cœlum. Vnde dicitur Ecc. 24. *Gyrum cœli* Eccli. 24.
circuiui sola. Cœlos etiam *attingebat* stans Sap. 18.
in terra. Sap. 18. Et ideo dicitur *mons in* Esa. 2.
vertice montium. Esai. 2. quia terrę semper Eccl. 25.
adhæret, id est, peccatoribus, qui terræ sunt per affectum misericordiæ, dicens: Quis infirmatur, &c. Quia terram sibi subditam validè protegit, quandiù sub eo est, & ipsa sibi subditos, nisi per peccatum mortale ab ea recesserint. Quia a longè videtur, nam per omnia climata exiuit sonus pietatis, & misericordiæ ipsius: quia quicquid venit de sursum priùs suscepit, & inde descendit ad valles propinquas: nam in incarnatione suscepit prior omne datum optimum, & de plenitudine eius accipiunt humiles, propinquantes ei per veram dilectionem: quia omnia flumina, vel ferè omnia ortũ habẽt à montibus, & de ea natus est ille, qui dicit: Ego quasi fluuius dorix, à quo ad illã defluunt, & ab ipsa ad nos fluenta gratiarũ, quæ fluunt impetu de Libano, quia fontes perspicuos, & frigidos emittit in pede, id est, in affectu charitatiuo ad refrigerandũ nos. Quia idoneus munitionibus, & speculis, & ipsa est munimentum Ecclesiæ, & omnium fidelium. In exemplis etiam eius quid fugiendum sit, & quid amplexandum, possumus speculari. Quia in montibus sit maior tempestas, quã in vallibus, & in planis, & in vnigeniti sui passione turbata est valdè, *& fuit omnis plaga tristitia cordis eius.* Ec-
cle. 25. Quia mons habitatio, & receptacu- Eccle. 25.
lum ferarum. Vnde montes excelsi ceruis refugium, scilicet, & ipsa refugium illorũ, qui fugiunt à facie arcus, id est, diuini iudicij. Aliter. Illorum est etiam habitatio, qui mundum fugiunt, quia de mundo non sunt, quos mundus sagittat detractionibus & maledictis. Hierem. 9. *Sagitta vulnerãs* Hier. 9
lingua eorum, &c. Pascit etiam tales in pascuis vberrimis. Vnde Iob de onagro 29. *Contemnit multitudinem ciuitatis.* Et Iob 9.
priùs pauca: *Circunspicit montes pascuæ suæ, & virentia quæque perquirit.* Propter hoc de ipsa dicitur. Sicut lætantium om-
nium habitatio in te. Omnium, id est, inci- 1. Cor. 9.
pientium, proficientium, & perfectorum.

Vde ipsa dicit: *Omnibus omnia facta sum, &c.*

Duodecima Stella decimæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd ipsa habuit benedictionem Esther.

DVodecima fuit Esther in benedictione superationis. Nam ipsa habuit quatuor priuilegia. Primò, eligibilitatis, quia inter cæteras puellas tradita est Egeo Eunucho Regis Assueri, *quæ placuit ei, & inuenit gratiam in conspectu illius*. Secundò, formositatis, *erat enim formosa valde*, & incredibili pulchritudine. Tertiò, gratiositatis, *quia oculis omnium gratiosa, & amabilis videbatur. Et amauit eam Rex plùs, quàm omnes mulieres, habuit què gratiam, & misericordiam coram eo super omnes mulieres, & posuit diadema Regni in capite eius*. Quartò, benignitatis, quia vadens ad Regem, vt peteret liberationem populi Iudęorum, Rex extendit *contra eam virgam auream, quam tenebat manu. Quæ accedens osculata est summitatem virgæ eius*, quod signum clementiæ monstrabatur, vt dicitur Esther 2. & 4. & 5. Sed illa priuilegia non promeruerunt Redęptorę, quia ipsa petiuit internecionem Aman, & filiorum eius Ibidem 4. & 5. Beata Virgo super omnes mulieres à Deo electa, florens, vt rosa fragrans, sicut lilium super salutem, & omnem pulchritudinem dilecta est à Domino, & Regina cœlorum vocata, & impetrauit benignitatem, & clementiam Dei super salutę generis humani, quam ipsa in quiete, & sequestro obtinuit. Vnde non immeritò solitudo est vocata, vel desertum. De quo Isai. 43. *Dedi in deserto*, id est, in MARIA, quæ in Psalmo vocatur. *Terra deserta inuia, & inaquosa*. Dedi inquam in hoc deserto *viam*, id est Christum, *qui est via, veritas, & vita*. Ioan. 14. *& in inuia*, id est, in ipsa MARIA, quæ est terra, per quam *non ambulauit vir*. Scilicet maritus suus Ioseph: Hierem. 2. Vnde canit Ecclesia via viri in via, flumina gratiarum, & donorum, & glorificauit me bestia agri, id est, cæcus peccator mundi, quia semper gratias agere debent de tali, ac tanto dono, quo reuertuntur ad gratiam, & gloriam. Fuit etiam Beata Virgo solitudo, quia separata turbine mundi, & soli intenta creatori. Et in hanc solitudinem animi ducebat eam Spiritus Sanctus, sicut prædixerat. Oseæ 2. *Ablactabo eam, & ducam in solitudinem, & loquar ad cor eius*. Item de hac solitudine. Isai. 41. *Dabo in solitudine cedrum, & spinam, & mirtum, & lignum oliuæ. Ponam in deserto abietem, & vlmum, & buxum simul*. Per cedrum, quę est arbor alta, & procera, altitudo cœlestiũ desideriorum, & contemplationis eius, quibus duobus *cœlos attingebat stans in terra*.

Esther. 2. & 4. & 5.

Isai. 43. Psal. 62.

Ioan. 14.

Hiere. 2.

Oseæ 2.

Isai. 41.

A Sap. 17. Per spinam multiplicis tribulationis, & punctionis, quibus in filio, cum filio, & pro filio per compassionem pungebatur, & amaritudo vitæ præsentis. Per mirtum omnimoda incorruptio carnis, & spiritus, tam ab omni peccato, quàm à virginitatis læsione, & corporis putrefactione. Per lignum oliuæ opera charitatis, & misericordiæ, quæ vtraque tanta fuit in ea, quòd filium suum vnigenitum in mortẽ tradidit pro salute humani generis, sicut dicitur Micheæ 6. Per abietem, quæ est plana, lenis, & sine scrupulis mansuetudo, & lenitas cordis. Per vlmum, quæ vites sustentat, orationum suarum deuota sinceritas, qua fructificantes in Ecclesia Dei sustinet, & supportat. Per buxum semper virentem fides ipsius Virginis, quæ nec etiam in filij passione defecit, & ideo fortè Crux buxatur in tempore Dominicæ passionis, quia per fidem Beata Virginis ipsa Crux honoratur. Item moraliter Septem arbores hic nominantur, quæ designãt septem virtutes principales, quæ opponuntur septem criminalibus. Cedrus imputribilis castitas contra luxuriam. Spina pungitiua, & excitatiua, vigilantia contra accidiam. Oliua lenitiua misericordia contra auaritiam. Myrtus mitigatiua, temperantia contra iram. Abies altitudine cæteras arbores transcendens, & cuius auxilio mare transitur, & in terram promissionis peruenitur, charitas contra inuidiam. Vlmus, quæ vitem fructuosam sustentat, patientia contra impatientiam. Buxus humilis, & semper virens, humilitas contra superbiam. Solitudo amica innocentiæ, quam MARIA iugiter seruauit. Ideo Ioannes antra deserti teneris subijt annis. Taciturnitati: Threnorum 3. *Sedebit solitarius, & tacebit, &c.* Item *elongaui fugiens, &c.* contemplationi. Vnde postquam dixit. *Sedebit solitarius*, statim subdit, *& eleuabit se super se*, cœlestia cõtẽplando. Virginitati, quam *Dyna* amisit euagando: Genes. 34. MARIA seruauit clausa in thalamo: longanimitati spei. Vnde postquam dixit: *Elongaui, &c.* Subdit, *expectabam eum*, scilicet per longanimitatem. Angelicæ salutationi, vt patet in *MARIA*. Luc. 1. Et visitationi, vt patet in *Zacharia* solo exeunti in Templo. Luc. 1. Diuinę inspirationi: Vnde de fideli anima dicit Christus. Oseæ 2. *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius*,

Sap. 17.

Mich. 6.

B

C

D

Psal. 54.

Gen. 34.

Thren. 3.

Luc. 1.

Luc. 1. Oseæ 2.

VNDECIMA CORONA, & prima Stella eiusdem.

VNdecima Corona capitis glorioſę Virginis MARIÆ est Corona prædestinationis, siue promissionis, quia Beata Virgo præ-

prædestinata, & ab initio mundi promissa fuit. Duodecim Stellæ huius vndecimæ Coronæ sunt duodecim prophetiæ in veteri testamento prænunciantes gratiam electionis Beatæ Virginis, ad hoc vt esset digna mater Dei, & in ea celebraretur Incarnatio Verbi diuini. Prima stella huius coronæ est prima prophetia de Beata Virgine, quòd ipsa dicitur lux. Secunda, quòd ipsa dicitur paradisus. Tertia, quòd ipsa dicitur serpentis contritio. Quarta, quòd ipsa dicitur fons. Quinta, quòd ipsa dicitur olibanus. Sexta, quòd dicitur vitis. Septima, quòd rubus. Octaua, quòd manna. Nona, quòd mons. Decima, quòd arcba. Vndecima, quod virga. Duodecima, quòd stella.

Prima igitur Stella vndecimæ Coronę est de Beata Virgine prima prophetia, & habetur. Genes. 1. capitulo in lucis productione, vbi dicitur: *Dixit Dominus, fiat lux, & facta est lux, & vidit Dominus, quòd esset bona & diuisit lucem à tenebris.* Ista lux prima die mundi creata fuit nubes quædam clarissima, causans diem sua præsentia, & noctem tenebrosam sui absentia. Et de ista luce secũdùm Magistrum Sententiarum libro secundo. distin. 13. formatus est Sol quarta die. Per hanc lucem signatur Beata Virgo, quæ prima die gratiæ reparationis mundi creata est, de qua formatus est Sol iustitiæ Christus Iesus per suam ineffabilem Incarnationem. Hæc, inquam, Beata Virgo MARIA, mox vt anima eius creata est, & corpori vnita, diuisa est à tenebris peccatorum, quia sanctificata est ab omni peccato, vt deinceps peccare non posset. Vnde Beda in Sermone de Natiuitate Beatæ Virginis sic dicit. Primo die dixit Deus, fiat lux, & facta est lux, quæ materiam informem, & fluidam, non sicut erat, tenebrosam reliquit, sed informẽ rerum pulchritudine distinxit. O immensa diuina miserationis viscera, quæ primos parentes, omnemque posteritatem eorum, enormitatem vitiorum tenebrosam, informem, & fluidam luce suæ cognitionis natiuitate genitricis Dei mirabiliter decorauit. Hæc ille. Dixit igitur Deus: *Fiat lux, & facta est lux.* Dicturus erat Psal. 118. *Tempus faciendi Domine, dissipauerunt legem tuam.* Et Dominus dixit, *fiat lux, &c.* Quasi iam diceret MARIÆ illud Isai. 49 *Dedite in lucem gentium.* Deus enim hanc lucem fecit, quando Beatam Virginem *de tenebris* lucere, & splendescere dixit. 2. Cor. 4. Sed lux esset bona, vidit, quando per eam mundi tenebras illustrauit. Vnde sequitur. *Et vidit Deus lucem, quòd esset bona.* Sicut enim nemo bonus, nisi solus Deus; sic nulla anima MARIÆ comparata inuenietur perfecta: nam sicut ipse *super omnia Deus benedictus.* Ad Rom. 9. Sic MARIA inter mulieres, id est, super omnes mulieres benedicta, de quo satis habetur in Corona præcedenti, *& diuisit lucem*, id est, MARIAM à tenebris peccati originalis, sine quo concepta fuit, vel à tenebris, id est, spinosis Iudæis, de quibus orta est, vel vt rosa. Appellauitque lucem diem, quando nascente MARIA incepit mundo diescere, quia per ipsam sicut per filium suum, illuminatur omnis homo veniens in hunc mundum. Hac ergo luce quasi quodam collirio illuminantur cæci nati, vt sanatis oculis Dei gloriam valeant intueri, hic in fide, in futuro per speciem, sed hanc lucem tenebræ, id est, peccatores tenebrosi Iudæi, Pagani, Hæretici non comprehenderentur, quia ægris oculis odiosa lux, vt dicit Augustinus. Et huius lucis radiosæ luminositas exemplorum. Item ipsa figurata est per lucem illam primariam, quæ creata creditur ibi, vbi Sol oritur, & de qua secundùm quosdam factum est corpus Solis, quia de substantia Virginis formatum est corpus filij, qui est lux vera *illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum*, supple qui illuminatur. Item ipsa figurata est per lucem illam, quæ substracta est Ægyptijs tenebrosis, scilicet Iudæis, & data filijs Israel, id est, veris Christianis. Exod. 10. Item hæc lux est illa noua lux, quæ Iudæis oriri visa est. Esther. 8. Et de qua dicitur Esther 11. *Fons* gratiæ *paruus* per humilitatem *in lucem, Solemque conuersus est*, id est, in lucem vniuersalem, & stabilem. Si enim semita iustorum, quasi lux splendens procedit, & crescit, *vsque ad perfectam diem.* Prouerb. 4. Quanto magis semita illius, quæ genuit Solem iustitiæ? Item si Apostoli sunt *lux mundi.* Matth. 5. Quantò fortiùs MARIA, quæ genuit illum, qui dicit Ioan. 8. *Ego sum lux mundi*? Roganda est igitur à nobis ista lux, vt cordibus nostris infundat gratiam diuini timoris, quia sic dicitur Eccles. 21. *Qui timet Deum, conuertetur ad cor suum.*

Genes. 1. — Ioan. 1. — Exod. 10. — Esther. 8. — eod. 11. — Prou. 4. — Matth. 5 — Ioann. 8. — Eccl. 21

Secunda Stella vndecimæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd ipsa præfigurata est in Prophetia de Paradisi plantatione.

SEcunda Prophetia habetur Gene. 2. in paradisi plantatione, vbi dicitur: *Plantauerat autem Dominus Deus paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem, quem formauerat.* Ista paradisus significat Beatam Virginem, quia sicut in paradiso corporali positus fuerat primus Adã, vt operaretur illic, & custodiret illam; sic in paradiso Virginali secundus Adam, scilicet, Iesus Christus positus est opere totius Trinitatis, non generatus humano opere, neque humano semine, & sicut ibi facta est fœmina de

Genes. 2.

de viro sine muliere, sic in paradiso Virginali de fœmina incorrupta sine viro factus est vir perfectissimus Iesus Christus. Vnde Bernardus in sermone de Beata Virgine dicit sic: Verè paradisus Dei tu es Beata Dei genitrix Virgo, quæ quasi lignum vitæ mundo protulisti, de quo, qui manducat in æternum. Hæc ille. Iesus enim Christus est lignum vitæ in paradiso Virginali. Possunt autem assignari causæ multiplices, quare gloriosa Virgo per terrestrem paradisum designetur. Primò, quia tertio die seculi plantatur, & Beata Virgo post tempus ante legē. & tempore sub lege tertio tempore sæculi, quod est gratiæ, virtutum plenitudine ornatur. Vnde gratia plena. Ibi creuerunt lignum vitæ, & lignum scientiæ boni, & mali, & in Beatæ Virginis vtero paulatim secundùm carnem adoleuit Christus, lignum plantatum secus decursus aquarum, qui est lignum scientiæ, in quo *sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ abscondit*i, ad Colos. 2. & lignum vitæ. Vnde Ioan. 14. *Ego sum via, veritas, & vita.* Et de hoc ligno multùm loquitur Ioan. in Apoc. versùs finem: Aquis diluuij non contingitur, & Beatæ Virginis sublimem conuersationem, quæ verè erat in cælis, non attigit illud diluuium, de quo dicitur Osæ. 4. *maledictionem, & mendacium &c. inundauerunt.* Terra est superior, & cœlo inferior, & Beata Virgo omni puro homine; qui de terra est. Ioann. 3. superior, Deo, qui ambitu potestatis suæ omnia continet, inferior. Vnde beatus Anselmus nihil æquale Mariæ, nihil nisi Deus, maius Maria. Fluuius de eo egrediens quatuor fluuijs totam terram irrigat, & Christus Dei sapiētia qui *aquæ sapientiæ salutaris* se comparat, Eccles. 15. & dicit Eccles. 14. *Ego, quasi fluuius Dorix*, &c. Egrediens per carnalem natiuitatem de Beata Virgine quatuor fluminibus Euangeliorum totam terrām Ecclesiæ copiosè irrigat, & fœcundat. Totum genus nostrum in gaudio enutrisset, nisi peccatum primi hominis impedisset, & Beata Virgo omnes homines sine personarum discretione glorioso fructu ventris sui in gaudio æterno reficeret, nisi eorum peccata impedirent. In eo non est homo carnaliter genitus, sed diuina virtute positus, sicut legitur. Gen. 2. *Tulit Deus hominem, & posuit in paradiso voluptatis*, qui est forma futuri, &c. Rom. 5. *Secundus Adam de cœlo cœlestis.* 1. Cor. 15. non generatione carnali in Beatā Virginem venit, sed solo opere Trinitatis. In hoc enim paradiso, id est, Beata Virgine positus est Christus homo, vt operaretur in ea fecunditatem, vt custodiret in ea illibatam Virginitatem operatus est. Vnde ipsa dicit. *Quia fecit mihi magna, &c. custodiuit* cùm integram conseruauit, *operatus est*, cùm fœcūdauit, *custodiuit*, cùm florem non abstulit. Custodia Agelica munitur, sicut legitur, Gen. 3. & Beatam Virginem Angeli solicitè custodiebant. Vnde Cant. 3 *Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt*, & ei dicit Psalm. 90. *Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te*, &c. Iugiter viret, & Beata Virgo creditur non emareuisse putredine, sed assumpta in carne inimmarcescibilem immortalitatem, sed nota, quòd vterus Virginalis in infinitum melior est, paradisus quàm ille literalis. Ibi enim de viro facta est mulier in signum futuræ corruptionis, Vnde Gen. 2. Tulit Dominus vnam de costis Adæ, quam ædificauit in mulierem, & replenit carnem pro ea. Repletio autem ossis de carne insufficiens est, & infirma repletio. In Virginali autem vtero de muliere factus est vir. Galat. 4. *Misit Deus filium suum factum ex muliere*, in lignum restaurationis, & reparandæ virtutis. Et de purissimo Virginis sanguine secundū Damascenū, vel de carne eius factū est os ad literā in instā ti Conceptionis, & mysticè ille, qui est os, & robur Ecclesiæ, & ita in Virgine, & ex Virgine repleta gratia suppleta est, & repleta humana natura, & facta quasi ossea, & fortis, cùm priùs esset carnea, & fluxibilis ad peccandum, & de illa *plenitudine accepimus omnes.* Ioann. 1.

Tertia Stella vndecimæ Coronæ Beatæ Mariæ est, quòd ipsa præfigurata est in serpentis contritione.

TErtia Prophetia habetur. Gen. 3. in serpentis contritione, vbi dicitur: *ipsa conteret caput tuum*, & loquitur de Beata Virgine, sic exponit B. Ambrosius in sermone de Natiuitate Beatæ Virginis, sic dicens: Beata Virgo caput serpentis contriuit in eo, quod Virginitatem simul, & humilitatem Deo sanctificauit, Virginitate namque seruata probatur extinxisse concupiscentiam carnis; humilitate autem, quæ facit pauperem spiritu, concupiscentiam mentis. Sicque principali suggestione diaboli victa, vitiosum caput virtutis pede contriuit, non tamen hoc solo, sed eò, quòd maximè triumphauit, quia de sua mundissima carne generata sapientia vicit malitiam. In hoc ergo, quòd Beata Virgo caput serpentis, id est, diaboli, cōtriuit, id est vicit, meritò fortis mulier vocatur, de qua Prouerb. in fine ita dicitur. *De nocte surrexit* tamquam prompta, & sedula, *deditque prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis.* De nocte surgere est in præsentis vitæ caligine auxilium impendere, Domestici Mariæ sunt, quæ illius obsequijs se totos impendunt, quibus dat triplicem prædam. Prædam in se ipsis, quando scilicet

Gen. 3. Cant. 3. Psal. 14. Gen. 2. Gal. 4. Ioan. 1. Gen. 3. Prou. 31.

scilicet rapiens à diabolo, quos ipse diabolus prius rapuerat, eos restituit sibi ipsis, sicut patet in Teophilo. Peccator enim, sicut dicit Augustinus, se non possidet, ergo nihil. Item quando per gratiam eius subijciunt carnem spiritui in se ipsis. Dat etiam prædam iuxta se dans gratiam conuertendi alios ab illecebris mundanis, & reducendi ad viam veritatis. Tertiam prædam dat eis supra se, impetrans eis à filio gratiam *rapiendi regnũ cælorum*, quòd vim patitur. Mat. 5. Aliter, *de nocte surrexit*. Quo fructu scilicet triplici. Primus, quòd quosdam rapit ab hoste, id est, diabolo, sicut ibi glossa. Vnde *prædam*. Secundus, quòd raptos ab hoste incorporat Ecclesiæ. Vnde *dedit domesticis*, id est, Angelis, & fidelibus, quibus eos vnit, quos diabolo tollit. Tertius, quòd eosdem, immo & omnes fideles reficit multipliciter. Vnde & cibaria ancillis suis. Item præda multiplex. Prima præda fuit primi hominis actiuè, qui rapere voluit diuinitatem, sicut dicit glossa, ibi: *Quæ nõ rapui, tunc exoluebam.* Secunda præda serpentis, id est, diaboli, qui rapuit hominem raptorẽ. Vnde & ei dicitur. Esai 33 *Væ qui prædaris, nonne & ipse prædaberis.* Tertia hominis terrena rapientis. Iob. 12. *Abundant tabernacula prædonum.* Quarta Christi hominis, qui descendens ad inferos rapuit à diabolo primum hominem, quem diabolus rapuerat. Ephes. 4. *Captiuã duxit captiuitatem.* Quinta hominis, homines rapiẽtis, sicut faciunt prædicatores. Esa. 9. *Exultant victores capta præda.* Sexta spiritus Dei, qui rapuit spiritum hominis. Vnde Actuum. 8. *Spiritus Domini rapuit Philippum*, &c. sequitur, *cibariã* pluraliter *ancillis suis.* Hæc autem sunt cibaria, quibus ipsa reficit seruos, & ancillas suas, suis meritis, precibus, & exemplis. Cibaria, quę confert MARIA Gratia, qua nutrit animã, & saginat. Vnde Sap. 16. dicitur de iustis. *Omnium nutrici gratiæ tuæ deseruiebant. Fides, ex qua iustus viuit.* Abac. 2 Spes, qua pascitur, & pascit familiam suam odoribus paradisi. Vnde & MARIA dicit: *flores mei fructus honoris & honestatis*, vel honoris. Charitas, quę dicitur panis *Omne delectamentum in se habens*. &c. Sap. 16. Quæ omnibus omnia facta est. bona operatio. Vnde Ioan. 6. *Operamini non cibum qui perit.* Caro Virginalis, quam sumimus in sacramento filij, quia caro Christi, & caro MARIAE vna caro. Vnde 1. Cor. 6. *Erunt duo*, id est, Christus & MARIA in carne *vna*, Virginali ideo dicit ipsa: *Qui edunt me adhuc esurient*, quia qui eius dulcedinem gustauerit, ad huc plus de ea desiderat experiri. Vel aliter. Ipsa est enim cibus, & potus imitantibus se, id est, verba sua, & opera, vnde dicit. Qui audit me, non confundetur. Opera, vn-

Mat. 5.

Psal. 68.

Esai. 33.

Iob. 22.

Ephes. 4.
Esai. 9.

Act. 8.

Abac. 2.
Eccl. 24.

Sap. 16.

Ioan. 6.

1. Cor. 6.

Eccl. 24.

A de qui operantur in me, non peccabunt. Imitatio operum duplex est: vel exemplo eius benè operari, & hoc est edere, vel exemplo eius extinguere prauas concupiscentias, & hoc est bibere. Ideo dicit. *Qui edunt me*, id est, meam conuersationem, sibi incorporant, *adhuc esurient*, quia non parit festiuium, sed desiderarium. Conuersatio enim sancta cuiuscumque, quæ trahitur in exemplum, cibus est reficiens, & nutriens spiritualiter. Vnde Ioan. 21. in fine dictum est Petro *Pasce*, scilicet exẽplo, Multò magis conuersatio Beatę Virginis pascit, que est exemplar omnium virtutum. *Ioan. 21.*

B *Quarta Stella vndecimæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd ipsa præfigurata fuit in fontis exuberatione.*

QVarta Prophetia habetur. Genes. 2. in fontis exuberatione, vbi dicitur. *Fons ascẽdebat de terra irrigans vniuersam superficiem terræ, qua diuiditur in quatuor capita.* Iste fons signat Beatam Virginem, cuius vita fuit in Deum ascensio. Psalm. 83, *Ascensiones in corde suo disposuit*: ex cuius plenitudine sanctitatis omnes ordines sanctorum perficiuntur. Eccl. 24. *In plenitudine sanctorum detentio mea.* Ab ipsius plenitudine charitatis egrediuntur quatuor flu- C mina, de quibus Bernardus in sermone. Tem poris loquendi dicit sic Quis misericordiæ tuæ, o benedicta longitudinem, latitudinem, sublimitatem, & profunditatem inuestigare queat? Nam longitudo eius vsque in nouissimum diem inuocantibus eam subuenit vniuersis. Latitudo eius replet orbem terrarũ, vt tua quoque misericordia plena sit omnis terra, sic & sublimitas eius ciuitatis supernę inuenit restaurationem. Profundum eius sedentibus in tenebris, & in vmbra mortis obtinuit redemptionem. Per te enim cælum repletum est, infernus euacuatus, instaurataę ruinæ cœlestis Hierusalem, expectantibus miseris vita perdita data. Hæc ille. Primus D fluuius virginalis fontis, est fluuius timoris, quoad expiationem eorum, qui sunt in inferno. Secũdus fluuius pietatis, quoad consolationẽ, eorũ, qui sunt in purgatorio. Tertius est gratiæ fluuius quoad subleuationẽ eorũ, qui sunt in hoc mundo. Quartus fluuius est gloriæ, quo ad præmiationem eorum, qui sunt in cæli palatio. Beata igitur MARIA est ille fons, de quo. Cant. 3. dicitur: *fons hortorum*, scilicet irrigatiuus. Horti isti Ecclesia, & cõscientia iustorũ. Huius fontis riuus Christus Dominus, qui dicit Eccl. 24 *Dixi rigabo, hortum plantationum.* Mater enim rigat hos hortos, sed riuo suo, id est, filio mediante. Dicitur autem fons à fundendo; quia prompte aquam suam exponit. Sed

Gen. 2.

Psal. 83.

Eccl. 24.

Cant. 3.

Eccl. 24.

inter

inter hunc fontem, & alios fõtes hoc distat, quòd alij fontes, qui aquas suas hauriunt ab inferiori, redundant superiùs. Iste autẽ fons, quia aquas suas, id est, dona, & charismata recipit a superiori. Redundat ad nos inferiùs.

Cant. 4. Propter hoc dicitur, quòd aquæ viuẽtes, id est animas viuere faciẽtes, *fluunt impetu de Libano*, id est Christo, qui est cãdor lucis æternæ. Itẽ ideo dictum est MARIÆ. *Dominus*

Luc. 1. *tecum*. Subministrans tibi plenitudinem gratiarum, & sub hoc sensu potest Christus dici fons; MARIA verò canalis. Est autem fons caput aquæ nascentis, quasi aquas fundens. Fons iste signatus est. Gen. 2. vt supra dictum

Gen. 2. est per illum fontem, qui ascendebat de terra, *irrigans vniuersam superficiem terræ*. Secundum quosdam fons iste intelligitur abissus mater omnium aquarum, ex quo omnes fontes, & flumina oriuntur. Et ab illa sanctitate, cuius tota plenitudo descendit in Mariam omnium Sanctorum, & omnis sanctificatio procedit, & benè fons ille qui signat MARIAM, dicitur ascendere de terra, quia tota vita MARIÆ fuit quasi quidam ascensus, & quædam elõgatio à terrenis. Congrue enim dicitur iste fons irrigare *vniuersam superficiem terræ*. Terra Ecclesia. In superficie terræ apparet pulchritudo terræ. Et designat hæc superficies viros iustos, qui de abundantia MARIÆ hauserunt omnes, & hauriunt incessanter. Hic est fons *signatus*.

Cant. 4. Cant. 4. Sigillo videlicet illo, de quo dicebatur ei à filio, vel à tota Trinitate. Cant. 8.

Can. 8. *Pone me, sicut signaculum super cor tuum, &c.* Hoc autem signaculo impressus est ei decor diuinæ similitudinis, expressiùs, quàm alicui creaturæ. Vel hoc signaculum fides Virginis, in qua semper immobiliter stetit tẽpore dominicæ sepulturæ 2. Tim. 2. *fun-*

2. *Tim.* 2. *damentũ fidei firmum stat, habens signaculum hoc*. Aliter. Per hoc, quòd ipsa dicitur fons eius fecunditas. Per hoc, quòd signatur eius Virginitas. Non enim dicitur fons, nisi de cuius abũdantia riuus emanat, & de hoc fonte egrediebatur fluuius de loco, scilicet *voluptatis*, ad irrigandũ paradisum Christus, scilicet de vtero Virginali ad arentem Ecclesiam fluentis gratiæ irrigandam. Item sigillum, vel signaculum huius fontis virginitatis, vt dictum est. Nam ea, quæ signantur, ad hoc signantur, vt clausa permaneãt. Ideo etiam ipsa dicitur, *porta clausa*. Eccles. 44.

Eccl. 44. Item ideo dicitur: fons signatus, quia Christum ita significauit quòd & dabolũ, & multos Angelos latuit eius incarnatio. Vnde & quidam eorum, ipso ascendentes, dixerunt.

Esai. 43. Esai. 43. *Quis est iste qui venit de Edõ?* Ideo MARIA potest dici fons signans. Hic est etiam fons Syloe, cuius aquæ *fluunt cum si-*

Esai. 8. *lentio*, id est, sine intermissione. Esai. 8. capitulo.

Quinta Stella vndecima Coronæ Beatæ Virginis MARIÆ est, quòd ipsa fuit prefigurata siue promissa, in Clibani apparitione.

QVinta Prophetia habetur. Genes. 14. in Clibani apparitione, vbi dicitur: *Apparuit Clibanus fumans, & lampas ignis trãsiens per diuisiones illas*. Iste Clibanus fumãs signat vterum Beatæ Virginis Spiritu Sanctificatum. Luc. 1. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrauit tibi*. Per lampadem intelligitur Christus. Esa. 62. *Saluator, vt lampas accẽdatur, &c.* Item super illud. Leuit 2. dicitur: *Cum obtuleris sacrificium coctum in Clibano*. Dicit glos. Vterus Beatæ Virginis Clibanus. Itẽ super illud Leuit. 6. *Omne sacrificium simile, quod coquitur in Libano, &c.* dicit glos. in quo signat partum Virginis. Sicut enim Clibanus primò ignem, deinde panes suscipit, sic vterus Virginis primò ignem, id est, Spiritum sanctum, secundò panem vitæ, id est filium Dei suscepit, & hic ordo designatus est ibi: *Spiritus sanctus superueniet in te*, hoc primò, *& virtus Altissimi obumbrauit tibi*: Hoc secundo. Vel etiam dici potest, quòd simul, & semel & ignem suscepit, & panem, id est Christum, *qui ignis consumens est*. Deut. 4. & qui *panis est viuus, qui de cœlo descendit*. Ioan. 6. Decoctus autem fuit hic panis igne charitatis ipsius, & hoc nouem mensibus, & in natiuitate eductus est de Clibano. Vnde filius dicit Patri: *Tu es, qui extraxisti me de ventre, &c.* Iterum autem fuit quasi recoctus in Clibano, id est ardore passionis, vt esset panis bis cõctus, qui competit tendentibus ad supernam Hierusalem in naui pœnitentiæ. Comeditur autem quotidie in Sacramento, sed non competit, nisi veris peregrinis. Nota. Sicut MARIA dicitur Clibanus, quoad filij sui humanitatem, sic fornax, quoad eiusdem filij Deitatem; fornax dicitur ab igne, quia eiusdem fios Græcè, ignis Latine. In vtero siquidem Virginali veluti in fornace ineffabiliter opere Spiritus sancti artificis, fusum, & liquefactum est aurum Deitatis, vt possit quasi decurrere in figuras, & modulos nostræ infirmitatis, qui sunt fames, sitis, frigus, cauma, lassities, ægritudo & mors, & sic Christus in se recipere dignatus est characteres nostræ humanitatis, & ideo dicitur Philip. 2. quòd *habitu inuentus est, vt homo* De hac fusione dicitur. Iob. 28. *Habet argentũ venarum suarum principia, & auro locus est, in quo conflatur argentum*, igne Spiritus sancti multipliciter examinatum, materia corporis Christi decisa à Spiritu sancto de purissima substantia Virginis gloriosæ, & adhuc amplius purgata, & mundata, Principia huius argenti fuerunt

Luc. 1.

Esa. 62.

Leuit. 6.

Luc. 1.

Deut. 4.

Ioan. 6.

Psal. 21.

Philip 2.

Iob 28.

runt patres antiqui, à quibus velut à quibus- A
dam venis secundùm carnẽ successiuè de-
scendit, ex quibus exorta est Virgo. Vnde
in natiuitate eius canitur. Natiuitas glorio-
sæ Virginis MARIÆ ex semine Abrahæ,
&c. Et ex qua Christus secundùm carnem.
Sequitur. *Auro locus est, in quo constitutur.*
Aurum Deitas verbi. Vnde dicit sponsa Cant.
Cant. 5. 5. *Caput dilecti mei aurum optimum.* Locus
huius conflationis veterus Virginalis, in quo
Spiritus sanctus ineffabiliter diuinâ naturâ
& humanam in vnam conflauit personam.
Item vterus virginis est illa fornax, de qua
dicitur Eccl. 43. *fornacem custodiens in ope-*
ribus ardoris, &c. Virtus enim Altissimi,
Eccl. 43. qui Christus est, obumbrans Virgini in sua B
conceptione custodiuit illam Ecclesiam in
operibus ardoris, id est Dei Trinitatis, qui
est *ignis consumens.* Deut. 4. Dum de sub-
stantia carnis eius sapientia sua, & potentia
Deut. 4. velut duplici manu operaretur humanitatem filij, &c. Igitur filius Dei, vt dictum est,
dicitur ignis consumens, qui proprietates
suas compleuit in Virgine. Christus ignis,
quia ficus ab effectu, qui omnem humorem
carnalitatis deliccauit in ea, Oseæ. 3. *addu-*
Oseæ. 3. *cet Dominus ventum vrentem, &c.* id est, Spi
ritum sanctum, &c. Calidus, dum ipsam qua
si frigidam per timorem accendit ad fidem,
dicente Angelo: *Ne timeas MARIA, inue-*
nisti gratiam, &c. Mobilis, quando ipso cũ
cepto, *ascendit in montana cum festinatione,* C
& deinde cum eo fugit in Ægiptum; leuis,
quãdo spretis per eius gratiam mundi soli-
citudinibus, ad cælestia desideria eam suble-
uauit. Sophon. 3. *in igne zelimei*, id est in
feruore, & vehementia dilectionis meæ, qua
Sophon. 3. dilexi MARIAM, *deuorabitur omnis terra,*
id est, omnis terrenitatis amor, & appe-
titus. Subtilis, quando amota sensus hebeta-
tione, ipsam impleuit sapientia. Acutus, quã
do ablata sensus tarditate, fecit eam corde
suo conseruantem omnia *verba*, quæ dicebã
Luc. 2. tur. Luc. 2. Inflammans, filius enim Dei cor
matris inflammauit eximia charitate. Vnde
ipsa dicit. *Exultauit spiritus meus* &c. Illu-
minans, qui à mente Virginea fugauit nu-
bilum totius ignorantiæ. Vnde ipsa dicitur
Magistra disciplinæ.

Sexta Stella vndecimæ Coronæ Beatæ Vir-
ginis est, quòd ipsa fuit præfigurata
in vitis propagatione.

Gen. 40. SExta Prophetia habeatur Gen. 40. in vi-
tis propagatione. Vbi dicitur. *Videbam*
coram me vitem, in qua erant tres propagi-
nes, crescere paulatim in gemmas & post flo-
res vuas matureſcere. Ista vitis signat Bea-
tam Virginem, in qua fuerunt tres propagi-
nes, id est tres generationes, scilicet carna-
lis, per quam descendit à Sanctis Patribus.
Secunda spiritualis, per quam in vtero sanctifi-
cata est ab omni immunditia culpæ, Tertia
diuinalis, per quam filium Dei mystico spira
mine, non ex virili semine concepit. Quæ
creuerunt in gemmas, & flores redemptio-
nis humanæ. Vnde Albertus Episcopus in
sermone Beatæ Virginis dicit sic. Beatissima
Virgo descendit à radice illius, fide præclari
Abrahæ, cui superne promissa benedictio
fuerat omnium gentium in semine suo. Et à
stirpe Dauid, quem egregia laude sublima-
uit dicens: Inueni hominem secundùm cor
meum. De regali nempè Tribu similis, & Sa-
cerdotali duxit originem, quæ summum Re-
gem, atque Pontificem erat paritura. Cuius
anima, & caro, quam elegit, & fecit habita-
culum sibi sapientia Dei patris, ab omni ma-
litia, & immunditia purissima fuit, affirmã-
te scriptura, quoniam *in malevolam non in-*
troibit sapientia, nec habitabit in corpore *Sap.* 1.
subdito peccatis. Hæc authorẽ suum conci-
piens ededit in tempore puberem, quem ha
buerat ante tempora conditorem. Hæc ille.
Dicitur igitur MARIA vitis, quia lętitiæ
Mater, quia botrus eius, vel vinum, id est,
Christus Deum, scilicet putrem *lætificat, &* *Iudic* 9.
homines Iudic 9. Ipsa enim signatur per Sa-
ram. Gen. 21 quæ *peperit Isaac*, scilicet Chri
stum, qui est risus noster, & gaudium. Humi-
lis statura, sicut satis assignatum est supra,
vbi agitur de eius humilitate. Citò fert fru-
ctum. Vnde circa quatuordecimum annum
creditur concepisse. Vnde Salomon. Pro 30.
Viam viri in adolescentia, id est, in Virgine *Prou.* 30
iuuencula dicit se ignorare. Flexibilis obe-
dientia, quoad Deum, & pietate, quoad pro-
ximum, quiæ Mater misericordiæ. Vnde læ-
pissimè in scriptura comparatur virgæ, quæ
valde plicabilis est. Ideo appellat Isidorus
vitem arborem lentam, id est, flexibilem.
Flagella facit ad verberandum Dæmones,
quia virtus Dei, & potestas in ipsa est plena-
ria debellandi, expugnandi, & excruciandi
pro nobis aereas potestates, Esa. 28 *Flagellũ* *Esai* 28.
D *inundans cum transierit, eritis ei in con-*
tuicationem. Fugit enim *Assur*, id est, dia- *Esai.* 30.
bolus hac virga *percussus* Esa. 30. cap. Odit
fimum, id est, peccatum, & temporalia, quia
temporalibus noluit impinguari exẽplo fi-
lij, magis eligens paupertatem. Odit capras
id est, luxuriosos fœtẽtes, & abhominabiles,
qui faciunt ei quasi malum ad cor, quæ me-
rito Virginitatis, quam prima vouit, digna
fuit concipere Saluatorem. Odit vepres, id
est peccata, quæ pungunt animam, & cruen-
tant. Diligit montes, id est, Sanctos, & ibi
meliùs creseit, sed si sint petrosi, id est, super
Christum fundati, & luminosi à Sole iusti-
tię, & feruentes charitate. In huiusmodi lo-
cis solet vitis profetre vinum optimum, id
est,

est, dare talibus magnam deuotionem. Præcisa fuit lacrymis, quando vulnerata est vsque ad cor in filij passione. Tunc enim præscindebatur, quando sputis, & colaphis, clauis, & lancea filius incidebatur, qui est vitis vera. Medullosa est habēs viscera pietatis materne, vnde dixit filio: *Vinum non habent*. Vmbram gratissimam ministrat, cùm sit valde lata in folijs, & de hac obumbratione dicitur. Mich. 4. cap *Sedebit vir subter vineam suam*, id est, requiescet, & securus erit per protectionem Beatæ Virginis, quæ data est virtuosè agentibus in protectionem, & refrigerium. Vnde. Tren. 3. dicitur de ea. *In vmbra tua viuemus in gentibus*. Botro suo famelicos cibat, quia spiritualiter esurientium fructus, quem peperit plena est refectio. Ideo de hoc fructu dicit fidelis anima Cant. 2. *fructus eius*, scilicet, MARIÆ *dulcis gutturi meo* sanguine vuæ suæ sitientes potat, qui scilicet, *sanguis verè est potus*. Ioan. 6. eos, qui sani sunt, multimodè delectat odore, virore, respectu, gustu, pastu, potu, vmbra, protectione, absconsione, medicina, & refrigerio, & multis alijs modis, quos lingua non sufficit enarrare, fessos, & languidos solatur, & recreat: nam ad benè operandum fastiditos instigat. Operarios suos, & cultores vbicumque sustentat per gratiam in præsenti, sed ipsos in futura vita largissimè exhibebit. Et nota, quòd in hac vite tot sunt propagines, quot in MARIA virtutes, &c. Odore florum suorum serpentes, & venenata fugat, flores MARIÆ principales virginitas, paupertas, humilitas, & beneficio huius triplicis floris tria genera serpentum extinguit. Humilitas spiritum superbiæ, virginitas luxuriam, paupertas, & terrenorum contemptus auaritiam, &c.

Ioan. 2. Mich. 4. Tren. 3. Cant. 2. Ioan. 6.

Septima Stella vndecimæ Coronæ Beatæ Virginis MARIÆ est, quòd ipsa fuit præfigurata in rubi inflammatione.

Exod. 3. SEptima prophetia habetur. Exod. 3. Rubi in inflammatione, vbi dicitur. *Apparuit autem Dominus in flamma ignis de medio rubi, & rubus ardebat, & non comburebatur*. Iste rubus incombustus signat virginitatem illibatam Beatę MARIÆ in conceptione Christi, iuxta illud: Rubum, quem viderat Moises incombustum, conseruatam agnouimus tuam laudabilem virginitatem, Dei Genitrix. Vnde Richardus super Apocalypsis, libro primo dicit sic: Quid nam accipimus per flammam, nisi Spiritus Sancti gratiam? Quid per rubum, arborem paruulam, asperam, floridam, & viridem, nisi Beatam Virginem per sui contemptum humilem, per exercitium virtutum asperam, cum mollicie, viridem per fidem, floridam per castitatem.

A Deo itaque apparente in rubo, flamma rubum non læsit, & filio Dei carnem in Virgine sumente, obumbrante Spiritus Sancti gratia, pudor illęsus virginalis permansit, &c. MARIA igitur rubus, & ipsa, vel eius conceptus est illa visio magna. Exod. 3. quā desiderabat vide de Moises, quasi de propè, dicēs: *Vadam, & videbo visionem sanè magnā, quare non comburatur rubus, &c.* Hæc visio magna propter singularitatem, quia nec primam similem visa est, nec, &c. Vtilitatem, quia nulla maior vtilitas esse potest: Rei magnitudinem, scilicet, quòd virgo concepit nō purum hominem, sed filium Dei. Rei nouitatem. Ierem. 31. *Creauit Dominus nouum* B *super terram, &c.* Significationem, quia & præsens miraculum exhibuit, & incarnationem Verbi, & Virginis Matris perpetuam integritatem præsignauit. Magni mysterij repręsentationem, sed quid videbat Moises? flammam ignis, id est, filium Dei, qui dicitur flamma ignis, id est, splendor lucis æternæ, *quia Dominus noster ignis consumens est*. Hebr. 12. in fine. Procedentem *de medio rubi*, id est, virginalis vteri, & dicitur ibi, quòd rubus ardebat, & nō cōburebatur, quia Virgo concepit filiū, nec violabatur, grauidabatur, sed non grauabatur, alleuiabatur in partu, sed nec dolebat, nec euacuabatur. Vel per flāmā intellige Spiritus Sancti gratiā Domino apparente in rubo: flamma rubum non læsit, C quia filio Dei assumente carnem in Virgine obumbrata à Spiritu Sancto pudor virgineus illęsus permansit. Vel sic. Ignis in rubo, Christus in corpore virgineo, qui ibi ardebat, quia fœcunditatem accendebat, nec virginitatem consumebat: & in hoc magna visio, quia cùm sit ignis consumens, non consumebat. Isidorus. Videtur velle, quòd rubus sit quædam arbustula, quæ Gallicè dicitur botomer, & dicitur rubus, quia fructus eius, vel virgultum rubet. Et ideo voluit Dominus apparere in rubo, quia de eo non possent fieri imagines. MARIA rubus arbor paruula per summam humilitatem, & contemptum sui, D qui est humilitas aspera per exercitium virtutum, contra molliciem, & dissolutionem. Viridis per fidem, vel perpetuam sanctitatem, vel per virginitatem, vel quia non emarcuit corpus eius per putrefactionem. Florida per virginitatem, vel quia sicut in flore est spes fructus, sic in ea spes omnis boni. Vnde dicit. *In me spes vitæ, & virtutis*. Eccl. 24. Odorifera per sanctam opinionem. Vnde dicit Eccl. 24 *Sicut Cinnamomum, & balsamum, &c.* Aculeata per multiplicis tribulationis punctionem, & hoc maximè, in filij passione. Est enim rubus genus arbustulæ spinosæ. Item Christus rubus. Aspera ita; rubi caro mortalis, quam de Virgine sumpsit. Ignis amor, quem erga nos habuit. Rubus com-

Exod. 3. Ierem. 31 Hebr. 21. Eccl. 24.

comburi visus est, nec tamen combustus. Hic est caro Christi, quæ amore mortua, & sepulta visa est putredini data, cùm tamen glorioſior ſurrexerit. Moraliter, rubus incombustus, fidelis anima probata tentatione, non consummata. Vnde de iustis dicitur, Sap. 3. *Tanquam aurum in fornace probauit electos Dominus.* Purum, quod ibi est non minuitur, sed purius redditur. Quod apparuit in pueris in camino ignis, qui puri ibi missi sunt, & puriores exierunt, sicut dicit Hieronymus in prologo Abachuc, vel rubus incombustus malitia increpata non consumpta. Vnde Hierem. 6. *Fruſtra conflauit conflator, malitiæ eorum non ſunt conſumptæ*, vel reproba anima flagellata à Deo, sed non emendata. Vnde Hierem. 6. *Fruſtra percuſſi filios veſtros, diſciplinam non receperunt.*

Sap. 3.

Hier. 6.

Octaua Stella vndecimæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd ipsa fuit præfigurata, & promissa in Mannæ creatione.

OCtaua prophetia habetur. Exod. 16. in Mannæ creatione, vbi dicitur: *Ecce ego pluam vobis panem de cœlo, veſpere ſcietis, quòd Dominus eduxerit vos de terra Egypti, & mane videbitis gloriam Domini.* Iste panis signat Christum. Ioan. 6. *Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi.* Terra autem, in quam descendit iste panis, est vterus virginalis. Vnde Ioānes Damascenus in sermone de Assumptione Beatæ Virginis dicit sic: Ex te enim deitatis flamma, Verbum Patris manna cœleste dulcissimum, nomen super omne nomen, æternum lumen, & inaccessibile, cœlestis panis vitæ, fructus absque cultu corporaliter ex te pullulauit. Hęc ille. Per hunc panem liberati sumus à tenebris inferni. Christus manna, de quo dicitur, Numeri 11. *Cùm deſcenderet ros ſuper caſtra, deſcendebat pariter & manna.* Per castra Beata Virgo, quæ terribilis est Dæmonibus, vt *Caſtrorum acies ordinata*, Cant. 6. Per rorem Spiritus Sanctus, de quo concepit, per manna filius Dei. Rorantibus enim ei cœlis desuper, & Spiritu Sancto in eam desuper veniente, & ei obūbrante, virtute Altissimi concepit filium Dei, qui figuratur per manna, qui de seipso dicit. Apoc. 2. *Vincenti dabo manna abſconditum* Tunc enim dabit vincenti manna absconditum, quando dabit *illud, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, &c.* 1. Corinth. 2. Vel manna absconditum, diuinitas occulta, *quia Deum nemo vidit vnquam.* Ioan. 1. Quod nobis daturus est, quando gloria suæ diuinitatis nos satiabit. Hoc autem manna fuit absconditum sub tunica nostræ naturæ, quando diuinitas vnita est nostræ carni. Quod manna tunc nobis dabit, quando cognoscemus vnionem Verbi cum carne, & quando clarescet geniti, quæ genitura fuit. Vel etiam manna absconditum corpus eius velatum formis accidentium. Et principaliter solet istud exponi de Sacramento altaris, & secundùm hoc prosequemur. Christus Manna, quia de cœlo dabatur, vnde Sap. 16. *Paratum panem de cœlo præſtitiſti illis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuauitatem.* Et istud Sacramentum est omne datum optimum. Datum, quia hìc filius Dei quotidie datur nobis, & à Patre, & à Spiritu Sancto, & est optimum, quia sine Christo nihil aliud valeret: & est omne, id est, sufficientia omnium, & descendit à Patre luminum. Ioan. 6. *Pater meus dat vobis panem verum de cœlo.* Quia album Exod. 16. in quo Christi puritas, & munditia, qui est candor lucis æternæ, & ingressus est mundum sine macula, quod designatur in candore hostiæ. *Quia minutum erat:* Exod. 16. Et in hoc notatur Christi humilitas, qui se tam imminēsum abscondit sub tàm breui forma panis, & vini. Ideo dicitur, Exod. 16. *Quod manna* descendens ad superficiem terræ, apparuit in solitudine *minutum*, quia singularis fuit eius humilitas. Quia subtile, quia modus incomprehensibilis nobis modò, & in vita præsenti. Hoc enim Sacramentum credere præcipimur, discutere prohibemur, sicut dicit Ambrosius. Quia quasi pila tusum, in quo Christi patientia, quia *atritus eſt propter ſcelera noſtra.* Esai. 53. Et nos similiter in tribulatione debemus humiliari *ſub potenti manu Dei*, vt nos exaltet, &c. Quia in similitudinem pruinæ albæ, scilicet, fuit super terram. Exod. 16. Albedo signat Christi puritatem, & munditiam, quæ duo summè sunt necessaria communicare volenti. Pruinæ etiam, quæ frigida est, quia in hoc Sacramento dignè sumpto contra incentiua libidinis, & vitiorum habetur spiritualis refrigerij temperies. Quia erat quasi *semen coriandri* album, id est, vilis oleris. Exod. 16. Et coloris *obdellij*. Numeri 11. Et saporis, quasi panis oleati. Quia Christus omnimodam vtilitatem, & paupertatem pro nobis pati dignatus est. Vnde dicit. *Ego ſum abiectio, & opprobrium hominum.* Et propter humilitatem huius Sacramēti contemnitur à multis. Item olus est cibus infirmorum, sicut dicitur, Roman. 14. Et hoc Sacramentum sustentat nostram infirmitatem, Quia dulcedinem mellis habebat. Vnde. Exod. 16. dicitur, *quòd guſtus eius erat, quaſi ſimilæ cum melle*, in quo notatur dulcis mansuetudo patientis, quia pro crucifixoribus exorauit. *Quia ſapiebat in ore cuiuslibet, quod volebat*, præcipuè de bonis, sicut dicitur. Sap. 17. In sumptione enim huius Sacramenti plena est suauitas, nisi per peccatum, corruptum habeat palatum, quantùm enim diligit, quis tantùm sibi sapit.

Exod. 16.

Ioan. 6.

Num. 11.

Cant. 6.

Apoc. 2.

1. Cor. 2.

Ioan. 1.

Sap. 16.

Ioan. 6.

Exod. 16

Exod. 16.

Esai. 53.

1. Petr. 5.

Exod. 16.

Exod. 16.

Num. 11

Psal. 21.

Rom. 14.

Exod. 16.

Sap. 17.

Nona Stella vndecimæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd ipsa fuit Propheta in montis sanctificatione.

Exod. 19 NOna prophetia habetur Exod. 19 in montis sanctificatione, vbi dicitur: *Iam aduenerat dies tertius, & mane inclaruerat, & ecce cæperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissimæ operire montem. Totusquè mons Synai fumabat, eò quòd descendisset Dominus super eum in igne.* Ille mons signat verum Beatæ Virginis, succensum igne Spiritus Sancti, in quem descendit filius Dei. Vnde Ioannes Damascenus in sermone de Natiuitate Beatæ Virginis, sic dicit: Edita est enim nobis Mater Dei, de qua nasci voluit Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Notissimus enim mons Dei nascitur, qui præcellit omni colli, omnique humano cacumini, ac præeminentiæ naturæ Angelicæ. Sanctior Synai sublimitas, quam nec fumus, nec caligo, nec procella, nec terribilis ignis, sed Spiritus Sancti splendor lucifluus tetigit, &c. Hic est etiam mons coagulatus per integritatem virginitatis. Vnde dicit Patri, vel Filio, *sicut caseum me coagulasti.* Iob. 10. Hic est mons pinguis pinguedine charitatis, adipe deuotionis, vbertate fœcunditatis, oleo misericordiæ, & pietatis, butiro mansuetudinis, melle contemplationis, crassitudine gratiæ singularis. Et nota, quòd bis dicitur mons pinguis, quia & pro se, & pro omnibus nobis data sunt ei omnia charismata gratiarũ. Hic est mons, in quo debent *adorare veri* Iudæi. Ioan. 4. Hic est mons signatus per montes *Armeniæ*, vbi *requieuit arca.* Gen. 8. Quia inundante diluuio peccatorum, suis precibus sustentat Ecclesiam, & fidelem animam. Hic est mons *visionis.* Genes. 23. vbi Abraham voluit filium immolare, hic est mons *Galaad.* Gen. 31. quod interpretatur aceruus testimonij, quia in ea conueniunt testimonia omnium scripturarum veteris, & noui testamenti, & tam oracula prophetarum, quàm opera Patriarcharum, testimonium ei reddunt. Hic mons Oreb, quod interpretatur mensa, quia lacte eius refectus est, per quem nec ales esurit. Hic mons Tabor, quod interpretatur lumen veniens, quia in eam primò venit, & per eam venit lumẽ æternum sedentibus in tenebris, & in ea *transfiguratus est* Dominus omnium, assumens formam serui. Matth. 17. Marc. 9. Luc. 9. Hic mons Oliueti, sic dictus propter copiam oliuarum, & ipsam Dominus cumulauit plenitudine gratiæ, & fecit Matrem misericordię. Hic mons, in quo beneplacitum fuit Deo habitare in eo nouem mensibus corporaliter, & in quo secundùm quod Deus habitauit in finem, id est, sine fine, sine termino, sine mensura. Hic est mons Selmon, quod interpretatur

Iob 10.

Ioan. 4.
Gen. 8.

Gen. 23.

Gen. 31.

Math. 17
Marc. 9.
& Luc. 9.

A vmbra, quæ relinquitur ex corpore opaco lumini oppositi, & ipsa habuit corpus virgineum, & lumen gratiarum, quibus duobus obumbramur per gratiam contra feruorem vitiorum, & in ipso, id est, per ipsam dealbabuntur peccatores niue, id est, super niuem, Esai. 1. *Si fuerint peccata, vt coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Item ipsa est mons *umbrosus, & condensus.* Abacuc. 3. à quo Deus venit ad nos. Beata Virgo mons propter eminentiam conuersationis. Vmbrosas, quia *virtus Altissimi obumbrauit* ei in conceptione, &c. Item ipsa est ille mons domus Domini eleuatus super omnes colles, id est, sanctos, quos omnes dignitate transcendit, & qui omnes inferiores ea sunt, sicut collis minor est B monte, de quo dicitur. Esai. 2. *Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad illum omnes gentes.* Nouissimè dies temporis gratiæ domus Domini, Ecclesia Catholica: mons singularis Beata Virgo præparatus per prædestinationem ab æterno. Vertex horum montium Beata Virgo, gratia, & meritis transcendens vniuersos, vel ipsa est mons in vertice montium, quia exaltata super omnes choros Angelorum. In Verbo fluendi notantur septem proprietates seruis MARIÆ conuenientes. Primùm est impetus feruoris, quia festinatione, C & impetu rumpenda sunt omnia obstacula, vt ei dignè seruiatur. Secundùm, descensus humilitatis: fluunt enim flumina ad valles, & sola humilitate peruenitur ad eam. Tertiùm abundantia, quod notatur in verbo fluendi, vt abũdet in omni opere bono, qui eidem desiderat famulari. Quartùm desiderium, vt desideret quodam fluxu liquescere in desiderio eius. Cant. 5. *Anima mea liquefacta est.* Quintùm permanentia, sicut fluuius non mutam alueum. *Qui enim perseuerauerit vsque in finem* in eius seruitio, *saluus erit.* Sextùm profectus, vt seruus MARIÆ semper proficere studeat de bono in melius. Septimùm assiduitas, vt assiduè fluat seruus MARIÆ in D desiderijs, in lacrymis, in bonis operibus, & orationibus deuotis.

Esai. 1.

Abac. 3.

Esai. 2.

Cant. 5.

Matt. 10

Decima Stella vndecimæ Coronæ Beatæ Virginis MARIÆ est, quòd ipsa præfigurata, siue promissa fuit in arcæ fabricatione.

Exod. 25 DEcima prophetia habetur Exod. 25. in arcæ fabricatione, vbi dicitur: *Arcam de lignis Sethim compingite, & deaurabis eam auro mundissimo intus, & foris, ponesque in arca testificationem, quam dabo tibi.* Ista arca est Beata Virgo incorrupta, & sanctificata, in qua est Christus testificatio Dei Patris. Vnde Ioannes Damascenus, vbi supra dicit

dicit sic. Agnoscat se Virgo Beata arcam incomparabilem. Arca enim vndique cooperta, manna in se habens ligna aurea, mœnia & omnia vetera in figura huius, tanquam veri primitiui vmbra venerabantur. Hæc ille. Per hanc ergo arcam designatur Beata Virgo triplici ratione; ratione materiæ, ratione schematis, vel formæ, ratione officij, vel continentiæ. Duplex autem materia fuit huius arcæ, scilicet, ligna Sethim, & aurum purissimum. Duo enim fuerunt in ea ex parte materiæ, scilicet, caro & spiritus, large sumendo materiam. Moraliter enim loquimur. Per ligna Sethim, quæ sunt imputribilia, designatur caro eius, quæ nunquam sensit corruptionem concupiscentiæ, vel putrefactionis. Per aurum spiritus eius refulgens perfecta sapientia, & habitaculum Deitatis, quæ per aurum significatur. Vnde. Cant. 5. *Caput dilecti mei aurum optimum.* In hoc autem, quòd fuit deaurata interiùs notatur puritas cordis eius, vel dilectio Dei. In hoc, quòd exteriùs, verecundia virginalis, vel dilectio proximi, quarum gratia *super aurum.* Eccl. 7. vel intelligibiliùs. Ligna Sethim sunt parua pulchra, leuia, fortia, imputribilia, incremabilia, albæ spinæ similia. Fuerunt etiam dolata, & leuigata. Sethim, vt dicitur, nomen est montis, & regionis, & arboris, quæ albæ spinæ similis est in foliis, & interpretatur Sethim spinæ, vel germina, seu positiones, aut resurrectiones eorum, & benè per hæc ligna significatur MARIA, quæ sensit pro filio, & cum filio multiplicem tribulationis punitionem. Per eam autem, id est, per orationes, & merita eius resurgimus à peccato, germinamus benè incipiendo, per eam ponimur in Ecclesiæ merito, per eam tandem ponendi in cœlesti ædificio. Item MARIA arca ratione continentiæ mannæ, vel manhu admirabilis dulcedo consolationis, quam infundit amatoribus, & specialibus suis, & his, quos visitare dignatur, quam qui gustat, potest dicere manhu, id est, quid est hoc? per admirationem ideo dicit ipsa. *Spiritus meus super mel dulcis, &c* Eccl. 24. Vel manna candidum MARIÆ virginitas, quæ in carne fragili Angelicam gloriam acquisiuit, habens omnis saporis suauitatem: vel per hoc manna dulcissimum MARIÆ charitas, in qua fuit radicata, & fundata. MARIA dicitur *arca testamenti*, vel testimonij. Apoc. 12. Quia scilicet, in ea positum erat testamentum, id est, lex. Arca fœderis Domini, quia fœderauit, nos toti Trinitati. Appropriatur enim Patri potestas, Filio sapientia, Spiritui Sancto bonitas, & nos offenderamus Patrem per superbiam, Filium per insipientiam, Spiritum Sanctum per malitiam. Ista enim tria concurrerunt, superba, quia Adam voluit esse

Cant. 5.

Eccl. 24.

Apoc. 12.

A sicut Deus. Insipientia, qua credidit posse fieri, sicut Deus; malitia, qua fecerat contra præceptum Dei, sed MARIA per suam humilitatem reconciliauit nos Patri, per prudentiam; Filio, per bonitatem; Spiritui Sancto, quia per eam cooperante Spiritu Sancto Filius Dei venit ad nos. Arca propitiationis, quia Mater est, & Regina misericordiæ, cuius meritis, & interuentione propitiatur Dominus omnibus iniquitatibus nostris, de quo habes exempla superiùs. Arca sanctificationis. Psalmus 131. *Exurge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ,* id est, qua tu sanctificasti, quia sanctificata fuit in vtero, & quia Christus descendens in
B eam, ibi sanctificauit se hominem in se Verbo, sicut dicit Augustinus: Et quia illa continebat, quæ sanctificata erat Domino, & quia per eam sanctificamur in præsenti, & glorificabimur in futuro, ideo dicit Christo Propheta: *Surge Domine in requiem tuam. Tu* priùs; *arca*, id est, MARIA posteriùs hinc conicitur, quia assumpta sit simul cum corpore. Item in arca vestimenta complicantur, sic Christus, quem totus non capit orbis, quasi complicatus, & humiliatus ventris sub arca clausus est. Et quia hæc arca paruula erat, exinaniuit se, formam serui accipiens, vt ab ea capi posset. Vnde Hieremi. 9. *Verbum breuiatum faciet Dominus super*
C *terram*, quia filium breuiauit. Vnde Esai. 28. *Consummationem & abbreuiationem Dominus exercituum faciat, &c.* Quod fuit, quando verbum Patris clausum fuit in vtero matris, vestes Christi humanitas eius. Vnde dicit matri. Iob 10. *Pelle & carne vestisti me.* Vnde Apostolus dicit, Christum factum *ex muliere.* Galat. 4.

Psal. 131.

Hier. 9.

Esai. 28.

Iob 10.

Galat. 4.

Vndecima Stella vndecimæ Coronæ Beatæ Virginis est, quòd ipsa præfigurata fuit in virgæ floritione.

VNdecima prophetia habetur Numer. 17. capitulo in virgæ floritione, vbi dicitur:
D *Germinauit virga Aaron in domo Leui, & turgentibus gemmis, eruperant flores, qui foliis dilatatis in amigdalas deformati sunt.* Ista virga florens signat Beatam Virginem. Vnde Ambrosius in sermone de Natiuitate Virginis dicit sic. Acceptæ sunt à sancto Moyse singulæ virgæ de singulis Tribubus Israel, nominibus earum inscriptæ, iubente Domino, & positæ sunt in tabernaculo eius. Inter quas vna, quæ fuerat Aaron, sequenti die germinasse floruisse, fronduisse, ac peperisse amigdala reperitur; sciens ergo Dominus hoc opus suum magni esse mysterij, iussit virgam seruari ad monimentum. Monebantur filij Israel præsentia virgæ quærere solicitè, quid significaret tàm mirabile factum; sicut enim

Num. 17.

illa virga sine quolibet naturæ adminiculo fructificauit, ita Virgo MARIA sine coniugali opere filium procreauit. Filium sano flore designatum, & fructu; flore propter speciem, fructu propter vtilitatem. Est enim speciosus forma præ filijs hominum; & vitalis refectio, non solùm hominum, sed etiam Angelorum. Hæc ille. Virga igitur, Aaron Virgo est MARIA. Huius virgæ frondes boni mores, flores virtutes, fructus bonæ operationes. Siquidem hæc virga peperit amigdala, quæ sunt cibus infirmantium, quia pietatis opera Christo, qui dicit; Infirmata est in paupertate virtus mea, de propria substantia exhibuit, nec cessat vnquam membris eius huiusmodi opera misericordiæ exhibere. Aliter virga Aaron Beata Virgo MARIA. Circa quam virgam magna magni notatur figura Sacramenti. Fuit enim hæc virga Aaron summi Sacerdotis, & secundùm Esai. 11. *Dicitur virga Iesse*, à quo immediatè ortum habuit Tribus Regia, quia Iesse fuit pater Dauid, ad præfigurandum, quòd MARIA erat illum paritura, qui est Rex, & Sacerdos. *Esai. 11.* Vnde cùm dixisset, Psalmus 109. quasi loquens Christo. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion.* Paulò post subiunxit. *Tu es Sacerdos in æternum*, &c. De hac virga *Psal. 109* dicit Augustinus in quodam sermone de Incarnatione. Virga hęc protulit, quod ante nõ habuit, non radicata plantatione, nõ defossa sarculo, non animata succo, non fœcundata seminario: & cùm illi deessent vniuersa iura naturæ, protulit virga, quod nec semine suggeri potuit, nec radice, &c. Et hoc dicit contra Iudæum, quærentem, quomodo Virgo peperit? Peperit autem hæc virga supra naturam, & contra naturam, id est, contra solitum cursum naturæ, & non simpliciter contra naturam, quia sicut dicunt quidam magni Theologi, & benè, nihil naturaliùs est naturæ, quàm obedire ordinationi Creatoris sui. Vnde Isidorus libro vndecimo ætymolog. cap. 3. vbi dicit de portentis: Non sunt contra naturam, quæ diuina voluntate fiunt, cùm voluntas Creatoris conditæ cuiusque rei natura sit. Vnde & legitur. Apoc. 4. *Tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.* Peperit inquam amigdala, vel nuces, sicut dicit alia translatio, per quæ videlicet amigdala, *Apoc. 4.* vel nuces signantur multorum iustorum millia, quos ad vitæ nouitatem suo quotidie conuertit exemplo, vel per nucem, aut amigdalum Christus, in cuius persona triplex substantia. Cortex amarus caro, quæ passa est amaritudines passionis. Nucleus dulcis anima, in qua fuit dulcedo fruitionis. Nam fuit simul in vnum viator, & comprehensor. Vnde dicit. Prouidebam Dominum in conspectu meo semper. Intesta diuinitatis vtrique vnita, in qua *fortitudo* insuperabilis, *quæ abscondita* fuit in passione. Abacuc. 3. Propter hoc igitur appellat Esaias hanc virginem virgam, vt nos transmittat ad hanc figuram. *Abac. 3.* Hæc est virga defensionis, qua se debent fideles defendere à canibus, hoc est, à morsibus tentationum, scilicet inuocando nomen eius, quia ipsa est virga virtutis; sed si tantummodo habeatur in ore, sicut illi habent, qui tantummodo eam laudant, vel salutant, nihil operantes ad honorem eius, non benè defendunt se per eam; accipiatur ergo triplicitèr, in corde per meditationem, & amorem; in ore per laudem, & salutationem; in manu per operationem, & operum conformitatem, & ita erit vtilissima ad omnimodam defensionem. Propter hoc dicitur. Marc. 6. *Nihil tuleritis in via, nisi virgam tantùm*, id est, MARIAM per iugem meditationem ad defensionem vestram. Hæc est virga consolationis, *Marc. 6.* de qua in Psalm. 22. *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Virga MARIA, baculus lignum crucis, in quibus duobus pastor reduxit ouem perditam, & baculauit *Psal. 22.* Diabolum.

Duodecima Stella vndecimæ Coronæ Beatæ Virginis MARIÆ est, quòd ipsa præfigurata fuit in stellæ apparitione.

DVodecima prophetia habetur Numer. 44. in stellę apparitione, vbi dicitur. *Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel, & percutiet duces Moab.* Ista stella signat Beatam Virginem, quæ emisit radium suum, id est, filium suum absque sui corruptione. Vnde Bernardus super Missus est, dicit. MARIA interpretatur stella maris, & Virgini conuenientissimè aptatur. Ipsa nam que syderi aptissimè comparatur, quia sicut sine sui corruptione sydus suum emittit radium, sic absque sui læsione Virgo peperit filium, nec syderis radius suam minuit claritatem, nec filius virginis suam integritatem. Hæc ille, &c. Dicitur ergo MARIA stella propter excellentiam sui status. Vnde dicitur Eccl. 24. *Ego in altissimis habitaui.* Excellè senim fuit in ortu, quia ante sanctificata, quã nata; nata est enim filia gratiæ, cùm omnes alij, *nascantur filij iræ.* Ephes. 2. Quod signatum est in hoc, quòd fuit filia Annæ, quæ gratia interpretatur. Cant. 6. *Vna est matris suæ, electa genitrici suæ.* Excellens in vita iuxta humanam consuetudinem, quia virginitatem vouit, licèt sterilis malediceretur in lege, & quia humillima, cùm multi superbiant de virginitate, & quia fidelis, & credula, licèt quod ei promittebatur, vide-

Num. 24

Eccl. 24.

Ephes. 2.

Cant. 6.

videretur impossibile, scilicet, quòd Virgo conciperet, & pareret, manens Virgo. Per votum enim virginitatis, & excellentiam humilitatis Deo placuit, sed per fidem concepit. Vnde & per aurem dicitur concepisse, id est, per fidem doctoris, quia *fides ex auditu*. Ideo dicitur ei. *Beata, quæ credidisti, &c.* Excellens etiam fuit in partu, quia sine dolore, natura mirante, suum peperit genitorem. Excellens etiam in sua assumptione, super omnes Angelorum ordines exaltata. In omnibus enim istis, & multis alijs consistit excellentia Stellæ nostræ, quia fixa in firmamento cœli, id est, scripturæ per iugem meditationem legis diuinæ, vel in bonis cœlestibus per desiderium, & amorem æternorum, tanquam vera filia Abrahæ, cui promissum est Gen. 22. *Multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli* Quia clara, & lucida sanctitatis exemplo, illuminans mundum multiplici virtutum radio, sicut infra assignabitur. Clara etiam per vitæ puritatem, non habens in se maculam, sicut Luna in præsenti. Vnde & ei dicitur. Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Quia tota ignea per charitatem, maximè ex quo illum concepit, qui *ignis consumens est.* Ad Hebræos in fine, vel etiam ignea per virtutum vniuersitatem. Virtutes enim ignea naturæ sunt, & ideo sursum trahunt, quia locus ignis sursum est. Quia parua apparuit per humilitatem se offerens Domino in ancillam, cùm postularetur in matrem, sed postea se magnam esse testatur, dicens: Beatam me dicent omnes generationes; qui enim se humiliat, exaltabitur Quia tempore gelicidij, lucet, & scintillat clarissime, quod apparuit in Dominica Passione, quando cæterorum charitas refriguit, & ipsa sola quasi de nocte totam Ecclesiam illustrauit. Quia stella dicitur à stando. Stare enim obedientis est: & de ipsa dicitur: *Astitit Regina, &c.* Propter motum continuum, quia continuè mouebatur de virtute in virtutem, de vno bono ad aliud, de actiua ad contemplatiuam, Bernardus. In via Dei non progredi regredi est. Quia fuit, & semper est in dextera Dei. Apoc. 1. *Habebat in dextera sua stellas septem*, quia pro æternis semper seruiuit, non pro temporalibus. Prou. 3. *Longitudo dierum in dextera eius.* Creditur etiam ad filij dexteram residere. Quia nauigantes per mare mundi introducit in portum salutis. Ideo significatur per stellam, quę Magos adduxit ad Christum, qui est portus salutis. Vnde Matth. 2. *Ecce stella, quam viderant, &c.* Et statim sequitur. *Et intrantes domum, inuenerunt puerum.* Qui est ille partus, quia firmamentum adornat, id est Ecclesiam, tanquam pulcherrima mulierum. Cant. 5. *Pulchra* in vterina sanctificatione. Pulchrior in Christi conceptione, pulcherrima in sua assumptione, Eccl. 26. *Sicut Sol oriens in mundo in Altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentũ domus eius* Quia nocte illuminat. Illuminauit enim noctem illam solitariam, nec laude dignam, quæ ab Eua defluxerat vsque ad ipsam. Nam in ortu eius meliorari omnia incæperunt. Quia futuros euentus pronosticat. Comætes enim quando oritur, signum est mortis Principum, & ipsa mortis Christi, qui est *Princeps pacis.* Esai. 9. Et Diaboli, qui dicitur *Princeps mundi.* Iob. 24. Ideo dicitur. Hier. 48. *Fortis impegit in fortem*, id est, Diabolus in Christum, & ambo pariter corruerunt, sed dissimiliter. Istud impletum est in Dominica Passione.

Rom. 12. Lucæ 2. Cant. 4. Hebr. 12. Psal. 44. Apoc. 1. Prou. 3. Matth. 2. Cant. 5. Eccl. 26. Esai. 9. Hier 48. Iob 24.

DVODECIMA CORONA, ET prima Stella eiusdem.

DVodecima Corona capitis gloriosæ Virginis MARIÆ est Corona pretiositatis, quia Corona ipsius prætiosior, & fulgentior est Coronis cæterorum sanctorum. Duodecim Stellæ huius Coronæ sunt duodecim lapides pretiosi, de quibus Apoc. 20. habetur: *Et fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioso ornata, & fundamentum primum iaspis*, de quibus Corona ipsius Beatæ Virginis est ornata, & insignita. Prima Stella, siue lapis huius Coronæ est Iaspis. Secunda Saphirus. Tertia Calcedonius. Quarta Smaragdus. Quinta Sardonix. Sexta Sardius. Septima Chrysolitus. Octaua Berillus. Nona Topazius. Decima Chrisopasus. Vndecima Hyacintus. Duodecima Ametistus.

Apoc. 20.

Prima igitur Stella, siue primus lapis huius duodecimæ Coronæ dicitur Iaspis, qui viridis est, & virorem fidei immarcescentem signat. Vel Iaspis est sanctorum fides, non marcescens, sed semper in operis virore perseuerans. Quia igitur Beata Virgo præ cæteris sanctis virorem fidei in omnibus, & præcipuè in passione filij sui habuit, meritò hoc lapide Corona ipsius tanquam fulgidissima Stella est ornata. Fides autem ipsius notatur. Luc. 1. Vbi dicit ei Elisabeth: *Beata, quæ credidisti, quoniam perficientur, &c.* Cùm enim paulò post dixisset MARIA: *Ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes.* Ostendit, & Angeli implendam promissionem, & suam se non transgressuram professionem. Quæ enim virginitatem vouerat, & parituram se, docente Angelo, nouerat, mirabili fide, & votum suum implendum credidit, & diuinæ ordinationi se non subduxit. Maxima autem magnanimitas fidei fuit, quòd in se posse fieri, & credidit, & sperauit, quod nunquam auditum ferat, nec in cœlo, nec in terra. Item

Lucæ 1.

Origenes, per fidem MARIÆ erigitur iacentium genus, quod per mulieris temerariam credulitatem fuerat ante delectum. Item Beatus Matthæus in legenda sua. In conceptione filij Dei fides MARIÆ vxor extitit Spiritus Sancti. Item MARIA credula verbis Angeli fide concepit Saluatorem, & ideo per aurem dicitur concepisse. Vnde & dicit ei Elisabeth. Luc. 1. *Beata quæ credidisti, quoniam perficientur, &c.* In conceptione enim filij mittit dilectus eius, id est, Deus Pater manum suam, id est, Filium in eam per *foramen auris* suæ. Cant. 5. Magister Hugo de Sancto Victore. Virgo credula Verbum concepit per Verbum, vt immaculatam conceptionem generatio incorrupta sequeretur. Item fides MARIÆ comparatur grano synapis, quod est granum humile, feruens, & humorem capitis tollens, & fides MARIÆ adiuncta est humilitati. Vnde: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm Verbum tuum.* Feruens per dilectionem Spiritus Sancti, de quo concipiebat, & filij Dei, quem concipiebat, humorem capitis tollit, sicut enim caput initium est rei, sic conceptio animati, & hoc quando credidit Angelo, dicenti: Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Item si Abrahan tantùm commendatur ab Apostolo. Rom. 4. capit. de eo, quod contra *spem* naturæ in *spem* gratiæ *credidit*, scilicet, quòd senex posset de Sara sene, & sterili filium generare, quantò magis commendanda est MARIA, quæ primo verbo Angeli credidit, quòd filium posset generare sine semine viri, & parere manens Virgo, non solùm hominem, sed filium Dei? Fides etiam MARIÆ, quæ est radix eius, manifesta est per totum mundum, vnde ipsa verè dicere potest illud Iob. 19. *radix mea*, id est, fides, qua Angelo credidi *aperta est secus aquas*, id est, vbique manifestata, *aquæ populi*, Apoc. 17. aquæ transeuntes, sancti sunt, qui non *habent hìc manentem ciuitatem*, sed futuram inquirunt. Hebr. 13. Vnde fides tribus comparatur. Videlicet Arcæ Testamenti. Vnde Exod. 25. *Propitiatorium non excedat arcam, sed arca propitiatorium*, sic per fidem, id est, per MARIAM, & nunquam sine fide habetur, propitiatio peccatorum. Ité fides sicut stella firmamenti, & præcipuè dicitur stella maris, quæ ostendit nauigantibus portum gratiæ, siue salutis. Quod fit per fidem MARIÆ. Item dicitur petra fundamenti. Matth. 16. *Super hanc petram*, id est, fidem MARIÆ, *ædificaui Ecclesiam meam.*

Lucæ 1. Cant. 5. Rom. 4. Iob. 19. Apoc. 17 Hebr. 13. Exod. 25. Matt. 16.

Secunda Stella siue lapis duodecimæ Coronæ Beatæ Virginis est Saphirus.

SAphirus similis sereno cœlo, qui percussus radijs solis ardentem emittit fulgorem, A significat altitudinem, spei sanctorum, quorum conuersatio in cœlis est, qui & à vero sole innouati ardètiùs æterna quærunt, & alios quærere docent, dicentes: *Nostra conuersatio in cœlis est.* Spes autem MARIÆ notatur in responsione sua ad Angelum: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm, &c.* Nisi enim veraciter credidisset, firmiter speraisset, feruenter desideraisset, posse fieri, & futurum esse, quod Angelus promittebat, nequaquam respondisset *fiat mihi*, Ideo visa est dixisse Domino. *In verbo tuo speraui*, sed quod per Angelum mandaueras mihi, quia ergo Beata Virgo spem suam in Domino posuit, & omnia terrena despexit, ideo meritò fumo, qui ad alta tendit, comparatur. MARIA B dicitur fumus, quia gracilis, & subtilis per innocentiæ puritatem, & seipsam semper gracilans per summam humilitatem. Vnde cum eligeretur in matrem Domini, se obtulit in ancillam: gracilis etiam per paupertatem, quia omnia temporalia contemnebat, vel si ea aliquando habuit, largiter erogabat. Gracilis etiam per carnis extenuationem, quia licèt nunquam peccauerit, semper tamen in pœnitentia mansit. Fuit etiam gracilis, quia cœlestibus extenuata disciplinis, & subtilis in vita contemplatiua. Gracilis etiam, vt sine obstaculo transiret per arctam viam, & intraret *portam, quæ ducit ad vitam.* Matth. 7. Quia liberè alta petens per subtilitatem contem- C plationis, & rectitudinem intentionis: *Cœlos enim attingebat stans in terra*, Sap. 18. Quia agilis, leui enim cursu, leui saltu, velut, y dithum, id est, transiliens omnes vitiorum spinas, luculèta, & foueas transilijt. Agilis etiam per officiositatem, cùm se transtulit ad Beatam Elisabeth visitandam. Agilis per obedientiam, deferens filium ad templum, & fugiens cum eo in Egyptum. Quia leuis, id est, sine ponderositate peccati, & ideo sursum continuè ferebatur desiderio æternorum. Quia flexibilis per humilitatem, quoad se per obedientiam, quoad Deum, per compositionem ad impietatem, quoad proximum. Quia Virgula per humilitatis diminutio- D nem, quæ maximè comparatur ad ascensionem: *Quoniam quisque humiliat, exaltabitur.* Lucæ 14. Quia obscura per tribulationum multitudinem, quas patiebatur pro amore filij sui. Vnde dicitur. Cant. 1. *Nolite me considerare, quòd fusca sim, quia decolorauit me sol*, id est, filius meus. Quia aromatica per bonam opinionem, & deuotionis fragrantiam. Vnde sequitur *sicut virgula fumi ex aromatibus, &c.* Quia calida per dilectionem. Vnde & dicitur virgula fumi, qui de igne procedit, quia desiderio ex amore venit. Ipsa enim ardore Spiritus Sancti accensa, sic ascendendo profecit in gratia, sic ascendit in gloriam, quòd omnem cognitionem humanam

Philo. 3. Lucæ 1. Psal. 81 Matth. 7 Sap. 18. Lucæ 14. Cant. 1.

manam excedit. Ideo dicitur virgula fumi, qui naturaliter ascendit, & quasi occultè, quia visibiliter ascendens disparet in momento. Similiter & ipsa disparuit, quia quantùm ascenderit, ratio humana non capit, nec sapit, modus etiam ascensionis suæ occultus fuit, quia vtrùm in sola anima, an in anima simul, & corpore ascenderit, præelegit Ecclesia piè nescire, quàm temere aliquid definire. Quia quantò magis ascendit, tantò ampliùs extenuatur, & subtiliatur: sic etiam fidelis anima, quò magis proficit in virtute, tantò magis humiliatur in se. Sic patet in MARIA, quæ cùm peteretur in Matrem Domini, quod erat ei summa dignitas, se obtulit in ancillam, quod erat summa humilitas, exemplum de *Abigail*, 1. Reg. 25. Similiter quantò magis ascendit in cognitione Dei, tantò magis nihil in oculis efficitur suis, quod patet in *Abraham*, qui postquam apparuit ei Dominus, se puluerem, & cinerem appellauit. Gen. 18. Iob. 42. *Nunc oculus meus videt te*, id circo me reprehendo, quia fumus prouocat lacrymas, & pia MARIÆ recordatio lacrymas deuotionis. Vnde dicunt animæ in Psalmo 136. *Fleuimus, dum recordaremur Sion.* Id est, MARIÆ, & nota, quòd non dicitur hìc virgula fuisse ligni insensibilis, & duri, sed fumi, qui speciem habet, sed substantiam non habet, cùm enim cernitur, aliquid esse videtur; cùm manus apponitur, nihil inuenitur. Sic Beata Virgo videbatur hìc esse per carnis speciem, sed hìc non erat per dilectionem, similiter nec vir iustus, vt supra dictum est, quia conuersatio eius in cœlis est. MARIA etiam lacrymas fudit, vt piè creditur in filij sui passione, &c.

1. Reg. 25

Gen. 18. Iob. 42.

Psal. 136

Tertia stella, siue lapis duodecimæ Coronæ Beatæ Virginis est Calcedonius.

CAlcedonius colorem pallentis lucernæ habet, in domo obscurus, omnium sculpentium argumentis resistit, radio solis, vel digitorum attritus excandens, paleas ad se trahit, significat flammam internæ charitatis sanctorum, qui foris despecti, lucent in occulto, quæ charitas in abscõdito bona agit in secreto, conscientiæ suæ, quantùm ad hoc quòd se celat, & alios operatione sua lateat, non lucet, sed cum alijs prodesse iubetur, tunc apparet, quid fulgoris habeat intus, sculpentibus resistit, quia inter aduersa sæculi fortis, & insecabilis, à nullo vinci potest, vel si quis eam vult sculpere, & pingere adulatoria laude resistit, non ei concedit, quia vanam gloriam contemnit, & hi tales calefacti radijs solis veri, idest, Christi, vel digitis, id est, Spiritu Sancti, quasi contractati paleas, id est, peccatores, & fragiles ad se trahunt sibiquè, coniungunt. Hæc omnia facillimè de virtutibus, & vita Beata Virginis possunt exponi, quæ in se obscurè, id est, humilis, in prosperis, & inter aduersa fortis, & secura, & ad peccatores clemens, & misericors extitit, & Deum super omnia dilexit, vt etiam infra habetur in vndecima Stella huius duodecimæ Coronæ. Vnde MARIA dilexit Dominum, sicut omnes scripturæ Canonicæ ipsum prædicant diligendum, & charitas eius charitatis omnium sanctorum forma est, & exemplar. Et nota, quòd dilectio dicitur, quasi duos ligans diligentem, videlicet rei, quam diligit, id est, amantem, amato. Est enim amor amantis, & amati quasi quædam vnio potissimum in bonis, & naturaliter illud, quod amatur in sui naturam suum conuertit amatorem, & hoc patet in Saluatore, quem dilectio, quam habuit ad genus humanum, fecit colligare, & vnire sibi naturam humanam, quando Verbum caro factum est. MARIA dilexit Deum ex toto corde, quia cor illius ad vllius rei dilectionem non fuit inclinatum amplius, quàm Dei, nec delectata est in aliqua specie, mundi amplius, quàm in Deo. Omne bonum sibi existimans esse in Deo, vt pro his omnibus diligeret solùm Deum ex tota anima, quia certissimum habuit animum in veritate, & firma fuit in fide. Vnde & dictum est ei Luc. 1. *Beata quæ credidisti, &c.* Et istud etiam apparuit tempore Dominicæ Passionis. Et nota, quòd aliud est amor cordis, aliud amor animæ; amor cordis quodammodo carnalis est etiam vt Deum carnaliter amemus, sed hoc non potest fieri, nisi priùs recesserimus ab amore omnis mundialis rei, amor ergo cordis non intelligitur, sed sentitur, quia quodammodo carnalis est; amor autem animæ non sentitur in corde, sed intelligitur, quia amor animæ iudicium est. Ex tota mente, quia omnes sensus illius Deo vacabant, eius intellectus Deo ministrabat, eius sapientia circa Deum versabatur, eius cogitatio, quæ Dei sunt, pertractabat, eius memoria solùm quæ bona sunt recordabatur, vt diceret cum Apostolo 1. Cor. 14. cap. *Psallam spiritu, psallam, & mente.* Aliter: sapientia sedem habet in corde, Prou. 2. *Si intrauerit sapientia cor tuum, &c.* Et tota anima, quæ pro voluntate ponitur. Vnde Ioan. 12. *Qui odit animam suam*, id est, propriam voluntatem, *& tota mente*, id est, *memoria, &c.* Item dilexit ex toto corde, omnes cogitationes cordis in Deum dirigens, vel ad Deum referés, ex tota anima omnes affectiones animæ ad Deũ retorquẽs, ex tota mẽte, omnẽ rationẽ humanam, qua intelligebat, & discernebat in rebus diuinis occupans: ex tota virtute, in

Luc. 1.

1. Cor. 14

Prou. 2.

Ioan. 12.

hisiugiter perſeuerãt, & ita nihil remãſit in ea, quod non ſubijceretur dilectioni diuinæ. Sic exponit Iſidorus. Item dilexit ex corde, quia Deus interpretatur videns, cui omne cor patet. Vnde 1. Reg. 16. *Homo videt ea, quæ patent: Deus autem intuetur cor.* Dilexit autem ex toto corde, quia Dominus. Quidquid enim habet ſeruus, Domini ſui eſt, & hoc quoad quatuor affectiones, quæ ſunt, amor, nihil enim dilexit præter eum. Timor; nihil enim timuit præter eum, aut niſi propter eum. Dolor; nihil enim doluit niſi eius amiſsionem. Vnde dixit ei. Lucæ 2. Lucæ 2. *Fili quid feciſti nobis ſic, ego, & Pater tuus dolentes, &c.* Gaudium, non enim gauiſa eſt niſi de ipſo, & ipſius recuperatione, aut de his, quæ nouerat ad ipſum pertinere.

1. *Reg.* 6

Quarta Stella, id eſt, quartus lapis duodecimæ Coronæ Beatæ Virginis MARIÆ eſt Smaragdus.

SMaragdus quartus nimiæ viriditatis ſuper omnes herbas, & frondes, vt etiam circumfluum arborem reddat viridem. Huius multa genera, ſed pretioſus reperitur in Scithia regione deſerta, quos cuſtodiunt griphes, animalia leoninum corpus, pedes autem, caput, & alas, vt aquilæ; habent quatuor pedes, quibus vt leones ſuper terram currunt, per aerem volant, vt aues, quæ ſeruant prædictos lapides, non ſibi, ſed hominibus auferunt: contra quos Arimaſeus pergens pugnat, & eis aufert. Griphes Diabolus, qui Chriſtum, vel fidei gemmam à fidelibus conatur auferre, ſed contra pugnat populus ille habens vnum oculum, id eſt, Chriſtum, qui non incedunt duabus vijs, nec habent duplex cor, Chriſtum que, vel fidem eius rapiunt; Quartus dicitur propter quatuor Euangelia, quia igitur Beata Virgo viriditatem ſmaragdi in ſe habuit, ideo per ſuam ſapientiam griphonem, id eſt, Diabolum deuicit. Vnde ratione ſapientiæ, MARIA comparatur auro. Non enim decebat, vt vas cœleſtis ſapientiæ expers eſſet ſapientia. Vnde & ipſa oſtendit ſcripturarum notitiam, & eorum, quæ ad Sanctos Patres dixerat Dominus ſe habere in cantico ſuo, dicens: *Sicut* Lucæ 2. *locutus eſt ad Patres noſtros Abraham, &c.* Propter hoc igitur de notitia ſcripturarum commendat matrem filius Cant. 4. dicens: Cant. 4. *Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro.* Greges tonſarum ſunt illi, qui poſſeſsionum onera tanquam vellera deponentes, omnia relinquunt pro Chriſto: qui quantò plus ſe abſtraxerunt de mundo, tantò liberiori animo ſacras ſcripturas intelligere potuerunt. Quibus quoque non fecerunt obicem peccatorum tenebræ, nam in lacrymis pœnitentiæ, & deuotionis frequenter ablutiaſcenderunt de virtute in virtutem, vt viderent Deum Deorum in Sion, quod interpretatur ſpeculum, ſcilicet, vt mundi cordis oculo Deum conſpicerent in ſpeculo ſcripturarum. His igitur omnibus, qui quaſi grex Domini in Paſcuis ſacræ ſcripturæ ruminarunt. Aſsimilantur dentes virginis, id eſt, ſenſus, & ſtudioſitas, quibus ipſa decerpſit, attriuit, maſticauit, ruminauit, & incorporauit animæ ſuæ velut herbas virentes lacteæ ſcripturæ ſententias. Item ipſa fuit, & eſt *mulier ſenſata, & tacita.* Eccl. 26. Senſata enim fuit quærendo, quomodo fieret quod ei promittebatur, vbi dixit: Quomodo fiet iſtud, &c. Senſatior conſentiendo, vt fieret, quando dixit: *Ecce ancilla Domini fiat mihi, &c.* Senſatiſsima, Deum laudando, & magnificando de ſuſcepto beneficio dicens: *Magnificat anima mea, &c.* Vnde verè potuit dicere illud Salomonis, Eccleſiaſtes 1. *Præceſſi ſapientia omnes, qui fuerunt ante me, & anima mea contemplata eſt multa ſapienter.* Quod fuit, quando conferebat omnia, quæ dicebantur in corde ſuo, & hæc eſt conſuetudo ſapientis. Item ratione ſapientiæ deſignata eſt MARIA per illam mulierem ſapientem, quæ ciuitatem Abela liberauit ſapientia ſua. Deſignatur etiam per *Abigail* 1. Reg. 25. quæ erat mulier prudentiſsima, & ſpecioſa, cuius ſapientia, & ſubtilitate verborum Nabal ſtultus ad tempus à morte liberatus eſt, & MARIA ſapientia, & ſubtilitate orationum mundus fatuatus ſaluatus eſt, vnde MARIÆ *lingua* meritò *Calamus ſcribæ*, id eſt, Spiritus Sancti nominata eſt. Primò, quia Calamus hic creuerat in aquis gratiæ, & doctrinæ. Vnde vox eius eſt ſecundùm Hieronymum, *Super aquam refectionis educauit me.* Secundò, quia Calamus hic vacuus interiùs per humilitatem. Tertiò, quia planus exteriùs, & ſine ſcrupulis per honeſtam conuerſationem. Quartò, quia congruo tempore collectus ad officium ſuum, tempore, ſcilicet, miſerendi, quod incæpit ab ortu illius. Quintò, quia acutus per ſubtilitatem. Sextò, quia ſciſſus per amotionem omnis ſuperflui, quia nihil locuta eſt in Euangelio, quod non faceret ad rem. Septimò, quia ſiſſus per diſcretionem verborum. Octauò, quia plenus encauſto gratiæ, quæ diffuſa erat in labijs ipſius. Nonò, quia in manu dextera tenebatur: nam verba, vita, & opera concordabant. Vnde & dictũ eſt ei. *Vox enim* Cant. 2. *tua dulcis.* Decimò, quia à ſiniſtra ad dexterã ducebat lineã. Quidquid enim loquebatur ad humi-

1. *Reg.* 25

Eccl. 26.

Eccl. 1.

Pſal. 44.

Pſal. 22.

humiliationē ſui, ad honorem Dei, ad ædificationem proximi, & ſic ad æternitatem, quæ ſignatur per dexteram, referebat omnia verba ſua. Vnde vere perfecta, quia non deliquit in lingua ſua.

Quinta Stella, ſiue quintus lapis duodecimæ Coronæ Beatæ Virginis eſt Sardonix.

SArdonix quintus tricolor, niger in imo, candidus in medio, rubens in ſummo, id eſt, ſancti in paſſione exteriùs, rubei, interiùs candidi, ſed per humilitatem deſpecti, quæ quia ex infirmitate corporis deſcendit, quod quinque ſenſibus agitur, quinta dicitur. Quia igitur Beata Virgo exteriùs rubicunda per verecundiam virginalem, & interiùs candida extitit per immunitatem peccati, meritò Sardenix quinto loco in Corona ipſius ponitur. Vnde & ipſa ligno Sethim non incongruè comparatur, de quo Exod. 25. dicitur: *Arcam de lignis Sethim* *Exod. 25.* *compingite.* MARIA dicitur Sethim, quia arbor nobiliſſima Orientis, ſicut dicitur, fuit autem MARIA nobilis genere, nobilior omnium chariſmatum plenitudine, ſed nobiliſſima ex eo, quòd Chriſtus verus oriens, qui nos viſitauit ex alto, oriri ex ea dignatus eſt in quantum homo. Pulchra per facta plenitudine totius honeſtatis. Vnde Eccl. 6. *Decor enim vitæ eſt illa, &c.* *Eccl. 6.* Parua per ſimplicitatem humilitatis, vel etiam paupertatis, quia fuit in vnum ſimul diues, & pauper. Leuis per contemptum totius terrenitatis. Dilectio enim terrenorum reddit animam ponderoſam. Vnde *filij hominum vſquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis menuacium?* id eſt, temporalia, vel etiam leuis virtutum vniuerſitate, quæ igneæ naturæ ſunt. Et ideo leues ad effectus, quia animam ſurſum trahunt, & impellunt, quia locus ignis deorſum non eſt, fortis in conſeruando propoſitum virginitatis, quia accinxit fortitudine lumbos ſuos, & reſpon- *Luc. 1.* dit Angelo: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Id eſt, propoſitum nunquam cognoſcere, & in propoſito perſeuero. *Eſai. 46.* Iſai. 40. *Forte lignum, & imputribile elegit artifex ſapiens.* Imputribilis, imputribilitas Sethim probatur per arcam Noe, quæ adhuc perdurat in montibus Armeniæ ſecundùm Iſidorum. MARIA autem fuit imputribilis per extinctionem fomitis in filij conceptione, quam poſtea non infeſtauerunt primi motus procedentes à fomite. Quilibet enim alius ab ea dicere poteſt. *Induta eſt caro mea putredine, &c.* Iob. 7. Ipſa verò *Iob. 7.* de ſe, & ſponſo ſuo dicit. Cant. 1. *Ligna do-* *Cant. 1.* *morum noſtrarum cedrina*, quia non fuit corpus eius reſolutum in quatuor elementa, ſicut enim Dominus non dedit ſanctum ſuum, ideſt, Chriſtum videre corruptionem, ſic nec ſanctam ſuam ſpecialem, id eſt, MARIAM: fuit etiam imputribilis, id eſt, abſque fermento inuidiæ, & corruptionis. Prou. 14. *Putredo oſſium inuidia.* *Prou. 14.* Ioel. 1. *Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo.* Incremabilis, ſcilicet, à feruore totius iracundiæ, & iniquitatis. Albæ ſpinæ ſimilis in foliis, id eſt, in verbis per manſuetiſſimam corruptionem alienæ peruerſitatis. Lege conuerſionem Theophili. Moraliter, priùs dicitur alba, poſtea ſpina, quia qui alium pungere vult, corripiendo, ipſa correctio debet procedere ex zelo iuſtitiæ, non ex liuore malitiæ, alioquin talis corrector comparabilis eſt ſpinæ nigræ, &c. Leuigata, complanata, & quaſi dolata artificio Spiritus Sancti, vel etiam Chriſti, qui ſummus eſt architectus, quando ſanctificata eſt in vtero matris, & nata ſine pondere originalis. Fuerunt etiam ligna hæc fortia per patientiam, imputribilia per perſeuerantiam, candida, per omnimodam puritatem, & innocentiam. Vnde albæ ſpinæ ſimilia deſcribuntur hæc ligna, id eſt, MARIA, quam hæc ligna deſignāt. Vnde etiam Beata Virgo comparatur elephanti, quod eſt animal caſtiſsimum, & ſignificat triplicem caſtitatem. Coniugalem, quia temperatè vtitur ſua coniuge. Vidualem, quia ad modum turturis, poſt mortem ſui comparis dicitur ſe nunquam alij copulare. Virginalem quantum ad oſſa candida, & frigida, quæ ſi comburantur, & pulueriz entur, pallorem oculorum exterminant, quoniam epar iuuant. Candor ſignat virginitatem, incenſio charitatem, pulueriza tio humilitatem, & talis virginitas purgat oculos interiores, vt Regem gloriæ *in decore ſuo* valeant intueri. Eſai. 33. Matth. 5. *Eſai. 33.* *Beati mundo corde, &c.* Et MARIA tàm *Matth. 5* coniugata, quàm vidua, ſemper Virgo manſit. *Turrem ligneam cum militibus portat, & armaturis*, ſicut legitur 1. Mach. 6. Et to- *Mach. 9.* tum Catholicæ Eccleſiæ ædificium per preces MARIÆ ſuſtentatur, vt habetur ſupra in Corona quarta primæ Stellæ. Viſo ſanguine, non timet mori, ſed magis acuitur *in prælium.* Sicut legitur. 1. Machab. 6. Et *1. Mac. 6* Beata Virgo viſo ſanguine filij effuſo in Cruce mori cum ipſo non timuit, ſed magis optauit, etſi animam pro ipſo non poſuit, tamen, & quod potuit libenter fecit.

Sexta Stella, ſiue ſextus lapis duodecimæ Coronæ Beatæ Virginis eſt Sardius.

SArdius ſextus ſanguinei coloris vnicolor martyrij gloriam ſignificat: ſextus, quia

sexta feria crucifixus est Christus. Vel Sardius rubeæ terræ habens speciem, signat sanctos, qui licèt cùm mentis sublimes sint intellectu, tamen fragilitatis suæ recordantur, attendentes se filios Adæ, qui rubra terra dicitur, qui sexta die factus est, vnde & Sardius sextus inducitur. Et quia terra, id est, peccatores terrena sapientes, per Christum, quem MARIA genuit feria sexta est mundata, non incongruè MARIA per terram est designata. MARIA terra, quia diuersis floribus, id est, virtutibus picturata. Vnde Gen. 2. *Fons ascendebat de terra, irrigans vniuersam superficiem terræ.* Superficies terræ, id est, dignitas terræ paradisi, id est, Ecclesiæ, Beata Virgo picturata, & ornata diuersis, imò vniuersis virtutibus, velut terra floribus. Vnde dicitur. *Circumamicta varietatibus.* Quia diuersis herbarum medicinalium generibus vestita: nam ipsius humilitas exemplo medicinat superbiam, paupertas, & largitas cupiditatem, & auaritiam, virginitas luxuriam, benignitas odium, & iram, & sic de alijs. Et sic in floribus intelligitur ornatus virtutum, quoad ipsam, in herbis affectus virtutum, quoad homines, quia infimum elementum, & hoc per summam, & profundam humilitatem iuxta documentum sapientis. Eccl. 3. *Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* Et hoc optimè impletum est in MARIA. Item iuxta illud Ezech. 32. *Quò pulchrior es, descende.* Quia calcabile elementum, & hoc per obedientiam. Vnde dicit. *Ecce ancilla Domini.* Ancillæ enim est obedire. Quasi diceret. Quidquid enim placuerit, faciat de ancilla sua; vel quasi calcabilem se præbuit per summam patientiam. Vnde potuit dicere. *Conculcauerunt me,* scilicet, in filio meo *inimici mei tota die* passionis. Quia sitibundum elementum, & hoc per gratiæ desiderium. Vnde de Christo dicitur Isai. 53. *Ascendet sicut radix de terra sitienti,* id est, MARIA. Quia alicubi plana per mansuetudinem, vel iustitiam, & alicubi montuosa per suam excellentiam, & alicubi conuallis per duplicem humilitatem; & alibi campestris per charitatem; quæ in campis crescunt communia sunt, & immobilis secundùm se totam, &c. Ecclesiastes 1. *Terra in æternum stat* per constantiam. Quia ex attritione multiplici redditur solidior, quò enim magis impulsa est in filij passione; eò firmiùs stetit. Vnde. Ioann. 19. Ioann. 19. *Stabat iuxta Crucem Iesu, &c.* Ideo dicit ei sponsus. Cant. 7. *Statura tua assimilata est palmæ.* Quia omne ædificium in terra fundatur. Sic quidquid boni facere volumus, in ipsa fundare debemus per fidem incarnationis, cuius fuit ministra, & eorum, quæ ad ipsam pertinent. Vnde ipsa dicit: *In me omnis spes vitæ, & virtutis.* Quia cadentes suscipit, & ipsos adiuuat ad surgendum. Quoad primum dicitur de seruo eius. *Cùm ceciderit, non collidetur, quia supponit manum suam.* Quoad secundum Apoc. 12. *Et adiuuit terra,* id est, MARIA *mulierem,* id est, animam fidelem. Ideo sic oranda est iugiter. Succurre cadenti, surgere, qui curat populo. Quia nobis interponitur, & abyssio, quia nobis subtracta, sicut Thare, Datan, & Abyron. Numeri 17. Statim descendimus *in infernum viuentes*, sic subtracto nobis adiutorio MARIÆ, statim labimur in peccatum, & deinde in infernum. Quia fere quid quid viuit, viuit de terra, sic & quidquid viuit per gratiam, per MARIAM viuit, quæ genuit vitam. Ideo ipsa dicit. *In me gratia omnis vitæ.* Quia de terra tollitur aurum, & argentum, quo redimuntur captiui, & ipsa peperit illum, qui est redemptio animarum nostrarum. Nam ipsa est terra *Euilath, vbi nascitur aurum optimum,* id est, caro Christi, quæ de ea nata est, & formata. *Et ibi inuenitur bdellium, & lapis onichinus,* id est, anima Christi, & deitas. Quia de tractabili terra formantur quædam vasa ad diuersos vsus necessaria, & de substantia carnis eius formatum est vas corporis Dominici, in quo vase nobis à Patre transmissum est illud electuarium, quo sanatum est genus, humanum. Quia de terra oriuntur flores, & herbæ aromaticæ species, & radices, ex quibus conficiuntur medicinæ, Eccl. 38. *Altissimus creauit de terra medicinam.* Et de ipsa nata sunt membra Saluatoris, quibus contritis in cruce sanatum est genus humanum à præuaricatione primorum parentum.

Pſal. 44. Gen. 2. Eccl. 3. Ezec. 32. Ioann. 1. Pſal. 55. Eſai. 53. Eccl. 1. Ioan. 19. Cant. 7. Eccl. 28. Pſal. 36. Apoc. 12. Num. 17. Gen. 2. Eccl. 38.

Septima Stella, siue septimus lapis duodecimæ Coronæ Beatæ Virginis est Chrisolitus.

CHrisolitus aureum fulgorem habet, & videtur scintillas ardentes emittere, id est, spiritualis inter miracula prædicatio. Aurum superna sapientia, scintillas, quas emittit, exhortationes, vel miracula, quibus ad amorem Dei, & proximi accendunt, significantur. Quod quia per Spiritum Sanctum fit, septimo loco ponitur. Inde etiam Chrisolitus dictus, quia fulget, vt aurum. Quia igitur per exortationes, & miracula Beatæ Virginis ad amorem Dei accendimur, ideo meritò ipsa Chrisolitum in corona sua portat, & per hoc aquæductus nominatur. Vnde dicitur. Eccl. 24. *Quasi aquæductus exiui à paradiso.* A duplici enim paradiso exiuit hic aquæductus, à Patre, scilicet, qui est paradisus cœlestis exiuit per creationem, & recreationem, à quo nobis attulit aquam viuam, id est, Christum Deum, & hominem. A paradiso terrestri, hoc est ab

Eccle-

Ecclesia militante exiuit per mortem corporis directa in cœlum, velut quidam aquæductus aquas miseriarum, & tribulationum totius generis humani illuc ducens filio, eas exponens, & pro eis intercedens. MARIA aquæductus longissimus excellentia meritorum, quæ aquarum, quæ super cœlos sunt, fontem potuit attingere, vt hauriret super Angelos, quam refunderet hominibus aquam viuam. Beatus Bernardus tid circo tanto tempore defuerunt hominibus fluenta gratiarum, quia nondum interceſſerat aquæductus. Integerrimus per inuiolatam fidem. Mundissimus per virginitatem, & omnimodam castitatem. Occultus per solitudinis dilectionem. Concauus per veram humilitatem. Fusilis per pietatem. Fæcundans, id est, abundans aquis per gratiarum plenitudinem. Rotundus per sensuum custodiam. Non plumbeus, sed magis aureus per regiam nobilitatem, & eximiam charitatem. Per hunc aquæ ductum venit Christus ad nos occultatus in vtero virginali, vt mysterium diabolo celaretur. Vnde dicitur: Esai. 45 *Verè tu es Deus absconditus.* *Esai.* 45. Per hunc etiam aquæductum, qui de fonte supradicto haurit, assiduè influit vinum compunctionis, lætitiæ, & deuotionis in cellario nostræ mentis. Et nota, quod dicit, quasi aquæductus exiui à paradiso, id est, à sancta Trinitate, qui est locus totius voluptatis. Exiui inquam, per creationem. Vnde: *Ab initio, & ante sæcula creata sum.* *Eccle.* 24. Exiuit autem, quasi aquæductus, id est, permeatus subterraneos, per patres, scilicet, veteris testamenti, qui dediti erant terrenis. Esai. 11 *Egredietur virga de radice Iesse.* *Esai.* 11. Propter hoc dicitur de ea, *sicut lilium inter spinas*, *Cant.* 2. ipsa cœlestis exiuit de terra, sed ad quid? ad irrigandum hortum Domini, id est, Ecclesiam, & fidelem animam. Rigat autem hunc hortum aqua triplici. Doctrinæ, vt purgetur ab erroribus. Vnde dicit: *Qui bibunt me, adhuc sitient veritatem.* *Eccl.* 24. Gratiæ, vt ornetur floribus, & fructibus virtutum. Vnde dicit: *Transite ad me, & à generationibus meis implemini.* Tribulationum, vt omnis plantatio, *quam non plantauit Pater, eradicetur.* *Mat.* 15. Matth. 15. Et vt omnis palmes fructificãs purgetur, vt plus *afferat fructum.* *Ioan.* 15. Ioan. 15. Rigat autem aquis tribulationum, quando mittit disciplinam, sicut lucem, vt *vexatio eius det intellectum*, Esai. 28. *Esai.* 28. Cuius disciplinæ ita est ipsa exemplar. Et quia nihil valet horti rigatio, nisi temperetur Solis ardore, promittit quòd ardoré Solis iustitiæ temperabit, subdens. Et inebriabo partus mei fructum. Fructus partus est filius, qui dicitur fructus, quia reficit, & quia toto se cibat animam, quia totus est *desiderabilis.* *Cantic.* 5. Canticorum 5. est enim manna *de cœlo ve-* *Exod.* 16. *niens.* Exod. 16. *Panis omnis delectamenti.*

Ssp. 16. Fructum dicit partus, vt notetur singularis partus Virginis, quia partus Virginis fructum habuit, non damnum; delectationem, non dolorem. Eua autem peperit cum dolore, & damno propriæ substantiæ. *Sap.* 16.

Hic est aquæductus, de quo legitur Iudith 7. *Quem præcepit Holofernes incidi*, quia per illum influebat fons quidam in ciuitatem Bethuliæ parte australi. Bethulia interpretatur domus dolens Domino, quod facit Ecclesia in pœnitentibus: vel domus parturiens Dominum, quod facit in confitentibus. *Iudith.* 7.

Esai. 27. *A timore tuo, &c.* MARIA verò aquæductus, quo fluunt in Ecclesiam & fidelem animam dona gratiarum, quem diabolus incidere conatur, cùm eius auxilium nobis auferre nititur, sed nihil proficit, quia ideo datus est nobis hic aquæductus, vt ad omnes vsus necessarios aquæ gratiarum, quæ nonis deerant per ipsam largissimè nobis largiantur. *Esai.* 27.

Octaua Stella, siue octauus lapis duodecimæ Coronæ Beatæ Virginis est Berillus.

BErillus octauus est prædicantium operatio, lucet vt aqua Sole percussa. Vrit etiam manum tenentis, quia qui sancto iungitur, eius conuersatione accenditur. Dicunt & alij, quia bicolor est, viridis, & pallens, significat sanctos in contemplatione positos, virides, sed cura terrenæ administratio nis ad pallorem actiuæ vitæ redeuntes. Quia igitur Beata Virgo in vtraque vita, scilicet, actiua, & contemplatiua perfecta extitit, meritò berillum in sua corona recipit. Vnde & thronus iure dicitur, de quo 3. Regum 10. ita scribitur: *Fecit sibi Salomon thronum de ebore grandem, &c.* Primò, dicitur eburnea. Secundò, dicitur thronus grandis. MARIA eburnea, quia ebur est os Elephantis durum, quia fuit impenetrabilis omnibus iaculis inimici, & faciem suam posuit, vt petram durissimam in filij passione. Duram ad damna, duriorem ad verba, durissimam ad verbera, quæ patiebatur in filio flagellato. Frigidum, quia sine incentiuo concupiscentiæ. Cùm enim aliæ mulieres vniuersæ in calore concipiant, ipsa in Spiritus Sancti obumbratione, & refrigerio concepit, virginitatis gloria permanente. Solidum, & ipsa solida per virginitatis propositum, à quo nunquam mutauit. Et ideo quamuis pareret, tamen dicitur: *porta clausa.* Ezech. 44. Vel hæc soliditas est animi constantia in bono, candidum, vt candor referatur ad sanctificationem, vel candidum interiùs per innocentiam, & animi puritatem, exteriùs per perfectissimam castitatem. Lucidum bonorum exemplorum diffusione con- *3. Reg.* 10. *Ezech.* 44.

confortantium intuentes iuxta præceptum
Matth.5. filij: Matth. 5. dicentis. *Luceat lux vestra coram hominibus, &c.* Rubicundum ex ve-
Tren.4. tustate, vnde Tren. 4. *Rubicundiores ebore antiquo.* Per hunc ruborem potest signari MARIÆ charitas, vel martyrium cordis eius, quod passa est propter charitatem, cum alij Martyres passi fuerunt propter fidem. Et hoc martyrium, quo sic facta est rubicunda. Passa est enim cùm iam esset, quasi quadraginta & septem annorum, vt creditur & huiusmodi ætas vergit in antiquitatem.
Prou.31. Forte, & robustum, & ipsa est *mulier fortis*, quæsita à Salomone, sed inuenta à Christo, & ab ipso Gabriele. Durabile per perseuerantiam in omni gratia, & virtute, quia non defecit fides eius in passione filij, licèt tunc deficeret omnis sanctus. Prouerb. in fine. *Non extinguetur in nocte* Dominicæ sepulturæ *lucerna eius*, id est, fides. MARIA thronus grandis, vbi notandum, quòd quidam licet sint casti, superbi tamen sunt, vel austeri virtutem vnam habentes sine alia, si hoc sit possibile, & tales non throni grandes. Sed Beata Virgo virtutes singulas habens in superlatiuo, sola inuenta est, & facta à Deo thronus grandis. Ideo dicitur: fecit sibi Rex Salomon thronum de ebore grandem. MARIA thronus grandis materiæ pretiositate, quia fabricata ex auro, & ebore, quod vtrumque pretiosum valde. Artificiositate, quia non est factum tale opus in vniuersis regnis, scilicet, *cœlestium, terrestrium, & infernorum*, Philip. 2. Durabilitatis æternitate. Vnde *thronus tuus Deus*
Philip.2. *Hebr.1.* *in seculum seculi*: Hæbr. 1. In sedentis Maiestate, quia qui incircunscriptibilis erat secundùm Deitatem, vbi voluit circunscribi per assumptam humanitatem. Propter hoc canitur ipsi MARIÆ. Quem totus non capit orbis in tua se clausit viscera, factus homo, Giganteę quantitatis receptibilitate. Christus enim dicitur Gigas geminæ substantiæ, quem tamen in suo virginali clausit gremio. Speciali præsidentis dignitate, quia thronum hunc fecit sibi Rex Salomon, sicut supradictum est. Claritatis immensitate, quia factus de auro fuluo nimis, quod est colo-
Psal. 88. *&9.* ris optimi, & fulgoris eximij. Psalm. 88. *Thronus eius, sicut Sol in conspectu meo semper.* Iustissimi Iudicis authoritate: Vnde dicitur illi: *Sedes super Thronum, qui iudicas iustitiam.* Et hoc pertinet ad MARAIM, quia in humanitate, quam assumpsit ex ea, in iudicio apparebit. Vnde ipse dicit:
Ioann.5. Ioan. 5. *Pater non iudicat quenquam, sed potestatem dedit filio iudicium facere, quia filius hominis est.* Summæ dignitatis ineffabilitate, quia in hoc throno insigni summus Imperator leges clementiæ suæ perpetuò roborauit. Medicinalitate; vnde fa-

A ctus est ex ebore, & auro, quod vtrumque medicinale est. Beneficiorum innumerositate. Ideo dicitur ad Hebræos 4. *Adeamus* *Hebr.4.*
cum fiducia ad thronum gratiæ, vt misericordiam consequamur in tempore opportuno.

Nona Stella, siue nonus lapis duodecimæ Coronæ Beatæ Virginis est,
Topazius.

TOpazius nonus, quò rarior eò pretiosior, & habet duos colores, ex auro, & ætherea claritate: maximè lucens, cùm splendore Solis tangitur. Superans omnium
B gemmarum claritates, in conspectum suum singulariter prouocans aspicientes. Quem si plùs polis, obscuras, si naturæ relinquis, clarior est, & nihil est cariùs Regibus inter diuitias. Contemplatiuam vitam signat, quam sancti Reges omnibus operum diuitijs, & gemmis virtutum præferunt, & in eam maximè aspectus suos dirigunt, & tantò ampliùs, quantò frequentiùs diuina illustrantur gratia. Ex interna charitate color aureus, ex dulcedine contemplationis color æthereus. Quæ ex attritu seculi semper obscurescit. Vix enim potest quis doloribus attingi, & tranquilla mẽte cœli gaudia intueri. Vel si polis, quasi si dignitatibus seculi hono
C ras eos, & ornas, obscuras, quia contemplationi minùs vacant, vel minoris meriti sunt. Et sicut in octauo, octaua vita, sic in nono contemplatiua, quæ est Angelorum, quorum sunt nouem ordines. Dicunt quidam, quòd omnium lapidum colores habet; vnde & nomen habet, quia par, id est, omne, & inuenitur in Insula Ægypti Topazion significat sanctos omnibus coloribus virtutum fulgidos, & præcipuè Beatam Virginem, quæ omnes sanctos in colore, & fulgore antecellit. Vnde ipsa auro comparatur; nam aurum pulcherrimum metallorum cætera metalla, cæteræ Virgines, vel cæteri sancti, de quibus
D format Dominus vasa gloriæ, quos omnes colorat, & insignit pulchritudo virtutum MARIÆ. Vnde thronus Salomonis dicitur vestitus fuisse auro mundissimo. Et ponitur superlatiuus gradus, qui optimè conuenit Beatæ Virgini. Est enim aurum carere peccato mortali. Est mundius carere veniali. Si tamen hoc aliquandiu fieri possit; licèt enim in baptismo remittantur omnia peccata, nemo tamen viuit sine veniali, quia nemo mundus à sorde. Mundissimum aurum est carere fomite peccati, quod nullus habuit præter Beatam Virginem MARIAM. Vnde congruè ei attribuitur superlatiuus gradus. MARIA aurum dicitur: aurum ab aura, hoc est à splendore, eò quòd repercusso aere plus fulgeat. Naturale est

enim

enim, vt metallorum splendor plus fulgeat luce alia repercussus. Clarum per cœlestem sapientiam, quæ *clara est, & nunquam marcescet, & facilè videtur ab his, qui diligent illam.* Sap. 7. Fulgidum per exemplum, quo non solùm homines, sed & Angelos irradiat. 1. Machab. 6. *Refulsit Sol*, scilicet, diuinitatis *in clypeos aureos*. Clypei isti Christus, & MARIA, qui protegunt fideles Ecclesiæ, & resplenduerunt montes ab eis, id est, Angeli, & iusti. Purum per immunitatem peccati, nec sordes colligit ex immundo loco si ibi ponatur, sic nec MARIA, quæ nata est ex Iudæis, quia sicut spina rosam genuit, Iudæa MARIAM. Rubicundum, & MARIA rubicunda per verecundiam virginalem, pulchritudinem naturalem, patientiam singularem, intentissimam charitatem. Quære supra de rosa. Et quia MARIA in his, & alijs vniuersis virtutibus præcellebat omni sancto, ideo pretiosior coram Deo. Ponderosissimum per timorosam humilitatem, & auream grauitatem. Quod apparuit in Angelica salutatione, quando ad promissum Angeli non se mouit à proposito suo, & statu, dicens: *Quomodo fiet istud?* Et nominans se ancillam. Solidum, per mentis constantiam in bono, quod apparuit in filij passione, vbi nec irritauit aliquem, nec potuit irritari, aut prouocari ad iram. Similiter in filij sepultura, quando nunquam desperauit, nec dubitauit de eius resurrectione, sicut fecerunt discipuli. Tractabile, & ductile per obedientiam, quæ notatur ibi: *Ecce ancilla Domini*, quasi diceret: Quidquid enim placuerit faciat de ancilla sua. Ecce tractabilitas: pretiosum, cuius pretium Christus. Vnde Prouerb. in fine. *Procul, & de vltimis pretium eius*, vbi fines cœli cœlorum. Imputribile per luxuriam, quoad carnem, per inuidiam, quoad mentem, & quia corpus eius non fuit resolutum, non eruginat per malitiam: Vnde dicitur ei; Virgo singularis inter omnes mitis. Percussum non murmurat, sicut æs: In hoc signatur Virginis patientia in filij passione. Qualem enim se exhibuit agnus, id est, filius, qui coram tondentibus se, & percutientibus obmutuit: talem se exhibuit mater agni, &c.

Sap. 7.

1. *Ma.* 6.

Luc. 1.

Prou. 31.

Decima Stella, siue lecimus lapis duodecimæ Coronæ Beatæ Virginis est, Chrysopasus.

CHrysopasus in India nascitur, viridis aureæque mixturæ. Quidam etiam purpureus cum guttis aureis significat eos, qui virorem æternæ patriæ charitate merentur, & aliam purpuram martyrij ostendunt. Et quia exemplum Domini sequuntur, in India, id est, propè ortum Solis sunt, & cum Christo regnare expectant. In denario numero sunt, & Decalogus implebitur per dilectionem, quæ non finit. Igitur in chrysopaso opus martyrij signatur, & premium. Chrisom aurum, passos portum dicitur. Quia igitur Beata Virgo martyrium mentis, quod grauius est martyrio corporis in passione Domini patienter passa est; non dubium, quin etiam premium, & coronam martyrum in Regno cœlorum possideat. Quia iam ad festum æternitatis transit, & ad cænam agni feliciter vocata est. In qua cæna duo fercula apponuntur, scilicet, mel, & lac: Mel signat dulcedinem de cognitione diuinitatis, quia mel descendit ex aere, siue rore cœlesti. Lac gaudium de cognitione Dominicæ incarnationis in Virgine, quia lac de carne procedit & cætera. In hac iterum cæna duodecim fercula, quæ notantur, Genes. 27. in benedictione Iacob: vbi dicitur ei ab Isaac. *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam, &c.* Fercula cænæ duodecim. Ros, refrigerium, & protectio contra æstum tribulationum. Vnde: *transiuimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Pinguedo terræ, stabilitas, & firmitas in bono; quia inter elementa firmior est terra, *quæ in æternum stat*, Ecclesiastes 1. Item, qui fundasti terram, id est, Ecclesiam, frumentum. Omnis defectus suppletio, & amotio. Apocalip. 8. *Non esurient*, virum obliuio omnium miseriarum. Prouerb. 31. *Date siceram vsque bibant, & obliuiscantur ægestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius.* Esai. 65. *Obliuioni traditæ sunt angustiæ priores.* Oleum, gaudium ineffabile: vnde & vt exhilaret faciem in oleo, obsequium impensum ab omni creatura, quæ seruiet eorum voluntati. Vnde seruiant tibi populi. *Vnde euge serue, vsque supra multa te constituam.* Honor: *Vnæ adorent te tribus.* Sap. 5. *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est.* Item, *gloria, & honore coronasti eum.* Participatio omnium bonorum. Vnde, *esto Dominus fratrum tuorum*. Nam sicut lucente Sole omnes participant lucem, sine diminutione, & præiudicio alicuius, ita quilibet sanctus participat gaudium alterius. Quod orat Psalm. 118. Participem me fac Deus *omnium timentium te*, omnium rerum dominium. Vnde, & incurruentur ante te filij matris tuæ. Psalmus 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius.* Vindicta inimicorum. Vnde: *Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus.* Psal. 57. *Lætabitur iustus cum viderit vindictam.* Remuneratio amicorum, & benefactorum. Vnde: *& qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.* Matth. 10. *Qui potum dederit.* Coniunctio Christi, & Ecclesiæ, quæ notatur in osculo Isaac, quia sicut nulla est diui-

Gene. 27.

Esai. 66.

Eccles. 1.

Apoca 8.

Prou. 31.

Esai. 65.

Mat. 25.

Genes. 27

Sap. 5.

Psalm. 8.

Genes. 27.

Psal. 118

Psalm 8.

Genes. 24.

Psal. 57.

Matt. 10

diuisio inter osculantes, sic nulla erit diuisio inter Christum, & Ecclesiam. De hoc osculo
Cantic.1. dicit sponsa: *Osculetur me osculo oris sui.*
Deu. 32. Vinum huius cœnæ illud est, de quo Deuter. 32. *Sanguinem uuæ bibent meracissimum.* Vua Christus, quæ nata est ex illa beatissima vite, id est, gloriosa Virgine, quæ dicit. Ec-
Eccle.24. cles. 24. *Ego quasi vitis, &.* Quæ scilicet, vua præfloratа est intorculari crucis, & inde eliquatum mustum nostræ redemptionis. De
Psal. 22. quo dicitur Christo. *Calix tuus inebrians, quàm præclarus est.* Quod scilicet mustum, vel sanguinem vuæ meracissimum modò sumimus in Sacramento. Et tunc sumetur inefabili modo, quando dicitur conuiuis illud
Cantic.5. Canticorum 5. *Bibite, & inebriamini charissimi.* Fructus cœnæ, fructus ille benedi-
Luc.1. ctus, de quo dixit Elisaberh. Luc. 1. Virgini gloriosæ. *Benedictus fructus ventris tui.* Hic fructus modò emendus est pretio bonorum operũ, vt ibi clariùs, & delicatiùs comedatur. Vnde de anima bona negotiante tunc dicetur. *Date ei de fructu manuum suarum.*
Prou.13. Prouerb. in fine, & quia Beata Virgo maiorem, & diuturniorem pro Domino laborem habuit, & maiores tribulationes pro eo recepit. Ergo iam singulari dulcedine in illa cœna reficitur.

Vndecima Stella, siue vndecimus lapis duodecimæ Coronæ Beatæ Virginis est, Hyacinthus.

HYacinthus, vndecimus cũ aere mutatur. In sereno perspicuus, in nubilo obscurus significat discretissimos Doctores, omnibus
1. Cor.2. qualitatibus, moribus, ætatibus, intellectus se contemperantes, vt Paulus, qui dicebat: *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Item *non*
1.Co.11. *potui vobis loqui, &c.* Itẽ, *Quis infirmatur,*
1. Cor. 9. *&c.* Itẽ: *Omnibus omnia factus sũ, vt omnes lucrifacerem.* Vt autem discretionem, zelum, & dilectionem Beatæ Virginis pleniùs possis cognoscere, scire debes, quòd ipsa dilexit sapienter, dulciter, & fortiter. MARIA dilexit sapienter, id est, discretè, quia rationabile fuit obsequium eius. Sciebat enim Virgo prudens, quòd honor Regis iudicium diligit, id est, discretionem. Et quòd quidquid offertur *sacrificij sale est* condiendum.
Leuit. 2. Leuit. 2. Item discretè, quia ipsa fuit vas nouum, in quo missum est sal in incarnatione vnigeniti Dei, *& in sale* sapientia, vel
4.Reg.2. discretio designantur. 4. Regum 2. Item discretè bona familiaria, quæ ei Dominus faciebat, fatuè non ostendens. Erat enim
Eccl. 26. *mulier sensata & tacita.* Eccles. 26. Conseruans, & conferens in corde suo quidquid de filio dicebatur. Sciebat enim quòd, *qui denudat arcana amici*, id est, Christi, *per-*
Eccl. 27. *dit fidem*: Eccles. 27. Item discretè: bona

A spiritualia, quæ pro Domino faciebat, in abscondito faciens. Vnde clausa in thalamo inuenta est ab Angelo, clauso super se ostio patrem suum exorans, sicut dicit Bernardus. Item discretè pro omni obsequio, quod Domino faciebat, ipsum solum in premium petens, non laudem humanam, aut aliquid huiusmodi, quia secundùm Augustinum, hoc fine, & hoc studio colendus est Deus, vt sui cultus ipse sit merces, & cætera. Item discretè, id est, solicitè, ne Deum offenderet Verbo, vel facto, nutu, aut signo, cogitatu, aut
Mich. 6. desiderio. Mich. 6. *Solicitus ambula cum Deo tuo, &c.* MARIA dilexit dulciter, quia dulcedo generabatur in ea ex triplici re
B cordatione misericordiæ, gratiæ, & glorię. Misericordiæ, quia eam Deus in sanctificatione eius præseruauit ab originali peccato. Gratiæ, qua ipsam impulerat ad omnem virtutem, & omne opus bonum. Gloriæ, qua se sperabat remunerandam supra meritum, quia amaritudines præsentis seculi dulces reputabat, & inundationes maris, quasi lac suggebat pro amore vnigeniti sui. Quia quodammodo dulcis visa est ei angustia passionis vnigeniti sui. Licèt enim mente compassa sit ob desiderium virtutis, & salutem generis humani. Vnde dulce lignum, dulces clauos, non solùm Christo patienti, sed & matri compatienti, quæ per amaritudinem tormenti sciebat genus humanum rediturum ad dul-
C cedinem paradisi. Ioan. 16. *Mulier cùm pa-*
Ioan. 16. *rit, &c.* Quod de matre, & filio potest intelligi, videlicet de eius morte, & resurrectione. MARIA dilexit fortiter. *In omni*
Eccles. 7. *virtute sua eum, qui se fecit diligens.* Eccles. 7 Et præter eum nihil timens. Matth. 10.
Matt. 10 *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, &c.* Perfectus enim timor Domini facit diligere fortiter. Vnde Prouerb. 14. *In timore*
Prou. 14. *Domini fiducia fortitudinis, &c.* Pro eo quantaslibet aduersitates patienter substinens, iuxta illud Prouerb. 12. *Qui negli-*
Prou. 12. *git damnum propter amicum*, id est, Christum. *fidelis est.* Pro aliqua aduersitate ab eius
D amore non recedens, quia sicut dicitur Prouerb. 17. *Omni tempore*, id est, tam in aduer-
Prou. 17. sis, quàm in prosperis *diligit qui amicus est.* Pro nulla aduersitate, nec etiam timore mortis ipsum negans, aut deserens, sicut fecit Petrus præsumptuosus. Et hoc manifestè in passione apparuit, quando fugientibus Discipulis, stetit imperterrita, *iuxta crucem,*
Ioan 19. Ioan. 19. Timor enim non erat in charitate
1.Ioan.4. eius quoniam perfectè diligebat. 1. Ioan. 4. *Perfecta charitas foras mittit timorem.* Quia
Cantic 8. *dilectio eius fortis fuit, vt mors.* Canticor. 8. Quia sicut mors non moritur, sic charitas eius nunquam excidit. Vnde dicit filio. Ie-
Ierem. 31. rem. 31. *In charitate perpetua dilexi te.* Impletum enim est in ea illud: Eccl. 13. *Om-*
Eccl. 13. *ni*

ni vita tua dilige Deum. Quia si fieri posset secundùm beneplacitum diuinæ voluntatis mori pro eo, & cum eo desiderauit, nec vitæ suæ pepercit pro dilectione, sicut nec filius. Pro eo quod visa dixisse sic cum Dauid. 2. Regum 18. *Quis mihi det, vt pro te moriar fili mi Iesu*. Cum eo, quia etsi animam suam non posuit pro redemptione generis humani, exposuit tamen, & quod potuit, fecit, & sic impleta est prophetia Simeonis. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.*

2. *Re.* 18.

Luc. 2.

Duodecima Stella, siue duodecimus lapis duodecimæ Coronæ Beatæ Virginis est, Amethistus.

AMethistus duodecimus, purpureus mixto colore, violæ, & rosæ quasdam flammulas de se effundens. Purpureus color significat cœlestis Regni habitus, & Angelicæ societatis principatum, ad quem venturi sunt Sancti. Viola humilem sanctorum verecundiam cum odore bonæ operationis. Rosa pretiosam mortem martyrum, qui non modò inter se, sed etiam ad inimicos, & persecutores flammas charitatis emittunt. Significat igitur amethistus cœlestis Regni semper memoriam in cordibus humilium, & illam egregiam virtutem, vt etiam pro inimicis orent, & de salute eorum curent, quæ est virtus virtutum. Colorum varietas, virtutum multiplicitas. Applica singula ad Beatam Virginem, quæ in omnibus virtutibus aliorum Sanctorum in infinitum excellit. De viola humilitatis ipsius, & de rosa charitatis habes superiùs in corona octaua. Nunc de varietate vestium, id est, virtutum ipsius est dicendum Et nota, quòd quales vestes ipsa habet, tales etiam largitur seruis suis. MARIA igitur confert vestem talarem per perseueran tiam. Genes. 37. Fecit Iacob Ioseph filio suo vestem polymitam, & talarem candidam, sine admixtione maculæ mortalis, quia vestimentum mixtum sanguine, ideſt, corpus mortali peccato *fœdatum*, *erit in combustionem*. Esai. 9. Ideo dicitur Eccles. 9. *Omni tempore vestimenta tua sint candida*. Vel vestimentum mixtum sanguine, conuersatio polluta per luxuriam. Apocalip. 3. *Ambulabunt mecum in albis*, scilicet, si fuerint in albis, & loquitur de illis, qui nõ inquinauerũt vestimẽta sua, ideſt, corpora, per maculã peccati mortalis. Inconsutilem per integritatem, & vnitatẽ conuersationis exterioris, & intentionis interioris, ne sit dissuta per duplicitatẽ, vel simulationem, vel hypocrisim: exemplo *tunicæ Domini*: Ioan. 19 Item, Leuit. 19. *Nõ incidetis carnes vestras, nec figuras, aut stigmata facietis vobis*. Fulgidam per exemplum: vnde Matth. 5. *Luceat lux vestra, & cætera.*

Gen. 37.

Esai. 9.
Eccles. 9.

Apoc. 3.

Ioann. 19
Leu. 19.

Matth. 5.

A Propter hoc *Angeli* apparuerunt in Dominica Resurrectione in veste *fulgenti*: Luc. 24 Vt postquam surrexeris à peccato, fulgeat conuersatio tua aliis per exemplum. Odori ferã per fragrantiam opinionis: Canticor. 4. *Odor vestimentorum tuorum, &c.* Gen. 27. *Statimque, vt sensit vestimenti eius fragrantiam, benedicens ait &c.* Talem habeto, in vis benedici à vero Isaac. Subtilem per discretionem, & sui ipsius discretionem. Eze. 16. *Induite subtilibus*. Calidam per Charitatem. Iob 31. *Nonne vestimenta tua calida sunt? &c.* Hæc est vestis, quam Esther, id est, MARIA mittit *Mardocheo*, id est, pœnitenti *induto sacco*, quo significatur timor seruilis, cum quo non intratur *in palatium Assueri*, id est, in cœlum. Esther 4. Geminam per dilectionem Dei, & proximi, vel propter cordis, & corporis castitatem, pro quo datur stola gemina, Vnde supra: *Domestici eius, &c.* Sed priùs exuenda est vetus conuersatio: Zach. 3. *Auferte vestimenta sordida ab eo* Item infra vide: Odientes eam quæ carnalis est maculatam tunicam. Aliter enim non potest nota conuersatio, quasi noua vestis indui: si verò vestis hæc non potest omnino exui, saltem sæpè per pœnitentiam debet lauari Esai. 1. *Lauamini, mundi estote.* Stragulatam, quia ipsa fuit induta. Prouerb. 31 *Stragulatam vestem fecit si i, &c.* Stragula dicitur à stragos, quod interpretatur talùs, vel varium, scilicet, propter perseuerantiam, vel propter gratiarum, & donorum, vel bonorum operum varietatem. Vnde stragulata vestis est gratia religiosæ conuersationis, quæ principaliter consistit in tribus. In continentia membrorum, in obedientia mandatorum, & in tolerantia persecutorum. Stragulata enim, sicut quidam dicunt, velvolunt, dicitur quasi triangulata. Tres anguli sunt animi deuotio, proximi compassio, & carnis mortificatio. Vel tres anguli. Laus Dei, vtilitas sui, exemplum proximi, primum ad Deum, secundum ad proximum, tertium ad seipsum. Vestitus est ergo veste stragulata qui tria hæc intendit, in verbis, & operibus suis. Omnibus istis modis vestem stragulatam fecit sibi MARIA. Habuit enim varietatem donorum, & gratiarum, ministrationum, & operationum, & differentias virtutum, &c.

Luc. 24.
Cant. 4.
Gen. 27.
Ezec. 16.
Iob 31.
Esther 4.
Prou. 31.
Zach. 3.
Esai. 1.
Prou. 31.

FINIT DVODECIMA CORONA

Beatæ Virginis.

IN-

INCIPIT SECVNDA PARS huius tractatuli, scilicet, quales debent esse serui Beatæ Virginis.

Prima Stella Coronæ serui Beatæ Virginis.

VIso de Coronis Beatę Virginis Glorioſæ & de earumdem Stellis, reſtat nunc aſſignare de proprietatibus ſeruorum ſuorum, quas niſi habuerimus dignè non poſſumus eidem miniſtrare. Debet enim qui dignè cupiunt miniſtrare Chriſto, vel Matri eius, & cæteris ſanctis, ipſos quantùm poſſunt in virtutibus imitari, & ſaltem à longè *currere in odoribus vnguentorum ſuorum*. Canticor. 1. quia ſicut dicit authoritas, venerari ſanctos, & non imitari, nihil aliud eſt, quàm mendaciter adulari. Gregorius ſuper illud Ioannis 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Qui Deum neſciunt, Dei famulos falsè honorant. Vera enim ſanctorum veneratio eſt vera ipſorum imitatio. Chriſto ſiquidem & ſanctis multò magis placet imitator deuotus, quàm laudator ocioſus: & vera laudatio cordis, & oris imitatio eſt operis, & tunc veri laudatores ſanctorũ exiſtimamus, ſi ea ſectemur, quæ & ipſi ſectati ſunt. Hieronymus ad Virgines ibi: Cogitis me ò Paula, &c. Igitur dilectiſsimi amate, quam colitis, & colite, quam amaris, quia tunc verè eam colitis, & amatis, ſi imitari velitis ex toto corde, quam laudatis: vt ergo laus, & præconia in duodecim coronis Beatæ Virginis præmiſsis ſibi placeant; debent laudatores, & ſerui ſui in duodecim virtutibus ſe exercere, vt ſic etiam coronam remunerationis cum duodecim ſtellis ornatam in cœlo valeant promereri. Prima igitur ſtella, ſiue virtus ſerui beatæ Virginis eſt, quòd debet eſſe ſobrius. Secunda, quòd debet eſſe ſolus, ſiue ſolitarius. Tertia, quòd mundus. Quarta, quòd aromaticus. Quinta, quòd deuotus. Sexta, quòd taciturnus. Septima, quòd feruens. Octaua, quòd humilis. Nona, quòd pius. Decima, quòd patiens. Vndecima, quòd, honeſtus, ſiue modeſtus. Duodecima, quòd conſtans, & perſeuerans.

Prima igitur ſtella, ſiue virtus ſerui Beatæ Virginis eſt, quòd debet eſſe ſobrius, quia vt Prouerb. 29. dicitur. *Qui delicatè nutrit ſeruum ſuum*, id eſt, corpus, *poſtea ſentiet eũ contumacem*, id eſt, rebellem per ſtimulum luxuriæ. Vnde primi parentes poſt vitium gulæ ſenſerunt in Paradiſo ſtimulos carnis: vnde *& fecerunt ſibi perizomata*. Geneſ. 3. Bernardus, in delicijs periclitatur caſtitas. Hieronymus, venter & genitalia vicina ſunt membra, vt ex vicinitate membrorum intelligatur confœderatio vitiorum, diſt. 42.

Quamobrem ſeruus Beatæ Virginis ſobriam vitam regulariter habeat, vt ſic vitijs mentis & incommodis corporis carere valeat. Vt enim Hieronymus ad Paulinum dicit: ſuperfluitas cibi diuerſos generat morbos, & mortiferos, moderata verò refectio ægritudines fugat, ſenſuum acumen operatur, ſoſpitatem, & hilaritatem procurat de Conſecrat. diſt. 5. nihil. Quapropter magiſter Adrianus Carthu. in libr. de remedijs vtriuſque fortunæ, temperantiam commendans, ita dicit: duritia amica virtutis eſt: mollicies verò voluptatis. Quot enim magni viri vltro ſe voluptati abdicantes, hunc, quem tu victum refugis, elegere, quorum multi cum lautè veſci potuiſſẽt, panem, & aquam in delicijs habuere, ſed funeſta ſuauitas, virtus, hoſtis, ac ruina, atque titillatio beſtialis in brutum animal hominem conuertit, ac hæc familiaritas contracta cum vitijs, & peruerſa conſuetudo rerum peſsima, mortalem obtutum perſtringit, vt decerni nequeat, quàm decorum ſit, quod torquet, & quàm fœdum, id quod mulcet. Sed dicis: tenuis mihi cibus eſt, malles igitur ne tu me fieri? Tenuitas enim eſt, à finibus tuis pellit podagram, capitis dolorem, vertiginem cerebri, vomitum, & ructum, nauſeam, & ſudorem, tædiumque & faſtidium tui, pallorem alternum cum rubore, odorem tam oris, quàm corporis, tibi atque alijs importunum. Adijce, quòd tollit inſtabiles pedes, manus tremulas, nutans caput, & quod optimum ineſt, ipſum animum moderabitur, frenabitque; quid igitur, quęſo tanti animi, & corporis bona paruo deſideriorum guſtu, quaſi momentaneo deperdere conquereris? Hæc ille: vnde & Cyprianus. Voluptas carnis blandus dæmon eſt, dulce venenum, peccatum ſuaue, mentem eneruans, furans intellectum? Poſtquam illa viuere cœpit, vera vita deſijt. Ad hanc ergo indurandus eſt animus, & ab ea longè abſtrahendus. Nullus enim eo contumelioſior, & ſæuior hoſtis eſt. Perſtringit oculos, aufert omnem ſenſum bonum, cor emollit, effæminat animum. Blanditur, & decipit, latronum more nos amplexatur, vt ſtrangulet. Hæc igitur damna, & pericula ſeruus Beatę Virginis diligenter attendat, & ſobrietatem ſuper omnia ſeruare diſcat, quia vt quidam ait, omne altum, omne ſanctum, omne ſalubre, omne virtuoſum illi vile eſt, cui corpus nimis carum eſt.

Secunda Stella, ſiue virtus ſerui Beatæ Virginis eſt, quòd debet eſſe Solitarius.

SOlitarius: vt enim ſeruus Beatæ Virginis ſe caſtum, & mundum à vitijs ſeruare valeat, nihil aliud reſtat, quàm vt ſolitudinem quie-

quietem, & cellam diligat, & in ea, quantum in ea est continuè maneat, sicut & Dauid faciebat, qui dicit: *Ecce elongaui fugiens, &* Psal. 58. *mansi in solitudine*. Vnde Hieronymus ad Rusticum monachum: videris quid alij sentiant, vnusquisque enim suo sensu abundat. Mihi oppidum carcer est, & solitudo paradisus. Quid desideramus vrbium frequentiam, qui de singularitate censemur? Moises, vt præesset populo Iudæorum, quadraginta annis eruditur in eremo. Cyprianus: vna igitur placida, & fida tranquillitas, vna solida, & firma securitas, si quis ab his inquietantis seculi turbinibus extractus salutaris portus statione fungatur, ad cœlum oculos attollat à terris, & ad Dei munus admissus, ac Deo suo mente iam proximus, quidquid apud cæteros humanis in rebus sublime, ac magnum videtur intra suam conscientiam iacere glorietur, nihilque appetere iam de seculo potest, qui seculo maior est. Hęc ille. Tria autè solitarius, siue seruus Beatæ Virginis præcipuè debet fugere, & contemnere, scilicet, vinum delicias, & mulieres. Vnde Glossa super Climacũ; fuge, fuge, qui monachus, siue seruus Beatæ Virginis es, delitias, vinum, & mulieres, quia tibi sunt causa peccati, & apostatare faciunt sapientes: nam & iustus Loth; propter ista præuaricatus est. Vinum igitur sine mensura potatum, & mulierum familiaritas, & colloquia, non solùm lacrymas, sed exterminant omne bonum. Hæc ibi, sapientis est igitur segregare se à voluptatibus carnis, eleuare animam, atque à corpore abducere. Hoc est enim se hominem cognoscere, quæ eleuatio, & cognitio in solitudine acquiritur. Vnde Hieronymus ad Paulinum: si cupis esse, quod diceris, monachus, id est, solus quid facis in vrbibus, quæ vtique non sunt solorum habitacula, sed multorum? &c. Obsecro itaque te, vt multitudinem hominum, & officia, & salutationes, & conuiuia, velut quasdam cathenas fugias voluptatum. Hæc ille. Nihil igitur studiosæ menti, & seruo Beatæ Virginis, tam congruum, sicut solitudo: nam qui cum multis est, secum non est. Et qui sibi abest, contemplari nequit. Itaque contemplationis locus est solitudo. Item in prouerbijs sapientium solitudinem quęrat, qui vult innocenter viuere, & Ouidius. Viue tibi, & longè nomina magna fuge, & iuxta Senecam: à turba quantum potes te separa. Initium enim, vt quidam dicit religiosæ dispositionis est, vt frequentia hominum deuitantes in sequestrum corpus, & animam contrahamus. Omnis enim gratia à mundi exordio communicata exhibita est in sequestro. Sic & seruus Beatæ Virginis, si gratiam Dei consequi voluerit, ab omni commercio mundanorum, per quæ nos contigeret frequentiæ hominum interesse, ad imitationem Domini, qui propter nos se transtulit in desertum, se penitus retrahat, sic Abraham familiaritatem Dei cupiens consequi, à terra natiuitatis suæ se elongauit, & audire meruit à Domino. *Ego Deus omnipotens, ambula coram me, & esto perfectus, ponamque fœdus inter me, & te, & multiplicabo te vehementer nimis.* Sic Moises dum gregem ad interiora deserti minauit, & portentum ardentis rubi videre meruit, & Dominum sibi de cœlo loquentem audiuit: Sic Iacob benedictionem Patris obtinuit pro eo, quòd Esau egredientem Dominus spreuit, ipse domi semper mansit. Vnde Genes. 25. *Iacob vir simplex, &c.* Sic Dominus in deserto populum suum pauit mannate, quod ei defecerat, cùm ad terram promissionis, tanquam ad propriam peruenisset. Sic Dominus Ezech. 3. Nunc in *campum* egredi iubet, nunc includere *se in medio domus suæ*, vt cùm eo loquatur Dominus, & ei spiritum prophetiæ infundat, propter quod dicit Psalmus 54. *Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ, & volabo, & requiescam.* Quod tamen desiderium consecutus est, cùm dicebat: factus sum sicut passer solitarius in tecto. Sed quid de veteribus dicimus, quibus in figura omnia contingebant, cùm etiam hoc sanctis nostris in clara luce Euangelicæ veritatis legimus euenisse? Nam in exordio nostræ redemptionis, cùm Angelus missus esset ad Beatam Virginem, intrauit ad eam. Vide Bernardum super Missus est. Item Dominus ascendens in cœlum, docuit discipulos suos, dicens: *Vos autem sedete in ciuitate, &c.* Hanc etiam regulam, & doctrinam seruus Beatæ Virginis teneat, & in ciuitate, hoc est in secreto, & solitudine maneat, vt sic gratiam Spiritus Sancti percipere valeat.

Genes. 17.

Genes. 25.

Ezech. & 9.

Psal. 54.

Lucæ 24.

Tertia stella, siue virtus est, quòd sit mundus.

MVndus: debent esse mundi, & immaculati serui, & laudatores MARIÆ. Ipsa est enim *hortus conclusus, fons signatus.* Canticorum 4. Nec intrandum est in hortum floridum, & delicioſum pedibus lutulentis, nec aqua purissimi fontis sordidis est manibus haurienda: ad agendum enim de Beata Virgine, non est nisi mundo corde, & purificatis cogitationibus accedendum, vt cum ea dicere valeat seruus eius: *In habitatione sancta coram ipso*, id est, filio, vel coram ipsa, scilicet, matre *ministraui.* Sancta enim habitatio idem est, quòd munda, à terra eleuata, & firma conuersatio. Qui enim immundi sunt, non ministrant in sancta habitatione, similiter nec appetentes plus iusto terrena, nec conuersantes in terra. Coram ipso, vel ipsa ministraui. Hic nota quatuor: cœleste de-

Cantic. 4.

Eccl. 24.

si-

siderium, vt ante Deum, & Matrem eius sit omne desiderium nostrum, & nostra conuersatio in cœlis. Item coram ipso, id est, simpliciter, idest, simplici oculo, non faciens iustitiam tuam coram hominibus, vt laueris ab eis, sed nihil aliud quæras nisi ipsum. Item coram ipso, id est, strenuè. Omnia enim aperta sunt oculis eius. Proprium est enim omnis seruri, etiam pigri, quandiu præsens est Dominus eius, strenuè operari. Boetius: Magna nobis, &cætera. Vel coram ipso, id est, in beneplacito eius. Item coram ipso, id est, reuerenter coram tanto Domino, & tanta Domina, cùm etiam coram Dominis terrenis reuerenter sui serui ministrent. Ministrani humiliter, & libèter. Minister, quasi minor statu, ministrare, quasi minorem stare. Authoritas: si inuitus pares, seruus es, similiter minister. Ministrare ergo in continua mentis, & corporis munditia est in sancta habitatione ministrare. Et nota, quòd in his tribus verbis tanguntur ferè omnia, quæ ministris Christi, vel MARIÆ sunt necessaria, vt scilicet ministrent in mũditia, vel abiectione voluptatum, & contemptu temporalium. In patientia aduersariorum, in desiderio æternorum strenuè, feruenter, simpliciter, reuerenter, humiliter, libenter, perseueranter. Ecce Decalogus ministrorum Christi, & MARIÆ. Item seruiamus matri, sicut docemur seruire filio. Luc 1. *Luc. 1.* *Seruiamus illi in sanctitate*, id est, in munditia; vnde Mater dicit cum Filio. Ambulans in via immaculata hic, id est, discretiuè, non alius mihi ministrabat ad beneplacitum meum, & iustitia, vt non credas, te ei dare gratuitum, sed reddere debitum, dicens: seruus inutilis sum. Coram ipso, non vt ab hominibus velimus laudari. Vnde ad Colos. 3. *Coloss. 3.* *Non ad oculum seruientes.* Matth. 6. *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, &c* In hoc etiam, quòd dicit coram ipso, notatur, quòd boni stant in conspectu Dei sicut Helias dicens de seipso. 3. Regum 18. *Viuit Dominus exercituum, ante cuius vultum sto, &c.* Mali autem retro: vnde: *Quoniam pones eos deorsum*. Et hoc quia à Domino ignorantur. *Omnibus diebus nostris*, id est perseueranter, quia Dominus non vult seruum alteri obligatum, sciens, quòd *nemo potest duobus Dominis seruire*, Matth. 6. Non est seruiendum mundo, quia seruum suum non solùm non remunerat, sed etiam in discessu totaliter spoliat Iob 1. *Nudus egressus*. Non diabolo, qui quantò affectuosiùs ei seruitur, tantò contra talem grauiùs exercebatur, sicut dicit Gregorius. Non carni, quòd de seruitio, quod ei fit, non reddit, nisi monetam stercorum. Item triplex munditia seruis MARIÆ est necessaria, videlicet, carnis, quod est abstinere ab omni immunditia exteriori, & ab omni actu illicito, qui posset fieri scienter, & vigilanter. Est autem immunditia fluxus seminis quocumque attractu, vel tactu viri præter vsum fœminæ, vel fœminæ præter vsum viri, & hoc restricto vocabulo: largè autem sumpto vocabulo immunditia complectitur fornicationem, adulterium, mœchiam, incestum, sodomiticum, peccatum brutale, & huiusmodi. De quibuslibet autem immundis his modis dicit Apostolus Ephes. 5. capit. *Immundi Regnum Dei non possidebunt*. Voluntatis est abstinere ab omni illicito consensu. Vnde Eccles. 18. *Prius concupiscentias tuas, non eas*, scilicet, eis consentiendo. Cordis, abstinere ab illicitis cogitationibus, & peruersis, *quæ separant à Deo* Sap. 1. Imaginationibus, delectationibus, desiderijs, recordationibus, titillationibus, consensibus, & huiusmodi. Quia dicit Dominus: Matth. 5. *Qui viderit mulierem, ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam*. Ex his igitur patet, quàm mundus debeat esse seruus Beatæ MARIÆ Virginis, vt possit eam dignè laudare.

Ephes. 5. *Eccles. 18* *Sap. 1.* *Matt. 5.*

Quarta Stella, siue virtus serui Beatæ Virginis est, quòd debet esse aromaticus.

AROmaticus: per fragrantiam bonæ opinionis, per exemplum castitatis, pietatis, & humilitatis. Quantò enim ipsa est purior, tantò magis fœtet ei luxuriosus. Ipsa enim cùm sit apis fugatur fœtore. Eccles. 5. *Breuis involat illibus apis*. Cùm sit Mater pietatis, magis fœtet ei impius, & auarus. Cùm sit exemplar humilitatis, plus displicet ei superbus, & sic de cæteris abominationibus vitiorum, propter huiusmodi fragrantiam dicitur seruis suis. Eccles. 39. *Quasi libanus*, id est, exemplo MARIÆ, quæ designatur per libanum. Vnde dicit, Eccles. 24. *Quasi libanus non incensus odorem suauitatis* habete, & quasi rosæ plantatæ super riuos aquarum fructificate: florete flores, sicut lilium, date odorem, & frondete in gratiam, date nomini eius magnificentiam. Ecce quòd primò iniungit suauem olentiam virtutum, & postea laudes eius. Hanc autem fragrantiam debes habere in corde, in ore, & in opere. In corde contra fœtorem prauorum desideriorum, sordidarum cogitationum, recordationum, titillationum, imaginationum, & huiusmodi. In ore dupliciter laudes eius, quæ sunt aromatica, & species assiduè ruminando, & ad omnes impudicos, & detractorios sermones, solicitè obdurando. In opere et sensibus, vt pro illius honore, & tua vtilitate abstineas ab omni opere polluto, & sensus tuos & membra solicitè custodias ab omni actu illicito, scilicet oculos, ne defigas eos in fœ-

Eccles. 5. *Eccles. 39* *Eccles. 24*

fœminam, aures, ne pro posse tuo audias linguam nequam, nares, ne delecteris in meretriceis odoribus, os, ne gustet, quod gustatũ afferat mortẽ, tactum similiter, & incessum à voluptatibus illicitis, & huiusmodi. Et quia B. Virgo tali modo sensus suos exteriores regebat; ideo hortus cõclusus dicitur. Vnde quinque fuerunt clausuræ in MARIA, quæ si in seruo suo fuerint, ab omni peccato suos sẽsus facillimè præseruare potuerit. Prima ab exteriori diligentissima suorum quinque sensuum custodia; siquidem iuxta sententiam illam. Eccl. 28. Sepuerat Virgo *aures suas spinis, ne audiret linguam nequam, & fœdus* pepigerat *cum oculis suis*. Iob 31. vt nec cogitaret de homine. Sic & seruus suus faciat, ne cogitet *de Virgine*. Secunda clausura ab interiori, scilicet, fossatum voluntarię paupertatis. Fossatum vacuatum à terra, per contemptum mundanę, prosperitatis, & largam erogationem substantiæ temporalis. Vnde *manum suam aperuit inopi*. Profundum per demissionem timorosæ humilitatis, quia in tantum profunda, & dilatata est, vt magni Dei capax efficeretur. Sancta enim timoratio sensum proprium depauperat, quod benè apparuit in ea; quando quæsiuit: *Quomodo fiet istud?* Nolens inniti proprio sensui, quamuis benè sciret, Virginem parituram. Dilatatum per amplitudinem eximiæ charitatis. Exhibuit enim filio Dei septem opera misericordiæ de propria substantia, implẽs illud Prou. 3. *Honora Dominum de tua substantia*. Petratum per soliditatẽ patientiæ singularis. Vnde dicit ei sapiẽtia Dei. Esai. 54. *Ecce ego sterno per ordinẽ lapides tuos*. Mundissimũ per amorem, & votum perpetuæ virginitatis, quæ ab ea omnem fœtorem exclusit immundiciæ carnalis. Aquosum per inexhaustam multitudinem pietatis, & abundantiam lacrymarum, maximè tempore Dominicæ Passionis. Cùm igitur seruus B. Virginis mũdanã prosperitatẽ contempserit, demissus per humilitatẽ extiterit, eximiam charitatem habuerit, patientiam singularẽ possederit, castitatem mentis, & corporis seruauerit, pietatis affectum alijs exhibuerit, tunc secundã clausurã sui horti, siue sensuum suorũ optimè obfirmauit. Tertia clausura murus multiplex. Murus protectio diuina; si enim Dominus in circuitu populi sui, multò fortiùs in circuitu Matris suæ. Vnde de ea dicitur. Esai. 26. *Saluator ponetur in ea murus, &c.* Virtus omnimoda. Prou. 25. *Sicut vrbs patens, & absq; murorum*, id est, virtutũ ambitu, multitudo gratiarum, quasi aquarũ. Exod. 14. *Aquæ erant eis pro muro, &c.* Aquæ maris gratiæ MARIÆ Num. vlt. *Aquæ in circuitu eius*, aquæ muri eius, murus alius quasi duplex, scilicet, innocentia mentis, & puritas virginalis, vel murus firmitas sancti propositi, vel obduratio

Eccl. 28. Iob 31. Prou. 31. Lucæ 1. Prou. 3. Esai. 54. Esai. 26. Prou. 25. Exod. 4. Nu. vlt.

A rectæ consuetudinis, vel iustitiæ munimentum, vel murus fidei fundatus super fundamẽtum charitatis. Operatio bona muniens animã contra omne genus peccati, & ipsa omnia misericordiæ opera exhibuit filio suo egeno, & mendico. Cũ ergo seruus MARIÆ hos muros habuerit, firma erit clausura horti sui. Quarta clausura aqua circumquaque currẽs ipsam vndique muniens, plenitudo totius gratiæ. Vnde Angelus ait ad eam. *Aue gratia plena*. Quæ tam plena gratiæ extitit, vt de plenitudine eius, sicut sanctus Bernardus dicit, accipiant vniuersi. Hanc aquam seruus Beatæ Virginis diligẽter ab ea petat, quia sine ista, anima eius, sicut terra arida, &c. Quinta discreti censura silentij. Quæ quasi quædã clausura possessiones virtutum suarum conseruabat. Esai. 32. cap. *Custos*, siue cultus iustitiæ *silentium, & vbi non est sepes*, hæc facilè *diripitur possessio* virtutum, & meritorum. Eccl. 36. Oret ergo seruus Beatæ Virginis filium suum, & dicat. *Pone Domine custodiam ori meo, &c.*

Luc. 1. Esai. 32. Eccl. 36. Psal. 140

Quinta Stella, siue virtus serui Beatæ Virginis est, quòd erit deuotus.

DEuotus. Est autem deuotio, pius, & humilis affectus in Deum, vel Beatam Virginem ex contritione generatus. Aliter. Deuotio est teneritudo cordis, vel mentis, qua quis de facili resoluitur in lacrymas: Hæc est medulla holocaustorum, sine qua omne holocaustum aridum est. Vnde. *Holocausta medullata offeram tibi*. Aliter. Deuotio est feruor bonæ voluntatis, quem mens cohibere non valens, certis manifestat indicijs. Hæc diuiditur in tria, in zelum, compassionem, & beneuolentiam. Zelus est, dum pro amore iustitiæ dẽ fensorem se vltro offert animus, calumniam veritatis pati non sustinens. Compassio est, quando miserijs aliorum condolemus. Beneuolentia, quando spontanea voluntate benẽficia roganti annuimus. Debent igitur serui, & laudatores Beatæ Virgines esse recti. Cãt. 1. *Recti diligunt te*, quia rectos decet collaudatio. Rectus est, cuius intentio ad Deum propter Deum dirigitur. Sunt enim, qui laudant Deum, vel MARIAM, cum bene fecerit eis, vel vt benefaciat eis. Quorũ laus, etsi tendat ad Deum, vel MARIAM, tamen reciprocatur ad ipsos. Vnde Esai. 59. *Semitæ eorum incuruatæ sunt eis*, id est, reflexæ ad eos, id est, ad suum commodũ recuruatæ *omnis, qui calcat in eis, ignorat pacem*. Item moraliter, anima bona nõ porrigit se ante, vt præsentia bona concupiscat, non retro, vt ad anteacta mala per delectationem respiciat. Non detrorsum, vt in prosperis per incontinentiam se effundat. Non sinistrorsum, vt in aduersis per impatientiam excedat, sed

Psal. 65. Cant. 1. Esai. 59.

surſum profert incrementum ſuum. Surſum habet cor, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens; & talis anima, ſiue ſeruus dignè collaudat filium, & matrem eius. Non enim videtur rectus, ſiue iuſtus, vel de numero prædeſtinatorum, ſed magis de numero reprobo rum, qui MARIÆ ſpecialiter, & deuote non ſeruit. Item rectus, ſiue deuotus eſt, qui non curuatur ad amorem terrenorum, quod ſignatur in rectitudine corporis humani, quod *Eſai. 2. vel 5.* rectũ eſt, vt doceat ſpiritũ ſuum rectitudinẽ. *Eccleſ. 7.* Vnde: *Os hominis ſublime deprimetur, &c.* *Pſal. 50.* Ecc. 7. *Hoc inueni, quòd Deus fecerit hominẽ rectũ, &c.* Ideo petit iuſtus: *Spiritum rectũ innoua in viſceribus meis.* B. Bernar. Ipſa corporis rectitudo ſeruandæ ſuę ſpiritualis recti tudinis ſignũ eſt. Et decor limi deformitatẽ arguit animi, & paulò poſt: Peruerſa rẽs eſt oculos habere ſurſum, & internos ſenſus, vel affectus in terra trahere deorſum, & infrà, in dignè humanũ corpus inhabitat brutus, & beſtialis ſpiritus. Quærere, & ſapere quæ ſunt ſu *Coloſſ. 3.* per terrã, curuitas eſt animæ, meditari verò, quæ ſurſũ ſunt, rectitudo illius. Col. 3. *Quæ ſurſũ ſunt, ſapite, &c.* Quia enim rectus eſt *Pſal. 32.* Dominus, debet rectus eſſe famulus, ſicut di- *Pſal. 35.* cit Pſal. 32. Quia rectus Redemptor, debet redemptus eſſe rectus. Item Pſal. 35. *Quàm bonus Iſrael Deus his, qui recto ſunt corde.* Recto corde ſunt, qui æterna deſiderant, & his bonus eſt Deus Iſrael. Curuo corde ſunt, qui tantùm terrena deſiderant; & his non vi *Tren. 3.* detur Deus bonus, licèt ſit. De primis dicitur Tren. 3. *Bonus eſt Dominus ſperantibus in* *Pſal. 61.* *eum*, animæ quærenti illum. De ſecundis dici tur: *Nolite ſperare in iniquitate, &c.* Quidã ſunt vt talpa, quę non poteſt viuere niſi in terra. Sed iuſti ſunt vt Aquila, quæ videt Solem in rota. Deſpiciat ergo ſeruus B. Virginis MARIÆ temporalia, ac meditetur æterna, tunc poterit Dominæ ſuæ eſſe deuotus.

Sexta Stella ſiue virtus ſerui Beatæ Virginis eſt, quòd erit taciturnus.

TAciturnus: quia in multiloquio peccatũ nõ deerit, exẽplo glorioſæ Virginis, quæ non niſi ſeptem verba locuta legitur in Euãgelio: Lege, & imitare. Ideo à ſeruo ſuo rogãda eſt aſsiduè MARIA. *Pone* Domina mea *Pſal. 140* *cuſtodiam ori meo, & oſtium circunſtantiæ labijs meis, non declines cor meum*, id eſt, non permittas inclinari à rectitudine virtutum, *Ierem. 8.* *in verba malitiæ, ad excuſandas, &c.* Ideo cõ uenit ſeruis eius illud Ierem. 8. *Conuenite, & ingrediamur ciuitatem munitam*, quæ eſt *Pſal. 30.* MARIA munita omni genere virtutum, de qua dicitur in Pſal 30. *Benedictus Dominus, quoniam mirificauit miſericordiam ſuam in ciuitate munita.* Sequitur: *& ſileamus ibi*, id eſt, in exẽplo illius ab omni prauo ſermone. *Cant. 4.* De taciturnitate, quæ ſignum eſt ſapientiæ commendat filius matrem. Cant. 4. *Quàm*

A *pulchra es amica mea, &c. Oculi tui columbarũ extra taciturnitatem tuam*, id eſt, præter. Ita dicit alia translatio, quam ponit Ambroſ. Tota enim ſpiritualis, & ſimplex, vt columba, in cuius ſpecie *Spiritus ſanctus* viſus *Luc. 3.* eſt *deſcendere* ſuper Chriſtum. Luc. 3. & Ioã. *Ioann. 1.* 1. Non eſt enim mediocris virtus tacere, ſicut dicit Ambroſ. Et ideo de taciturnitate commendatur MARIA, quæ omnia *verba* *Luc. 2.* *conferens in corde ſuo, tacitè conſeruabat.* Notoriũ enim eſt, & vulgatũ, muliebrẽ ſexum de multiloquio, & minori circunſpectione redargui; nec mirum, cùm ad primas ſuggeſtiones noxias loquela penitus ſit adempta ſerpenti, & aliquatenus inhibita mulieri. Hic po
B teris aſsignare de propera reſponſione Euæ, ſine diſcuſsione verborum ſerpentis. Vnde ortum eſt omne malum, & cogitatione MARIÆ, qualis eſſet Angelica ſalutatio? vnde ortum eſt omne bonum. B. quoque Bernard. poſt maiorum chariſmata gratiarum in omnium maxima mulierum Dei genitrice MARIA grauitatem ſilentij dignis laudibus prędicabat. Ipſa enim dicit de taciturnitate ſua, *Eccleſ. 8.* quaſi ſe ipſam commendans. Eccl. 8. *Ego os Regis obſeruo*, id eſt, os meum, quod eſt Regium, vt ſcilicet, nihil aliud loquatur, quàm quod Regem deceat, & Reginã, ſcilicet, verba lenitatis, & clementię. Verba pietatis, & iuſtitiæ: ipſa eſt etenim *mulier ſenſata, & tacita.* *Eccl. 26.*
C Eccl. 26. *quæ ſedebat ſolitaria, & tacebat, & leuabat ſe ſuperſe* per contemplationem. *Tren. 4.* Tren. 3. Si quidem, quia fuit ſenſata, id eſt, plena ſenſu, & tacita non ſeminiflua, ſed loquens in tempore ſuo, *fuit tempus tacendi,* *Eccleſ. 3.* *& tempus loquendi*, ſicut dicitur: Eccleſ. 3. capite. Tempus tacendi erfuit ante mortem Chriſti, loquendi poſt. Debuit tacere in prę ſentia Verbi, nec radiare debuit Luna præſente Sole, ſicut nec Luna radiat in præſentia Solis. Sed Verbo obmuteſcente per mortem ipſa debuit reuelare myſteria, quæ conſeruabat in corde ſuo contra ſcandalum crucis, quia ſuper omnes nouit. Vnde poterat dice- *Eſai. 24.* re illud. Eſai. 24. *Secretum meum mihi, &c.*
D Inde etiam turbata fuit in ſalutatione Angelica, quia ſilentium ſuum, quod valde amabat, reſpondendo infringere cogebatur. Cogitabat etiam, qualis eſſet iſta ſalutatio. Et vtinam Moniales, & recluſæ, & religioſæ noſtræ ſorores, & præcipuè ſerui Beatæ Virginis, tacendo cogitarent: quomodo in iudicio reſponderent, vbi de omni verbo ocioſo reddituri ſunt homines rationem: vnde in vitis Patrum legitur, quòd quidam ſenex videns quendam ridentem, dixit ei: coram cœli, & terræ Domino rationem totius vitæ noſtræ reddituri ſumus, & tu rides. Qui riſus communiter ex multiloquio prouenit. Abbas igitur Agathon per triennium tulit lapidem in ore ſuo, vt diſceret taciturnitatẽ. Itẽ fratres dixerunt Abbati Pãbo, quòd diceret:

ali-

aliquem sermonem Alexandrino Episcopo ad se veniẽti. Qui ait: si in taciturnitate mea non ædificatur, nec in sermone meo ædificabitur. Augustinus, loquela, sit in taciturnitate. Taciturnitas in iucunditate, Climacus silentium, siue taciturnitatem commendans, ita ait. Silentium in scientia est mater orationis, à captiuitate reuocatio, ignis custodia, epilogus cogitationum; intentio pugnatorũ luctus colligatio, amicitia lacrymarum, memoriæ mortis operator, pœnæ æternæ pictor iudicij æterni diligens inquisitor, mæsticiæ minister, confidentiæ propriæ inimicitia, & tranquillitatis coniugalis conuictus, amoris docẽdi repugnator, scientiæ additamentum, Dei verborum conditor, non apparens perfectus, latens ascensus, cognoscẽs delicta tenuit linguã, quiverò multiloquus est nõdũ cognouit seipsum, sicut oportet. Hæc ille, diligat ergo seruus Beatę Virginis silentium, & taciturnitatẽ, quia per hoc nõ solùm erit virtuosus, sed & sapiens reputabitur. Prou. 17. *Stultus si tacuerit, sapiens reputabitur.* *Prou.17.*

Septima Stella, siue virtus Beatæ Virginis est, quòd erit feruens.

FEruens, contra pigritiam, tepiditatem, & negligentiam Dicitur enim de sapientia, & MARIA. Ecc. 6. *Quasi is, qui arat, & qui seminat, accede ad eam*, ideſt, ad seruitiũ eius, & *sustine bonos fructus illius. In opere enim ipsius exiguum laborabis, & citò edes de generationibus illius.* Sedpiger *propter frigus*, id est, torporem animi *arare noluit*, ideſt, labore. Mẽdicabit ergo cum fatuis virginibus in æstate futuri iudicij, & *nõ dabitur* ei vita æterna. Pro 20. contra desides dicitur ad Heb. 6. *Non segnes efficiamini, verum imitatores eorum, qui ex fide, & patientia hæreditabunt promissionem* Cõtra tepidos dicitur Apo. 3. *Vtinam frigidus esses, aut calidus, &c.* B. Bernardus: calidi sunt spiritualibus feruentes desiderijs, frigidi horrore peccatorum suorum, & æternæ damnationis constricti. Has duas affectiones scimus, & credimus optabiles, & acceptabiles à Domino. *Sed quia tepidus es, &c.* Tepidi sunt vtriusque huius affectionis expertes, quales modò ferè omnes inueniuntur. *Incipiã te euomere ex ore meo*, ideſt, à societate fidelium, qui sunt os Domini, separare turpiter, sicut quod euomitur, turpiter eijcitur, quod excomunicatio spiritualis. Aliter B Bernar. Calidus feruore dilectionis, frigidus, tui ipsius consideratione. Aliter, frigidus est, qui præ timore gehennæ non peccat. Calidus, quem amor Dei peccare non sinit. Tepidus, quem timor terret, nec amor inflammat. Mirabilis Dei patientia, quæ multoties euomitum resumit per misericordiam, cùm de cibo euomito hoc nullus facere dignaretur. Ideo dic: incipiã te euomere. Modò incipit euomere, sed non pereuomit, nisi in morte. Item in hoc quod dicit *incipiam*, quodammodo præmunit tepidũ, vt præcaueat sibi, quod est misericordia magna. De negligentibus dicitur Ierem. 48. *Maledictus, qui facit opus Dei negligenter.* Alia litera dicit fraudulenter: laudes ergo, & seruitium B. Virginis, seruus ipsius debet feruenter implere, ne ab ipsa de negligentia, vel fraudulentia possit accusari. Prou. 4. *Arripe illam*, id est, sapientiam, vel MARIAM *ad seruiendũ ei, & exaltabit te* à terrenis ad cœlestia, *& glorificaberis ab ea, cũ cãfueris amplexatus. Dabit capiti tuo augmẽta gratiarũ, & corona inclita proteget te, arripe illam*, id est, ad te cape, vel arripe eitò, & quasi violenter, sicut res diu desiderata, quasi cum violentia, & quodam impetu solet apprehendi. Vel arripe, sicut auis nobilis prę dam nobilissimam, & escam suauissimã. Ideo enim filius subleuauit matrẽ ad cœlos, vt nos ad se traheret. Sequitur *& exaltabit te* ab imo vitiorum ad alta virtutũ, a terra ad cœlũ *& glorificaberis ab ea, cùm eam fueris amplexatus*, quasi rem amatam amplexatus, quasi scilicet, duobus brachijs amore, & seruitio. Sequitur: *dabit capiti tuo*, id est, menti, quæ est caput animæ, augmenta gratiarum spiritualium, corporalium, & temporalium, *& corona inclita* ex rosis claritatis & patientiæ, ex lilijs castitatis geminę, ex violis humilitatis, & temperantiæ, *proteget te*, quia per hanc triplicem virtutem protegitur homo ab insultibus vitiorum, & dæmonum. Ibidem, *ne dimittas eam, & custodiet te. Dilige eam, & seruabit te, ne dimittas eam*, quasi aduersando eam propter meretricias voluptates. Vel *ne dimittas eam*, id est, ne effugias eam, peccando mortaliter, quia non recedit à seruo suo, nisi propter mortale peccatum. Ipsa est enim *apis*. Eccl. 11. cap. Quam fugat fex peccati. *Et custodiet te* à violentia diaboli. Dilige eam, *& seruabit te* à peccato, & hostium oppressione. Vnde ad continuandum, & deuotissimè celebrandum seruitium B. Virginis valet illud exemplum, quod narrat Petrus Damianus de quibusdam Religiosis, qui ad suggestionem cuiusdam peruersi fratris dicatis, & accuratè eloquẽtiæ dimiserant seruitium B. Virginis. Et statim dimisso seruitio eius omnimoda infortunia cęperũt insurgere cõtra fratres illos incẽdia, depredationes, strages hominũ, mortalitas animalium, & huiusmodi; ita quòd de vita desperarent fratres illi, & tæderet eos viuere; quàm cito autem secundùm cõsilium dicti Petri reincæperunt fratre illi seruitiũ MARIÆ, cessauit ab eis dicta quassatio, & multa deinceps pace, & prosperitate gauisi sũt fratres illi, toto corde de cętero MARIÆ feruẽter seruiẽtes. Attẽdat hoc exemplũ seruus B. Virginis, & ex toto corde studeat intendere seruitio eius, & in eo perseuerare. *Ierem.48* *Prou.4.* *Ecclesi.6.* *Prou.20.* *Hebr. 6.* *Apoc. 3.* *Eccle.11.*

Octaua Stella, siue virtus serui Beatæ Virginis est, quòd erit humilis.

HVmilis: vt cùm omnia benefeceris ad honorē illius, dicas ei *Seruus inutilis sum.* Luc. 17. Luc. 17. Minister enim dicitur, quasi minoris status: ministrare: quasi minorē stare, in quo notatur humilitas; vel minister quasi minis territus, scilicet per timorem, qui frater est humilitatis. Cùm enim simus pauperes, & egeni, viles, & humiles de natura nostra, necesse est, vt paupertatem nostram, & humilitatem pro Christo voluntariè assumamus, maximè cùm delectabiliter sit amplectendū quod natura est consonum, & hæc naturæ nostræ valdè sunt consona, quia pauperes, & viles nascimur, & morimur. Exemplo etiam Domini nostri, qui cùm dives esset, factus est pauper, cùm Dominus omnium, seruire voluit vniuersis. Hanc etiam humilitatem Beata Virgo in sermone, & voce habuit, cum audita magnitudine, & multitudine promissorum, quas ei Angelus faciebat, respondit tanquam humillima mulierum: *Ecce ancilla Domini fiat mihi, &c.* Luc. 1. In opere, quando videlicet Elisabeth cognatæ suæ minori se ministrauit. In hoc etiam, quòd secundùm legem purgari non erubuit, licèt purgationē nō egeret, cùm de viro non concepisset. Nouerat enim, quòd qui facit superbiam, non habitabit in medio domus Dei, de hac humilitate Beatus Gregorius in Homilia Dominicæ 4. Aduentus Domini sanctum Ioannem ita commendat, dicens; Ecce Ioannes prophetiæ spiritu plenus, mira scientia emicat, & tamen illud de te innuit, quod ignorat, cūdicit: cuius nō sum dignus corrigiā calceamenti soluere, qua in re nobis pensandum est, fratres charissimi, & tota intentione cogitandum, quo modo sancti viri, vt humilitatis in se virtutem custodiant, cùm quædam mirabiliter sciunt, illud ante mentis oculos studeant reuocare, quod nesciunt, vt dum ex parte aliqua infirmitatem suam cōsiderant, ex parte, qua perfectus est, eorum se animus non extollat. Scientia etenim virtus est. Humilitas etiam custos virtutis. Restat ergo, vt in omne, quod scit, sese mens deprimat, ne quod virtus scientiæ congregat, ventus elationis tollat. Cùm bona, fratres, agitis, semper ad memoriam malè acta reuocate, vt dum cautè culpa conspicitur, nunquam de bono opere incautè animus lætetur. Superiores inuicem, eos maximè, qui vobis commissi non sunt, proximos vestros attendite, quia & quos agere aliqua praua conspicitis, quæ in eis lateant bona nescitis magnus ergo esse vnus quisque studeat, sed tamen aliquo modo esse nesciat, ne dum sibi magnitudinē arrogāter tribuit, amittat. Hìc etenim Propheta dicit: *Væ qui sapiētes estis in oculis vestris, & coram vobis metipsis prudētes.* *Esai. 21.* *Rom. 12.* Hinc Paulus ait: *Nolite esse prudentes apud vos metipsos.* Hinc contra superbientem Saul dicitur. *Cùm esses paruulus in oculis tuis, caput in Israel factus es.* Actia pertè diceretur. Cùm tu te paruulum conspiceres, ego te præ cæteris magnū feci, quia verò tu te magnū conspicis, à me paruus ęstimaris. Quo contra Dauid cum Regni sui potentiam corā Arca Domini saltādo, despiceret, dixit. *Ludam, & vilior fiam, plus quàm factus sum, & ero humilis in oculis meis.* *1. Reg. 15* *2. Reg. 6.* Quē enim non extolleret, ora leonum frangere, vt eorum brachia dissipare, despectis prioribus fratribus, eligi, reprobato Rege ad Regni gubernacula vngi, timendum cunctis vno lapide Goliam sternere, à Rege præposita extinctis Allophilis numerosa præputia reportare, Regnum ex promissione precipere, cunctumque Israeliticum populum sine vlla post modū contradictione possidere? Et tamē in cūctis se despicit, qui in suis oculis se esse humilem confitetur. Si igitur sancti viri, etiam cum fortia agunt, de semetipsis vilia sentiūt quid in sui excusatione dicturi sunt, qui sine opere virtutis intumescūt? Sed etsi quælibet adsint opera, nulla sunt, nisi ex humilitate cōdiantur. Miranda quippe actio cum elatione non eleuat, sed grauat. Qui enim sine humilitate virtutes cōgregat, in vento puluerē portat, & vnde aliquid ferre cernitur, inde deterius ęcątur. In cūctis ergo, quęagitis fratres mei, radicem boni operis, humilitatē tenete, nec quibus iā superiores, sed quibus adhuc inferiores estis, aspicite. Vt dum meliora vobis exēpla proponitis, ad maiora semper ascēdere ex humilitate valeatis. Hæc ille: hāc igitur regulam seruus Beatæ Virginis MARÍÆ, sicut & ipsa, tenere studeat, vt sic cum ea in æternum exaltari valeat.

Nona Stella, siue virtus serui Beatæ Virginis est, quòd debet esse pius.

PIus: qui enim ad beneplacitum suū seruire desiderat Matri pietatis, & misericordię, necesse est, vt & ipse sit pius, & misericors. Cùm ipsa sit refugium misericordū, & auertat illos misericordiæ oculos ab eo, quem viderit immisericordem, cum talis vir, aut mulier sit omnino ei dissimilis. Si enim manus tua vacua fuerit ab operibus misericordiæ factis ad honorem ipsius, qua irreuerētia ab ea misericordiam flagitare præsumes? Quapropter sciēdū, quòd pietatem humanam suadet natura. Omnes enim homines vnius naturæ sumus. Quamobrem pœnes omnes pietatis opera sunt exhibenda. Vnde Seneca in Tyeste: nulla vis maior pietate: verum est, quos cumque enim verus amor tenuit, hos pietas tenebit, quasi diceret, quòd hi alios nōamāt, nisi pietatis officio eos confoueant. Attendamus enim, quoniam qui pius est alijs, pietatē pro se ipso impetrat. Vnde Valerius libro 5.

Hu-

Humanitatis, inquit, dulcedo, & infrænata barbarorũ ingenia penetrat, & oculos hostiũ mollit, & inter districtos mucrones placidum iter reperit. Nulla, inquit, acerbitate fortunę nullis sordib⁹ pretiũ humanitatis erubescit. Vnde ibidẽ de quadãmuliere narrat, quę apud tribunal capitali crimine damnata in carcere necanda fuit. Sed carceris custos, pietate motus nõ eã protinus strãgulauit, præfatęq; mulieris filiã ipsam adire permisit, sic tamẽ, vt nullus cibus ei ministraretur. Transactis autẽ pluribus diebus, mirabatur carceris custos, quare mulier nõ moreretur, sed animad uertit, quòd filia sua suo vbere matrem sustẽtabat. Quę pietas cũ iudicibus innotuit, præfatæ mulieri veniã impetrauit. Nihil igitur propitius, vt delictorum venia obtineatur, quàm pietatis exercere opera seu opem impẽdere, prout charitas exigit. Tullius in Rethorica prima pietas est, per quam sanguine coniunctis, patriæque beneuolis officium, & diligens cultus tribuitur. Vnde narrat Valerius, quòd cùm quidam adolescens accensus esset amore filię cuiusdam tyranni. Cõtigit, quòd sibi publicè obuians, publicè osculatus eam fuit. Præfati igitur tyranni vxor suadebat, vt capitali supplicio puniretur, cui tyrannus. Si eos, inquit, qui nos amant, interficimus, quid hisfaciemus, quib⁹ odio sumus. Hæc enim vox tyranni de humanitate manauit. In hunc itaq; modũ filiæ tulit iniuriam, & multò laudabiliùs suam. Igitur illi se homines non dicant, qui pietatem humanitati debitam non habent. Nõ debet putari magnitudo animi virtus, sed crudelitas, si comes nõ fuerit pietas. Vnde Tullius libr. 1. de offic. Porro magnitudo animi remota cõiũctione, & pietate humana, feritas quædam, & immanitas est. Et ibidẽ, lib. 3. Sicut quædã mẽbra amputantur, si languere, & spiritu carere incipiunt, ne noceant reliquis partibus corporis, sic in figura illa hominis feritas, & inhumanitas belluæ, à communi humanitate segreganda est. Nam pietate humana conditio conseruatur, & indignatus homo mitigatur. Nã teste Horatio in epist. Nemo adeo ferus, qui non mitescere possit. Item ex prouerbijs sapientiũ. Optimũ est semper ignoscere, tanquã si ipse quotidie pecces. Res, inquit, magnę clementiæ est indulgendo peccata, potiùs quã iudicando corrigere. His autem præcipuè iudulgẽdũ est, quibus adest sincera veniã petẽdi humilitas. Vnde Ouid. li. 5. de tristib.

His precor exẽplis tua nũc fortissime Cæsar.
Fiat ab ingenio mollior ira meo.
Ira quit iusta, sed nec meruisse negabo, &c.
Sed nisi peccasset, quid tu contendere posses,
Materiam veniæ, sors tibi nostra dedit.
Si quoties peccant homines, sua fulmina mittat.
Iuppiter, exiguo tempore inermis erit.

A Ex his Philosophorum dictis discat seruus B. Virginis pietatem colere, maximè cùm ipsa ex sua humanitate pia, & dulcis meruit nominari. Vnde Bernar. Quid ad MARIAM accedere trepidat humana fragilitas? Tota suauis est, &c. Vnde Cã 6. dicit ei filius. *Pulchra es amica mea, suauis & decora.* Quam suauitatem recolere, & collaudare debemus ingiter, iuxta illud Psal. 144. *Memoriã abũdantiæ suauitatis tuæ eructabunt, &c.* Propter hanc suauitatem dicitur ei ab Ecclesia. Speciosa facta es ad intuendũ, & suauis ad tãgendum in delicijs tuis sancta Dei genitrix. *Cantic.* 6. *Psa.* 144.

Decima stella, siue virtus serui B. Virginis est, quòd erit patiens.

B PAtiens ad contumelias verborum, vt pro honore ip sius patienter toleret subsannationes impiorum, & bibat exemplo Iob 30. *Subsãnationem, sicut aquam.* Nec respõdeat contumelijosis, quia seruum Dei, vel ipsius MARIÆ non oportet, *litigare sed mansuetum esse ad omnes* 2. Thim. 2. Item ad damna rerum temporalium, vt dicat cum Iob 1. cap. *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Item ad læsionem membrorum. Et hæc patientia perfectior est duabus primis: Hanc exhibuit Christus, dicens: *Corpus meum dedi percutientibus, &c.* Item ad angarias operum. Mat. 5. *Quicumque te angariauerit, &c.* Itẽ ad tribulationes, quæ nobis infert caro nostræ. Iacob. 1. *Beatus vir qui suffert tentationem, &c.* Item ad contemptum mundi, vt possit dicere filio, & matri. *Propter te sustinui opprobrium.* Item ad ægritudines corporales, vt dicat cum Iob 6. *Quis det, vt veniat petitio mea, & quod expecto tribuat mihi Deus, & qui cæpit, ipse me conterat. Soluat manum suam, & succidat me, & hæc sit consolatio mea, vt affligens, me dolori nõ parcat.* Gregorius: Dei misericordia agitur, vt pœna culpam sequatur, & vis doloris sit causa salutis, & quia Beatus. Ergo tu qui corriperis, si vis esse beatus increpationem Domini ne reprobes, & consequeris sex fercula, quæ promittuntur. Iob 5. Vbi dicitur ei. *Beatus homo, qui corripitur à Domino. Increpationem ergo Domini non reprobes, quia ipse vulnerat, & medetur, percutit, & manus eius sanabunt. In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum. In fame eruet te de morte, & in bello de manu gladij. A flagello linguæ absconderis, & non timebis calamitatem cùm venerit.* Vbi nota, quòd sex bona facit hæc correctio. Quia ipsa vulnerat carnem, & medetur animæ. Eccl. 31. *Infirmitas grauis sobriam facit animam, & medetur visitatione, vel gaudiorum infusione.* Percutit, & manus eius sanabunt, quia percussionis eius sunt sanationes. Vnde dicit: *Ego occidam, & ego, &c. Insex tri-* *Tessa.* 2. *Thi.* 2. *Iob* 1. *Esai.* 50. *Matt.* 5. *Iacob.* 1. *Psal.* 68. *Iob* 6. *Iob* 5. *Eccles.* 31. *Deut.* 32. *Iob* 5.

tribulationibus, scilicet huius mũdi *liberabit te, & in septima*, quę erit in iuditio *nõ tanget te malum*. In fame, id est, in corporali inedia eruet te de morte peccati, & gehẽnæ, mortẽ induxit comestio illicita, & à morte eruit Dominus in penuria cibi, & potus, & in bello cõtra tres hostes de manu gladij, id est, de potestate peccati. Eccles. 21. *Quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas*. A flagello linguæ malorum absconderis: Glossa, Liberaberis, vel linguæ, id est, sententiæ Dominicæ, & nõ timebis calamitatẽ, cùm venerit. Ex prędictis igitur patet vtilitas tribulationis, & correctionis. Vnde sicut in vitis Patrũ legimus, cũ quidã frater requisisset senẽ, dicẽs: Dic mihi rẽ, quã custodiã, & saluer per ipsam. Respondit ei: Si potueris sufferre iniuriã, & afflictus cõuicijs supportare, & tacere; magna est hęc res super alia mãdata. Ibidem: Quidã frater dũ ab alio iniuriaretur, venit & nũciauit seni, cui ille respondit: satisfac cogitationi tuæ, quoniã nõ vult te iniuriari, sed peccata tua sumit. Nã in omni tẽtatione, quæ te cõtingit per hominẽ, ne arguas eũ, sed dic: quia propter peccata mea hoc mihi contingit. Interrogãtibus quibusdã fratribus Abbatẽ Moysẽ sermonẽ. Ille exhortatus est discipulum suũ, vt eis aliquid diceret: tunc ille pallium suum deposuit sub pedibus suis, dicens, nisi quis sic fuerit cõculcatus, monachus esse nõ potest. Abbas Macharius dicebat, ille verus est monachus, siue seruus B. Virginis, qui se in omnibus vincit. Nã si alitũ arguens ad iracundiã mouẽtur, quis propriã passionẽ implet? Nec enim est lucrum, vt alterũ quis saluet, & seipsũ debeat perderẽ? Boetius lib. de consol. Ego plus hominibus reor aduersam, quã prosperã prodesse fortunã. Illa semper speciẽ felicitatis blanda mentitur. Hæc semper vera est. Illa fallit: hęc instruit, postremò felix à vero bono blãdimẽtis deuios ducit; aduersa plerũq; ad vera bona reducens vnco retrahit. Idem, illata iniuria non accipientis, sed inferentis miseria est. Vnde Socrates dicebat: Quisquis volet, tibi contumeliã faciat, & iniuriam: tu tamen nihil patieris. Si modò tecum erit virtus. Habeat ergo seruus B. Virginis patientiã in aduersis, & iuxta sententiã Saluatoris nostri, in patientia possideat animam suam.

Stella vndecima, siue virtus serui B. Virginis est, quòd erit honestus.

HOnestus: siue modestus, vt seruus B. Virginis non ambulet in magnis, nec in mirabilibus super se, sed modestia eius *nota sit omnibus hominibus*, ad Philip. 4. & suã domiPhilip. 4 nã in hac virtute imitetur. Si enim compositus miles cõpositã debet habere familiam, sicut dicit Hieronymus: multò fortiùs Regina paradisi. Est autem modestia modum tenere in omnibus, scilicet, in verbis, quia *tẽpus tacẽdi, & tempus loquẽdi*. Eccl. 3. Prou. 18. *Qui moderatur sermones suos, doctus & prudens est*. In vestibus, & cibis, vt habentes alimẽta, & *quibus tegamur, non ornamenta, his contẽti simus*. 1. Thi. 6. Modestè igitur, ac honestè, & maturè in omnibus moribus suis seruus B. Virginis se habeat, vt in omnib⁹ moribus suis nihil fiat, quod cuiusquam offendat aspectũ. Vt enim quidam ait. Decet verũ Dei cultorẽ & seruum B. Virginis incessu pedum, in aspectu, & depressione oculorũ, in prolatione verborũ, in simplicitate vestimentorũ, in vilitate ciborum, in omni grauitate morũ effigiẽ sanctitatis intuentibus præferre, vt nihil appareat in eo, quòd possit offendere intuentes. Nam secundũ Aristotelem virtuosus est mensura omniũ humanarum conuersationũ. Et oportet sanctos habere testimoniũ ab his, qui foris sunt, vt sint Christi, & Matris eius bonus odor in omni loco, vt nec mali habeãt, quod reprehẽdãt in nobis. Cognoscũtur enim interiora nostra per exteriora, & qualis sit interior homo, in exteriori probatur. Vnde Ambros. lib. de offic. est in ipso motu, gestu, & incessu tenenda verecundia. Habitus enim mẽtis in corporis statu cernitur, & corporis motus vox est quædã animi. Licèt igitur, vt ibidẽ dicit, interdũ ioca suauia sint, tamen ab ecclesiastica aberrãt regula. Nec solũ profusos sed etiãomnes iocos arbitror esse declinãdos.

Hęc ille: vnde Apost. ad Phil. 4. *Modestia vestra, &c.* vt supra, & sequitur: *de cæterofratres, quæcũq; sunt vera, quæcũq; iusta, quæcumque pudica, quæcumque sancta, quecũq; amabilia, quæcumque bonæ conscientiæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate, & quæ didicistis, & quæ accepistis, & audistis in me, hoc agite, & Deus pacis erit vobiscũ*. Vnde Cyprian. Quis tam stultus est, vt eũ dicat sapientẽ, cuius vita est dissoluta, mala, & enormis? Omnis enim dissolutio ex insipientię radice manat. Aristip. Phil. interrogatus, quid sibi studiũ Philosophiæ proficeret? respondit vt sciã in omnibus securè, & intrepidè fabulari, & honestè cõuersari. Isidor. lib. Soliloqu. Philip. 4

Professionẽ tuã habitu, & incessu demõstra, sit in gestu grauitas, incessu honestas, nihil lasciuię, nihil dedecoris, nihil petulantię, nihil insolentiæ, nihil leuitatis in incessu tuo appareat; mores hominis lingua pandit. Qualis enim sermo ostenditur, talis & animus cõprobatur. Hęc ille, ad honestã cõuersationẽ hortatur nos. Ab. Isaac: dicẽs: Decet monachũ, præcipuè seruum Beatæ Virginis in omnibus rebus suis formam humilitatis habere, vt ex multis virtutibus eius fulgẽtibus, sicut radij prospiciẽtes inimici veritatis etiã inuiti cõfiteantur, quòd sit Christianis certe spes salutis, & tãquã refugiũ vndiq; cõcurrãt ad Deũ & cornu Ecclesiæ exaltetur contra inimicos suos: & multi moueantur ad virtutis zelum

Eccl. 21.

Eccl. 3. Prou. 17

1. Thi. 6.

&

& recedant à seculo, ipséque fiat venerabilis ex pulchritudine conuersationis suæ. Decet itaque monachum pulchros habere gestus ex omni parte sui, præter multarum visibiliũ certissimam priuationem rerum, omnimodum carnis contemptum, altum ieiunium, constantiam, quietudinem, temperantiam sensuum, visus custodiam, omniumque membrorum, & in rebus, huius seculi abstinentiã, breuitatem in verbis mulierum, in recordatione munditiam, cum discretione simplicitatem, scire, quòd hęc vita superflua sit, & inanis, & quòd propè est illa vita spiritualis, & vera. Non ligare seipsum amicitijs, & vnioni hominis alicuius, habere locum habitationis tranquillum, fugere homines, & indesinenter permanere in orationibus, non habere ambitionẽ, nec gaudere xenijs, nec ligare seipsum amore huius vitę. Tentationes viriliter sustinere, alterari à mundanis affectibus, & interrogatione rerũ ipsarum continuè curare, ac meditari in regione veritatis. Habere vultum pallidum, & rugosum, lacrymari nocte, dieque, & plus his omnibus diebus custodire propriam castitatem, esse mũdum ab ingluuie, vẽtris, & à paruis etiam, & à magnis. Hæ sunt virtutes monachi sub compendio dictæ, quæ sibi testimonium perhibent de omnimoda mortificatione sua in mundo, & propinquitate eius ad Deum. Decet ergo seruum Beatæ Virginis de his curam semper gerere, & opere implere. Hæc Abbas Isaac.

Duodecima Stella, siue virtus serui Beatæ Virginis est, quòd erit constans, & perseuerans.

COnstans, & perseuerans: Beata Virgo volens nos obtinere victoriam, vt peruenia mus ad coronam, sciẽs, quia *nõ coronabitur, nisi qui legitimè certauerit* 1. Thim. 2. procurat fortè bella, & tentationes amatoribus suis, & ipsos quandoque permittit tribulari, sed *facit cum tentatione prouentum, vt valeant sustinere.* 1. Cor. 10. Et eis virtutem subministrat, vt sic peruenĩãt ad coronã: Nã ipsa est, quæ precibus suis, meritis, & exẽplis dat lasso virtutem, & his, qui non sunt secũdũ suam reputationem, ideſt, humilibus, *fortitudinem, & robur multiplicat.* Esai. 40. Id circo de ipsa potest intelligi illud. Sap. 10. *Certamen fortè dedit illi*, id est, amatori suo, *vt vinceret*, & coronam acquireret, quæ solis victoribus tentationũ promissa est, vt sciret per experientiam, *quoniam omnium potẽtior est sapientia*, id est, MARIA, quę emphaticè dicitur sapientia. Fortitudo igitur, siue constãtia, vt illa crebriùs libro primo ait, est animum supra periculum erigere, nihilque sibi quàm turpia metuere, fortiter tolerare aduersa, & humiliter prospera. Qui enim hac virtute çaret, nullam in suis operibus prosperitatẽ obtinebit. Nam per ipsam constantiam, siue perseuerantiam Martyres præualuerunt, Cõfessores, & monachi vsque ad obitũ perseuerauerunt, & Principibus dominari meruerũt. Maffeus quoque Vegius singulari facundia, & sermonis elegãtia perseuerantiã cõmendãs ita ait: non est aliqua virtutum tam insignis, & excellens, quæ sine hac quasi omnium nutrice laudem aliquam cõsequatur, quæ si hac virtute careat, pulchritudinem vllam habere videatur. Hanc omnes virtutes colunt, & venerantur, hanc omnes & matrẽ, & magistrã, & ducem, & Dominam vno ore confitentur huius omnes inclinant colla, & subditę famulantur. Hæc ipsum Saluatorem nostrũ Iesum Christum superata crudelissima, immanissimaque morte, proculeatoquè, baratro ad cœlos glorioſum euexit: hæc Apostolos glorioſos fecit. Hęc Augustinum, & Hieronymum. Hæc cunctos sacræ doctrinæ Doctores sublimauit. Hęc Laurentiũ, atque reliquã innumerabilẽ Martyrũ turbam exaltauit. Hæc coronauit Virgines, extulit Viduas, illustrauit Cõfessores, hæc Monachos, hæc sanctos Sacerdotes, hæc seruos B. Virginis beatos in æternum effecit. Hæc Heliſęo suscitandi à morte puerum virtutem dedit. Hæc Heliam curru igneo in cœlum tulit. Hæc Iob summã virtutem cunctis ostendit: Hæc Abraham sanctificauit. Hæc Ioseph Ægyptiaca fame præfecit. Hæc Moisem Deo coniunxit. Hanc, quoniam populus, quem ducebat, cõtempſit, grauibus ideo sæpe malis afflictus est. Hanc quoniam dereliquit Saul, & Regno simul est priuatus, & vita, ablatæ Sanſon vires. Salomoni sapientia, damnatus Iudas. Detrusus in æterna supplicia Iulianus Apostata. Pulsi ex paradiſo primi parentes, priuati cœlo superbiſſimi dęmones, in infernamque abyſſum irrevocabili sentẽtia demersi. Hãccentra cœli, & sidera, quęnunquã accurſu suo ceſſant, cõfiteri videntur. Hãc terra, quę nunquã parca est, alimenta invſus hominum proferre recognoſcit. Huic mare, & flumina, quibus est continuus semper fluxus, obtemperãt. Huic cũcta denique elementa, quæ nunquã pigra, nũquã feſſa, neceſsitates adiuuant humanas, aſsiduè obſequuntur. Hęc puerũ decet, iuuenẽ cõmẽ mẽdat, in ſene neceſſaria eſt, in viris pulchra, in fœminis admiranda. Hæc ægrotis conſolationem, valentibus affert iucunditatem, egẽtes paſcit, opulentos continet, ſobrietati conſulit, amicitias confirmat, diſcordias ſedat, lites fugat, odia extirpat, ſcandalis obuiat, linguæ impetũ compeſcit, ac ante omnia dæmonũ inſidias, & fraudes detegit, & eorũ audaciam proſternit. Hæc ille: item de perſeuerantia ſanctus Bernardus. Perſeuerantia virtutum ſola coronatur, perſeuerantia ſola meretur virtutis gloriã, coronã virtutibus, prorſus abſq; perſeuerantia, nec qui pugnat victoriam

1. *Thim.* 2

1. *Cor.* 10

Esai. 40. *Sap.* 10.

riã, nec palmâ victor consequitur vigor omniũ virtutum, & cõsummatio est. Nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium. Soror est patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, vnitatis vinculum, propugnaculum sanctitatis. Tolle perseuerantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Denique non seruus Beatæ Virginis, qui cæperit, sed qui *perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.*

Matt. 10

FINIT LIBER, QVI DICITVR Corona Beatæ Virginis.

SErmones possunt formari precipuè de Beata Virgine, & etiam alijs festiuitatibus ex Stellis Coronarum Beatæ Virginis supradictis, & pro forma habentur aliqui inferiùs annotati. Numerus verò hic positus numerum coronarum & stellarum significat.

Sermo de Natiuitate Domini, Septima Stella primæ Coronæ & Nona Stella, Sermo in Epiphania Domini. Vndecima Stella, Sermo in Purificatione Beatæ Virginis. Ibidem Sermo in Annunciatione Beatæ Virginis. Quarta Stella 2. cor. De eodem, Secunda Stella 4. coron. De eodem, Sexta Stella. De eodem, Septima Stella 7. coro. De eodem, Sexta Stella 10. cor. In die Paraseeue, Sermo de Beata Virgine. Vndecima Stella 2. cor. Sermo in Visitatione Beatæ Virginis. Vndecima Stella 9. cor. De eodem. Ibidem. De eodem. Septima Stella 10. cor. Sermo in Assumptione Beatæ Virginis. Sexta Stella 2. cor. De eodem. Ibidem. De eodem. Duodecima Stella 8. cor. De eodem. Vndecima Stella 9. cor. Sermo in Natiuitate Beatæ Virginis. Quinta Stella 7. cor. De eodem, Octaua cor. stel. 1. De eodem. Decima Stella 9. cor. De eodem. Quinta Stella 7. cor. De eodem. Octaua Stella 10. cor. Sermo in festo Præsentationis Beatæ Virginis. Septima Stella 6. cor. Sermo in Conceptione Beatæ Virginis. Secunda Stella 1. cor. De eodem. Quarta Stella 4. cor. De eodem. Septima Stalla 9. cor. Ibidem. De eodem. Secunda Stella 10. cor. Ibidem. De eodem. Ibidem. Sermo communis de Beata Virgine. Duodecima Stella 11. coro. Sermo in festo corporis Christi. Quarta Stella 11. cor.

Potest autem diligens Lector plures Sermones inuenire in Stellis supradictis.

ANONYMVS

CORONA B. V. MARIAE.

NOTA.

PRæcedentis Coronæ *Author Anonymus, istius item. Illa licèt antiqua, loco, tempore, & Typographo careus, excussa tamen erat; at hæc illa vetustior, neque lucem vidit vnquam, nec, quod sciam, ab vllo Ecclesiæ Doctore visa, vel citata reperitur. Splendidissima illa ex duodecim contexta Coronis, quam centum quadraginta quatuor ornant, & illustrant ex scientiæ, laboris, studij, atque deuotionis firmamento mysticæ, stellæ, & in qualibet ipsarum mille radij, ac laudum, & encomiorum intemeratæ Virginis splendidissimæ vniones refulgent. Hæc verò duodecim decorata lapidibus pretiosis, sex insignita præclarissimis cœli luminaribus, atque è sex pulcherrimis terræ floribus mirabiliter conserta prodit in lucem, vt sic viginti quatuor Seniores non tam ante thronum, & ad pedes Agni proprio sanguine rubicundi, quàm ad caput ouiculæ matris candidum, & lacte lotum, neque in terram, vt ex ipsius terræ thesauris eductam, sed veluti è cœlestibus fodinis elaboratam, Sacratissimæ Reginæ omnium Mariæ ornando vertici, ad cœlum ipsum remissiè viderentur. Hoc sanè indicant mirum deuotionis lenocinium, quo phalerata procedit, viscerosa pietas, cordialis affectus, ac melliflua*

dul-

dulcedo, quibus vsque eò resperſa gloriatur, vt in nullis, vel ſanctorum Patrum, vel Doctorum ſcriptis hactenus legerim, quod vel dulciùs legentis animum rapiat, vel ad Virginis deuotionem inflammet ardentiùs, quando & à verborum cultu, & ab eloquij puritate non nihil videtur aliena. Præcedentẽ quidem Coronã, quia in ea de D. Bernardo, & de Ciſtercienſibus Monachis fit mentio, alicui ipſius Ordinis Venerabili Patri eam adſcripturus fuerã libentiſsimè, ſi R. P. Arnoldus de Vuione, tom. 1. arboris vitæ, lib. 1. fol. 77. inter ipſius Ordinis Scriptores alicuius meminiſſet, qui B. Virginis Coronam exaraſſet. Sed longam animi hæſitationem ex perlectis Nomenclatoribus eatenus non ſublatam depoſui ob repertum Authorem noſtrum Danielem Agricolam. Iiſdem modò difficultatibus inuoluus adduci non poſſum, vt hanc cuidam Dominico Carthuſienſi adſcribam, quem Poſſeuinus, tom. 1. fol. 482. & Theodorus Petreius in ſua Bibliotheca Carthuſiana, fol. 86. teſtantur, volumen ſcripſiſſe Coronæ B. MARIÆ, & in ea vitam ipſius lapidibus pretioſis comparaſſe; propterea quòd in hac Corona de ipſius Virginis vita verbum nullum. Veriſimiliùs laudandus videretur Tilmanus Dulmanienſis Veſtphalus Ordinis D. Auguſtini Canonicus, à quo Geſnerius, & idem Poſſeuinus, tom. 2. fol. 497. ſcriptum aſſerunt volumen de laudibus Beatiſsimæ Virginis, prænotatum Corona Virginis, quod ipſum legitur in fronte, & calce iſtius opuſculi. Sed ſpirat hæc Corona neſcio quid auguſtius, quid ſanctius redolet, & nobiliorẽ videtur trahere originem. Cùm igitur neque in Bibliotheca Mariana manuſcripta D. Antonij de Leon Pinelli Supremi Regij Senatus Indiarum Relatoris Primi, ac inter Virginis deuotos nulli ſecundi inter Scriptores Coronarum ipſius cœlorum Imperatricis huius Coronæ veſtigium reperiſſem; ſi in re tam obſcura loqui fas eſt, & propriam ferre ſententiam, Coronam hanc Vm ſoli Ildefonſo Toletano Archiepiſcopo, cuius vita inclyta, doctrina ſingularis, & feruentiſsima in Virginem deuotio cunctas Hiſpaniarum illuſtrat Eccleſias, adiudicandam cenſeo. Moueor primò, quia in S. Eccleſiæ Toletanæ Bibliotheca, Pluteo, ſeu arca 1. nu. 13. antiquiſsimis ſcripta characteribus inuenta eſt, atque è reconditiſsimo illo Sacrario tranſcripta. Secundò, quia in eodem Codice, vbi hæc Corona extat, alia reperiuntur eiuſdem S. Ildephonſi opuſcula ſub eius expreſſo titulo, & nomine, nunquam aliàs typis mandata, quæ fœtum eſſe ſanctiſsimi Præſulis nemo, qui ſapiat, dubitauerit, quæque in littera I. & tom. 4. publici faciam iuris ad ipſius Virginis laudem, & gloriam. Tertiò, quia papyrò, characteribus, notis, attramento, ac manu eiſdem exarata dignoſcitur. Quartò, (eſtque mihi ratio potiſsima) quia certo certius eſt, Ildephonſum calamo, & ſcriptis Virginis puritatẽ & honoraſſe impenſiùs, & acriùs defendiſſe. At verò huius Coronæ ſtylus non ſolùm Ildephonſi illum ipſum redolet, verùm & ſynonima, ac vocabula ex operibus eius impreſsis, vt plurimùm, ex imprimendis verò paſsim tranſcribit. Quintò, quia Nomenclatores omnes plura alia, præter ea, quæ extat, cura, induſtria, & labore noſtri Fratris Franciſci Feuardentij Franciſcani, & Doctoris Pariſienſis typis mandata, ac præcipuè de B. Virgine proſa, & verſu à B. Ildephonſo ſcripta fuiſſe vnanimiter teſtantur, in hac verò Corona quàm plurimi verſus reperiuntur. Neque verò me terret, quòd in hac Corona nonnullæ citentur authoritates, & proſæ cuiuſdam pij Doctoris, vel Virginis deuotiſsimi, ſuppreſſo eius nomine, vt præcipuè in cap. 17. quæ in S. Bernardo ad literam extant in S. Anſelmo Cantuarienſi, & in Adamo de S. Victore apud Iodocum Clictoueum Neoportuenſem, ipſe verò S. Bernardus & piiſsimus, & per Antonomaſiam Deuotus ipſius Virginis

nis

nis nuncupetur. Hinc enim necessariò non, fit, Coronæ Authorem post Bernardum, Anselmum, atque Adamum vixisse. Quandoquidem ipsissima illa verba, vt præclarè ad rem facientia ex Ildephonso Hispaniarum Sole, & Ecclesiæ sydere fulgentissimo Bernardus, Anselmus, & Adamus, vel ex S. Ignatio, seu alijs antiquioribus Patribus, sicut & ipse Ildephonsus fecerat, transcribere potuerunt. Sextò, quia D. Antonius Cabreros V. I. D. celeberrimus, & mirè eruditus, cùm pluries hanc Coronam relegisset, atque cum Ildephonsi scriptis contulisset, constantissimè censuit, eam Ildephonso assseueranter tribuendam; quod idem affirmarunt plerique ex nostra familia grauissimi Patres. Consului tandem D. Philippum de Grassis Præsbyterum Messanensem, ac S. Theol. D. cuius ope, vt in Romana Curia versati, in interpretandis Gothicis characteribus vsus sum plurimùm, qui ita rescripsit. Nisi penitus desipio, in hac sum sententia, quòd flammæ è Corona erumpentes linguis suis, & quæ inde fluunt, lac, & mel vbertate sua historiolæ huius Diuinonaturalis Authorem Christianum Plinium à Vesuuio charitatis, simul & à torrente potatæ voluptatis feliciter absorptum satis superque declarant; atque adeo præ ceteris, quos scimus Virgineo vbere lactatos, vel igne succensos, Bernardo, vel Ildephonso adscribendam conuincunt. Stilus verò, & elocutio, ac versus Leonini, Gothismum redolentes Bernardo Ildephonsum anteponunt. Quid si Hispanus Cotta propterea quòd sumpta virili Magistratus toga protinus, vt è Capitolio descendit, Heluidium, à quo mater eius Virgo corruptionis damnata fuerat, peractum reum totius Hispaniæ exilio affixerat, velut prostratæ hæresis trophæo, cœlesti sago donatus, Corona hac Virginem voluit redimire, vt gratus miles Imperatricem suam, cuius vicerat auspicijs, atque viribus, honestaret? Vt vt sit, in dubio fauendum Patriæ. Detur igitur Toletanæ Ecclesiæ Hispaniarum Primati hæc Corona, qua inter Virginis deuotas felicissimè regnet, sicut & Virgo ipsa Nationi Hispanicæ illam aliam reseruauit, vt si non prima, certè omnium acerrimè pro eius illibata Conceptione pugnaret, ac post victoriam omnium festiuissimè triumpharet. Si hæc non te monent, Lector, deuotioni, ignosce, & pietati, quòd Coronam hanc D. Ildephonso adiudicem, dum verus, & legitimus appareat Pater.

INCIPIT PROLOGVS IN CORONA BEATÆ Virginis MARIÆ.

Eccl. 42. *Corona aurea super caput eius expressa signo sanctitatis.* Gloriosæ Virginis Imperatoriam Maiestatem omnium virtutum gloria decoratam, Margaritis omnium charismatum adornatam, sapientiæ, & scientiæ illustratam laudare, benedicere, & prædicare docent Scripturæ: hortantur creaturæ; monent figuræ; penèquè omnis scientiæ Theologicæ, sacræ paginæ. Ad hoc etiam incitamur per signa mirifica; per oracula de cœlo lapsa, per occulta mysteria, per doctrinã prophetica, per significationem misticam, per lectionem Euangelicam, per Apostolicam tubam. Iam enim laudant eam cœli cœlorum, Sol, & Luna, & Stellæ, & lumen, totus orbis terrarum; chori, & legiones Angelorum, & omnes phalanges spirituũ supernorum, qua propter Spiritu Sancto inspirati, Dei homines ex omni natione, quæ sub cœlo est, conati sunt illam extollere mirandis laudibus, deauratis eloquijs, sermonibus rutilantibus, & præclaris. Ego verò, cui tam opulenter, ac splendidè non sunt data dona charismatum, illam ex infusa scintillula elucidabo, vel pro posse licèt balbutiens vernulam demonstrabo, ne ingratus inueniar ad vbertatem eius deguſtatã. Vt autem iuxta verbum prælibatum eius sanctissimus vertex ornatu ampliori refulgeat, impono illi quandam Coronam auream, duodecim lapidibus insignitam, sex præclaris lucibus splendidam, sex floribus pulcherrimis odoriferam, & omni suauitate respersam. Ordo autem situationis hanc seriem continebit. In primo loco inseram Topazion, in 2. Lucanum, in 3. Sardium, in 4. Lilium, in 5. Calcedonium, in 6. Ar-

Arturum, in 7. Saphirum, in 8. Crocum in 9. A Achatem, in 10. Sydus marinum, in 11. Iaspidem, in 12. Rosam, in 13. Carbunculum, in 14. Solem. in 15. Smaragdum, in 16. Violam, in 17. Amethystum, in 18. Lunam, in 19. Chrysolitum, in 20. Solsequium, in 21. Chrysopasum, in 22. Orionā, in 23. Beryllum, in 24. Camamillam. Vt tam ex pretiosis lapidibus, quàm ex luminaribus fulgentibus, quàm etiam ex decoris floribus Corona insignius nobilitetur, pulchrificetur, & decoretur, & à Domina placentiùs, & gaudentiùs acceptetur. Vnde rogo te, Alma Virgo mundissima, syncera, & clarissima, Regina nobilissima, vt hoc tantillum seruitij gratanter suspicias, tua gratia, sub tuo præsidio me B suscipias, & omnibus ereptum periculis, quandoque choris Angelicis me coniungas. Filijs verò gratiæ hic te glorificantibus, vel tuam opem poscentibus te exhibeas, rogo, placidam, ac serenam, tuo obtentu mereantur veniam de peccatis. Tuo ducatu perueniant ad gloriam Paradisi, Amen.

Ostenditur, qua ratione Corona hæc nostræ Dominæ esse debeat, Cap. 1.

IN desiderio animæ meæ, in gaudio Spiritus Sancti, in charitate non ficta, in verbo veritatis te cupio extollere, te laudare, te benedicere. Virgo Sole speciosior, aspectu pulchrior, fide, & gratia vernacior. Cùm sis pulcherrima, & serena, clara, fulgēs, & amœna, amabilis, velut rosa, placēs, grata, & speciosa. Verū tanta est dignitas tua, & excellentia, quòd si ad laudandum, & glorificandum te linguis hominum loquar, & Angelorum, & nosscrem omnia arcana mysteriorum, haberemque & omnem scientiam scripturarum: prius mihi deficeret virtus, & potentia, quā tantorum præconiorum eorum exordij forent explicata ad liquidum elementa. Tu enim es incomparabilis cunctis mulieribus in pulchritudine, in decore, & in elegantia: clarior omnibus hominibus in virtute, gratia, & sapientia; glorioſior Angelis, in eminentia D dignitatis, in excellentia dignitatis, in adeptione gloriæ, & honoris. Exaltata super choros Angelorum, super Thronos Apostolorum, & Prophetarum, omniumquè ciuium supernorum, ad dexteram amantissimi Filij tui coronata resides, ibi tua merita recitantur, tua præconia gloriosè extolluntur, tuæ laudes, & prærogatiuæ venerabiliter, & deuotissimè ab omnibus prædicantur. Quid ergo miser, & peccator addere possum ad tàm ineffabilia? Sed ad hoc tantùm hic stylus meus ducitur, vt tuæ laudis ibi stilla aliqua dirigatur; Corona hæc, quam tibi, Domina, polliceor, meritò debet esse aurea. Nam vt aurum excellit omnia genera metallorū, sic tu Domina, in cœlo, & in terra super omnes obtines principatum. Tibiquè omne genu curantur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confitetur, quòd Mater Domini nostri Iesu Christi in gloria es Dei Patris, amicta sole, sicut vestimento, coronata serto splendifero duodecim stellarum, gloria, & splendore decorata, & sicut aurum claritate conspicuum, & forma decorum, sic tu Domina es sanctitate charissima, virtutibus, & miraculis fulgentissima, præclaris meritis radiantissima, mente, & corpore formosa, & decora.

ORATIO.

VIrgo Regina, Sole induta, duodecim stellis coronata, in cœlis exaltata, cùm sis pia, & omnibus viscerosior, maris stella serenior; vide hostilia iacula, quibus confodior, aspice dolores, quibus excrucior, cerne tentationes, quibus illidor, ne diù hostis sæuiat, ne prosternat, ne subijciat, dextera tua ipsum deijciat, infernus deglutiat, & ne in morte caliget oculus fidei, tunc mihi refulgeat radius tuæ claritatis; dum corpus necat mors dura, & aspera, & mentem turbant mala præterita; dum contremiscit tota conscientia assistat nobis tua præsentia. Et ne perturbemur ab aduersarijs, defende nos tuis præsidijs. Transeamus cum spe sanctæ resurC rectionis securi de gloria perpetuæ claritatis, Amen.

Topazius lapis pretiosus in Corona Virginis. Cap. 2.

OMni gratiarum Virgo plena, tota clara, & serena, sanctum, & benedictum reclinatorium aureum, & perlucidum in decorem, & gloriam Dei filio coaptatum; ad laudem, & gloriam tuæ excellentiæ, in primo loco tuæ coronæ inclitæ affigo lapidem Topazion, splendidiorem omnium lapidum imperantem, qui benè ad ornatum tuæ nobilis Coronæ pertinet, eò quòd tu dulcissima Domina, vt cunctas fœminas vincis pulchritudine carnis, sic & omnes sanctos, & omnes Angelos superas excellentia sanctitatis. Nam omnis vita tua cunctis extitit sanctitatis exemplar, & perfectionis, & morum disciplina regularis. Si in fide quis commendatur, quis in illa locupletior te. Si in spe, quis longanimior? Si in charitate, quis feruentior? si in religiositate, quis honestior? Quis studiosior in lectione? quis deuotior in oratione? Quis subtilior in contemplatione? Quis viscerosior, in pietate? quis mansuetior in lenitate? Quis purior in castitate? Quis mundior in virginitate, & in temperantia? Quis copiosior in scientia? Quis eloquen-

quentior in iustitia? Quis fortior contra aduersa? Quis sanctus, vel Angelus diuina arcaria profundiùs penetrauit? Quis copiosius diuinam gratiam ad se traxit? Quis altissimam Maiestatem limpidiùs, & clarius, contemplatus fuit? Meritò ergo, Domina, in ornamento tui capitis obtines Topazium omnibus lapidibus præstantiorem, quia tu omnes sanctos, & Angelos superas in pulchritudine virtutum, in splendore charismatum, & in coronis meritorum. Idcirco propter omniũ bonorum, quam possides pulchritudinem, & totius misericordiæ affluentissimam vbertatem, peccatores trahis ad veniam, pugnatores perducis ad brauij coronam, iustos ducis ad gloriam incorruptam. Tu Domina mundi, Regina cœli, seruitutem ademisti, libertatem restituisti, sustulisti mortæ, vitam donasti, dum Saluatorem nostrum Dei filium peperisti. Tu Domina in angustijs nos recreas, in aduersis confortas, in infirmitatibus corroboras, in morte liberas, à Dæmonijs nos eripis, à morte perpetua subtrahis, Paradisi ianuam nobis pandis, Redemptori nostro coniungis: Tu Mater indulgentiæ, ligata soluis, soluta reseras, aduersa mitigas, contrita sanas, reos soluis, reficis delinquentes, lapsos releuas, recreas desperatos, honorem renouas, fiduciam reformas, vires, gratiamque infundis. Tu indignationem compescis, amissam hæreditatem restituis, nos separas à Diabolo, purificas à peccato, reconcilias Deo.

ORATIO.

VIrga aurea Mater Dei sanctissima, Angelorum gratulatio, Patriarcharum exultatio, Prophetarum lætitia, Apostolorum gaudium, Martyrum suauitas, Confessorum dulcor, Virginũ harmonia; pias aures ad me flecte, illos tuos misericordes oculos ad me conuerte. Cæcus sum, lumen infunde; infirmus sum, salutem tribue; mortuus sum, viuifica me. Tuo enim aspectu mellifluo, lætificantur gemebundi; tuo tactu leuissimo sanantur infirmi; tuo odore roseo mortui reuiuiscunt, & omnia bona, quæ fiunt in cœlo, vel tuis meritis donantur, vel tuis precibus obtinentur. Respice igitur, Domina hunc peccatorem miserum, peccatis, tenebrosum multis miserijs circundatum. Per te Virgo sanctissima, mea vincula dirumpantur; mea debita dimittantur; mea diruta reparentur; mea vetera renouentur; mea confracta solidẽtur; mea perdita restaurentur; mea imperfecta perficiantur; per gratiam tuam voluntas mundetur; mens resplendeat; animus inflammetur; liquescat pectus; dulcescat gustus; aspectus decoretur. Adiuua me lucerna, per quam illuminor; dulcedo, per quam reficior; virtus, per quam consolidor; fortitudo, per quam sustentor; longè fac à me verbum iniquum, & dolotum, cogitatum, opus nefarium; gratia tua totam dirigat vitam meam; præsentia tua illustret meam mentem; misericordia tua me perducat ad vitam æternam. Nam verè tu es vita recta ad illam gloriam, prout hic vnitur. * O Mater, qua tenditur ad cœli fastigiũ, hic per te recipitur cõuẽtus humiliũ, fauus, & mel dulzoris, & candoi fioris; mũdi domina, charitatis nectura, amoris cõiunctura, mũdãs crimina, virganilis dignitas, decorata lilio, fœcũda virginitas, exalta tasolio, Angelorũ Regina, salutis medicina, flos conuallium, virtutum disciplina, mundi tiæ cortina, lumen cordium, Regina supernaturalis, carina Christi solium, duc tecum paruorum ad gloriam sanctorum exilium, Amen.

* *fortè amatur*

Lucanum sydus in Corona Virginis secundum locum obtinet, Cap. 3.

TVigitur Virgo præclara, felix cœli porta amenitas Paradisi, Angelorũ Domina, Regina mundi, sanctorum lætitia, aduocata credentium, fortitudo pugnantium, reuocatrix errantium, medela pœnitentium. Ad laudem & gloriam tuæ imperialis maiestatis, in secundo lòco tuæ coronæ glorioſæ affigo Lucanum. Est autem Lucanum corpus sphæricum, & rotundum, clarum, & lucidum, pulchrum, & gratiosum, quæ omnia, Sanctissima, valde tibi conueniunt, idcirco meritò in corona tua debet situari. In forma circulari, & rotunda æternitas designatur, non habens principium, neque finem: Nam licèt tu Domina esse cæperis ex tempore, corona Deo quodammodo æterna Deo extitisti, eò quòd à sua maiestate fuisti æternaliter præordinata, ante mundi constitutionem, in Matrem Dei electa, sancta, & immaculata; vt per te Deus nobis suam pacem de cœlis mitteret, genus humanum redimeret, ruinam Angelicam repararet, vinctos de inferni claustris educeret, & cœli ianuam referaret. Fuisti etiam clara operibus sanctis, clarior salutaribus exemplis, clarissima meritis gloriosis. Coram Deo, & hominibus fuisti amabilis, & grata; super decorem mulierum gratiosissima; super pulchritudinem Angelorum elegantissima. O quàm magna es in meritis Mater Dei! ò quanta est dulcedo pietatis, & misericordiæ! tuæ terrestria reparas, cælestia restauras, ima summis confœderas, & omnibus ad te clamantibus misericorditer gratiã administras. Idcirco qui misericordia indiget, accedat ad te, & viscera tua inueniet misericordia redundare. Qui ex contrariæ partis impulsu in fide dubitat, respiciat ad te, & quod erat dubitans, solidè stabilietur. Qui per carnis concupiscentiam oblectatur, tuam

gra-

gratiam inuocet, & periculum castitatis auferetur. Qui superbia, & elatione in mente pulsatur, in te vertat intuitum, & de merito tuæ humilitatis tumor animi detumescet. Qui iracundiæ facibus est accensus, oculos leuet ad te, & de tua tranquillitate mitescet. Qui de via vitæ per errorem abductus fuerit, ad te stellam maris respiciat, & in luce tua ad veritatis semitam reducetur, ad omne periculum pietas tua subuenit, & potens est subuenire. Et meritò quidē, cū sis Mater Dei, Regina mūdi, cœlorū Imperatrix, spōsa Spiritus Sācti. Tu enim facis in Christo manere, & ad diuina peruenire. Tu in æternitate Dei viges, & in veritate Dei luces, in bonitate Dei gaudes. Tu segregatos à vitijs reddis gratiæ, B socias sanctitati, fugas scelera, lauas vitia, reddis lapsis innocentiā, mœstis lætitiā, fugas odia, paras cōcordiam. Tu bella cōpescis, iras comprimis, superbos calcas, humiles amas, discordes sedas, inimicos concordas, præsentes socias, absentes inuitas, terrena cœlestibus, & ima diuinis concilias. Tu peperisti Deum cœli, Regem terræ, orbis Dominum, reparatorem mundi, mortificatorem mortis, restauratorem vitæ, perpetuitatis authorem, nec ipsum concipiendo, sensisti libidinem, nec pariendo, dolorem; pro quo partu benedicto offero hoc laudis carmen.

Conditor alme siderum Natus ante Luciferum Mundum saluare cupiens Ad hu- C ius mundi vesperum. Candoris intrat vterum, Tanquam sponsus ægrediens. Per Prophetas prædicatur In figuris demonstratur Hoc grande mysterium. Oraculo Gabrielis MARIÆ lato de cœlis Clarum fit inditium Vt de flore, vel lilio Gratus odor emittitur, Sic de MARIÆ gremio Verbum patris emittitur. Gloria fœcunditatis, Et honor virginitatis In corpore MARIÆ, Vt candor manet in rosa, Et albedo speciosa Monstratur in ebore. Qua propter cùm omnium bonorum post Deum sis causa, te affecto, & desidero laudare; tuam pulchritudinem amare. Tuam beatitudinem venerari; tuam celsitudinem glori D ficare; tuam benignitatem deprecari.

ORATIO.

LVcem igitur miserationum tuarum super me infunde, vt anima mea peccatis sordida, gratia tua sit diluta, tua gloria illustrata, tuo dulcore dulcorata, tuo amore inflammata, tua protectione conseruata; partus virgineus, & Deificus me captiuum redimat; me ægrum sanet, me cœcum illuminet, me mortuum suscitet, & ab omni peccato, & periculo me præseruet; Domina mea, quam honorabo; dulcedo mea, quam amabo; Regina mea, quam reuerebor; sponsa mea, cui me seruabo; gratiam tui aspectus super me conuerte, vt in decore tuo videam lucem, & inter tenebras videam veritatem, & inter vanitatem videam vitam, & deuitem mortem; & cùm sis omnium gratiarum plenissima, interiora mea ab omni malitia dilue, cor meum templum Dei perfice; tuo sancto amore illud reple, vt te amando desiderem, desiderando te quæram, quærendo inueniam, inueniendo amplectar, & teneam, & in te sua vita requiescam.

Tertiò locatur Sardius lapis in Corona Virginis, Cap. 4.

VIrgo Mater pietatis, thronus summæ maiestatis, cui seruit Angelorum, & hominum natura, quam collaudat omnis creatura, ad cuius nutum humescunt arida, recalescunt frigida, reuiuiscunt mortua, cuius vita nil sanctius, cuius conscientia nil purius, cuius osculis nil beatius, cuius amore nil honestius, cuius amplexu nil castius, cuius dote nil vtilius. Ideo ego peccator in te tanta conspiciens, tibi desiderans complacere, & quodam modo applaudere, vt tua corona resplendeat insigniùs, in tertio illius loco Sardiū lapidē pretiosum splendore purpureo decoratum. Sardius igitur rubicundo splendore tuam illustrat coronam nobilem, cùm spirituale martyrum colorat, & purpurat mentem tuam. Cùm enim amantissimus Filius tuus, tuæ virginitatis sponsus, vinctus flagellis cæditur, sputis illuditur, opprobrijs lacessitur, contumelijs fatigatur, illusionibus dehonestatur, cruci clauis affligitur, felle, & aceto potatur, in latere lancea perforatur, tota efficeris dissoluta, omni mœrore confecta, omni dolore cruciaris, omni cruciatu torqueris, omni acerbitate amaricaris, vulneraris in mente, transfoderis in anima, iacularis in corde, confoderis in pectore, martyrizaris gladio, in visceribus totaliter iugularis. Sed nunc gaude Domina, quia quem vidisti morientem in terris, nūc conspicis regnantem in cœlis. Teque dolorum suorum participem, illuc suæ gloriæ, & gaudij facit consortem; donans tibi perennem honorem, vt tibi omne genuflectatur, & omnis lingua tibi laudes confiteatur, antequam * Matri Dei, & sponsæ Spi- * *tanquã*
ritus Sancti, filiæque amantissimæ Dei Patris, quæ sedes à dextris Regis æterni, vt Regina clarissima, gloria, & honore coronata, in vestitu deaurato mirabili varietate circundata omnium Angelorum, & sanctorum concētu, & harmonia excellentissimè collaudata. Vnde pro vtroque, scilicet, dolore mortis filij, & ineffabili gloria, qua nūc lætaris in cœlis, his verbis aliquomodo te cupio demulcere.

Aue Virgo cœlibata Comparata lilio
Ense crucis iugulata Crucifixaque gladio.

Sed

Sed resurgente filio Tuo fis exchilarata
Tristitiaque fugata Cumulato gaudio.
Nunc in cœlis exaltata Resides in solio
Solarique pallio Condecenter adornata
Stellis claris coronata Nobili tripudio
Virginum Collegio Venerantur cogitata
Omniumque iubilo In æternũ collaudata.
Meritò igitur, Clementissima Domina, ab omnibus es laudanda, & glorificanda, cùm omnibus conferas gratiam, neminique exaggeres pœnam. Tu enim confers terræ pacem, cœlis gratiam, salutem perditis, vitam mortuis, regis prospera, repellis aduersa, vitia extinguis, virtutes succendis, reddis casta corpora, corda pura, pacem membris, mentibus das quietam fidem, gentibus vitæ ordinem moribus disciplinam. Tu namque Domina es admirabilis singulari virginitate; amabilis salutifera fœcunditate; venerabilis inæstimabili sanctitate. Tu visibilem mũdo suum exhibuisti Saluatorem, tu genuisti mundo restauratorem, tu obtulisti mundo Dominum, & creatorem; tu es diuinis, & Angelicis præconijs prædicata; sancta mente, & corpore permanens; multis donorum priuilegijs sublimata, cum Senatoribus cœli infra curiam Paradisi conuersata, sub Spiritus Sancti disciplina, & magisterio totius diuinitatis informata; virtute Altissimi obumbrata, salutifero rore Spiritus Sancti fœcundata, & impregnata. Tu exẽplar es continentiæ, & castitatis; tu es forma perfectæ integritatis; Tu ne præcellis cunctis, supereminens vniuersis; tu Virgo sancta, Virgo sobria, Virgo deuota singularis integritate, excellens integritate. Concepisti saluo pudore, peperisti sine dolore; tu vitam, & lucem hominum genuisti; tu Virgo Deum de Spiritu Sancto concepisti, quem illibata peperisti, tu virgo speciosa, præ filiabus hominum, speciosum forma præ filijs hominum, castitatis visceribus concepisti, nobisque ipsum obtulisti.

ORATIO.

CVM igitur sis Mater Dei, clementissima, dulcissima, potentissima, miserere mei in die tribulationis, & necessitatis meæ. Respice inimicos meos, quoniã multiplicati sunt, & odio iniquo oderunt, & persecuti sunt me, animam meam corrumpunt, vulnerauerunt, construpauerunt, sub pedibus suis conculcauerunt. Reconcilia me, Domina mea, creatori meo, quem carne tua sancta induisti. Redde me Deo meo, quem lacte virgineo nutristi, vt partus sancta merita, gratia illius visitatus, misericordia suscitatus, luce illustratus, virtute roboratus, possim hostes meos contemnere, virtuosa opera perficere, creatori meo perfectè inhærere, laudesque perpetuas illi, & tibi in æternum psallere, & cantare, Amen.

A *Lilium sios candidus in quarto loco Coronæ Virginis situatur, Cap. 5.*

MARIÆ thesaurus, & hortus benedictionis, columna, & firmamentum veritatis, splendor, & nitor gratiæ, vena, & venia indulgentiæ, Imperatrix, & doctrix gloriæ; fundamentum Ecclesiæ, fons sapientiæ, aula pudicitiæ, spes salutis, & veniæ, plena virtutis, & gratiæ, sedes pacis, aula beatitudinis, terra benedictionis, patens veritatis, ministra salutis, amatrix humilium, honor continentium, lux peccatorum, virtus pœnitentium, via errantium, magistra perfectorum, gaudium Angelorum, & hominum. Ad gloriam, & decorem tuæ coronæ, in quarto ipsius loco si tuo
B lilium, florem gratum, & speciosum. Lilium habet albedinem in colore, suauitatẽ in odore, lenitatem in superficie, pulchritudinem in decore; & hæc tibi conueniunt, vt meritò in tua corona debeat situari. In albedine filij * virginitas designatur; fuisti enim Virgo pura mente, & corpore castificata; & sicut virginitatem habuisti in corpore, sic puritatem, & munditiam in conscientia. Virgo enim in partu fuisti, & post partum inuiolata permansisti; decora igitur in carne tua, virginitatis candore, & in anima humilitatis, & puritatis splendore, placuisti Dei filio pro sanctitatis, & virtutis duplici ornamento. Tu Domi
C na es singularis, nam nulla alia, vt tu, sic Deo placuit, nec tam speciosum palatium illi ædificauit. Ergo sicut in comparatione Dei nemo bonus, sic in comparatione tui nulla inuenitur perfecta; quamuis eximia comprobetur. Sed quid tam suauiter redolet animæ, vt nomen tuum respersum? de quo nomine ait quidam: MARIÆ nomen aurum fragrans, & aromaticum, velut pigmentum, cœlicum, vt Sol est, luce fulgidum, & mortuis viuificum, & Monachis mellifluũ sanctum, & anagogicum, diuinum, & Estaticum. Tu es & Domina multùm leuis, & mitis: sacra enim scriptura te prædicat lenitatis magistram, benignitatis normam, modestiæ regulam, man-
D suetudinis formam. *Tu etiam es puella decora nimis, Virgoquè pulcherrima, & incognita viro.* Neque est mulier similis tui in aspectu, in pulchritudine, & in sensu verborum, & quia tu formosa valde castitatis ornatu virgineo, incredibili pulchritudine totius sanctitatis, & omnium virtutum apparatu pretiosum, in oculis summi Regis fuisti placida, valde amabilis, & gratiosa. Tu etiam habuisti pulchritudinem in oculis, propter simplicitatem existentem; elegantiam in labijs propter eloquentiam distillantem; decorem in manibus, propter largitatem affluentem; speciem in auribus, propter pietatem inclinantem. Quis est sufficiens tuas virtutes enarrare, tua mirabilia explanare? Tu es cœlo altior

Gen. 24.

**fortè lilij.*

tior, abyſſo profundior. Tu Deum, quem mundus nõ poteſt capere, immaculato vtero portaſti. Tu primæ matris damna reſtauraſti, tu homini perdito redemptionem adinueniſti, tu ſingulare commercium mundo præbuiſti, tu omnem creaturam ſanctitate, & dignitate tranſcendis, tu cœleſtia, & terreſtria cum fœdere coniungis, ad cœleſtia, & ſuperna nos prouehis, pactum confirmas, & mortis vincula diſſoluis. Tu Virgo Regia gemmis virtutum ornata, gemino mentis, & corporis decore fulgida; ſpecie tua, & pulchritudine tua in cœleſtibus cognita, cœleſtium ciuium in te prouocaſti aſpectus, ita vt Regis animũ in tui concupiſcentiam inclinaret, & cœleſtem Nuncium ad te de ſupernis educeret. Tu concepiſti, & ſine peccato, grauida fuiſti, ſed non grauata, peperiſti, ſed non corrupta; Deum pariens, & de Deo concipiens, neſciens virum, & gignens filium; caſta puerpera, mater intacta, illius mater, cuius Deus Pater filius paternæ charitatis eſt corona tuæ caſtitatis; ſapientia paterni cordis eſt fructus tui vteri virginalis. Tu flos florem, Virgo virginem, ſponſum coronã virginum es prolata. Super ſalutem, & omnem pulchritudinem à Domino es amata, ſine tactu pudoris, inuenta es Mater Saluatoris; Dominum omnium meruiſti portare, & Regem Angelorũ ſola Virgo lactare, fulgore virtutum mundũ illuminare, luce iuſtitiæ corda clarificare, quia ſemper radias ſplendore gratiæ, & nullis macularis ſordibus culpæ; ſaluto igitur te Regina Virginum, roſa veris, conuallis liliũ, te ſalutando, volo finire iſtud capitulum.

ORATIO.

AVE plena cœleſti gratia, plena Deo, plenaquè gloria, te circumdant virginum lilia, te ſociant virtutum præmia; Virgo Dei, Virgo puerpera, obumbrata virtute ſupera. Tu illa nubes lucifera, cœlum & ſydera, dealbata turris eburnea, colorata roſa purpurea, vt proſtretur legio fellea, commendata eſt tibi romphæa. Cum ſis ſalus, & honor hominum, Mater Dei, corona virginum, tibi decus non habens terminum perſoluatur iure poſt Dominum.

Situatio Calcedonij pretioſi lapidis in Corona Virginis MARIÆ, Cap. 6.

VIrgo, & Domina mirifica, per quam fracta ſunt tartara, reſeruata ſunt cœleſtia, reparata ſunt perdita, renouata ſunt elementa; ſingulari decore præ cunctis rutilans, ſingularique pulchritudine radians, & coruſcans, ad honorem, & gloriam tui ſanctiſsimi capitis, in ſexto loco tuæ coronæ inclytæ ſituo Calcedoniũ lapidem pretioſum, virtute præ-

A cipuum. Calcedonius, qui obſcurus eſt domi, ſed * ſub diuo rutilat, & fulget in diademate tuo, quo virtutes, & miracula tua, non iam latent in angulo, ſed dilatantur in vniuerſo mundo; vbique nomen tuum prædicatur, fructus tuus benedicitur, venter tuus extollitur, verba tua venerantur: *In omnem terram exiuit ſonus* tuarum virtutum, *& in fines orbis* audita eſt vox tuorum miraculorum. In toto orbe animas illuſtras, corpora recreas, mortuos ſuſcitas, infirmos ſanas, pauperes reparas, imbecilles ſuſtentas, confracta ſolidas, perdita reſtauras, congregata conſeruas, cæcis viſum, claudis greſſum, ſurdis reparas auditum, mutis eloquentia, ignorantibus ſcientia, languentibus medicina; cunctis tua gratia infunditur, tua pietate cũctis ſuccurritur, omnibus tua miſericordia ſuffragatur. O igitur Virgo benedicta, & ſuperbenedicta, fructum baiulans benedictum, per quem benedicuntur omnia, cœlum, terra, & maria. O pulchra ad intuendum, amabilis ad contemplandum, delectabilis ad amandum, cuius pulchritudinem Sol, & Luna mirantur, cuius ſplendore corda illuminantur, cuius * poteſtates Angelicæ famulantur, cuius opes nunquam deficiunt, cuius opes nunquam decreſcunt. Tu quidem Deo es grata, Angelis, & hominibus, Deo per humilitatem, Angelis per virginitatem, hominibus per fœcunditatem. Tu es cella cuſtos vnguentorum, aula cœleſtium Sacramentorum, clarum ſydus nauigantium, callis rectus non errantium; laus ſanctorum canentium: ſalus vera languentium; arca ſophiæ, tabernaculũ gloriæ, regula iuſtitiæ, virtus temperantiæ, roſa pudicitiæ, nardus odorifera, amigdalus lenitatis, vernans laurus caſtitatis, oliua fructifera, florens hortus, auſtroflante; porta clauſa poſt, & ante; via veris in via, tuſa rore cœli, tellus; fuſum Gedeonis vellus, Deitatis pluuia placa, MARIA maris ſtella, ne involuat nos procella, & tempeſtas omnia. O Regina radiantiſsima, omnibus bonis pleniſsima, per te Deo refunditur gloria, Angelis lætitia, ſalus peccatoribus, ſolamen deſperantibus, infirmis ſanitas, cæcis claritas, triſtibus gaudium, mœrentibus ſolatium, pugnantibus conſtantia, iuſtis gloria, & immacerſcibilis corona, tu cura ægros medicans; gaudium mœſtos conſolans, ſanitas dolentes lætificans; Tu conuallis humilis terra non arabilis, quæ fructum parturijt; flos campi conuallium, ſingulare lilium Chriſtus ex te prodijt. Tu cœleſtis Paradiſus, libanuſque non inciſus, vaporans dulcedinem; tu candoris, & decoris, tu dulcoris, & odoris habens pulchritudinem; Tu es mater numinis, ſancta nitore radians; & ſuperni luminis claritate terram illuſtrans; Tu lux puritatis, & ſanctimoniæ mundiſsimum Deo habitaculum præparaſti; tu enim cœleſti throno ſuper

ordi-

* *forte* *ſub dio*

Pſal. 18.

* *cui*

ordines Angelorum perpetua claritate refulges, tanquam sydus ante lucanum, matutino nos rore perfundis, splendidus * in sanctitate radias, quàm luminaria in firmamento cœli, inflammata charitate, cunctis Angelis vicinius lumen deificum contemplaris; Tu sapientiæ, & virtutis, candida luce radians, horridas temporum tenebras virtutum fulgore fugasti. Tu mater salutis, quæ sola desperatis potes afferre medicinam, de cuius vtero virginali Deus in salutem populi sui est egressus: mater salutis, per quam mors victa succubuit, & sal⁹ hominis desperata surrexit, mater salutis, quæ deiectæ mentis ruinas erigis, & ardentem restringis morbum æstuantium delictorum.

* *splendidius*

A

B

ORATIO.

MIserere igitur tam potens, & tam clemens, tam dulcis, & tam pia, tam pulchra, & tam formosa huius peccatori famuli; à peccatis, & vitijs ablue, & munda, tua luce pectus irradia meũ, tuo amore animam inflamma, à filio tuo impetra mihi pacem, & indulgentiam; & in die iudicij resurrectionem glorificatam, Amen.

Positio arturi luminaris splendidi in Corona Virginis, Cap. 7.

REgina serenissima, mater Dei intacta, Virgo pura, Virgo sancta, Virgo immaculata, cuius laudamus virginitatem, miramur humilitatem, sed cariùs, quæ miseris sapit dulciùs, invocamus tuam misericordiam, & pietatem; nardus tua, & vnguenta sunt dona Spiritus Sancti, in te quiescentis, te illuminantis, suo amore te inflammantis, tuus fructus est æternus; cuius odor mundum replet, cuius sapor fideles sanat; cuius splendor solem superat; quia igitur tã preciosum fructum vitis fructifera, nobis protulisti, ad aliquid honoris, & gloriæ tuæ magnificentiæ aggregandum in sexto loco tuæ coronæ, Arturum situo, clarum, & lucidum luminare, septem stellis decoratum, in modum plaustri; Huic, Domina, similaris, & quodam modo compararis; fuisti quidem virginitate lucida, fide, & sanctitate clara, fœcunditate fulgentissima; septem stellis fuisti decorata, cùm septem virtutibus fuisti adornata; tu enim fuisti solida per fidem; amore inflammata per charitatem; sursum eleuata per spem; per temperantiam fuisti sobria, & modesta; per fortitudinem vigorata; per iustitiam æquissima; per prudentiam disertissima: currus Dei fuisti, in tua sancta anima, Deum omnipotentem circumferendo, & Dominum Iesum Christum in tuo sancto vtero baiulando. Currus etiam Israel es, peccata nostra benignè supportando, indulgentiam, & pacem nobis impetrãs, ad iter Paradisi tuum ducatum præstans. Domina mea, solatium cordis mei, dulcor animæ meæ, recreatio spiritus mei, vitia, & peccata mea, mores meos duros, & ferreos misericorditer supporta; tuis meritis sit mihi concessa pax, & indulgentia; per te via Paradisi sit mihi ostensa; & ostia, & ianua cœlica reserata. Igitur præclara Domina mea, indica mihi, quid tibi præsentem, & dem amabile, & iucundum; ostende mihi, quid tibi donem delectabile, atque formosum; nuti hunc peccatorem fœtidum ab vbertate plenitudinis munditiæ tuæ, pasce hunc vermem horridum ab opulentia dulcedinis tuæ; eripe me de manu potestatis aduersæ; confunde omnes aduersarios meos; sicut fumus deficiant, pereant omnes inimici mei; potestas tua Domina, conterat eos, infernus viuentes deglutiat eos. Aperi nunc Dauidica clauis viscera melliflui cordis tui, ingrediar, & videam, atque degustem suauitatem vberum tuorum. Aperi nunc ostium luminis tui, & de tuo fonte dulcissimo anima sitiens ebrietur, ex qua recreatione mirifica te sciam diligere toto affectu cordis, toto conatu mentis, feruenter, & prudenter, sinceriter, & iucundanter, humiliter, & deuotè. Da mihi vocem laudis, vt dignè sciam tua mirabilia enarrare; benedicta sit tua virginitas florida; benedicta sit tua fœcunditas virginea; benedicta sit tua humilitas gratiosa; benedicta sit tua pietas viscerosa; benedicta sit tua sanctitas, qua sis excellentior cunctis; benedicta sit tua sanctitas pretiosior vniuersis: nam Spiritus Sanctus suo rore mellifluo tuum vterum virgineum fœcundauit, tuum corpus sanctissimum per diuinum vmbraculum obvmbrauit; tua felix anima, quæ est sanctæ Trinitatis nobile trichlinium nobilissimè insignitur; siquidem ornatur auro fidei, argento sapientiæ, lapidibus pretiosis, sanctitatis vellerrs, verecundiæ rosis, lilijs castitatis, violis virginitatis. Sole iustitiæ illustratur Luna castimoniæ, & stellis innocentiæ radiatur, omnibus thesauris gratiæ decoratur, omnibus sacris charismatibus nobilitatur.

C

D

ORATIO.

O Virgo Domina tot, & tantis bonis cumulata, & referta: sis nobis clemens in nostris necessitatibus, dulcis in tribulationibus, pia in angustijs; prompta, & apta ad succurrẽdum in periculis; tu etiam tribulatis es refrigerium, tu mœstis impendis solatium, tu mulces fletus plorantium, nos præmit sarcina criminum; defluunt aquæ cupidinum, discurrunt fluctus voluptatum. Sed ò tu miserans miseris, nos consolare tuis solatijs, & ne induamur perpetuis tenebris, ne deputemur

mur æternis supplicijs, succurre nobis in hora doloroſa,& pauidæ mortis;perduc nos ad gaudium ſanctæ reſurrectionis, & ad gaudium perpetuæ claritatis, Amen.

Saphirus lapis pretioſus in Corona ſituatur Virginis, Cap.8.

SAnctæ Trinitatis nobile triclinium, Verbi Patris ſanctum reclinatorium, puella decora, Virgo formoſa, Regina clara, & ſerena, pia, dulcis, gratia plena, cui à Deo collatum eſt, vt inter fœminas primum Deo virginitatis munus offerres. Vnde iure Angelico aſpectu ſimul,& factu * meruiſti perfrui, quæ Angelicam ſtuduiſti vitã imitari; in te enim cœlis diſtillãtibus tota, ſe infundet * plenitudo diuinitatis, cui oblata ſunt, & data gratiæ plenitudo, Dei cohabitatio, cœleſtis benedictio. Qua propter cũ tot mirabiliũ inſignia in te tã excellenter prædicentur; ego peccator, cupiens adhuc tuam gloriam ampliare, in ſeptimo loco tuæ coronæ Saphirum lapidem precioſiſsimum collocare decreui; Saphirus enim ſimilis eſt ſereno cœlo, quem cùm ſolis radius aſpiciat, ſplendorem ardentem emittit, cuius virtus eſt corpus caſtificare, oculis proficere, venenis officere; & iſte lapis meritò competit capitis tui ornamento. Tu Domina fuiſti ſemper clara, & ſerena, ſincera, mundiſsima, & amœna. Tu enim es ſemper tota pulchra, tota formoſa, tota immaculata, & tota ſpecioſa. Macula nulla fuſcaris; nulla ſorde macularis; omni gratia illuſtraris; omni virtute decoraris; pulchrior, & ſpecioſior es ſole in aſpectu tuo, & ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum rutilas decore præcipuo. Sed dum illa ſumma maieſtas, cuius tu es amabilis ſponſa, & dilecta filia, ſuo gratioſo, & amabili radio tuam faciem reuerberat, tum ſpes mea ampliori pulchritudine augmentatur. Sapientia tua copioſiori luce radiat, charitas tua tota ardens in Dei amore efficitur, & omnes virtutes tuæ ampliori ſanctitate perfunduntur. Tu etiam Domina mẽtes, & corpora caſtificas. Oculos mentis, & corporis illuminas, pecorum venena aſumnas, * & extirpas; Cùm igitur Domina, ſis ſalus humani generis, ſpes, & ſolatium pauperis, ſuccurre nobis ſeruulis miſeris; nam bella præmunt hoſtilia, hoſtes ſuperextendunt retia, caro ſuggerit mollia, dæmon rixas, & iurgia, mundus opes, & honores, & quæcunque curioſa. O Regina miſericordiæ ſuccurre in tẽpore anguſtiæ, fer nobis opem tuæ gratiæ, & ne corruamus in tantis periculis, mane nobiſcum Domina, quoniam adueſperaſcit. Tu fons ſalutis, & totius gratiæ, via pacis, & portus indulgentiæ, audi planctus tuæ familiæ, circundant nos multa pericula, corpus conſumit ægritudo prævalida, pectus vrit tentatio acerrima; pluuia deuotionis compeſcitur, feruor in oratione non reperitur, oculis ratione * caligatur.

* *fortè affatu*

* *fortè infudit*

* *fortè eliminas*

* *oculus rationis*

ORATIO.

O Refugium pauperum, ò miſerorum refrigerium, in te ſperant oculi omnium, vt liberemur à tam peſtiferis malis, cui ſalua re ſuppetit quos volueris, mane nobiſcum quoniam adueſperaſcit; libera nos de tenebris, & vmbra mortis, & perduc ad gloriam perpetuæ immortalitatis, Amen.

Crocus flos aromaticus in Corona Virginis, Cap. 9.

SI linguis omnium gentium, & omnium melodijs Angelorum tuas laudes Virgo ſanctiſsima poſſem depromere, nil ſufficienter ſufficerem, quia verè in laudibus meis non inuenitur conueniens organum, & hebes eſt cuiuscunque ſubtilitatis ingenium. Nam Spiritus Sanctus fons, & origo omnium bonorum ſic in te cumulauit ſuper inſignia virtutum, & chariſmata gratiarum, quòd neque honorem, quem habes in mundo, nec gloriam, quam habes in cœlo, nec coronam, quam poſſides in præmio, poſſet exprimere ſpiritus Angelicus, nec intellectus humanus. Quantùm ergo ab omnibus Virgo ſereniſsima debeas collaudari, ego peccator ad honorem tuum, & gloriam, octauo loco tuæ coronæ inclitæ, Crocum florem aromaticum, tibi valde idoneũ cupio collocare. Eſt enim Crocus colore aureus obletatimius, * virtuoſitate, mirificus, valde lætificatiuus. Tu es enim Virgo aurea, omni ſanctitate ornata, per aurum tua ſanctitas deſignatur; nam ſicut aurum omnia metalla excellit nobilitate, & valore, ſic tuæ ſanctitatis dignitas ſuperat omnium ſanctorum merita, & omnium prærogatiuas Angelorum, ideo ſuper omnes in cœlis obtines. * Vnde ſicut in toto mundo non eſt locus dignior tui virginei vteri templo, quo filium Dei ſuſcepiſti, ſic nec in cœlo illo Regali ſolio, quo ſuper omnes ſanctos te Dei filius ſublimauit. Tu etiam es odorifera, plùs, quàm Crocus; quia tu ante Deum, & homines fragras, & rodeles. Vnde, & odor tuus eſt: *Sicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus.* Ager plenus eſt tuus ſanctus vterus, qui produxit meſſem benedictã, ex qua Angeli, & homines ſuſtẽtantur, ſed odor, qui procedit ex tua humilitate, valde Deũ oblectat, odor procedẽs ex tua virginitate valde delectat Angelos; odor procedens ex tua pietate, multũ recreat homines; odor procedẽs ex tua sãctitate, multũ terrificat Dæmones; fuiſti etiã, & es virtuoſitate

* *fortè oblectantiſsimus*

* *ſuple locum*

Gen. 27.

sitate mirifica, nam virtus ex te procedens clarificat visum, temperat gustum, reformat auditum, confortat cor, illuminat intellectum. Gratia tua, Domina, in multis lætitiam in nobis parit; tu enim Virgo piissima, frequenter consolaris tristia, lenis aspera, lætificas dolorosa, roboras debiles, sustentas imbecilles, viuificas mortuos, sanas, & liberas ægrotos; pro his omnibus Domina in tua gloria, & honore gratulemur, in tuis laudibus exultabimus; in tuis præconijs iucundamur tuis coronis, & præmijs congaudemus. Vnde de dulcore, & iubilo, qui ex te concordi menti infunditur, dicit quidam: oleum effusum, vnguentum exinanitum, iubilus cordium, nomen MARIÆ sanctum, & glorioſum, sed frangatur alabastrum, descende Domina in hortum meum, succende ibi amorem igniti tum, stilla tui decoris vnguentum, respergetuorum fragrantiam aromatum.

ORATIO.

MARIA sit in memoria, MARIÆ rimetur dulcor, & gratia; MARIÆ recolantur beneficia, & charitas indefessa; seu & hos, quos nunc tibi offero, versus, Domina pro tuæ gloriæ honorificentia commendata digneris suscipere gratiosè. Salue flumen misericordiæ, flumen pacis, & flumen gratiæ. Ros conuallium, flos pudicitiæ, Mater Dei, & Mater veniæ. Salue vera salus fidelium. Maiestatis thronus, & solium. Templum Christi domus, triclinium, via vitæ, pudoris lilium. Salue floris decor amabilis, sponsa Christi ancilla humilis. Tota pulchra, & venerabilis, cui nulla fuit consimilis. Prædicamus te venerabilem, sanctam mente, & corde simplicem. Mundam carne, mitem, & placabilem, Deo gratam, Deo amabilem. Qui te gustant, adhuc esuriunt, tuum sanctũ dulcorem sitiunt. Te amare ardenter cupiũt, te laudare, sed non sufficiunt. Sacra Mater Dei, & hominis, laus, & decus humani generis, sanctitate sanctos transgrediens, claritate, plùs fulgens cęteris, quis te dignè valet extollere laudes dignas quis tibi promeretur? Ex quo Deum es digna parere, & lactare sacro vbere salus nostra in manu tua est Domina, tantùm respiciat super nos misericordia tua, & securi seruiemus Deo Regi æterno, & tibi ipsius benedictæ Genitrici. O Regina gloriæ, quæ cum Deo viuis, & regnas in solio maiestatis supernæ per infinita seculorum secula, Amen.

Situatio Achates pretioſi lapidis in Corona Virginis MARIÆ, Cap. 10.

IN cœlesti throno resides Regina fulgẽtissima, gloria, & honore coronata, gẽmis virtutum ornata, & multùm læta, multùm formosa, multùm pulchra; pulchra virginitate, pulchrior humilitate pulcherrima in filij Dei conceptione; pulchra in laude opinionis, pulchrior in honestate conuersationis, pulcherrima in gloria diuinæ visionis, pulchra, quia nec maculam, aut rugam habuisti, neque carnis, neque spiritus aliquod inquinamentum, sed tota tanquam obrizum purissima; tota splendida, tota candida, tota rutilans, tota mundissima, à cuius corde, & opere longè fuit omnis peccati macula; cui fortiter adhæsit totius sanctitatis gratia, & charisma. Tam pulchra Domina, tamque speciosa, & tam formosa, gratanter accipe lapidem Achatem, quem ad ampliandum tuum apparatum in no no loco tuæ coronæ statui collocare. Achates inter cæteras virtutes facit hominem gratiosum: quem te decet habere Domina in tui capitis ornamento, quià hæc in nobis efficaciùs operaris. Sumus in peccatis tenebrosi, concupiscentijs limosi; vitijs verbosi; idcirco Deo odibiles, & detestabiles, tanquam filij gehennę. Sunt enim multi inflati per superbiam, nigri per auaritiam, sanguinolenti per iracundiam, fœtidi per luxuriam, lutosi per gulam, liuidi per inuidiam, somniculosi per pigritiam, cùm enim placuit ei, qui te segregauit ex vtero matris, ad succurrendũ miseris, vt tua super nos viscera moueantur, tunc obstetricante manu tua, educuntur extra opera tenebrosa, & introducuntur virtuosa, detestantur vitia, amplectuntur ieiunia, extinguuntur concupiscentiæ, reuiuiscunt virtutes: *Aperis manum tuam, & implesomne animal benedictione*, & gratiæ tuæ in nobis iactato semine, ex superbis fiunt humiles; ex auaris compatientes; ex gulosis abstinentes; ex luxuriosis casti; ex iracundis charitatiui; ex pigris laborioſi; vt qui priùs Deo displicebant, velut filij tenebrarum; nunc per te fiunt placidi tanquam filij lucis, cœlestisque Regni, cohæredes Christi: & ideo gloria in excelsis Deo, qui de tanta vtili, & necessaria nobis Procuratrice prouidit; cuius cura, & officium est euacuare tartarum, illuminare mundum, irradiare cœlum, replere Paradisum Diabolum conterere, prædam ex ipsius ore rapere, peccatores per pœnitentiam patrimonio, vt mater pijssima aggregare. O igitur MARIA plena gratia, Virgo refulgens, aurea tota, munda, & illibata, in Christi habitaculum consecrata, vas indecorem, & gloriam per ornatum, in oculis summi Regis gratum, & placitum, Sancti Spiritus benedictione sanctificatum. O puella virginea ab Spiritu Sancto consecrata, à Sanctis Angelis protecta, & custodita, ab Archangelis, & Angelis circum girata, & consolata, multisque gra-

Ps. 144.

gratijs, & virtutibus decorata. Verte Domina ad me pium, & dulcem oculum tuum, clementem, & gratiosum, fulgidum, & luminosum; visita me infirmum, cura me ægrotum, sana me languidum, consolare me tristem, & gemebundum. Da mihi cor deuotum, & intellectum illustratum, vt cognoscere valeam largitatem tuæ bonitatis, & misericordiæ. Puritatem tuæ carnis virgineæ, profunditatem tui intellectus, & sapientiæ; sanctitatem tui corporis, & animæ. Respice summa Imperatrix de altissimo tuæ excellentissimæ maiestatis, & tenebras mei cordis tuæ gratiæ splendoribus illustra, sensum pervigilem in me repara, amore tuo me inflamma. B

ORATIO.

ORO, vt tua virginitas me castificet; tua fœcunditas virtutibus exornet, tua humilitas me faciat humilem; tua pietas me pium, & dulcem; tua sanctitas me compunctum, & gemebundum; tua clementia æterna gloria dignũ; & quãdiũ vixero in tuis laudibus, carminibus deuotũ. Nã duris tormentis corpus atteritur, & tenta mẽtis animus frãgitur, dulcor internus nobis subtrahitur. O sacra Regina virginum, da solatium, confer remedium, vide fletus ad te clamantium, & ne labamur in vitijs, ne fiamus similes bestijs, mane nobiscum Domina, quoniam advesperascit. Te ergo venerabilem Virginem illibatam per partum admirabilem, in cœlis coronatam, vt hanc animam flebilem ærumnis cumulatam, reddas mitem, & humilem, sordibusque mundatam, vt per mortem placabilem, contritam, & deuotam, vadat ad vitam nobilem, floridam, & splendibilem à malis elongatam, Amen. C

Stella Marina splendida in Corona Virginis, Cap. 11.

AD laudandum, benedicendum, & prædicandum te, Sanctissima Mater Christi, monemur scripturis, incitamur exemplis, prouocamur beneficijs, accendimur inspirationibus internis, & miraculis manifestis. Tu Deum hominibus genuisti; pacem mundo impetrasti; Diabolum superasti, & vicisti; humanum genus reparasti; & omnia bona in cœlo, & in terra, te mediãte, sunt patrata. Tu sanctæ Trinitatis nobilissimus, & sanctissimus thronus; tu Verbi Patris incarnati speciosus, & virgineus thalamus; tu lapis pretiosissimus in corona Imperatoris æterni; tu summi Patris filia charissima; Sancti spiritus sponsa amantissima; Angelorum, & hominum Domina, & Regina. Tu chorus admirabilis, plenus sapientia, illustratus splendore, oculatus scientia, clarus omnium gratia, perfectus in decore, in medio lapidum ignitorum, id est, Angelorum, & Archangelorum miranda gloria splendidisti, omnes cedros, & omnes, qui sunt in Paradiso Dei, præcellis sanctitate. Tu Seraphim, cum sex alis portans stigmam Iesu Christi, accensus in amorem conditoris, diuinis spectaculis suspensus, & raptus in contemplatione excellentissimæ maiestatis. Qua propter ego, quamuis indignus, tam præclarissimam Dominam honorare cupiens, iuxta intentum prælibatum, in decimo loco pretiosæ coronæ tuæ situo stellam maris, nautas, & nauigantes dirigentem. Siquidem stella maris nauigãtes dirigit, eos cõsolatur, & erigit, & ad portũ optatũ adducit. Tu enim Domina es ista maris stella, quæ inter fluctus tentationum, inter pericula rerum mundialium, inter dolores ægritudinum nos regis, & dirigis; auxilium, & consilium impendis, exultationem infundis, & ad portum animas nostras conducis; cuius stellæ patrocinium quidam seruitor tuus, & laudator deuotus in suis opusculis, nos corde attento flagitare admonet, dicens. D

ORATIO.

IN periculis, in rebus dubijs respice stellã, inuoca MARIAM, non recedat à corde, nõ recedat ab ore: nã ipsam sequens non deuias; ipsam cogitans, non erras; ipsam rogans, non desperas; ipsa tenente, non metuis; ipsa protegente, non corruis; ipsa regente non fatigaris, ipsa duce, ad cœlestia peruenis. Quod nobis contingat tuis sanctis patrocinijs, & meritis glorioſis, annuente tuo filio benedicto, cum quo viuis, & regnas per omnia secula seculorum, Amen.

Iaspis lapis pretiosus hic situatur in Corona nostræ Dominæ, Cap. 12.

BEnedicta sis Domina, & Mater Domini nostri Iesu Christi, Mater misericordiarum, & Domina totius consolationis, qui consolaris nos in omni tribulatione nostra; & benedictum sit nomen glorię tuę, sanctum, & superexaltatum in secula. O ianua Paradisi, ò ministra gratiæ Spiritus Sancti, ò Magistra omnes scientiæ, theoricæ, & diuinæ. Doctrix humilitatis, & paupertatis Christi. Tu Patriarchis fide, & patientia es clarior; Prophetis sensu, & sapientia acutior; Apostolis in perfectione sanctitatis accumulatior; in tolerantia dolorum præcellis Martyres, in exercendis actibus virtuosis Confessores; in munditia castitatis Virgines; Angelos, & Archangelos præcellis in administratione gratiarum; Dominationes in postratione * vitiorũ, & cupiditatũ; Principatus, & Potestates in

* *prostratione*

refrænatione cõtrariæ potestatis; Thronus in tranquillitate pacis, Cherubim in sapientiæ splẽdore, Seraphim in charitatis ardore. Cũ igitur sis valde mirabilis Domina, eò quòd in omni scientia, & in omni gratia, & sanctitate, ac virtute omnes transcẽdis, nec quisquã est tibi similis: Ideo ego peccator gratiã apud te desiderans cõparare, in vndecimo loco coronæ nobili situo Iaspidẽ, lapidem pretiosum. Iaspis est lapis virtuosus, pretiosus, colorum varietate venustosus, virore conspicuus, ad restringẽdum sanguinẽ præcipuus, & hic benè competit ad ornanduni Domina, sanctum caput tuum. Tu enim fuisti virtutum varietate decorata, virginitatis, & fidei virore ornata; ad restringendum sanguinem, id est, carnis concupiscentias, & voluptates, tanquam medicina salutaris, & efficax, à Deo nobis es ministrata. Nam licèt fueris impregnata, tamen per Spiritum Sanctum fœcundata; per partum deificata. Licèt vigorosa per fortitudinem, virtuosa per rectitudinẽ, amorosa per charitatem, luminosa per sapientiam, ingeniosa per intelligentiam, visserosa per pietatem, in prosperitate humilis; in aduersitate fortis; in sanctitate sublimis; viror tamen virginitatis semper reuixit in tuo corpore, & decor fidei semper reuixit in tua sacra mente. Tu etiam sanguinem peccatorum restringis, & desiccas, carnales fluxus compescis, & refrigeras, & quidquid in nobis maculosum est, clarificas, & sanas.

A B C D

ORATIO.

IGitur puella purissima, amatrix virginitatis extingue in corpore meo pruritum, fordes libidinis, & rore salutifero crea in me mũditiam floridæ castitatis, in omni oratione, meditatione, lectione, & operatione sentiat mens mea tuæ præsentiæ dulcedinem, & iusti ficationem Angelicam me consolantem, dirigentem, & protegentem. Vnge cor meum tuæ suauitatis vnguento pretiosissimo, vt sentire possim tui amoris dulcedinem, tuæ charitatis voluptatem, & amicitię mulcebilitatem, & iucunditatem. Sed ego miser, & cæcus per exteriora frequentiùs discurrens, à tuo sancto amore digredior in carnalibus blãdimentis, cõsolationes nefarias quæro; & hinc est, quòd in tua charitate, & dulcedine non delector, quia ego in transitorijs, & caducis, cogitatione, affectione, locutione, implicor. Tu autem Domina cœlestia diligens, lucem habitas inaccessibilem, tu in cœlo, & ego in terra; tu diligis bona incorruptibilia, & æterna, ego fluxa, & caduca, in quibus non est, nisi vanitas, & miseria, & afflictio spiritus, quid plura inferam? tu es pia, sancta, iusta, & clemens; ego iniquus, impius, iniustus, & immisericors; tu lux, ego cæcus; tu vita, ego mortuus; tu gaudium, ego tristitia; en ad te clamo, Mater Dei Saluatoris, viuifica me; Mater Redemptoris, redime me; Mater Saluatoris salua me; Ne autem gloriosa Domina mortiferos voluptatibus his temporalibus pericliter, oro te, vt cor meum teneas, mẽtem regas, intellectum dirigas, animum suspendas, vt per vim tui amoris perfectè inhærcam, & in dulcedinis, & gratiæ tuæ vbertate dormiam, & requiescam.

Positio Rosæ vernulæ in Coronæ Virginis, Cap. 13.

REgina Hierarchialis, thronus Seraphicus existens * in quo residet, & refulget totius sanctæ Trinitatis maiestas, & gloria; virtus, & potestas, honor, & magnificentia, quã laudant Angeli, atquè Archangeli, Cherubim quoque, & Seraphim, & omnes turbæ cœlestium ciuium, & phalanges spirituum supernorum; quia quod in eis erat dirutum, & cõfractum, per te Domina, insignius est constructum, & reparatũ. Idcirco beneficiorum per te suceptorum nõ immemores, nec ingrati intra glorificationem laudes hymnidicas, festiuis vocibus, cum omni harmonia, & honorificentia cantant dicentes: *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora cõsurgens, pulchra, vt Luna, electa, vt Sol, terribilis, vt castrorũ acies ordinata?* Cùm enim nascereris, quasi rutilans aurora consurgis, ortus nimirum tuus vicem auroræ tenuit, in qua dies gratiæ cępit, nox verò infidelitatis, & ignorantiæ finem decrecit: Lunæ plenæ pulchritudinem habuisti, dum gratia plena facta es in Verbi incarnati conceptu; cùm solem iustitiæ paris, soli congrua similitudine compararis, sicut enim deplorato radio non corrumpitur, aut minuitur solis corpus, sic te pariente, non violauit ploratio sacri partus, tibi Mater misericordiæ competit electio solis, quæ splẽdoris æternos radios exhibes vniuersis, *terribilis, vt castrorum acies* extitisti, cùm cœlis lætantibus, Angelis obsequentibus, sanctis exultantibus, vexillis virtutum coruscantibus, terribilis dæmonibus apparuisti, ò igitur Domina mirifica, solari claritate insignita, Lunæ pulchritudine decorata, suscipe gratanter Rosam vernulam, quam tibi offero, vt in duodecimo loco tuæ Coronæ nobilis collocetur; Rosa enim flos florum per excellentiã est vocata, aspectu est valde placens, & grata: in redolentia mirè est oblectabilis; proficua, & vtilis in medicina, quæ omnia optimè tibi cõueniunt. Virgo grata. Sed tu Domina, non es rosa mundi, quæ statim post ortum aresçit, & deficit; sed tu es rosa Paradisi, quæ gestaris in manu Regis cœli; tu es flos florũ virginalium, & Regina omniũ puellarũ Christi; nam à te habuerunt formam integritatis, & tanquam à præcellenti ma-

**fortè excellens*

Cant. 9.

Cant. 6.

magistra doctrinam perfectæ castitatis, ideo A super omnes triumphans residés in throno Imperialis dignitatis. Tu etiam Domina, es pulchra fide, pulchra coram Deo humilitate, pulchra coram Angelis virginitate, coram hominibus misericordia, & pietate. Odor etiam tuæ pietatis præsentitur in cœlo; fragrantia tuæ misericordiæ adoratur in seculo; dulcedo tuæ compassionis respergitur in inferno; odor tuę humilitatis filium summi Regis de cœlesti throno fecit descendere, & in hospitio tui virginei ventris compulit declinare, de quo hospitio quidam dictator deuotus ita scripsit. Sol Luna lucidior, & Luna sydetibus; sic MARIA dignior creaturis omnibus; salue mater pietatis, B & totius Trinitatis nobile triclinium Verbi carnem incarnati, speciale maiestati prępararans hospitium. Tua etiam medicina subuenit in infirmitate; succurrit in aduersitate; recreat in labore; solatur in dolore; in persecutione præstans auxilium, in tribulatione solatium; sanat pestes corporis; illuminat vitia cordis. Vnde quidam: Ad omne periculum pietas virginis subuenit, & potens est subuenire.

ORATIO.

CVM igitur tot, & tantæ sint tuorum prærogatiuæ meritorum, clarifica, lux formosa, visum meum, vt speculetur tuam pulchritudinem, sana gustum meum, vt saporet tuam dulcedinem, olfactũ renoua, vt odoret tuam suauitatem, illumina, & inflamma omnia interiora mea tua sancta sapientia, & flammateria charitate tua, vt de te sciam prudenter cogitare, feruenter diligere, te deotè colere, te profundè intelligere, sapienter inuestigare; suauiter ruminare, tibi dulciter inhærere. Assiste Domina mihi te deotè de præcanti, te suauiter ruminanti, te legenti, te meditanti, de te loquenti; ad te anxiè suspiranti; odor tuus me recreet; memoria tua me confortet suauitas tua me reficiat; gratia tua me nutriat; pietas tua me dulcoret; præsentia tua me consoletur; ducatus tuus me comitetur; ducens per tuas semitas ad lucem, quam inhabitas, Amen.

Situatio Carbunculi lapidis pretiosi in Corona Virginis, Cap. 14.

VIrga Regia gemmis virtutum ornata, monilibus gratiarum composita, iustitiæ vestimento induta, specie tua, & pulchritudine tua in cœlestibus cognita, benignitas tua sic Regis animum in sui concupiscentiam inclinauit, quòd suum de cœlis ei transtulit nuntium, & ipsemet in eius protinus festinauit amplexum. Si igitur, Reuerendissima Domina, creator visibilium, & inuisibilium sic concupiuit amorem tuum, sic desiderauit amplexum; nos miseri, qui per te sumus reparari, & à perpetua morte liberati, cum quanto amore tenemur te diligere? cum quanta reuerentia tibi seruire? cum quantis te laudibus extollere? Tu enim es Sole spetiosior aspectu; fide pulchrior, & gratia veneratior, super decorem mulierum elegantior. Ideo cùm sis pulchra, & decora, amabilis, & gratiosa, clara, fulgens, & serena, rutilans, splendida, & christallina. Rogo te, vt in decorem tuæ nobilis coronæ gratanter digneris Carbunculum susci-pere, quem in tertiodecimo ipsius * decreui collocare. Carbunculus enim tenebras illustrat, splẽdorem oculis intuentis vibrat: Hoc efficaciùs in nobis operaris, cùm sis speciosa Christi Mater singularis: quis enim sufficeret exprimere lucem miserationum tuarum, quam tu Domina mundo tenebroso infulsisti? quis sufficeret enarrare virtutes, & miracula, ligna ingentia, atque portenta, quæ vel pro salute animarum, vel pro medela corporum, vel pro consolatione bonorum, vel pro correctione malorum, multifariè, multisquè modis dignata es operari? Nec dulcedo misericordiæ tuæ, nec multitudo pietatis tuæ, nec affluentia gratiæ, & bonitatis tuæ Christianum quempiam latet, prout quilibet in tribulationibus, necessitatibus, ac periculis constat esse compertum. Qua propter delectabile est omnibus MARIAM laudare, benedicere, & prædicare. Cùm MARIA nominatur, tunduntur pectora, curuantur capita, prodeunt lacrymæ pietatis, seu deuotionis, & suspiria contriti spiritus, vel inflammatæ affectionis. O nomen splendidius sole, fragrantius balsamo, & cinnamomo, ad cuius prolationem mundus gaudet, cœlum ridet, iubilat Angelus, exultat iustus, confunditur Diabolus, contremiscit infernus. Sed & siquis oculos cordis aperuerit, ad intuendum, vel considerandum perfectionem tuæ sanctitatis, vel compositionem tui corporis, vel profunditatem tuæ sapientiæ, vel intelligentiæ, infundi tur illico exultatio mentis, & iubilus cordis, D & serenitas pectoris, seu operatio alicuius gratiæ spiritualis.

** supple loco*

ORATIO.

OIgitur Clementissima, quæ vitam inspiras mortuis, salutem pereuntibus, lumen cæcis, solamen desperantibus, consolationem lugentibus, de thesauris tuæ profundissimæ misericordiæ infunde quæso in cordis iubilum, mentis lętitiam, pectoris claritatem, esto mihi vita, & salus animæ meæ; dulcedo, & pax cordis mei; suauitas, & iucunditas animi mei; stella maris clarissima, mater compatientissima, dirige me, defende me ab hostibus, & periculis omnibus, quatenus tua

succurrente gratia, & opitulante misericordia, à vitijs omnibus purgatus, & à cunctis aduersitatibus liberatus, & præsentem vitam miseram valeam transire illæsus, & ad sempiterna gaudia venire securus, Amen.

Sol luminare præfulgidum, hic totam coronam illustrat, Cap. 15.

SIgnaculum castitatis, lilium virginitatis, MARIA, mulieribus pulchrior, cunctisq; Angelis delectabilior, omnibus sanctis sanctior, pietate viscerosior, omni gratia elegantior, Archangelus te salutat, Deus Pater te sanctificat, Spiritus Sanctus tibi obumbrat, Dei filius te desponsat, animæ te sanctitate * Deum fide concepit; tui ventris puritas ipsum castè genuit, tui corporis virginitas ipsum floridè peperit; ò glorioſa, & superglorioſa, ò laudabilis, & superlaudabilis, quis valeat tua exprimere merita? dignè laudare preconia? dinumerare merita? cœlis gaudium dedisti; terris Deum obtulisti; mundo pacem refudisti; per te lux cæcis infunditur; fides cordibus oritur; consopiuntur vitia; confunduntur Dæmonia; euacuantur tartara, augmentantur cœlestia; recreantur pauperes; sustentantur debiles, exaltantur humiles; infirmantes sospitantur; pœnitentes illustrantur; inferna per te clauduntur; cœlestia reserantur; ex prædictis, clarissima Domina, liquet, quòd omnium benedictionem, & laudem es assecuta, quia omnibus tua beneficia infudisti; quamobrem Patriarchæ te desiderant; Apostoli te amplectuntur, & Euangelistæ te reuerentur; Martyres te venerantur; Confessores te prædicãt; Virgines te circundãt; Angeli te glorificãt, & omnes insimul te exaltãt. Ego peccator, qui nõ sum similis vni ex illis, laudem, & gloriã, & honorem tuũ, offero tibi, Domina, Solẽ super omnia luminaria speciosum, & fulgidum, vt per me in quartodecimo loco tuæ coronæ nobilis collocetur, qua tenus corona tua eò amplius clarificetur, & illustretur, copiosiore pulchritudine decoretur. Nam Sol habet altitudinem in situ, agilitatem in motu, iucunditatem in aspectu, fœcunditatem in effectu, luminositatem in actu: quæ omnia cùm tibi valde conueniant, Solem decreui in tua corona meritò inferendum collocare; Tu enim, Domina, in alto es exaltata, quia tua conuersatio extitit a peccatoribus elongata; siquidem in arduis cœlorum constituisti nidum tuum, cor tuum suspendisti ad lumen illud purissimum, & * circumscriptum, omnium rerum fontale principium; columbino, & aquilino oculo contemplaris Deum Patrem luminum, per ardens desiderium diuinum adorans mysterium, exprimens charitatis, & deuotionis intensum, portans * & degustans ex torrente diuinæ voluptatis, & dulcedine internæ suauitatis. Agiliter etiam moueris propter pietatem, gyrum enim cœli, & terræ circuis, vt videas necessitates pauperum, suspiria iuuenum, dolores senum, lamenta viduarum, languores infirmantium, vota tibi seruientium, vt velut patrona humani generis, & afflictis medica singularis, subuenis cunctis diuino munere ex officio magnæ misericordiæ tuæ, & affectionis viceroſæ. Infers etiam Domina iucunditatem intuentibus, & contemplantibus te; & hoc quia pulchra es ad intuendum, amabilis ad contemplandum, delectabilis ad amandum; cuius pulchritudinem Sol, & Luna mirantur; cuius splendore sydera illustrantur, cuius puritati Angeli famulantur; Sed quis, vt tu Domina animas steriles sic fœcundat, quis sic impinguat corda arentia, quis sic pectora frigida calefacit, omnia bona, quæ illic summa maiestas decreuit facere, tuis manibus voluit commendare; commissi quippè sunt tibi thesauri sapientiæ, & scientiæ, localia charismatum, decoramenta virtutum, ornamenta gratiarum. Cùm igitur ex his bonis super nos feminas, sterilitatem nostram fœcundas, sic salutaria opera facis producere, & fructus optimos propagare. Quantos latrones fecisti pœnitentes? quantas meretrices castas, & continentes? quantos raptores pios eleemosynarios? quantos ebrios, parcos, & sobrios? quantos gulosos abstinentes, & modestos? quot luxuriosos castificasti? clara es etiã, ac splendida, & tota luminosa. Tu enim amicta lumine, sicut vestimento, per coronam duodecim stellarum in tuo capite rutilantem, & solare pallium, quo te Ioannes vidit refulgentem, nobis liquidè declarasti, quòd sicut Sol oriens mundo in altissimis Dei, sic species, & decor tuæ refulgentiæ in ornatum supernæ Ierusalem triumphantis, & militantis, Vnde sicut dulce, & delectabile est oculis intuentium videre solem, ita iucundum, & suaue est valde omnibus turmis Angelicis tuam conspicere claritatem; quam ob rem mirantur in te Angeli sinceritatem claritatem; Archangeli sanctitatem perfectissimam; Principatus superioritatem generandum * Potestates coercibilem potentiam; virtutes operationem mirificam; Dominationes victoriam triumphalem, Throni placatissimam tranquillitatem; Cherubim radium sapientiæ fulgentis; Seraphim igniculum amoris æstuantis.

Oratio Beatæ Virginis.

CVM igitur tãta miracula de te, Domina, prædicentur, oro, vt tuum amorem mihi infundas, demonstra mihi Angelicum, & venustum aspectum tuum, sicque lætus moriar, grandi spe, & confidentia suffultus, & * in

* *fortè animæ tuæ sanctitas*

* *fortè in circumscriptum*

* *fortè potans*

* *fortè generalè*

* *suplex de*

incorruptione mea, & immarcescibili gloria securus. Amen.

Positio Smaragdi pretiosi in Corona Virginis, Cap. 16.

THronus sapientialis sanctæ Trinitatis, cathedra dignissima Filij Dei Patris Domini nostri Iesu Christi, Mater virginea, & sponsa speciosa, tu mihi Domina post Deū, es salus mea, spes mea, & consolatio mea, pœnes te bonorum omnium est mihi reposita multitudo; tu mihi es in fluctuatione anchora, in naufragium * portus, in tribulatione subsidium; in opportunitate auxilium, in prosperitate moderantia; in expectatione lætitia, in labore recreatio; ostende ergo te, occurre mihi hilariter, filia summi Regis, dulcedo animæ meæ, lumen mentis meæ, pax, & serenitas cordis mei; videant te tripudium Angelorum, reparatio perditorum, corona liliorum virginalium, cognoscant te spes pœnitentium, lumen mentium, fons omnium bonorum, corona triuphantium. Appare mihi consolatrix animæ meæ, sanitas cordis mei, via salutis meæ; amplectar te sanctis, & castis desiderijs, Virgo lilium castitatis per merita munditiæ virginalis, & quia decorem, & pulchritudinem tuam honorare decreui, Rogo te Domina, Smaragdū lapidem pretiosum, * quod in quintodecimo loco tuæ coronæ statui situare, in laudem, & gloriam tuam, acceptare digneris. Smaragdus enim est lapis pretiosus, charus, & speciosus, viridore placidus, oculis gratiosus, huic Virgo valde assimilaris, Regina, & stella orientalis. Quæ enim creatura nunquam fuit charior, & pretiosior Deo, vtilior mundo, necessarior generi humano? Tu non solùm pretiosior es lapidibus pretiosis, verùm etiam cunctis fœminis, Sole, Luna, & stellis cœli, Angelis, & sanctis vniuersis. Tu etiam es lignum pomiferū in medio Paradisi, quod per riuum fontis irriguum vires, flores, frondes, & fructificas; vires in germinatione bonorum morum; flores imploratione * virtutū; frondes in dilatationē pietatis; fructificas in operib⁹ sanctæ charitatis. Virgo tuos * oculos mētis, & corporis clarificat; virtus tuorum foliorum languentes recreat, odor tuorum florum mortuos suscitat, dulcedo tuorum fructuū pœnitētes, & desperatos salua t.

naufragio

quem

in ploratione

fortè virtus tuus

Oratio Beatæ Virginis MARIÆ.

GLorifica ergo Domina mea, oculos mentis meæ tuo grato virore, recrea animam meam tuo sancto dulcore, me mortuum suscita tuo miro odore, possideam te totaliter in medio cordis, & in arcanis pectoris mei, lux mundi, splēdor Ecclesiæ lætitiæ Ierusalē, honorificentia populi nostri, infunde amorem tuum ardentissimum in visceribus meis, vt ferueam ad laudandum te, ad glorificandum te, ad loquendum de te, ad prædicandū de te *sonet*, Glorioſa Domina, *vox tua in auribus meis*, sentiam venas susurri tui, ostende mihi pulcherrimam faciem tuam, & salua erit anima mea; & cùm omnia viscera tua pietate, & misericordia sint plena, sicque post Deum singulare refugium nostrum; oro te, vt piè, & deuotè audias planctum dolorum, quibus affligimur, angustiarum quibus cruciamur, nam hodie pax de terris euanuit, fame humana natura languet, & deficit: christianus christianum expoliat, & occidit. Messes, & fruges, à feris deuorantur, vineæ ab ipsis demoliuntur, quotidie pullulant vitia, quotidie cumulantur peccata, hinc inde discurrunt dęmonia, terremotus magni quando que per loca, pietas, & misericordia desijt à laicis; honestas, & castitas à clericis; cupiditas, & in deuotio regnat, in religiosis, seculares aurum, & argentum aggregant; religiosi hæc eadem ambiunt, & desiderant. Prælati ad dignitates anhelant; euertuntur castra, de populanturvrbes, sæuiunt mortalitates, fiunt fraudes, & deceptiones; propalantur mendacia, perpetrantur furta, expoliantur monasteria, constuprantur virgines, violantur moritales, deturpantur maritatæ, ecce, clementissima Domina, in quantam miseriam cecidit humana natura; in quantam tristitiam corruit Mater Ecclesia; quanto dolore cruciatur omnis creatura; condoleat igitur, Pia Mater, pius affectus tuus; compatiantur generi humano viscera misericordiæ tuæ, assiste pro nobis ante tribunal Dei, flecte rigorem Dei Patris; reuoca sententiam iudicis, frœna sæuitiam aduersariæ pietatis, * noua pax oriatur de cœlo; opera pietatis reuiuiscant in seculo; actus virtuosi floreant in claustro; merita tua recolantur in mundo; laus, & gloria reddatur Domino Iesu Christo, & Patri, & Spiritui Sancto, Amen.

Cant. 2.

fortè impietatis

Positio floris pulcherrimi, scilicet Violæ in sextodecimo loco in Corona Virginis, Cap. 17.

TV Domina nostra speciosa valde, virgoque pulcherrima, & incognita viro; speciosa es inter omnes filias Ierusalem; quia illæ sponsæ Christi tantùm, tu verò Mater, & sponsa: illæ vno tantùm virginitatis gaudent priuilegio, tu verò fœcundaris, & virginitatis gaudes priuilegio, tu verò fœcundaris, & virginitatis tanquam duplici prætitularis ornamento; pulchra es etiam casto amore, pulchrior pietatis opere, pulcherrima pro Christi virginea conceptione, & parturitione, pulchra in virginitate, pulchrior in humilitate,

pulcherrimâ in charitate ; pulchram te fecit morum suauitas, pulchriorem operum sanctitas, pulcherrimam Regalis maiestas; potestatibus Angelicis circumvallata, omnino fuisti intacta, mente, & corpore inuiolata, tu es illa maris stella, supremo cœli cardine, Deo proxima, ad quam suspirant Christicolæ, inter fluctus huius seculi nauigantes ; quatenus cæcitati nostræ infundas radios fidei, quos infœlix homo, nudatus iustitia citò à se repulit, & abiecit. Idcirco vt à te merear illustrari, tuisque meritis saluari, offero tibi quendam florem pulcherrimum, scilicet, Violam, quæ in sextodecimo loco tuæ coronæ per me nunc inseritur, vt eius odore placido respergatur. Est enim Viola decorus flosculus colore hyacithino mirè odoriferus, in medicina proficuus. Iste flos, ò Domina, valde tuæ coronę cõgruit, quia tu illũ in virtutibus imitaris. Nã tu sacra Virgo, es viola puritatis, viola pudicitiæ, viola castitatis, viola cõualescẽtis, viola redolẽtis, viola suauitatis, viola sanctitatis. In colore hyacinthino simili cœlo sereno notatur affectus tuus de terris ad alta subleuatus. Tu enim Domina, inter astra matutina cõstituisti cubile tuum, vt cum filijs Dei iubilantibus laudares creatorem tuũ; ad sponsum enim in dextera maiestatis sedentem suspendisti cor tuum. Vnde quidam Sanctus, inquit, sublime sanctum verticem, erexisti Domina vsque ad sedentem in throno, vsque ad Dominum maiestatis. Sed & fragrantia tuæ miræ suauitatis, & redolentia tuæ dulcis, & piæ visitationis corda te diligentium lætificas, & tuo spirituali tactu languentes recreas, atque sanas, idem dicit quidam Sanctus: Tu patrona generis humani, tu afflictis rebus medica singularis.

ORATIO.

O Dulcis medica animarum curatarum, cordium illustratrix, sana languores meos, illumina cæcitatem meam, illustra fidem, confirma spem, accende charitatem. Tu stella lucida, quæ splendorem paternæ gloriç in splendoribus sanctorum rutilantem nobis genuisti, æternum mane in vmbra mortis sedentibus nunciasti ; velut aurora consurgens cursus æterni solis prætulisti, luce gratiæ mũdum illuminãs, iubare virtutum sanctam Ecclesiam illustrans, splendor tuus illustrat cœlum, illuminat mundum, penetrat infernum, vitia abolet, virtutes refouet, sanctitatem ministrat, pacem, & charitatem de cœlis nobis procurat. Tu etiam luces innocentia, radias castitate, totius sanctitatis magnificaris ornata, tu Mater es æternæ lucis, cuius claritate Angeli gratulantur, gaudent homines, & speciali iucunditate spiritus, & animæ reficiuntur. Tu es aurora solem generans, cui in defessè, rutilans continua de luce incundat. Huius splendore irradiaris fœliciter illuminaris, excellẽtissimè illustraris. Tu porta templi clausa, Regum Principi præparata, domus Dei sacrata, sigillo totius Trinitatis signata. Tu nubes lucida, per quam caligo peccatorum destruitur, nubes rorida, qua nostra ariditas dulcoratur, nostra sterilitas fœcundatur, nubes candida, qua caligo dealbatur, de qua nube sic dicitur: ò nubes lucis fulgida, in cœlis sublimata, Iesse virgula florida; gratia fœcundata : arca rore madida, desursum irrigata; irrora corda arida stilla dulci, & grata. Tu thronus sapientiæ, & virga æquitatis, tu cedrus pudicitiæ, vitis vbertatis, cypressus redolens, oliua lenitatis. Ad portum indulgentiæ duc nos fons pietatis, tu castitatis lilium, porta orientalis, Trinitatis triclinium, thronus Imperialis, peccatorũ refugium, materque principalis, ad cœlorum fastigium, trahe nos flos vernalis, Sacramentis * inuentio, sydus miri splendoris, legis nostræ præfatio, textus summi Doctoris; esto nostra protectio, mater plena dulcoris, nostrę salutis actio, post hanc vallẽ mœroris, Amen. * *Sacramentorũ*

Amethystus lapis pretiosus in Corona Virginis. Cap. 18.

SAlue sancta Mater Dei, aureum reclinatorium Saluatoris mundi, orientale lumen, sanctorum pectora illuminans, & illustrans, philosophia virtutis, Christianorum magistra, ò claustralium disciplina, doctrina pacis, gladius spiritus, galea victorialis, tua virtus irradiat cœlos, lætificat Angelos, terrificat diabolos, euacuat tartaros. Tu thronus Imperialis, & sedes sanctæ Trinitatis, dormitoriũ Iesu Christi, à Sancto Spiritu consecratum, sanctificatum, & adornatum; in terris adoraris, in cœlis coronaris, fortem illi * vasa diripis, captiuitatis; Tu mater virtutis, mortificatrix criminis, clauis regni cœlorum, castitatis speculum, salue Virgo speciosa, terrestria conferens cœlestibus; homines socians Angelis, & sempiterno fœdere copulans ima summis; ò Virgo sinceritissima, à Patriarchis præfigurata, à Prophetis prænonstrata, ab Apostolis prædicata, à Doctoribus prætitulata, ex quo igitur tot, & tantis bonis illustraris, à cunctis sic magnificè commendaris, iustum est, vt modicum quid de mea penuria tibi offeram, ad clarificandam maiestatem tuam venerandam, suscipe ergo gratanter Domina, pretiosum lapidem Amethystum, quem in decimoseptimo loco tuæ coronæ situo, vt illi præbeat splendorem suum; est autẽ Amethystus ex parte violaceus, ex parte rosaceus, super lapides purpureos obtinet principatũ, & quia huic Domina similis, debet in tuo diademate situari; tu enim fuisti grata, & odo- * *alligas*

odorifera, vt viola fragrãs, atque purpurea, velut rosa; in viola paruula tua humilitas commendatur; & in rosa colorata tua charitas designatur; vt enim ex conceptu tui * te fecisti Dei Ancillam humilem; ita ex amore flammeo, quo eum dilexisti, ipse te fecit gloria, & honore sublimem. Tantaque sunt tibi data charismata gratiarum, atque prærogatiuæ virtutum, vt non solùm homines præcelleres, verùm etiam Angelos, & Archangelos, cœlique Principatus, ac Cherubim, & Seraphin legiones; superasti Virgines per castitatem mirabilem; miranda fuit enim tua virginitas, quia fœcunditate priuilegiata. Ex fœcunditate tua virginea propagasti nobis Redemptorem omnium, Saluatorem saluandorum, reparatorem Angelorum, quod nulla alia Virgo facere potuit. Superasti Confessores per virtuosam operationem; licèt enim mira fecerint, tamen tu ipsis fuisti superior, insignis virtutum, & in laboribus pœnitentiæ, in operibus misericordiæ, in feruore spiritus, in affluentia pietatis. Superasti Martyres per victoriam triumphalem; nulli enim doli temptares * clausira tuæ virginitatis potuerunt dirumpere; nulla blandimenta seductoris valuerunt tuam constantiam emollire; nulla iacula hostis sæuientis tuam fortitudinem potuerunt superare. Superasti Apostolos per excellentissimam sanctitatem; fuisti enim illis superior in amore Dei, in dilectione proximi, in cognitione mysteriorum Iesu Christi, & in compacitate * mysteriorum altissimi, & in degustatione gloriæ cœlestis. Superasti Patriarchas, & Prophetas, in fide, & spe, & longanimitate, in clariore cognitione præteritorum, & futurorum, & intelligẽtia ænigmatum, & figurarum. Superasti omnes choros spirituum supernorum in puritate mentis, in claritate intellectus, in signis, & virtutibus, & prodigijs, in refrænando hostiles insultus, in principatu mirabili, in dominatu glorioso, in tranquillitate pacis, in splendore sapientiali, in ardore charitatis.

* *filij.*

* *fortè tẽtaris.*

* *capaciatte.*

ORATIO.

CVm igitur, dulcissima Domina, omnia bona à Deo in manu tua sint posita, vt liquet ex præcedentibus; rogo te, vt hanc orationem digneris placenter suscipere, vt pacẽ, & indulgentiam mihi placeas impetrare. O Virgo splendor gloriæ. Sanctificata Spiritu, Columba plena gemitu. Nobis Ægypti exitu. Occurre, plena gratiæ. Et familiæ malignæ, Defende nos à fremitu. In iustorum exercitu. Dulci fruamur requie. Gratiarum monilibus ornaris Christi gratia. Pretiosis lapidibus. Virtutum fulgens gratia. Tu plena sapientia. Cunctisque charismatibus. Nos dæmonum insultibus. Tua nos ser-

A ua potentia. Da nobis pacem omnibus, Virginum Primiceria. Tu sempiterno fœdere. Cœlesti sponso iungeris. Fac nobis diluce-scere. Hunc, cuius mater crederis. Et cum sis Arca fœderis. Placatum nobis reddere. Illum vindictæ tempore. Meritis, quibus frueris. Succurre nobis miseris. Iam lucis orto sydere, Et digneris occurrere Nobis in die funeris.

Luna clara, & fulgida in Corona Virginis, Cap. 19.

GAude, & lætare filia Sion virgo inclita, lilium paradisi, quia in te gaudent Angeli, atque Archangeli, Cherubim quoque,
B & Seraphim, Principatus, & Potestates, totiusque cœlestis exercitus legiones; siquidẽ tu es reconciliatio mundi, forma pacis, via salutis, regula disciplinæ; te Saluator adamauit, tua carne se induit, tibi suam gratiã commendauit; ideo pro tantis beneficijs te laudant Angeli, adorant Dominationes, Principatus, & Potestates colunt, & celebrant, beatiquè Seraphin extensis alis præferunt, & demonstrant; & ego peccator pauperculus, & indignus, vt tibi aliqualiter complaceam, in decimo octauo loco tuæ coronæ situo Lunam claram, & lucidam, vt splendore suo illustret, & clarificet illam. Luna enim à Sole lumen recipit, cunque * illuminatiua
C noctis, amica, & diffusiua roris, releuatiua * latronis. Quæ cùm tibi, clarissima Domina, optimè conueniant, meritò debet in tuo diademate collocari. Tu autem illã altissimam maiestatem, * collocata, illi tuos castos, & puros oculos es infigens, Deum omnipotentem, sedentem in throno cupidè sitiens, & concupiscens, qui tibi, velut suo, amicabilique obiecto suam claritatem transmittit, & communicat. Ex qua tu Domina peccatorum noctem illuminas, tenebras noctis propellis, & fugas; ariditatem animarum gratia reficis, & impinguas; & prædetegis * conuenticula, illusiones aerearum machinamenta latronum spiritualium, & omnes nequi-
D tias; & diabolicarum falsitatum. O igitur sancta Virgo virginum, sanctum, & benedictum triclinium supernæ maiestatis, Quantis laudibus tenemur te laudare? Quantis precibus, & lachrimis te inflecteret vt ab his spiritualibus nequitijs nos defendas? Tu enim es glorioſum reclinatorium Saluatoris seculorũ, qui ex tua clara carne, ac virginea in aula castissimi ventris, nobile, & honorificum præcinctorium tibi fabricauit, ad crudelẽ mortis Principem debellandum. Tu etiam es sanctum, & inuiolabile, & intemeratum sancti Spiritus Sacrarium, in quo idem Spiritus Sanctus reposuit thesauros gratiarum suarum, & charismatum; reconditi namque sunt

* *fortè est què.*

* *fortè reuelatiua, siue releuatiuà latronibus.*

* *fortè in illa.*

* *fortè detegis.*

sunt apud te, thesauri indeficientes virtutis, & gratiæ pacis, & misericordiæ; salutis, & sapientiæ; honoris, & glorię. Adhuc etiam idem spiritus cõtulit tibi, vt in nomine tuo. *Philp. 2.* *Omne genuflectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur quia* tu Mater Domini nostri Iesu Christi, *is in gloria Dei Patris* sedens à dextris amantissimi sponsi, & vnici filij tui, immarcescibili corona septem stellarum fulgore radianti insigniter coronata: turmis virginalibus constipata, super omnes Sanctos mirificentiùs exaltata, alternantibus, hymnidicis Angelorum choris, in lilijs perpetuæ virilitatis infrà Curiam paradisi, ad quam nos perducat filius tuus, tuus per hoc carmen tibi oblatum tuis precibus delinitus.

ORATIO.

AVE thronus maiestatis, Aue flos humilitatis, Et candoris lilium. Totius diuinitatis, Illibatæ charitatis, Templum, & Sacrarium. Aue terra virginea, Siue cœlestis area, Gerens florem gratum, Quam fœcundauit spiritus, Obumbrauit diuinitus, Verbum incarnatum. Vt lux aurora vernula, Cœli depellit nubila, Diei dat splendorem, Ac ortus tuæ claritatis, In nouella iucunditatis, Proferens Saluatorem. Nos in mortis agonia, Virgo pro tua gratia, Digneris visitare. Et ad superna gaudia, Vbi peremnis est gloria, Post mortem conuocare, Amen.

Positio Chrysolitilapidis pretiosi in Corona Virginis, Cap. 20.

IVcundare Virgo filia Sion, & exulta satis Christi Mater, & sponsa; quia Dominus est tibi in lucem sempiternam, & filius tuus amantissimus in gloriam tuam, vox especu- **fortè spe culatorii.* torum * cœlestium resonet tibi laudem, & iubilus astrorum matutinorum distillat * ti- ** fortè di stillet.* bi canticum gloriæ, & honoris; & meritò quidem, nam luce miserationum tuarum cœli, & terra illustrantur. Quis enim viscerosa mater vitare potest pietatis tuæ dulcedinem? Tuis meritis confunditur diabolus, euacuatur tartarus, illustratur mundus; tripudiat Angelus, repletur paradisus. Quas enim gratiarum actiones tibi Regina veneranda, ego indignus peccator potero referre? In tuo sancto ventre latent diuina mysteria; in tuo sancto corde Dei arcana; in tuo sancto pectore residet Dei sapientia; in ventre tuæ matris gratia fuisti repleta; nulla sorde vnquam polluta; nullo cõtagio maculata; Deũ castè suscepisti; sacra carne induisti; illibatè peperisti. Et quia sacra Domina, protulisti nobis dulcissimum puerum in salutem, & gloriam sempiternam, in laudem, & gloriam tibi offero Chrysolitum lapidem pretiosum, vt in loco * vigesimo tuæ coronæ nobili collocetur. Chrysolitus partim aureo colore, partim marino decoratur, in auro pietas, in colore maris amaritudo exprimitur, nam sicut aurum omnia metalla superat, sic pietas omnia exercitia corporalia, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ, & est propriè cultus Dei. Tu igitur Domina, semper fuisti pia erga miseros, dulcis erga tribulatos, misericors erga pauperes; fuisti etiam, Domina purissima, diuino cultui totaliter dedicata, Deum toto corde diligendo, ipsum totis viribus laudando, in eum tendendo, eius faciem semper quærendo, ipsum contemplando, illi inhærendo, illum gustando, & de torrente voluptatis eius potando; & propter hæc illum in tuo ventre virgineo humanatum porta, & sine dolore peperisti, sacro vbere lactasti, flentem dulciter consolasti, amicabiliter nutristi, dulcia illi oscula impressisti, ita vt nullis vnquam vsibus mancipata fueris, nisi diuinis. Fuisti etiam ex persecutionibus, & tribulationibus filij tui amantissimi amaricata; & ex doloribus, & passionibus eius multùm angustiata, & ex eius morte in anima gladio transfixa, vt tibi fuerat propheratum, *& tuam ipsius* pertransibit gladius.* ** fortè vn decimo.* *Luc. 2.* ** supple animam.*

ORATIO.

ERgo cùm tot insignia de te Domina, prædicentur; verte sanctum, & pium intuitũ super me peccatorẽ miserũ, omni gratia priuatũ, illustra spiritũ meũ, recrea pectus meũ, accẽde cor meũ, & viuifica animã meã, reuocamentem meam. Pia refice me; prudens Virgo instrue me; lucerna mea illustra me; virtus mea conforta me; per te dirigatur operatio mea; per te gubernetur intentio mea, & affectio; intret lux tua in corde meo, & amor tuus in visceribus meis, & charitas tua in præcordijs meis, vt dulciter sapiam de te, & videam, & intelligam, quid placidum, & accepto * sit coram te omni tempore. Tu ** fortè placitum, & acceptũ.* Virgo sanctissima es Arca Testamenti, circum tecta ex omni parte auro, in qua sunt omnes thesauri gratiæ, & misericordiæ Dei; exteriùs inaurata virtutibus, interiùs innocentia, & pietate; interiùs fulgens auro pietatis, exteriùs rutilans operibus charitatis, & miraculorum claritate. Tota es munda intus in mente, tota pulchra exteriùs in operatione; tota carens macula, tota Deo sociata; diuina claritate fulgens, diuinis laudibus resultans. Tu es templum Domini, vbi est omnipotentia in charitate, sapientia in humilitate, benignitas in virtute, soliditas in credulitate, simplicitas in perfectione, casti-

stitas in virginitate, sanctitas in actione, & opere. Tu es vita mundi, medicina animarum languentium, arbor vitæ in medio paradisi, cuius fructus sanat contritos, reparat languidos, solatur tristes, sustentat imbecilles. Tu es etiam gloria mundi, columna cœli, firmamentum virtutis, romphæa peremptrix diaboli; morsus inferni, tu extinguis concupiscentias; fructus virtutum germinas; tentatos roboras; cæcos illuminas, sitientes potas; esurientes cibas; morientes tuo charactere munis, & salutari ducatu perducis ad gloriam paradisi, quam nobis concedat filius tuus benedictus, Amen.

Hic Virgo laudatur deotè, & Solsequium in eius Corona, Cap. 21.

SIcut Sol oriens mundo in altissimis Dei, sic species tua, Virgo MARIA, in ornamento totius aulæ paradisi, quam speciem concupiuit Rex Regum, Dominus, & Princeps regnantium; faciens admirabile cõmercium, suam nobis Deitatem tribuens, nostrã capiens mortalitatem, vt paupertatem nostram de stercore erigeret, sceptrisque Imperialibus, ac perenni Regno illã mirabiliter insignire t; ideo ab omnibus sanctissima prædicaris, quia omnium bonorum causa nobis effecta es, non solùm salutis perpetuum, verùm etiam totius virtutis, & sanctitatis vitæ, excedas * nobis exemplum bonorum operum, & impetras à Domino diuersa charismatum* gratiarum, nam per te influit in nobis misericordiæ suæ dulcedinem, suæ pietatis clementiam, & gratiæ vbertatem; per te dispensantur diuina charismata; per te reserantur arcana cœlestia; in te latent mysteria cælica; ex te manant Ecclesiæ Sacramenta; gaudia accumulas Angelis; salutem paras hominibus; pacem terris anuncias; Deum ad misericordiã inclinas; per te lux cordibus infunditur; dulcedo peccatoribus distillatur; mentibus gaudium, tristibus solatium oritur; brauium laborantibus, & corona certantibus. Tu es fructus saluificus, viuo fonte irrigatus, pietatis balsamiticum liquorem distillans. Ex te enim defluunt charitatis aromata, suauitatis vnguenta, odoramenta virtutum, & irrigua lachrimarum, tu cinnamomo fragrantior, tu cedro virtuosior, cypresso redolentior, cibis pigmentorum suauior, tu animarum speculum, tu nectar Angelicum, Imperiale ornamentum, per te fracta sunt tartara, redempta plebs captiuata, cœlestia patefacta. Ex te prodeunt flores rosarum, & lilia conuallium, & omnia genera specierum; tu saphirus indicus; scintillans carbunculus; tu rutillans saphirus, tu viroris smaragdus, in te sunt thesauri pretiosorum lapidum, fragrantia omnium vnguentorum, suauitas omnium aromatum, & claritas omnium stellarum, virtutes tuæ pretiosiores sunt auro, fragrantiores sunt cinnamomo, pulchriores saphiro. Merita tua vincunt suauitatem vnguentorum, decorem ornamentorum Regalium, fæcunditas rutilat, vt stella matutina, splendet, velut Luna plena, refulget, vt Sol virtute superna. Ideo pro tantis prærogatiuis meritorum ego peccator de mea penuria in honorem, & gloriam tuam offero tibi Solsequium florem redolentem, & gratum; vt in tua corona affigatur, & in loco viceſimo collocetur. Solsequium dicitur, quia sequens solem; nam Sole super eum veniente, statim applaudẽdo, se illi aperit, eo verò recedente, tristis se in ipso constringit, complicat, atque claudit. Huic assimilaris Virgo purissima: Nam cùm Sol iustitiæ, videlicet, Verbum supernum prodiens, nec patris linquens dexteram, ad opus suum exiens suscepturus naturam nostram, ingreditur vterum tuum, volens induere carnis nostræ pallium, & ex purissimis tuis sanguinibus sibi fabricare indumentum, quàm grataner, quàm festinè illi affectum tuum reseraſti, summæ mentis dilataſti, desideriũ extendiſti, & vt diu tecum remaneret, illum amoris amplexibus restrinxiſti! Cùm ergo post mortem suam, se à tuis aspectibus absentauit, remansisti tristis, & solitaria; dolens, & gemebunda; multisque calamitatibus oppressa; & sicut solsequium est gratum oculis in colore, sic tu ex humilitate, & benignitate tua fuisti oculis supernæ maiestatis grata, totiusque Sanctæ Trinitatis aspectui placentissima, & vt ex odore recreat odoratum, sic tuæ virginitatis fragrantia redoluit Angelis, sacris puellis Christi; oblectamentum præbuit Dei Filio, odorem fudit mirificum, & cœlestis Ierusalem cunctis ciuibus voluptatis spiramentum.

** fortè ex te das.*
** charismata.*

ORATIO.

OIgitur puella virginea, humilitate placida, virtutibus odorifera, charitate ignifera, & luminosa; tu cor deuotum mira dulcedine delectas, & inebrias, pectus purgas, & castificas; animã irradias, & illustras, & serenas; omnia interiora illuminas; in amorem tuum, oro, vt ferueat affectus meus; liqueſcat anima mea; inflammetur cor meum; gratia tua refoueantur viscera mea; dulcore tuo impingueſcant omnia interiora mea; nunquam deficiat laus tua de ore meo; nec amor tuus de præcordijs meis; nec sanctum nomen tuum de corde, & memoria mea; vt te semper sentiam protectricem in tentatione; consolatricem in tribulatione, & in periculis adiutricem; in nubilo illustratricem; in acerbitate dulcoratricem, in aduersitate libe-

liberatricem; in necessitate subsidium: in conflictu mortis solatium, dux fidelis, & socia ad Angelorum gaudia, Amen.

Chrysopasus in Corona Virginis, Capit. 22.

Iudith. 11 *VNa mulier Hebræa fecit confusionem in domo Nabucodonosor:* Mulier Hebræa est Virgo MARIA, virtutum monilibus adornata, ab Abraham Patriarcha Hebræa nuncupata; quod de radice Iesse, velut virga vernula propagata, florem protulit pulcherrimum Dominum nostrum Iesum Christum, cuius odore resurgunt mortui, cuius fragrantia respergunt cœli, & inferi; cuius redolentia recreantur homines vniuersi. Tu verò virga Iesse gracilis, extenuata cœlestibus disciplinis, virga aromatizans fragrantiam charitatis, & sanctitatis; virga dominationis, & virtutis, confusionem in domo Nabucodonosor, id est, diaboli fecisti, cùm virgam tyrannicam eius confregisti, extinguēs Holofernem ipsius Principem, Principatum, & Dominationem eius à nobile * eq̃cuando crudele iugum eius; à facie olei fecisti conputrescere, & ab oppressione nostra sceptrum durissimum deperire, & ideo Beatissima ab omnibus prædicaris, per quã salus datur mundo, gaudiũ cœlo, honor, & gloria Deo, pax peccatoribus, spes lapsis, lux cęcis, Ecclesiæ gratia, & benedictio iustis perpetua beatitudo; propter quod cùm sis talis, ac tanta, omnium bonorum post Deum nobis causa extiteris, extollo te laude quintuplici, vt gratia tua dignus merear inueniri. Aue Regina misericordiæ, Sponsa Christi, Mater Dei, Filia summi Patris; amica Spiritus Sancti, salus mundi, lumen Ecclesiæ, dulcedo pietatis. Aue Regina Virginum, Imperatrix Angelorum, exultatio bonorum, amica pacis, Mater Virgo, dulcis fœmina, lucerna iustitiæ, doctrina sanctitatis. Aue rosa placentior, lignum vitæ, lilium paradisi; Trinitatis triclinium, æterni Verbi palatium, felix cœli porta, solamen in mœrore. Aue plena gratia, Mater pauperum, aduocata peccatorum; sceptrum æquitatis, gaudium animæ, pax peccatoris, tripudium, & lætitia cordis. Aue nostra fiducia; firmamentum debilium, splendor in tenebris, fundamentum fidei, portus indulgentiæ, via penitentiæ, fons dulcedinis, causa nostræ saluationis. Sed quia amplius te honorare cupio, Chrysopasũ, lapidẽ pretiosũ tibi offero, quẽ in vicesimo primo loco tuæ coronæ affigere curabò. Chrysopasus aureo pallore refulge, & colore viridi decoratur. Et quia similis efficeris, debet meritò tuæ coronæ affigi. Tu enim tanquam aurum ante Deum rutilasti, & sanctorum operum virore ei complacuisti. In auro sapientia, in virore virginitas designatur; fuisti etiam Domina, Virgo pura, Virgo sancta, Virgo immaculata, mente & corpore illibata, & quia te Virginẽ Deo dedicasti, primaque illi virginitatem vouisti, scientia, & sapientia copiosissimæ datę sunt tibi; ideo & Virgo prudens, & fœmina sapiens, construxisti domum tuam, nõ dico tibi, sed Deo: Nam ille, qui in cœlis habet habitationem, specie tua, & pulchritudine tua illectus in tua sancta anima constituit thronum suum, & in tuo aluo virgineo domicilium suum, vbi compegit nostrę substantiæ pallium, quo vicit humani generis inimicum, ex quo traxit sanguinem purpureũ, delentem nostræ perditionis chirographum, placentemque nobis Deum Patrem omnipotentem: sed quia tantæ maiestati habitationem non ornatam minimè decet apparere, ille, qui in te posuit tabernaculum suum, ornauit te septẽ donis Spiritus Sancti, tanquam septem pretiosorum lapidum nobilissimo ornamento. Primò ornauit te dono sapientiæ, quo tota es eleuata in diuinis per amorem estaticum. Secundò ornauit te dono intellectus, quo in arcanis es dilatata per splendorem Hierarchicum. Tertiò dono consilij, quo facta es prudens, sagax, & astuta per documentum cœlicum. Quartò dono scientiæ, quo facta es in Scripturis educata per Christi magisterium. Quintò dono fortitudinis, quo fis fortis constans, & vigorosa, contra omnem aduersitatem. Sextò dono pietatis, quo fis clemens, pia, & viscerosa, propter infusam charitatem. Septimò dono diuini timoris, quo fis mens simplex, & timorosa erga tremendam maiestatem.

** fortè à nobis.*

ORATIO.

ET ideo rogo te, clementissima Domina, vt tua gratia muniat frontem meum, illustret sensus meos, corpus castificet, sensus sanctificet, cor inflãmet, virtus intret in animam meam, illumine conscientiam meam, purificet carnem meam; gratia, & virtus tua me tueatur in tentatione; me consoletur in tribulatione; mihi assistat in periculo; me protegat à peccato; gratia tua mihi assistat orando, legendo, meditando, loquendo, comedendo, vigilando, & dormiendo. Misericordia, & pietas tua remittat mihi debita, cumulet merita, restauret perdita, acquirat mihi bona, sine mensura; gratia & virtus tua illustret mortem meam, repellat hostem meum, eruat me de manu inferni, & perducat me ad gaudia paradisi,
Amen.

Hic Oriona Stella splendida in Corona Virginis collocatur, Cap. 23.

A

VIdi speciosam sicut columbam, & circundabant eam flores rosarum, & lilia conuallium; meritò, Domina, Spiritus Sanctus tuum ascensum in hoc verbo miratur; tu siquidem es pulchra fide, speciosa facie, decora mente, formosa sanitate, simplex, vt columba, & candida in anima omni munditia, & innocentia dealbata, quam circundant astra lucentia, Angelorum, & Apostolorum; rosæ fragrantes Martyrum, violæ redolentes Confessorum, lilia candida Virginum: est autem rationalis condecentia; nam innocentia, & puritas tua excedit innocentiam Angelorum; sapientia tua Apostolorum intelligentiam; constantia tua Martyrum tolerantiam; prudentia tua Confessorum solertiam; castimonia tua Virginum continentiam. Quis enim Angelus in diuinis sic rapitur? Quis Apostolus sic in amore succenditur? Quis Martyrum in patiendo constantior? Quis Confessorum in opere virtuosior? Quæ Virgo, aut sancta fœmina in castitate mundior? Id circo cùm tam mirabilis existas in omni gratia, volens mihi illam à te Domina, comparare, præsento tibi Orionam Stellam claram, & splendidam, vt in ea Corona tua illustretur, & in loco vicesimo secundo affigatur. Est autem Oriona Stella splendida, pluuiæ diffusiua. Tu enim Domina fuisti Oriona splendida, cùm Deum fide concepisti, & splendidior effecta, cùm post partum inuiolata permansisti, splendidissima cùm in choro gloriæ super choros Angelorum, & Archangelorum exaltata fuisti; & cùm sis cœlestis area compluta, cœlesti rore imbuta, infundis nobis pluuiam gratiæ, & deuotionis, pluuiam pœnitentię, & contritionis, pluuiam doloris, & lacrymationis, pluuiam dulcedinis, & consolationis.

B

C

ORATIO.

D

OIgitur nobilis, & generosa Mater æterni, & incarnati Verbi Patris, quæ mundo perdito subueniisti per fructum saluificum, ex immaculata carne tua, per candorem virgineum, & rorem mirificè procuratum. O præclara puella in Matrem summi Regis ab æterno, & ante secula præparata. O Regina splendida ab Spiritu sancto in sponsam omnium virtutum monilibus adornatam, à primo diluculo exoptata, opus mirificum à summo conditore varietate mirifica, viuifica compactum; totius sanctitatis, & perfectionis sculptura mirificentiùs decoratum, ego indignus, & vilis peccator licèt pollutus vitijs, maculatus concupiscentijs, & inquinatus sordibus, turpatus voluptatibus, inuolutus tenebris, obscuratus peccatis, vagus corde, instabilis mente, maiestatem tuam cupio extollere laudibus. Tua sancta merita efferre præconijs; virtutum & gratiarum tuarum insignia titulis glorificare deuotis. Sed ò tu Domina, quæ in tuo incessu habes honestatem, in tuo aspectu venustatem, in manibus liberalitatem, in oculis verecundiam, in labijs facundiam, in auribus clementiam, prudentiam in verbo, sanctitatem in animo, Dei sapientiam in pectore, diuina arcana in mente, Verbum Patris humanatum in ventre, totaque gratiarum omnium ornamentis circũstantiata; intus, & extra rutilans decore præcipuo, medere nostris languoribus, & infirmitatibus, infunde lumen sensibus, pectus aridum perfunde vnctione mirifica, & omnia mea intima illuminatione gloriosa, vt sic sermones sanctos, & glorioſos, & deuotos tibi offeram, & verba flammantia tuum amorem redolentia tibi deuotè decantem. Tu enim Domina es illa, de qua scriptum est: *Dixit Deus: fiat lux, & facta est lux.* O lux pura, lux pulchra, lux illuminans cœlestia, illustrans terrestria, terrificans inferna, lux reducens erroneos, lætificans languidos, exhilarans Angelos, & omnes curiæ paradisi sanctos, & iustos. O lux reuelans mysteria, detegens absconsa, irradians latebrosa: nostra maculosa detege, nostra ruinosa erige, opacis, & nebulosis nostris refulge, infirmantibus, da sopitatem * mœrentibus iucunditatem, illustra peccatores ad pœnitentiam; confidentes, & sperantes in te perduc ad gloriam æternam, Amen. *Genes. 1.* * *sospitatem.*

Situatio Berylli lapidis pretiosi in Corona Virginis, Cap. 24.

F*Acies candelabrum de auro purissimo.* Tu Domina glorioſissima, candelabrum hoc fuisti, cui suppositum fuam lucernam Dei sapientia, vt amissam quæreret dragmam. Te filiæ Ierusalem attentiùs intuentur, vt currant in odorem vnguentorum tuorum, in lumine virtutum tuarum. Tu mensa fuisti per diuinæ legis studium, & agnitionem. In te fuit propositio panum per Patrum exempla, & bonorum operum, & exercitationem, Arca fuisti per glorioſum thesaurum fœcunditatis; thuribulum Dei aureum per deuotionem orationis, quam totam incanduerat amor æternitatis. Vrna per circunspectionẽ. Manna per diuini partus suauitatem. Virga per regiam auctoritatem. Tabulę testamenti per scientiæ plenitudinem. Propitiatorium per affectum pietatis. In Dei tabernaculo nihil erat, quod non auro vestiretur; sic & tu Domina quasi tabernaculum es, quod ædificauit Altissimus; tota fuisti aurea, quia *Exod. 25.*

cha-

charitate plena; tu es Stella maris, quia ad te miseri suspirant; ad te spiritus Angelici aspirãt; duo Cherubin obumbrantia Propitiatorium, sunt Gabriel Archangelus, & Ioannes Euangelista, ante thronum tuum carmina laudis, & gloriæ iubilantes. De thuribulo aureo, id est, de tuo pectore virgineo ascendit fumus aromatum in conspectu Domini; quia per te, quæ es mediatrix, & aduocata nostra præcipua apud Deum nostra defertur deuotio, & per te propitiari nobis eius dignatur miseratio. Id circo, vt Deum pro me digneris exorare, illumque mihi propitium reddere, offero tibi Beryllum lapidem pretiosum, quo Corona tua decoretur, locoquè vigesimo tertio situetur. Est autem Beryllus lapis clarus, & viridis, efficaciam habens, facere hominem gratiosum, & contra hostes inuictum reddere. Tu enim Domina, hunc lapidem quodammodo repræsentas; nam per donum sapientiæ fuisti clara, & splẽdida, nulla macula denigrata, nulla sorde vnquam polluta, nullo vitio contenebrata, sed per gratiam supernæ illuminationis fuisti, velut quædam emanatio Dei omnipotentis, clara, & sincera, in qua nihil inquinatum incurrit; clara fuisti in anima, in vultu lucida, in corpore nitida, in facie Angelica; clara ad discernendum ambigua; clarior ad cognoscendum mysteria; clarissima ad intelligendum, & speculandum diuina; & quia æternam Dei sapientiam gestasti in tuo corpore humanatam, habens venerationem inclytam, claritatem perpetuam, & gloriam incorruptam Dei; & gratia, qua fuisti repleta fecit te semper virentem, & viridem, producendo germen Iustitiæ, florem Innocentiæ, fructum Misericordiæ. Tu enim emisisti folia bonæ voluntatis, lilia castitatis, violam pietatis, rosas patientiæ, & virtutis; poma sanctæ, & perfectæ charitatis. Ex abundantia etiam tuæ pietatis, & misericordiæ tuos seruientes in te confidentes facis per bona opera Deo, & Angelis gratiosos, & placidos, & contra impetus dæmonum per fidei constantiam stare fortes, & inuictos, cœlesti, & corona præmiandos, Amen.

A

B

C

D

Camamilla flos decorus, Coronæ Virginis in vltimo loco, Capit. 25.

3 *Reg.* 10 *FEcit Rex Salomon thronum de ebore grandem, & vestiuit eum auro fuluo nimis, qui habebat sex gradus:* Salomon noster Christus Rex pacificus, sapientia singularis, amabilis gloria, & potentia, thronum sibi ædificauit, tuum videlicet vterum, in quo ineffabilis illa maiestas requieuit. Thronus eburneus fuisti, quia tria sunt in ebore, quæ plenissimè in te fuerunt; est enim mirabilis candoris, natura frigidus, de casto nascitur Elephante ita, & tu Gloriosissima Virgo, candida fuisti; quia ab omni pollutione segregata; frigidissima, quia ab æstu carnalis concupiscentiæ elongata; de castis Patriarcharum amplexibus generata. Grandis ideo diceris, quia si multa in creaturis magna sunt, nihil tamen tam magnificum fecerunt opera digitorum Dei. Auro fuluo vestiris, quia purissimo sapientiæ nitore coloraris. Sex gradus throni sunt sex opera misericordiæ, quibus tu Virgo gloriosa plena extitisti, quæ opera in tuo bono filio expendisti: nam ipsum esurientem pauisti; lacte virgineo potasti; eum in thalamo tui ventris excepisti; nudum in pannis inuoluisti; infirmum vagientem sacro vbere recreasti; in carcere nostræ mortalitatis positum nutristi, & fouisti. Duæ manus thronum complectentes duæ vitæ sunt, scilicet actiua, & contemplatiua; quòd in te cum catena charitatis coniunguntur. Duo Leones sunt, Gabriel Archangelus, & Ioannes Euangelista, quorum alter dexteræ tuæ, alter sinistræ casti deputati sunt. Leones dicuntur propter rugitum altisonæ eructationis; quorum vnus dicit: *Aue gratia plena, &c.* Alius dicit: *In principio erat Verbum, &c.* Verè non est simile opus in omni creatura compositum, quia istud ordines Angelorum transcendit, ideo excellentissima Domina, extollens, & transcendes omnia, tanquam nobilissimæ Imperatrici promisi tibi coronam fabricare, non qualem decuit, sed qualem mea exiguitas inuenire, vel cogitare potuit; in cuius loco vltimo restat collocare Camamillam pro eius congruo complemento; est autem Camamilla flos candidus sphericus, & rotundus, odore gratus, quodam in medio aureo nodulo decoratus; huic Domina congrua similitudine compararis, nam in anima es dealbata per innocentiam, in conscientia munda, & nitida per fidem rectam; in corpore candida, & decora per castitatem virgineam. Ideo vt Regina speciosa, sicut columba lilijs virgineis constipata, vna cum eis cantas canticum nouum ante agnum super montem Sion stantem, super thronum Patris sedentem, quod nemo cantare potest, nisi in albis ambulantes; nomen agni, & Patris eius scriptum habentes in frontibus suis. Quia, vt dicitur, veritas non quærit angulos. Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam, pro quibus mirabiliter te deduxit Christi dextera, dicta es rotunda, non angularis. Sed & tuarum virtutum fragrantia superat omnia genera aromatum, odor tuæ pietatis, & misericordiæ super thus, & balsamum redolentia; tuæ charitatis, & amicitiæ vincit suauitatem omnium vnguentorum. In medio tui pallore aureo rutilans, quia sapientia cordis tui est pretiosior Sole; pru-

Luc. 1. *Ioan.* 1.

prudentia cordis tui, & pectoris est splen- A
**fortè euus.* dior Luna. Tui * intellectus super omnem dispositionem Stellarum rutilat decore mirabili, nec mirum, si fulges, & rutilas sapientia, cùm sempiternam sapientiam Dei Patris in tuis castis visceribus de Spiritu Sancto conceperis, ipsamque carnem velatam in salutem nostram mundo protuleris. Hæc igitur sapientia incarnata est lux mundum illuminans, peccatores saluans, cœlestia irradians; homines, & Angelos, perpetuo fœdere connectens, & copulans.

Igitur de hac Corona, quam tibi Mater Dei Virgo perpetua, pollicitus sum, me dixisse hucusque sufficiat, & si quid benè, & prout materiæ competit, dicere potui, illud C diuinæ gratiæ, meritisque tuis ascribo; quæ verò minùs rectè, seu minùs cautè protuli, meæ insipientiæ imputo, atque peccatis meis; & quia tantam maiestatem indignè pauco * contrectasse, veniam peto; indulge purissima pœnitenti, & supplicanti te, ex malitia non offendenti; sed de tua benignitate confidenti, seu præsumenti; cùm sis Regina misericordiarum, aduocata peccatorum, excusatrix criminum, defensatrix populorum, quæ in Sede Imperiali residens cum vnigenito tuo Domino nostro Iesu Christo, regnas laudanda, & glorificanda per infinita seculorum secula, Amen. ** fortè paucis.*

EXPLICIT LIBER DE LAVDIBVS, & honore Beatæ Virginis MARIÆ ex viginti quatuor Lapidibus in coronæ suæ positi capiti gratis Domino nostro Iesu Christo Saluatori totius mundum.

(*)

S. ANSELMVS CANTVARIENSIS.

NOTA.

VIta, & sanctitate, doctrina, & scriptis sanctissimus, & eruditissimus S. Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis, in Anglia Ordinis S. Benedicti, natione Burgundus, vt alij volunt, Italus, fuit in Augusta Ciuitate propè Alpes honestis parentibus ortus, & liberalibus scientijs traditus, vitã à iuuentute Monasticã cõcupiuit. Mortua debinc matre, quæ eum moribus, & fide instituit, cùm patrem nullomodo posset placare obsequio, clam abscedens, & Alpes transiens, famosum in Normannia Doctorem Lanfrancum Becci Monachum sub Herleluino Abbate adijt, pleniùs instruẽdus, vbi gaudenter receptus, sub ipso Lanfranco Scholas regendas suscipiens, cùm vita, & scientia non mediocriter proficeret, consulente B. Maurelio Rothomagensi Archiepiscopo, ibidem Monachus factus, tandem officium subijt Prioratus. Qui mira prudentia, & mansuetudine, ac patientia omnium sibi, etiam æmulorum animos ita copulauit, quòd Lanfranco Cademis Abbate facto, ac Herleluino mortuo, ei succedere sit coactus. Debinc Magistro suo Lanfranco Cantuariensi Archiepiscopo facto, & ad Patres apposito, annuente Anglorum Rege Vvillelmo Secundo, licèt omnimodis renitens, onus ibidem suscepit Archipræsulatus. Cùmquè ad iura Ecclesiæ recuperanda manum mitteret ad fortia, & Regis voluntati, aut precibus non acquiesceret, graui ex ijs discordia inter eos exorta, ter tempore suo. Sedem adijt Apostolicam, victoriam inde finaliter reportando. Interfuit etiam Cõsilio Barensi, vbi contra Græcos disputans de processione Spiritus Sancti, & eos confutans, de eadem materia librum scripsit. Con-

si-

filio præterea alij Romæ adfuit, vbi contra Principes, & laicos de inuestituris Ecclesiasticis sententia fuit lata. Demum Vuillelmo Rege mortuo, & Henrico I. succedente, in Angliam post longum rediens exilium, Concilium in sua celebrauit Prouincia, inter cætera tunc decreta, vxores, vel concubinas primus ibi Sacerdotibus interdicens. Tandem post multa librorum volumina subtiliter edita, & contemplationum, ac orationum Opuscula digesta, plenus operibus bonis, & miraculis clarus, mercedem laborum suorum, à summo recepit bonorum omnium præmiatore, anno Domini millesimo centesimo nono, ætatis suæ septuagesimo sexto, & Pontificatus decimo sexto. Claruit sub Vrbano 2. Pontifice, & Honorio 3. Imperatore. De Anselmi vita, & sanctitate, testimonia vide apud R. P. Theophilum Raynaudum, Societatis Iesu Theologũ, in Breuiculo operibus Anselmi præfixo. De doctrina verò, scriptis, & operibus millies typis mandatis, & replicatis Parisij, Coloniæ, Antuerpiæ, &c. & librorum numero, & quæ, quantaquè pro sacratissimæ Dominæ nostræ MARIÆ gloria, & excellentia laborauerit, plura inuenies apud Tritemium, Possevinum, Bellarminum, Sixtum Senensem, Gesnerum, Myræum in Mantissa, & alios. Nouissimè verò Anselmi opera omnia, extraneis in sacros libros commentarijs exornata Theophilus Raynaudus in Didactica, Aspetica, Parenetica, & nota digessit, & anno à virginea Incarnatione M.D.C.XXX. Lugduni edidit sumptibus Laurentij Durand, vnà cùm tribus epistolarum libris eiusdem. Sub finem attexuit Syntaxim operum S. Anselmi, in qua docet, Commentarios in Cantica, Matthæum, Paulum, Apocalipsum, & alia falsò hactenus sancto Anselmo adscripta fuisse, pleraque incerto hactenus Auctore vagata Anselmo parenti asseruit, & vt ipsemet fatetur, ex Vaticana Bibliotheca, alijsque omnia pro argumẽti qualitate nouo ordine luce donauit. Verũtamen licèt hic doctissimus paterita pro nostro laborarit Anselmo, opera eius, & omni diligentia correcta, & emendata, tamen absque indicibus tam rerum, quàm sacræ Scripturæ, & marginalibus cotis prodierunt, itidem Officium antiquum Immaculatæ Conceptionis Virginis Matris, quod R.P. Franciscus Binarius Mantuæ Carpetanæ Monachus Cistercienſis in suo Anselmo vindicato fol. 353. cum magno Dei Genitricis munere ex Bibliotheca Vallicellæ Congregationis Oratorij, in Vrbe nobilissima Cardinalis Baronij studijs condecorata veridicis nixus fundamentis ab hoc sanctissimo Præsule compaginatum, & ordinatũ extitisse affirmat, Raynaudus prætermisit. Ijs ergo additis, quæ de Domina nostra MARIA scripsit Anselmus, in hac nostra Bibliotheca omnibus numeris absoluta prodeunt.

DE CONCEPTV VIRGINALI, ET Peccato Originali

CVm in omnibus religiosæ tuæ voluntati velim, si possim, obsequi & frater, & fili charissime. B. tunc vtique maximè debitorem me iudico, cùm eam à me in te excitari intelligo. Certus autem sum, eum in libro: Cur Deus homo, quem vt ederem, tu maxime inter alios me impulisti, in quo te mecũ disputantẽ assumpsi, legis alià præter illã, quã ibi posui, posse videri rationẽ, quomodo Deus accepit hominẽ de massa peccatrice humani generis sine peccato: quia studiosa A mens tua ad quærendum, quænam sit illa, non parum prouocatur. Quapropter iniustus videri timeo: si quid inde mihi videtur, dilectioni tuæ abscondo. Dicam igitur sic breuiter de hoc quod sentio, vt nullius de eadem re fidelẽ improbem sententiã: nec meã (si veritati repugnare rationabiliter poterit ostendi) peruicaciter defendam. Illam tamen eiusdem rei rationem, quam in eodem opusculo posui, omnino ratam, & sufficienter (si benè cõsideretur) existimo. Nihil enim prohibet

hibet eiusdem rei rationes plures esse, quarum vnaquæque sola potest sufficere.

Quid sit originalis, & personalis natura? Capit. I.

AD videndum igitur qualiter Deus hominem assumpsit de generis humani massa peccatrice sine peccato: primùm de originali peccato necesse est inuestigare. Quia de hoc solo nascitur hæc quæstio. Nã si videtur, quomodo Christus huic subiacere non potuit: æqualiter assumptio, siue conceptio illius hominis ab omni peccato libera fuit, palã erit. Originale ab origine denominari dubiũ nõ est. Si ergo originale peccatum non est, nisi in homine, videtur dici ab origine humanæ naturæ, quod est ab eius initio originale, eò quòd ab ipsa humanæ naturæ origine trahatur. Aut ab origine, hoc est, ab initio vniuscuiusque personæ, quoniam in ipsa trahatur origine. Sed quòd ab initio humanæ naturæ descendat, non videtur: quando origo illius iusta fuit, quando primi parentes iusti facti sunt sine peccato. Videtur itaque dici, originale ab ipsa origine vniuscuiusque personæ humanæ: quamuis si quis dicat, peccatum vocari originale, eò quòd ab illis descendat in singulos, à quibus habet originem naturæ, nõ contradicam: si tamen non negetur originale peccatum cum ipsa vniuscuiusque personę trahi origine. Licèt enim in vnoquoque homine simul fuit natura, qua est homo, sicut omnes alij, & persona qua discernitur ab alijs, vt cùm dicitur ille, vel iste sine proprio nomine: vt Adam, & Abel, & vniuscuisque peccatum sit in natura, & persona. Fuit enim peccatum Adę in homine, quod est in natura: & in illo qui vocatus est Adam, quod est in persona. Est tamen peccatum, quod quisque trahit cum natura, & in ipsa sui origine, & est peccatum, quod non trahit ab ipsa natura, sed ipse facit illud, post quam iam est persona discreta ab alijs personis. Illud quidem, quod trahit in ipsa origine, vocatur originale, quod potest etiam dici naturale, non quòd sit ex essentia naturę, sed quoniam propter eius corruptionem, cùm illa assumitur. Peccatum autem quod quisque facit, postquam persona est, personale potest nominari, quia vitio personæ fit. Simili ratione potest dici originalis, & personalis iustitia. Siquidem Adam, & Eua originaliter, hoc est, in ipso sui initio mox, vt homines extiterunt, sine interuallo iusti simul fuerunt. Personalis autem dici potest iustitia, cùm iniustus accipit iustitiam, quam in origine non habuit. Ergo Adam, & Eua si iustitiam seruassent originalem, qui de illis nascerentur orginaliter, sicut illi, iusti essent.

Qualiter humana natura corrupta est. Cap. II.

QVoniam autem personaliter peccauerũt cũ originaliter fortes, & incorrupti haberent potestatem semper seruandi sine difficultate iustitiam, totum, quod erant, infirmatum, & corruptũ est. Corpus quidem, quia tale post peccatum fuit, qualia sunt brutorum animalium corruptioni, & carnalibus appetitibus subiacentia, anima verò, quia ex corruptione corporis, & eiusdem appetitibus, atque ex indigentia bonorum, quę perdidit, carnalibus effectibus infecta. Et quia tota natura humana in illis erat, & extra illos nihil erat, tota infirmata, & corrupta est. Remãsit igitur in ea debitũ iustitiæ integrę, sine omni iustitia, quam accepit, & debitũ satisfaciendi, quia eam deseruit cum ipsa corruptione, quam propter peccatum incurrit. Sicut itaque, si non peccasset, qualis facta est à Deo, talis propagaretur: ita post peccatum, qualem se fecit peccando, talis propagatur. Quoniam igitur per se, nec satisfacere pro peccato, nec iustitiam derelictam recuperare valet, & corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & tunc maximè, quando infirmum est, vt in infãtia, & in vtero matris, vt nec intelligere iustitiam possit: videtur esse necesse, eam infantibus nasci, cum debito satisfaciendi pro primo peccato, quod semper cauere potuit, & cum debito habendi originalem iustitiam, quam semper seruare valuit. Nec impotentia excusat eam in ipsis infantibus: quia in illis non soluit, quod debet, quoniam ipsa sibi fecit eam, deserendo iustitiam in primis hominibus, in quibus tota erat, & semper debitrix est habere potestatem, quam ad seruandam sempet iustitiam accepit: hoc esse videri potest in infantibus originale peccatum. Addamus etiam peccata proximorum parentum, quæ redduntur in tertiam, & quartam generationem. Quamuis enim quæri possit, vtrùm hæc omnia intelligenda sint in originali peccato, an non? tamen ne propter hoc, quod quæro, videar leuigare illud, ponam istud esse tale: vtà nullo grauius oftendi possit.

Quòd non sit peccatum, nisi in voluntate rationali. Cap. III.

VErùm siue hoc totum sit originale peccatum, siue aliud minus, puto nullatenus illud posse asseri esse in infante, ante quam habeat animam rationalem: sicut nec in Adam fuisse iustitiam priùs, quàm fieret homo rationalis. Nam si Adam, & Eua generassent sine præcedenti peccato: non tamen esset in semine iustitia, nec esse posset priùs, quàm formarentur in viuentem hominem. Si ergo semen hominis non est susceptibile iustitiæ priùs, quàm fiat homo, non potest suscipere originale peccatum, antequam ho-

homo fiat. Nempè originale peccatum esse in iustitiam dubitari non debet. Nam si omne peccatum est iniustitia, & originale peccatū est peccatum, vtique est & iniustitia. Sed si dicit aliquis, non est omne peccatum iniustitia dicat posse simul in aliquo & esse peccatum & nullā esse iniustitiam: quod videtur incredibile. Si verò dicitur originale peccatum non esse absolutè dicendum peccatum, sed cùm additamento originale peccatum, sicut pictus homo non verè homo est, sed verè est homo pictus, profectò sequitur, quia infans, qui nullum habet peccatum, nisi originale, mundus est è peccato, nec fuit solus inter homines filius Virginis in vtero matris, & nascens de matre sine peccato; & aut nō damnatur infans, qui moritur sine baptismo, nullū habens peccatum præter originale, aut sine peccato damnatur. Sed nihil horum accipimus. Quare omne peccatum est iniustitia, & originale peccatum est absolutè peccatum. Vnde sequitur, quòd est iniustitia. Item si Deus non damnat, nisi propter iniustitiam: damnat autē aliquem propter originale peccatum; ergo non est aliud originale peccatū, quā iniustitia; quòd si ita est, originale peccatū nō est aliud, quā iniustitia, id est, absentia debitæ iustitiæ, non enim videtur esse iniustitia, nisi in natura, quæ cùm debet habere iustitiam, non habet, vtique originale peccatū clauditur sub eadē diffinitione iniustitiæ. At si iustitia est rectitudo voluntatis propter se seruata, nec ista rectitudo potest esse, nisi in rationali natura: ergo non est vlla natura susceptibilis iustitiæ præter rationalē. Quare quoniam iniustitia nō potest esse, nisi vbi iustitia debet esse, originale peccatum, quod est iniustitia, nō est, nisi in natura rationali. Rationalis autē natura nō est, nisi Deus, & Angelus, & anima hominis, per quam homo dicitur rationalis, & sine qua non est homo. Quoniam ergo non est originale peccatum nec in Deo, nec in Angelo, nō est nisi in hominis anima rationali. Sciendum quoque est, quia iustitia non potest esse, nisi in voluntate, si iustitia est rectitudo voluntatis propter se seruata: quare nec iniustitia. Nō enim vocatur absentia iustitiæ iniustitia, nisi vbi debet esse iustitia. Nihil itaq; præter ipsā iustitiā vel iniustitiā dicitur iustum, vel iniustum, nisi voluntas, aut propter voluntatem iustam, vel iniustam. Per hanc dicimus iustum, vel iniustum hominem, vel Angelum, iustam vel iniustam animam, siue actionem.

Quòd nihil per se sit iustum aut iniustum nisi ipsa iustitia vel iniustitia, & quòd nihil puniatur, nisi voluntas, vel iniustitia. Cap. IIII.

NIhil enim siue substantia, siue actio, siue aliquod aliud per se cōsideratum, est iustum nisi iustitia, aut iniustum, vel peccatum nisi iniustitia nec ipsa voluntas, in qua est iustitia, siue iniustitia. Aliud enim est vis illa animæ, per quā ipsa anima vult aliud, quę vis instrumentum volendi potest dici. (sicut visus instrumentum videndi,) quam voluntatē nominamus. & aliud est iustitia, quam habēdo, iusta volūtas, & qua carēdo, iniusta vocatur. Dicūtur enim volūtates eiusdē instrumēti affectionis & vsus, quod hic longū est inserere. Nec ipsi appetitus, quos Apostolus carnem vocat, quę *concupiscit aduersus spiritū*: & legem peccati, quę est *in membris repugnātem legi mentis*, iusti vel iniusti sunt per se cōsiderandi. Non enim iustum faciunt, vel iniustum sentientem, sed iniustum tantùm voluntate, cùm non debet consentientem. Dicit enim Apostolus, *nihil damnationi esse his, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundùm carnem ambulant*, id est, non carni voluntate consentiunt. Nam si sentientem, sine consensu iniustum facerent, sequeretur damnatio. Quare non eos sentire, sed eis consentire peccatum est. Si enim iniusti iusti per se essent, quoties illis cōsentiretur, ininstum faceret. Sed quando bruta animalia illis consentiunt, non dicuntur iniusta. Item si peccata essent auferrentur in baptismo: cùm omne peccatum abstergitur, quod nequaquam fieri palam est. Quare non est in eorum essentia vlla iniustitia, sed in voluntate rationali illos inordinatè sequente. Cùm enim illis resistit voluntas, condelectando legi Dei secundùm interiorem hominem, tunc est iusta voluntas. Iustitiam enim, quam lex iubet, & legem Dei dicit, quia à Deo est, & legē mentis, quia per mentem intelligitur, sicut lex vetus lex Dei dicitur, quia à Deo est, & lex Moysi, quia per Moysen ministrata est. Quod quidem dixi, nullam actionem per se iniustam dici; sed propter iniustam voluntatem, in illis planum est, quæ non iniustè possunt fieri aliquando: vt est hominem occidere, sicut fecit Phinees: & vtriusquè sexus commixtio, vt in coniugio; & sicut in brutis animalibus. In illis verò, quæ nunquam nisi iniustè possunt esse, vt est periurium, & quædam alia, quæ nec sunt nominanda, non ita facilè intelligitur. Sed si aliqua actio, qua fit aliud: quæ non est, nisi dum fit aliud, & peracto eo transit, vt iam non fit, aut opus quod fit & remanet. Verbi gratia, cùm in scribendo quod scribi non debet, transit scriptio, qua fiunt Scripturæ, quæ remanent, esset peccatum transeunte actione, vt iam non sit, transiret similiter peccatum, nec iam esset aut quādiu remaneret, quod fit, nunquam deleretur peccatum: Sed videmus peccata sæpe non deleri, actione deleta, & deleri, opere non deleto. Quare actio, quæ transit, nec opus, quod remanet est aliquando peccatum.

De-

Denique si de actionibus voluntarijs, quæ in iuste fiunt, arguuntur membra, & sensus, quibus fiunt, respondere possunt. Deus nos, & potestatem, quæ in nobis est, subiecit voluntati, vt ad imperium eius non possimus mouere nos, & facere, quod vult, immo illa mouet nos, velut instrumenta sua, & facit opera, quę videmur facere: nec nos possumus illi per nos resistere: nec opera, quæ facit, possunt nō fieri Dominæ, quā Deus nobis dedit, nec possumus, nec debemus nō obedire. Quando illi obedimus: Deo, qui hanc legem nobis dedit, obedimus. Ergo quid peccant membra, vel sensus, vel opera, quæ Deus sic subiecit voluntati, si seruant, quod Deus illis ordinauit? Quicquid igitur faciunt, totum imputandū est voluntati. Quod cùm ita sit, miratur forsitan quis, cur pro culpa voluntatis membra puniātur, vel sensus. Verùm non ita est, non enim punitur nisi voluntas. Nam nihil est alicui pœna, nisi quod est contra voluntatem: & nulla res pœnam sentit, nisi quæ habet voluntatem, membra autem, & sensus per se nihil volunt. Si igitur voluntas in membris, & sensibus operatur, ita in illis ipsa torquetur, aut delectatur. Quod si quis non accipit, sciat in sensibus, & membris non nisi animam, in qua est voluntas, sentire, & operari: & ideo in illis torqueri, aut delectari. Habet tamen vsus, vt actiones, quas fecit iniusta voluntas, vocemus peccata: quia in voluntate, qua fiunt, est peccatum. Dātur etiam quibusdam nomina, quibus significatur, eas iniustè fieri, vt fornicatio, mendacium. Sed aliud intelligitur, cū quasi actio, vel prolatio, aliud cum vtrum iuste, vel iniustè fiat, consideratur.

Quòd malum, quod est peccatum, siue iniustitia, nihil sit. Capit. V.

DEnique omnis essentia est à Deo, à quo nihil iniustum. Quare nulla essentia est iniusta per se. Iniustitia autem omnino nihil est, sicut cæcitas. Non enim aliud est cęcitas, quā absentia visus, vbi debet esse: quæ res nō magis est aliud in oculo, vbi debet esse visus, quàm in ligno, vbi non debet esse. Non enim est iniustitia talis res, quia inficiatur, & corrūpatur anima, velut corpus veneno, & quæ faciat aliud, sicut videtur, quando malitiosus homo mala facit opera. Nam quemadmodū, cùm indomita fera ruptis vinculis discurrendo sæuit: & cum nauis, si gubernator dimisso gubernaculo, dimittiteam, ventis, & motibus maris vagatur, & inuehitur in quælibet pericula, dicimus, quia hoc facit absentia cathenę vel gubernaculi: non quòd absentia eorum aliquid sit, aut quicquam faciat: sed quoniam si adesset, faceret, ne sæuiret fera, aut periret nauis. Ita cùm malus homo sæuit, & in quælibet animæ suæ pericula, quæ sunt mala opera impellitur, clamamus, quia hoc operatur iniustitia: non quòd ipsa vlla essentia sit, aut faciat aliquid: sed quoniam volūtas (cui subditi sunt omnes volūtarij motus totius hominis) absēte iustitia, diuersis appetitibus impulsa, se, & omnia sibi subdita, in multimoda mala leuis, & effrenat, & sine rectore præcipitat: & quod totum iustitia, si adesset, prohiberet, ne fieret. Ex his ergo facilè cognoscitur: quia iniustitia nullā habet essentiam, quamuis iniustæ voluntatis affectus, & actus, qui per se considerati aliquid sunt, vsus iniustitiam vocet. Hac ipsa ratione intelligimus malum nihil esse. Sicut enim iniustitia non est aliud, quā absentia debitæ iustitię, ita malū non est aliud, quā absētia debiti boni. Nulla autēesse tia, (quamuis mala dicatur,) est nihil, nec malā esse, est illi esse aliquid. Nulli enim essentiæest aliud, malam essentiā esse, quàm deesse illi bonū, quod debet habere. Deesse verò bonum, quod debet adesse, non est aliquid esse. Quare malā esse, non est vlli essentiæ aliquid esse. Hæc breuiter de malo, quod semper est nihil, indubitāter sicut de iniustitia: dixi. Incommoditas enim non est malum: vnde incommoda mala dicuntur, quæ aliquando nihil sunt: vt surditas, & cæcitas: aliquādo vidētur esse aliquid, vt dolor, & tristitia. Quòd autē iustitia sit rectitudo voluntatis propter se seruata, & iniustitia non sit aliud, quàm absentia debitæ iustitiæ, & nullam habeat essentiam, quòd etiam omnis essentia sit à Deo, & nihil sit à Deo, nisi bonum, sufficienter me puto ostendisse in eo tractatu, quem feci de casu diaboli. Sed de iustitia plenius, in illo, quem edidi de veritate.

Quòd cùm punit Deus pro peccato, non puniat pro nihilo. Cap. VI.

QVidam cùm audiūt, peccatum nihil esse, solent dicere. Si peccatum nihil est: cur punit Deus hominē pro peccato, cū pro nihilo puniri nemo debeat? Quibus, quamuis humilis sit quæstio, tameu quia quod quærunt ignorant, aliquid breuiter respondēdū est. Licèt pariter nihil sit absentia iustitię, & vbi debet esse iustitia, & vbi non debet esse, punit tamen Deus rectè peccatores, non pro nihilo, sed propter aliquid (quod in præfato libro dixi, quia debitum sibi honorem, quem sponte reddere noluerunt, ab inuitis exigit. Et ne quid inordinatum sit in Regno eius, eos separatim à iustis ordine competenti disponit. Creaturas autem, in quibus iustitia non debet esse, non punit pro absentia iustitię, hoc est, pro nihilo: quia non est aliquid quod ab illis exigat, nec ordo congruus vniuersitatis rerum hoc expostulat. Sic itaque cùm punit Deus pro peccato, quod est absentia debitæ iustitiæ, quæ nihil est: non omnino punit pro nihilo, & verum est: quia ni-

si sit aliquid propter quod punire debeat, omnino non punit pro nihilo. Iam peccatum, & iniustitiam nihil esse: & hæc non esse, nisi in rationali voluntate, nec vllam essentiam propriè dici iniustam, nisi voluntatem, ex his quæ dicta sunt, apertum esse existimo.

Quòd semen hominis dicatur immundum, & concipi in peccatis, quamuis in eo non sit peccatum. Capit. VII.

VIdetur itaq; sequi, quòd aut infàs statim ab ipsa conceptione animam habet rationalem, sine qua voluntatē rationalem nequit habere: aut in eo non est originale peccatum mox cùm conceptus est. Quòd autē mox ab ipsa conceptione rationalem animam habeat nullus humanus suscipit sēsus. Sequitur enim vt quotiens susceptum semen humanum etiā ab ipso momēto susceptionis parit: antequā perueniat ad humanam figuram, totiens damnetur in illo anima humana: quoniam non reconciliatur per Christum, quod est nimis absurdum. Hæc igitur pars huius diuisionis penitus relinquenda est. Sed si non statim infans ab ipsa conceptione habet peccatum: quid dicit Iob Deo. Quis potest facere mundum, de immundo conceptum semine, nisi tu qui solus es? Et quomodo verum est, quod dicit, Dauid: In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis cōcepit me mater mea. Quæram igitur, si possum, quomodo (quàmuis non statim ab ipsa conceptione,) sit in infantibus peccatum, de immundo tamen semine, iniquitatibus, & peccatis concipi dicantur? Sæpe vtiq; Diuina Scriptura asserit aliquid esse, quando non est: idcirco, quia certū est futurum esse. Sic quippe Deus Adæ de ligno vetito dicit. In quacunque die comederis ex eo, morte morieris, nōquòd ea die mortuus sit corpore: sed quoniam die illa necessitatem accepit aliquando moriendi. Et Paulus similiter ob necessitatem moriendi aliquādo, ait. Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus verò viuit propter iustificationem. Non enim corpora eorum quibus, loquebatur, mortua erant, sed moritura propter peccatum: quia per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors. Sicut in Adā omnes peccauimus, quando ille peccauit: nō quia tunc peccauimus ipsi, qui nondum eramus. Sed quia de illo futuri eramus, & tunc facta est illi necessitas, vt cùm essemus, peccaremus: quoniam per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi. Simili modo de immundo semine, in iniquitatibus, & in peccatis concipi potest homo intelligi, nō quòd in semine sit immunditia peccati, aut peccatū, siue iniquitas: sed quia ab ipso semine, & ipsa conceptione, ex qua incipit homo esse, accipit necessitatē: vt cùm habebit animā rationalem, habeat peccati immunditiā: quæ non est aliud, quàm peccatum, & iniquitas. Nā etsi ex vitiosa concupiscentia semine generetur infans, non tamen magis est in semine culpa, quàm est in sputo, vel in sanguine, si quis mala voluntate exspuit, aut de sanguine suo aliquid emittit; non enim sputum, aut sanguis, sed mala voluntas arguitur. Patet igitur, quomodo, & in infantibus non statim ab ipsa conceptione sit peccatum: & vera sunt, quæ de Diuina Scriptura opposui, quippe non est in illis peccatum, quia non habent (sine qua non inest peccatum) voluntatem: & tamen dicitur inesse, quoniam in semine trahunt peccandi, (cùm homines iam erūt,) necessitatem. Si ergo hæc, vt puto, vera sunt quod assumitur de parente ad prolem: quia nullam habet voluntatem, nullum est in eo peccatum.

Quòd in semine sumpto de Virgine non sit peccatum, nec necessitas futuri peccati. Capit. VIII.

ITaque perspicuum est, quod in eo, quod filius Dei in personam suam assumpsit de Virgine, nulla potuit esse peccati macula. Sed dictū est, quia semen à parentibus trahitur cū necessitate peccati futuri, cùm fuerit animatum anima rationali, hoc vtique non est propter aliud, nisi quia humana natura nascitur in infantibus, (vt dixi) cum debito satisfaciendi pro peccato Adæ, & secundū, quod posui, proximorum parentū, quod nequaquā facere potest, & quandiu non facit, peccat, & quia sola per se non valet iustitiam habere, quā deseruit, & anima, quæ grauatur corpore, quod corrumpitur, nequit eam saltem intelligere, quæ nec seruari potest, nec haberi non intellecta. Quapropter si ab his necessitatibus semen assumptum de Virgine liberum ostēdi poterit, palā erit, quia nullam peccati necessitatē traxit. Quod sola quidē necessitas, qua humana natura sola per se iustitiam recuperare nequit, & illa, qua corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, vt eandem iustitiam, nec acceptam in ætate perfecta, sine auxilio gratiæ seruare, nec infantibus saltem intelligere queat, ab illo semine sint alienæ facilè monstrari valet per vnitatem personalem assumentis, & assumptæ naturæ: si priùs necessitas illa repellitur, qua ad satisfactionem pro peccatis primorum, & proximorum parentum astringi videtur. Sed quia illud nullum sequatur à proximis parentibus debitum dubium non erit, si à debito primorum parentum intelligi poterit. Hoc igitur adiuuante Deo, conabor primùm, quomodo cognosci possit inuestigare: quatenus hoc demonstrato, in alijs non sit necesse multùm laborare.

Iob 14.

Psalm. 50

Genes. 2.

Rom. 8.

Rom. 5.

Sapien. 9.

Cur

Cur peccatum, quo damnatur humanũ genus magis imputatur Adæ, quàm Euæ, cùm ille post, & per illam peccauerit? Capit. IX.

AD quod mihi videtur quærendum in primis, cur sæpiùs, & specialiùs peccarum, quo damnatum est humanum genus, magis imputetur Adæ, quàm Euæ, cùm ipsa priùs peccauerit, & Adam post, & per illam? Dicit enim Apostolus: Sed regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen, etiam in eos, qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis
Rom.5. Adæ. Multa quoque alia leguntur, quæ magis Adam, quàm Euam criminari videntur. Quod ideo fieri existimo, quia illa duorum B copula tota intelligitur in nomine principalis patris, sicut sæpe per patrem totum solet significari. Aut quoniam Adam, cum costa sua, quamuis in mulierem ædificata, dici poterat Adam, sicut legitur; quia Deus masculum, & fœminam fecit eos, & benedixit eis.
Gen.5. Et vocauit nomẽ eorũ Adã, in die, quo creati sunt: Aut idcirco, quia si nõ Adam, sed sola Eua peccasset, non necesse erat totum humanum genus perire, sed solam Euam. Poterat namque Deus de Adam, in quo semen omnium creauerat, aliam facere mulierem, per quam de Adam propositum Dei perficeretur. Eisdem rationibus significabo per nomen Adæ eos ambos: nisi cum necesse C erit eos discernere.

Cur grauentur peccato Adæ, qui eius conscij non fuerunt? Cap. X.

EST quidem vnusquisque filius Adæ homo per creationem, & Adam per propagationem, & persona per individuitatem, qua discernitur ab alijs. Non enim habet homo esse ab Adam, sed per Adam. Nam sicut Adam non se fecit hominem: ita non fecit in se naturam propagandi, sed Deus, qui eum creauit hominem, fecit in eo hanc creaturam, vt de illo propagarentur homines. Dubium autem non est. Vnde vnusquisque alligetur debito, de quo agitur; non enim inde, quia homo est nec quia persona est. Nam si idcirco vnusquisque huius debiti reus est, quia est homo, aut persona: necesse erat Adam priusquam peccasset, ad hoc debitum astrictum esse, quia erat homo, & persona, quod est absurdissimum. Restat igitur, vt per hoc tantùm sit debitor, quia est Adam; sed non simpliciter, quia est Adam: sed quia est peccator Adam. Nempe sequeretur, quia si nunquam peccasset Adam: tamen qui de illo propagarentur, cum hoc debito nascerentur, quod impium est. Non incongruum est hoc repetere, quod iam supra dictum est: cur scilicet, vnusquisque peccato, vel debito Adæ grauatur, idcirco, quia, de illo propagatur, cùm eiusdem peccati cõ-

A scius non fuerit? Cùm enim fecit Deus Adã, fecit in eo naturam propagandi, quam subiecit eius potestati, vt ea vteretur pro sua voluntate, quamdiu ipse vellet subditus esse Deo: non vt illa vteretur bestiali, vel irrationali voluptate, sed humana, & rationali voluntate. Sicut enim est bestiarum nihil velle cum ratione: ita hominum est nihil vel le sine ratione, quod semper debent, quia potestatem hanc accepit Adam, & eam semper seruare potuit. Dedit etiam illi Deus gratiam, vt sicut quando illum condidit, nulla propagandi operante natura, aut voluntate creaturæ, simul fecit eum & rationalem & iustum: ita simul cùm rationalem haberent animam, iusti essent, quos generaret, operante natura & voluntate, si non peccaret. Eadem quippè ratione, qua monstratur rationalem naturam iustam esse creatam, quod in præfato feci opusculo, probatur etiam, quòd qui ex humana natura propagaretur, non precedente peccato, ex necessitate iustitiam pariter haberent cum rationalitate. Si quidem qui creauit primum hominem, sine parentum generatione, creat etiam omnes, qui per creatam fiunt ab illo propagandi naturam. Omnis igitur homo, si peccatum non præcessisset, simul esset, sicut Adam, & iustus & rationalis. Quoniam verò Adam subditus noluit esse Dei voluntati, ipsa natura propagandi quamuis remaneret, non fuit subdita eius vo C luntati, sicut esset, si non peccasset, & gratiã quã de se propagandi seruare poterat, perdidit: atque omnes, qui operante natura, quàm acceperat, propagantur, eius astricti debito nascuntur. Quamobrẽ quoniam humana natura (quæ sic erat in Adam tota, vt nihil de illa extra illum esset,) peccando, sine omni necessitate, Deum exhonorauit. Vnde & per se satisfacere non potuit, gratiam, quam acceptam propagandi de se semper potuit seruare, perdidit: & peccatum secum, comitante pœna peccati, quantumcunque per datam propagandi naturam propagetur, trahit.

Quòd propagatio de Virgine non subiaceat legi, & meritis naturalis propagationis, & quòd tres sint. Capit. XI.

NVnc igitur considerandum est, vtrum hęc quasi hęreditas peccati, & peccati pœna ad hominẽ per Virginẽ de Adã propagatã iustè pertranseat? Certũ quidem est, quod Adã non accepit naturam propagandi, nisi per virum simul, & mulierem. Siquidẽ humana natura non habet, & impossibile cognoscitur, vt solus vir, aut sola mulier hominem generare queat, natura tantùm voluntate propria operante. Sicut namque limus terræ non acceperat naturam, aut voluntatem, qua operante, vir primus de illo fieret, quamuis

eſſet de quo à Deo fieri poſſet: ſic non eſt facta mulier de coſta viri, aut vir de ſola mulie re, operante natura, aut voluntate hominis. Sed Deus propria voluntate, & poteſtate fecit virum de limo vnum, & alterum de ſola fœmina, & fœminam de ſolo viro: licèt enim nihil fiat, niſi voluntate Dei faciente, aut permittente: quædã tamẽ ſola poteſtas, & voluntas eius facit, quędã creata natura, quędã voluntas naturæ. Sed ſicut creata natura nihil per ſe facere poteſt, niſi quod à voluntate Dei ſuſcepit: ita voluntas naturæ nequit per ſe quicquam operari, niſi quod natura adiuuat, aut concedit. Sola Dei voluntas fecit in principio rerum naturas, dans quibuſdam, competentes ſingulis voluntates: vt naturæ, & voluntates ſecundùm ordinem ſibi traditum, ſuum opus in rerum curſu perſoluerent: & adhuc multa facit, cùm de eiuſdem naturis, & voluntatibus operatur, quod ille ſecundùm ſuum vſum, & propoſitum nequaquam faceret. Solius quippe voluntatis Dei eſt opus, cum mare ſiccum iter intra ſe populo præbet, cum mortui reſurgunt, cum aqua ſubito in vinum conuertitur, cum Spiritu ſancto corda hominum ea, quæ nec per ſe, nec per aliam creaturam ſciunt, docentur, cùm noxiæ voluntates à ſuo impetu ſola gratia regente ad hoc quod prodeſt, conuertuntur, cum alia multa fiunt, quæ nec creatura, nec eius voluntas per vſitatum curſum ſuum operatur. Natura leuia ſurſum, grauia deorſum trahit, terram aliquando priùs voluntate colente, & ſeminante; aliquando nullo voluntatis opere præcedente herbas, & arbores innumeras perducere, & eas fructificare facit: & alia multa, quæ faciliùs vſu quàm doctrina agnoſcimus. Voluntati imputantur illa, quæ ſunt huiuſmodi, iter facere, ædificare, ſcribere, loqui, & ſimilia, quę non niſi voluntas facit. Cùm igitur omnia, quę fiunt, ſi diligenter conſiderentur, fiant aut ſola voluntate Dei, aut natura ſecundùm vim à Deo illi inditam, aut voluntate creaturæ, & ea, quæ nec natura creata, nec voluntas creaturæ, ſed ſolus Deus facit, ſemper miranda ſint, apparet, quia tres ſunt curſus rerum, ſcilicet mirabilis, naturalis, voluntarius: & mirabilis quidẽ alijs, aut eorum legi, nullatenus ſubditus eſt, ſed libere dominatur: neque illis facit iniuriam, quando eis obuiare videtur, quia nihil habent, niſi quod ab illo acceperunt, nec ille dedit eis aliud, niſi ſub ſe. Quoniam ergo propagatio viri de ſola Virgine, ita nõ eſt naturalis, aut volũtaria, ſed mirabilis: ſicut illa quæ mulierem protulit de ſolo viro, & ſicut creatio viri de limo, palã eſt, quia nequaquã ſubiacet legibꝰ, & meritis illiꝰ propagationis; quoniã & voluntas, & natura quãuis diſcretè operentur, aliud enim ibi facit volũtas, aliud natura; pariter tamẽ verus eſt homo, & Adam A de nõ homine, & Ieſus de ſola muliere, & Eua de ſolo viro, ſicut eſt verus homo quilibet vir aut mulier de viro, & muliere. Omnis autẽ homo aut Adam eſt, aut de Adam eſt: ſed Eua de ſolo Adam eſt, & omnes alij de Adã & Eua. Quoniam namque MARIA, de qua ſola eſt Ieſus, de Adam & Eua eſt, non poteſt ipſe de eiſdem non eſſe. Sic namque expedie bat, vt qui redẽpturus erat genus humanũ, eſſet, & naſceretur de patre, & matre omnium.

Quòd mala Adæ nulla rectitudine ad illum hominem tranſeant. Cap. XII.

QVomodo autem filius Virginis non ſubiaceat peccato, aut debito Adæ, ſic quoq; difficilè non eſt intelligere. Siquidem Adam B factus eſt, & iuſtus, & liber à peccato, & debito ſæpefato, & à pœna peccati, & beatus, & potens ſeruare ſemper acceptam iuſtitiã, & per iuſtitiam eam, quam dixi, libertatem, & beatitudinem. Quoniã ergo cùm hæc bona ſine omni difficultate poſſit ſeruare ſibi, non ſeruauit, ea ſibi ipſe abſtulit: & horum ſe contrarijs ſubiecit, factus eſt itaque ſeruus peccati, ſiue iniuſtitię, & debiti, quod reddere nequit, & miſeriæ, de quo eſt impotẽtia bona perdita reparandi. Sicut igitur aliter nequiuit ſibi auferre bona, quæ habebat, & attrahere mala, quæ non habebat, quàm non ſeruando ſibi bona, cum potuit: ita nulli alij valuit eadem bo C na auferre, atque mala inferre, niſi nõ ſeruando bona, cum ſeruare quiuit. Seruare autem nulli potuit ea bona, niſi illis, quorum generationis poteſtatem, voluntati ſubditam accepit. Nulli ergo perſonæ quamuis de eo propagatæ tranſmittere mala prędicta potuit, in cuius generatione, nec natura illi data eſt propagãdi: nec voluntas eius quicquam operata eſt, aut operari valuit.

Quòd ſi non eſſet Deus ſed purus homo, neceſſe tamen eſſet, illum talem eſſe, qualis primus homo factus eſt. Cap. XIII.

QVare Adæ mala prædicta nulla ratione, D aut rectitudine ad hominem conceptũ de Virgine pertranſeunt. Item ſi diligenter puro rationis intuitu: ſapientem Dei ſpeculamur iuſtitiam: nimis abſurdum intelligitur, vt per illud ſemen, quod non creata natura, nec voluntas creaturæ, non vlli data poteſtas producit, aut ſeminat: ſed ſoliùs Dei voluntas propria ad procreandum hominem, noua virtute mundum à peccato de Virgine ſeggregat, alieni peccati, ſeu debiti, ſiue pœnæ ad eundem hominem neceſſitas vlla petranſeat: etiam ſi non aſſumatur in perſona Dei, ſed vt purus homo fiat. Nam eadem ipſa ratione, qua non debuit Deus, Adam facere niſi iuſtum, nec aliquo debito ſiue incommodo grauatum, apertè mens

ra-

rationalis cognoscit eum, quem similiter propria voluntate, & virtute procreauit, alicui malo subditum fieri non debere. Quoniã nimis inconueniens est omnipotenti, & sapiẽti Dei bonitati, talem facere rationalem naturam sola propria voluntate de materia, in qua est nullum peccatum. Quod qui non intelligit, non cognoscit, quid Deo non conueniat. Quapropter etiamsi purum hominem sic faceret Deus, vt dictum est, necesse esset eum non minori præditum iustitia, & beatitudine, quàm fuit, Adam cùm primum factus fuit.

A

Quòd propositæ rationi non refragetur, quòd scriptum est: hominem de immundo semine, & in iniquitatibus conceptum, etiamsi de aliquibus propriè dictum sit. Capit. XIIII.

B

NAm si alicuius mens non capit, quod de semine hominis dixi, scilicet: non esse in illo peccatum ante animam rationalem, sed immundum dici peccato, & iniquitate propter futuram immũditiam, cum iam erit homo: atque putat illum immundum esse in ipsa conceptione propria, quia sicut ipse mihi opposuit, legitur. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? & in iniquitatibus conceptus sum, in peccatis concepit me mater mea. Non hoc laboro, quia non indigeo, vt quod non potest capere, capiat: Sed peto, vt quod breuiter dicam, attendat. Illi vtique, qui hoc dixerunt, aut noluerunt ea intelligi de omni hominis semine: aut tantùm de illo, quod cum consensu seminatur voluptatis, quod non esset nisi brutorum animalium, si homo non peccasset. At si de omni hoc senserunt, ergo semen de sola Virgine sumptum immundum tanti viri asserunt, quod impium est credere. Non itaque hæc de illo scripserunt. Sed si de aliquo hominis semine hoc iuxta hunc sensum protulerũt, nõnisi de illo, quod cum prædicta voluptate concipitur, intelligi voluerunt. Hoc autem nullatenus refragatur nostræ rationi, quæ semen de Virgine sumptum asserit esse mundum, quamuis de massa peccatrice.

C

D

Quomodo massa peccatrix non sit tota peccatrix. Capit. XV.

NAm quemadmodum cæcitas non est, nisi in aliqua parte hominis, quamuis homo dicatur cæcus, nisi in oculo vbi debet esse visus: non enim est in manu, vel in pede: nec surditas, nisi in aure: cùm homo dicitur surdus: ita licèt massa generis humani peccatrix nominetur, non tamen in vlla parte eius peccatum, nisi, vt dixi, in voluntate, quæ in nulla hominis conceptione semen habere cognoscitur. Quamobrem nulla ratione vera aut verisimili contradicente, si considerentur quæ supra dicta sunt, iam liberè possumus concludere: quia nulla ratio, nulla veritas, nullus intellectus permittit ad hominem de Virgine conceptum de peccato massæ peccatricis, quanuis de illa sit assumptus aliquid potuisse, aut debuisse accedere, etiam si non esset Deus.

Cur Ioannes, & alij, qui similiter concepti sunt per miraculum, non sint per se liberi? Cap. XVI.

QVòd si obijciuntur mihi Ioannes Baptista, & alij, qui de sterilibus, & in quibus præ senectute, natura generandi iam erat emortua, propagati sũt, & quasi per similẽ rationẽ putãtur debuisse nasci sine peccato, & pœna peccati, quia per miraculum concepti sunt: valdè vtique intelligenda est ab istis aliena ratio illa, quæ Virginalem Conceptionem liberam ab omni peccati mõstrat necessitate. Aliud est enim inauditum, & inopinabile, atq; naturæ incognitum facere: & aliud naturam, aut ætate, aut aliquo vitio debilitata sanare, & ad suum opus reuocare. Nam si Adam non peccasset, sicut ipse nulla senectute, nulla causa infirmatus deficeret, sic natura propagãdi creata in illo, & ad vtendum, vt iam dictũ est, eius potestati subdita, nullo casu à suo cursu impediretur. Nõ ergo in Ioãne, & similibus est aliquid nouum naturę Adę sicut est in filio Virginis, datum: sed quod suis causis infirmatum erat, cognoscitur esse reparatum. Quare quoniam illi per propagationem naturalem datam Adæ sunt generati, nequaquam possunt, aut debent ei, de quo agimus, in Conceptionis asimilari miraculo, aut ab originalis vinculo peccati absoluti possunt ostendi.

Cur Deus incarnatus sit, cùm de Adam posset facere homines non Deos sine peccato tot, quot sufficerent? Cap. XVII.

FOrsitan dicet aliquis, si purus homo, qui Deus non esset, potuit fieri de Adam sine omni peccati contagione, sicut dicis, cur necesse fuit Deum incarnari, cum aut per vnum talem, qui esset sine omni peccato posset peccatores redimere: aut tot, quot necessarij erant ad perficiendam supernam Ciuitatem, homines simili miraculo facere? Ad hęc breuiter respõdebo. Ideo Deus factus est homo, quia nõsufficeret ad redimẽdos alios, sicut in prefato opusculo monstratum est, homo non Deus. Idcirco etiam non fecit tot homines tales, quot necessarij erant: ne si nullus de propagagatione naturali saluaretur, frustra

naturam illam in Adam condidiſſe, & quaſi quòd nō bene feciſſet, correxiſſe videretur: quod ſummæ ſapientiæ non conuenit de aliqua natura facere: non longè ſuprà inueſtigare propoſui, quomodo ſemen ſumptum de Virgine, in quo monſtratum erat, nullum eſſe peccatum, liberum à neceſsitatibus prædictis, in quibus omnes alios homines concipi poſueram, poſſet intelligi, & de illa quidem neceſsitate, qua recuperare iuſtitiam, quam deſeruit humana natura per ſe nequit: & de illa quę corpus, quod corrumpitur aggrauat animam, & maximè in infantibus illum liberari poſſe, quia homo ille Deus eſſet, confidebam; ſi priùs ab illo neceſsitas peccati, & debiti Adæ proximorum parentum rationabiliter alienaretur. Incœpi itaque quærere quomodo valeret hoc intelligi, de neceſsitate peccati, & debiti Adæ, & de aliis, vt poſtea facilius quod quærebam, inueniretur: & abūdante gratia illius, de cuius Conceptione agitur, munditia factum eſt, vt non modò ab omni peccato, & debito, & neceſsitatibus præfatis liberum cognoſceretur: ſed inſuper hominem ira conceptum eſſe debere præditum non minori iuſtitia, vel beatitudine, quàm in qua factus eſt Adam intelligibili ratione, etiam ſi non Deus, ſed purus homo eſſet, probaretur. Si quidem pariter irrationabile videbatur, peccatum, & pœnā peccati ab illis parentibus ad illum per talē propagationem deſcendere, & Deum ſponte rationabilem naturam iniuſtam aut nulla eius promerente iniuſtitia miſeram facere.

Quòd de Virgine iuſta Deus conceptus ſit: non ex neceſsitate, quaſi de peccatrice non poſsit, ſed quia ſic decebat. Cap. XVIII.

QVanuis ergo de mundiſsima virgine filius Dei veriſsimè conceptus ſit, non tamen hoc ea neceſsitate factum eſt, quaſi de peccatrice parente iuſta proles rationabiliter generari per huiuſmodi propagationem nequiret. Sed quia decebat, vt illius hominis conceptio de matre puriſsima fieret. Nēpe decens erat, vt ea puritate, qua maior ſub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus pater vnicum filium ſuū, quem de corde ſuo æqualem ſibi genitum, tanquam ſeipſū diligebat, ita dare diſponebat: vt naturaliter eſſet vnus, idemque communis Dei patris, & Virginis filius, & quā ipſe filius ſubſtantialiter facere ſibi matrem eligebat, & de qua Spiritus Sanctus volebat, & operaturus erat, vt cōciperetur, & naſceretur ille, de quo procedebat. Qualiter autem Virgo eadem per fidem ante ipſam conceptionem mundata ſit, dixi, vbi aliam rationē de hoc ipſo vnde agitur, hic reddidi: quæ duæ rationes intellectui meo videntur ad quæſtionem, vnaquæq; per ſe ſufficere, ſed ambæ ſimul animo vim rationis, & decorem actionis quærēti copioſè ſatisfacere.

Quomodo iſta ratio, & altera alibi data, concordent, & differant? Cap. XIX.

ET quāuis ad idem tendant, in hoc tamen differunt, quòd ipſa quidem quā hic protuli, monſtrat Deum etiam de peccatricis Virginis ſubſtantia, quoniam nuſquam eſt in hominis natura præter voluntatem peccatum, prolem debere iuſtam: immo nonniſi iuſtam nulla ratione repugnante, tali propagatione producere. Illa verò probat, quòd etiam ſi in tota Virginis eſſentia peccatū eſſet, tamen ad huiuſmodi conceptionis munditiam, per fidem munda fieri poſsit. Atque in iſta omnis mortis neceſsitas, & cuiuslibet corruptionis, ſiue laboris ab illo homine apertè excluditur. In illa autem quæſtio oriri de hoc ipſo videtur: ſed ſufficienti ratione ſi diligēter perſpecta fuerit, ſoluitur. Qua proter ex vtraque palam eſt: quia nihil niſi pia voluntate Dominus noſter, & Redemptor ſuſtinuit in omnibus, quæ paſſus eſt.

Quòd natus de Virgine, pro originali peccato habuerit originalem iuſtitiam. Cap. XX.

VT mihi videtur, de peccato quidem originali, ſicut propoſui ſufficienter oſtenſum eſt, quomodo ad hominem de Virgine conceptum nulla ratione deſcendere à parētibus potuit: ſed potiùs iuſtus beatus fieri ratione exigente debuit. Quamobrē quoniā de iuſto patre ſecūdū diuinā, & de iuſta matre ſecundum humanam naturam, iuſtus ab ipſa origine, vt ita dictum ſit, natus eſt, non incongrue pro originali iuſtitia, quam omnes filij Adæ habent, à ſua origine iuſtitiā originalem habere dicendus eſt. At de perſonali iniuſtitia ſuperfluum eſt diſputare, quòd ad illum non attigerit. Quoniam humana natura numquam in illo ſine diuina fuit, nec illius anima vnquam aggrauata contra voluntatē, aut vllo modo impedita eſt corpore corruptibili. Quæ anima, quoniam ipſa, immo, totus ille homo, & verbum Dei, Deus, vna perſona ſemper exiſtit, nūquam ſine perfecta iuſtitia, & ſapientia, & poteſtate fuit. Quam ſemper à ſeipſo ille ſecundum perſonā ſicut Deus habuit, licèt in naturis humana à diuina quod habuit, accepit, altiorē autem aliā rationem, quomodo Deus aſſumpſit hominem de maſſa peccatrice ſine peccato, velut azymum de fermento, præter iſtam, quā hic: & illam, quam alibi poſui, eſſe nō nego: quā,

ſi

si mihi ostensa fuetit, libéter accipio: & meas si quod non arbitror, contra veritatem poterint ostendi, non teneo.

De quantitate Originalis peccati. Cap. XXI.

POrro peccatum originale nec maius potest esse, quàm dixi, nec minus: quia cũ infans iam rationalis est, humana natura non habeat in illo iustitiam quam accepit in Adã, & quam semper deberet habere, nec eam excusat impotentia: quia non habet, vt suprà iam dictum est. Illud tamen non per omnia tam graue, sicut suprà posui, existimo. Nam quoniam ad hominem de virgine conceptum ostendere volebam illud non pertinere, tale istud constitui, cui aliud non possit addi: nec sicut dixi, propter hoc quod inuestigabam, viderer pondus eius minorare. De quo quid mihi videatur, breuiter nunc aperiam. Peccatum Adæ in infantes descendere: vt sic puniri pro eo debeant, ac si ipsi singuli illud fecissent personaliter, sicut Adam, non puto: quamuis propter illud factum sit, vt eorum nullus possit nasci sine peccato, quod sequi-
Rom. 5. tur damnatio. Cùm enim dicit Apostolus, quia mors regnauit ab Adam vsque ad Moysen, etiã in eos, qui nõ peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ, apertè videtur significare: quod non illis personaliter imputetur ipsa Adæ præuaricatio, aut aliud tã magnũ, quãuis omnes filios Adæ excepto virginis filio peccatores, & filios iræ in scriptis suis pronunciet. Nam cùm ait, etiam in eos, qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ: potest sic intelligi, ac si dicat: etiam in eos, qui non tantùm peccauerunt, quantum Adam peccauit prænaricando.
Ibidem. Et cùm ait: lex autem subintrauit, vt abundaret delictum, aut intelligemus peccatum ante legem in illis, qui non peccauerunt, in similitudinem præuaricationis Adæ, minus quàm Adæ peccatum: aut si non minus erat, abundauit in eis peccatum post legem vltra peccatum Adæ, quod intelligere nequeo, cùm illud cõsidero, de cuius põdere, & satisfactione in cap. Cur Deus homo, quod mihi visum est, sicut iam legisti, exposui. Verũ est tamẽ, quòd, ad hoc nullº ad quod homo factus est, & propagatio illi data est, restituitur, nec à malis, in quæ incidit humana natura, eruitur: nisi per satisfactionem illius peccati, per quod in eadem mala ipsa se præcipitauit. Dicit aliquis: si non habent singuli peccatum Adæ, quomodo asseris, nullum saluari sine satisfactione peccati Adæ. Nam qualiter iustus Deus exigit ab illis satisfactionem peccati, quod non habent? Ad quod dico. Deus non exigit ab vllo peccatore plus, quàm debet. Sed quoniam nullus potest reddere quantum A debet, solus Christus reddidit pro omnibus qui saluantur, plusquam debetur: sicut iam in præfato opusculo dixi. Adhuc alio quoque modo videndum est, qua ratione peccatum minus sit in infantibus, quàm in Adam, cùm ab illo in omnes descendat? Per vnum enim hominem, quod est per Adam, peccatum intrauit in hunc mundum, & per peccatum mors. Cur autem minus sit, non cognoscitur, si cur, & quomodo insit non intelligatur.

Cur, & quomodo peccatum descendat in infantes? Cap. XXII.

QVod quamuis supradictum sit, quantum opus erat ad hoc, quod quærebatur, tamen non erit superfluum, si hoc breuiter repetitur. Equidem negari nequit infantes in Adam fuisse, cùm peccauit: sed in illo causaliter, siue naturaliter, velut in semine fuerunt, in seipsis personaliter sunt, quia in illo fuerunt ipsum semen, in se singuli sunt diuersæ personæ. In illo non alij ab illo, in se alij quàm ille. In illo fuerunt ille, in se sunt ipsi, fuerunt igitur in illo, sed non ipsi: quoniam nondum erant ipsi. Forsitan dicit aliquis, istud esse, quo alij homines in Adam fuisse dicuntur, quasi nihil, & inane quoddam est, nec est nominandum esse. Dicit ergo illud esse, fuisse nihil, aut falsum siue vanum, quo fuit Christus secundùm semẽ in Abraham, in Dauid, & in alijs Patribus: & quo omnia quæ sunt ex semine fuerunt in seminibus, & nihil fecisse Deum: cùm omnia, quæ procreantur ex semine, ipse fecit prius in seminibus ipsis: & dicat nihil, vel vanum aliquid esse hoc, quod si verè non esset, hæc quæ videmus esse, non essent. Si enim verum non est, ea, quæ natura procreat ex seminibus, in illis prius aliquid fuisse, nullo modo ex ipsis essent. Quod si hoc dicere stultissimum est, non est falsum, vel vanum, sed verum, & solidum esse fuit, quo fuerunt omnes alij homines in Adam. Nec fecit Deus inane aliquid, cùm eos in illo fecit esse. Seu sicut dictum est, in illo fuerunt non alij ab illo: & ideo longè aliter, quàm sunt in seipsis. Verùm quamuis constet, eos in illo omnes fuisse, solus tamen filius virginis valde diuerso modo ab alijs in illo fuit. Omnes quippè alij sic fuerunt in illo, vt per naturam propagandi, quæ potestati, & voluntati eius subdita erat, de illo essent: solus verò iste non sic in eo fuit, vt per naturam, aut voluntatem eius de illo fieret. De alijs acceperat Adam quando peccauit, vt esset hoc, de quo illi futuri erant, & vt de illo esset: de isto verò, vt esset hoc, vnde futurus erat: non autem, vt de illo esset, quia non erat potestate, vt de illo propagaretur. Sed nec in potestate eius erat, vt de alia essentia, aut de nihilo fieret. Quare non erat in eo, vt hic aliquo modo esset.

esset. Nam nec in potestate naturæ, nec in potestate voluntatis eius erat, vt esset quoquo modo. Erat tamen in eo natura, de qua propagandus erat, non eius, sed Dei potestate. Nam etsi vsque ad Virginem matrem in parentibus & voluntas seminauit, & natura germinauit, vt ipsa Virgo partim naturali, partim voluntario cursu ad suum esse ab Adam produceretur, sicut omnes alij: in illa tamen nec voluntas creaturæ prolem seminauit, nec natura germinauit, sed Spiritus Sanctus, & virtus altissimi de virgine muliere virum mirabiliter procreauit. De alijs ergo erat in Adam, id est, in eius potestate, vt de illo essent, de isto verò non erat in illo, vt aliquo modo esset, sicut non erat in limo, vnde vir primus factus est, vt de illo esset mirabiliter, neque in viro, vt Eua de illo quemadmodum facta est, esset. Sed nec in aliquo eorum, in quibus fuit ab Adam vsque ad MARIAM erat, vt esset, fuit tamen in illis, quia erat in eis. Vnde ipse assumendus erat, quemadmodum erat in limo, vnde primus homo factus est, & in eo vnde Eua facta est, non in voluntate creaturæ, aut potestate, sed sola diuina virtute, sed iste tantò mirabilius, & maiori gratia, quantò illi puri homines, hic homo Deus factus est. Valde itaque diuerso modo iste erat in Adá, quando peccauit, quàm erant illi, qui voluntario, & naturali cursu procreantur. Illos ergo quodammodo facit Adam, quos per acceptam potestatem humana voluntas seminando, & natura germinando procreat. Istum verò non nisi Deus fecit, quamuis de Adam, quia nõ per Adã, sed per se, velut de suo. Quid ergo conuenientius ad ostendendum magnitudinem bonitatis Dei, & ad plenitudinem gratiæ Adæ cõcedebat, quàm vt quorum esse in illius potestate sic erat, vt quod ille naturaliter erat, hoc illi per illum essent, ita quoque in eius esset arbitrij libertate, vt qualis erat ipse in iustitia, & fœlicitate, tales eos propagaret? hoc igitur illi datum est. Quoniam itaque in tantæ gratiæ celsitudine positus, quæ bona sibi, & illis seruanda acceperat, sponte deseruit: idcirco filij perdiderunt, quę pater illis cum seruando dare posset, non seruando abstulit. Hæc mihi sufficere videtur ratio, cur ad infantes peccatum, & mala descendant Adæ, si diligenter remota nostra voluntate, quæ sæpe, & multùm impedit mentem ab intellectu rectitudinis, ipsa pura iustitia consideretur. Qualiter autem peccatum idem mihi videatur ad eos descendere, paucis expediam. Est peccatum è natura, vt dixi: & est peccatum à persona. Itaque quod est à persona, potest dici personale, quod autem à natura, naturale, quod dicitur originale, & sicut personale transit ad naturam: ita naturale ad personam, hoc modo. Quod Adam comedebat, hoc natura exigebat, quia vt hæc exigeret, sic creata erat. Quòd verò de ligno vetito comedit, non hæc voluntas naturalis, sed personalis Adæ propria fecit: quod tamen egit persona non fecit sine natura. Persona enim erat, quod dicebatur Adam: natura quod homo, fecit igitur persona peccatricem naturam: quia vbi Adam peccauit, homo peccauit. Siquidem non quia homo erat, vt vetitum præsumeret impulsus est. sed propria voluntate, quam non exegit natura, sed persona concepit, attractus est. Similiter fit in infantibus è conuerso. Nempè, quod in illis non est iustitia, quam debent habere, non hoc fecit illorum voluntas personalis, sicut in Adam: sed egestas naturalis, quam ipsa natura accepit ab Adam. In Adam namque, extra quem de illa nihil erat, est nudata iustitia, quam habebat: & ea semper, nisi adiuta careret, hac ratione: quia natura subsistit in personis, & personæ non sunt sine natura, fecit natura personas infantium peccatrices. Sic spoliauit persona naturam bono iustitiæ in Adam, & natura egens facta, omnes personas, quas ipsa de se procreat eadem egestate peccatrices, & iniustas facit. Hoc modo transit peccatum Adæ personale in omnes, qui de illo naturaliter propagantur, & est in illis originale siue naturale. Verum patet magnam esse distantiam inter peccatum Adæ, & peccatũ eorum, quia ille peccauit propria voluntate, illi naturali peccãt necessitate, quam propria, & personalis meruit illius voluntas. Sed cùm nemo dubitat, quia par pœna non sequetur imparia peccata, in hoc tamen similis est, & personalis, & originalis peccati damnatio, quia nullus admittitur ad Regnum Dei, ad quod factus est homo, nisi per mortem Christi, sine quo non redditur, quod pro Adæ peccato debetur, quamuis non omnes pariter in inferno torqueri mereantur. Nam post diem iudicij nullus erit Angelus, aut homo, nisi aut in Regno Dei, aut in inferno. Ita igitur, & peccatum infantium minus est, quàm peccatũ Adæ: & nullus tamen sine vlla vniuersali satisfactione saluatur, per quam magnum, & paruum dimittitur peccatum. Cur autem non sit sine illa morte, & quomodo per illam sit salus hominum, in præfato libro sicut Deus mihi dedit, quæsiui, & dixi.

Quòd peccata parentum post Adam non computentur in originali peccato filiorum. Cap. XXIII.

PArentum verò proximorum peccata ad originale peccatum non æstimo pertinere. Quippè si Adã nequiuisset ad eos, quos generaturus erat, iustitiam suam producere, nequaquam posset eis suam iniustitiam transmittere. Quare quoniam nullus post Adam

filijs

filijs suis quiuit iustitiam suam seruare, nullam video rationem, cur proximorum parentum peccata filiorum debeant animabus imputari. Denique nulli dubium est, quòd infantes nullam seruant rectitudinem voluntatis propter ipsam rectitudinem. In hoc ergo sunt omnes pariter iniusti: quia nullam habent, quam omnis homo habere debet, iustitiam. Hæc nuditas iustitiæ descendit ad omnes ab Adam, in quo humana natura se spoliauit eadem iustitia. Nam etsi in Adam illi remansit aliqua iustitia, vt in rebus aliquibus rectam seruaret voluntatem: sic tamen priuata est illo bono, quo sibi iustitiam custodire poterat in posteros, vt in nullo eorum ipsa cum aliqua iustitia se propagare queat. Plus itaque in infantibus auferre sibi non valuit, quàm omnem iustitiam, & beatitudinem, quæ nulli datur aliquo carenti debita iustitia. Quòd autem proximorum parentum iniustitia possit hanc augere iustitiæ nuditatem, qua non valet in infantes ab Adæ peccato maior descendere, non videtur possibile. Nam vbi nulla est iustitia, nulla potest auferri iustitia. Vnde autem nulla potest absentari iustitia, ibi addi nulla valet iniustitia. Nullã ergo infantibus suis addere queũt iniusti parentes iniustitiam super prædictam nuditatem iustitiæ. At vbi nulla iustitia nihil prohibet aliquam inuenire iniustitiam. Verisimilius igitur, & possibilius videtur, si parentes iniusti aliquam suis infantibus addere dicuntur iustitiam, quod iusti suis aliquam dare possent iustitiam. Quòd si sit, habent infantes iustorum aliquam iustitiam. Si verò hoc est, leuiùs damnantur quàm infantes iustorum, si moriuntur sine baptismo; aut si saluentur, cùm aliquo suo præcedenti meritò eligantur. Quod Paulus Apostolus negat, vbi per Iacob, & Esau probat nullũ, nisi omnium merita præcedente gratia saluari. Quoniam itaque nullam dant iust' parentes ante baptismum infantibus suis iustitiam, nullam vtique addunt iniusti suis iniustiam. Quòd si dicitur, non addunt iniusti parentes suis infantibus aliquam iniustitiam, quibus auferre nequeunt vllam iustitiam: sed originalem, quam habent ab Adam, faciunt in eis grauiorem, ergo & iusti in suis reddunt eam leuiorem. Quare si minus sint iniusti infantes iustorum, quàm iniustorum, minùs debent reprobari quàm illi. Quod dicat, qui audet, & ostendere potest: Ego verò non audeo, cùm mixtim videam, & iustorum infantes ad baptismi gratiam eligi, & ab illa reprobari. Sed & hoc si quis dicit, non valet ostendere. Quippè sicut hoc modo nõ est iusto iustior, nisi qui voluntate magis, aut appetit, aut vitat quod debet: ita non est iniusto iniustior, nisi qui plus amat, aut contemnit quod non debet. Si igitur infantes nequeunt ostendi mox, vt animam habent, alius alio maius, vel minus velle quod debet, aut quod non debet, nemo potest probare, quòd in infantibus alius alio nascatur iustior, vel iniustior: Pariter ergo nec iusti sua iustitia reddere videntur in suis infantibus originalem iniustitiam leuiorem, nec iniusti in suis sua iniustitia grauiorem. Qua propter si parentes iniusti, nec numero, nec magnitudine queant originale peccatum suis infantibus suo peccato augere, videtur mihi peccata parentum post, Adam in infantum originali peccato non deputari. Nec nego propter merita bona parentum filijs multa, & magna beneficia corporis, & animæ impendi, propter peccata parentum filios, & nepotes vique ad tertiam, & quartam generationem, & forsitan vltra diuersis tribulationibus in hac vita flagellari, & ea perdere bona etiam in anima, quæ forsitan per illos consequerentur, si iusti essent, quorum exempla nimis longum est inserere. Sed dico, peccatum originale in omnibus infantibus conceptis naturaliter æquale esse: sicut peccatum Adæ, quod est causa, cur nascuntur in illo, ad omnes pertinet æqualiter.

Rom. 5.

Peccata parentum quomodo noceant animabus filiorum. Cap. XXIIII.

SI autem peccata parentum aliquando nocent animabus filiorum, hoc modo potiùs fieri existimo, non quòd ea illis Deus imputet, aut quòd eos in aliqua delicta propter parentes inducat. Sed sicut sæpe meritis parentum filios iustorum à peccatis eruit: ita filios iniustorum eorum meritis in suis aliquando derelinquit. Quoniam enim nemo liber est à peccato, nisi Deo liberante: cùm non liberat, dicitur inducere: & cùm non mollit, indurare. Namque satis videtur susceptibilius, quòd animam peccatricem, cui nihil præter pœnam debet, propter parentum peccata, in suis dimittat peccatis, vt pro ipsis puniatur, quàm quòd eam alienis oneret, vt pro illis torqueatur. Ita igitur sine repugnantia, & originale peccatum est idem in omnibus, & filius non portabit iniquitatem patris, & vnusquisque onus suum portabit, & recipiet, prout gessit in corpore, siue bonum, siue malum, & reddet Deus peccata parentum filijs etiam in tertiam, & quartam generationem, etiam si hoc fit in anima, & quicquid aliud legitur, quod animabus filiorum imputari peccata parentum significare videtur. Quippè non moritur anima filij peccato patris, sed suo: nec portat quis iniquitatem patris, cùm in sua relinquitur, sed suam: nec onus alienum, sed suum: nec recipit prout pater, sed vt ipse gessit in corpore: Sed quoniam propter peccata parentũ à suis malis non est liberatus, ea, quæ portat, eisdé peccatis parentum imputantur.

Quo-

Quomodo nullus portet peccatum patris ſed ſuum. Cap. XXV.

AT ſi obijcitur, quia omnes, qui non ſaluantur per fidem, quæ eſt in Chriſto, portant iniquitatem, & onus Adæ, vt per hoc velit probare infantes, aut aliorum quoque parentum iniquitatem ſimiliter debere portare, aut illius non debere, conſideret diligenter, quia non portant peccatum Adæ, ſed ſuũ, nam aliud fuit peccatum Adæ, aliud infantum, quia differunt, vt dictum eſt. Illud enim fuit cauſa, iſtud eſt effectus. Adam caruit debita iuſtitia, non quam alius, ſed quam ipſe deſeruit. Infantes carent ea, non quam ipſi, ſed alius dereliquit. Non eſt ergo idem peccatum Adæ, & infantum, & cùm dicit Apoſtolus, quod ſuprà poſui, quia mors regnauit ab Adam vſque ad Moyſen, etiam in eos, qui non peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ, ſicut ſignificat infantum minùs eſſe, quàm Adæ peccatum: ita aperte monſtratur aliud eſſe. Qua propter cùm damnatur infans pro peccato originali, damnatur non pro peccato Adæ, ſed pro ſuo. Nam ſi ipſe non haberet ſuum peccatum, non damnaretur. Ita ergo non portat iniquitatem Adæ ſed ſuam, quamuis ideo dicatur portare: quia iniquitas illius peccati iſtius cauſa fuit: Hæc autem cauſa, quæ fuit in Adam, vt infantes in peccato naſcantur, non eſt in alijs parentibus: quia non habet in eis humana natura poteſtatem, quemadmodum dixi, vt filij iuſti propagentur, quare non ita ſequitur, vt pro peccato illorum ſit in infantibus peccatum, ſicut pro peccato Adæ.

Quid ſit originale peccatum, quòd ſit omnibus æquale. Cap. XXVI.

ORiginale igitur peccatum non aliud intelligo, quam quod eſt in infante mox, vt animam habet rationalem, quicquid priùs in corpore nondum animato factum ſit, vt eſt aliqua membrorum corruptio, vel poſt, ſiue in anima, ſiue in corpore futurum ſit. Qua propter prædictas æſtimo rationes in omnibus infantibus naturaliter propagatis eſſe æquales, & omnes, qui in illo ſolo moriuntur æqualiter damnari, ſiquidem quicquid peccati ſuper illud additur, perſonale eſt, & ſicut perſona propter naturam peccatrix naſcitur, ita natura propter perſonam magis peccatrix redditur, quia cùm peccat perſona quælibet, peccat homo. Hoc peccatum quod originale dico, aliud intelligere nequeo in ipſis infantibus, niſi ipſam, quam ſuprà poſui, factam per inobedientiam Adæ iuſtitiæ debitæ nuditatem, per quam omnes filij ſunt iræ, quoniam, & naturam accuſat ſpontanea, quã fecit in Adam iuſtitiæ deſertio, nec perſonas excuſat, vt dictum eſt, recuperandi impotentia, quam comitatur beatitudinis quoque nuditas, vt ſicut ſunt ſine omni iuſtitia, ita ſint abſque omni beatitudine, per quas duas nuditates in huius vitæ exilio poſiti ſunt, & parentes, peccatis, & miſerijs inceſſanter vbique occurrentibus, & vndique irruentibus niſi quantum diuina defenduntur diſpoſitione.

Contra illos, qui non putant infantes non debere damnari. Cap. XXVII.

SVnt quorum animus, infantes debere damnari, qui ſine baptiſmo moriuntur, ob ſolam iniuſtitiam, quam dixi, vult accipere, quoniam nullus homo iudicat eos reprehendendos de peccato alienæ perſonæ: & quia nondum ſunt iuſti, & intelligentes in tali ætate: nec putant Deum diſtrictiùs innocentes debere iudicare quàm, iudicãt homines. Quibus dicendum eſt, quia aliter Deus erga infantes debeat agere, aliter homo. Nam homo nõ debet exigere à natura, quod ipſe non dedit, & quod ſibi non debetur. Nec iuſtè redarguit homo hominem cum culpa naſci, ſine qua ipſe non naſcitur, & de qua non niſi per alium ſanatur. Deus verò rectè exigit à natura quod dedit, & quod ſibi iuſtè debetur. Sed & hoc iudicium, quo infantes damnantur, non eſt alienum multùm, ſi conſideretur ab hominum iudicio. Si quis enim vir, & vxor eius ad magnam quandam dignitatem, & poſſeſsionẽ nullo ſuo meritò, ſed gratia ſola prouecti, ſimul crimen graue inexcuſabiliter committunt, & pro eo iuſtè deijciuntur, & in ſeruitutem rediguntur, quis dicet filios, quos poſt damnationem generant, eidem non debere ſubiacere ſeruituti, ſed potius ad bona, quæ parentes iuſtè perdiderunt, gratis oportere reſtitui? Tales primi parentes, & filij eorum, quos iuſtè pro culpa ſua de beatitudine in miſeriam damnati, in eodem generant exilio. De ſimilibus itaque ſimile debet eſſe iudicium, ſed de illis tantò diſtrictius, quantum delictum eorum probari poteſt improperabilius. Denique omnis homo, aut ſaluatur, aut damnatur: omnis homo, qui ſaluatur, ad Regnum cœlorum admittitur, & omnis, qui damnatur, ab eo excluditur. Qui verò admittitur, prouehitur ad ſimilitudinem Angelorum, in quibus nullum vnquam fuit, aut erit peccatum, quod fieri nequit, quandiù eſt in eo aliqua macula peccati. Impoſsibile itaque eſt aliquem hominem cum aliquo, quamuis pro vno, peccato ſaluari. Quare ſi quod dixit originale peccatum, eſt aliquod peccatum: neceſſe eſt omnem hominem in eo natum, in illo non dimiſſo damnari.

Quo-

Quomodo impotentia habendi iustitiam excusat eos post baptismum.
Cap. XXVIII.

DIxi impotentiam habendi iustitiam non excusare iniustitiam infantium. Quæret ergo aliquis forsitan, dicens: Si infantis peccatum, id est, iniustitia ante baptismum, nec excusatur impotentia habendi iustitiam, sicut dicis, & in baptismo non remittitur peccatum, nisi quod priùs erat, cùm post baptismum sit sine iustitia, quamdiù infans est, nec intelligere potest iustitiam quam seruet: siquidem iustitia est rectitudo voluntatis propter se seruata, quomodo non est iniustus etiam postquam baptizatus est. Si ergo baptizatus moritur in infantia, non statim post baptisma, cùm pœnitere nondum scit, quoniam non habet debitam iustitiam, nec excusatur impotentia, iniustus transit de hac vita sicut faceret ante baptismum, nec ad Regnũ Dei admittitur intra quod nullus iniustus recipitur quod Catholica non tenet Ecclesia. Quòd si in baptismo peccatum in infantia futurum remittitur infantibus, cur non & illa quæ in sequenti fiunt ætate? Ad quod respondeo, quòd in baptismo peccata penitus, quæ ante baptismum erant, delentur. Qua propter originalis impotentia iustitiam habendi iam baptizatis non imputatur ad peccatum, sicut priùs. Quemadmodum igitur impotentia habendi iustitiam priùs excusare non poterat absentiam iustitiæ; quoniam ipsa erat in culpa; sic post baptismum illam omnino excusat, quia remanet sine omni culpa. Vnde fit, vt iustitia, quæ ante baptismum debebatur ab infantibus sine omni excusatione, post baptismum ab illis non exigatur, quasi ex debito. Quandiù ergo sola originali impotentia non habent iustitiam, non sunt iniusti: quoniam non est in eis absentia debitæ iustitiæ. Non enim est debitum, quod sine omni culpa est impossibile. Quare sic moriuntur, quia non sunt iniusti, non damnantur, sed & iustitia Christi, qui se dedit pro illis, & iustitia fidei matris Ecclesiæ, quæ pro illis credit, quasi iusti saluantur. Hæc breuiter de originali peccato pro capacitate intellectus mei non tam affirmando, quam coniectando dixi, donec mihi Deus aliquando melius reuelet. Si cui verò aliter visum fuerit, nullius respuo sententiam, si vera probari poterit.

Explicit liber Anselmi de conceptu virginali & peccato originali.

DECLARATIO CVIVSDAM de eodem libro incipit.

QVidam, quod hìc dicitur scilicet, in semine, quo concipitur homo, non magis esse

A *culpam aliquam, vel originalem, vel actualem, quàm est in sputo, vel sanguine, si quis mala voluntate expuat, aut de sanguine suo aliud emittat, reprehendunt, falsum esse, ex hoc astruentes, quòd in ipso semine sit quidam fomes peccati, & corruptionis naturæ humanæ, & inde origo peccati originalis. Sed si ab eis quæratur, quid appellent fomitem peccati, qui in illo sit, & corruptionem naturæ? non video, quid respondere possint de ratione, nulla enim res ratione carens, vel ad peccatum incitare potest, vel ad virtutem, vt ait Ambrosius, de sacris serm. primo. Iudæus vrceos baptizat, & calices, quasi insensibilia, vel culpam possint habere, vel gratiam. Quod igitur nec culpam potest habere, nec laudem, non*
B *potest fomes esse peccati, vel virtutis. Tale est semen, quo concipitur homo, cùm sit insensibile, ergo insensibile semen illud, cùm in eo non sit, nec esse culpa possit: nec est, nec esse potest fomes peccati. Quòd autem in eo ipso sit causa corruptionis humanæ naturæ, non videtur si vocant corruptionem eam, quæ de peccato processit, & cum peccato inest. Est enim quædam naturæ nostræ corruptio quæ de peccato quidem processit, sed cum peccato inest aliquando, aliquando cum peccato non inest. Corruptio illa, quæ tantummodo pœna est, & non peccatum, vt morbi corporum nostrorũ, & aliæ incommoditates, & mors ipsa: quæ*
C *corruptio sine peccato fuit in corpore Christi, & sine peccato mortali est in sanctis hominibus in hac vita, eadem cum peccato inest peccatoribus. Hæc corruptio non habet causam in semine, nec ex semine: licèt pertranseat in omnes, qui gignuntur paterno semine. Sed cùm sit pœna peccati, habet causam in peccato primi parentis, propter quod inflicta est non semini insensibili sed eis, qui sentire, & sustinere debent molestiam afflictionis. De hac autem corruptione oritur quædam alia corruptio, quæ in semine quidem est, non autem à semine causam habet: vt cùm de morbidis parentibus semen morbidum formatur in morbidam prolem, de qua medici considerant: sed*
D *in hac nec culpa est, nec culpæ originalis, vel actualis. Et de hac non puto, eos dicere. Si autem vocant corruptionem ipsum peccatum: quomodo quædã potest dici corruptio virtutis ea longè alia est à prædicto semine, vt præmissa Ambrosij docet authoritas. Quid ergo appellant fomitem peccati, vel corruptionẽ naturæ quæ est in semine? Fortè dicere volent, quòd hæc authoritas vera sit, sed de seminibus ex quibus homines sint, sic esse non possunt: sicut etiam ab Ambrosio de illis dictum non fuerit. Nam quòd in tali semine sit peccatum ostendit Augustinus in secundo libro de nuptijs, & concupiscentia. Natura hominis, inquit, habet authorem Deum, in qua ex vitio inobedientiæ trahitur originale peccatum*

Nam

Nam si semen ipsum nullum habet vitium, quid est, quòd scriptum est in libro sapientiæ
Sap. 13. Non ignorans, quoniã neque est illorum natio, & naturalis malitia iplorũ. Et quoniam non poterat mutari cogitatio illorũ in perpetuum. Semen enim erat maledictum ab initio. *Nempè de quibuscumque dicat ista: de hominibus dicit. Quomodo est ergo cuiuslibet hominis* malitia naturalis, & semen maledictum ab initio, *nisi ad illud respiciatur, quòd* per vnũ hominem peccatũ in mundũ, & per
Rom. 5. peccatũ mors: & ita in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccauerunt. *Cuius autem hominis* cogitatio non *potest* mutari in perpetuum: *nisi quia per seipsam non potest, visi gratia diuina subueniat, qua non subueniente: quid sunt homines? nisi quod ait Petrus Apostolus: velut muta animalia procreata naturaliter in captiuitatem in interitum. Hæc Augustinus. Ecce aiunt: habetis in hac authoritate, culpam esse in semine. Eis ergo qui hæc prætendunt, respondemus. Primò, dicant vnde ostendere possint, Augustinum sensisse hìc de ipso semine, quo homo seminatur. Semen enim æquiuocè dicitur, & de eo, quod est*
Ioan. 8. *causa: & de eo, quod est ex causa, vt illud:* Semen Abrahæ sumus. *Iuxta quem modum,* semen maledictum est: *id est, illi sunt maledicti, qui sunt de semine, vel generatione in malitia perseuerantium, si ipsi sunt in eodem perseuerantes. Non ita est, aiunt. Dicit enim hoc manifestè Augustinus quærens: Quomodo est cuiuslibet hominis malitia naturalis, & semen maledictum ab initio? Cuiuslibet, inquit, hominis malitia naturalis, & semen maledictum ab initio. Sicut enim cuiuslibet hominis malitia est naturalis: ita cuiuslibet hominis semẽ maledictum: dicimus, quia non valet hoc zeuma, id est, repetitio, à superiori: nec ipse Augustinus eam repetitionem fecit. Quare non cogimur consentire eam facientibus, sed sic dicimus: Cuiuslibet hominis malitia est naturalis: & ipse est semen maledictum non eius semen maledictum, quia in eo non est peccatum, vel possumus figuratiuè dicere, ipsum semen maledictum esse, pro eo quòd ex eo erunt,*
Gen. 3. *qui maledicti erunt, iuxta illud.* Maledicta terra in operibus tuis, *id est, opera tua in terra. Non enim terra maledicta est, cũ ipsa alibi dicatur sancta, licèt eam peccatores operen-*
Exod. 3. *tur. Vt,* locus in quo stas, terra sancta est, *alioquin eadem, & maledicta, & sancta esset. Sic* semen maledictum, *quia maledicti, qui ex semine. Iuxta quem modum Anselmus noster optimè, & verè exponit illam authoritatem Iob de immundo semine, quòd tamen in se neq; immundum est, neque maledictum. Imò, inquiunt, de semine quod est materia carnis humanæ videtur dicere Augustinus, dum sic incipit. Nam si semen ipsum nullum habet vitium, ad quid enim fieret relatio per ipsum?*

Non enim processit sermo de semine, sed sæpe fit per hoc pronomen, non relatio, sed proprietatis quædam expressio eius rei, quæ in causa dicti est: vt etiam Palladius de rusticatione incipit. Pars prima est prudentiæ, ipsam, cui præceptur us est, æstimare personam. Nulla igitur per ipsam fit relatio, sed proprietatis eius quæ in persona est, expressio. Ac si dicat: Ipsam personam, adest, virtutem, vel scientiam, vel dignitatem, vel artem, vel professionem personæ, vel tale quid eius. Sic & hìc accipitur, ipsum cùm de semine agitur, quasi dicat: Ipsum semen, id est, ratio seminis ea est, vt non sine vitio sit. Nam si non in vitio est, si nullum habet vitium, quid est, quòd scriptum est, &c. Ad hoc respondemus. Quicquid sit de relatione, vel de proprietatis expressione per hoc pronomen, ipsum, in semine nullum esse peccatum probat Augustinus, aliã quæstionem faciens Hieronymo de origine animæ dicenti, quòd quotidie Deus creat nouas animas. Quod Augustinus nec recipiens, nec improbans, quærens autem, quid Hieronymo respondeat obiectis, quæstionem talem facit ei inepta fiola de origine animæ. Si anima huius infantuli recens nati infundendo creata est, & creãdo infusa, quando, vel quomodo peccauit in Adam? hæc quæstio nunquam posset esse illius, qui diceret in semine, quo concipitur homo, esse peccatũ originale. Diceret enim ei. Quid quæris hìs, quod tuipse indubitanter fateris? In semine peccatum, & vitium, quod traijcitur de primo homine in omnes posteros. frustra quæris, quomodo peccauit, qui seminaliter de Adam processit. Semen autem culpam secum trahit, hoc inquam diceretur ei. Quare si hæc Augustinus sentiret, nunquam Hieronymo eam quæstionem faceret, huic autem quæstioni nihil est à Hieronymo responsum, nec eam ipse Augustinus soluit, qui de origine animæ nullã certam sententiam protulit. Videant moderni præceptores, quomodo eam soluant. In tantùm per ipsum Augustinum obtinuimus in authoritate eius supraposita, non eum intellexisse de semine, quod sperma est: hoc, quod dixit, in semine esse vitium. Rata est ergo sententia Ambrosij, & nostri Anselmi generaliter, quæ intelligenda est, quòd in re sensibili, nec gratia sit, nec culpa. Attamen adhuc opponunt de authoritate Ioannis Damasceni, qui dicit, quòd post conceptum, siue consensum Beatæ Virginis Spiritus Sanctus superueniens omne peccatum in ea purgauerit, & omnem fomitem peccati. Et inde, credo, volunt habere authoritatem, quòd oportet aliquatenus semen illud virginale, licèt non esset ex viri commixtione, tamen mundatum esse à peccati fomite, Spiritus Sancti operatione. Ad hoc respondemus, nihil nos Ioanni Damasceno in dictis suis præiudicare, vtpote quòd eius scripta nulla legerimus, nisi quatenus ea ab

aliis

alijs in testimonium introducta multis in locis cognouimus. At nobis promptum est Hieronymi nostri sanctissimi, & doctissimi testimonium ferre in contrarium, dicentis in sermone de assumptione eiusdem Dominæ, & Reginæ nostræ: Beata, inquit, & gloriosa Virgo MARIA: quamuis dudum incomparabilis esset vniuersis, quæ sub cœlo sunt, virginibus, vt decenter posset in se suscipere diuinitatis admixtionem salua vtraque natura, tamen cum gratia repletur, cum Spiritu Sancto perfunditur, cum Spiritu Sancto obumbratur, fit preciosior meritis, celsis sublimior fastigijs pulchrior, sanctitate gloriosior suorum meritis, & prærogatiuis meritorum: ita vt nullis iam visibus sit ipsa eadem mancipanda, nisi diuinis. Rogo te Ioannes Damascene, vel quicunque es in sententia, qui putas Beatam Dei matrem post annunciationem sancti Angeli, tunc primùm in superuentione Spiritus Sancti amisisse vel peccatum, vel fomitem peccati. Rogo, inquam, te per eandem Beatam Theotocon desiste: Noli æmulari in malignantibus, cessa sinceris simum vas incrustare, solue Exod. 3. *calceamenta pedum tuorum, quæ impediant progressum rectæ intentionis tuæ. Si quidem zelum Dei habes in hac parte: sed fortè* Rom. 10. *non secundum scientiam. Forsitan enim putas in hoc errore Deo te obsequium exhibere, quòd si nolueris cessare, scito quòd terra hæc, quam calcas, deuorat habitatores suos, vltionem faciens in omnes filios diffidentiæ. Adhuc audi, quid dicat inde nostrorum temporum Spiritus Sancti organum Beatus Bernardus Abbas Clarevallēsis.* Spiritus Sãctus superue-
Luc. 1. *niet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Superiùs dicta est gratia plena, & nunc quomodo dicitur:* Spiritus Sanctus superueniet in te, &c. *Nunquid potuit repleri gratia, & nec dum habere Spiritum Sanctum, cùm ipse sit dator gratiarum? Si autem iam spiritus erat in ea, quomodo adhuc tanquam non venit, superuenturus repromittitur? An forte ideo non dicit, simpliciter veniet in te: sed addidit superueniet, quia, & priùs quidem fuit in ea per multam gratiam. sed superuenire nunciatur, propter abundantioris gratiæ plenitudinem, quam effusurus est super illam? At verò cùm plena sit, illud amplius quomodo capere poterit? Si autem aliud plùs capere potest: quomodo autem plena fuisse intelligenda est? An prior quidem gratia eius tantùm repleuerat mentem. sequens verò, & ventura perfundere debet: quatenus scilicet plenitudo diuinitatis, quæ ante in illa sicut, & in multis sanctorum spiritualiter habitat, etiam sicut in nullo sanctorum corporaliter in ipsa habitare in ipiat? Quid est, virtus altissimi obumbrabit tibi? Qui potest capere capiat, & fortè propter hæc maximè dictum sit: obumbrabit tibi: quia res nimirum in Sacramento erat, & quòd sola per se Trinitas in solo, & cum sola virgine voluit operari, soli datum est nosse, cui soli datum est experiri. Hæc nos quidem breuiter introduximus contra hoc quod opponunt de Ioanne Damasc. cui nos dare determinationem præsumptuosum esset: qui quo sensu dixerit penitus ignoramus. At si ille Hieronymo, & nostris contraria hìc dixit, libet in hoc eodem potiùs adhærere non ei sed Hieronymo, & nostris. Opponitur adhuc Anselmo nostro, quòd in hoc libro dixerit, quòd nulla ratio, nulla veritas, nullus intellectus permittit ad hominem de sola virgine conceptum, & de peccato massæ peccatricis aliud potuisse, vel debuisse accidere, etiam si non esset Deus, quamuis de illa massa esset assumptus. Dicunt enim Christum non potuisse, nec voluisse peccare: non quia filius virginis, sed quia Deus fuit Christus, aiunt: nec voluit, nec peccare potuit, ergo Deus fuit. Quid ergo dicemus de sanctis Angelis, qui ex gratia confirmationis non volunt, nec possunt peccare? vel si Adam antequam peccasset aliquos, qui ante ipsum iniustitia confirmarentur, genuisset, de illis quid dicemus? Vtique si illi cùm nec vellent, nec possent peccare, non ideo Deus, vel Dei essent: sicut in Christo videndum, vtrùm quòd peccare non potuit, nec voluit, sola diuinitas eius homini vnita consafuerit? Namquod ipsa plurimùm, & maximè adinuenerit, omni constat fideli. Sed aliud est, causam simpliciter esse, aliud causæ supplementum conferre. Dicent fortè, quia post peccatum Adæ nulla caro mortalis non vnita Deitati absque peccato esse prævaluit, vel prævalere potuit, quocunq; modo Deus aliquem, vel aliquam absque semine viri creasset, dummodo de Adam esset. Sed cùm hoc dicunt causam peccati, vt suprà in semine ponunt: quod vtique Deus sicut facit esse ex mare, & fœmina sic facere potest ex fœmina sola. Ipsi igitur solvant quæ suprà diximus, & ex authoritate, & ex ratione, & libenter audiemus. Quòd si non potuerint, constabit nobis, sicut constat ex Anselmi ratione irrefragabili, quicumque gignitur alio modo, quàm Adam generauit, quòd non teneatur præiudicio peccati originalis, quod per traducem ex Adam descendit: licèt ille Deus non sit, vt Christus fuit, & ita si voluerit non peccare poterit, & non velle peccare, cum posse non peccare valebit, donec ei confirmans gratia non posse velle, & non posse peccare superauxit. Consentit nobis Augustinus in tertio contra Iulianum. Frustra, inquit, putas ideo in paruulis non esse delictum, quia sine voluntate, quæ in eis nulla est, esse non potest. Hoc enim rectè dicitur propter proprium cuiusque peccatum: non propter primi parentis originale delictum, siue contagium. Quod si nullum esset, profectò nulli malo paruuli ob-*

stricti

stricti, nihil mali, vel in corpore, vel in anima sub tanta Dei potestate paterentur. Vide in his verbis prudens lector hanc maximam incurrere. A quocumque remouetur pœna peccati, ab eodem, & peccatum remouetur: & non conuertitur. A quibus ergo paruulis remouet in corpore, & animo peccati pœnam Augustinus, prius ab eis remoueri docet peccatum omne, & contagium peccati. Illi ergo non essent, nec Deus, nec Dij: & tamen possent si vellent non peccare, & confirmati non possent peccare. Rectè ergo, & verissime Anselmus quia cum eo est veritas: & filius veritatis Augustinus.

SANCTI ANSELMI ARCHIEpiscopi Cantuariensis de Conceptione Beatæ MARIÆ Liber.

Cap. I.

PRincipium, quo salus mundo processit, mihi considerare volenti, occurrit hodierna festiuitas, quæ de Conceptione Beatissimæ Matris Dei MARIÆ multis in locis recolitur. Nec magni ponderis est omne, quod dignitati, aut honori eius humana laude defertur, si meritis illius, & insignibus comparetur. Tantorum namque bonorum consummatio, quæ per ipsam Domini Matrem omni creaturæ prouenerunt, videtur admonere omnem humanam creaturam pietatis affectu exordium suum considerare, quàm sublime, quàm diuinum, quàm ineffabile fuerit. Nec mirum; fundamentum siquidem, & quasi quoddam sacrarium ciuitatis, & habitaculi summi boni in ea ponebatur: & mansio lucis æternæ corporalis, quam corporaliter inhabitaret ille incorporeus, & incircumscriptus, creans simul, & viuificans omnia Spiritus, parabatur. Sancta igitur Virgo MARIA Mater Dei futura, sicut eum, qui supra omnia est incomprehensibilis, verum erat hominem ineffabili modo de sua substantia Virgo paritura, ac per hoc in Deitatem illius quodammodo transitura; ita non absurdè credi potest, primordia Conceptionis eius tanta diuinitatis sublimitate præsignata, vt humanarum conceptio mentium ea planè penetrare non valeret. Et ideo eiusdem Conceptionis dies festiuis laudibus à multis fidelibus meritò celebratur.

CAPVT II.

DE ipsa quippè multis seculis ante ortum eius Isaiam Spiritu Sancto afflatum dixisse constat: *Egredietur Virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet; & requiescet; super eum Spiritus Domini.* Hæc itaque virga, quæ talem ex se protulit florem, nullo dissentiente, Virgo MARIA fuit; & flos qui de radice eius ascendit, eius benedictus filius; super quem, & in quo omnis plenitudo diuinitatis essentialiter requieuit. Hęc igitur tanti filij dignissima parens, cùm in aluo suæ parentis naturali lege conciperetur, quis non concedat Dei sapientiam à fine vsque ad finẽ pertingentem, cuncta implentem, cuncta regentem, nouo quodam, & ineffabili gaudio cœlum, & terram, & omnia, quæ in eis sunt, profundissima, atque ineffabili iubilatione, pro sua reintegratione, quam per illam sibi euenturam, diuina, & occulta inspiratione præuidebat, perillustrasse?

CAPVT III.

SED cùm ipsa Conceptio fundamentũ fuerit habitaculi summi boni, si peccati alicuius ex primæ præuaricationis origine maculam contraxit, quid dicemus? Vtique diuina voce dicitur ad Ieremiam: *Priusquam te formarem in vtero, noui te, & antequam exires de ventre, sanctificaui te.* De Ioanne quoque Angelus, qui eum nasciturum prænunciabat, asseruit, quòd Spiritu Sancto repleretur adhuc ex vtero matris suæ. Si igitur Ieremias, qui in gentibus erat Propheta futurus in vulua est sanctificatus; & Præcursor Domini Ioannes Spiritu Sancto ex vtero matris est repletus; quis dicere audeat, totius seculi Propitiatorium mox in suæ Conceptionis exordio, Spiritus Sancti gratiæ illustratione destitutum? Testante verò Scriptura, vbi Spiritus Dei, ibi & libertas à seruitute; igitur omnis peccati libera fuit, quæ olim peccatorum propitiatori aula, in qua, & ex qua personaliter homo fieret, Spiritus Sancti præsentia, & operatione construebatur.

CAPVT IV.

MAgnitudinem operationum diuinæ virtutis quadam mentis limpitudine pro posse considerans, videor mihi videre, quòd si quid originalis peccati in propagatione eius, & communis vitij extitit, illud propagantium, & non propagatæ prolis fuit. Nam si Dominus castaneæ confert, vt inter spinas remota compunctione recipiatur, alatur, & formetur, nõ potuit hoc dare humano, quod sibi parabat templo, in quo corporaliter habitaret, & de quo in vnitate personæ perfectus fieret, vt licèt inter spinas peccatorum conciperetur, ab ipsis tamen spinarum aculeis, omnimodè exors redderetur? Planè potuit, & voluit; quòd si voluit, & fecit. Et qui dem quidquid dignum vnquam de aliquo extra suam personam voluit, perperam est de te ò Beatissima fœminarum noluisse. Matrem te fecit suam ille rerum omnium factor, & gubernator Dominus, omnium, inquã. intelligibilium,

bilium, & intellectum transcendentium; & te Dominam, ac Imperatricem cœlorum, terrarum, atque elementorum constituit: & vt ita esses, in vtero matris tuæ à primordijs Conceptionis, operante Spiritu Sancto crearis. Nunquid igitur in tanta futura gloria summi videlicet Dei Mater vnica, & omniũ quæ sunt, fuerunt, & erunt, post Filium tuum Imperatrix prudens, & nobilis nunquid in exordio tuo talis esse debuisti, vt omnium quorum te dominium gerere certissimè nouimus, aut puritati, aut subiectioni possis addici?

CAPVT V.

ILle assertor puræ veritatis, & à Filio tuo, iam cœlo præsidente, vas electionis cognominatus, omnes homines in Adam peccasse fatetur, vera vtique sententia, & cui contradici nefas esse pronuncio. Sed cùm eminentiam gratiæ Dei in te considero, sicut te non intra omnia, quæ facta sunt, inæstimabili modo contueor; si nec lege aliorum in tua formatione demetitam fuisse opinor, singulari, & humano intellectu impenetrabili Diuinitatis virtute, & operatione ab omni peccati adiunctione liberrima. Peccatum fuerat, quod homines à pace dirimebat, & vt illud Filius Dei euacuaret, sicque ad pacem genus humanum reuocaret, homo fieri voluit, & talis, vt nihil in eo aliquatenus remaneret, quod non concordaret ei, vnde homo à Deo discordabat. Quia ergo ita fieri oportebat, Matrem de qua talis lis tolleretur, mundam ab omni peccato esse decebat. Aliter quo pacto illi summæ puritati caro eius tanta coniunctione vniretur, vt indifferenter quæ sunt hominis essent Dei, & quæ Dei hominis essent?

Paul. ad Roman.

CAPVT VI.

ADhuc propone tibi palatium, quod specialiter suis vsibus aptum existat, construere volentem, in quo, & ipse frequentiori, & festiuiori cursu conuersetur, & omnibus ope eius, atque auxilio indigentibus mitiori, & lætiori vultu respondeat, & auxilietur. Pateretur ne, quæso, in principio palatij fundamentum inualidum, & structuræ, quæ foret ædificandæ, incongruum, & non cohærens? Non, puto, si saperet, & propositum suum ad affectum perducere vellet. Ergo sapientiam ante omnia secula proposuisse sibi, habitaculum, quod specialiter inhabitaret, similiter indubitata fide tenemus. Quod autem habitaculum istud fuerit, iam dudum innotuit; hoc enim habitaculum, illud Sacrarium Spiritus Sancti esse fatemur, in quo, & per quod eadem Sapientia humanæ naturæ coniungi voluit, & incorporari, & omnibus se pura mente confitentibus parcere, & misereri; quod Sacrarium, Aula videlicet vniuersalis propitiationis, cùm operante Spiritu Sancto construeretur, si fundamentum illius, scilicet, initium, siue primordium formationis Beatæ MARIÆ corruptum fuit, ipsi certè constructuræ non congruebat, nec cohærebat. Inscia ne fuit, & impotens sapientia Dei, & virtus, mundum sibi habitaculum condere remota omni labe conditionis humanæ? Angelis alijs peccantibus, bonos à peccatis seruauit, & fœminam matrem suam mox futuram ab aliorum peccatis exortem seruare non valuit? In æternitate consilij fixum statuit, eam Dominatricem, & Reginam fore Angelorum; & nunc inferiorem Angelis natam, in consortium acceptam esse credamus omnium peccatorum? Existimet hoc, & argumentis suis probet, qui vult: ego donec ostendat mihi Deus aliquid dignius excellentia Dominæ nostræ posse dici, quæ dixi, dico, quæ scripsi, non muto; cæterùm me, & intentionem meam, Filio eius, & illi committo.

CAPVT VII.

NIhil tibi Domina æquale, nihil comparabile est; omne enim, quod est, aut supra te est, aut subtus te est; quod supra te est, solus Deus est; quod infra te, omne, quod Deus non est. Ad tuam tantam excellentiam quis aspicier? Quis attinget? Et certè vt ad hanc excellentiam peruenires, in humillimo loco, id est, in vtero matris tuæ purissima oriebaris. Quòd si tali modo concepta, & ordinata non fuisses, ad tantam celsitudinem non fuereuisses.

Aliquid huius capitis, deesse videtur, & totum octauum.

CAPVT IX.

DE Domina nostra, quam in tantum culmen prædestinauit, & extulit diuina potentia; quam tot prærogatiuis dotauit cuncta disponens Dei sapientia, quam sibi Matrem elegit ad mundo subuediendum, ipsa omnium saluandorum ineffabilis Dei misericordia, dicere, morte peccati, quæ per inuidiam Diaboli occupauit orbem terrarum, in suo conceptu prægrauari, vt taceam interim ipsas, quas commemoraui rationes, animus euitat, intentio abhorret, lingua fateri non audet. Qui aliter sapiunt, & meliùs approbant, credant; ego, pijssima Domina, qualiscumque seruulus, credo, & fateor, quòd tu ex radice Iesse pulcherrima, ac per hoc ab omni, quod te decoloret, peccati vulnere aliena, integerrima permanens,

florem pretioſiſsimum protuliſti, non qualemcumque, ſed ſuper quem ſeptiformis Spiritus requieuit.

EPISTOLA S. ANSELMI DE Feſto Conceptionis B. Virginis MARIÆ.

Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus, & Paſtor Angelorum Coepiſcopis ſuis, cunctiſque Orthodoxis, ſalutem, & perpetuam in Chriſto benedictionem.

CONceptio venerandæ Dei Genitricis perpetuæ Virginis MARIÆ, cum reliquis de reuelatione Herluino facta, quæ ſuperiùs, §. 1. ſcripta fuere, vſque ad illa verba, *digna mercede remunerentur.* Sequitur deinceps.

Rurſum hæc ſolemnitas alibi alio modo declaratur. Tempore namque Caroli Regis Francorum illuſtriſsimi, Clericus quidam ordine Diaconus Vngariæ Regis germanus, Matrem Ieſu toto corde diligens, eius horas ſolicitus decantabat. Parentum autem ſuorum conſilio, nubere volens cum quadam adoleſcentula valde pulcherrima, accepta à Preſbytero nuptiali benedictione, quadam die, Miſſa etiam celebrata, recordatus, quòd eiuſdem Beatiſsimæ Virginis horas illa die, iuxta morem ſolitum non cantauerat; ſponſam domum mittens, omnes ab Eccleſia exire coegit, & ipſe iuxta altare Virginis ſolus remanſit. Cùmque horas Dominicæ Matris decantaret, & hanc Antiphonam: *Pulchra es, & decora filia Ieruſalem*, diceret, ſubitò apparuit ei Virgo MARIA cum duobus Angelis, dexteram eius manum, & læuam tenentibus, dicens ei: Si ego ſum pulchra, & decora, quid eſt, quòd dimittis me, & ſponſam aliam accipis? Nunquid ego ſum optimè formoſa? Nunquid ego ſum pulchrior illa? Vbi vidiſti tam pulchram? Cui ille ſtupefactus, ait: Domina mea dulciſsima, claritudo tua omnem mundi pulchritudinem excellit. Quid vis Domina, vt faciam? Ait illa: Si ſponiam carnalem, cui adhærere vis, amore mei dimiſeris, me ſponſam in cœleſti Regno habebis: & ſi Conceptionis meæ feſtum annuatim 6. Idus Decembris ſolemniter celebraueris, & celebrandum prædicaueris, mecum in Regno filij mei laureatus eris. His dictis Beata Virgo diſparuit, Clericus verò domum adire renuit, & abſque parentum ſuorum conſilio, ad Abbatiam quandam extra patriam illam perrexit, & ibidem monachali habitu decoratus, & poſt tempus exiguum meritis Beatæ MARIÆ Virginis Aquileiæ Epiſcopus Patriarcha factus feſtum Conceptionis B. Virginis die præfato, quandiù vixit, annuatim cum proprijs octauis diligenter celebrauit, & vbique celebrandum prædicauit.

Aliud etiam miraculum huius feſtiuitatis alibi diuina inſpirante gratia, à nobis declaratur. In pelago Gallico Canonicus quidam, ordine Sacerdos, ſolitus B. MARIÆ Virginis horas canonicas decantare, à villa quadam, vbi cum vxore alterius fornicatus fuerat, rediens, ad oppidum in quo morabatur tendere curans, & pelagus Sequanæ tranſmeare cupiens, ſolus nauem ingreſſus Dominicæ Matris horas nauigando canere cœpit. Cumque Inuitatorium, *Aue MARIA gratia plena, Dominus tecum*, diceret, & iam in medio fluminis eſſet; ecce turba magna Dæmonum in profundo pelagi, vnà cum eius nauicula eum præcipitauit, & eius animam rapuit ad tormenta. Dio autem tertia ad locum quo Dæmones eum tormentis afficiebant, venit Mater Ieſu cum magna Angelorum ſocietate, dicens eis: Vt quid animam famuli noſtri, ita iniuſtè affligitis? Nos eam debemus habere, & meritò, quoniam in noſtris operibus capta eſt. Quibus Mater Ieſu: Si illius debet eſſe, cuius opera faciebat, ergo noſtra debet eſſe, quoniam Matutinas noſtras, dum vos eum peremiſtis, decantabat, vnde magis rei eſtis, qui inique contra me egiſtis. His dictis Dæmones huc, illuc que diſperſi fugerunt, & Beata MARIA animam reduxit ad corpus, & hominem ab vtroque funere ſuſcitatum per brachium arripiens, aquam à dextris, & à ſiniſtris quaſi murum ſtare iubens, de profundo pelagi ad portum incolumem reduxit. At ille gaudens pedibus B. Virginis proſtratus ait: Chariſsima Domina mea, & Virgo ſpecioſa, Chriſto gratiſsima, quid tibi tribuam pro tantis beneficijs, quæ mihi feciſti? Liberaſti me de ore leonis, & de tormentis inferni grauiſsimis animam meam. Cui Mater Ieſu ait: Precor te, ne de cætero in adulterij peccatum cadas; ne fiat tibi nouiſsimus error peior priore. Precor te iterum, vt de cætero feſtum Conceptionis meæ deuotè celebres annuatim 6. Idus Decembris, & vbique celebrandum prædices. Mox vt id dixit B. Virgo MARIA, eò cernente, cœlos aſcendit; & ipſe heremiticam vitam ducens, quod ſibi acciderat, cunctis audire volentibus narrauit; & poſtea quandiù vixit, illud feſtum Conceptionis ſolemniter, & deuotè celebrauit, & celebrandum prædicauit.

Nos igitur fratres dilectiſsimi meritis, & interceſsionibus B. Virginis indigentes, cum tota mentis deuotione ſimus ſolliciti, vt nullus noſtrum ita ſit rebus tēporalibus occupatus, aut proprijs delictis deſperatus, quin B. MARIÆ Virginis Conceptionem, pro poſſe ſuo celebret annuatim.

BEA-

BEATI ANSELMI ARCHIEpiscopi Cantuariensis liber de excellentia gloriosissimæ Virginis MARIÆ incipit.

Quòd MARIA excellit omnes creaturas. Cap. I.

SVpereminentem omni, quod post hominem Deum creatum est, excellentiam Beatæ Matris Dei quomodocunque, & saltem lippienti oculo cordis contemplari anhelans, & contemplando, quod mihi inde capere conceditur, ad communem notitiam proferre desiderans horreo peccatorum, quibus premor enormitatem, & valde timeo, ne mihi tanta alta petenti, mox obijciatur hoc sacræ scripturæ dictum: Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. Verùm cùm recogito sanctum filium eius ob hoc, vt peccatis hominum mederetur, factum esse filium eius, non nihil spei concipio, quòd vel parum concipiendi de sublimitate tantæ matris Dei, scilicet, genitricis, omniumque, tam Angelorum, quàm hominum Regina, sciens videlicet illam magis propter peccatores, quàm propter iustos esse factam Dei matrem. Dicit enim ipse bonus filius eius, se non venisse vocare iustos, sed peccatores. Apostolus quoque testatur, quòd Christus in hunc venerit mundum, peccatores saluos facere, quorum se fatetur primum esse. Si igitur ipsa propter peccatores, scilicet propter me, meique similes facta est Dei mater, quomodo immanitas peccatorũ meorum cogere poterit desperare veniam eorũ, cùm tam ineffabile bonum sit factũ ex ea ob curationem eorum? At ipsa curatio ad quos efficaciùs progredietur, aut in quibus miseri cordiùs operabitur, quàm in illis, à quibus tãtum bonum amatur, amplectitur, & veneratur? Excitemus ergo mentem nostram, ô fratres, & enitamur quantum possumus, vt in celsitudinem tantæ Virginis attendamus, & quæ nobis miseratio filij eius reuelare digna ta fuerit, pro laude eius prolata ruminemus. Erit enim fortasis hoc ipsum optare nobis causa non paruæ salutis, & sanctiatis ex vitio rum punctionibus animis medicina salubris. Quomodo namque fieri potest, vt ex memoria laudis eius salus non proueniat peccatorum, cuius vterus factus est via ad sanandum peccatores venienti Saluatori? Quid dixi via, cùm idem vterus thalamus Dei aula Dei in qua habitaret, sit factus? verè etenim habitauit in eo: quoniam seipsum ipse in eo, & ex eo, quod priùs non erat, fecit. O habitaculum mirabile? O habitare ineffabile, quem cœli cœlorum, quem omnes rerum creatarum machinæ capere nequeunt, virginalis vterus Beatæ MARIÆ cepit, quando eundem ipsum de se verum, & perfectum Deum, & hominẽ in vna persona concepit, & generauit: via tamen ipse vterus extitit, quia per illum Deus homo factus, in mundum visibilis venit.

Esai. 26. *Matt. 6.* *1. Tim. 1.*

De origine Virginis MARIÆ. Cap II.

QVamuis igitur hoc solùm de sancta virgine prædicari, quæ Dei mater est, excedat omnem altitudinem, quæ post Deum dici, vel cogitari potest, & altissimũ quid habeat etiam hoc ad contemplandum, & ruminandum mens humana, quæ ad Dominum anhelat: tamen quoniam modo venit in cor, vt de ea aliquid dicam: primò, parum de eius origine, ac deinceps, si quid tenuitas sensus mei de ipsa, quod dignitatis illius existimem non adtersari, capere poterit, in medium proferre libet. Adsis igitur Domina, & non mea, quæ execror, sed tua, quæ precor merita in illis digneris attendere, quæ vereor. Tu quidem nosti mentem meam in hoc esse, quòd me omnino indignum iudico de te loqui, aut aliquid scribere. Sed quoniam insitæ tibi pietatis oculo super multos mei similes scio te respexisse, aliquo licèt dignitati tuæ non digno meæ deuotionis obsequio, velim agere erga te, quatenus ipso consuetæ misericordiæ tuæ oculo, quandoque digneris me respicere. Tacitis itaque illis ab initio omnis creaturæ, vsque ad sanctum sui aduentum, sunt de hac virgine prophetata, sicut tam per eos, qui ante legem, quàm & per eos, qui sub lege iusti fuerunt. Illud conijcio apud me, natiuitatem eius, quam quidem ex linea generationis humanæ non nescio descendisse, magna quædam, atque miranda diuinorum signorum indicia præcurrisse. Quæ tamen illa fuerint solus ipse sine scrupulo nouit, qui eam antequàm nasceretur in matrem elegit, quod in ea, vt æstimo, & non incongruè actum credi potest, quatenus eò maior veneratio fidelium circa eius ortum existeret. Quo enim alio modo sublimitatem tantæ rei altiori secreto celari quisquam perpẽderet? Nec enim Ecclesia Dei inconcussæ authoritatis ducit ipsam scripturam, quæ ortum illius ab Angelo prænunciatum refert. Nam licèt Beatus Hieronymus iuxta alterius cuiusdam scripturæ materiam, quam in adolescentia sua legisse, cuius authorem se fatetur ignorare, eam refecerit, dicit tamen non eo pacto se scripsisse, quod scripsit, vt aliquam descriptæ rei certitudinem Ecclesijs vellet inferre, sed hoc solo, vt rogantibus amicis similem morem gereret. Vnde quemadmodum dixi, scriptum illud in authoritatem Ecclesia suscipere noluit, videlicet indecens esse reputans de Beata Matre Dei quid dubitabile in laudem eius recitari, cùm ea, quæ incunctãter de illa vera existunt, tanta laudis materia sint referta, vt quicũque in laudando eam morari desiderat, necesse sit, vt facultas eius magni-

tudini rei, & veritati ſuccumbat. Sicut enim ſola præ cunctis meriti ſingularis enituit, ita quicquid eam attinet ſpeciali quadam veritatis firmitate dignum eſt enitere.

De Annunciatione Angelica. Cap. III.

NAta igitur, & infantiles annos exuta, quã caſtè, quàm ſanctè, quàm Deo dignè vitã inſtituerit, & inſtitutam egerit, quis, vel cogitatu, non dicam dictu, queat coniecturare? Nulli denique dubium, caſtiſsimum corpus, & ſanctiſsimam animam eius funditus ab omni fuiſſe macula peccati, iugi Angelorum cuſtodia protecta, vtpote aulam, quam ſuus, & omnium creator Deus corporaliter inhabitaturus, & ex qua hominem in ſuæ perſonæ vnitate ineffabili fuerat operatione ſuſcepturus. Et quid mirum? Nam inter omnes vſus obtinuit, ſi tamen cœleſtibus ad terrena poteſt eſſe comparatio vlla, vt cùm præpotens aliquis, & perſona diues, aliquò vadit hoſpitaturus, vt clientes præcurrant, vt locum muniant, mundent, ornent, & cuſtodiant: quò venienti Domino ſuo aptus ad habitandum, & congruus fiat. Quòd ſi talis apparatus fit pro aduentu terreni hominis, & momentaneæ poteſtatis, qualis apparatus omnis boni putamus, fiebat pro aduentu cœleſtis Regis, & æterni in corde ſacratiſsimæ Virginis, quæ illum non ſolùm erat in ſemet tranſitiuè hoſpiratura, ſed etiam ex ſubſtantia ſua factum hominem paritura? Siquidem vbi venit plenitudo temporis, quod ſuo aduentu ipſe Deus ante tempora prædeſtinauit, miſit Deus Angelum Gabrielem, vnum de primis Principibus ſuis, ſcilicet, Regni ſui, nunciare tibi, ò Beatiſsima fœminarum inſtare ſalutem generis humani, & ſe eandem ſalutem operaturum, & ex te caſtiſsima per Spiritus Sancti operationem, verum Deum, & hominem neſciturum. O Domina audis, quæ feruntur ad rem omni ſeculo inauditam, paues, & miraris, nulla tamen incredulitate moueris: verùm indubitanter tenes apud te omnimodo impoſsibile fore non fieri, quod Angelus dixit futurum eſſe. Credidit ergo, & certiſsimè intellexit Deum tam bonum, tam pium, tam omnis miſericordiæ viſceribus plenum, vt ad terras de cœleſti ſede deſcenderet, & homo factus per indebitam ſibi mortem genus humanum à perpetua vellet morte, qua tenebatur, eripere. Reſponsens ergo Nuncio, ait: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum. O fides Deo accepta. O humilitas grata. O obedientia omni ſacrificio iucundiùs Deo oblata, Quid ergo quod venientis Dei oculos offenderet in illa poterat reſidere, in qua tantarum virtutum inſignia veniens inuenit redolere? Certè ſola fide Abraham fertur Deo placuiſſe: & hoc, quia Deo credidit, ad iuſtitiã illi reputatum fuiſſe. Super humiles autem, & quietos, ac verba ſua trementes, ſpiritũ ſuum requieſcere, & obedientiam ſe pro ſacrificijs malè aſſerit Deus. Cùm igitur in his, quæ tantopere Deo placent, ſancta Virgo MARIA tam excellenter illi placuit, vt nequaquam crederet, quis illam aliqua ratione excellentiùs placere potuiſſe. Nimirum tenemus fide. Ab omni ſi quid adhuc in illa originalis, ſiue actualis peccati ſupererat, ita mundatũ cor illius, vt nec ſuper eam ſpiritus Domini, ſcilicet, ſuper humilem, & quietam, & trementem verba ſua ortus requieſceret, ipſam voluntati Dominicæ caſtiſsimo, ac ſimplici cor de obedientem, & omni holocauſto ſuauiùs acceptaret, virtuteque altiſsimi obumbratam, filium Dei ex illa incorporaret. Hic ſe ſuberigat intentio mentis humanæ, & pro poſſe paucis intendat: quanti penderit omnipotens Deus merita huius Beatiſsimæ Virginis. Intendat, inquam, & contempletur, videat, & admiretur, vnum filium ſibi conſubſtantialem, coæternum, omnipotentem ex ſua natura ſine initio Deus pater genuit, & per eum omnes creaturas viſibiles, & inuiſibiles ex nihilo fecit. Hunc igitur ſibi tam vnicum quem dilectiſsimum, & in omnibus omnino æqualem, non paſſus eſt remanere ſolummodo ſuum, ſed eundem ipſum voluit in rei veritate eſſe Beatæ MARIÆ vnicũ, & dilectiſsimum, & naturalem filium: nec ita vt duo eſſent, vnus videlicet filius Dei, alius filius ſanctæ MARIÆ Virginis, ſed vnus idẽ ipſe, qui filius Dei, in vna perſona eſſet filius ſanctæ MARIÆ Virginis, & qui filius ſanctæ MARIÆ, vnus, & idem ipſe eſſet in vna perſona filius Dei. Quis hæc audiens non obſtupeſcat, & quod Deus tale, quid velle potuerit, non vltra omne, quod dici poteſt, admirabile ducat? Puella de propagine Adam nata, de peccatrice progenie, orta ſubitò verſa vice, maledictionis Euæ benedicta prædicatur ſuper omnes mulieres, & concipit, & parturit, & parit hominem Deum, omnes præuaricationes propulſaturum, eoſque, qui ſibi obtemperarent in cœleſti Regno ſuo ſibi cohæredes conſtituturum.

Luc. 1.

Heb. 15.

Eſaiæ 66.

De amore ad Virginis ad filium. Cap. IV.

QVàm mirabilis natura, & ineffabilis affectus amoris conſiderari queat inter hunc talem tantæ matris filium, & hanc talem tanti filij matrem, perpendant hi ſaltem quoquo modo, qui vnico dilectionis feruore ſeſe altrinſecus amant, mater ſcilicet filium, & filius matrem. Perpendat inquam, aliqua bona mater, quo affectu teneatur circa vnicum, & bonum filium ſuum, & bonus filius ſimili modo perpendat, qui pietate moueatur erga bonam, & dilectiſsimam, ac dulciſsimam

ſuam

suam matrem, & aliquatenus tentet, si quomodo in se conectare valeant amorē huius bonæ matris erga verè bonum, & vnicum filiū suum, & istius boni filij erga verè bonā & dulcissimam matrem suam. Equidē omnes homines ex coniūctione duarum personarum, hoc est, maris, & fœminæ procreantur, & amorem suum vtrique personæ, id est, patri, & matri naturaliter debent, qui sic generātur, ipsumque nihilominus amorem suum parentes ambo, qui eos genuerunt. Cùm autem amorem, quem pater, & mater singuli debent filio suo, debet hæc fœlicissima matrum sola filio suo amorem etiam, quem debet quilibet filius simul suo patri, & matri, ille filius veræ Virginis suæ debet soli matri. Nam sicut alij filij nascuntur ex patre, & matre, ita filius eius natus est ex ea sola matre. Excedit itaque omnes amores parentū in filios, aut filiorum in parentes, amor istius matris in filium suum, & istius filij in matrem suam. Et ita se habēt iuxta rationē filiationis, quæ facta probatur extra legem humanæ procreationis. Alio quoque modo, si placet amorem huius filij, & huius matris perscrutemur, & quantūm inde nobis concessum, prout possumus, speculemur. Certè quę generat, est temporaliter nata, qui generatur, Deus est, per quem omnia tempora sunt, & ipsamet Virgo creata. Ostendit ergo ipse priùs amorem, quē habebat erga matrem Virginem, & amorem, quo nullam putemus esse posse maiorem, matrem suam fecit illam, & virginitatem illi non ademit. Equidem hæc duo ipsa iucundiùs amabat, scilicet virginitatem, & fœcunditatem. Virginitatē quia hanc placere Deo per omnia intelligebat, fœcunditatem, quia sine hac maledictū legis, quæ adhuc carnaliter custodiebatur, incurrere metuebat. Vicit tamen amor in ea seruandæ virginitatis, & exclusit ab ea timorem incurrendæ maledictionis. Virgo itaque & tenera, & delicata, regali stirpe progenita, & speciosissima totam intentionem suam, totum amorem suum, totum studium suum ad hoc intendit, vt corpus, & animam suam Deo virginitate perpetua consecraret. Sciebat enim, quòd quantò sanctiùs eam seruaret, tantò sublimiùs ei, qui omnium castissimus, immo qui ipsa castitas est, appropinquaret. Amplectēdo igitur, quod acceptabilius Domino esse cognouit, legem superauit, spreuitque maledictum datæ legis, & credidit reputans secum illum, cui placere quærebat, tantæ bonitatis, & tantæ sapientiæ, vt ante se, vel de se tutum consilium, ne quid peccati in istis subiret, inueniret, nec decepta est. Quis enim sperauit in Domino, & derelictus est ab eo? Denique vbi tam sanctam intentionem eius, tam castum propositum eius, tam firmam fidem, constantem spem, & indeficientem vidit charitatem eius, misericordiæ suæ intuitu

A egit circa illam, vt nec sanctitas intentionis eius frustraretur, nec castitas propositi eius violaretur, ne aut sanitas fidei infirmata à spei constantia titubaret, aut charitatis in ea plenitudo deficeret. Dedit ergo illi, vt & Virgo, quod magis optabat, permaneret, & vt nemo illam à maledicto legis liberrimam dubitaret, fœcunda fieret. Et vnde fœcunda? de illo, sine quo omnis fœcunditas in sterilitatem conuertitur, & igni consumenda succiditur. Et reuera dignum fuit, vt eo in Virgine superueniente, illa fœcundaretur, quæ paritura erat Deum, per quem totus mundus saluaretur. Quid ergo hic dicemus? Est ne, putatis, vlla mens hominis, quæ modum huius B dilectionis, quam Deus ad hanc Virginem habuit, queat penetrare, quando & illi quod carius amabat, sic integrè seruabat, vt eā tā dignè, & castè fœcundata sui ipsius matrem fecit? Potest ne, quæso, vllus hominum, aut Angelorū istius amoris immensitatē penetrare, vel dignitati honoris illius quicquā cogitatu percipere comparabile? Erigite, obsecro, fratres mei, erigite aciem mentis vestræ ad contemplandum tam miram diuinā operationē, & tam ineffabilem, & stupendam omni seculo huius mulieris gratiam, & exaltationē. Et tu ò Beatissima fœminarū, in quā fluxit tam copiosa, & supereminens gratia omnium gratiarū, quid enim animi quæso gerebas ad eū, C qui tibi hæc magna fecit? Vnde, sicut ipsa dixisti, iam ab omni generatione Beata dici meruisti. Verè magnificauit anima tua Dominū, & spiritus tuus exultauit in Deo salutari ipsius. Salutare mirabile, quod nō solùm Domina te inestimabili salute sublimauit, sed & totum mundum peccatorū vulneribus putridū, ex te prodiēs mirabili dispensatione sanauit. Verùm dum illū, qui sibi hæc miranda fecit, paruulū inter manus suas versari, & ad verba sua pendere, & ad parui, & teneri corporis lęsiones, paruulorū more vagire conspiceret, quo, precor, affectu pijssimus eius animus mouebatur, quòve studio ad occurrendū cunctis quæ incōmoda illi fore timebat, parabatur D castissimū corpus eius. Deus fili huius fœliciſsimæ matris, qui es virtus, & vera sapiētia summi patris, oramus, te quatenus ipsa miseri cordia, qua factus es homo pro nobis, insinuare digneris cordibus nostris, quo animo, qua cogitatione ferebatur hæc dulcissima tua mater, cùm te in quam, talem, ac tantillum in brachijs suis exultans, & læta teneret, cùm tibi infantulo dulcibus osculis, & frequentibus congauderet, cū te lachrymantē super genua sua, quibus poterat modulis consolaretur, cùm denique alijs, & alijs studijs ad quæ ipsam materna pietas informabat, tibi pro qualitatum vicissitudinibus sedula blandiretur? Doce, inquam, nos, vel paululum mēte percipere affectū ipsum, quo replebatur cor illius,

vtſi eum peccatorum noſtrorum ſqualloribus obrui, quantus fuerit, plenè non meremur cõtingere, ſaltem pauca mereamur in noſtris ęrumnis aliquatenus reſpirare: nec putet ab aliquo contemnendũ, vel parum quid ſentire quẽlibet inſe de affectu illius matris in filiũ ſuum. Nullo ſiquidem modo crediderim, quòd is, qui ad eum intelligendum prouehi meruerit, ab amoris eius dulcedine extraneus vſquequaque exiſtere poſsit. Qui autem in dilectionis ſuauitatem tranſit, nullo pacto diffidendum, quin & in retributionis eius participium tranſiturus ſit. Quam verò retributionem ſui amoris, ſit adepta tota Chriſtianitas nouit, quæ illam ſuper omnes cœlos exaltatam, & Angelicis choris prælatam certiſsimè credit. Eia fratres quantum poſſumus, enitamur aliquo modo affectum illius tam bonæ matris agnoſcere, & in nobis ſaltem rei magnitudini ſuccumbendo, deguſtare, quo ipſius meritis adiuuari, & dilectionis eius ſalutaris recreari: & aliqua futuræ conſolationis mereamur remuneratione ſublimari. Quicumque igitur aliquem ſincero, & dulci dilectionis affectu diligit, omnia cõmoda, & iucunda ei ſuccedere cupit illius incõmodis, ſi quę acciderint mœſtus ingemit, voluat, & reuoluat hunc ſuũ affectũ apud ſe, & cogitet, quid ſibi eſſet, ſi adhuc quę fingere multiplicatus in ſe ſedem maior exiſteret. Quæ cùm fecerit, & hunc ſuum amorẽ quantũcumque intellectu ſuo magnificatum amori illius piiſsimæ matris Dominæ in Deum filium ſuum aliquatenus cõparari poſſe putauerit, neſcio vtrùm audiendus in hac ſua æſtimatione. Nec mirum, ipſe enim ſpiritus Dei, ipſe amor omnipotentis patris, & filij, ipſe, per quem, & in quo amatur omne, quod benè amatur. Ipſe, inquã, corporaliter, vt benè dicam, venit in eam, ſingulari que gratia præ omnibus, quæ creata ſunt: ſiue in cœlo, ſiue in terra, requieuit in ea, & Reginam, ac Imperatricem cœli, & terræ, & omnium, quæ in eis ſunt fecit eam, & alicui bono ad tempus debriato in animum cadet ſe quicquam amoris habere, quod illi amori queat cõparabile æſtimari, quem hæc Beatiſsima matrum ad ipſum habebat, à quo ſe tam ineffabili dignitate ſublimatam intelligebat. Superat ergo omnes omnium rerum creatarum amores, & dulcedines magnitudo amoris iſtius virginis in filium ſuum, & dulcedinis immenſitas, qua exultabat, & liquefiebat anima eius in eundem Dominum Deum ſuũ. Itaque cui ſaltem ita conceſſum fuerit, ſæpe dulci ſtudio poſſe cogitare de illa, magnum promerendæ ſalutis indicium eſſe conjecto. Sed quid dicam? ſi tantus fuerit amor eius, & verè maior erga hunc dilectiſsimũ filiũ ſuũ, quo quæſo, vel quali gaudio replebatur tota ſubſtantia eius, quando eum, quem tantopere diligebat, quem creatorem, ac dominatorem omniũ rerũ eſſe ſciebat, ſecum egentẽ, ſecum edentem, ſe quæcunque noſſe volebat, dulci affatu docentem, haberet, quid caperet?

A

B

C

D

De compaſsione Beatæ MARIÆ pro filio crucifixo Cap. V.

CVM ergo tanta dilectione, tãta exultatione Beata Dei Genitrix ex præſentia illius, & conuerſatione foret iucundata, perpendat, qui poteſt, quibus doloribus, quibus gemitibus, quibus ſuſpiriis cruciabatur, quãdo eum à ſe crudeliũ manibus auelli, quando ad condemnandũ eum tradi, quando ad ſubeundum mortem iudicio iudicis iniqui tribunali cõſpiceret iiſti. Fortè tamẽ inter hæc ei poterat eſſe, vt more loquar humano, aliqua ſpei conſolatio de euaſione illius, dum ſententiã mortis eius pendere conſpiceret, audiretq; ſubalterationes Præſidis ipſum liberare quærẽtis. Corripiam ergo eum, & dimittam, & Iudæorum peſsimæ plębis, ne liberaretur, Regnum Cæſaris contra Prę ſidentem appellantis. Verùm dum prolata certa ſententia mortis illius, omnis eã ſpes eundendi deſereret, eumque crucem, in qua ſuſpendi debebat humeris vſque ad locum ſuæ paſsionis ſubuehere conſpiceret gemebunda. Eſt ne, precor aliquis, qui queat percipere qualitatem pectoris eius? Adiectus eſt his doloribus eius dolor alius Petrus, & alij diſcipuli eius de nihilo in Apoſtolatum electi, & iam in tantæ celſitudinem virtutis, vt iam dæmonibus imperarent, erecti: necnon ſecretorum illius conſcij, & familiares in cunctis effecti, inſtante hora traditionis eius fugam ineunt, & eum, pro quo ſe mortem paulò ante ſubituros promiſerãt obliti tantorum honorum ſponſioniſque ſuę ſolùm ipſa conſiderante relinquunt. Vide ipſum ad paſsionem omnibus amicis deſtitutum tendentem, hac voce ſequebatur gemens. Vadis propitiator ad immolandum pro omnibus, non tibi occurrit Petrus, qui dixit: pro te moriar. Reliquit te Thomas, qui ait: Eamus, & moriamur cum eo omnes, & nullus ex his, niſi tu ſolus duceris, qui me caſtam conſeruaſti filius meus, & Deus meus. Verũ hæc verba ex magnæ pietatis fonte producta, ita paucis ad hæc commemoraſſe ſuffi ciat, vt ea oculus pietatis attendens, dum tantæ matris gemebundas affectibus compatitur pij amoris illius fructu remunerari aliquã do mereatur. Sed cũ ad ipsãeius paſsionẽ vẽtũ fuiſſet, & ipſe cruci affixus hinc ipsã matrẽ ſuã, hinc diſcipulũ, quẽ diligebat propè aſtantes intuitus eſſet, ne matrem penitus orbatam relinqueret, ei præſentem diſcipulorum ſuo loco in filium ſubrogauit: Mulier, inquit, ecce filius tuus. O commutatio pro æterno, & incommutabili Deo, purum, & corruptibilẽ hominem! pro naturali, & vnico filio ſeruũ accepit in filiũ. O domina quę precor,

cor, in te sibi succedebant, cum tam inæstima A bilem commutationem ab ipso, quem super omnia diligebas, tibi fieri audiebas. Verè pertransiuit animã tuã gladius doloris, qui tibi amarior fuit omnibus doloribus cuiusuis passionis corporeæ: quidquid enim crudelitatis inflictũ est corporibus martyrũ, leue fuit, aut potiùs nihil comparatione tuæ passionis, quę nimirum sua immensitate transfixit cuncta penetralia tua, tuique benignissimi cordis intima. Et vtique pia Domina non crediderim te potuisse vllo pacto stimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, sustinere, nisi ipse spiritus vitæ, spiritus consolationis, spiritus scilicet dulcissimi tui filij, pro quo morien- te conquerebaris, tantopere torquebaris, te B confortaret, te cõsolaretur, te intus doceret non esse mortem eum absumentem, sed magis triumphum omnia ei subijcientem, quod in ipso fieri coram moribundo videbas. Mortuus est tamen, & ab oculis tuis, te spectante sepulchro reclusus. Cætera silentio premo, penitus ignorans, vbi, vel vnde aliquid dicẽdũ assumam, ex quo luctus tui modum, ò pudicissima Virgo, alicui proponere queam. Siquidem cùm illum, quem te virginem concepisse, virginem peperisse, & post partum virginem noueras permansisse, necnon per quem te intelligebas ab omni generatione Beatam dici meruisse, videbas iniquorum sæuitia tam crudeli nece peremptum, tam subitò tuis aC spectibus abstractum, & sepulchri antro reclusum, quid ego? nescio quid haberem, vbi, vel vnde acciperem, quod in considerationem tui status animi, quem gerebas eo tempore cuilibet panderem, sed acerbitas doloris, & mœroris in resurrectione eiusdem filij tui Domini Dei nostri in lætitiam est conuersa. Et in quam, qualemve lætitiam?

De gaudio resurrectionis. Cap. VI.

INtendamus fratres mei: Supra dum gaudij eius exultationem, qua replebatur in conuersatione, secum adhuc in carne mortali degẽtibus istius filij sui cõsiderare niteremur, in ipso nostri animi nisu defecimus, & eam vltra D omnem humanum intellectum magnam, & mirandam esse aduertimus. Si ergo tam magna fuit tũc, cùm ipsum bene sciret, paulò pòst moriturum, quæ, vel quãta putatis: fuit tunc cum ipsum iam calcatis mortis legibus resurrexisse, non solùm in æternum victurum, sed & cœli, & terræ, omnique creaturæ perenni iure dominaturum? Nolo, hãc immensitatem gaudij eius penetrare quis laboret: quoniam quę ipsis Angelis Dei est admiranda, & impenetrabilis, nõ facilè crediderim, quòd cuiuis homini mortali possit esse penetrabilis. At si aliquis quærit, quare Euangelistæ nõ referant ipsum pijssimum Dominũ à morte resurgentẽ huic suæ dulcissimæ, dilectissimæque matri, vt eius dolores mitigaret, primò ac præcipuè apparuisse. Decimus, quòd à quodã sapiẽte de hoc ipso scisciantes audiuimus sic, tanta est suscitata authoritas narrationis Euangelicæ, vt nihil in ea dependens, nihil inane, nihil superfluũ reperiatur: ita quòd si matri Domini, si Dominæ mundi, ipsius filius ab inferno resurgens scriberetur, sicut alij cuilibet apparuisse, eamq: de sua resurrectione docuisse, quis non talẽ scriptum superfluũ duceret, Reginã, videlicet, cœli, & terrę, omniq; creaturæ coæquate illis quibus apparuit viro, aut mulieri? Spiritus eius in illa plenè, & perfectè quiescebat, qui sibi, & esse illius, & facta eius omnia luce clarius reuelabat, & Euangelistæ scriberent tunc, vel tunc illi talẽ semet exhibuisse. His itaq, paucis alicuius forsitã inquisitioni, prout accepimus responsis, adhuc aliquid gaudij huius Beatissimæ Virginis matris speculando præ oculis constituamus, non ea spe, vt modũ illius nos in hac mortalitate viuentes, perfectè intellecturos fore, opinemur, sed vt inde aliquantulũ degustando, quapossimus illud deuotione veneremur. Sic enim inspectũ, & degustatũ magnũ in eius amorẽ anhelantibus solet generare profectũ. Eia si gaudiũ habuit, eodẽ suo filio secũ in carne degẽte, si gaudiũ habuit, eodẽ suo filio calcata morte ab inferis resurgẽte, nõ minori gaudio exultauit, ipso suo filio in ea carne, quã de se assumptã nouerat, corã oculis suis cœlos penetrare, quis hoc dixerit, immo quis gaudiũ eius omnibus, quæ illud præcesserunt, gaudij non crediderit eminere? Bonæ matres solent magnificè in hoc mundo exhilarari, cum vident filios suos terrenis honoribus sublimari: & ista mater proculdubio bona non ineffabili gaudio lætaretur, qnando filium suum vnigenitum omnes cœlos dominandi iure penetrare, ac in Dei Patris omnipotentis vidit consessum ascendendo pertingere? Immo quid huic gaudio vnquã fuit simile? Quid in medium prolatum saltẽ per illud aliquo modo possit mens humana in istud aciem suam dirigere? Sed & hæc gaudiorum suorum magnitudo nonnihil incrementi accepit, cùm aduentẽte super discipulos Spiritu Sancto, mox ad prædicationem illorum, fidem filij sui tanta hominum multitudo susceperit. Nec mirum inde alicui videatur, quòd dico gaudii eius incrementum in credentium conuersione sumpsisse. Ibi enim excepto gaudio, quo de salute generis humani in istorũ conuersione concipiebat, filium non gratis fuisse mortuum, cùm tam efficaciter operari videbat fidem amoris eius in eis, qui amatores eius extiterant. Gaudium itaq; ei erat in cœlo, & gaudium in terra, gaudium insuper in omni creatura. Gaudium in cœlo, quia fructus ventris eius benedictus iam erat victor mortis, & orbis, in cœlo regnabat, & cuncta cœlestis

curiæ agmina inæſtimabili magnificentia lætificabat. Gaudium in terra: quoniam eorum pro quorum ſalute Matrem Dei ſe factã ſciebat, abiecto iugo Diaboli, à quo captiui tenebantur, liberam in ipſam ſalutem currere cõſpiciebat. In omni quoque creatura gaudiũ habuit, eò quòd illum à priſtina oppreſsione erui ad illum ad quem facta fuerat ſtatum redire vidit. Poſtquam enim homo Deum contempſit, & eius mandatis tumidus contraire non timuit, in nulla creatura quam Deus ad ſubſidium eius inſtituit, iuſto iudicio aliquid iuris ampliùs habere debuit. Cùm igitur & in contumacia ſua contra Deum omnium rerum Dominum perſtitit, & tamen vſum rerum in ſubſidium ſuum retorquere non deſtitit, Domino Deo iniuſtitiam, & Dei creaturæ violentiam intulit, & oppreſsionem. At nunc cùm iam reconciliatus homo per mortem filij huius Beatiſsimæ Matris redit in gratiam Dei, famulandi, ſcilicet, ei pro quo ſe inſtitutã eſſe cognouit, hæc ſacratiſsima Domina vidiſti: intellexiſti hæc per te tali modo impleta eſſe, magnificè es gauiſa. Iſta, fratres, dicimus dulce habentes, & vos dulcea habere cupiẽtes, ſæpe voluere in memoria amorem, & gaudium huius Dominæ, quibus iugi exundantia in Deũ, & Deo iucundabatur tota illius ſubſtantia. Nihil enim vtilius poſt Deũ memoria matris eius, nihil ſalubrius meditatione pij amoris, quo feruebat in memoria, & contẽplatione filij ſui, nihil iucundius ſapore pertractati gaudij eius, quo multiplicitер paſcebatur in eodẽ, & per eundem filium ſuũ. Sæpe quippè vidimus, & audiuimus plurimos hominũ in ſuis periculis recordari horum, & omnis periculi malũ illico euaſiſſe. Ve lociorq; eſt nonnunquã ſalus memorato nomine, eius quã inuocato nomine Domini Ieſu vnici filij ſui. Et id quidem non ideo fit, quòd ipſa maior, & potentior eo ſit, nec enim ipſe magnus, & potens eſt per eam, ſed illa per ipſum. Quare ergo propitior ſalus in recordatione eius, quàm filij ſui ſæpe percipitur? Dicam quid ſentio. Filius eius Dominus eſt, & iudex omnium, diſcernens merita ſingulorũ, dum igitur ipſe à quouis ſuo nomine inuocatus, nõ ſtatim exaudit, profectò id iuſtè facit. Inuocato autem nomine matris, etſi merita inuocantis non merentur, vt exaudiatur: merita tamẽ matris intercedunt, vt exaudiatur. Hoc denique vſus humanus quotidie probat, cùm quis propoſito dominico nomine efficaciter ab alio aliquid impetrat, quod ſimpliciter ſua prece nequaquam impetrare poteſt. Itaque ſi tam vtilis aliquando in ſubueniendo memoria nominis Matris Dei exiſtit, non mirum, ſi magnæ ſalutis afferat fructum frequens meditatio amoris eius, ſi plenam iucunditatem dabit dulci ſtudio cogitata, & recogitata immenſitas gaudij eius.

De gaudio Beatæ MARIÆ in filij Aſcenſione. Cap. VII.

QVA propter adhuc in ſpeculatione gaudij eius verba vertamus, & mentes noſtras ipſius dulcedine aliquantiſper enutriamus. Perpendamus itaque cùm tanti gaudij magnitudo impleuerit intima pijſsimæ Dominæ huius, ex his, quæ iam paululum intuendo prout potuimus prælibauimus: vtrum ei ſuper illa adhuc adijcere aliquid gaudij potuerit, id quod reuelante Spiritu Sancto, remota omni ambiguitate, ſciebat ſe decurſo labentis vitæ ſpatio in beatitudinem Regni cœleſtis aſcenſuram, & filium ſuum omnipotenti Deo Patri in ſua Deitate coæqualem, ſicut eſt in indeficienti contemplatione viſuram, ſeque poſt eum omni creaturæ cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, perenni iure dominaturam? Ad immenſitatem gaudij huius quis conſiderabit, qui non in ipſa conſideratione penitus ab ea opprimatur? Et ſi cauſa gaudij tanta eſt, gaudium ipſum quale, & quantum eſt? Sed ò bone Ieſu, ipſius tuæ dulciſsimæ matris filii: quomodo potuiſti pati, vt te in Regnum tuæ gloriæ remeante, illam quaſi orbatam in miſerijs mundi relinqueres, & non eam ſtatim tecum regnaturam aſſumeres? Fortaſsis Domine, ne tuę cœleſti Curiæ veniret in dubium, cui potiùs occurreret, tibi, videlicet Domino ſuo, cùm poſt Regnum tuum in aſſumpta carne petenti, an ipſi Dominæ ſuæ ipſum regnũ iam ſuũ materno iure effectum aſcendenti? Nam vt in partes ſuo occurſu diuideretur, quatenus pars tibi, & pars illi in primo aduentu obſequeretur, non deceret æſtimo, præſertim cùm tota ſit tua, totaque per te eadem cœleſtis Curia ſua. Prudentiori ergo, & digniori conſilio vſus, præcedere illam volebas, quatenus ei locum immortalitatis in Regno tuo præparares, ac ſic comitatus tota Curia tua feſtiuiùs ei occurreres, eamque ſublimiùs ſicut decebat tuam matrẽ ad te ipſum exaltares. Equidem non eſt ab re credere ipſum his de cauſis matrem ſuam præceſsiſſe, cùm ipſe idem vnigenitus huius Beatiſsimæ Virginis promiſerit ſuis diſcipulis, ſe ſi abiret, eis locum in cœleſti ſede præparaturum. Si ergo locus ab eo præparabatur ad gloriam, & honorem diſcipulorum, quomodo non præpararetur ad honorem & gloriam matris ſuæ, Dominæ ſcilicet, & Reginæ Angelorum? Erat præterea, vt hìc quidem videtur, vtilis, & neceſſaria fidei noſtræ conuerſatio ſua poſt aſcenſionẽ Domini inter Apoſtolos eius: quia licèt ipſi per reuelationẽ Spiritus Sancti edocti in omnem fuerint veritatem, incomparabiliter tamẽ eminentiùs, ac manifeſtiùs ipſa per eum ſpiritum veritatis, illius veritatis profunditatem intelligebat, & per hoc multa eis

per

per hanc reuelabantur, quæ in se non solùm simplici scientia, sed ipso effectu, ipso experimento didicerat de mysterijs eiusdem Domini nostri Iesu Christi. Nec dilatio suæ assumptionis quoquo modo iacturam aliquam inferre poterat immensitati amoris, & gaudij sui; quoniam ipsa perfectio amoris, & gaudij ita illam reficiebat plenitudine sui, vt hoc ipsum ei ad amoris, & gaudij augmentum magnopere fieret, quòd se illic esse videbat, vbi Deum, quem præ cunctis amabat, magis velle sciebat. Igitur vbicunque erat, & ipsa in Deo, & Deus in ipsa iucundabatur, quia iucunditate ipsa felix, sed præ cæteris, vbique fieri cupiebat, quod sapientiæ Dei potissimum placere intelligebat. Hac æstimabili amoris, & gaudij immensitate prædita fuit hæc Virgo sanctissima, quandiu etiam in omni mortali carne placeret sapientissimo filio suo.

De Assumptione Beatæ Dei Genitricis MARIÆ. Cap. VIII.

VErùm, cùm ipse in Regnum suum eam assumere, & ei magnificentiam Regni suę gloriæ decreuisset ostendere: cuius precor, dignitatis, & honoris apparatibus intendebat tota Curia Angelorum; quibusve vocibus exultationis, & salutis resonabāt numerosa tabernacula antiquorum Patrum, ipsi Curiæ tunc associatorum? Certè crediderim omnes illius beatæ patriæ ciues festiuiori solito, ac sublimiori nitori decoris, ad aduentum matris Domini sui præparari, ac noua quadam, & ineffabili iucunditatis gratia pro tantæ rei expectatione coniubilare. Et quid mirum? Ipse Iesus Deus, & Dominus omnium filius eius benedictus, huius castissimæ Virginis, & Dominæ rerum, ipse ei, sicut suæ vnicæ matri totius festiuus occurrere volebat, & aliquis de familia sua se tanti gaudij immensitate subtraheret? Vtique inter homines moris scitur esse, vnumquemque bonum seruū, cuiusuis præpotentis Domini, eò maiori gaudio in amici Domini sui aduentu exultare, quò ipse Dominum suum cognouerit aduentatem amicum magis amare. Cùm verò de aduentu parentum Domini sui agitur, de quorum speciali dilectione nullus vlla dubitatione tenetur, ille nimirum magis fœlicem se æstimat, qui maiori iubilo, & festiuiori occursu lætitiæ fræna relaxat. Si ergo hæc ita se habeant apud homines, quibus si qua bonitas inest, longè tamen supernorum bonitati impar est, contempletur animo, qui potest quo gaudio, qua festiuitate, quibus concentibus iubilant omnes beatorum spirituum ordines, quando & vnicam Domini sui matrē aduentare, & ipsum Dominum suum ei videbant omni sua gloria decoratum velle occurrere. Stipatus itaque mille millibus, immo innumerabilibus Angelorū agminibus Deus ipse huic pijssimæ matri suæ de hoc mundo migranti occurrit, eamque super omnes cœlos exaltatam, cunctæ secum creaturæ perenni iure dominaturam in throno gloriæ collocauit! O dies tanti occursus glorioſa, & fœlix! Dies tam præclaræ exultationis beata, & celebris! Dies tam sublimis glorificationis festiua, & omni seculo admirabilis! Dies enim illa non solum te, Domina, ineffabiliter sublimauit, sed cœlum ipsum, quod penetrasti, nec non cuncta, quæ in eo sunt, noua, & ineffabili gloria decorauit. Noua quidem cœlum gloria decorauit, quia priorem gloriam eius ex præsentia tui vltra, quàm dici possit, aut cogitari, magnificauit. Nam cùm tu Domina illuc ascendis, noua illud, & præcellenti virtutum tuarum dignitate irradias immensaque miserationum tuarum, & gratiarum luce perlustras. Eadem quoque dies ascensus tui eorum, qui ciues eius ab initio creaturæ esse meruerunt, solito festiuiori exultationis gaudio induit, quia per glorioſum fœcundæ virginitatis tuæ fructum semirutam vident Ciuitatem suam reintegrari. Verè in tuo aduentu, per quam tantum bonum meruerunt gaudij sui magnitudo iure debuit augmentari. Terram etiam dies exaltationis tuæ, ò beatissima fœminarum, mira gratia irrigauit, quia dum te, quam de se, & in se aliorum hominum lege progenitam cognouit, vsque ad creatoris omnium thronum exaltatā cognoscit, ac antiquam maledictionis pœnam, quam in peccato primorum suorum iuliorum merito excepisse sciebat, iam per tantæ benedictionis tuæ abundantiam sese euadere indubitanter credebat. Quid amplius dicere possum Domina? Immensitatem quippe gratiæ, & gloriæ, & fœlicitatis tuæ considerare cupienti sensus deficit, lingua fatiscit. Quemadmodū enim omnia, quæ in cœlo sunt, per glorificationē tuam inæstimabiliter decorantur: ita per eandem glorificationem, cuncta quæ in terra subsistunt, ineffabiliter sublimantur. Singula nempè in immensæ dignitatis decus profecerunt, cùm per tuam beatam, & integerrimam virginitatem Dominum Deū suum, quem non cognouerant, agnoscere, & agnitum colere, & āmare meruerunt. Quia igitur super omnes cœlos in dextera Domini Dei sui filij tui benedicti exaltari dignè cognouerunt, eo etiam didicerunt se eidem Deò suo totum debere, quod sunt quando ea quæ inter illa, & de illis vnà tantam dignitatis eminentiam meruisti. Nihil igitur aut idolis homines, aut vllæ aliæ rerum species intellexerunt idolorum cultoribus se debere, vbi & singularem authorem sui ex tuo castissimo vtero ad restitutionem primæ creationis suæ progenitum susceperunt, & te, per

quam

quam amiſſam dignitatem ſuam recuperauere, omni creaturæ tam ſublimiter præponi accipere.

Quantùm profuit Beata Virgo Maria creaturæ humanæ.
Capit. IX.

QVas itaque laudes, quaſvè gratiarum actiones, non ſolùm humana natura, ſed omnis creatura huic ſanctiſsimæ Virgini debet? Pura enim ſanctitas, & ſanctiſsima puritas piiſsimi pectoris eius omnem omnis creaturæ puritatem, ſiue ſanctitatem tranſcendens incomparabili ſublimitate hoc promeruit, vt reparatrix perditi orbis digniſsimè fieret. Vnde quid laudis pro tam ineffabili bono ipſe per eam reparatus mundus ei iure debeat æſtimare nullatenus ſufficit. Ne tamé aliquis eorum nimis inſolens autumet, nos magis more indiſcretè laudantium, iſta dicere, quàm rem, ſicut eſt conſiderare. Ne igitur videatur cuiquam quid conſiderationi fidelium quocunque modo commemorando velle præfigere, pleniùs ea, quæ humanæ naturæ per eam bona prouenere, cõmemorare iuuat, aut ſi qualiter omnes aliarum rerum formæ per ipſam ſunt reparatæ, ſiue reformatæ: nihilominus prout poterimus in medium proferre delectat. Quod ea, quidem re facere placet, vt præ oculis aliquatenus deformatis ſingularibus beneficijs eius nemo relinquatur: cuius conſideratio immenſitate promeritæ laudis illius non obruatur. Nota igitur omni ſeculo loquar, & de quo ad quid prouecti ſumus, huius Dominæ meritis pro poſſe edicam. Itaque natura mea ad ſimilitudinem Dei in principio creata fuit, quatenus indeſinenter ipſo Deo frueretur, & eius gloria ſine omni corruptione, & mutabilitate aliquá do potiretur. Hoc tam grande bonum natura ſtatim in primis hominibus perdidit, & in huius mundi miſerias infelix, & præceps ruit, dehinc in æternas miſerias decurſo vitæ labentis articulo multò infeliciùs ruitura. Tranſierunt multa ſecula, & damnationis iſtius immanitas ſuper omnes filios hominum ſemper eſt in deteriùs roborata. Nec enim Dei ſummi ſapientia ſumma vllam in maſſa creationis humanæ viam inuenit, per quam, vt diſpoſuerat, in mundum veniens, tam luctuoſæ perditioni ſubueniret: donec ad iſtam, de qua loquimur, Virginem ventum eſſet. Sed hæc mox vbi in mundum per humanæ generationis lineam venit, tanta omnis boni virtute, & conſtantia perfectè reſplenduit, vt eam ipſa ſapientia Dei verè dignam iudicaret, per quam in homine veniens, non modò reatum primorum hominum, ſed & totius mundi peccata deleret, & diabolum ſui operis inimicum, cum ſuis eluderet: nec non damna cœleſtis patriæ, illuc hominem deducendo, reintegraret. Quis igitur iſta perpendens, æſtimare queat, qua laude digna ſit, quæ tantorum beneficiorum ſola præ cunctis effici meruit mediatrix? Liberati ergo à lege mortis, qua detinebamur, reſurgimus in gloriam, quam in primo parente perdidimus: immo in ampliorem, quàm vel ipſe in ſe, vel nos in ipſo amiſimus. Qui etenim adhuc etiam in carne mortali per fidem ad amiſſam gratiam, ſeu patriam tendimus, in filiationem Dei per benedictum filium benedictæ matris MARIÆ tranſimus, eundémque filiũ eius nobis fratrem ipſo auctore arceſsimus. A morte enim reſurgens nos fratres ſuos appellauit, & quòd ad patrem ſuum, & patrem noſtrum, Deum ſuum, & Deum noſtrum foret aſcenſurus, familiari affectu nobis intimari præcepit. Quòd igitur tantùm patrem, & tantum fratrem ſortiti ſumus, vtique Beatæ MARIÆ aſcribere debemus: cuius integerrima, & benedicta fœcunditate, in tantam dignitatem ſurreximus, quam quidem dignitatem noſtra natura nequaquam adepta fuiſſet, ſi illius Beatæ MARIÆ fœcunda virginitas Deum de ſua ſubſtantia non genuiſſet. Cùm igitur tam inæſtimabili dignitatis honore, etiam in huius mundi ſqualloribus degens per piæ Matris Dei MARIÆ merita humana natura ſit exaltata, qualis quali gloria decorabitur, cùm hunc ſuum fratrem ſuum, eius omnipotenti patri coæqualem in ſua maieſtate regnantem aſpexerit, eiuſque Regni cohæres exiſtens, perpetua, & incommutabili glorificatione vultum ipſius præſens conſtituerit? Aduertat, inquam, aduertat, quæ gloria, vel quod gaudium, vel quæ iubilatio erit omnibus illis, qui in Regnum beatitudinis aſſumpti, Deum, Dominumque rerum omnium in ſuæ carnis ſubſtantia ſibi ſimilem viderint: & cuncta, quæ ſiue in cœlo, ſiue in terra, ſeu in inferno ſubſiſtunt, ad nutum illius pendere eumque fraterno affectu, immo vltra omnem fraterni amoris affectum, ſeipſos amare, velle poterunt ſine mora, ſine contradictione, ſine defectu ſibi æternaliter miniſtrare. Super hoc cùm ipſam doctrinam, per quam tanta bona eis prouenere, præ oculis habuerint iuxta Deum, quem de ſuo vtero Virgo filium peperit, reſidentem, & iure materno cœlo terræque cum eodem ſuo filio præſidentem, conſideremus, qua exultatione exultabunt pro tanta gloria eius, quo honore ſubleuabuntur in tanta potentia eius. Omnis itaque creatura defert eis honorem, non ſolùm quia videbunt naturæ ipſorum conſortem eſſe ſuum Creatorem; ſed etiam quia dominam ſummam, & vnicam dominatricem, cœli, & terræ MARIAM ex his conſpicient eſſe factam Reginam Angelorum. His igitur ita con-

consideratis, tu quicunque ex humana stirpe progenitus es: quomodo potes, & quantum potes, erige aciem mentis tuæ in eam, & quas potes laudes persolue, considerans quas grates, quas laudes, quæ obsequia ei perpetuò debeas, per cuius beatam, & integerrimam fœcunditatem de tanto malo ad tantum bonũ, vt breui ostendimus compendio, sis proiectus, gnarus attende. Nulla te ab horum consideratione seculi delectatio moueat, nulla cuiusuis amoris desidia à debita laudum exibitione retardet.

Quantùm profuit omni creaturæ, etiam præter humanam. Cap. X.

VErùm quoniam aliquantisper animaduertimus, quid boni per excellentiam Beatæ Matris Dei MARIÆ merita adepti sumus, paucis etiam, vt proposuimus, pro posse quid aliarum species rerum per eadem eiusdẽ merita sint adeptæ, aduertamus. Scio quidem superiùs me quædam dixisse, & commemorasse, sed ad tantæ Dominæ eminentiam commendandam pijs auribus non videtur fore superfluum, eandem præsentare sententiam. Omnem itaque creaturam tam cœlestem, quàm terrestrem ad sui Creatoris laudem, & gloriam institutam, nemo sanæ mentis ambigit, nemo sapiens silet. Quapropter si aliquid eius laudi, aut gloriæ suæ honori derogat in quoquam, benè intuentibus liquet qui idem ipsum cætera suæ subintegritatem ei seruantia, quodam exinde confusionis verbere lauciat. Nec enim ad Domini sui fidelitatem integræ sese tenerent, si verecundiã Domini sui, & auctoris sui æquanimiter, & inconcussa tranquillitate sustinerent. Homo igitur, qui à Deo inter cæteras creaturas sublimis naturæ creatus est, dum Deum per suæ inobedientiæ reatum inhonorauit, omnia, quæ sui iuris priùs erant, amisit, omniaquè, quæ sui status integritatem seruauerunt, quadam confusione, ipsa reatus sui immanitate, quantùm in ipso fuit, vulnerauit: adiecta est eis super hac confusione & alia confusio: quia huic, quem à suo conditore per malæ vitæ merita exorbitare videbant, per suæ conditionis legem ministerij sui obsequium nullo tempore abnegare valebant. Ingerebatur igitur operibus Dei contumelioſa quædam oppressio, & fiebat de eis grauis, & iniuriosa abusio. Ius siquidem nullum in his, quæ Dei sunt, iustè debet habere, qui voluntati eius non veretur prauis actibus cõtraire. In eo itaque quòd lumine cœli, & siderum motu in suis vsibus homo reus potiebatur, idem cœlum, & sidera ipsa magni honoris detrimenta patiebantur. Nempe illi seruiebant, propter quem se nequaquam institutia sciebant. Ad obsequium quippè, siue seruitium iusti hominis, non iniusti qui tunc erat, condita fuerunt. Hoc ipsum de aëre, de terra, & quæ profert, de mari, & omnibus aquis, ac de his, quæ continent, licet dicere & sentire. Omnes igitur rerum formæ, informi quadam, & contumelioſa obfuscatione tegebantur, eò quod ipsi, qui Deum suum incessanter offenderant, ministrare, ac subdi sine intermissione cogebantur. Durauit autem hæc in rerum subsistentijs iniuria, quousque venit in carnem illa, de qua loquimur Beata Virgo MARIA. At vbi venit ipsa, in seque filium Dei incorporauit, & pristinam dignitatem in Deo, qui nascebatur, humana natura recuperauit, nihil vltrà confusionis, aut iniuriarum alicui rerum speciei resedit: immo libertatem patriæ creationis suæ confestim recipere meruit. Nam ipsa, cui lege suæ conditionis ius libertatis maximum erat obsequendi, videlicet illi, quem ad Dei imaginem conditum nouerat, cùm ipsum in Creatoris sui similitudinem, quam peccando in se corruperat, per bona opera redire conspexit, non mirum, si deinceps obsequendo dominatui eius, contumelioſè iugum seruitutis excusit.

De eodem alio modo. Capit. XI.

ALio autem modo, si placet, consideremus qualiter omnis creatura ad vtilitatem hominis sit creata, & quemadmodum eadem vtilitas ob peccatum primi hominis, quodammodo euanuerit, quoue pacto per Beatam Dei Matrem Virginem MARIAM, primam suæ vtilitatis recuperauerit dignitatem. Certè homo, qui mentis subsistens rationi, carnis fragilitate deprimitur, ad hoc conditus fuerat, vt contemplationis oculo formæ iugiter intenderet creatoris: sed quia ipse conditor eius in circunscriptus spiritus est, & nemo vnquam carnis corruptibilitate pressus vllatenus in magnitudinis eius notitiam, vel admirandæ dignitatis illius speculationem, sicut est pertingere potest, proposita illi aliarum rerum existentia est, quatenus earum consideratione, sublimitas eius, quæ per se nequit videri, ab ipso intellectu cõspiceretur. Verùm ibi post primorum hominum peccatum generationis humanæ propago in desideria cordis sui prolapsa est, & per vitia sorduit, non solùm Creatoris contemplatio, sed & rerum creatarum mirificè dispositionis salutifera meditatio ab ea procul euanuit. Vides ergo, quali modo in lapsu hominis ruit dignitas rerum. In consideratione enim illarum homo resurgere debuit in agnitionem Dei: & sic quasi quidam ei gradus fieri debuerunt pertingendi ad Creatorem ipsius, & sui, sed & hæc etiam dignitas in eis periit, quando qui ea dignè vteretur, nullus

fuit

fuit, aut extitit. Nec vllatenus receperunt, ex quo primus homo corruit, amiſſam eminentiam tanti boni, donec ille agnus, qui peccatum mundi tolleret, in perſona Dei, & hominis prodijt modò per Beatam MARIAM. Verùm in cognitionem Dei homine per hũc agnum reuocato, omnis etiam alia creatura in ſtatu ſuæ conditionis, & honore proprij congenitique decoris eſt reuocata. Huius igitur tanti boni effectum illi cenſemus profectò imputandum, per cuius Virgineum vterum is venit in mundum, qui & humanam naturam in tantam, ſicut diximus, dignitatis excellentiam ſua ſapientia reuocauit, & omnẽ ſimul creaturam priuilegio amiſsi honoris mira diſpenſatione redonauit. Quid ergo huic beatiſsimæ, ac ſacratiſsimæ Virgini Dominæ noſtræ omnis tam rationalis, quàm irrationalis creatura iure debeat, qui valet, ex his, quæ paucis perſtrinximus, dilatato ſenſu aduertat. Vtique cuncta, quæ Deus bona, & vtiliter fecit, in eo ſtatu, quo cõdita fuerunt ſicut diximus, & oſtendimus, eſſe deſiterunt & per hanc Beatiſsimam Virginem in ſtatũ priſtinum reuocata ſunt, & reſtituta. Sicut ergo Deus ſua potentia parando cuncta, pater eſt, & Deus omnium: ita Beata Dei genitrix MARIA ſuis meritis cuncta reparando Mater eſt, & Domina rerum: Deus enim eſt Dominus omnium, ſingula in ſua natura propria iuſsione conſtituendo, & MARIA eſt Domina rerum, ſingula congenitæ dignitati per illam, quam meruit, gratiam reſtituẽdo. Et quemadmodum Deus ex ſua ſubſtantia genuit eum, per quem cunctis originem dedit: ita Beata Virgo MARIA de ſua carne mundiſsima peperit illum, qui decorem primæ creationis omnium, cunctis reſtituit. Item ſicut nulla rerum ſpecies, niſi per Dei Filium facta ſubſiſtit, ita lex debitæ damnationis neminem deſerit, niſi quem ab ea Filius Beatæ MARIÆ Virginis abſoluit. Quis igitur iſta recto ſenſu, & corde ſincero perpendens, plenè percipere queat excellentiam huius Virginis, per quam inæſtimabilia bona habet rerum natura, per quam tam inęſtimabili gratia, à tam ineffabili dereictione erectus eſt mundus? Quis, inquam, tam miram, & omni prorſus rei præter hanc inauditam gratiam huius beatiſsimæ mulieris oculo mentis aſpiciens non obſtupeſcat, & non modò elinguis, verùm etiam à tantæ rei comprehenſione prorſus immunis fiat?

Oratio eiuſdem Beati Anſelmi ad Beatiſsimam Virginem MARIAM.
Cap. XII.

QVapropter ea, quæ nobis ſunt impenetrabilia, intermittentes, precibus impetrare nitamur, vt quod intellectu capere nequimus, ſaltem affectu obtinere mereamur. Rogamus ergo te Domina per ipſam gratiam, qua te pius, & omnipotens Deus ſic exaltauit, & omnia tibi ſecum poſsibilia eſſe donauit: quatenus id apud ipſum nobis impetres, & obtineas, vt plenitudo gratiæ, quam meruiſti, in nobis ſic operetur, quò participium beati præmij nobis eius miſericorditer quandoque condonetur. Ad hoc quippè Deus noſter, per te factus eſt frater noſter: vt quemadmodum ipſe dignatus eſt conſors fieri noſtræ humanitatis, ſic nos mereamur eõ ſortes fieri ſuæ diuinitatis. Intende ergo Domina piiſsima, vt nobis ad effectum proueniat, propter quod Deus noſter ex tuo caſtiſsimo vtero factus homo inter homines venit, nec ſis, quę ſumus, exoratu difficilis: quia procul dubio, idem benigniſsimus filius tuus Dominus noſter Ieſus Chriſtus erit ad concedendum quicquid, voles promptiſsimus, & exaudibilis. Tantummodo itaque velis ſalutem noſtram, & verè nequaquam ſalui eſſe non poterimus. Quid igitur ſtringet larga miſericordiæ tuæ viſcera Domina contra nos, vt nolis ſaluari nos? Certè Deus noſter (teſte Propheta) miſericordia noſtra eſt, & tu eiuſdem Domini noſtri abſque dubio vera Mater es. Si tu ergo, quæ Dei Mater es, & eò reuera miſericordiæ Mater, & gratiæ, denegas nobis effectum miſericordiæ, cuius tam mirabiliter facta es Mater, quid faciemus, cùm idem filius tuus aduenerit, cunctos æquo iudicaturus iudicio? Siquidem licèt ipſe filius tuus ſit per te factus frater noſter: vbi voluntatem tuam ſuæ videlicet dilectiſsimę Matris magis porrectam aduerterit: illuc ſeruata æquitatis ratione, à qua te nullatenus diſcrepare videbit, iudicij ſui ſententiam, ſiue ad miſericordiam inflectendo, ſeu ad iuſtitiam intendendo, promulgabit. Subueni ergo nobis Domina piiſsima, & non conſiderata peccatorum noſtrorum multitudine, velle tuum ad miſerendum nobis inflecte. Cogita, quæſo, & recogita apud te, quia non ad damnandum, ſed ad ſaluandum peccatores: conditor noſter ex te factus eſt homo. Cur itaque non iuuabis nos peccatores, quando propter nos in tantam celſitudinem es leuata, vt te Domina habeat, & veneretur omnis pariter creatura? An ideo vtrũ pereamus, amplius non curabis, quia quicquid de nobis miſeris vltrà eueniat gloriæ tuæ iactura nulla inde proueniet? Et hoc quidem bona Domina fortaſsis aliquo modo dici poſſet: ſi pro tui ſolius exaltatione, & vtilitate Mater Dei facta fuiſſes, ſed vtique Deus, qui hominem aſſumpſit ex tua caſtiſsima carne, hoc fecit pro tua, & noſtri omniũ ſalute. Si ergo tu quæ plena ſalute es potita, non intendis, vt eadem ſalus pro modulo noſtro etiam ad nos vſque pertingat, iam tuorũ

ſuffi-

sufficiens commodorum nostrorum negligens esse videberis, & quæ pro totius mundi saluationem eruisti fieri mater altissimi, cum nos postposueris, quos obuoluit finis seculi: quid quæso proderit nobis tua gloriosa, & fœlix exaltatio: & quid inde habemus dulcis & affectuosa exultatio? Vt ergo filium tuum totius mundi saluatorem, & te eius reconciliatricem esse veraciter sentiamus: eò nos propensiori studio iuua, precamur & foue: quo in fecibus mundi natos, & alitos potiori leuamine prospicis indigere. Ab initio denique renouationis humanæ, omnibus sub tuũ præsidium confugientibus hucusque succurristi, & idcirco præ omni creatura, omni laude dignissima dici, & esse meruisti. Eia succurre oramus, vt laus, quam per tot secula dignè possedisti, continua tibi duret in gratia ipsa, qua mundo perdito subueneristi. Tibi ergo nos commendamus, tu procura, ne pereamus, effice potius, vt salus nostra de die in diem multiplicetur, & Filio tuo Domino nostro Iesu Christo vita nostra iugi deuotione famuletur. Qui cum Deo Patre, & Spiritu Sancto viuit per omnia secula seculorum, Amen.

Ad Beatam Dei Genitricem MARIAM, cum recordatione meritorum eiusdem, & malorum nostrorum.

O Beatissima, & sanctissima semper Virgo MARIA, ecce adsto mœrens ante faciem pietatis tuæ, & confundor nimis pro abominationibus peccatorũ meorum, quibus deformis factus sum, & horribilis coram Deo, & te, & Angelis eius, & Sanctis omnibus. Expauesco vehementer iudicium extremum damnationis, quando vnicuique diuinitùs reddetur, prout gesit, siue bonum, siue malum. Et quia propter hoc timor, & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ malorũ actuum meorum, & intueor me leprosum, & immundum, idcirco me dignum scio separari à societate fidelium, quos à me discernit candor, & puritas castitatis; propterea flens, & eiulans deprecor, Domina, quatenùs à me quatriduano mortuo, intolerabili fœtore iam pleno, faciem tuam non auertas, sed potiùs adspicias, quàm graui vlcere percussus sum, & consideres, qualiter me cœlesti medicamine cures, atque Filio tuo Domino nostro Iesu Christo, cuius tu mater es, & qui de te natus est, me emundatum restituas. Tu enim nosti, misericordissima Regina, quòd ad hoc nata es, vt per te nascereiur idem Dominus noster Iesus Christus, verus Deus, & verus homo, in quem veracissimè credo, & de cuius pietate non desspero, vt & ipse, qui erat, Conditor hominum, fieret & Saluator; teque talem haberet matrem, quæ pro peccatoribus interueniens, perfectam obtineres eis salutem. Tu autem Domina Mater eius, es Virgo in partu, Virgo ante partum, & Virgo post partum. In te manet intacta castitas, pudor integer, & firma constantia. Quæ lætaris, quòd Virgo concepisti, & quòd cœli Dominum castis visceribus portasti, & quòd Virgo partum edidisti, & quòd es ab Angelo salutata, à Spiritu sancto obumbrata. Et quod Angelica nunciauit puritas, ineffabilis perfecit Deitas, atque Deum illum gignere meruisti, qui cuncta nasci suo nutu concessit.

Tu Domina mirabaris & corporis tui integritatem, & conceptus fœcunditatem, & gaudebas tuum paritura parentem, Dominum nostrum Iesum Christum: duobus enim gauisa es muneribus. Miraris, quòd Virgo peperisti, & lætaris, quòd Redemptorem mundi edidisti, Iesum Christum Filium Dei. Quapropter ineffabilis misericordiæ Regina, credo, quòd non es vacua à visceribus pietatis, quæ genuisti ipsum fontem totius bonitatis. Et quæ lactasti magni consilij Angelum, potes & mihi esse magni consilij Angelus, si pro me depreceris Dei Filium; qui per te mundo in carne apparuit, vt quem latentem apud Patrem incognitum habebat mundus, apparentem per carnem agnosceret, & agnitum crederet, & credendo in eum saluaretur per fidem. Qui suo inenarrabili munere præstitit, vt natura humana ad similitudinem sui condita Creatoris, dissimilis per peccatum, & mortem effecta, nequaquam in æterna damnatione periret, sed illam per te sua immensa pietate repararet, & vt tu noua, & intemerata Virgo facinus antiquæ viraginis expiares.

O admirandam diuinæ dispensationis operationem! Tu benedicta inter omnes mulieres virum non cognouisti, & mater es, & & post Filium natum Virgo permansisti. Hanc fidem sanctam postquam suscepi, Domina, non semper recto tramite tenui, quoniam præceptis eius non obediui. Quibus si parere studuissem, me ad te clamantem facilè audires, quem placere filio tuo scires. At quia seduxit me hostis antiquus, & sagittis suis vulnerauit me, & vestibus cãdidis exuit, atque nigris, & lacrymosis, ac semiustis igne peccatorum meorum induit, idciro deformibus vestibus indutus apparebo tibi. Propterea clementissima Regina, & Domina, ne contemnas me, sed memor fragilitatis humanæ, annue, ne desperans fugiam, sed expectem consolationem tuam, quam tunc euenire probabo, si ea, quæ sunt in me incendia criminum, & iniquitatum, & precipuè illarum, quibus infatigabiliter vror, paulatim in me deficere tua virtute, atque imbre inter-

terceſsionum tuarum extingui in corde meo & corpore perſenſero.

O mi Domina, quid dicam, vel quid faciam? In tenebris ſum, & lumen cœli non video. Quò ibo, aut quò à facie filii tui iudicantis fugiam? Non ad orientem, aut meridiem, vel ad occaſum, aut ad aquilonem, vel in profundo abyſsi; habeo effugium, vbique filius tuus, vbique totus, vbique præſens, vbique diſcernens, & omnia iudicans, & ſuper cœleſtia habitans. Qui ſi me pro meis actibus iuſtè iudicauerit, expediſſet mihi magis, vt cõceptus non eſſem, aut natus ſtatim interijſſem. Nec hoc mihi proficere potuiſſet, quia in peccatis tunc conceptus, & natus, & ſine baptiſmo mortuus abſque dubio perijſſem. Ego namque de peccatoribus conceptus, & natus peccator, baptizatus, & ſaluatus, iterum peccator factus ſum. Et non talis vt antea, ſed ſordidior, & immanior, quoniam talis ſum, qualem peiorem non habet mundus. Ideo talem adiutorem requiro, qualem poſt Filium tuum potiorem, & meliorem inuenire non poteſt mundus. Habet orbis Apoſtolos, Patriarchas, Prophetas, Martyres, Confeſſores, Virgines, bonos, & optimos adiutores, quos ego ſupplex orare concupiſco. Tu vero Domina omnibus ijs adiutoribus melior, & excelſior es, quia iſtis, & alijs Sanctis omnibus, etiam Angelicis ſpiritibus, necnon Regibus, & poteſtatibus mundi, diuitibus, pauperibus, dominis, ſeruis, maioribus minoribus Domina es, & quod poſſunt omnes iſti tecum, tu ſola potes ſine illis omnibus. Quare hoc potes? Quia Mater es Saluatoris noſtri, Sponſa Dei, Regina cœli, & terræ, & omnium elementorum. Te ergo requiro, ad te confugio, & vt me per omnia adiuues, ſuppliciter peto. Te tacente, nullus orabit, nullus iuuabit. Te orante, omnes orabunt, omnes iuuabunt.

Millies centena millia hominum, (Regina piiſsima), ad te clamant, & omnes ſaluantur. Et ego clamabo ad te, & non auxiliabor? forſitan non; quia illis omnibus ſum peior, & peſsimus. Quid inde? Propterea non tacebo. Clamans igitur vociferor ad te. Egregia Virgo, & piiſsima Domina, parce mihi, & exaudi me. Exaudi miſerum, & ſolare mœrentem, recollige errantem, refoue deſperantem. Sana in me, quæ conſpicis vulnera, per tua ſancta medicamina, tollenſque à me ſordida indumenta, viridia, & ſplendida porrige veſtimenta, quibus me renouatum repræſentes Filio tuo Domino noſtro Ieſu Chriſto. Eſto mihi contra diabolum turris fortitudinis, murus inexpugnabilis, brachium defenſionis. Illum contra me ſæuientem ſuſcipe, & ne me viribus imbecillem aſtutia ſua confodiat, tu inuincibiliter repugna. Ille callidus eſt, & fraudulentus, & non metuit pugnare contra fortes, ſed maiores vires infert tentationis contra validos, quàm contra infirmos. Tu tamen cœleſtis auxiliatrix, quæ noſtri doloſitates eius, ſic comminue robur eius, vt me nulla ipſius callida ſuggeſtio decipiat tentando, ſed cùm nititur decipere, ipſe confuſus, ex tua virtute ſuperatus diſcedat, & ego miſellus tua defenſione protectus, à tua, filijque tui laude nunquam quieſcam.

Fac ò felix Domina, & omni laude digniſſima, vt ego famulus tuus, qui in tota longæuitate dierum meorum miſerabiliter per abrupta peccatorum corrui, nunc in extremis poſitus diebus, agam pœnitentiam pro peccatis meis, quęcunque geſsi, in cogitatione, voluntate, operatione, & negligentia. Et quamuis diutiſsimè, hoc eſt, ab exordio vitæ meæ, vſque in hanc horam, perſeuerauerim Regina, obtine apud clementiſsimum Filiũ tuum, vt vltrà non regnet iniquitas in me, ſed virtus diuinitatis. Virtutum, & orationum copia me iuſtificet, mundet, & muniat, & per ſemitas iuſtitiæ deducendo ad bonum perſeuerantiæ perducat, & prouehat. In extremis quoque vitæ poſitum nulla me obliuio hebetet, linguæ officium, nullius paſsionis vitium impediat. Expletoquè dierum meorum numero, atque perfecto in me Eccleſiæ ſancto miniſterio, merear ſuſcipi ab Angelo lucis, & liberari ab Angelo mortis, ac perferri ante tribunal piiſsimi Iudicis, vbi per te Domina percipiam quietem pacis vitæ æternæ, Amen.

Ad Beatam Virginem MARIAM.

BEatiſsima Dei Genitrix, & Virgo perpetua MARIA, Sacrarium omnium virtutum, gignendo Dominum virtutum, & Regem gloriæ Chriſtum, per eundem Deum, & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, quem meruiſti generare, tibi ad æternam gloriam, & nobis ad æternam ſalutem, precor per tuam clementiam, ſuffragare mihi omni miſericordia indigno apud diuinam maieſtatem, exorabilemquè te precibus tanti peccatoris præbere, Domina ne differas, ex qua & beatitudinis fœlicitas, & redemptio nobis venit. Siquidem omnino Deifera ſanctiſsima MARIA, indignus ſum te adire precatum, ſed fiduciam ſpei meæ attribuit recordatio multorum Chriſtum; teque negãtium, qui tandem conuerſi priſtinam meruerunt per tua ſuffragia ſuæ mentis integritatem, licèt ſim ampliùs peccator, quàm poſsit lingua mea confiteri; proh dolor, plura ſunt peccata mea, quàm vix numero poſsint comprehendi. Et quamuis profeſsionem Chriſtianitatis, minus rectè obſeruauerim poſt baptiſmus, tamen nunquam in negationis foueam cor-

corde, vel ore incidi. Omnipotenti Deo gratias, qui me tenuit tuis sanctis orationibus. Ad hoc te Deus fecit, vt speramus sui matrem, vt mater fieri deberes omnium in eum credentium, quo se patrem nos iussit vocitare.

Quid vnquam potest dignius æstimari, quàm vt sis Mater, quorum Christus dignatur esse pater, & frater? Ipse namque propter suam insolitam bonitatem, omnibus paternos præbebit profectus, si te Domina senserit maternos non denegare affectus. Quonamque modo mihi non miserearis Mater misericordiæ? Vbi est, nisi in Deo, & in te, spes mea? Ergo sine te nihil pietas est, nihilque bonitatis, quia mater virtutis, & virtutum es omnium. Quapropter adiuua me Domina, quæso, quia nihil sum, & ad nihilum me venturum scio, nisi digneris me adiuuare. Adiuua me ergo, nec vni deneges beneficium, quod omnibus confers etiam non rogata. Non habeo quò pergam solatium vitæ quærens, nisi ad quam omnes rei confugiunt. Ad te confugio, quia te Filius tuus Dominus noster Iesus Christus prouidit nobis refugium post te. Suscipe me, oraque eam, quatenus me talem efficiat, qualem me iubet fieri, nec diutius sinat decipi suggestionibus dæmonum, sed faciat sua pietate, tuaque intercessione me sic frui temporali vita, quà possim æternam consequi, ipso auxiliante, qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit, & regnat per omnia secula seculorum, Amen.

Ad Beatam MARIAM Virginem.

SAncta, & gloriosa Dei Genitrix, semperque Virgo MARIA, quæ mundo meruisti generare Saluatorem, exaudi me, & miserere mei, nunc, & semper propter honorem sanctæ, & excellentissimæ virginitatis tuæ. Te deprecor humiliter, esto mihi saluatrix, & adiutrix apud Deum omnipotentem, vt ipse me pius pastor, & Princeps pacis à peccatorum meorum maculis emundet, & ab inferni tenebris eripiat, & ad vitam perducat æternam. Et qui per te castissima Virgo venit in hunc mundum, & humanum genus suo sanguine saluauit, & inferni claustra destruxit, & cœlestis Regni ianuas aperuit, ille me per misericordiam suam saluare, & conseruare dignetur, & post finem huius vitæ labentis, aliquam partem æternæ beatitudinis precibus tuis in sanctorum societate concedat, Amen.

Ad eandem Dei Matrem. Secundùm quosdam est B Maurelij Rothomagensis.

SIngularis meriti, sola sine exemplo, Mater, & Virgo MARIA, quam Deus ita mé-

A te, & corpore custodiuit, vt digna existeres, ex qua sibi nostræ redemptionis pretium, Dei Filius corpus aptaret, obsecro te misericordissima, per quam totus saluatus est mundus, intercede pro me miserrimo, & cunctis iniquitatibus fœdissimo, omni pondere peccatorum prægrauato, vt vel iam donet Dominus infœlici animæ meæ amorem puritatis, affectum munditiæ, tenorem castitatis. Ego enim, ego infelix, ego totius innocentiæ, totius sanctimoniæ gratiam perdidi, ego Templum Dei sanctum, multipliciter violaui. Sed quid ago, obscœnitates meas referens auribus illibatis? Horresco Domina; horresco, & arguente me conscientia, malè
B nudus, coram te erubesco. Cui vero moribundus offeram vulnus meum? Ad quem ibo, & apud quem deplorabo dolorem meum, aut quando aliunde sperem beneficia sanitatis, si mihi clauditur illud vnicum reclinatiorium æternæ pietatis? Audi ergo Domina, audi propitia, audi, & exaudi cruem perditum de sorte hæreditatis suæ, post longa exilia, post sæua ludibria, post multa flagitia, reuertentem ad vbera consolationis tuæ.

Memini, & meminisse delectabile est, qualiter ad commendandum nobis miseris vnicum patrocinium tuum, cuidam tuo seruulo agenti in extremis reuelasti memorabile nomen tuum. Apparens enim ei, cum esset
C in angustijs, & requirens, vtrum te agnosceret, cùm ille, *minimè domina*, tremens responderet, tu ei pro benignitate tua, quàm blandè, quàm familiariter tu Domina dixisti. *Ego sum misericordiæ mater.* Apud quem ergo miseri, apud quem desolati rectiùs ingemiscimus deplorantes mala totius calamitatis, & miseriæ nostræ, quàm apud te veram & indubitatam matrem misericordiæ? Mater sancta, Mater immaculata, Mater incorrupta, Mater misericordiæ, Mater pietatis, & indulgentiæ, aperi sinum pietatis, & suscipe mortuum in peccatis. Ecce Domina filius prodigus, nudis, & attritis pedibus, de loco horroris, de nebula immunditiæ, & fœtoris
D suspirat, clamat, & appellat matrem, non immemor, quoties eum foueris, texeris, excusaueris apud Patrem. Et quidem ille pijssimus, atque benignissimus pater, tu tam dulcis, & suauis mater. Agnosce benedicta, filios tuos, quos vnicè dilectus vnigenitus tuus nõ erubescit nominare fratres suos. Et si pro illo innocente filio tuo crucifixo pertransiuit gladius animam tuam, quomodo super mortuis in peccato, pupillis tuis te continere, quomodo maternis fletibus & lachrymis, ò Domina, poteris temperare? Abstrahimur, diripimur, captiuamur, non est qui eruat, non est qui redimat, qui consurgat diluculo, & spondeat pro nobis. Surge pia, surge propitia, intra sacrarium exauditionis, & expande

ma-

manus immaculatas ante Altare illud aureũ humanæ reconciliationis. Erit per te impetrabile, quod per te ingerimus, erit per te excuſabile, quod timemus. Nec diu poterit te ſuſtinere pro nobis ſupplicantem, quem tu ſæpiſsimè conſolata es dulcis mater, infantem vagientem. Quæ ergo potentior meritis ad placandam iram iudicis, quàm tu, quæ meruiſti mater eſſe eiuſdem Redemptoris, & iudicis? Nec dubites Domina mea, ipſe enim eſt os meum, & caro mea, ſalutare meũ & gloria mea, ipſe caput noſtrum, ipſe cognouit figmentum noſtrum. A

Decus Virginum, Domina gentium, Regina Angelorum, fons hortorum, ablutio peccatorum, ſancta & perpetua Virgo MARIA, ſuccurre miſero, ſubueni perdito; vt qui iam, proh dolor, non audet Angelicam illam ſperare ſtolam virginalem, tui glorioſis meritis qualemcumque recipiat veſtem nuptialem. Denique, & ſi non merebor, immo quia non merebor vicinis accedere, atq; intereſſe florigeris, atque odoriferis gloriæ veſtræ choris, eminus ſaltem poſitus, & longè conſtitutus videre merear, & audire proceſſus veſtros, tympana veſtra, & concentus veſtros, & quicquid illud gloriæ, & exultationis erit, quando tripudiabitis, ſequentes agnum quòcumquè ierit. B

Singularis Virgo, ſumma, & perpetua Virgo, ſola Mater, & Virgo, Sancta MARIA, in fine orationis meæ, in extremo huius fatuæ ſupplicationis meæ, indignus hoc vnum rogo, precor, & ſupplico in nomine dilecti filij tui, dona mihi miſero iugem, & perennem memoriam ſuauiſsimi nominis tui. Sit cibus dulciſsimus, cibus ſuauiſsimus animæ meæ. Adſit mihi in periculis, adſit in anguſtijs, adſit in principio lætitiæ meæ. Si enim Dei, & dono tuo hoc mereor obtinere, nullatenus certè, nunquam funditus vereor interire. Aderit enim ſemper mihi gratia tua aderit miſeratio, & protectio tua. Et ſi in inferno demerſus fuero, eò me requires, & inde extrahes, & reddes filio tuo, qui me redemit, & lauit ſanguine ſuo, Ieſu Chriſto Domino noſtro, qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit, & regnat Deus. C D

Ad Beatam MARIAM Virginem cum recordatione peccatorum.

SAncta, & inter Sanctos poſt Deum ſingulariter Sancta MARIA, Mater admirabilis virginitatis: Virgo amabilis fœcunditatis, quæ filium altiſsimi genuiſti, quæ perdito humano generi Saluatorem peperiſti, Domina præfulgens tanta ſanctitate, ſuperueniens tanta dignitate, quam vtique certum eſt non mori, præclaram eſſe potentia, & pietate. Tibi ò Genitrix vitæ, ò Mater ſalutis, ò Templum pietatis, & miſericordiæ, tibi ſeſe conatur præſentare miſerabilis anima mea, morbis vitiorum languida, vulneribus facinorum ſciſſa, vlceribus flagitiorum putrida, tibi nititur, quantùm moribunda valet, ſupplicare, vt potentibus tuis meritis, & pijs tuis precibus digneris eam ſanare. Sic enim pia Domina alienata eſt à ſe immanitate ſtuporis, vt vix ſenſum habeat enormis languoris. Sic ſordibus, & fœtore fœdatur, vt timeat, ne ab ipſa miſericors vultus tuus auertatur: ſic tabeſcit deſperando reſpectus tui conuerſionem, vt etiam iam obmuteſcat ad orationem.

Peccata mea, nequitiæ meæ; ſi habetis animã meã veſtro veneno peremptam, cur ſic facitis eam veſtra fœditate horrendam, vt miſeratio non poſsit aſpicere illam? Si obruitis ei ſpẽ exanditionis veſtra mole, cur obruiſtis illis vocem orationis veſtri pudore? Si mentem eius veſtri feciſtis amorem dementem, cur obſtruxiſtis illi vocem orationis veſtri pudore? Si mentem eius veſtri feciſtis amore dementem, cur ſenſum eius veſtro reditis torpore non ſeruientem? Heu pudor ſordentis immanitatis, præſentia nitentis ſanitatis. Heu confuſio immundæ conſcientiæ, in conſpectu fulgentis munditiæ. O tu benedicta ſuper mulieres, qui Angelos vincis puritate, ſanctos ſuperas pietate, anhelat moribundus ſpiritus meus ad tantæ benignitatis reſpectum, ſed erubeſcit ad tanti nitoris conſpectum. Rogare enim te Domina deſidero, vt miſerationis tuæ reſpectu cures plagas, & vlcera peccatorum meorum, ſed confundor coram te ob fœtorem, & ſordes eorum. Horreo Domina apparere tibi in immunditijs, & horroribus meis, ne tu horreas me pro eis, & non poſſum, væ mihi, videri ſine eis.

O perturbata, ò confuſa præcauenda conditio. En quippe vos peccata mea quomodo diſcerpendo diſtrahitis, diſtrahendo corroditis, corrodendo torquetis præcordia mea? Eadem enim peccata mea, ò Domina cognoſci à te cupiunt propter curationem, apparare tibi fugiunt propter execrationem, non ſanantur ſine confeſsione, nec produntur ſine confuſione. Si celantur, ſunt inſanabilia: ſi videntur, ſunt deteſtabilia. Vrunt me dolore, terrent me timore. Mole me obruunt, pondere me premunt, pudore me confundunt.

O tu illa piè potens, & potenter pia MARIA, de qua fons eſt ortus miſericordiæ. Ne contineas, precor, tam veram miſericordiam, vbi tam veram agnoſcis miſeriam. Si enim ego confundor in obſcœnitate iniquitatis meæ ad fulgorem tuæ ſanctitatis, tunc Domina erubeſces erga miſerum, effectum inſitæ pietatis? Si ego confiteor nequitiam meam, tunc abnegabis benignitatem tuam?

Si

Si maior est miseria mea, quàm mihi expe- A diat, erit ne minor misericordia tua, quàm te deceat? Quantò enim Domina magis delicta mea in conspectu Dei, & tuo sordent, tantò magis curatione, & tua subuentione egent. Sana ergo clementissima infirmitatem, & delebis, quæ te offendit fœditatem. Aufer benignissima languorem, & non sentries, quem horres, fœtorem, fac pijssima, vt nonsit quod dolet, & non erit quod synceritati tuæ sordet. Fac Domina, exaudi me Domina. Sana animam peccatoris serui tui per virtutem benedicti fructus ventris tui, qui sedet in dextera omnipotentis patris sui superlaudabilis, & superglorioſus in secula.

B

Alternatim ad Matrem, & ad Filium,

O Virgo mundo venerabilis, Mater humano generi amabilis, fœmina Angelis mirabilis. MARIA Sanctissima, cuius beata virginitate omnis sacratur integritas, cuius glorioso partu omnis saluatur fœcunditas. Domina magna, cui gratias agit concio læta iustorum, ad quam fugit tetra turba rerorum. Ad te præpotens, & misericors Domina, ego peccator, & vtique nimis peccatorum anxius confugio. Videns enim me Domina ante districti iudicis omnipotentem iustitiam, & considerans iræ eius intolerabilem vehementiam, perpendo peccato- C rum meorum enormitatem, & condignam tormentorum immanitatem. Tanto igitur Domina clementissima horrore turbatus, tanto pauore perterritus, cuius enixus implorabo interuentionem, quàm cuius vterus mũdi fouet reconciliationem? Vnde securiùs velocem in necessitate subuentionem sperabo, quàm vnde mundo processisse propitiationem scio? Aut cuius intercessio faciliùs reo veniam impetrabit, quàm quæ illum generalem & singularem, iustum vltorem, & misericordem indultorem lactauit? Sicut namque beatissima, impossibile est, vt hæc merita tibi tam singularia, nobis tam necessaria obli uiscaris, sic mitissima, incredibile est, vt D supplicantibus miseris non miserearis. Benè quippe nouit mundus, nec nos mundi peccatores vllatenus dissimulare pàtimur. Satis inquam, ò Domina, satis nouimus, quis filius hominis, vel cuius hominis filiùs venit saluum facere, quod perierat. Nunquid ergo tu Domina mea, Mater spei meæ, nunquid obliuiscеris tu odio mei, quod mundo tam misericorditer est intimatum, tam felicitèr diuulgatum, tam amanter amplexatum? Ille bonus filius hominis venit perditum sponte saluare, & Mater Dei poterit perditum clamantem non curare? Bonus ille filius hominis venit vocare peccantem ad pœnitentiam, & Mater contemnet peccantem in pœnitentia? Ille, inquam, bonus Deus, mitis homo, misericors Filius Dei, pius filius hominis venit quærere peccatorem errantem, & tu bona Mater eius, & potens Mater Dei repelles miserum orantem?

Ecce enim ò Virgo, homo, de quo natus est Deus homo, vt saluaretur peccator homo. Ecce coram bono filio tuo, & coram te bona Mater eius, pœnitet, & confitetur, gemit, & orat peccator homo. Obsecro vos bone Domine, & bona Domina: obsecro vos pia fili, & pie Mater, obsecro vos per hanc ipsam veritatem, per hanc singularem spem peccatorum, & vt sicut verè tu es filius eius, & tu Mater eius, vt saluetur peccator, sic absoluatur, & curetur hic peccator. Probet in se, probet hic vester peccator, quia verè estis. Sentiat in se, quia propter salutem peccatorum estis tu filius, & tu Mater. Videtur certè amborum peccator. Quum enim peccaui in filium, irritaui Matrem, nec offendi Matrem sine iniuria filij. Quid ergo facies peccator? Quò igitur fugies peccator? Quis enim me reconciliabit filio, inimica Matre? Quis mihi placabit Matrem, irato filio? Sed etu ambo pariter offensi estis, nonne & ambo clementes estis? Fugiet ergo reus iusti Dei ad piam Matrẽ misericordis Dei. Refugiat reus offensæ Matris ad pium filium benignæ Matris. Ingerat se reus vtriusque inter vtrumq; inijciat se inter pium filium, & Matrem piam. Pie Domine parce seruo Matris tuę. Pia Domina parce filij seruo tui. Bone fili placam Matrem tuam seruo tuo. Bona Mater reconcilia filium tuum seruo tuo. Qui me initio inter duas tam immensas pietates, non incidam in tam potentes seueritates. Bone fili, bona Mater, non mihi sit frustra, quòd confiteor devobis hanc veritatem, nec erubescam, quòd spero in vobis hãc pietatem. Amo enim veritatem, quam confiteor de vobis: deprecor pietatem, quam spero in vobis.

Dic mũdi iudex, cui preces fundã? Dic mũdi reconciliatrix, quẽ tu conciliabis, si tu Domine damnas, & tu Domina auerteris homũculum, bona vestra cum amore, mala sua cum timore confitentem? Saluator singularis, dic quẽ saluabis? Salutis Mater, dic pro quo orabis? Si te, Domine, præcipiente, & de te misericordia consentiente, tormenta vexant peccatorem se execrantem, vos obsecrantẽ, si infernus absorbet reum se accusantem, vos deprecantem, si tartara deuorant pauperem in se desperantem, in vobis sperantem?

Deus, qui factus es filius fœminæ propter misericordiam, fœmina, quæ facta es Mater Dei per misericordiam, aut miseremini misero, tu parcendo, tu interueniendo, aut ostendite ad quod tutiùs fugiam misericordiores, aut mõstrate, in quibus certiùs tõsidã potentioribus. Si enim est, immò quia est

tam magna mea iniquitas, & tam modica fides mea, tam tepida charitas mea, tam fatua oratio mea, tam imperfecta ſatisfactio mea; vt nec merear delictorum veniam, nec ſalutis gratiam, hoc eſt ipſum, quod ſupplico: vt in quo merita mihi videtis non ſufficere, in eo miſericordiæ veſtræ dignentur non deficere. Precor itaque, precor, exaudite me, ſed propter vos, non propter me, per pietatem, qua exundatis, per poteſtatem, qua abundatis, vt euadam meritos dolores damnatorum, & intrem in gaudia beatorum, te Deum laudaturus, qui es benedictus, & ſuper laudabilis in ſecula ſeculorum, Amen.

A

Ad eandem Virginem cum meditatione, & laude meritorum eius.

B

MARIA tu illa magna MARIA, tu illa maxima Beatarum MARIARVM, tu illa maxima fœminarum. Te Domina magna, & valde magna, te vult cor meum amare, te cupit os meum laudare, te deſiderat venerari mens mea: te affectat orare anima mea, quia tuitioni tuæ ſe commendat tota ſubſtantia mea. Enitimini viſcera animæ meæ, enitimini quantùm poteſtis, ſi quid poteritis omnia interiora mea, vt eius merita laudetis, & eius beatitudinem ametis: vt eius celſitudinem admiremini, & eius benignitatem deprecemini, cuius patrocinio quotidie indigetis, indigendo deſideratis, deſiderando imploretis, implorando impetretis, & ſi non ſecundùm deſiderium veſtrum, tamen ſuprà, vel certè meritum veſtrum. Regina Angelorum, Domina mundi, Mater eius, qui mundat mundum, confiteor, cor meum eſt immundum: vt meritò erubeſcat in tam mundam intendere: nec dignè poſſit eam dignè intendendo contingere. Tu igitur Mater illuminationis cordis mei, te nutrix ſalutis mentis meæ, te obſecrant, quantùm poſſunt, cuncta præcordia mea. Exaudi Domina, adeſto propitia, adiuua potentiſsima, vt mundentur ſordes mentis meæ, vt illuminentur tenebræ meæ, vt accendatur tepor meus, vt expergiſcatur torpor meus, quatenus ſicut beata ſanctitas ſuper omnia ſummũ omnium filium tuum, per omnipotentẽ filium tuum, ob glorioſum filium tuum à benedicto filio tuo es exaltata, ſic ſuper omnia Dominum, & Deum verum, & Dominum filium tuum te cor meum intelligat, & veneretur, amet, & deprecetur eo affectu, non quo deſiderio imperfectus, ſed quod debet à filio tuo factus & ſaluatus, redẽptus & ſuſcitatus.

C

O Genitrix vitæ meæ, altrix reparatoris carnis meæ, lactatrix Saluatoris totius ſubſtantiæ meæ. Sed quid dicam? Lingua mihi deficit, quia mens non ſufficit. Domina Domina, omnia intima ſolicita ſunt, vt tantorum beneficiorum gratias exoluãt, ſed nec cogitare poſſunt dignas, & pudet proferre non dignas. Quid enim dignè dicam Matri Creatoris, & Saluatoris mei, per cuius ſanctitatem peccata mea purgantur, per cuius integritatẽ mihi incorruptibilitas donatur, per cuius virginitatem anima mea adamatur à Domino ſuo? Quid, inquam, dignè referam Genitrici Dei, & Domini mei, per cuius fœcunditatem captiuus ſum redemptus, per cuius partum de morte æterna ſum exẽptus, per cuius prolem perditus, ſum reſtitutus, & de exilio miſeriæ in patriam beatitudinis reductus? Benedicta in mulieribus: hæc omnia mihi dedit benedictus fructus ventris tui in regeneratione baptiſmatis ſui, alia in ſpe, alia in re, quanquam hæc omnia ego ipſe mihi ſic ecce dando abſtulerim, vt nec rem habeam, & ſpem vix teneam. Quid enim? Si mea culpa euanuerit, nunquid ingratus ero illi, per cuius mihi gratiam tanta bona euenerunt? Abſit, ne addam hanc iniquitatem ſuper iniquitatem. Immo gratias ago, quia habui: doleo, quia non habeo: oro, vt habeã: certus enim ſum; quia ſicut per filij gratiam ea potui accipere, ſic eadem per Matris merita poſſum recipere. Ergo Domina, porta vitę ianua ſalutis, via reconciliationis, aditus recuperationis: obſecro te per ſaluatricẽ fœcunditatẽ fac, vt peccatorũ meorũ mihi venia, & bene viuẽdi gratia concedatur, vt vſque in finẽ hic ſeruus tuus ſub tua protectione cuſtodiatur. Inſidijs, & oppreſsionibus dæmonum tenebris obuolutus mundus ſubiacebat, ſed ſole de tẽ orto illuminatus, eorum & laqueos deuitat, & vires conculcat.

D

O aula vniuerſalis propitiationis, cauſa generalis reconciliationis, vas & tẽplũ vitę, & ſalutis vniuerſorũ: nimiũ cõtraho merita tua cũ in me homũculo vili ſingulariter recẽſeo beneficia tua, quæ mũdus amãs gaudet, gaudẽs clamat eſſe ſua. Tu namque Domina admirabilis ſingulari virginitate, amabilis ſalutari fœcunditate, venerabilis ineſtimabili ſanctitate, tu oſtendiſti mundo Dominum ſuum, & Deum ſuum, quem neſciebat: tu viſibilem exhibuiſti mundo Creatorem ſui, quem prius non videbat: tu genuiſti mundo reſtauratorem, quo perditus indigebat: tu peperiſti mundo reconciliatorem, quem reus non habebat. Per fœcunditatem tuam Domina, mundus peccator eſt iuſtificatus, damnatus ſaluatus, exul reductus, partus tuus Domina, mundum captiuum redemit, ægrum ſanauit, mortuum reſuſcitauit.

Cœlum, ſydera, terra, flumina, dies, nox, & quæcumque humanæ poteſtati, vel vtilitati ſunt obnoxia, in amiſſum decus ſeſe gratulantur Domina per te quodammodo reſuſcitata, & noua quadam ineffabili gratia donata. Quaſi enim omnia mortua erant, cum amiſ-

amisso congenita dignitate dominatu fauendi, vel visibus Deum laudantium, ad quod facta erant, obtinebantur oppressione, & decolorabantur abusu idolis seruientium, propter quos facta non erant. Quasi verò eadem resuscitata lætantur, quum iam Dominum confitentium, & dominatu reguntur, & vsu decorantur. Noua autem & inæstimabili gratia quasi exultauerunt, cum ipsum Deum, ipsum Creatorem suum, non solùm inuisibiliter supra se illa regentem senserunt, sed etiam visibiliter intra eisdem vtendo sanctificantem viderunt. Hæc tanta bona per benedictum fructum benedicti ventris benedictæ MARIÆ prouenerunt. A

Sed cur solùm loquor Domina beneficijs tuis plenum esse mundum? Inferna penetrãt, cœlos superant. Per plenitudinem enim gratiæ tuæ & quæ in inferno erant, se lætantur liberata, & quæ supra mundum sunt, se gaudent restaurata. Per eundem quippe gloriosum filium gloriosæ virginitatis tuæ omnes iusti, qui obierunt antevitalem eius mortem, exultant diruptione captiuitatis suæ: & Angeli gratulantur restitutione semirutæ ciuitatis suæ. O fœmina mirabiliter singularis, & singulariter mirabilis, per quam elementa renouantur, inferna remediantur, homines saluantur, Angeli redintegrantur! O fœmina plena, & superplena gratia, de cuius plenitudinis exundantia respersa, sic reuirescit omnis creatura! O Virgo benedicta, & superbenedicta, per cuius benedictionem benedicitur omnis natura, non solùm creata à Creatore, sed & Creator à creatura! O nimis exaltata, quam sequi conatur affectus animæ meæ, quò ausugis aciem mentis meæ? O pulchra ad intuendum, amabilis ad contemplandum, delectabilis ad amandum, quò euadis capacitatem cordis mei? Præstolare Domina infirmam animã te sequentem; nec abscondes te Domina parum videnti animæ te quærenti. Miserere Dominaanimam post te anhelando languentem. B C

Mira res, in quã sublimi contemplor MARIAM locatã. Omnis natura à Deo est creata, & omnis Dei natura ex MARIA est nata. Deus omnia creauit, & MARIA Deũ genuit. Deus, qui omnia fecit, vel creauit, ipse se ex MARIA fecit; & sic omnia, quæ fecerat, refecit. Qui potuit omnia de nihilo facere, noluit ea violata sine MARIA reficere. Deus igitur est Pater rerũ creatarum, & MARIA Mater rerum creatarum. Deus est Pater constitutionis omnium, & MARIA est Mater restitutionis omnium. Deus enim genuit illum per quem omnia sunt facta, & MARIA peperit illum, per quem omnia sunt saluata. Deus genuit illum, sine quo penitus nihil est: & MARIA peperit illum, sine quo omnino nihil bene est. O verè Deus tecũ, cui dedit Dominus, vt omnis natura tantùm tibi deberet secum. D

MARIA obsecro te per gratiam, qua se esse Deus tecum, & te voluit esse secum, fac propter ipsam secundùm eandem ipsam gratiam misericordiam tuam mecum, fac vt amor tui semper sit mecum, & cura mei semper sit tecum. Fac, vt clamor necessitatis meę quãdiu ipsa persistit, sit tecum: & respectus pietatis tuæ, quandiu ego subsisto, sit mecum: fac vt congratulatio beatitudinis tuæ semper sit mecum, & passio miserię meæ quantùm mihi expedit, sit tecum. Sicut enim ò beatissima, omnis à te auersus, & à te despectus necesse est, vt intereat: ita omnis ad te conuersus, & à te respectus impossibile est, vt pereat. Sicut enim Domina, Deus genuit illum, in quo omnia viuunt, sic ò tu fios virginitatis genuisti eum, per quẽ mortua reuiuunt. Et sicut Deus per filium suum beatos Angelos à peccato seruauit, ita tu decus puritatis per filium tuum miseros homines ex peccato saluabis. Quemadmodum enim Dei filius est beatitudo iustorum, sic ò tu salus fœcunditatis, filius tuus est reconciliatio peccatorum. Non enim est recõciliatio, nisi quã tu casta concepisti. Non est iustificatio, nisi quã tu integra in vtero foueisti, & non est salus, nisi quam tu Virgo peperisti. Ergo Domina Mater es iustificationis, & iustificatorum, genitrix es reconciliationis, & reconciliatorum, parens es salutis, & saluatorum. O beata fiducia, ò tutum refugium: Mater Dei est Mater nostra. Mater eius in quo solo speramus, & quẽ solum timemus est Mater nostra, Mater inquam, eius, qui solus saluat, solus damnat, est mater nostra.

Sed ò benedicta, & exaltata non tibi soli, sed & nobis quid est? Quàm magnum, quã admirabile est, quod video per te euenire nobis, quod videns gaudeo, quod gaudens dicere non audeo. Si enim tu Domina es Mater eius, nonne & alij filij tui sunt fratres eius? Sed qui fratres, & cuius eius, loquar vnde iucundatur cor meum, an silebo ne elatione arguatur meum? Sed quod credo amando, cur non confiteor laudando? Dicam igitur non superbiendo, sed gratias agendo. Qui enim fecit, vt ipse per maternam generationem esset naturæ nostræ, & nos per viæ restitutionem essemus filij matris suæ; ipse nos inuitat, vt confiteamur nos esse fratres eius. Ergo Iudex noster est frater noster. Saluator mundi est frater noster; denique Deus noster est factus per MARIAM frater noster. Qua igitur certitudine debemus sperare, qua desolatione possumus timere, quorum siue salus, siue damnatio, de bonis fratris, & de piæ Matris pendet arbitrio? Quo etiam affectu hunc fratrem, & hãc matrem amare debemus? Qua familiaritate nos illis cõmittemus? Qua securitate ad illos confugiemus? Qua dulcedine confugientes

ſuſcipiemur. Bonus igitur frater nobis dimittat quod delinquimus; ipſe auertat quod delinquentes meruimus; ipſe donet quod pœnitentes petimus. Bona mater oret, & exoret pro nobis, ipſa poſtulet, & impetret quod expedit nobis. Ipſa roget filium pro filijs, vnigenitum pro adoptatis, Dominum pro ſeruis. Bonus filius audiat matrem pro fratribus, pro his, quos adoptauit Dominus, pro his, quos liberauit filius.

MARIA quantùm tibi debemus, Domina, per quam talem fratrem habemus? Quid gratiarum, quid laudis tibi tribuemus? Magne Domine, tu noſter maior frater? Magna Domina, tu noſtra melior Mater? Docete cor meum, qua reuerentia vos debeat cogitare. Bone tu, & bona tu: dulcis tu, dulcis tu: dicite & date animæ meæ, quo affectu vos memorando, ex vobis delectetur, delectando iucundetur, iucundando impinguetur. Impinguate, & ſuccedite cum veſtri dilectione, veſtri continuo amore langueat cor meum: liqueſiat anima mea, deficiat caro mea. Vtinam ſic viſcera animæ meæ dulci feruore veſtræ dilectionis exardeſcant, vt viſcera carnis meæ exareſcant. Vtinam ſic intima ſpiritus mei dulcedine veſtri effecta impinguentur, vt medullæ corporis mei exiccentur, Domine ſili Dominæ meæ, Domina Mater Domini mei: ſi ego non ſum dignus, qui ſic debeam veſtri amore beatificari, fortè vos non eſtis indigni, qui ſic, immo eius de beatis amari. Ergo benigniſsimi, ne ſic denegetis mihi petenti id, quo me confiteor indignum, vt auferatur vobis id, quo certè vos negare non poteſtis dignos. Date itaque pijſsimi, date obſecro ſupplicanti animæ meę, non propter meritum meum, ſed propter meritum veſtrum: date illi, quantò digni eſtis, amorem veſtrum. Date, inquam mihi, qui ſum indignus, vt reddatur vobis, qui eſtis digni. Si enim non vultis dare, vt habeam quod deſidero, ſaltem nolite negare, vt reddam vobis quod debeo.

Forſitan præſumendo loquar: ſed vtique bonitas veſtra facit me audacem. Loquar ergo adhuc ad Dominum meum, & Dominam meam: quum ſim puluis & cinis. Domine, & Domina, nonne multo melius eſt cum vos gratias datis petenti, quod ipſe non meretur: quàm cum vobis ſubtrahitur, quod vobis iuſtè debetur? Illud quippe eſt prædicandæ miſericordiæ: iſtud eſt nefandæ iniuſtitiæ. Impendite igitur pijſsimi gratiam, vt recipiatis debitum: facite vos mihi miſericordiam veſtram, quæ mihi expedit, & vos decet: ne faciam ego vobis iniuſtitiam meam, quæ nulli expedit, & nullum decet. Eſtote vos mihi miſericordes, quod obſecro vos: ne ſim ego vobis iniuſtus, quod exécro, date benignè, & benigna. Nec ſitis exoratu difficiles, dare animæ meæ amorem veſtri, quem ipſa non iniuſtè petit, & vos iuſtè exigitis, nec ipſa bonis veſtris ſit ingrata, quòd ipſa iuſtè oret, & vos non iniuſtè punitis.

Certè Ieſu Fili Dei, & tu MARIA Mater eius; & vos vultis, & æquum eſt, vt quicquid vos diligitis, diligatur à nobis. Ergo bone fili, rogo te per dilectionem, qua diligis matrem tuam, vt ſicut tu verè diligis, & diligi vis eam, ita mihi des, vt verè diligã eam. Bona mater, rogo te per dilectionem, qua diligis filium tuum, ſicut diligi vis eum, ita mihi impetres, vt verè diligam eum. Ecce enim peto, quod vt fiat, verè eſt in veſtra vtriuſque voluntate. Cur ergo propter peccata mea non fiet, cùm ſit in veſtra poteſtate? Amator & miſerator hominum tu potuiſti reos tuos vſque ad mortem amare, & poteris te roganti amorem tui, & Matris tuæ negare? Veneretur igitur, ſicut digni eſtis, mens mea vos, ſicut digni eſtis, mens mea vos amet, ſicut æquum eſt; cor meum diligat vos ſicut ſibi expedit; anima mea ſeruiat vobis, ſicut debet caro mea: & in hoc conſumetur vita mea: vt in æternum pſallat tota ſubſtantia mea. Benedictus Dominus in æternum, fiat, fiat, Amen.

Communiter ad Beatam MARIAM Virginem, & ad Cuſtodem eius Beatum Ioannem Euangeliſtam.

O Intemerata, & in æternum benedicta, ſpecialis, & incomparabilis Virgo, Dei Genitrix MARIA, gratiſsimum Dei Templum Spiritus Sancti Sacrarium, ianua Regni cœlorum, per quam poſt Deum totus viuit orbis terrarum, inclina aures tuæ pietatis, & illos tuos miſericordes oculos indignis ſupplicationibus meis, & eſto mihi peccatori pia in omnibus auxiliatrix.

Et ò beatiſsime Ioannes Chriſti familiaris amice, qui ab eodem Domino noſtro Ieſu Chriſto electus es, & inter cæteros magis dilectus, atque myſterijs cœleſtibus ſupra omnes imbutus, Apoſtolus eius, & Euangeliſta factus, præclariſsimus, cuſtoſque matris eius indiuiduus; te inuoco etiam cum matre eiuſdem Saluatoris, vt mihi opem tuam cum ipſa ferre digneris.

O duæ gemmæ cœleſtes MARIA, & Ioannes, ò duo luminaria diuinitus ante Deum lucentia; veſtris radijs effugate ſcelerum meorum nubila. Vos eſtis illi duo, in quibus Deus Pater per filium ſuum ſpecialiter ædificauit ſibi domum, & in quibus ipſe Filius Dei vnigenitus ob ſynceriſsimæ virginitatis meritum, dilectionis ſuæ confirmauit priuilegium, in Cruce pendens, vni veſtrum ita dicens: *Mulier ecce filius tuus.* Deinde ad alterũ, *ecce mater tua.* In huius ergo ſacaratiſsimi amo-

amoris dulcedine, qua ita tunc ore Dominico, velut mater, & filius inuicem coniuncti estis; vobis duobus, ego N. peccator corpus, & animam meam commendo, vt omnibus horis, atque momentis intus, & exteriùs firmi custodes, & pij apud Deum intercessores mihi existere dignemini. Credo enim firmiter, fateor indubitanter, quòd velle vestrum, velle Dei est, & nolle vestrum, nolle Dei est. Vnde & quicquid petitis, sine mora obtinetis. Per hanc ergo tam potentissimam vestræ dignitatis virtutem, poscite mihi corporis, & animæ salutem. Agite quæso, agite vestris glorioſissimis precibus, vt cor meum inuisere, & inhabitare dignetur spiritus almus, qui me à cunctis vitiorum sordibus expurget, virtutibus sacris exornet, in dilectione Dei, & proximi perfectè stare, & perseuerare faciat, & post huius vitæ cursum ad gaudia ducat me electorum suorum, benignissimus Paraclitus, gratiarum largitor optimus, qui patri, & filio coæternus, & consubstantialis, cum eis, & in eis viuit, & regnat omnipotens Deus per infinita seculorum secula, Amen.

De Sancta Cruce, & Beata Virgine, & bono Latrone.

SAlue Crux Sancta, salus & vita mea. Salue Crux, quam adorat, & desiderat exercitus Angelorum. Salue Crux, quam adorat, & inuocat omnis chorus Sanctorum. O verè Sancta, & venerabilis Crux. Ecce peccator, & infœlix homo, ante te, & in te crucifixo manet, quamuis indignus, sed pro peccatis suis ita est anxius, vt ferè nesciat quid agere debeat. Desiderat enim te adorare, sed non audet oculos ad te leuare. Desiderium quidem bonum habet in te, sed nullum meritum sentit in se, pro quo confidat de te. Maneo itaque in conspectu tuo trepidus, & dubius, ita vt coram te stare erubescam, & à te recedere pertimescam. Hortatur me stare conspectum tuum memoria diuinæ, & tuæ pietatis, sed dehortatur me conscientia miserabilis, & inueteratæ meæ iniquitatis. Arctor quoque graniter ab ijs duobus, & quid eligam ferè ignoro. Elegi tamen magis opportuno conspectui tuo importunè assistere, etiamsi debeas me occidere. Melius est enim mihi mori iuxta te, quàm viuere longè à te; quia nulla mors homini peior est, quàm cùm homo longè à te est.

Suppliciter ergo deprecor te chara maiestas, & magna charitas, qui pendes in Cruce, vt importunitatem meam non importunè suscipias, sed ad necessitatem meam opportunè, & misericorditer respicias. Tu es enim spes mea, tu refugium meum, tu misericordia mea. Miserere igitur, miserere mei, & doce me, quomodò adorare te debeam, & quomodò te diligere valeam. Quamuis peccatis meis exigentibus nesciam, quomodò te adorare, ac diligere debeam, tamen hoc est meum desiderium, vt te adorem, & diligam. Obsecro te verè piis e xaudibilis Iesu, per omnem dilectionem, quam habes in homine dum pendes in ligno, vt hoc bonum specialiter facias cum seruo tuo, ne stare in conspectu tuo, & ante Crucem tuam me aliquando tædeat, aut pigeat, sed potiùs delectet, & placeat. Delectet animam meam in conspectu tuo fideliter assistere, & placeat oculis diuinitatis tuæ, misericorditer in me respicere. Delectet me lugere miseriam meam, & placeat omnipotentiæ tuæ vertere in gaudium tristitiam meam.

Delector autem me recordari hoc, quòd pendens in Cruce, benedictæ Virgini Matri tuæ dixisti. *Mulier ecce filius tuus*. Et nunc quæso benignissime Domine dic mihi seruo tuo, homo, ecce Deus tuus, ecce Redemptor tuus. Te quoque obsecro Virgo inter omnes mulieres benedicta, vt dicas mihi, homo; ecce filius meus, ecce Saluator tuus. Video quippe venerabilis Domina filium tuum in Præsepio iacentem, recognosco filium tuum in Templo docentem, sed in nullo loco eum certiùs cognosco, quàm in Cruce pendentem. Ibi enim ipsemet de se testatur dicens. *Mulier ecce filius tuus*. Hic ergo fœlix mater, & omni laude digna, hìc intercede pro me misero apud ipsum, qui dum se filium tuum nominat, quodammodo se debitorem obligat, vt preces tuas cum amore suscipiat: dic illi itaque, fili, iste peccator clamat ad me, & lacrymabiliter deprecatur, vt intercedam pro eo apud te, quatenus remittas ei peccata sua, quæ insipienter commisit in te. Verùm est Domine mi, verũ est certè. Ego reus confiteor coram te Deus, & coram genitrice tua, quia ab infantia mea vsque nunc, veniens ante glorioſam Crucem tuam, & sanctæ maiestatis tuæ conspectum, non vt debui: veni, supplicaui, nec adoraui. Sed tu, cui proprium est parcere, & misereri, ne respicias fragilitatem meam, & immunditiam meam pessimã, sed dimitte quicquid negligenter deliqui, quia tu es spes mea sola, & vera, & nõ habeo in alio fiduciam meam, nisi in te solo Deo viuo, & vero.

Dat etiam mihi grandem fiduciam summe Redemptor meus, illa pia, & dulcis oratio, quam pro crucifigentibus te, apud patrem fecisti, dicens, *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*. Qui enim sic exorasti pro tuis crucifixoribus, nunquid non orabis pro tuis adoratoribus? Et qui in Cruce recordatus es indulgẽtię, nunquid in cœlo oblitus es misericordiæ? Miserere quæso Domine, miserere mei serui tui, & vel tu ignosce,

vel apud Patrem intercede, vt ignoſcat. Propter hoc namque mando coram te, & adoro ſanctam Crucem tuam, per quam redemiſti mundum. Credo namque, & confiteor, quia per elevationem, & extenſionem corporis tui in ligno, traxiſti omnes ad te, qui recte diligunt te. Trahe igitur me dulciſsime Domine, trahe me, & deſiderium meum poſt te, vt ego ſentiam virtutem Crucis tuæ in me.

Sentiam Saluator meus, virtutem & odorem, qui eſt de Cruce tua, ſicut ſentiebat latro ille, qui dicebat: *Domine memento mei, dum veneris in Regnum tuum.* Viderat forſi tan latro iſte, te antea cæcos illuminantē, vel mortuos ſuſcitantem, & non adoraverat te. Tunc verò quando videt te pendere in ligno adorat te dicens: *Domine memento mei, dum veneris in Regnum tuum.* Hoc fecit in illum Crux tua, quod non potuerunt facere miracula tua. Veriùs enim, & perfectiùs cognouit iſte te in Cruce pendentem, quàm in templo docentem, aut miracula facientem. O quanta eſt virtus Crucis tuę, quanta eſt gloria pendentis in ligno! Latro iſte vbi vidit tuum lignum, mox cognouit tuum Regnum, & vbi te pendere aſpexit, ibi quòd regnares intellexit. O quantus odor de Cruce exibat, qui omnem infidelitatem ab eo repellebat! O quàm dignè vocabat te Dominum ſuum, qui veraciter ſciebat ſe ſeruum tuum, quia oculis ſuis intuebatur pretium, quo redimebas penitus mundum vniuerſum!

Sed quid bone Ieſu, quid dulciſsime Domine reſpondiſti latroni te oranti in cruce? *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Et quid hoc eſt, ô Rex deſiderabilis? Tu clauis affligeris, & paradiſum promittis? Tu pendes in ligno, & latroni dicis, *hodie mecum eris in paradiſo?* Et ô deſiderium animarum, vbi eſt paradiſus, quia dicis latroni, *hodie mecum eris in paradiſo?* An paradiſus tecum eſt, & vbi tu vis paradiſus eſt? An tu indubitanter paradiſus es, quia tam confidenter promittis, *hodie mecum eris in paradiſo?* Credo Domine, credo certè, quòd vbi tu vis, & vbi tu es, ibi paradiſus eſt, & eſſe tecum, hoc eſt eſſe in paradiſo. Quoniam venerabilis ille confeſſor, & glorioſus martyr tecum fuit per totum illud hodie, & poſtea omni tempore. O quàm bonum eſt eſſe tecum! O quàm beati ſunt illi, qui tecum ſunt! Illi verè ſunt in paradiſo, verè ſunt in Regnis, qui tecum ſunt fide, & dilectione.

Crux tua Domine, paradiſum promittit, & paradiſum tribuit. Et ideo ſuppliciter adoro Crucem tuam, adoro te in Cruce, & Crucem in te. Denique adoro Crucem propter pendentem in Cruce. Adoro quem latro adorabat, & oro ſicut ille orabat. *Domine memento mei, dum veneris in Regnum tuum.* Recognoſce in me Domine hanc orationem, ſicut recognouiſti eam in latrone. Suſcipe hanc orationem à ſeruo tuo, ſicut ſuſcepiſti eam à famulo tuo. Memento mei de Regno, ſicut fuiſti memor illius de ligno. Dic igitur, dic quæſo Domine, dic ſeruo tuo, dic animæ meæ. *Hodie mecum eris in paradiſo*, vt ego confortatus deſiderabili tua promiſsione fideliter permaneam in tua fide, & dilectione, Redemptor meus, mediator Dei, & hominum. Qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuis, & regnas Deus in ſecula ſeculorumm, Amen.

Ad Angelum bonum, Cuſtodem tuum.

OBſecro te Angelice ſpiritus, cui ego ad prouidendum commiſſus ſum à Deo, vt cuſtodias me indeſinenter, & protegas, viſites, & defendas ab omni incurſu diaboli vigilantem, & dormientem, nocte ac die, horis continuis, ac momentis confoue me; vbicunque ideo comitare mecum. Repelle à me omnem tentationem Satanæ, & quod mea non exigunt merita, tuis precibus obtine apud miſericordiſsimum iudicem, & Dominum noſtrum, qui te mihi tutorem aſsignauit, & me tibi commendauit, vt nihil in me loci habeat contrariæ virtutis admixtio. Cùmque me per abrupta vitiorum deuiare perſpexeris, per ſemitas iuſtitiæ, ad Redemptorem meum reducere ſatagas me, & in quacumque anguſtia me perſpexeris, auxilium Dei omnipotentis tuo obtentu ſuper me eſſe ſentiam. Precor ergo, ſi fieri poteſt, vt notum mihi facias finem meum, & cùm de hoc corpore eductus fuero, non dimittas malignos ſpiritus terrere me, aut illudere, neque in foueam deſperationis inducere. Et non me derelinquas, donec perducas ad viſionem conditoris mei, vbi perenniter cum omnibus ſanctis tuo interuentu merear lætari; præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto.

I. Meditatio B. Anſelmi de dignitate, & virtute Sanctæ Crucis.

SAncta, & ſalubris meditatio eſt, per quam nobis ad memoriam Crux illa reducitur, in qua Dominus noſter Ieſus Chriſtus nos per mortem ſuam à morte æterna, in quam omnes miſeri tendebamus; & ad vitam æternam, quam peccando perdideramus, reſuſcitauit, &c. *Vt habetur ſupra inter Alloquia cœleſtia num. 29.*

Secunda ad eandem.

AVe Crux glorioſiſsima, & omnium lignorum pretioſiſsima, & ſplendidiſsima, quæ tactu Conditoris noſtri es ſanctificata, & eius pretioſiſsimo ſanguine cruētata. Fœ-

lix

fix permanes, & permanes, & permanebis in A
fecula; quæ si non in Paradiſi tellure orta fui
ſti, tamen pretioſior cunctis eius arboribus
extitiſti; non decore frondium propriarum,
aut pulchritudine foliorum, ſiue dignitate
fructuũ, ſed caſtiſsimis membris Regis æter
ni, quæ ſuſtinuiſti, dum omne redimeret ſecu
lum. Modò non ſolum tua virtus ſplendet, ve
rùm etiam nomen tuum cuncto pretioſiſsimũ
eſt mundo. Terris, & æthera fulges, ſeculum
reples, infernum perluſtras. Te Angelicæ mi
rantur poteſtates, mundi adorant Principes,
Dæmonum timent ſatellites. Tu perdita re-
ſtauras, reſtaurata conſeruas, conſeruata ſan-
ctificas, deſtructa reparas, infirma, & fracta
conſolidas, dolenda lætificas; dæmoniacis B
artibus læſos ſaluificas.

In præſentia tua Infernus gemit, Dæmo-
nes pauescunt, & fugiunt; mors cõtremiſcit,
omnis virtus contraria, audiens ſanctum no-
men tuum pertimeſcit. Sicut enim magnalia
Ieſu Chriſti, qui viua eſt hoſtia, prępondērāt,
magnaque, & incomprehenſibilia ſunt, ſic lau
dem tuam, & virtutem tuam nulla vnquam
mortalium promere poteſt lingua; illic enim
eſt Chriſtus fructus tuus dulciſsimus. Ipſe
flos tuus pulcherrimus, odor tuus ſuauiſsi-
mus, ornatus tuus pretioſiſsimus. Dulce li-
gnum, dulce pomum, dulce onus. Tu felix, ſo
la ſuſtinuiſti talentum mundi. Quapropter
emptio nulla eſt in te, pretia nulla ſunt pro C
te; appretiatio nulla ſuper te. In comparatio
ne tua aurum eſt, vt ſtipula, gemmæ, vt fauil-
la, & vt ſtercus omnis gloria. Sol, & nebulæ,
Luna, & ſydera, & cuncta, quę tranſeunt, tibi
non ſunt æqualia. Non orbis partes quadri-
formes tam fœlicem ferunt arborem, in radi-
ce, in fructu, in fronde, in flore, in ſancto
germine.

Idcirco ego ſeruus tuus inutilis, cantando,
gemendo, atque lamentando, proſternor an-
te conſpectum tuum, & ad te oro, atque confi
teor tibi Crux veneranda, per cuius lignum
redemptus ſum, cuius ſigno ſum firmatus, cu
ius vexillo ſum munitus, cuius nomine ſum
defenſus, cuius virtute nunc vſque ſaluatus D
te adoro, te inuoco, te deprecor. Tu es ſalus
mea, tu virtus, tu protectio, tu murus, tu de-
fenſio mea, tu gaudiũ meũ, & cõſolatio mea.
In vita iſta me poſitum ſalua me; in anguſtijs
recrea; in aduerſis conforta, in infirmitati-
bus corrobora, in morte à dæmonibus me li-
bera; à morte æterna me ſubtrahe, ianuam
Paradiſi pande, & Redemptori meo Domi-
no Ieſu Chriſto, qui in te crucifixus pepen-
dit, poſt hanc vitam miſeram me coniunge,
Amen.

Tertia Laus.

AVe Crux ſancta virtus noſtra. Aue Crux
adoranda laus, & gloria noſtra. Aue
Crux auxilium, & refugium noſtrum. Aue
Crux conſolatio omnium mœrentium; ſalue
Crux victoria, & ſpes noſtra; ſalue Crux de-
fenſio, & vita noſtra. Salue Crux redemptio,
& liberatio noſtra. Salue Crux ſignum ſalu-
tis, atque inexpugnabilis murus contra om-
nem virtutem inimici. Sit mihi Crux ſem-
per ſpes Chriſtianitatis meæ. Sit mihi Crux
reſurrectio mortis meæ. Sit mihi Crux triũ-
phus aduerſùs dæmones. Sit mihi Crux ma-
ter conſolationis meæ. Sit mihi Crux requies
tribulationis meæ. Sit mihi Crux baculus ſe
nectutis meæ. Sit mihi Crux medicina ægro
tationis meæ. Sit mihi Crux protectio nudi-
tatis meæ. Sit mihi Crux conſolatio vitæ
meæ. Sit mihi Crux in omnibus anguſtijs
meis ſolatium. Sit mihi Crux remedium in
tribulationibus meis. Sit mihi Crux in infir-
mitatibus meis medicamentum, atque con-
tra omnia aduerſa tutamentum, Amen.

Quarta Eleuatio.

SAlua me Sancta Crux, quæ in corpore Chri
ſti dedicata es, & ex membrorum eius cõ-
page tanquam margaritis ornata, quæ pre-
tium noſtrum portare digna fuiſti, & vitam
æternam nobis attuliſti. Ieſu bone præſta
mihi, vt per ſignum, & reparationem Sanctæ
Crucis, me ab omnibus inimicorum incur-
ſionibus liberes, & tua bonitate conſerues,
peccata dimittas, veniam indulgentiæ tri-
buas; qui viuis, & regnas Deus, &c.

*I. Meditatio B. Anſelmi de laude Beatiſsi-
ma Genitricis Virginis MARIÆ
Matris Domini noſtri Ieſu
Chriſti.*

OSancta, ò benedicta, in neceſsitatibus no
ſtris adeſſe digneris noſtrum conſilium,
& auxilium, quæ omnibus es promptior, po-
tentior, efficacior, amabilior, gratioſior, &
dulcior. Dulcis es in ore te laudantium, in
corde te diligentium, in memoria te depre-
cantium. Magnifica es in omni ſexu, in omni
ætate, in omni conditione, in tribubus, po-
pulis, & linguis. Tu es Luna in medio firma-
menti. Candelabrum in medio mundi. Lignũ
vitæ in medio Paradiſi. Tu es myrrha electa.
Piſcina in Eſebon Virgula fumi ex aroma-
tibus. Faſciculus myrrhæ, & thuris inter vbe
ra ſponſi. Terebinthus extendens ramos
gratiæ, & ſalutis; inter benedictas ſuper be-
nedicta es, ſuper electa es, ſuperſpecioſa, ſu-
pergratioſa, ſuperglorioſa, Mater illius, qui
gratiam, & gloriam, & honorem, & æterni-
tatem præſtat.

Surge B. Virgo, miſericorditer ora pro no
bis; ſurge, & amplectere miſericordiam Re-
demptoris, & da preces iugiter pro nobis,

quos cernis tam grauiter offenſos ante oculos conditoris. Per te Domina glorioſa ad Ieſum Filium tuum mereamur aſcendere, qui per te ad nos dignatus eſt deſcendere. Per te Beata Virgo venire valeamus in ipſius gloriam, qui per te in noſtram venit miſeriam. Per te acceſſum habeamus ad Filium tuum, qui per te redemit mundum. O benedicta inuentrix gratiæ, Genitrix vitæ, Mater ſalutis. Per te ſuſcipiat nos, qui per te datus eſt nobis. Excuſet pijſsima Domina Virgo MARIA apud pijſsimum Filium tuũ integritas tua culpam noſtræ corruptionis, & humilitas tua Deo gratã noſtræ veniam impetret vanitatis. Copioſa charitas tua glorioſam fœcunditatem nobis conferat meritorum. Generaliter omnes te glorioſa Virgo MARIA inuocantes exaudi, omnibus adeſto, omnibus ſubueni, omnes in anguſtijs, & neceſsitatibus te ſentiant adiutricem, quicumque te credunt eſſe Dei genitricem.

Specialiter verò illos tua quotidiana, & aſsidua defendat oratio, quorum frequens tibi famulatur deuotio; & quicumque ſunt memores tui in terris, memor ſis illorum ante pijſsimum Filium tuum Dominum noſtrum in cœlis. Domina noſtra, mediatrix noſtra, tuo filio nos commenda, reconcilia nos filio tuo, tuo filio nos repræſenta. Fac ò benedicta per gratiam, quam inueniſti, per prærogatiuam, quam meruiſti, per miſericordiam, quam peperiſti, vt qui te mediante, fieri dignatus eſt particeps miſeriæ, & infirmitatis noſtræ, te quoque intercedente, participes nos faciat ſuæ gloriæ, atque beatitudinis æternæ.

II. De eadem.

O Alma Virgo MARIA tantò omnibus Angelorum ſpiritibus, omnibuſque electorum animabus, in cuncta filij tui Chriſti Domini noſtri hæreditate es glorioſior, quanto ab ipſo fieri meruiſti beatior. Obſecramus ergo te lacrymoſis ſuſpirijs, vt nunc ad gemitum noſtri mœroris aures inclines magnificæ pietatis. Nos ſiquidem peccatores pro innumerabilibus delictis, infernale ſupplicium meruimus, vbi nullatenus pœnitentiæ datur locus, quoniam fidem aliquando Deo promiſimus, ſed malè viuendo hactenus mentiti ſumus. O Sancta Dei Genitrix, omnium creaturarum digniſsima, atque puriſsima, cæcorum cordium oculos terge, atque ſemitas iuſtitiæ nobis oſtende. Orando à nobis vitia ſubtrahe, atque ſacrarum virtutum plantaria inſere. Impetra æterni tripudij curſum, quem aſsiduè ſequitur ſupernum brauium.

Sic quæſo pijſsima Domina pro nobis ora in cœlis, vt deleas quicquid deliquimus in terris. Non eſt enim aliquid tam prauum in nobis, quod oratio, ſi tibi placet, delere non poſsit. O ſanctiſsima Virgo MARIA, nos, qui credimus, quòd Virgo, & Mater Dei iis, credendo ſentiamus, quòd pro nobis depreceris. Et qui confitemur te peperiſſe Deum, & hominem, gaudeamus per te nobis aduenire ſalutem. Et qui fatemur te omnibus hominibus meliorem, gaudeamus per te percipere felicitatem. Et quotieſcumque proceſſerit ad nos diuina miſeratio tua, ne inflemur, adſit tuitio. Et ſi venerit tribulatio, vel tentatio, ne labamur, præſens ſit tua ſancta oratio. Sic quæſo Domina clemens pro ſalute noſtra preces funde in cœlis, vt Paradiſi poſt obitum, frui mereamur gaudijs.

O Beata Dei Genitrix Virgo MARIA, Templum Dei viui, Aula Regis æterni, Sacrarium Spiritus Sancti. Tu virga de radice Ieſſe, tu cedrus de Libano, tu roſa purpurea in Iericho, tu cypreſſus in monte Sion, quæ ſingulari priuilegio ſicut neſcis in omnibus comparationem, ita nihilominus, & Angelicam ſuperas dignitatem, cui nouo, & inaudito miraculo datum eſt, vt Verbũ, quod ante ſecula Deus genuit, fieret filius tuus, Deus, & homo. Tu eum in fine ſeculi genuiſti, vt verus, atque perfectus eſſet Dei Filius gemina quidem natura, ſed vna perſona Deus, & homo, vnus Emanuel. O glorioſa puerpura, in qua ſola reperitur fœcunda virginitas, quæ ſic intemeratis viſceribus Filium Dei protuliſti, vt illibatæ pudicitiæ creſceret integritas, non libido virginalis integritatis ſigillum violaret.

Tibi dum conciperes Spiritus Sanctus obumbrauit, non (quod abſit,) vt ipſe in tuo ſanctiſsimo vtero fieret proſemine ſobolis, ſed potiùs virtute, ac potentia creatoris. De te ſummus Pontifex noſter ſui corporis hoſtiam ſumpſit, quam in Ara Crucis pro totius mundi ſalute ſacrificium obtulit. Tu lux oriens Nazareth; Tu lætitia Iſrael; Tu decus mundi. Tu nobilitas populi Chriſtiani. O Regina, & Domina mundi, ſcala cœli, thronus Dei, ianua Paradiſi, audi preces pauperum, ne deſpicias gemitus miſerorum. Inferantur per te vota noſtra, atque ſuſpiria in conſpectu Redemptoris, vt qui noſtris exclu dimur meritis, per te locum obtineant ad aures tuæ pietatis. Dele peccata, relaxa facinora, erige lapſos, ſolue compeditos. Per te fucidantur vepres, & germina vitiorum, prodeant flores, & ornamenta virtutum. Placa precibus iudicem, quem ſingulari puerperio genuiſti Saluatorem, vt qui per te particeps factus eſt humanitatis noſtræ, per te quoque nos conſortes efficiat diuinitatis ſuæ. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit, & regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

III. Ad

III. Ad eandem sanctissimam Deiparam.

MARIA tu illa magna MARIA; tu illa maior beatarum Mariarum MARIA, tu illa maxima fœminarum. Te Domina magna, & valde magna, &c. *Vt suprà, inter Alloquia cœlestia num.* 27.

IV. Quòd omnia sicut à Deo sunt creata, ita per MARIAM sunt recreata.

MIra res, in quantum sublimi contemplor MARIAM locatam. Omnis natura à Deo est creata, & Deus ex MARIA est natus, Deus omnia creauit, & MARIA eum generauit. Deus, qui omnia fecit, ipse se ex MARIA fecit, & sic omnia, quæ fecit, refecit, &c. *Quæ habentur inter Alloquia cœlestia eodem, num.* 27.

V. Quòd sumus filij Matris Dei, & fratres eiusdem Dei per MARIAM Genitricem Dei.

LOquar vnde iucundatur cor meum, an sileo, vt elatione non arguatur os meum? Sed quod credo amando, cur non confiteor laudando? &c. *Inter Alloquia cœlestia numero illo* 27.

VI. In Natiuitate Dominæ.

DIgnare me laudare te Virgo sacrata, da mihi virtutem contra hostes tuos, & contra hostem totius humani generis. Da mihi virtutem te humiliter deprecandi. Da mihi virtutem te cum precibus obnixè laudandi. Per merita tuæ sacratissimæ Natiuitatis, quę nata es in mundum, vniuersæ Christianitati gaudium, spes vitæ, & solatium. Quando nata es Virgo sanctissima, tunc illuminatus est mundus. Stirps Beata, radix sancta, & benedictus fructus tuus, quæ sola meruisti Spiritu Sancto plena, Virgo Deum concipere, Virgo Deũ portare, Virgo parere, Virgo post partum permanere. Miserere igitur mihi peccatori, & adiuua me Domina, vt sicut Natiuitas tua gloriosa ex semine Abrahæ, orta de tribu Iuda, clara ex stirpe Dauid, gaudium annunciauit vniuerso mundo; ita me gaudio vero repleat, & emundet ab omni peccato. Ora pro me Virgo prouidentissima, vt lætissima gaudia tuæ saluberrimæ Natiuitatis velamen indulgentiæ conferant cũctis meis peccatis. Sancta Dei Genitrix, florens, vt lilium, ora tuum dulcem natum pro me misero peccatore, Amen.

VII. In Annunciatione Dominæ nostræ.

PRecor te Virgo dulcissima per merita tuę saluberrimæ Annunciationis, & per illud Angelicum Aue, quod accepisti à sancto Gabriele nuntio salutis tuæ, nuntio Incarnationis Verbi Diuini, nuntio vitæ æternæ, nuntio salutis nostræ per te, vt accipias preces nostras. Misericordissima Domina, magna sunt peccata mea, sed maior est gratia tua, quia tu es gratia plena, & Dominus tecum est; benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui, Mater totius gratiæ ora pro me. Vt sicut Annunciatio tua finis appropinquans extitit veteri culpæ, spes autem promissæ gratiæ, & omnibus expectantibus eam in veritate, origo, & via fuit gratiæ futuræ; ita à me in honorem tui gaudij corde recogitata, ore pronunciata eiusdem Annunciationis tuæ recordatio, fiat in me finis, & abolitio totius culpæ meæ veteris, ac nouæ, & gratia salutaris iugis castimoniæ. Adiuua me Domina mea, spes viuentium, & consolatio mæstorum, subuentrix inopum, miseratrix omnium, vt qui culpam meam per ipsa flagella mæroris, & tristitiæ, & infirmitatis agnosco; per gaudia tuæ sanctissimæ Annunciationis de infirmitate remedium, & de mærore gaudium, tua misericordia consequi merear; vt in vtili mærore, in castimonia cordis, & corporis, in humilitate mentis, in fidei integritate, & omni bonitate studeam de cætero placere Deo, & exultet spiritus meus in Deo salutari meo omni tempore vitæ meę. Sancta Dei Genitrix succurre, & intercede apud dulcem natum tuum pro me peccatore, Amen.

VIII. Ad partum Virginis.

VIrgo sanctissima da mihi virtutem per merita tui sanctissimi virginei partus, contra hostes tuos. Benedicta es enim MARIA, quæ Dominum omnium portasti Creatorem seculorum. Genuisti qui te fecit, & in æternum permanes Virgo. Beata viscera, quę portauerunt æterni Patris filium. Beata vbera tua, quæ lactauerunt Christum Dominum. Beata, & venerabilis es Virgo MARIA, omnium bonorum beatitudine plena. Beata Mater, quæ sola sine dolore genuisti, quia tu sola peperisti Virgo. Beata, & benedicta inter mulieres; quia natus ex te Virgine Christus Deus noster, sua sanctissima natiuitate primi parentis, & primæ mulieris in dolore pœnaliter parturientis, soluendo maledictionem, dedit per te sine dolore parturientem, dimissa veteri culpa, nouæ gratiæ, & salutis æternæ mellifluam benedictionem. Per gaudia tui sanctissimi virginei partus miserere mei Domina mea, & exaudi orationem meam. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.*

In peccatis sum natus, & in peccatis conuersatus sum per omne tempus vitæ meæ.

Tu

Tu autem Domina mea ſine tactu pudoris inuenta es mater Saluatoris. Miſerere mihi immundo, qui in peccatis conceptus, & nutritus ſum, & adiuua me tuis ſanctis precibus, Virgo ſereniſsima: vt ſicut Natiuitas filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti ruina fuit horribilis triſtitiæ, natiuitas vniuerſis fidelibus nouæ exultationis; ita & mihi hæc eadem gaudia Dominicæ natiuitatis ſint initium vitæ religioſæ, & ſalutaris continentiæ, & ruina totius iniuſti mœroris, & iniquæ triſtitiæ, & natiuitas ſpiritualis gaudij, & exultationis, & amor, & deſiderium cœleſtis patriæ, & ſupernæ lætitiæ. Sancta Dei Genitrix ſuccurre, & intercede apud dulcem tuum natum pro me peccatore, Amen.

IX. *De Purificatione Dominæ.*

O Virgo ſereniſsima, per merita tuæ pijſſimæ Purificationis da mihi virtutem contra hoſtes tuos. Virgo ſanctiſsima, corpore caſtiſsima, moribus omnium pulcherrima. Virgo virginum, nec corde vnquam polluta, nec ore, ſed tota pulchra, tota ſine macula. Intemerata Virgo corpore, intemerata Virgo mente, nihil debens legibus, qui nullis tacta exceſsibus, vt humilitatis in te oſtenderes exemplum, imples purificationis officium pollutis matribus ſtatutum. Ad templum detuliſti tecum mundandum, qui tibi integritatis decus homo genitus adauxit. Intacta genitrix ad templum detuliſti tecum mundandum, qui delicta noſtra intelligens, quia illi omnia nuda ſunt, & aperta, ab occultis noſtris quotidie per confeſsionem, & pœnitentiam mundat, & ab alienis per ſpiritum continentiæ parcit ſeruis ſuis. Ad templum detuliſti tecum mundandum, cuius ſanguis in Cruce paſsionis ſuæ ab originali nos lauans contagio, quotidie etiam in ara Crucis per ſacroſancta myſteria, & nos pœnitentes, & confeſſos emundat à noſtris criminibus. Ad templum detuliſti tecum mundandum, qui pro nobis Pontifex factus ſecundùm ordinem Melchiſedech, quotidie compatitur infirmitatibus noſtris, & eſt miſericors nobis, & Pontifex fidelis ad Deum, repropitiando peccata populi, quotidie nos Deo Patri reconciliat, & per id, quod Deo Patri offert Deus de Deo quotidie, ſi conuerſi fuerimus, & peccata noſtra confeſsi, fidelis, & iuſtus, & patiens Deus ignoſcet nobis, & abſoluet nos.

In nomine eius Virgo integerrima confugio ad te. In eius ergo nomine dulciſsimo, & amore, ſuſcipe me Domina mea clementiſsima confugientem ad te, & adiuua me per merita tuæ caſtiſsmæ purificationis: vt ſentiam, & gaudeam me à ſordibus conſcientiæ ita perenniter purificari, vt nunquam doleam de cætero me aliqua contagione, aut perpetratione ſceleris coinquinari. Sancta Dei Genitrix ſuſcipe, & intercede pro me peccatore apud tuum dulcem natum Ieſum Chriſtum benedictum fructum ventris tui, & miſerere mei, Amen.

X. *De Aſſumptione Dominæ.*

Virgo ſereniſsima Dei Genitrix ſancta MARIA, per merita tuæ glorioſæ Aſſumptionis, & per amorem tui dulciſsimi filij, à quo aſſumpta es in cœlum, da mihi virtutem contra hoſtes tuos, & in Regnum æternum ingredi. Fœlix namque es ſacra Virgo MARIA, & omni laude digniſsima, quia ex te ortus eſt Sol iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter. *Sicut Cedrus exaltata in Libano, & ſicut Cypreſſus in monte Sion, quaſi myrrha electa dans ſuauitatem odoris.* Exaltata ſuper choros Angelorum, gaudens, & glorioſa in perpetuum Regina cœlorum, vbi adiuuas omnes, qui te Dominam glorificant, & ſanctum nomen tuum cum humili prece frequentant.

Beata ergo, & venerabilis Virgo MARIA, quæ benigna es omnibus ad te pio corde clamantibus; pia, & exorabilis eſto mihi peccatori te humiliter inuocanti; ſub tua protectione confugio, vbi infirmus accepi virturem. Illam animi, & corporis virtutem cum tuo præſidio fac me accipere, vt per te liber à peccatis, & deſiderijs peccatorum, ſine timore de manu inimicorum viſibilium, & inuiſibilium liberatus filium tuum Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum poſsim omni tempore benedicere, & ſemper laudem eius in ore meo habere. O Virgo glorioſa, quæ mortem ſubiſti, ſed mortis nexibus deprimi non potuiſti, quia tu ſola Virgo genuiſti eum, qui erat mors mortis, & morſus inferni.

Adiuua me per tuam mortem, & per gaudia tuæ Aſſumptionis in cœlum, vt reſiduum vitæ meæ poſsim cum ſyncera fide tuo adiutorio ducere, & finem vitæ meæ feliciter terminare in cinere, & cilicio, in terra proſtratus cum lacrymis, in confeſsione, & pœnitentia peccatorum meorum: inſuper, quod maius eſt, in confeſsione nominis Chriſti, & in perceptione corporis, & ſanguinis eius, & in commendatione ſpiritus mei in manibus miſericordiæ ſuæ. Ora pro me ſancta Dei Genitrix, vt qui conſcius peccatorum multorum tribunal filij tui tremebundus perhorreſco, per tuam venerabilem interceſsionem gaudeam emundari ab omnibus criminibus meis, cordis compunctione irrigante, & rore pijſſimæ confeſsionis à te exhibito. Nulla de cætero macula peccati anima mea inquinetur, ſed mundo corde, & caſto corpore per merita tuæ ſaluberrimæ natiuitatis, annunciationis, & ſanctiſsimi virginei partus tui, & caſtiſsi-

stissimæ Purificationis, & glorioſissimæ Aſſumptionis in excelſo cœlorum palatio poſſim præſentari, in quo glorioſa exultas, & regnas Regina Angelorum, & hominum, Mater Domini noſtri Ieſu Chriſti. Succurre meis criminibus, Mater miſericordiæ, tuis virgineis precibus veniam mihi obtinendo apud tuum dulcem natum Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit, & regnat benedictus, &c.

XI. *Ad Dominam, tempore quo anima diuerſis vitijs quatitur.*

SAnctiſsima, & inter Sanctos poſt Deum ſingulariter Sancta MARIA, Mater admirabilis virginitatis, Virgo amabilis fœcunditatis, &c. *Vt habetur inter Alloquia cœleſtia, numero* 25.

BEATI ANSELMI IN ILLVD Euangelij ſecundùm Lucam: intrauit Ieſus in quoddam Caſtellum. Homilia.

PRÆFATIO.

INtrauit Ieſus in quoddam Caſtellum. *Quid ad glorioſam Dei Genitricem lecti, iſta pertineat, vt infeſtiuitate eius legatur, plerique ſolent quærere. Vnde quid ego ſentirem in Conuentu fratrum, prout potui vulgariter iam plus expoſui. Et quia quod dixi, auditoribus placuit, dicta litteris mandare, & ab eiſdem Dominis Abbatibus Guillelmo Viſcanenſi, Arnolfo Tuarnenſi iuſſus, immo coactus ſum. Quod ideo dixi, vt expoſitiunculam iſtam, tanquam à præſumptuoſo edita non diſpliceat: quoniam non præſumptio, ſed obedientia edidit. Iam nunc ergo expoſitiunculam iſtam ſalua fide, ac ſine præiudicio melioris, ad laudem eiuſdem Virginis, & Matris Ieſu humiliter ſcribere aggrediar.*

Euangelium ſecundùm Lucam. Cap. 16.

INillo tempore: *Intrauit Ieſus in quoddam Caſtellum, & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum ſuam, &c.*

Homilia lectionis eiuſdem.

IN Scriptura ſacra res vna, & eadem multoties inuenitur diuerſa ſignificare, ſicut leo, hædus, ignis, aqua, vel etiam Sol, & alia multa. Eſt enim leo de tribu Iuda; & eſt leo, qui circuit quærens quem deuoret. Eſt hædus emiſſarius, qui peccata noſtra portauit; eſt hædus à ſiniſtris, qui damnatur. Eſt ignis, quẽ Dominus miſit in terram, & quem vult, vt ardeat: eſt ignis, qui ſuper impios cadit, vt non videant Solem. Eſt aqua, cuius flumina fluunt de ventre credentis; eſt aqua, cuius tempeſtas nos demergit. Eſt Sol iuſtitiæ, qui nos illuminare ſolet; eſt Sol, qui nos vrit per diem. Licèt ergo caſtellum aliàs malum ſignificet, vt illud, de quo dicitur: *Ite in caſtellum*, vbi & quod additur, *quod contra vos eſt*, plane manifeſtat, quid ſignificet: tamen hoc caſtellum, in quod intrauit Ieſus, ſingularem intemeratam Virginem eiuſdem Ieſu Genitricem ſalua Scripturarum regula per ſimilitudinem accipimus. Caſtellum enim dicitur quælibet turris, & murus in circuitu eius. Quæ duo ſeſe inuicem defendunt, ita vt hoſtes per muros ab arce, & à muro per arcem arceantur. Huiuſmodi caſtello non incongruè Virgo MARIA aſsimilatur, quam virginitas mentis, & corporis, quaſi murus, ita vndique vallauit; vt nullus vnquam libidini ad eam eſſet acceſſus, nec ſenſus eius aliqua corrumperẽtur illecebra. Et quia virginitatẽ cùm libido non poſsit, ſolet impugnare ſuperbia, eſt in eadem virgine turris humilitatis, quæ à muro virginitatis omnem repellit ſuperbiam. Et quia humilitatem, cùm ſuperbia non poſsit, ſolet impugnare libido, murus virginitatis à turre humilitatis omnem repellit libidinem. Itaque hæc duo, murus videlicet virginitatis, & turris humilitatis ab alterutro muniuntur, vt nunquam in humili virgine fuerit nec ſuperba virginitas, nec inquinata humilitas, ſed ſemper in eadem permanſerit, & humilis virginitas, & virginalis humilitas. Quamuis autem quod dicitur, ita verum ſit, vt nihil verius Chriſtiana fides credere poſsit; ponamus tamen aliqua de Euangelio virginitatis eius, & humilitatis teſtimonia. Quippè cùm ab Angelo filius ei promitteretur, reſpondit: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Si cuilibet virgini deſponſatæ in animo ſuo diſponenti nubere diceretur, filium habebis, nõ miraretur, neque interrogaret, quomodo iſtud fieret, vtpote quæ ſe deſponſatam, & in proximo nupturam ſciret, & à viro grauidari vſu naturæ ſperaret: hæc autem non immeritò mirata eſt, & quomodo fieret, quod promittebatur ſciſcitata, quoniam quamuis deſponſatam tamen ſe nupturam; neque virum cognituram certiſsimè ſciebat. Hæc de virginitate. De humilitate verò dicendum eſt, quòd cùm ab Angelo ſalutaretur, & Mater Dei eligeretur, quomodo fieret ſalua virginitate, cui tantùm timebat, doceretur: & benedicta ſuper omnes mulieres prædicaretur, reſpondit: *Ecce ancilla Domini*. Et in alio loco: *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*. O ſublimis Virgo Mater Dei! O Mater humilis ancilla Dei! Quid ſublimiùs eſſe poſſet? Sunt qui caſtellum hoc Magdalum fuiſſe arbitrantur, a quo MARIA Magdalena cognominatur. Quod ſi

Lucæ 1.

Ibidem.

verum

verum eſt, prædictæ interpretationi famulatur. Magdalum enim turris dicitur, & humilitati comparatur. Hic verò non nominatur, ſed tantùm *quoddam* dicitur, quod indiſcuſſum prætereire non debemus. Quoddam, id eſt, ſingulare caſtellum fuit Virgo MARIA. Quamuis enim, & multæ aliæ murum virginitatis habeant, & turrim humilitatis, id eſt, & virgines ſint, & humiles: tamen ſalua virginitate matres eſſe non poſſunt, neque filios generare, quod iſta ſola fecit. Et ideo caſtellum hoc meritò *quoddam*, id eſt, ſingulare dicitur: quia iſta ſingulariter, & Mater, & Virgo, quod nulla alia eſſe potuit, vel poterit: verum cõcedamus aliquam, & Matrem eſſe, & Virginem, quamuis ſit impoſsibile. Etiam ſic Virgo MARIA ſingularis erit, quia vnicum Dei filium genuit, qui ſicut eſt vnicus vnico patri, ita eſt vnicus vnicæ matri. Et ideo etiam ſi Virgo pariat, nulla, vel eundẽ, vel talem generabit aliũ. Eſt ergo caſtellũ quoddam, in quod intrauit Ieſus: porta verò, per quam intrauit eſt fides. Quia enim credidit, perfecta ſunt à Domino ei, quæ ab Angelo dicta ſunt, ſicut ait ad eam Eliſabeth: nec quia Ieſus intrauit caſtellum hoc, violatum eſt; Ieſus enim ſaluat, non violat; confracta ſolidat, non confringit ſolida. *Secundùm nomen eius, ita & opus eius. Et mulier quædam Martha nomine, excepit eum in domum ſuã, & huic erat ſoror nomine MARIA*: duæ iſtæ ſorores, ſicut Patres ſancti pleniſsimè nobis expoſuerunt, duas in S. Eccleſia vitas deſignant, Martha, ſcilicet, actiuam, MARIA contemplatiuam. Iſta laborat ad exhibenda indigenti omnia humanitatis officia; illa vacat, & videt, quoniam Deus eſt. Iſta circa exteriora occupatur, illa interiora contemplatur. Sicut enim Mater Dei eſt ſingularis, ita & iſtarum vitarum effectus, quarum iſtæ ſorores typum tenent, in ea extitit ſingulariſs. Nunquam in aliqua perſona, imò in omnibus ſic Martha operata eſt; nunquam aliàs, ſic MARIA contemplationi vacauit. Nunquam illa, vel hæc aliàs quod ſuum eſt, ſic exhibuit. Cùm Martham, vel MARIAM dico, eorum ſignificata intelligo. Sed iam videamus actionem huius Marthæ, deinde conijciamus contemplationem huius MARIÆ. Et vt planiùs id faciamus, quid alij per Martham operantur, & quid eſt iſta operata conferamus. Alij hoſpitem quemlibet in domo ſua ſuſcipiunt, iſta non quemlibet, ſed proprium Dei filium, qui non habet, vbi caput reclinet, non in domo, ſed in vtero ſuſcipit. Alij nudum quemlibet veſte mutabili atque corruptibili vndelibet compoſita operiunt, illa Verbum Dei in eadem virginea carne in vnitate perſonæ aſſumpſit, quæ ſine fine incommutabilis, atque incorruptibilis permanet. Alij quemlibet eſurientem, & ſitientem cibo, vel potu exteriori reficiunt; ita Deum, & hominem humanitatis indigentem, non ſolùm exterioribus cibis, vel potibus pauit, verùm etiam interiori lacte ſuo aluit. Et vt breuiter illa ſex miſericordiæ opera percurramus, quæ cùm vni ex minimis ſuis fecit, Deus ſibi facta confitetur. Iſta non quemlibet ex minimis, ſed ſummum Dei Filium hoſpitem ſuſcepit, nudum carne, vel etiam pannis operuit, eſurientem pauit, ſitientem lacte potauit, infirmum per infantiam, & iacentem non ſolùm viſitauit, ſed etiam balneando, fouendo, leniendo, geſtando frequentauit, vt meritò de ea dicatur: *Martha ſatagebat circa frequens miniſterium.* Luc. 10. Comprehenſo, & crucifixo, quaſi in carcere poſito affuit, ſicut ſcriptum eſt: *Stabat iuxta crucem Ieſu mater eius.* Ioan. 19. Inter hæc autem turbatur, & ſollicita erat, cùm fugeret in Ægyptum à facie Herodis, qui ſuum talem filium adeo perſequebatur, vt multos ſuſpectæ ætatis pueros occideret. Turbabatur, cùm Iudæos inſidiantes, & mortem inferre molientes cognoſceret. Ad vltimum turbata eſt valdè, & iuxta Simeonis vocem, ſuam ipſius animam pertranſijt gladius, cùm videret ſuum talem filium comprehendi, ligari, flagellari, conſpui, ſpinis coronari, derideri, colaphizari, crucifigi, mori, ſepeliri. Vnde ei congruit, quod dicitur: *Martha, Martha, ſollicita es, & turbaris erga plurima.* Luc. 20. Nemo verò dubitat, quòd Beata MARIA filium ſuum vellet liberari de omni tribulatione, & ſeipſum in perturbatione adiuuari à diuinitate, quam filio ſuo eſſe ſciebat per theoriam, quæ eſt pars MARIÆ. Hoc eſt, quod Martha conqueritur, quòd eam ſoror reliquerit ſolam miniſtrare, & eius auxilium in miniſterio flagitat. Hæc de parte Marthæ. Porro de parte MARIÆ, quæ optima prædicatur, quanta, & qualis in Beata MARIA fuerit, quis dignè loquatur? Si talis eſt, vt diximus, imò quia melior eſt, quàm diximus, in Beata MARIA, pars Marthæ, quæ tamen à Domino non laudatur: ſed tamen non vituperatur, qualis eſt pars, quam optimam MARIA elegit, quæ ſic laudatur, vt ab ea non auferri dicatur? O quàm magna multitudo dulcedinis fuit in Beata Virgine, quando Spiritus Sanctus ſuper eam venit, & virtus altiſsimi obumbrauit ei, & de eodem Spiritu Sancto concepit! Quid de Deo non ſapiebat, in qua ſapientia Dei latebat, & in cuius vtero corpus ſibi aptabat? *Chriſtus eſt*, vt ait Apoſtolus, *Dei virtus, & Dei ſapientia, & in eo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi.* 1. Cor. 1. Coloſ. 2. Chriſtus autem in MARIA: Ergo Dei virtus, & Dei ſapientia, & omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ in MARIA. Hæc non tantùm ad pedes, ſed etiam ad caput Domini ſedens, audiebat verbum ex ore eius. Hæc conſeruabat omnia verba Angelo-

gelorum, pastorum, Magorum, necnon ipsius A filij sui, conferens in corde suo. Nemo vnquam, sicut ipsa gustauit, quàm suauis est Dominus. Inebriabatur ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis suæ potabatur. Nec mirum, quoniam apud eam, imò intra eam erat fons vitæ, de quo manabat tanta perfectio vtriusque vitæ. Circa plurima, vt Martha occupabatur; circa vnum, vt MARIA delectabatur, quia vnum est necessarium, plurima auferuntur, vnum manet. Singulariter igitur partem Marthæ peregit, singulariter optimam partem MARIÆ elegit: sed pars Marthæ ei aufertur. Iam enim erit sollicita, vt ministret ei, sicut puero, cui omnes ordines Angelorum ministrant, sicut Domino. Iam non B turbabitur fugiens in Ægyptum cum eo à facie Herodis, quia ipsa ascendit ad infernum à facie eius. Iam non turbabitur erga plurima, quæ fecerunt filio suo Iudæi, quia omnia subiecta sunt ei. Iam filius MARIÆ à Iudæis, vel militibus non flagellabitur, nec occidetur: quia Christus *ex mortuis resurgens iam*
Rom. 6. *non moritur, mors illi vltra non dominabitur.* Pars ergo Marthæ ei aufertur, sed bono suo: pars verò MARIÆ ei perficitur, quæ nō auferetur ab ea. Exaltata est enim super choros Angelorum, repletum est in bonis desiderium suum, videt Deum facie ad faciem sicuti est, gaudet cum filio in æternum. Hæc est pars optima, quæ non auferetur ab ea: cuius, C & nos participes simus, & meritis, & precibus eius, per Iesum Christum filium eius, qui viuit, & regnat cum Deo Patre in vnitate Spiritus Sancti per omnia secula seculorum sæcula.

Officium primitiuum Conceptionis Beatæ Virginis MARIÆ.

SExto Idus Decembris, qui est octauus dies Kalendarum ipsius mensis, & celeberrimus dies festus Conceptionis Beatissimæ Dei Genitricis MARIÆ, qui nouiter reuelatus est; & cuidam reuerendo Abbati reuertenti per Britannicum Oceanum à Dacia in Angliam non sine magno miraculo ostensus, vt in sub- D sequenti legetur sermone. In ipsis occiduis regionibus valde celebratur, atque per totam Angliam, Britanniam, Daciam, Normaniam, Germaniam magna cum deuotione colitur, colendumque per omnes mundi partes, Deo gratias largiente, porrigitur. Illud nimirum deuotè custodiendum est, & omne officium, quod in eius Natiuitate agitur, in hac eius Conceptione agatur; & sicut Inuitatorium, & Antiphonæ, & Lectiones, atque Responsoria in Natiuitate dicuntur, ita in hoc festiuo die Conceptionis dicentur. Insuper ad gloriam sanctæ Dei Genitricis, & Virginis celeberrimus dies eius Conceptionis magna cum exultatione celebretur.

In Vigilia ad Vesperas Psalmi, & Antiphonæ sicut in Natiuitate: Ante thorum huius.

Lectio ad Vesperam: Egredietur virga.

Responsorium: Gloriosæ Virginis MARIÆ.

Hymnus: Nunc tibi Virgo.

Ad Magnificat Antiph. Conceptio tua Dei Genitrix Virgo.

Oratio: Omnipotens sempiterne Deus, qui humanæ fragilitati condolens, eique clementer misereri decernens, Verbum tuum ex gloriosa Beata MARIA semper Virgine incarnari voluisti, præsta quæsumus, vt ipsa iugiter tuam misericordiā nobis obtineat in cœlis, cuius sanctam Conceptionem hodierna die, te iubente, celebramus in terris. Per eund. &c.

Ad Matut. Inuitatorium: Beatissimæ MARIÆ Conceptionem. *Psal.* Venite.

Hymnus. Quem terra.

Antph. Benedicta tu in mulieribus.

Deinde sequantur Psalmi, & Antiphonæ, atque Capitula sicut in Natiuitate eius.

In prima, & secunda Vigilia legatur sermo iste, qui in eius natiuitate legitur: Hodierna die fratres Charissimi S. Dei Genitricis, & Virginis MARIÆ Conceptionem celebremus.

In tertia verò Vigilia sermo iste, qui de reuelatione eius Conceptionis, atque miraculi intitulatur, legatur.

Lectio I. Eo tempore, quo Guilielmus Normanorum Dux potentissimus prostrato Anglorum Rege Eraudo * ipsos Anglos bello strenuo sibi superando, subiecerat: quidam Abbas Helsinus * nomine in Remesiensem * Ecclesiam promotus Domino nostro Iesu Christo deuotissimè famulabatur, eiusque Genitricem, seruitia eius faciendo, deuoto studio venerabatur. Contigit autem, vt Danorum Rex, audita Eraudi morte, Anglorum que subiectione, venire in Angliam properaret, vt suo eam dominio subiugaret, & prostrato Guilielmo nouo Rege, vel (vt ipse testabatur) ipsius terræ inuatore, eam in perpetuum possideret. Quo audito Guilielmus ad defendendum se præparauit, & ex coniacentibus regionibus militem quàm plurimum congregauit; & vt erat callidus, vrbes, atque castella diligentissimè muniuit, & omnibus necessarijs opulentissimè repleuit. Consilio itaque inito Guilielmus Rex cum optimatibus suis, Abbatem Helsinum (de quo suprà retulimus) in Daciam misit, vt consilia eorum, & acta diligenter inquireret, & eorum in Angliam aduentum, prout posset, auerteret. Ascensa igitur puppe, prospero vento flante, in Daciam venit; ipsiusque terræ Domino se præsentauit, & salutem, & munera, atque seruitia ex Guilielmi parte ei obtulit. Deinde omnia, vt sibi iussum fuerat in-

* al. *Aralido.*
* al. *Helruinus.*
* al. *Beccensem.*

qui-

quiſiuit, quid dicerent, & quomodo ſe agerent, percunctari non deſtitit. Poſtquam autem omnia, propter quæ illuc ierat perfectè compleuit, procereſque terræ muneribus, & promiſsis honeſtauit, in Angliam regredi voluit, ſed Rex Daciæ ſecum illum non paruo tempore retinuit.

Lectio II. Tranſacto itaque tempore non modico regredi illum Rex permiſit. Qui mox cum ſocijs nauem conſcendit; nautæ ergo apluſtria collegerunt, & in altum carbaſa extenderunt, & per frementia æquora itinera direxerunt. Dum itaque per alta maris pergerent, contrarius ventus eis ſurrexit, mare funditus commouit, omneſque, qui in mari erāt, formidine repleuit. Timore igitur mortis cōciti, nimiùmque perterriti, preces cum lachrymis fundunt Domino, & ſe grauia deliquiſſe miſerabiliter gemunt. In tanto diſcrimine poſiti maiora periculа incurrunt. Nam quę ſubitò ſirtes præ oculis cōſpiciunt, quos naucleri velut in morte poſiti videntes, ex pectoris intimo nonnulla trahentes ſuſpiria, clamarunt ad Dominum fortiter: O Deus clementiſsimè, Pater miſericordiæ, dignare nos reſpicere, merſos pro noſtro crimine. Reſpice nos dulciſsime, de ſede tuæ gloriæ, viſita nos iam poſitos, extremo ſub articulo. Adſit tua benignitas, ineffabilis Deitas: adſit maxima bonitas nobis, & tua pietas. Et rector inuiſibilis, qui tuis ſemper famulis parcis, & vota ſupplicum, audis ad te clamantium Succurre nobis miſeris, pietas ineffabilis: ne nos ſorbeat Inferus, nunc pro noſtris criminibus. Pie Deus cognoſcimus, quòd grauia deliquimus: peiora commeruimus, quia multùm peccauimus. Benignè tua gratia fatentibus indulgeat: fatemur noſtra crimina, tu dele tua gratia. Qui promiſiſti miſeris, qua hora ingemuerint, ſaluos protinus fieri. Parce nunc confitentibus, miſerere gementibus: miſerere nūc flentibus, & verè pœnitentibus. MARIA Mater Domini, ora pro nobis miſeris; tuo filio Domina, commenda noſtra famina. Namque mari ſunt tradita, noſtra miſera corpora: tuus Filius animas in requie ſuſcipiat.

Oratio hæc tota, continuus eſt rhythmus.

Lectio III. Dum igitur ſic de hac vita deſperantes clamarent, & præſentem illis iam mortem intenderent; quemdam Pontificalibus veſtibus ornatum iuxta nauim aſſiſtere vident, qui Helſinum Abbatem proprio nomine compellans, hoc ei retulit, inquiens: O tu Abba Helſine, veni, ſurge, & me cum loquere. Dum autem admirantibus omnibus, qui in naui erant, quænam eſſet hæc perſona, & Abbas Helſinus ſurgeret, præfatæ perſonæ, vt credimus, Anglicè hæc ei dixit: Si vis ſanus effugere, ſi vis mortem euadere: ſi vis patriam cernere, tuoſque lares viſere: Promitte fideliſsimè, Matris Chriſti pijſsimæ, te facturum percelebrem, Conceptionis ipſius feſtum diem, in quo Virgo ipſa incomparabilis futura Dei Genitrix in matris aluo concepta fuit: & doceto omnes quoſcumque poteris, vt percelebrem huius agant ſolemnitatis diem. Tunc Abbas Helſinus, vt erat prudentiſsimus, hoc ei conſtanter refert protinus: Quomodo faciam iſtud, quia diem quo iſtud faciam ignoro penitus? Dei Nuncius reſpondit: In 6. Idus Decembris eſt dies celeberrimus huius Conceptionis: hunc diem, vt celebres moneo, & celebrandum eſſe dicito, quibus dicere poteris, qui ſcire voluerint. Tunc ſæpe dictus Abbas Helſinus: Et quali, inquit, ſeruitio iubes vti in hoc feſto? Cui diuinus Nuncius reſpondit: Omne ſeruitium, quod dicitur in eius Natiuitate, dicetur, & in Conceptione; ſicut Virginis natalitium in eius Natiuitate dicitur, ita Conceptio in hac celebritate dicetur. Prædictus vero Abbas poſtquam talia audiuit, Deo gratias retulit, & deuotiſsimè vouit, ſe ſeruaturum quod audierat diuinitus iuſſum. Et ſtatim, vt hoc vouit, tempeſtas omnis cecidit, & ſerenitas redijt. Ciuis autem cœli cola, qui ad hoc ipſum venerat, & agenda præceperat, repentè diſparuit, atque teneris mixtus auris ab eorum oculis euanuit, & illuc vnde iuſſum venerat, greſsibus inuiſibilibus repedauit. Illicò omnes in naui poſiti frementia pacata cernentes æquora, certatim omnium Saluatori gratias reddidere innumeras, qui eos de tam duro exitio, atque mortis confinio ſua potentia liberauerat. Vento igitur ſurgente ſecundo procedunt, & læti in Angliam, atque alacres veniunt. Mox memoratus Abbas patria cum ſuis optata potiti arena, cuncta, quæ viderat, quæque in mari audierat, quibuſcumque potuit in Anglia fideliter narrauit, ſtatuitque in Rementi * Eccleſia, cui præerat ipſe Abbas, vt hoc feſtum omni anno ſolemniter 6. Idus Decembr. cum magna deuotione celebretur. Ipſe etiam quoad vixit tempore iſtam ſolemnitatem cum magna reuerentia celebrauit. Huius ſolemnitatis celebratoribus detur à Filio ipſius Virginis D. N. Ieſu Chriſto pax, & ſalus longæua, & poſt tranſitum huius vitæ æterna requies concedatur; qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit, & regnat Deus per infinita ſecula ſeculorum. Amen.

* al. *Berceſi.*

Antiph. ad Matut. & Veſper. Conceptio eſt Glorioſæ. *Deinde ſubſequantur reliquæ, ſicut in Natiuitate eius.*

Lect. Egredietur Virga.

Reſpon. Conceptio eſt hodie S. MARIÆ Virginis.

Hymn. Gaude viſceribus.

Antiph. ad Benedictus: Conceptionem hodiernam perpetuæ Virginis.

Oratio: Omnipotens ſempiterne Deus, qui per glorioſiſsimam MARIAM ſemper Virginem, Verbique tui ex ea incarnationem,

mundo

mundo perdito nouæ salutis gaudia destinare dignatus es, exaudi quæsumus preces nostras, & præsta, vt qui eiusdem Filij tui Genitricis Conceptionis diem lætanter colimus, ipsa intercedente apud te, de instantibus periculis eruamur, veniamque nostrorũ criminum pariter consequamur, vt quandoque tuę ineffabilis gloriæ participes esse mereamur. Per eundem, &c.

Antiph. ad Primã: Conceptio est gloriosæ.

Oratio: Dirigantur quæsumus Domine viæ nostræ ad tuas iustificationes custodiendas, vt gloriosæ Dei Genitricis, & Virginis MARIÆ patrocinio subleuemur, & eius sem per orationibus à malis imminentibus defendamur. Per eundem Dominum.

Antiph. ad Tertiam: Regali ex progenie.

Oratio: Quæsumus Domine Deus noster, vt gloriosæ Beatæ MARIÆ Virginis Christi Filij tui Genitricis nos famulos tuos tibi assidua commendet oratio, cuius nostræ repa rationis exordium desiderabilis extitit hodierna Conceptio. Per eundem.

Sequitur Introitus (Missæ videlicet:) Salue sancta parens. *Psalm.* Eructauit.

Oratio: Deus ineffabilis misericordiæ, qui primæ piacula mulieris, per Beatissimam MARIAM Virginem expianda sanxisti; da nobis Conceptionis eius dignè solemnia vene rari, quæ Vnigenitum tuum Virgo concepit, & peperit Dominum nostrum Iesum Christum Filium, &c.

Epist. Lectio libri Sapientiæ: Dominus possedit me, *vsque*, & hauriet salutẽ à Dño.

Graduale: Propter veritatem. *Vers.* Audi filia.

Alleluia. Vers. Gloriosæ Virginis.

Euangelium: Liber generationis.

Offertorium: Diffusa est gratia.

Secreta: Salutarem omnipotens Pater hostiam immolantes, imploramus clementiam tuam, vt Genitricis Filij tui supplicatione placatus, per eam nos, & à peccatis absoluas, & ad visionẽ gloriæ tuæ perducas. Per eund.

Communicanda: Beata viscera.

Post commun. Cœlestis alimoniæ repleti libamine, quæsumus Domine Deus noster, vt gloriosæ Beatæ semper Virginis MARIÆ continua nos foueat protectio, cuius nostræ causa salutis extitit hodierna Conceptio. Per Dominum.

Ad Vesperas, vt in primis.

HYMNI, ET PSALTERIVM D. Anselmi Archiepiscopi, in commemoratione Dominæ nostræ sanctæ MARIÆ.

Hymnus ad Nocturnum.

LVX, quæ luces in tenebris,
Ex aluo nata Virgine,
Nostram noctem nos exue
Tuùmque diem indue.
MARIA Dei thalamus,
Posce te venerantibus,
Virtutibus vt splendeant,
Quos reatus obtenebrant.
Gloria tibi Domine
Nato de sancta virgine,
Regnanti victo funere,
Cum Patre, & Sancto Spiritu,
Amen.

Hic versus in fine singulorum dicendus est.

Ad Laudes.

Præfulgens sol iustitiæ,
Ortus de sacra virgine,
Splendore tuo noxias,
Nostras illustra tenebras.
Orientis castissima
Mater fac nobis Domina
Vita prorsus vt decidat,
Vetus, noua proficiat, Amen.

Ad Primam.

O Christe proles Virginis,
Patris compar altissimi
Per tuæ Matris merita,
Dele nostra peccamina.
O mundo venerabilis
Virgo Mater mirabilis,
MARIA plena gratia,
Ora pro nobis Domina.

Ad Tertiam.

Quem credimus ex Virgine
Natum benigne Domine,
Sit nobis hæc confessio,
Peccatorum remissio.
Quæ genuisti Filium
A summo Patre genitum,
Per hæc tua nos merita,
A lapsu mortis libera.

Ad Sextam.

Nate summe Rex vtero
MARIÆ de virgineo,
Emunda nos à vitijs,
Et orna sanctis meritis.
Dei Mater, ò Domina,
Sublimis tanta gratia,
Tua fac exaltatio,
Sit nostra releuatio,

Ad Nonam.

Fili MARIÆ Virginis
Da nobis eius meritis
A peccatis resurgere,
Et ad vitam pertingere.
Cuius es factus filius,
Deus pro peccatoribus,
Hoc qui fide pronuntiant,
Fac, vt salutem sentiant.

Ad Vesperas.

Sol casto nascens vtero,

Vespe-

Vesperacente seculo,
Illustra nos perpetuè,
Nec declines in vespere.
Æterni Solis Genitrix,
Tuis hoc sanctis meritis
Age quò perpes maneat,
Nobis, nec vnquam decidat.
Ad Completorium.
De casta nobis oriens,
Matrem dies, desinens,
Iugi nos foue lumine,
Culpæ què noctem remoue.
Mater diei perpetis,
Obsiste nostris tenebris,
Ne lucem nobis dissipent,
Et nos delictis implicent.

SALVTATIO DEPRECATORIA, ante Psalterium B. Virginis dicenda.

Salue Regina Mater misericordiæ, vita, dulcedo, & spes nostra salue. Ad te clamamus exules filij Euæ: ad te suspiramus gementes, & flentes in hac lachrymarum valle. Eia ergo aduocata nostra, illos tuos miseracordes oculos ad nos conuerte, & Iesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende: O clemens! ò pia! ò dulcis gloriosa Domina nostra, pro nobis intercede.

Psalterium Dominæ nostræ.

AVE Mater aduocati,
Qui beatus consilio,
Aula ventris incorrupti,
Processit, vt ex talamo.
Beatus vir, qui non abijt.
Aue Mater, cuius partus,
Postulauit Deum Patrem,
Et accepit, quas redemit,
Gentes in hæreditatem.
Postula.
Aue Mater, cuius partus,
Obdormiens patiendo,
In sepulchro soporatus,
Mortem vicit resurgendo.
Ego dormiui.
Aue Mater, cuius partus,
Nobis dedit in sanguine,
Vt signetur baptizatus,
Diuinitatis lumine,
Signatum est.
Aue Mater, cuius nos filius,
Scuto bonæ voluntatis,
Induit propitius,
Lux immensæ maiestatis.
Scuto bonæ.
Aue Thronus Deitatis,
In quo Deus maiestatis
Dignatur homo fieri.

* * *

Vnde nostras animas,
Eripuit in gratia,
Et quas effecit liberas,
Saluas fecit in gloria.
Conuertere.
Aue Mater, cuius partus,
Sua facit iustitia,
Vt in nobis Patris eius
Sint iusta adiutoria.
Iustum adiutorium meum à Domino.
Aue nostra aduocatrix,
Atque vitæ reparatrix:
Cuius partus super ipsos,
Dominus est cœli Thronos.
Quoniam eleuata est.
Aue Sion, in qua Deus,
Habitauit homo factus:
In quo sperant cæteris,
Qui nouerunt nomen eius.
Et sperent in te.
Aue Virgo singularis,
Placens aula virginalis,
Cuius in templo Dominus
Et in cœlo sedes eius.
Dominus in templo.
Aue cuius in filio,
Salutem Pater posuit,
In quo sicut in vnico,
Fidem nostram constituit.
Ponam in salutari.
Aue de cuius filia,
Salutari Dei Patris,
Exultamus in Domino,
Qui bona tribuit nobis.
Exultauit cor meum.
Aue nostra aduocatrix,
Captiuorum liberatrix,
De qua Sion Emmanuel,
Salutare fit Israel.
Quis dabit.
Aue cuius mons filius,
Dei Patris est vnicus,
In quo sancto requiescunt,
Qui veritatem diligunt.
Dominus, quis habitabit.
Aue Regina Virginum,
Mater Virgo post filium,
Cuius partus hæreditas,
In lætis est præclara.
Funes ceciderunt.
Aue Mater, quem prædicat,
In te nostra mortalitas,
Quia tuus mirificat,
Partus misericordias.
Mirificat misericordias.
Aue quam laudant spiritus,
Cui virtus omnis concinit,
De cuius cœlo Dominus,
Nube carnis intonuit.
Et intonuit.
Aue cuius virgineo,

Deus

Deus processit thalamo,
Dotali nobis gratia,
Se præbens in sponsalia.
In Sole.
Aue Sion de qua Deus,
Nos tuetur incarnatus,
Memor nostri libaminis,
In pace sui corporis.
Memor sit.
Aue Mater, cuius partum,
Cœlestis Pater vnicum,
In seculum dat gentibus,
In benedictionibus.
Quoniam dabit.
Aue Mater, cuius partum,
Panem vitæ nobis factum,
Pingues terræ, ex quo viuant
Et manducant, & adorant.
Manducauerunt.
Aue nostra aduocatrix,
Cuius partus mensa Patris
Est nobis consolatio,
Ne frangat tribulatio.
Parasti in conspectu.
Aue Regina gratiæ,
Cuius partus Rex gloriæ,
Rex est virtutum Dominus,
Lux de luce Christus Deus.
Quis est iste.
Aue cuius virgineo,
Processit ex sacrario,
Vna salus omni mundo,
Dulcis Deus, rectus homo.
Dulcis, & rectus.
Aue nostra aduocatrix,
Et lapsorum reparatrix,
De qua Deus factus homo,
Solus stetit in directo.
Puer meus.
Aue Mater, cuius sponsus
Et Creator, & Filius,
Deus illuminatio,
Salus est, & protectio.
Idem.
Aue Mater Redemptoris,
Caro cuius efflоruit,
Quando passus gustum mortis
De sepulchro resurrexit.
Et refloruit.
Aue Mater castitatis,
De qua Deus maiestatis,
Scripturarum voces pluit,
Et virtutis intonuit.
Vox Dei super aquas.
Aue Mater, cuius partus,
Resurgendo nobis factus,
Matutina lætitia,
Nostra spes est, & gloria.
Ad vesperum.
Aue cœlestis Domina,
Cuius partus iustitia,

A

Est nostra liberatio,
Et in Deum protectio.
Esto mihi in Deum.
Aue Mater singularis,
Cuius hæc est fœcunditas
Qua beatis viris,
Omnis remittitur iniquitas.
Idem ipse.
Aue stella virginalis,
Cuius partus singularis,
De cythara nos docuit,
In cruce, quando obijt.
Ipsi tunc bene psallimus,
Decem cordis psalterij.
Ad ipsum cùm referimus,
Decalogum mysterij.

B

Confitemini Deo in cytharis.
Aue Mater, cuius partus,
Cibus vitæ nobis factus,
Gustare dedit mentibus,
Quam suauis est Dominus.
Benedicam Dominum.
Aue Mater, cuius partus,
Solus nobis est effectus,
Effusa datur framea,
Quæ scidit nostra vulnera,
Effunde framcam.
Aue Mater, cuius partus,
Torrens summæ voluptatis
Verbum Patris homo factus,
Fons vitæ est splendor lucis.

C

Inebriasti me.
Aue cœlestis ianua,
Qua processit Emanuel,
Cuius lumen iustitia,
Iudicium meridies,
Et educet quasi.
Aue Mater, quæ gaudium,
Peperisti fidelium,
Ante quem desiderium,
Manet se diligentium,
Per ipsum nostri genitus,
Patri non est absconditus,
Dum se facit aduocatum,
Pium præbens exauditum.

D

Domine ante te.
Aue Mater, de qua nostra
Processit expectatio,
In qua nostra substantia,
Patris consedit solio.
Et nunc quæ est.
Aue Mater, cuius partus,
Se pro nobis holocaustum,
Fecit Deus caro factus,
Solus nostrum remedium.
Holocaustum improperium.
Aue Mater, cuius partus,
Nostras sanauit animas,
Solus potens aduocatus,
Agens causas, soluens culpas,

Ego dixi Domine.
Aue Mater, caſtitatis
Cuius laudes ſonus fiunt epulantis,
Scripturarum cibi dulces.
In voce confeſsionis.
In voce exultationis.
Aue Mater pietatis,
Cuius partus eſt altare Dei Patris
Lætificans intuitus,
Iuuentutis noſtræ mentis.
Et introibo.
Aue quæ Patris brachium,
Peperiſti Ieſum Chriſtum,
Cuius illuminatio,
Vultus Dei fit viſio.
Sed dextera tua.
Aue cuius viſceribus,
Deus Pater ingenitus,
Eructauit verbum bonum,
Scilicet vnigenitum.
Idem.
Aue cuius altiſsimus,
Sacrauit tabernaculum,
Paternæ lucis radius,
Factus nobis remedium.
Fluminis.
Aue Mater, cuius partus,
Noſtra ſalus eſt effectus,
Vnde clamat nobis Pſalmus,
Idem.
Aue cœleſtis manſio,
De cuius templi medio,
Suſcipimus Incarnatam,
Dei miſericordiam,
Suſcepimus.
Aue cœli introitus,
Diuina habitatio,
Cuius eſt nobis filius,
Et frater, & redemptio.
Frater non redemit.
Aue Sion glorioſa,
De qua nobis manifeſta,
Fit carne verbi facies,
Decoris Dei ſpecies.
A Solis ortu.
Aue cœleſtis ianua,
Qua Dei Patris vnica,
Proceſsit nobis reddita,
Salutaris lætitia.
Redde mihi.

PARS II. PSALTERII B. MARIÆ Virginis.

AVE Mater, cuius partus,
Vt oliua fructifera,
Patibulum crucis paſſus,
Totus fluxit in gratia.
Ego autem.
Aue Mater, cuius partus,

A
Sine culpa fuit vnus,
Qui nec traxit origine,
Culpam natus ex virgine.
Aue Mater, cuius partus,
Cœleſtis Patris vnicus,
Nobis voluntarium,
Eſt factus ſacrificium.
Voluntariè.
Aue ex qua Chriſtus ortus,
Veſpere Paſcha docuit,
Ad Pilatum manè ductus,
Veritatem nunciauit.
Meridie crucifixus,
A Patre eſt exauditus,
Et moriens mortem vicit,
B
Qui de morte reſurrexit.
Veſpere, & manè.
Aue Regina Virginum,
Lætitiæ fidelium,
Quæ peperiſti gaudium,
In lumine viuentium.
Quoniam eripuiſti.
Aue cuius eſt filius,
Super cœlos exaltatus,
Et ipſius gloria,
In omnia terreſtria.
Exaltare ſuper cœlos.
Aue de qua natus,
Vtique eſt iuſtis fructus,
Iudicans eos in terra,
C
Vt exaltet ad æterna.
Et dicet homo.
Aue cuius in arcanis,
Incarnatum verbum Patris,
Et cucurrit ſine culpa,
Et direxit in gloria.
Neque iniquitas.
Aue de qua Patris verbum,
Cauſa noſtri caro factum,
In Idumæam gentium,
Extendit calceamentum.
In Idumæam.
Aue Mater, cuius ſolus,
Deus, & homo filius,
A finibus terræ clamat,
D
Dum nos ſibi membra ſonat.
A finibus terræ.
Aue Mater, cuius partum
Semel eſt Deus locutus,
Dum verbum Patris vnicum,
Tuus eſt vere filius.
Semel locutus eſt.
Aue ſtella cœleſtium,
Pariens lucem gentium,
Partum cuius adoramus,
Dum de luce vigilamus.
Idem.
Aue iuſtorum gaudium,
In cuius ſperant filium,
Et laudantur recti corde,
Vt lætentur in requie.

Læ-

Lætabitur iustus.
Aue Sion illa pacis,
In qua decet hymnus Deum,
Aulam tuæ castitatis,
Qui sibi fecit thalamum.
Idem.
Aue de cuius filio,
Iubilamus Deo Patri,
Psalmos damus, & laudamus,
Et in Psalmis iubilamus.
Idem.
Aue terra, quæ dedisti,
Fructum Deo confitendi,
Cuius est benedictio,
Vera sui cognitio.
Vt cognoscamus.
Aue Templum Hierusalem,
Habens cœlestem speciem,
A cuius sanctuario,
Processit Patris visio.
Confirma hoc Deus.
Aue per quem salua,
Fit confitens Sion nostra,
Et quibus datur gratia,
Inhabitabunt in ea.
Quoniam Deus saluam.
Aue per cuius filium,
Deus in adiutorium,
Pater festinans gentium
Intendit ad adiuuandum.
Idem.
Aue secretum virginis;
Quo processit lux luminis,
Et adiecit super omnem,
Iesus Christus laudem.
Pater enim potestatis,
Cunctas creans innotuit,
Pater verò dulcedinis,
In Christo nobis claruit.
Ego autem semper sperabo.
Aue vellus puritatis,
In quo Deus maiestatis,
Inundans, tanquam pluuia,
Distillauit in gratia.
Descendet sicut.
Aue cuius est filius,
Rectis corde bonus Deus,
Qui in eum conuertitur,
Plenos dies consequitur.
Ideo conuertetur.
Aue terra virginea,
In cuius Deus medio,
Salutis est mysteria,
Operatus in filio.
Deus autem Rex noster.
Aue potens virtutibus,
Cuius in cruce filius,
Exaltans iusti cornua,
Peccati fregit vincula.
Et omnia cornua.
Aue cuius est filius,

A

B

C

D

Notus in Iudæa Deus,
In Israel nomen eius,
Magnum recte credentibus.
Idem.
Aue Mater, ex qua notam
Fecit Pater manum suam,
Et populos in brachio,
Redemit vnigenito.
Notam fecisti.
Aue Mater, de qua nobis,
Angelorum natus panis,
Nos reuocat, & reficit,
Et in seipso perficit.
Panem Angelorum.
Aue Regina gaudij,
Cuius cœlestis filij,
Christianus est populus,
Et oues pascuæ eius.
Nos autem populus.
Aue de qua Deus summus,
In sinu Patris vnicus,
Qui sedet super Cherubim
Apparet coram Effraim.
Qui sedet.
Aue ex qua Christus,
Non est nobis recens Deus,
Qui Deo Patri filius,
Est æterno coæternus.
Audi populus.
Aue cuius est filius,
Deus Deorum Dominus,
Solus Deus dijudicans,
Et in se beatificans.
Idem.
Aue stella Paradisi,
Mater illius filij,
Qui solus est altissimus,
Et nomen ei Dominus.
Et cognoscant.
Aue stella virginalis,
Cuius partus lator legis,
Est in sinu Dei Patris,
Dator benedictionis.
Etenim benedictionem.
Aue terra benedicta,
Sanctificans mysteria,
Cuius sacra fœcunditas,
Dei Patris est veritas,
Veritas.
Aue Mater, cuius partum,
Omnes gentes verum Deum
Adorant, & glorificant,
Confitentur, magnificant.
Inclina.
Aue cœlestis ciuitas,
Cuius Deus fœcunditas,
Aue Sion in qua natus
Est fundator ipse tuus.
Nunquid Sion.
Aue Mater, veri Dei,
Qui pro nobis est mortuus,

Portas confregit inferi,
In mortuis liber ſolus.
Æſtimatus ſum.
Aue Cœleſte lilium,
Per florem cuius vnicum,
Fidelibus eſt æternum,
Teſtamentum diſpoſitum.
Diſpoſui.
Aue cuius eſt filius,
Refugium nobis factus,
Per carnis contubernium,
Quod eſt vitæ remedium.
Idem.
Aue ſplendor ſingularis,
Cuius virtus virginalis,
Fecit nobis altiſsimum,
Deum Patrem refugium.
Dicit Domino.
Aue bonum virginale,
Quod Domino confitemur,
Cùm Virgine peperiſſe,
Deum verum profitemur.
Idem.
Aue decor virginalis,
Quem verbum Patris induit
Cum de fonte caſtitatis,
Noſtra carne ſe præcinxit.
Idem,
Aue Mater, cuius partus,
Vltionum Rex Dominus,
Libertatem plenè egit,
Cùm de morte reſurrexit.
Idem.
Aue Mater puerpera,
Cuius regali filio,
Iubilamus in gratia,
Deo ſalutari noſtro.
Idem.
Aue de cuius filio,
Cantamus nouum canticum,
Cuius carnis commercio,
Salus eſt facta gentium.
Idem.
Aue Mater gloriosa,
Lux ſolaris, clara ſtella,
De qua iuſtis lux eſt orta,
Rectis corde lætitia.
Lux orta eſt.
Aue Mater, qua proceſsit,
Qui fecit mirabilia,
Cuius ſibi nos ſaluauit,
Sua virtute dextera.
Saluauit.
Aue Regis ſacrarium,
Cuius honor iudicium,
Pedum cuius eſt ſcabellum
Sumptæ carnis indumentum.
Exaltate.
Aue cuius fœcunditas,
Eſt diuina ſuauitas.
Cuius miſericordia,

A Eſt in æterna ſecula.
Laudate nomen eius.
Aue Mater, gratiarum,
Quæ peperiſti Dominum:
Ipſi miſericordiam,
Cantamus, & iudicium.
Idem.

PARS III.

AVE per quam Sion noſtra,
Videbitur in gloria,
Cuius partus ſunt opera,
Omnis ſimul creatura.
Quoniam ædificauit Dominus.
B Aue cuius ſacrarijs,
Ille proceſsit filius,
Cuius eſt admirabilis,
Omni loco dominatus.

Benedicite Domino omnia opera eius in om.
Aue de cuius intimis,
Decorem Deus induit,
Et noſtræ veſte fidei,
Vt lumine ſe veſtiuit.
Confeſsionem.
Aue ſtella Paradiſi,
Cuius lumen adoramus
In laudes tui filij,
C Alleluia dum cantamus.
Titulus Pſalmi Alleluia.
Aue ſtella cœleſtium,
Alleluia fidelium,
Per quam Dei inter gentes
Nunciantur omnes laudes.
Item Alleluia in titulo.
Aue Mater, cui redempti,
De manibus inimici,
Induti ſtola gemina,
Duplex dicunt Alleluia.
Duplex Alleluia in tit.
Aue Mater, ex qua Deus,
Deducitur incarnatus,
In munitam ciuitatem,
D Eccleſiæ firmans fidem.
Quia deducet.
Aue de cuius filio,
Laudes Pater non tacuit,
Ipſumque de ſepulchro,
A mortuis ſuſcitauit.
Idem.
Aue Dauid tu filia,
Ex qua veſtra ſubſtantia,
Sedit in Patris dextera,
Ieſus Chriſtus in gloria.
Idem.
Aue Regina Virginum,
Quæ peperiſti filium,
Qui factus eſt redemptio,
A Patre miſſa populo.

Re-

Redemptionem.
Aue Mater, veræ lucis,
Ex qua natus in tenebris,
Lumen rectis corde Deus,
Miſericors eſt, & iuſtus.
Exortum eſt.
Aue Mater, cuius partus,
Super gentes eſt excelſus,
Reſpiciens humilia,
Et in cœlo, & in terra.
Quis ſicut Dominus.
Aue Mater, cuius partum,
Non laudabunt in infernum,
Sed nos ipſi, qui viuimus,
Domino benedicimus.
Non mortui.
Aue Mater, cuius partus,
Deo Patri ſit acceptus,
In viuorum regione,
Qua viuunt eius morte.
Placebo.
Aue Mater, cuius partus,
Salutari nos calice,
Comparauit crucifixus,
Aqua ſimul, & ſanguine.
Calicem.
Aue per quam confirmata,
Dei miſericordia,
Veritatem prophetiæ,
Aperuit, & gratiæ.
Quoniam confirmata.
Aue Mater, ex qua Deus,
Illuxit Dei filius,
Conceptus Sancto Spiritu,
Et reſurgens ex obitu.
Benedictus qui venit.
Aue Mater, per quam via,
Immaculata patuit,
Qui à Deo flore,
Virginitas effloruit.
Idem.
Aue Mater, huius partus
Ad quem fide proclamamus,
Vt ſit pius exauditor,
Ne valeat tribulator.
Idem.
Aue Mater, qua proceſsit
Ieſus Chriſtus Emmanuel,
Qui non dormit, ſed cuſtodit
Verus protector Iſrael.
Ecce non dormit.
Aue Mater, huius Regis,
Cuius ſedes iudicantis,
Sedebunt in iudicio,
Ad confitendum Domino.
Quia illic.
Aue Mater, cuius partus,
Deus in cœlis habitat,
In ſanctorum, dum mentibus
Dulcedine ſua regnat.

Idem.
Aue cuius filium,
Proclamat fides Martyrum,
Niſi Deus adiuuiſſet,
Perſecutor deglutiſſet.
Cùm exurgerent.
Aue cuius in filio,
Qui confidunt ex animo,
Vt mons Sion fiunt Deo,
In quo pacis eſt viſio.
Idem.
Aue cuius in filio,
Facti ſumus conſolati,
Et replentur ex gaudio,
Captiuitate exuti.
Idem.
Aue cœleſtis Domina,
Cuius fructus merces ſumus,
Eius morte pretioſa,
Quia vitam recepimus.
Cùm dederit.
Aue Mater ſingularis,
Cuius partus Emmanuel,
Commercio ſuæ carnis,
Effectus eſt pax Iſrael,
Vt videas.
Aue Mater ſummi Regis,
Cuius eſt benedictio,
Vitæ ſemper æternalis,
Sempiterna poſſeſsio.
Et non dixerunt.
Aue cuius in filio,
Hæc eſt miſericordia,
Vt fiat ſuo populo,
Redemptio copioſa.
Quia apud Dominum.
Aue cuius in filium,
Verus iam ſperat Iſrael,
Qui non elatus moribus,
De ſe non ſenſit humiliter.
Speret Iſrael.
Aue Mater Virgo pura,
Cuius partus homo Deus,
Sedet in Patris dextera,
Deus Dauid, & filius.
Idem.
Aue cuius in filij,
Habitamus ſic ouili,
Sicut illa germanitas,
Quam regit vna charitas,
Idem.
Aue cuius in filij,
Inhabitamus atrijs,
In ipſius quando fide
Dilatamur charitate.
Qui ſtatis.
Aue Mater, in qua Deus,
Eſt ex Sion benedictus,
Qui habitat Hieruſalem,
Pacis habens viſionem.

Benedictus Deus ex Sion.
Aue cuius in filio,
Confitemur Patri Deo,
Quoniam fit in ſecula,
Eius miſericordia.
Idem.
Aue terra benedicta,
In qua cantatur canticum,
Qua in terra aliena
Cantare non eſt licitum.
Quomodo cantabimus.
Aue cuius ad filium,
Dei Patris verum templum,
Prout decet, adoramus,
Dum credentes confitemur.
In conſpectu.
Aue cuius partus,
In tumulo ſoporatus,
Sicut diem noctem fecit,
Cùm de nocte reſurrexit.
Quia tenebræ.
Aue cuius eſt filij,
Pater, virtus ſalutaris,
Agentis in die belli,
Vim noſtræ redemptionis.

Domine, Domine virtus ſalutis meæ.
Aue Mater, cuius partus,
Viam fecit ſingularis,
Donec peregit tranſitus,
Quibus vitam dedit nobis.
Cadent in retiaculo.
Aue Mater, cuius partum
Expectabant omnes iuſti,
Donec Pater genus noſtrum,
Retribuit eius morti.
Educ de cuſtodia.
Aue Mater, huius partus,
Cuius nos ducit ſpiritus,
In terram rectitudinis,
Terram reſurrectionis.
Spiritus tuus bonus.
Aue Mater, cuius partus,
Dum virtutes fulgurauit,
Infideles principatus,
Sua morte diſsipauit.
Fulgura.
Aue Mater, cuius partus,
Laudabilis eſt Dominus,
Et magnitudinis eius,
Non eſt finis nec terminus.
Magnus Dominus.
Aue Mater, cuius partus,
Verè ſoluit compeditos,
Quia ſola fides eius
Illuminat mente cœcos.
Dominus ſoluit.
Aue Mater, cuius partus,
Ædificat Hieruſalem,
Dum clementer nos ad eius,

A

Coadunat viſionem.
Ædificans.
Aue Mater, cuius partum
Laudat illa Hieruſalem,
Et ſuſpirat in æternum,
Cuius fines dedit pacem.
Qui poſuit fines.
Aue Mater, cuius partum,
Ex debita iuſtitia
Laudant ciues Angelorum,
Laudat omnis creatura.
Laudate eum omnes Angeli.
Aue de cuius filio,
Sion exultant filiæ,
Deum de eius conſortio,

B

Sanctorum gaudent animæ,
Exultabunt Sancti.
Aue Mater, cuius partum,
In timpanis meritorum,
Sancti laudant, ex gratia,
Mortificantes vitia.
Laudate Dominum in timpano.

CONCLVSIO SALVtationum.

Aue gemma ſingularis,
Habens ſcripta myſteria,
In æterni Pontificis,
Rationali poſita.

C

Aue lamina aurea,
In te ipſa circumſcripta,
Nomen propitiabile,
Quod eſt indicibile.
Aue ſola virginitas,
Cuius Deus fœcunditas,
Noſtrum ſuperhumerale
Diuina fit ex virtute.

Poſtea dicenda eſt Antiphona.

AVE REGINA COElorum, &c.

Poſt quam eſt hæc altera.

D

GAude Dei Genitrix, Virgo immaculata,
Gaude, quæ gaudium ab Angelo ſuſcepiſti.
Gaude, quæ genuiſti æterni luminis claritatem,
Gaude Mater pietatis, & miſericordiæ,
Gaude ſancta Dei Genitrix Virgo,
Tu ſola Mater innupta,
Te laudat omnis factura,
Genitricem lucis,
Sis pro nobis quæſumus pia interuentrix.
Oratio: Deus qui de Beatæ, &c.

HYM-

HYMNVS PRIMVS IN LAVdem S. Deiparæ.

O MARIA nomen bonum,
Nomen memorabile,
O nomen, quod melius est,
Quàm multæ diuitiæ.
Balsamum aromatizans
Thus miræ fragrantiæ,
Flos æternus, rosa lenis,
Lignum semper viride.
Stella Solis claritatem
Suo vincens iubare,
Semper Mater, quia nunquam
Eris sine sobole.
Speciosa, & suauis
Canticum lætitiæ,
Prædicanda, & laudanda
Priuatim, & publicè.
Non hìc tantùm, sed in tota
Mundi latitudine,
Et in cœlis, Angelorum
Dulci moderamine:
Quam amare nolle nullus
Potest sine crimine,
Cui placere, fide stare,
Et Deo est viuere.
Dum nos tibi commendamus,
Vota nostra suscipe:
Dum te proni salutamus,
Quamuis hoc rarissimè.
Aue tibi coram tua
Dicentes imagine,
Incorrupta, & fœcunda,
Noli me despicere.
Cœlum cœli, domus Dei.
Vas misericordiæ,
Pronum verò tibi constat.
Et omnino facile.
Ad quoscumque velis vsus
Angelos transmittere;
Quod exempla multa probant,
Quæ longum est ponere.
Ideòque sanctum nobis
Gabrielem dirige,
Qui te Matrem Dei sui
Salutauit congruè.
Atque sancto grauidandam
Præconauit flamine,
Absque generatione
Naturalis copulæ.
Ipsum ergo ad te nobis
Causidicum tribue,
Vti tibi preces nostras
Dignetur suggerere.
Cœlesti qui corda nostra
Curet medicamine,
Quoniam sunt vanitati
Subdita superfluè.
Sed tu Mater gloriosa
Miseris compatere
Tendens autem, si quis petit
Sua vincla soluere.
Nec dedignans miserorum
Ærumnas attendere:
Sed parata inuocanti
Cuilibet succurrere.
O patrona peccatorum
Huc ad nos conuertere:
Illustrato terras nostras,
Vultus tui sydere.
Et ex illa sede tua
Domum istam respice,
Et commenda Saluatori
Locum huc assiduè.
Ac benignè nostri memor,
Nos à malis eripe:
Beneficijsque tuis
Incessanter refoue.
Qui nos tibi commendamus
Satis necessariè,
Implorantes opem tuam
Super nos descendere:
Pro peccatis quippè nostris
Tribulamur vndique,
Et prævaluerunt in nos
Hostium insidiæ.
Qui nos dente genuino
Non cessant corrodere:
Heu miseri! cur sum natus
Tanta mala cernere.
Mater pia, stella maris,
In hoc consolare me,
Et amico Dei magno
Nicolao condole,
Et ancilla Dei piæ
Hunegundi condole,
Cuius pene iam defecit
Honor Reipublicæ.
Esto eius interuentu
Cuius huius vineæ,
Et circundans eam muro
Rapientes ab igne,
Palmites, quos produxi
Benedic, & protege:
Ipsa quippè te dilexit
Affectuosissimè,
Semper ardens esse tuæ
Commoda Ecclesiæ.
Ergo, & tu seruos eius
Consequenter dilige,
Consolare destitutos,
Lapsis manum porrige,
Et educ de luto fæcis,
Et lacu miseriæ,
Ne nos mortis sempiternæ
Comprehendant tenebræ:
Sed illustret mentes nostras,
Lux cœlestis gratiæ,
Dono cuius sordes tantas
Possumus euadere:
Quibus membra suus mundus;

Polluit nefariè:
Tu es enim Mater Chriſti,
Suauis memoriæ,
Ob quam nobis ſunt apertæ
Paradiſi ianuæ,
Quæ tam potens es in omni
Bonitatis opere,
Vt omnino ſit beatum,
Qualis ſis, agnoſcere.
Benedictum nomen eius,
Sanctum, & terribibile,
Qui per orbem tuum nomen
Fecit eſſe celebre,
Per quam poſſet reis ſuis,
Peccata remittere.
Semper quæſo pia Virgo
Mei reminiſcere,
Semperque veritatis
Dona mihi obtine,
Vt me ſuo tueatur,
Sacro moderamine,
Sitque meæ prece tua
Conſolator animæ,
Et infundat peccatrici
Oleum in lampade;
Quò parata poſsit ſponſo
Cœleſti occurrere.
Aue Virgo ſingularis,
Sumens hoc benigniter,
Aue templum gratiarum
Omnium capabile:
Aue cuius peccatores
Paſcunt eleemoſynæ,
Gaude fœlix, & ex ipſis
Vnam mihi tribue.
Vt ſublata per hanc omni
Hoſtium formidine,
Sine fine poſsim Deo
Gratias rependere.
Benedicant te per æuum
Virtutes Angelicæ,
Et ad laudem creatoris
Te in omni tempore.
Omnes ſancti benedicant,
Et tu me, & ego te.

HYMNVS SECVNDVS IN DIuerſis Beatæ Dei Genitricis cantandus ſolemnijs.

AVE ſponſa inſponſata,
Per quam orbis prorſus lapſi
Facta eſt ereptio,
Aue per quam primæ Matris
Eſt Euæ redemptio,
Sancta MARIA ora pro nobis.
Aue ſponſa, &c.
Altitudo cogitandi
Tu inacceſsibilis,
Inuiſibile profundum
Angelorum oculis,
Χαῖρε κεχαριτωμένη
Θεοτόκε παρθένε
Sancta Dei Genitrix ora pro nobis.
Aue ſponſa, &c.
Omnia portantem portans;
Solium imperij.
Tu ſtella demonſtrans ſolem:
Sol diei myſtici,
Occidentis aſtrum mundi,
Luminis conſpicui,
Sancta Virgo virginũ ora pro nobis.
Aue ſponſa, &c.
Incarnationis diuæ,
Vterus tu facta es.
Per quam renouatur omnis
Creaturæ ſpecies,
Cum qua adoratur factor,
Et origo omnium.
Angelorum Domina ora prò nobis.
Aue ſponſa, &c.
Tu extans initiatrix
Arcani conſilij,
Mirandorum veræ Chriſti
Operum primitiæ,
Dogmatum illius extant
Tu fons, & initium,
Cœlorum Regina ora pro nobis
Aue ſponſa, &c.
Scala tu cœleſtis, per quam
Deſcendit ipſe Deus,
Sponſa traducens terrena,
Super cœleſtia,
Tu Mater innupta omni
Honore ſuperior,
Virgo perpetua ora pro nobis.
Aue ſponſa, &c.
Dœmonum forte lamentum,
Mœror, & triſtitia,
Angelorum, ſed bonorum,
Laus, decus, & gloria,
Electorum tu cunctorum
Satians lætitia,
Templum Domini ora pro nobis.
Aue ſponſa, &c.
Generans perennem,
Sophorum ſuper aſcedens
Omnium ſcientiam,
Animarum tu ſanctarum,
Splendor, & prudentia.
Sacrariũ Spiritus Sãcti ora pro nobis.
Aue ſponſa, &c.
Ciuicam vitæ coronam
Fructu ventris germinans,
Poſsidens diuinitatem,
Et in ea pullulans,
Nutricans humanitatem,
Et eam agricolans,
Tu ſola ſine exemplo ora pro nobis.
Virginitas illa, cui ſunt ſua ſalua ſigilla,
Et fœcunda tamen det nobis dulce iuuamen.

AN-

ANTIPATER BOSTRENSIS.

NOTA.

DE hoc Græcæ Eccleſiæ Epiſcopo, & Patre ita Antonius Poſſeuinus: Antipater Boſtrenſis Epiſcopus, qui Græcè refutationem compoſuit Apologiæ pro Origene ab Euſebio conſcriptæ, edidit Homilias plures, inter quas vnam in Matthæi caput nonum. De muliere ſanguinis fluxu laborante, cuius initium eſt: quod Iudæorum vocationem. Citatur in ſecunda Synodo Nicæna. Act. 4. Ita Sixtus Senenſis, qui tamen haud fecit mentionem Homiliæ ipſius Antipatri in Annuntiationem Beatiſsimæ Virginis, quæ alibi manuſcripta, tum in Biblioteca Auguſtana extat num. 66. Extare item audio eiuſdem Sermonem in Natiuitatem Domini. Hæc Poſſeuinus. Quãdo autem hic Auctor vixerit, ignotum eſt ſolùmque mihi conſtat ex Photi Bibliotheca, Boſtram in Arabia ſitã ſub Seuero Imperatore in Ciuitatem redactam eſſe, cùm olim preſidium fuiſſet, ingratiam vicinorum Dionyſiorum, à Regibus Arabicis muris cinctum. Præſens Homilia, ſeu oratio ſub eodem titulo, quò hìc præfixam damus, à R. P. Laurentio Surio tom. 3. adducitur fol. 908 Extat etiam in Bibliotheca Regia S. Laurentij Eſcurialis Græcis manuſcripta caracteribus pluteo, I ☧ 13. pag. 292. col. 2. Et quia de Sanctiſsima Deipara, & Virgine MARIA eſt, vt ex titulo conſtat, hìc tranſcribere curauimus.

ANTIPATRI BOSTRORVM EPISCOPI ORATIO DE S. Ioanne Baptiſta, & de ſilentio Zachariæ, & de ſalutatione Sanctiſsimæ Deiparæ.

Mat. 11. *INter natos mulierum nullus eſt maior Ioãne.* Verbum pronunciauit ſalutare. Quomodò ergo ex verbis contextam ei offeram coronam, qui talem accepit coronam à Domino? Quomodò eum laudabo, qui antequã naſceretur, didicit occultum myſterium? Et enim, antequam eſſet natus, Deus apertè tradidit gratiæ myſterium, gratiæ theſauros apud eum depoſuit, & ea, quæ ignorarunt in cœlo, choros ducentes Angeli, ſicut nuper audiuiſtis, Ioannes dicebat, qui in matris geſtabatur vtero Thronos latuit, & eum, qui erat in matrice, Deus non præterijt. Cœlauit Dominationes, & ei, qui erat in vtero, reuelauit myſterium ſuſceptæ carnis œconomiæ. Et quem veniens Archangelus è cœlo tulit, bonum nuncium intrinſecùs narrauit fœtus ſaliens. Nam cùm aduenisſet, ſicut modò audiuiſtis, Redemptor noſtri generis ad ſuum amicum, qui in vtero geſtabatur, ſtatim venit ipſe quoque, cùm eſſet in vtero.

Licebat autem videre lutum ſalutari à figulo excipi, Regem in tabernaculo militis, & veniſſe Dominum in ſerui domunculam. Quem cùm ex matrice in matrice adſpexiſſet Ioannes, præuidens, exiliens, naturæ terminos conatus eſt tranſilire. Video enim Dominum (apud ſe dicebat) qui imponit naturæ terminos. Non expecto tempus, quo ſolet fœtus geſtari in vtero, tempus nouem menſium non eſt mihi neceſſarium. Quænam Mater Deum Verbum perſuaſit ad nos apertè venire? Quis, cùm functus eſſet legatione, excitauit ex ſinu patris eum, qui eſt ſine matre? Quænam autem eſt hæc Virgo, quæ Deo viſa eſt præſtantior vniuerſis Poteſtatibus? Quænam ea eſt, quæ eum, qui capi non poteſt, continet in vtero? Quænam ea eſt, quæ fert in ventre eum, ad quem non poteſt accedi? Quænam ea fuit, quæ intercesſit, vt fœno humanitatis admoueretur ignis diuinitatis? Quis primi parentis renunciabit vxori id, quod nunc peragitur, myſterium? Quis dicet, ab ea, quæ fuerat olim condemnata, in-

intus in ventre, scilicet, habitum fuisse indicem, atque Præcursorem, quæque audiuit, *in doloribus paries filios tuos*: eam venisse illum portantem, qui nobis annunciauit doloris solutionem? Papæ, quantus honor, & quæ verbis non potest exprimi mutatio. A paradiso separauit Deus primum creatum hominem, & ipsum cepit, quæ ab eo descendit. Qui pelles in paradiso consuit, tegitur in vtero. In quam primum parentem ira percitus expulit, in eam misericordia commotus aduentauit. Quam execratus est terram, eam calcauit, diuino gressu latam infirmans sententiam, spinam peccati conterens impollutis vestigijs.

Genes. 3.

Hæ erant exultationes Ioannis, vel verba potiùs. Verba enim erant pueri nondum nati saltationes. Quis ab æuo apud Græcos talia sapienter docuit, qualia ante fascias narrauit hic Præcursor? Talia sunt mysteria huius celebritatis, quæ si velim prædicare, inuenjar obrui profundo miraculorum, & per aërem ingredi, narrando cœlestia. Quocirca te rogo, ò Baptista, concede mihi ancoram deprecationis, & vt qui sis vox, conserua mihi certos, & stabiles sensus vocis instrumentorum. Veni enim certam habens fidem, non hæsitans, verborum tibi suffitum offerens, Qua quidem refretus tua narrabo certamina. Quòd si etiam sim vincendus, gaudeo, est enim mihi victoria, vinci à mei patroni miraculis.

Fuit, inquit, *in diebus Herodis Regis*: Ne fallatur aliquis in expositione, quòd eodem nomine vtantur Euangelia. Fuit enim alius Herodes, qui Præcursorem sustulit, & alius hic Herodes, qui herbam demessuit infantium, dum quærit spicam pietatis. In huius diebus *fuit*, quidam, *Sacerdos nomine Zacharias, & eius vxor Elisabeth*. Erant autem ambo iusti, (vitæ enim cum viro societatem habebat mulier, honestè se gerens) iugum legis ferentes, iustitia abundantes, liberos nō habentes. Læsa enim matrice temporis longitudine, erat Elisabeth sine liberis & sterilis. Ambo autem processerant in diebus suis. Natura, inquit, carebant filijs, & cùm procreandorum filiorum tempus definitum consumpsissent, non spe, sed lege amissa, mores habuerunt pro secundo tempore. Defecit generatio, sed preces non fuerunt imbecillæ.

Luc. 1. *Matt.* 14 *Macth.* 2

Factum est autem, cùm sacerdotio fungeretur Zacharias, (erat enim festum sanctum, & insigne) veste indutus, & lamina circumposita, accepto incenso, ibat in Sanctorum adyta. Præcurrente autem sonitu tintinabulorum, multitudo orabat ante fores, Sacerdotem senem ad Deum mittens, tanquam nuncium, qui cùm fuisset intra velum, visus est ei Angelus Domini, stans à dextris arę incensi. Conturbatus est autem Zacharias, & non potuit vltrà progredi, propter Angeli adspectum retrocedens: diù autem mansit attonitus, hæc apud se dicens: Quid sit hoc, quod videtur, dubito. Alius ad Altare incensi fungitur munere sacerdotali, ego autem quomodo imponam igni incensum? Vnum solum lex iubet fungi munere sacerdotali. Est Angelus, non homo, qui videtur. Neque sic tamen in templum patet aditus, non enim didicimus vnà ministrare cum Angelis. Quid igitur de me fiet? quid agam? quemnam accipiam consiliarium? Sanctone cedam sanctis? salutabo, & accedens dabo incensum? Nunquid me accipiet socium? Num venit sermocinaturus cum ministris sanctorum? Video terribilem, & lætum: Venìtne bonum afferens nuncium, famèmne an bellum minitans? quòd verò is quidem, qui videtur, sit satelles cœlestis, & non Deus, statio indicat. Esaias enim vidit *Dominum sedentem*: Ezechiel *supra thronum* adspexit incorporeum, Daniel similiter *antiquum dierum sedentem*. Hic autem stat, implens ministerium, captis partibus Altaris magis honorabilibus. Hei mihi, num propter meum peccatum etiam à populo rationem exiget? Nũ magnitudo honoris erit mihi occasio maioris supplicij?

Esai. 6. *Ezech.* 1. *Dan.* 7.

Hæc ratiocinans conturbabatur Zacharias. Non latuit autem Angelum Gabrielem Sacerdotis conturbatio. Quocircà ei statim placidam vocem dedit, tanquam dexteram, clamans: Ne timeas Zacharia. Priùs eius compressit timorem, & tunc bonum narrauit nuncium, vt non perturbato animo acciperet Zacharias id, quòd ei significabatur, dicens: Ne timeas Zacharia tibi gratus affertur nuncius: exaudita est tua deprecatio Vxor tua pariet filium, & vocabis eum Ioannem; Ad te enim veni de cœlo, non solùm portans filium, sed etiam veni, cùm ex libro superno didicissem nomen eius, qui nascitur. In ciuium cœlestium numerum eum ascripsit Deus, non talem mortalis produxit vterus. Multi in natiuitate eius gaudebunt. Est enim tuus quidem filius, tuum germen, fructus autem communis: Tu Pater: qui autem nascitur, est lucerna omnium.

Hæc cùm audisset Zacharias, euasit simul lætus, & curiosus. Curiosa certè cogitatione cùm accepisset id, quod ei significabat Gabriel, respondit non cum satis magna fide: Vnde hoc sciam? Non tulit Gabriel Zachariæ interrogationem, sed nihilipendit Sacerdotem, qui offert quidem suffitum, fidem autem non habet, & cùm iram vultu indicasset, hæc dixit. O Zacharia, eorum, quæ dixi, à me poscis rationem? A Dei ministro exigis rationem? Cùm bonus tibi afferatur nun-

nuncius, pignus petis? Non gratias agens, sed examinans, diuina dona suscipis, & dicis: Vnde hoc sciam? Ego sum Gabriel, eorum quæ dicta sunt, pignus, nomen meum accipe, & si hoc à te paruidicitur, cognosce auctoritatem. Ego sum, qui adsto ante Dominum. Me si deinceps falsa narrare existimas, num tibi succedet accusatio? Ego enim sum, qui adsto ante Dominum, & dicis: Vnde hoc sciam? Vnde hoc scies? Tu es enim, inquis, senex, & vxor tua processit in diebus suis. Tempus, ò Sacerdos, maiorem apud te habet auctoritatem, quàm Architectus temporis? Non cessas ergo Deo non fidere, & tempori cedere, sed dicis: Vnde hoc sciam? Quomodò didicisti Isaac nasci ex Abrahamo? Quandoquidem credidit, ætas confirmauit: non quoniam credidit, senectus non obedijt? Si autem quod de sterili dicitur, videtur non posse fieri, quomodò tibi audebo credere mysterium Virginis? Si ergo cùm multas habeas similitudines, pignora exigis, quomodo narrabo eam, quæ est superior, Verbi conceptionem? Qua de causa multis antè seculis Esaias id prædixit, dicens: *Ecce Virgo concipiet in vtero, & pariet filium?* Ille cùm credidisset, prædicauit id, quod est maius: Tu autem, cùm ei, quod est minus, non credideris, à me exigis rationem, qui è cœlo ad te propter te sum missus? Sed quoniam tibi est cordi signum accipere, (hoc enim petijsti, & vtinam non petijsses) mutus eris, & voce carebis, & hoc erit signum filij procreationis. Eris tacens, donec res verba confirmauerint. Ex generandi instrumentis ad vocis instrumenta transeant vincula sterilitatis. Voce impeditus, vocem mihi concipe. Illi enim soli patris delictum condonabo. Est amicus Domini. Quæ vult, petit vt amicus.

Esai. 7.

Cùm hæc intus fierent, & dicerentur, tempus, quod trahebatur, multitudinem populi affecit admiratione, & quæ in multa distrahebatur suspicio, vnicuique dictabat id, quod videbatur, donec postquam apparuisset Zacharias, silens ea docuit, quæ passus est dum latuit. *Postquam autem impleſſet dies ministerij, abijt domum*, in visceribus habens bonum nuncium, & in ore frenum. Et hoc quidem est, vt dixerit quispiam, Præcursoris principium conceptionis. Cuius partum si velimus prædicare, proximi festi necesse est omnino meminisse. Sexto enim mense conceptionis, Nazareth venit Gabriel, ad Virginem afferens Patris bonum nuncium. Quam cùm domi vidisset, prior salutauit, dicens: *Aue gratia plena, Dominus tecum.* Aue quæ prima, & sola paris infantem liberum ab execratione. Aue, quæ in mundo paris vitæ occasionem. Aue, quæ es incorrupta, sed non es expers prolis. Aue, quæ fatu caruisti, sed non fructu. Aue, quæ partus dolores expectas, qui te minimè inuadent. Aue, quæ tuo primo parenti Adamo exhibes defensorem. Aue, quæ fers sine dolore naturæ creatæ fundamentum. Aue, quæ citra laborem intercedis inter mortalitatem, & diuinitatem. Aue, quæ paris Deum non nudum, & hominem non solùm hominem. Aue gratia plena, Dominus tecum.

Luc. 1.

Illa autem, cùm audijsset lætitiam, non porrexit aures, sed vocem examinauit, dicens: *Qualis est hæc salutatio?* Qui per se, & non vocatus, nostram est ingressus domunculam, quisnam, inquit, est hic, non familiaris, non cognatus, non genus ducens ad Adamo? Ex voce conijcio, hanc esse nouam, & alienam salutationem. Non adest Ioseph: voci non assentior. Cum sola prima parente, vt aiunt locutus est ille, qui fuit primus author malorum. Ei autem dixit Angelus: *Ne timeas, MARIA, inuenisti enim gratiam*, quam perdidit, quæ primùm fuit creata fœmina. Illa sola suscepit deceptionem: tu autem sola attulisti solutionem deceptionis. *Paries filium, & vocabis eum Iesum.* Illa autem cùm partem audijsset, & filium: Quomodo, aiebat, *erit mihi istud, quoniam virum non cognosco?* non contradicens, sed vt per interrogationem disceret. Quomodo erit mihi istud? Ego, inquit, sola naturam innouo? liberorum procreationis in me soluentur rationes? Dic mihi modum, ò hospes: nouus enim, & alienus est tuus bonus nuncius.

Spiritus Sanctus, ait Gabriel, *superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Suscipe, inquit, ò Virgo, id, quod dictum est. Ne sis solicita de eo, quod est mandatum silentio. Partui fero testimonium, modum dimitto. Veni ad te nuncius, non doctor œconomiæ, Missus sum preco aduentus Dominici, non interpres. Quomodò, nouit ipse qui adest: adesse enim scio. In te enim prosilit signum internum: non possum autem dicere modum. Quòd autem non falsa dicam, testimonium mihi feret Elisabeth, quę in sterilitate, & senectute concepit Præcursorem. In sterilitate autem, & senectute dixi, eam concepisse, quod quidem est non parum pignus. Inter annum enim sterilem, & Virginem, nihil est intermedium, quod attinet ad pariendum.

Hæc cùm Virgo audijsset, venit ad ædes Zachariæ, & cùm Elisabeth inuenisset concepisse, eam salutauit. Infans autem intus respondit. Infanti enim auditio extitit auditio matris. Et quoniam Ioannes, qui intra naturæ fines coercebatur, loqui non poterat, saliens dicebat, cum propria matre loquens per exultationes, matri autem Seruatoris respondens per linguam maternam. Cùm autem Elisabeth non ferret saltus filij, Spiritu Sancto repleta exclamauit; dicens Virgini:

Be-

Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Tu, inquit, es benedicta, quæ execrationis portas solutionem. Tu es benedicta, quæ portas donum sapientiæ. Tu es benedicta, quæ eum gestas in vtero, qui ambulauit in paradiso. Tu es benedicta, cuius sanctum Templum fuit venter. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui, ex quo cùm comederit Adam, vincet inimicum. Benedictus, qui fuit mundi cibus, & amictus. *Et vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me?* Hæc, ò Virgo, infans me docuit intus propter tuam salutationem, saliens supra naturam. Hæc sunt verba Elisabethæ inspirata diuinitus.

Zacharias autem, vt dixi, domi mansit, vt cui esset impositum frenum incredulitatis, accepta vocis amissione æquali conceptioni, vt qui suscepisset ortum filij, terminum condemnationis. Postquam verò ex deserta matrice processit ciuis deserti, pater petitis pugillaribus, ea gratè scripsit, quæ non credens audierat, cùm filio reddidisset appellationem, vocem recepit. Talia, ò Præcursor Baptista, tua sunt, antequam nascereris, mysteria. Talem tibi Deus largitus est dignitatem ante conceptionem. Gabriel ortum Domini, & tuam annunciauit conceptionem in Templo, quomodò in thalamo te esse conceptum dixit. Pium, ac religiosum populo donum in celebri festo, ortum tuum attulit Archangelus. Fuisti spiritus afflatus, vt qui donum prophetiæ accepisti in vtero. Saliens in ventre, ea dicebas, quæ Moysi, cùm consenuisset, Deus significauit. Qua de causa te maiorem Prophetis vocauit sponsus Ecclesiæ. Quis enim ex Prophetis ex vtero matris narrauit mysterium? Quis ex iustis in ipso ortu patri vocem attulit hospitalem? Tu autem simul eum, qui te genuerat, à vocis priuatione liberasti, & dignatus fuisti prophetia. Qui enim erat paulò ante mutus, Spiritu Sancto impletus nobis cecinit canticum: quod paululum mutatum ego opportunè inchoabo. Ille enim dicit, *Benedictus Dominus Deus Israel*: Ego autem dico, Benedictus Deus Christianorum: Ipse gloria in secula seculorum, Amen. *Mat.* 11.

S. ANTONINVS FLORENTINVS.

NOTA.

PRæclarum hoc Italiæ Sydus, Florentiæ decus, Ordinis Prædicatorum S.P.N. Dominici gloria, & splendor primùm Sacri Palatij Auditor, post propriæ Florentinorum Patriæ Archiepiscopus, Antoninus dictus ob pusillam staturam, sed quò paruus corpore, eò maximus extitit vir spiritu, virtute, & ingenio, in diuinis Scripturis interpretandis, atque in declamandis sermonibus ad populum excellentissimus, in Theologia legibus, & secularibus litteris cognoscendis eruditissimus, sed quod magis est, vita, conuersatione, & sanctitate vndequaque eximius; etenim ob præclaras virtutes apud Romanos Pontifices Calixtum III. Pium II. & Nicolaum V. sæpe Legationis Reipublicæ Florentinæ munere functus est. Migrauit ad Dominum anno à Virgineo partu M. CCCC. LXIX. ætatis septuagesimo sexto, Nonas Maij in festo Ascensionis Dominicæ, iterans illud Psalmi: Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos. Sepultus apud Sanctum Marcum sui Ordinis Conuentum, quem Adrianus VI. Pontifex Maximus in Sanctorum Cathalogum retulit anno M.D.XXIII. De quo Nicolaus V. asseruit: Non minùs ego Archiepiscopum Florentinorum in Sanctorum numero adhuc viuum adscribendum putarem, quàm Bernardinum Senensem mortuum. Inter illa, quæ scripsit, & omnium terun-

runtur manibus, quæ latè referuntur à Tritemio, Posseuino, Sixto Senensi, Placentino, Leandro, Alberto Myræo, Bellarmino, Gisnero, & Michaele Pontiano Ordinis Seruorum in Catalogo Scriptorum Florentinorum de Sacratissima omnium Regina MARIA habet sequentia. In prima parte Summæ de peccato originali, an illud contraxerit immaculata Virgo? In tertia de Virgine MARIA per modum doctrinæ. In quarta quadraginta sex conciones in laudem Beatæ Virginis, & de omnibus eius festiuitatibus. Aduertendum tamen est, Sixtum Senensem, Antonium Posseuinum, & Placentinum, vnà asseuerare, Antoninum nostrum in primum Lucæ caput confisse de Annũciatione, Salutatione Angelica, Cantico MARIÆ vastæ prolixitatis volumen, Scholastica methodo, & stylo dispositum, quod opus postea vltimæ parti suæ Summæ adtexuit, quod hìc tibi damus. Scripsit etiam Sermones in Sabbatis de Beata Virgine MARIA, de Purificatione, & Conceptione Virginis, qui licèt impressi prodierint Parisijs anno Domini M. D. XXI. recogniti à R. P. Francisco de Serris, Ordinis Prædicatorum sub nomine, & titulo R. P. Fr. Gabrielis Barrelite, seu Barreleta eiusdem Ordinis, tamen fuisse N. S. Antonij euidens est, tum quia ipsi adscribunt prædictos Sermones Posseuinus, Placentinus, & alij. Tum quia sub eius nomine typis mandati sunt sub hoc titulo: Opus Quadragesimalium de Sanctis flos florum nuncupatum a D. D. Antonio Archiepiscopo Florentino Ordinis Prædicatorum pro pauperculis Verbum Altissimi Euangelizantibus additum, nouiterquè impressum, ac diligentissimè emendatum. Quæ omnia correcta, & emendata damus.

TITVLVS OCTAVVS, DE CAVSA PECCATI Originalis, & eius pœna.

POst tractatum de causis peccatorum, & de diffinitionibus, & diuisionibus, & nocumentis eorum nunc videndum est de ipsis peccatis secundùm illam diuisionem, qua primò diuiduntur, quia scilicet peccatorum aliud originale, aliud actuale. Et hoc diuiditur in mortale, & veniale, & de singulis horum dicendum est, & primò de originali. Est autè originale peccatũ, cum quo nascũtur homines de quo Aug. de conse di. 4 c. 3. sic ait. Firmissimè tene, & nullatenus dubites, omnem hominem qui cõcipitur per concubitum viri, & mulieris nasci cũ peccato originali. Et propter hoc pueri mox nati deferũtur ad baptismum, tanquam ab aliqua infectione culpæ abluẽdi. Sic fatetur fides catholica, & cõtrarium tenere esset hæresis Pelagiana, vt dicit Tho. 1. ij. q. lxxxij. Est autem peccatum originale secundùm Tho. q. vbi supra, quidam habitus innatus per vitiatam originem, seu quædam inordinata dispositio naturæ, quæ habet rationem culpæ inquantum procedit a primo parẽte. Et habet talis habitus aliquid priuationis & aliquid positionis, sicut ęgritudo. Formaliter enim est defectus, seu priuatio originalis iustitiæ. Dicitur autem originalis A iustitia illa rectitudo in qua fuit creatus primus homo, ex qua mens, & ratio Deo subdita erat, & vires inferiores rationi & corpus spiritui. Quod donum originalis iustitiæ erat, vt accidens speciei humanæ non ex principijs naturæ causatum, sed diuino munere collatũ primo parenti, vt transfundendũ in posteros, cum natura humana, quę postea in multis cõmunicata, tota erat in ipso. Vnde per suum peccatum actuale vitiata, & ablata ipsa originali iustitia, eius oppositũ vt accidens speciei B humanæ, scilicet peccatum originale per propagationem transmisit in posteros cum natura. Generat enim homo sibi similem in specie, etiam quantùm ad accidentia propriæ speciei, non quantùm ad accidentia indiuidualia, quæ pertinẽt ad actiones personales, non enim musicus generat musicum. Et hinc est quod solùm illud peccatum primorum parentum traducitur, & non alia, nec etiam C aliorum hominum, quia solùm per primum peccatum sublatum est bonum naturæ, quod erat per originẽ naturæ traductum. Per alia verò peccata subtrahitur bonum gratiæ personalis, quod non transit ad posteros. Similiter nec pœnitentia primi parentis, nec

eius ſcientia, nec aliorum hominum traducũ A tur, quia pertinet ad actiones perſonales, ſeu ſunt accidentia indiuidualia. Materialiter autem eſt peccatum originale concupiſcentia, quia (vt dicit Auguſt.) paruulos facit habiles ad concupiſcendum, & adultos actu cõcupiſcentes. Et dicitur hic concupiſcentia inordinatio potentiarum animæ, quæ in hoc attenditur, quòd inordinatò feruntur in bonum commutabile. Peccatum autem iſtud originale traducitur à primo parente per generationis actiuam virtutem in homines de quo Apoſtolus ad Romanos 5. *Per* Rom. 5. *vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors.* 1. q. 4. iam itaque. Pro cuius declaratione eſt ſciendum, B ſecundùm Thom. 1. 2. q. 81. & ſupra Epiſtolam ad Romanos. Cùm omnes homines conueniant in natura humana, quam traxerunt ex Adam, & ſic dici poſsint vnus homo ſicut vna ciuitas dicitur vnum corpus. Vnde ſecundum Prophyrium participatione ſpeciei plures homines ſunt vnus homo, hinc eſt, quòd ſicut diuerſa corporis membra ſunt partes vnius perſonæ particularis, ita omnes homines ſunt partes, & quaſi membra naturæ humanæ. Sicut actus peccati exercitus per aliquod mẽbrũ, puta per manum, vel pedẽ, nõ eſt volũtarius voluntate manus, ſed voluntate totius hominis. Vnde homicidium, vel aliud commiſſum per manum, non imputaretur ei ad culpã, ſi conſideraretur manus, vt ſeparata à corpore, ſed prout eſt aliquid hominis motum à voluntate ipſius. Ita inordinatio iſta naturæ, quæ dicitur peccatum originale non voluntaria huius, vel illius deriuati ex Adam, ſed voluntate ipſius Adæ, qui mouet omnes homines deſcendentes ab eo per propagationem motionis generationis. Sicut voluntas vnius perſonæ mouet omnia membra ad peccatum, & ſic talis inordinatio naturæ habet rationem culpæ in omnibus, ad quos peruenit inquantum ſunt ſuſceptiui naturæ infectæ culpa per Adam. Et ſicut peccatum actuale, quod eſt peccatum perſonæ, trahitur ad ſingula membra per ali D quem actum perſonalem, ita peccatum originale trahitur ad ſingulos homines per actum naturæ, qui eſt generatio, & ſic in proceſſu peccati originalis perſona, id eſt, Adam infecit naturam, ſcilicet humanam. Sed poſtmodum in alijs natura vitiata infecit perſonam dum ſcilicet genugo imputatur in culpam naturę vitiũ propter volũtatẽ primi parentes, quãuis, enim anima huius, vel illius hominis nõ fuerit ſecundùm ſeminalem rationem in Adam peccante, ſicut in principio effectiuo, eò quòd ſemen corporale, quod ex Adam traducitur, ſua virtute, non poteſt cauſare animam rationalem. Fuit tamen in ipſo ſicut in principio diſpoſitiuo, quia ſemen ex ipſo traductum diſponit ad animæ ſuſceptionem, & ſic ipſa anima cum infunditur corpori, tũc maculatur culpa originali

§. I.

Eſt autem ipſum peccatum originale vnum in eſſentia, ſed multiplex in effectu, propter quod Pſalm. 50. Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, in plurali, ex eo videlicet, quòd inficit plures potentias animæ, vt voluntatem, concupiſcibilem, iraſcibilem. Tum etiam, quia in ipſo virtualiter præexiſtunt omnia peccata actualia, ſicut in quodam principio. Participatur autem æqualiter ab omnibus. Et quamuis vnus ſit pronior, quàm alter ad concupiſcendum, vel iraſcendum & huiſmodi, hoc nõ procedit ex ratione peccati originalis, cùm æqualiter in omnibus ſoluatur, & tollatur originalis iuſtitia, & æqualiter in omnibus partibus inferioribus animæ ſibi relinquantur. Sed accidit hoc ex diuerſa diſpoſitione potentiarum. Nam aliquæ vires animæ ſunt fortiores in vno, quàm in alio propter diuerſas corporis complexiones, ſoluto autem vinculo originalis iuſtitiæ, vnaquæque vis tendit in ſuum proprium motum, & tantò vehementiùs, quantò fuerit fortior. Et quia omnes homines (excepto Chriſto ſolùm,) deſcendunt ab Adam per virtutem actiuam in generationem originaliter ab Adam deriuatam, quod eſt ſecundùm rationem ſeminalem C ab eo deſcendere; ideo firmiter eſt tenendum (vt dicit beatus Thom. 1. 2. q. 81.) quòd ſecundùm fidem catholicam omnes homines præter ſolum Chriſtum ex Adam deriuati, peccatum originale ex eo contrahunt, alioquin nõ omnes indigerent redemptione, quæ eſt per Chriſtum, quod eſt erroneum.

§. II.

Pœna autem huius peccati, quantùm quidem ad animam eſt pœna damni, id eſt, priuatio diuinæ viſionis, quia niſi purgatus fuerit quis ab eo, non poteſt introire in Regnum Dei. Non autem ſuſtinent pœnam ſenſus pro ſolo originali, id eſt, pœnam ignis infernalis, vt tenet, & probat beatus Thom. in 2. ſentent. & in quadam quæſtione de quodlibetis. Et habetur de conſe. diſt. 4. cap. nulla præter baptiſmum ſalus. Quod autem Auguſt. dicit diſt. eadem cap. firmiſsimè tenet tales paruulos ſine baptiſmo tranſeuntes, ſempiterno igne puniendos. Exponit Gloſſ. & benè igne, id eſt pœna, quia ſemper erunt in tenebris, id eſt, priuati Dei viſione, quæ tamen priuatio diuinæ viſionis eſt, etſi adultis ſit in maximam pœnam, eis tamen non eſt ad afflictionem, quia ſciunt ſe non fuiſſe capaces, & ſine propria culpa eſſe priuatos, ſicut nec etiam ruſticus pœnam habet, quòd nõ eligatur in Papam, vel Imperatorem, quia non proportionatur ei talis dignitas. Quantum

tùm vero ad corpus, pœna ipsius peccati est mors, de consecr. dist. 4. placuit. 2. ac etiam alias pœnalitates, quibus sunt subditi homines, vt fames, sitis & huiusmodi etiam inclinationes ad malum.

§. III.

TOllitur autem ipsum peccatum nunc, scilicet, in nouo testamento per baptismum actu, vel proposito sumptum, & non per alium modum, nisi per martyrium quoad paruulos. In veteri autem testamento per fidem parentum, quantùm ad non habentes vsum rationis, id est, per actum fidei relatum ad salutem pueri per modum orationis, quã fidem protestabantur oriundi ex Abraam in circumcisione marium, quæ omnino erat necessaria. Alij vero aliarum nationum, & omnes vniuersaliter ante circuncisionem datam Abraæ, eam protestabantur in virtute sacrificiorum. Adulti verò purgantur ab originali, per fidem propriam. Fœminæ Iudæorum ante vsum rationis non per circuncisionem, sed per fidem parentum purgabantur. Et sic debet intelligi, quòd virtute sacrificiorum dicebantur purgari ab originali ante circumcisionem datam, sicut & mares Iudæorum in virtute circumcisionis, (vt dicit Gregor. in moral.) & habetur de consecr. dist. 4. quod apud nos. Non quòd in illis sacrificijs, vel circumcisione esset aliqua virtus gratiæ ad purgandum, vt est in baptismo, sed per fidem tollebatur peccatum, quam protestabatur illud sacrificium, vel circumcisio. Vnde & beatus Thom. qui hoc dixit in 4. de circumcisione, postea retractauit in 3. part. sum. quamuis autem transeat ipsum peccatum originale, & tollatur per baptismum reatus, quia euadit obligationem pœnæ æternę, remanet tamẽ actus, ideſt, remanet in ipso baptizato ipsa habitualis concupiscentia, id est, inclinatio ad malum, & inordinatio virium inferiorum. Et quia homo non generat secundùm mentem, sed secundùm vires inferiores, & cum ipsa habituali concupiscentia, ideo transmittit peccatum in prolem, etiãsi in ipso actu generationis daretur alicui per gratiã, quod nõ sentiret actualem cõcupiscentiam, seu ardorem libidinis, nihilominus, (vt dicit beatus Thom. 1.2. quæst. 81.) sic genitus contraheret peccatum originale, August. dat exemplum de frumento, quod quamuis purgatum seminetur, tamen nascitur cum lolio.

§. IIII.

PRo aliqua maiori declaratione de statu paruulorum decedentium, sine baptismo est sciendum, quòd anima quęlibet rationalis migrans à corpore proprio vadit ad locum gloriæ, quæ scilicet, est perfectè purgata ab omni culpa, & reatu. Et locus iste gloriæ dicitur esse cœlum empyreum supremum, remotum a motu, virtute tamen sua influens in inferiora secundùm Thom. in 1. parte. Aut anima vadit ad locum miseriæ, qui locus largo vocabulo dicitur infernus, & creditur esse in centro terræ, seu sub terra. Quod probat Gregor. in 4. dial. pro eo, quod dicit Ioann. in Apoc. 5. quòd non reperiebatur, qui posset aperire librum clausum signatũ septẽ sigillis *Neq; in cœlo neq; in terra, neq; subtus terrã, nisi agnus, &c.* De istis autem diuersis locis, seu receptaculis animarum, sic dicit Augustin. Tempus quod inter hominis mortem, & vltimam resurrectionem interpositum est, animas varijs receptaculis continet, prout vnaquæque digna est requie, vel pœna, secundùm ea, quæ gessit in carne dum viueret, 13. q. 2. tempus. Infernus autem distinguitur inter locum, vbi est pœna damni, id est, priuatio visionis Dei, qui dicitur limbus, & locum, vbi est pœna sensus, id est, ignis cruciatio vltra pœnam damni, & dicitur strictiùs infernus. Qui etiã locus diuiditur in locum damnatorum æternaliter, qui dicitur infernus strictissima acceptione, & locum purgandorum, qui dicitur purgatorium, quæ loca, scilicet, infernus, & purgatorium diuersificãtur, sicut inferius & superius, ac si imaginaremur vnam domum plenam ignis vique ad summum, & in pauimento starent animæ damnatæ, & in superiori parte iuxta tectum animæ quæ purgnatur. Vnde Gregor. dicit, quòd sicut sub eodem igne aurum rutilat, & palea fumat, sic idem ignis & reprobos cruciat, & electos purgat. Sic etiam limbus est duplex, scilicet limbus paruulorum, & limbus Patrum, qui etiam quantùm ad situm differunt secundùm superius, & inferius, (vt dictum est de purgatorio, & Inferno,) & in parte qui dem superiori est limbus Patrum, qui etiam dicitur sinus Abraæ. Sinus quidem, quia quies ibi erat Abraæ, aut quia non nisi per fidem charitate informatam ibant ad illum locum animæ, cuius fidei, scilicet, de vno Deo, primus publicus prædicator, & protestator fuit Abraam, declinantibus alijs ad idolatriam. Limbus iste fuit locus Sanctorum Patrum, à creatione mũdi vsq, ad mortẽ Christi, vel Resurrectionem, ad quem locum de purgatorio ascendebãt tunc tẽporis illæ animę, quę post hanc vitam indiguissent purgatione. Et ad istum locum descendit anima Christi diuinitate sociata, quando in Cruce expirauit, & sic in symbolo dicitur descendisse ad infernum, & tunc eos beatificauit educens inde in sua Resurrectione. Non autem alia loca inferni visitauit, nec ab eis visus fuit, nec eos eduxit. Erat autem ibi, in limbo illo, etsi non pœna ignis, tamen pœna damni, scilicet de retardatione gloriæ, quam expectabant,

Apoc. 5.

quæ

quę aliqualiter affligebat eos, quamuis enim purgati essent à peccato originali, in quantum ipsum peccatum inficiebat personas eorum, tum quia nondum erat natura humana purgata ab ipso originali, quæ purgata fuit in genere, & vt in causa per passionem Christi, soluentis Adæ debitum, & ideo detinebantur illi parentes in tali loco, & pœna. Vnde Ecclesia in hymno. Soluit à pœna miseros &c. scilicet Christus. In limbo autem paruulorum quamuis non videatur Deus, tamen de priuatione talis visionis pœnam non habent, cùm tales paruuli migrant à corpore, imprimuntur, seu concreantur in intellectibus eorum species rerum naturalium, sicut & omnibus alijs animabus de corpore egredientibus, quæ dicitur scientia indita, ad quas species seu similitudines rerum intellectus se conuertens meliùs intelligit, quæ naturali cognitione cognosci possunt, quàm aliquis Philosophus mundi, & sic in speculatione rerum possunt animæ talium paruulorum valde delectari, quod facere non possunt damnati, quamuis habeant talem scientiam, quia absorbentur à pœnis. Resurgent autem & ipsi paruuli in vltima Resurrectione, sicut & alij cum corporibus suis proprijs illius staturæ, quam habuissent in 33. anno si vixissent, non habituri nec pœnam, nec gloriam. Sed in quo loco habitaturi nouit Deus. Animæ autẽ ipsorum paruulorum iuuari nõ possunt, vel liberari à tali statu suffragijs nostris quod trahi potest ex verbis Augustini. qui loquens de suffragijs, quæ fiunt pro defunctis, sic dicit. His solis hæc prosunt, quibus cùm viuerent, hæc sibi vt postea possent pro desse meruerunt, 13. q. 2. c. tempus. Sed clarum est quòd tales in vita nihil meruerunt.

De quæstione vtrùm Virgo MARIA fuit concepta in peccato originali. Capitul. II.

ET quia de peccato originali facta est mentio, hic incidenter ponatur materia, seu quæstio, de qua quotidie à curiosis disputatur, & infructuosè, scilicet de conceptu Virginis gloriosæ ponendo ea, quæ senserunt Doctores tam antiqui, quàm moderni, ad hoc dimittendo determinationem sanctæ Ecclesiæ, quamuis enim non sit determinatum per Ecclesiam, Virginem esse conceptam in peccato originali, vel non, propter quod absque præiudicio salutis licet vnicuique tenere alteram opinionem, quæ sibi placeat. Tamen si benè considerentur Scripturæ & dicta doctorum antiquorum, & modernorum, qui fuerunt deuotissimi Virgini gloriosę, manifestè patet ex verbis eorum, ipsam in peccato originali conceptam fuisse. Sed tenentes contrariam opinionem exeorquent dicta eorum contra intentionem dicentium. Et primò ostendit hoc Apostolus ad Roman. 3. vbi dicit: *Quòd omnes in Adam peccauerunt, & egent gloria Dei*, & nullum excipit nisi Christum, vt patet ex eo, quod sequitur, & in Gloss. ibidem. Dicitur etiam Iob. 3. *Expectet lucem, & non videat, nec ortum surgentis auroræ.* Vbi loquitur Propheta de nocte, quæ designat originalem culpam, quæ nullo modo vidit lucem, id est, Christum, quia solus ipse sine originali peccato conceptus. Aurora verò Virgo MARIA, cuius ortum ipsa nox culpæ originalis non vidit, quia ante fuit sanctificata, & à peccato originali mundata, quã nata in mundo. Sic exposuit beatus Thom. in 3. parte q. 23. Eccles. etiam 7. dicit. *Virum de mille vnum reperi, mulierem autem nullam inueni.* Vir ille fuit Christus, numerus autem millenarius ponitur iuxta morem Scripturæ determinatus pro indeterminato, id est, pro omni cętu sanctorum, inter quos solus Christus repertus est sine peccato aliquo, non aliqua mulier. Ita exponit dominus Ioann. Dominici super Eccles. vbi etiam per multa originalia Sanctorum antiquorum, & rationes probat propositum. Psalm. 45. etiam ait. *Sanctificauit tabernaculum suum altissimus.* Doctores etiam sancti, & quorum doctrina approbata est ab Ecclesia, hoc clarè dicunt. Dicit enim Augustin. in libr. de perfectione iustitiæ. Quisquis fuisse, vel esse in hac vita aliquem hominem, vel aliquos homines putat, excepto vno mediatore Dei, & hominum, quibus non fuerit necessaria remissio peccatorum, contrarius est diuinæ Scripturæ. Vbi Apostolus ait: Roman. 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes pertransijt, in quo peccauerunt*: & necesse est, vt in pia contentione asserat, posse esse homines, qui sine mediatore Christo liberante, & saluante sint liberi, saluique à peccato. Idem in libr. de nuptijs & concupiscentia sic ait. Sine carnis concupiscentia, quæ accidit ex peccato, concipi voluit, qui futurus erat sine peccato, vt hinc etiam doceret omnem, quæ de concubitu nascitur, carnem esse peccati quandoquidem sola, quæ non inde nata est, non fuit caro peccati. Item Gregor. 11. moral. cap. vltim. Sic dicit. Solus Redemptor in carne sua verè mundus extitit, quia nec per carnalem delectationem venit. Idem in Gloss. super Exod. ait. Omnes in peccatis nati sumus, & ex carnis delectatione concepti culpam originalem nobiscum traximus. Item Leo Papa in Sermon. de Natiuit. Sicut à reatu nullum Dominus liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit. Item Ambros. super Lucam. Solus ex natis de fœmina sanctus Dominus Iesus, qui terrenæ contagia cor-

Roma. 3.
Iob 3.
Eccl. 7.
Psal. 45.
Rom. 5.

corruptelæ immaculati partus nouitatem nõ A
sensit, & cœlesti maiestate depulit. Item Hilarius, cuius testimonium inducit Augustin. contra Iulianum. Ex peccato est omnis caro præter illam, quæ venit in similitudinem carnis peccati sine peccato. Item August. in 2. lib. contra Iulian. Propter Chatolicam veritatem, & diuinorum eloquiorũ pertractionem, clarissimi Sacerdotes Hireneus, Cyprianus, Olimpius, Hilarius, Ambrosius, Gregorius, scilicet, Naziãzenus, immo, & Basilius, quibus addi, velis, nolis Hier. vt eos omittã, qui nõdum dormierunt aduersùm nos, præferunt omnium hominum peccato originali obnoxiam sententiam. Item Anse. in lib. Cur Deus homo, dicit ita expressè, quòd glossari B
non potest, dicit enim. Licèt ipsa hominis Christi conceptio sit munda, & absque carnalis delectationis peccato, Virgo tamen ipsa in iniquitatibus concepta est, & in peccatis concepit eam mater eius, Bern. quoque, qui deuotiùs, & copiosiùs cæteris de Virgine scripsit, expressè hoc dicit in quadam Epistola, & in sermon. de Assum. sic ait. Beatam Virginem omnimodis constat ab originali contagio sola Dei gratia, antequã naceretur, fuisse mundatam, &c. S. Thom. cuius etiam doctrina est approbata ab Ecclesia in 3. par. q. 27. & in 3. sen. idem sentit, & probat di quòd si nunquam anima Beatæ MARIÆ fuisset contagio peccati maculata, hoc derogaret dignitati Christi, secundùm quam est vniuersalis Saluator omnium, & Redemptor. Tunc C
enim esset aliqua persona, quam non redemisset, scilicet, ipsa Virgo, nec debet tantũ honorari mater, quòd dehonoretur filius, derogando suæ dignitati, quia nec Virgini placet talis honor. Alber. magnus super 3. sent. ait, quòd dicere quòd B. Virgo non fuerat concepta in peccato originali, fuit condẽnatum tanquam erroneum à Magist. Parisiens. Magister quoque sen. in 3. lib. dist. 30. per totum, nullum excludit à peccato originali, præter Christum. Et idẽ in 3. dist. 3. In decretis quoque de conse. dis. 4. c. 3. dicitur. Firmissimè tene, & nullatenus dubites, omnem D
hominem, qui per concubitum maris, & fœminæ concipitur, nasci cum peccato originali. Et loquitur de natiuitate in vtero, id est, cõceptione. Et Hugo, & Ray. & Guil. Canonistę dicũt, eam conceptam in peccato originali. Potiores etiã Doct. idẽ dicunt, declarãtes particulariùs materiã. Vnde, & Petrus de Tharan. ordi. Prẹd. qui fuit Papa, scilicet, Innocentius V. super 3. sent. dist. 3. sic dicit. Quantò quis magis accedit ad sanctum sanctorum, tantò debet habere maiorem sanctificationis gradum. Non est enim accessus ad Deum, nisi per sanctificationem. Mater verò plus omnibus accedit ad filium, qui est sanctus sanctorum, ergo debuit gradum sanctificationis habere maiorem post filium. Gradus autem sanctificationis quadruplicitèr potest intelligi, aut quòd sanctitatem quis habeat ante conceptum, & ortum, aut post conceptum, & ortum, aut in ipso conceptu, & ortu, aut in ortu, non conceptu. Nam quòd in conceptu, & non in ortu est impossibile. Primus gradus non est possibilis, quia personalis perfectio, vt scientia, & virtus non transfunduntur à parentibus, tum quia in filios non potest fieri esse gratiæ, ante actuale esse naturæ, super quo fundatur. Secundus gradus communis est omnibus secundùm communem legem sanctificationis per sacramenta. Tertius gradus est singularis Sancti sanctorum, de quo solo fuit simul ortus, sanctificatio, conceptio, animatio, & assumptio. Restat igitur quartus gradus, & hic habet quatuor gradus, quia potest intelligi fœtus, in vtero sanctificatus, aut ante animationem, aut in ipsa animatione, aut citò post animationem, aut diu post animationem. Primus gradus impossibilis est, quia secundùm Dionysium de diuinis. no. sanctitas est ab omni immunditia libera, & perfecta, & immaculata. Immunditia verò culpæ non expellitur, nisi per gratiam gratum facientem, sicut tenebra per lucem, cuius subiectum non est, nisi creatura rationalis. Secundus gradus non fuit conueniens Beatæ Virgini, quia aut non contraxisset originale, & sic non indiguisset vniuersali sanctificatione Christi, & Redemptione, aut si contraxisset, simul culpa, & gratia in ea posset esse. Tertius etiam gradus non fuit conueniens Beatæ Virgini, quia fuit talis, vt Ioannis, & Hierem. & quia non conuenit tantæ sanctitati, vt diu morata sit in peccato. Quartus verò, videtur conueniens, & piè credibilis, licèt de scriptura non habeatur, vt citò post animationem, vel in ipso die, vel hora, quam uis non ipso momento sanctificata fuerit. Hæc ille. Quam opinionem sequitur Hereueus, Henricus de Gandauo, Durandus, Durandellus, Ioannes Neapolitanus, & alij solemnes Doctores Ordinis Prædicatorum. Multi etiam excellentissimi Ordinis Minorum. Idem dicunt, & præcipuè deuotissimus super omnes Bonauentura, qui postea fuit Cardinalis, sicut dicit super 3. sentent. distint. 3. quæst. 2. Sanctificatio Virginis subsecuta est peccati originalis contractionem, quia nullus immunis fuit à culpa originalis peccati, nisi solus filius Virginis, sicut dicit, Apostolus ad Romanos 3. *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei, & cætera*. Hic autem dicendi modus est communior, rationabilior & securior. Communior, quia omnes fere id tenent, quòd Beata Virgo habuerit originale, cùm id appareat ex multiplici eius pœnalitate, quam non est *Roma. 3.*

dicere, ipsam esse passam propter aliorum re
demptionem, quàm etiam non est dicere per
assumptionem habuisse, sed per contractio-
nem. Rationabilior est etiã, quia esse naturæ
præcedit esse gratiæ, vel tempore, vel natura
Et propter hoc dicit Augustꝰ. quòd prius est
nasci quàm renasci, sicut est esse, quàm benè
esse. Igitur prius est, animã vniri carni, quàm
gratiam Dei sibi infundi. Sic igitur caro illa
infecta fuit, & ex sua infectione nata erat ani
mam culpa originali inficere. Necessarium
igitur est, quòd ante fuit culpæ originalis in
fectio, quàm sanctificatio. Securior est, quia
magis consonum fidei, & pietati, & sancto-
rum auctoritatibus magis concordat, pro eo
quòd sancti communiter cùm de ista materia
loquuntur, solum Christum excipiunt ab illa
generalitate, qua dicitur, omnes peccauerũt
in Adam. Nullus autem inuenitur dixisse de
his, quæ audiuimus auribus nostris, Virgi-
nem MARIAM ab originali fuisse immu-
nem. Pietati etiam fidei magis concordat
pro eo quòd si mater habenda sit in reueren-
tia, & deuotione, multò maior est habenda
erga filium, ex quo est omnis honor & gloria.
Et ideo quia hoc spectat ad excellentem
Christi dignitatem, quia ipse est omnium
Redemptor, & Saluator, quia ipse vnus pro
omnibus est mortuus, nullatenus ab hac ge-
neralitate Virgo MARIA excludenda est,
ne dum matris excellẽtia ampliatur, filij glo
ria minuatur, & sic mater prouocetur, quæ
filium vult magis honorari, quàm seipsam.
Huic igitur opinioni adhærentes, propter
honorem Iesu Christi, quia in nullo præiu-
dicat matris honori, teneamus secundùm,
quod communis opinio tenet, scilicet Vir-
ginis sanctificationem fuisse post peccati ori
ginalis contractionem. Hæc ille, quam opi-
nionem sequuntur Richard. de media villa
super 3. senten. Alexandr. de Hal. Rigal. &
Bertran. in sermonibus de Prophetis in ser.
Egredietur virga, &c. Omnes hi ordinis Mi
norum solemnes Doctores, idem dicunt. Egi
dius ordinis Heremitarum Doctor excellen-
tissimus in suo quodlibeto sexto. Idem Gui-
do ordinis Carmelitarum in suo 3. quodlibe-
to. Idem Magister Ioannes de Polieratis,
qui omnes inducunt auctoritatem Apostoli
Romã. 3. ad Roman. 3. *Omnes peccauerunt, &c.* Et
assignant rationes suas. Quidam alij dicunt,
non fuisse conceptã in peccato originali Vir
ginem ipsam, & præcipuè Ioann. Scot. ordi-
nis Minorum Doctor subtilissimus, & pro
sua opinione allegant auctoritates, & assi-
Canti. 3. gnant rationes. Et primò illud Cantic. 4. *To-
ta pulchra es amica mea, & macula non est in
te.* Exponunt de Virgine dicentes ex hoc,
quòd non fuit macula peccati in ea, ergo nec
originalis. Secundò, inducunt illud Augustꝰ.
Cùm de peccatis agitur, propter honorem
Domini nullam prorsus de ea (scilicet Vir-
gine) volo habere mentionem. Tertiò, il-
lud Anselm. Decuit, vt ea puritate niteret,
(scilicet Virgo MARIA,) qua maior sub
Deo nequeat inueniri. Quarto id ostendunt
per hanc rationem, quia ordinans vas ad ser-
uitium altaris, conseruat ipsum à maculis,
hoc enim est valde decens, sed Virgo fuit
vas Deitatis: ergo decuit vt præseruaretur
etiam à macula originalis. Quintò sic. De-
cuit, quòd Christus eam singulari, & nobiliori
modo redimeret, & liberaret, quàm alios,
sed hoc fuit, si sine peccato concepta fuit.
Decuit enim magis honorare eam, quia ma-
ter eius, quàm cæteros. Sed nobiliùs, & me-
liùs liberatur, & redimitur, cui prouidetur,
ne cadat, & in seruitutem incurrat, quàm vt
lapsus erigatur, & factus seruus redimatur:
ergo, &c. Sextò sic, Ecclesia errare non po-
test, sed ipsa celebrat festum Conceptionis
octauo die Decembris, ergo, &c. Ad ratio-
nes in contrarium inductas sic respondet.
Primò ad illud, quòd omnes in Adam pecca
uerunt, & quòd omnes geniti ex Adam ori-
ginale contraxerunt, dicunt quòd Sancti,
quando loquebantur omnes contraxisse ori-
ginale, loquebantur in communi de filijs Adę
secundùm communem cursum, sed cùm lo-
cuti sunt de Virgine in singulari, dixerũt op
positum, vt in auctoritatibus inductis Au-
gust. & Anselm. patet. Dicunt etiam, quòd
vbicũnque ponitur solùm, vel tantùm ani-
ma Christi, intelligitur etiam anima Virgi-
nis, quia partus est pars viscerum. Alij eorũ
dicunt, quòd omnes ex Adã contrahunt ori-
ginale de iure, & ex debito, & sic etiam Virgo, sed de facto ipsa non contraxit, in hoc
priuilegiata, & exempta à iure communi. Se
cundò, ad illud, quod dicit alia opinio, scili-
cet, quòd sequeretur, quòd Christus non es-
set vniuersalis omnium Redemptor. Respon
dẽt, quòd non sequitur ex ista positione hoc,
quia redempta est, & saluata per præseruatio
nem ab originali, ne incurreret. Ad illud
Ber. quia glossari non potest, dicunt quidam
simplices, quòd in visione ei apparuit cum
macula in pectore, eò quòd hoc dixerat, vel
quia retractauit. Inducunt etiam reuelatio-
nes super hoc quarundam mulierc ularum.
Sed ad omnia ista faciliter respondetur clarè,
non extortè. Ad primum, quòd illa auctori-
tas Canticorum intelligitur de Ecclesia pro-
priè, transumptiuè autem dicitur de Virgi-
ne postquã fuerat sanctificata. Vnde in Assũ
ptione eius canitur. Hæc Durandellus. Ad se
secundũ secundũ Tho. & Dura. dicitur, quòd
ibi loquitur Aug. de peccatis actualibus, vt
clarè patet ex præcedẽtibus, & sequẽtibus il-
lius libri, & ex auctoritate Ioa. in Cano. quã
immediatè Anselm. inducit. Si dixerimus,
quia peccatum non habemus, &c. In hoc

au-

autem omnes Doctores concordant, ipsam Virginem solam inter adultos fuisse etiam à veniali immunem. Ad tertiũ dicit Ioan. Neapol. quod illud Anselmi est magis pro, quã contra, decuit enim, vt puritas matris esset sub puritate Christi Dei, quia nõ cõtraxit originale, nec commisit actuale, & hoc fit per hoc quòd mater actuale nullũ cõmisit, sed originale contraxit. Si autem nõ contraxisset originale, iam puritas eius æquaretur puritati Christi, nec esset sub ea. Nec valet instãtia de Angelis bonis, quia in eis non potest esse peccatũ originale contractum, eò quòd vnus ab alio nõ originatur, sed omnes immediatè creaturã Deo. Vel aliter, & meliùs: sicut nõ refert ad hoc, quòd aer possit dici magis lucidus, an quandoque fuerit tenebrosus, vel non. Aer enim, qui plus habet de luce magis est lucidus licet aliquando tenebrosus fuerit. Sic in proposito. Cùm spiritualis puritas sit per carentiam impuritatis culpæ, quam puritatem causat lux gratiæ Dei. Virgo, quæ plus habuit de luce gratiæ, quàm quæcũque alia creatura pura, debet dici, quòd enituit maiori puritate, quàm creatura quæcũque, dato, quòd fuerit quãdoque subiecta culpæ originali. Sicut etiam potest dici magis album, quod aliquãdo fuit nigrũ. Ad quartum, sic respondeatur quòd decuit Virginem non concipi cũ originali, quia (vt dicit Ioan. Neap.) non decuit, vt cõceptio naturalis cuiuscunque hominis, etiã matris Virginis æquaretur quantùm in immunitate à culpa originali, supernaturali cõceptioni Christi. Herueus autem in quolibetis dicit, quòd idem est decentius omnibus fieri, quòd magis in honorẽ Dei cedit; magis autem cedit in honorem Dei, totam humanã naturam descẽdentẽ ab Adã per generationẽ indigere redemptione facta per Christũ, inducendo Virginẽ, quã aliquã personã nõ indigere, vt Virginẽ. Quamuis enim & istud cedat in honorẽ filij, scilicet puritas talis matris, primũ tamen magis. Ratio est, quia illud pertinet ad honorẽ Christi, vt Deus, scilicet generalis influentia eius redemptionis, hæc enim fuit, quia diuina persona fuit incarnata. Puritas autem prædicta matris pertinet ad honorem eius inquantum homo, quia licèt sit mater Dei, non tamen secundùm, quod est Deus sed in quantum homo, ergo, &c. Sed dicetur, quòd per talem immunitatem ab originali non tollitur, quin fuerit redempta per præseruationem, seu meritum præacceptũ, quod quinto dicebatur. Respõsio per Ioan. Neap. & alios, quòd redemptio, seu salus non est nisi existentis. Sicut enim nihil propriè habet esse cum est in causa solùm, nisi habeat esse in seipso. Sic nec propriè potest dici redemptus vel saluatus, existens sub spirituali seruitute, quæ est per culpam, solùm in suis parentibus & non in propria persona. Quantumcunque ergo Virgo fuisset ab originali peccato præseruata, nõ posset dici redempta & saluata, nisi quandoque fuisset subiecta peccato, non solùm in persona parentum, sed propria. Ratio est secundùm ipsum, & Ioan. de Policr. Redemptio, & saluatio, importat quandam mutationem, & transitum de peccato ad gratiã. Res enim, quæ aliquando fuit mea, & postea non est, dicitur redimi, sed res, quæ nunquam fuit mea, dicitur emi. Res autem, quæ semper fuit, & est mea, quæ non potest dici emi, neque redimi. Si ergo Virgo Beata nulli vnquam peccato subdita fuit, ergo semper fuit Dei, & sic non fuit redempta. Et idem de saluatione, quia præsupponit casum, seu infirmitatem peccati. Et quamuis Deus de potẽtia absoluta potuerit facere ipsam originale non contraxisse. Est enim originale peccatũ carentia originalis iustitiæ determinatè volũtaria voluntate primi parentis. Posset autem Deus excipere à tali debito quãcunque concipiendum, tamen non decuit, quod pertinet ad potẽtiã ordinatã, qua voluit honorare matrẽ ratione iam dicta. Et (vt etiã dicit Egid.) qui supra. Aliquid est laudabile in inferiori, quod non est laudabile in superiori, Christo non est laudabile, quòd esset conceptus in originali, est tamen laudabile in Virgine matre, non quia originale contraxit, sed quia facta est membrum Christi ab ipso redempta. Dicit etiam August. de baptismo paruulorum, quòd nullum membrum Christi fuit sine peccato. Si ergo dicatur Virgo non contraxisse originale, sic non erit membrum Christi, quod est in dedecus eius. Immo secundùm Rich. ordinis Minorum hoc derogat matri, & filio. Matri Virgini, quia eius priuilegium est, quòd sola sine peccato concepit. Derogat & filio, qui solus est immunis ab omni labe etiam originali. Et per hoc patet, eos non sufficienter respondere. Ad id, quod primi dicunt de redemptione, & saluatione, dictum est supra ibi, secundò ad illud, quod dicit. Ad sextum, scilicet, de festo Conceptionis, respondet beatus Thom. in 3. part. vbi supra quòd Ecclesia Romana non facit illud, cùm nunquam reperiatur institutum. Immo Bernardus in Epistola ad Lugdunenses dicit, non debere fieri. Tolerat autem hoc fieri ab aliquibus Ecclesijs, referendo hoc ad tempus sanctificationis, quod quia ignotum est, quando fuerit, fit festum de ipsa sanctificatione, die qua dicitur esse concepta, vel secundùm Ioannem Neapolit. potest dici, quòd tale festum non est festum conceptionis eius, vt illi dicunt, cùm fiat per nouem menses ante eius Natiuitatẽ, qua die nõ dum anima erat infusa, quæ est subiectũ sanctitatis. Sed magis est festum gratiarum actionũ, sicut in veteri lege erat festũ Epiphaniæ, in quo nulla sanctitas fuit noua collata, sed

Ecclesia regratiatur de beneficijs, & sic in propositio. Ad rationes autem, & auctoritates non sufficienter respondet. Nam prima responsio non valet, scilicet, quòd Doctores loquantur in communi, & secundùm communem cursum, non intendèdo de Virgine illud dicere, quia qui totum dicit, nihil excludit, & qui omnè dicit, nullum excipit, & qui nullum dicit, omne excipit: sed in prædictis auctoritatibus non dicitur indefinitè, sed vniuersaliter omnè ab Adam propagatum, vniuersaliter culpam incurrere originalem, ergo Sancti nullum intendunt excipere, etiam V. MARIAM, cùm ipsa exprimatur in aliquibus auctoritatibus, hic, & alibi. Philosophi autem, & sancti loquentes de aliqua materia in communi, tractant illam materiam cõmuniter loquendo indefinitè, & non vniuersaliter, si ea, quę dicũt in illa materia in cõmuni, in aliquo singulari exceptionem habeant. Ad illud aliud, quòd cùm dicitur, quòd solùm de Christo, & de Matre intelligatur, nulla ratio cogit hęc dicere, immo plures expressę auctoritates Augustin. excludunt Christum ab originali, & includunt matrem. Nec enim est tanta vnio Christi, & matris, quanta personarũ diuinarum, vt sicut diximus, quòd cùm dicitur aliquid de vna persona, etiam cum dictione exclusiua pertinens ad substantiam, illud intelligendum est, & de alia. Sicut cùm dicit Christus, Ma. 11. *Nemo nouit patrem, nisi filius, &c.* Non excluditur Spiritus Sanctus. Ita etiam oporteat dicere de Virgine, quod dicitur de Christo, cũ sine cõparatione filius fuerit maioris sanctitatis, etiam in quantùm homo. Ad illud aliud, quòd etsi de iure, & debito contraxit, non tamen de facto, quia priuilegiata. Respõdet Ioa. de Policratis, quòd priuilegium subreptitiũ reputatur, & igitur vitandum, quod est contra tenorem Cõcilij, nec de hoc facit aliquam mẽtionem, sed nullum priuilegium legitur in Scripturis pertinens ad Virginem, quod de lege communi de ea faciat mentionem. Item priuilegium secũdùm iura, debet esse expressiuum, vnde cùm in sanctificatione etiam in vtero sit priuilegium, nõ creditur de aliquo esse satisfactum, nisi istud habeatur clarè in Scriptura, vt de Ierem. & Ioan. Et multò magis videtur hoc dicendum de immunitate à culpa originali cùm illud sit maius, & tamen nil expressè reperitur in Scriptura de isto priuilegio, sed cõtrarium, ergo &c. Ad illud de reuelatione, & de visione Ber. &c. dicit Ioan. Neapoli, quòd sunt visiones phantasticę, quod non est credẽdum. Et si dicitur, aliquas sanctas habuisse reuelationem de huiusmodi, vt sancta Brigida. Sciendũ quòd aliæ sanctæ, quæ claruerunt miraculis, vt B. Catharina de Senis, habuerunt reuelationem de contrario, & cùm etiã veri Prophetę aliquando putent, se ex reuelatione Spiritus sancti aliqua habere, quæ ex se dicunt, non est inconueniens dicere, quòd tales reuelationes non fuerunt à Deo, sed somnia humana. Exemplum in Nathan Propheta, loquente ad Dauid, 2. Reg. 7. qui credebat ex spiritu prophetiæ respondisse Dauid, & tamen non sic erat, vt postea patuit. Concluso ue circa istam materiam sic: vni istarum opinionum debet homo inhærere, & potiùs primæ rationibus dictis quòd paratus sit tenere cõtrariũ, si Ecclesia cõtrarium determinatur, & ante determinationem non iudicet hæreticum, vel impium & malum alteram tenentẽ quæcũque sit, & caueat à prædicatione huius materiæ coram populis cum impugnatione alterius partis, quia materia scandalosa in populo, cùm velut noctuæ non possint sufferre tantum radium veritatis, & nil fructus reportauerit. Et modus pulcher traditur ex quadam prædicatione Magistri, & Sancti Vincentij exim. Prædicatoris, quæ hìc immediatè ponitur.

A B C D

Matt. 11

De Conceptione Virginis MARIÆ per modum prædicationis. Capit. 3.

Prou. 8. *Ps.* 35. *Rom.* 11. *Genes.* 1.

Ondum erant abyssi, & ego iam concepta eram. Pro. 8. Abyssus importat quãdam voraginem, seu profunditatem, cuius terminus non inuenitur. Et sic Psalm. 35. dicit: *Iudicia tua abyssus multa*, quia scilicet, comprehendi non possunt, iuxta illud Apostoli ad Rom. 11. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius!* Aliquando etiam importat abyssus confusionem, & indecorem, & hoc ex eius deriuatione, dicitur enim ab à, quod est sine, & à byssus, quæ (secundùm Bedam) est genus lini candidissimi, & pulchri, & sic sumitur ibi, Gen. 1. *Tenebræ erant super faciem abyssi.* Dicitur enim abyssus materia ista prima informis, & confusa; vnde & indecora. Abyssi etiam dici possunt Scripturæ sacræ, propter profunditatem interminalem sensus earum, ac etiam Apostoli, propter maximã notitiam, seu sapientiã, & dilectionem eorum. Secundùm autem vtramque primam acceptionem, creaturę omnes dici possũt abyssi. Nam in se cõsideratę habent quandam profunditatem virtutis à Deo, vt nec maximi Philosophi potuerint completè intelligere, naturam & proprietatem cuiuscunque minimæ ex eis, sed respectu perfectionis diuinæ, omnes etiam maximæ habent quandam confusionem, & turpitudinem. Est ergo sensus thematis, quòd antequam essent creaturæ factæ, quæ dicuntur abyssi, Virgo MARIA erat concepta. Sed subitò quicumque etiam rudis mouebit quæstionem, dicens. Cùm Virgo Sanctissima sit concepta de Anna, quo-

quomodo Anna, quæ creatura est, potuit concipere, si nondum erat, sicut nec alia creatura? Sed ad hoc respondetur per distinctionem quadruplicis conceptionis. Est enim eius cõceptio in intellectu diuinali. Est eius conceptio in mente Angelicali. Est eius conceptio in Scriptura speciali. Est eius conceptio in vtero materiali.

De prima loquitur thema, non solùm enim ab æterno concepta fuit diuina sapientia, scilicet, filius à patre, sed & Virgo MARIA non quidem eo modo, quo filius a patre, scilicet, de substantia sua, sed per præordinationem æternam. Exemplum sume in operibus humanis. Quando enim aliquis vult aliquid boni, vel mali facere, tunc dicit, istud fiet à me, quia sic concepi in corde meo, sicut quando peccator imaginatur dimittere malam vitam, & benè facere deinceps, tunc concipit peccator. Vnde Esai. 26. dicitur. *A facie tua Domine concepimus, & quasi parturiuimus & peperimus spiritum salutis.* A facie, dicit Domini, id est, ab aspectu, quo respicit Dominus peccatorem oculo misericordiæ, faciens eum recognoscere mala sua. Cùm enim homo perseuerat in malis, Deo dicitur auertere faciem suam ab eo, & merito, quia & ipse peccator vertit ei tergum, & non faciem, scilicet, rationis, propter quod & peccatum dicitur esse auersio ab incõmutabili bono. Sed cùm Deus illustrat cor, conuertit se peccator ad Deum, tunc cõcipit desiderium boni, & proponit se emendare, & cùm hoc tractat agere, tunc parturit, quia laborat in his faciendis. Postquàm autem executus est, peperit, & masculũ, cũ opus est rectè factum, vt restitutionis, confessionis, orationis, & huiusmodi, & tũc iam nõ meminit pressuræ propter gaudium, quia inde cõsequitur spiritum salutis, id est, gratiã spiritus eum saluantem. Sic igitur patet, quòd priusquã homo aliquid faciat, illud mẽte cõcipit, mente decernendo, ita Deus in mẽte sua ab æterno concipit, ideſt, proposuit mundũ facere, & hominẽ in maxima dignitate. Et prœuidẽs, hominem debere ruere à tanta dignitate, cõcepit etiam in mente sua antè creationẽ mundi, & præordinauit vnã Virginẽ facere, per quam homo recuperaret dignitatẽ suã, immo & maiorem priori consequeretur, vnionẽ scilicet, verbi, cum humana natura. Et sic intelligitur hoc thema. *Nõdũ erat abyssi*, id est creaturæ, *& ego iam cõcepta erã* scilicet, in mẽte diuina, vt suo tẽpore in mũdo fierẽ, & in actuali existẽtia. Et sciebat Deus quòd vna mulier erat futura in mundo, scilicet Eua, ex qua eueniret omne malum in mũdo. Ita concepit; & præordinauit, quòd alia deberet venire, scilicet, B. MARIA, ex qua totũ malũ auferretur. Sicut etiã præsciebat, quod Eua prima mater, & sponsa esset, & Virgo, scilicet, dũ fuit in paradiso, ita concepit & ordinauit, quòd B. MARIA despõsata esset, & Virgo semper intacta, mater viuificatrix cũctorum. Et sicut fuit Eua visitata per Angelũ malũ, qui eam decepit, & mortẽ intulit, ita MARIA visitata per Angelũ bonum, qui ei vitã nuntiauit. Et sicut euacuata fuit gratia, cũ de fructu accepit & comedit, ità MARIA gratia repleta, quãdo fructũ in ventrẽ recepit Verbi Diuini. Et sicut fructus, quẽ posuit in ventrẽ Eua, occidit multos, ita fructus quẽ in vẽtrẽ recepit MARIA, viuificauit electos, & viuificat quotidie comedẽtes deuotè, cũ in Sacramẽto ministratur populo, ideo dicitur benedictus fructus ventris tui, quia per ipsam benedicti sumus, sicut per fructum, quẽ porrexit Eua viro ad esum, fuimus omnes maledicti. Paradisi porta demũ per Euã cunctis clausa est, sed per B. Virginẽ iterũ patefacta est, vt canit Eccles. Et sicut Rex dũ mittit ad prælium milites suos, quia vt sapiẽs cognoscit, quòd multi ibi vulnerantur, mittit etiã medicum ad curandum. Ita Deus sapientissimus prœsciens nos habituros cõtinuum certamen cum dæmonibus, & sæpè ab eis vulneribus peccatorũ damnificari, concepit in mẽte sua, & disposuit mundo mittere medicam, scilicet, B. Virginẽ. Vnde & deuotus Bern. dicit de ea, quòd de plenitudine eius omnes recipiunt, æger curationem, tristis cõsolationẽ, peccator veniã, iustus gratiam. Et de ipsa Virgine MARIA potest intelligi illud Eccles. 36. *Vbi non est mulier, ingemiscit æger aliàs egens.* Nam contra vulnus superbiæ ponit ipsa exemplo vitæ suæ, ligaturam, seu emplastrum humilitatis ad curandum. Contra vulnus auaritiæ emplastrum liberalitatis, cùm aurum sibi oblatum à Magis non reseruauit pro futuris necessitatibus sed pauperibus erogauit secundùm Bernard. Contra vulnus luxuriæ remedium castitatis cùm votum fecerit secundùm August. perpetuæ virginitatis, vt 27. quæst. 2. cap. Beata MARIA, & sic discurrendo per alia. Permaximè autem placuit, & à Deo electa fuit, vt Mater Dei esset propter humilitatem. Sicut expulsa de Paradiso Eua cum viro, & omni progenie propter superbiam, & hoc est quod ipsa dicit in Epistola. *Dominus possedit me ab initio viarum suarum.* Viæ Dei sunt virtutes, quibus nos imus ad Deum, initium virtutum est humilitas, vnde & fundamentum dicitur earum. Secunda conceptio, scilicet, Angelicalis fuit non ab æterno, sed in principio mundi ante creationem aliarum rerum. Nam cùm Dominus Deus creauit Angelos, qui signantur nomine cœli, cùm dicitur. *In principio creauit cœlum, & terram*, (secundùm Augustinum,) tunc etiam concreauit, seu indidit in mentibus eorum species, seu similitudines omnium creaturarum, quæ in sex diebus re-

referuntur factæ, quasi quædam semina ad concipiendum intellectum. Ipsa ergo factio rerum significat (secundùm Augustin.) infusionem illarum specierum intelligibilium, & numerus successiuus dierum non importat ordinem temporis, sed dignitatis, nam in principio creationis eorum simul creatæ sunt omnes species rerum, non priùs vna, & postea alia prioritate temporis. Sed quia differentia magna dignitatis est inter ipsas creaturas, illa ideo dicitur primo die facta, quæ nobilior inuenitur in eis, & sic de alijs diebus. Dies signat cognitionem Angelicam rerum, quæ duplex est. Prima est cognitio naturalis, scilicet per conuersionem intellectus sui ad alias species concreatas, & illis mediantibus intelligunt res, sicut nos modò mediante phantasmate. Et dicitur hæc cognitio, vespertina. Secunda est cognitio supernaturalis, quam scilicet, habent cognitionem, conuertendo se ad Verbum æternum, in quo relucent ideæ omnium rerum, & inde concipiunt clariorem cognitionem rerum. Et hæc dicitur cognitio matutina, quæ perfectior est prima. Et sic dicitur *factum vespere, & mane dies vnus*, quia scilicet cognitio vna quoad cognita, id est, creata, sed duplex quoad modum cognoscendi, quia vel in speciebus sibi concreatis, vel in Verbo. Inter cætera autem Angeli Sancti aspicientes in Verbum, reuelatum, seu declaratum fuit eis mysterium Incarnationis cùm suis circunstantiis, & quòd ad reparandum lapsum hominis ordinaretur, & restaurandum ruinas eorum Dei Filius humanæ naturæ vniretur. Et Virgo hæc sanctissima mater eius esset. Et sic antequam essent abyssi, id est, creaturæ in sua distinctione, & vltima perfectione, ego, scilicet Virgo Dei Mater concepta eram, in intellectu Angelico per cognitionem. Et cum hoc cognouerunt magnum festum fecerunt in paradiso regratiantes Deo, & collaudantes eius misericordiam maximam pro reparatione fratrũ suorum, id est nostra, & restauratione sua; quoad lapsos Angelos. Vnde Iob 38 dicitur: *Vbi eras, cùm me laudarẽt astra matutina*, (id est Angeli,) *& iubilarẽt omnes Filij Dei*, ipsi scilicet Angeli summè exultantes de reparatione futura per filiũ huius Virginis benedictæ, & omnes offerebant ei famulari tempore suo. Si enim, vt dicitur Luc. 15. gaudium est in cœlis coram Angelis Dei, super vno peccatore pœnitentiam agente, quantum debuit esse super mediatrice peccatorum? &c. Tertia conceptio dicitur specialis. Sapientia frequenter nomine mulieris nuncupatur, præcipuè in libris sapientialibus. Vnde dicitur, Sapient. 8 *Hanc*, scilicet sapientiam *amaui, & exquisiui eam à iuuentute mea, & quæsiui mihi eam sponsam assumere*. Sapiẽtia autem super omnes alias doctrinas, maximè est in Scriptura sacra secundùm Thom. in prin. summæ suæ. Hæc autem est prægnans multis mysterijs, id est spiritualibus significationibus, quæ sunt multis occultæ. Cùm autem Doctor, vel Prædicator exponit quod latebat, tunc quasi parturit. Et inter cætera in hac muliere, scilicet sapientia Scripturæ, est ibi concepta, id est, occultè contenta ista beatissima Virgo, & frequentissimè de ea ibi fit mentio per metaphoras varias. Et sic antequam essent abyssi siue creaturæ, (vt dictum est completè,) siue Scripturæ, quæ dicuntur etiam abyssus propter profunditatem sensuum, antequam innotesceret earum profunditas, concepta eram, id est, ibi comprehensa, vt cùm dicitur. In principio creauit Deus cœlum & terram. In principio, scilicet noui testamenti, creauit (quoad animam) cœlum, Ioachim cœlum dictum propter affectũ cœlestẽ. Terram Annam sic dictã propter humilitatẽ. Terra autẽ erat inanis, & vacua, id est sterilis. Spiritus Domini ferebatur super aquas lachrymarũ ipsorũ de cõfusione sua. Tenebræ erãt super faciẽ abyssi, tenebræ vitiorũ super mundũ totũ. Dixit Deus, dãdo virtutẽ fœcũdatiuã Annæ, *fiat lux*, id est Virgo hæc beatissima, *& facta est lux*, ex Ioachim, & Anna, quoad corpus, à Deo, quoad animã. *Et diuisit lucem à tenebris*, purificans illam animam subitò ab originali. Hæc est etiam concepta, & figurata ibi in paradiso deliciarum, vbi erat *lignum vitæ, &c.* Hæc est ibi concepta, cùm Dominus dixit serpenti. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuũ, & semẽ illius, &c.* Hæc est mulier MARIA à Deo facta mater spiritualis cũctorum maximè inimica serpẽti antiquo, scilicet diabolo. Semen serpentis procedens ex interioribus voluntatis eius, est malitia eius, vnde generat in mentibus hominum vitia, & peccata. Semen mulieris huius Virginis, est bonitas, & benignitas eius, contraria semini diaboli. Contriuit ipsa caput serpẽtis sola, quia omnes suggestiones vitiorum subitò extinxit, nec concupiscentiam sensit religato in ea fomite, postea extincto, &c. Hæc etiam concepta est in Scriptura, quando Genes. 15. dictum fuit Abrahę *Generatione quarta reuertetur huc*, scilicet ad terram promissionis, quę significat vitam æternam. Semen Abrahę spirituale, sunt omnes viri fideles, vt ostendit Apostolus ad Galat 4. *Hi exules erant, & peregrini in terra non sua in Ægypto*, quæ interpretatur tenebræ, scilicet mundo *seruituti addicti Pharaonis*, iniqui, id est, diaboli. Sed quarta generatione, quę per MARIAM, seu in MARIA facta est, reuertũtur ad patriã propriam, scilicet supernæ gloriæ. Nã prima generatio secũdũ Anſ. hominis est, qua Adam factus est à Deo de limo, sine vi-

Iob 38.

Sap. 8.

Gene. 15.

Galat. 4.

ro, & muliere. Secunda est, qua formata est mulier ex viro. Tertia, qua communiter omnes generantur ex fœmina, & masculo. Quarta, alia ab his, scilicet, qua homo generatur de muliere sine viro, qua Christus formatus est ex Virgine, nec alius modus productionis hominis reperitur. Hæc conceptio est figurata in Arca Dei, in throno Salomonis, in virga Aaron, in porta Domini clausa, in vellere Gedeonis, & alijs innumeris. Quarta conceptio est in vtero maternali, quando, scilicet, Anna concepit eam. Et de hac aliqui faciunt festum; & hoc tribus rationibus. Prima, quia fuit congruenter impetrata. Secunda, quia fuit sublimiter sanctificata. Tertia, quia fuit firmiter benè operata. Quantùm ad primum sciendum, quòd cùm Anna, & Ioachim non haberent filios, quia steriles, & per multos annos transissent sine prole, orationibus, ieiunijs, & eleemosinis insistebant, vt impetrarent à Deo prolem, non diffidentes de liberalitate Dei, quia quod natura non valet gratia supplet. Votum etiam fecerunt offerendi prolem Deo in Templo. Diuidebant quoque suos redditus, vt legitur, in tres partes. Vnam, scilicet Templo, aliam pauperibus, tertiam sibi, & familiæ concedentes, & per huiusmodi continuata impetrarunt fecunditatem. Vbi ostenditur exemplo, hoc non displicere Deo, dummodo fiat sine superstitionibus, & eum conditione, si saluti suæ expediat. Apparuit ergo Angelus eis, & prænunciauit, quòd haberent filiam nomine MARIAM, &c. Vt habetur in legenda. Et sic antequam essent abyssi, id est, Apostoli, qui dicuntur abyssi, propter profunditatem cognitionis diuinorum, & dilectionis super omnes Sanctos. Vnde Dionysius Paulum appellat abyssum sapientiæ. Virgo concepta fuit in vtero maternali. Quantùm ad secundum notandum, tres fore sanctificationes. Prima, cùm puer egreditur ex vtero matris, & hæc fuit Hierem. iuxta illud eiusdem 1. *Antequam exieris de vulua, plenè, scilicet sanctificaui te.* Secunda est, quando proles est adhuc in vtero tota, vt Ioannes Baptista, qui in sexto mense fuit sanctificatus, quando, scilicet Virgo MARIA concepto Dei Filio, *salutauit Elisabeth.* Lucæ 1. Tertia est in puncto, quasi post creationem, & infusionem animæ. Formato enim corpore Virginis, concepto ex Anna, & Ioachim, non ex Spiritu Sancto, hoc enim dicere esset hæreticum, solus enim Christus hoc habuit. Creata anima Virginis a Deo, & infusa subitò sanctificata fuit eadem die. Fluminis impetus lætificat. Ciuit. Dei san. taber. suum altis. Quantùm ad tertiam rationem dico, quòd firmiter operata est bonum, & continuiter, quia nullum vnquam peccatum commisit, nec etiam veniale. Non sic fuit in alijs ab vtero sanctificatis; nam omnes venialiter peccauerunt.

Hierem. 1.

Lucæ 1.

Titulus XV. De dono pietatis. De pietatis eminentia, & dignitate. Capit. I.

DE dono pietatis videnda sunt tria. Eminentia dignitatis, existentia eius qualitatis, & permanentia æternitatis. Pro declaratione primi sciendum secundùm Thomam 2. 2. quæst. 121. articul. 1. quòd dona Spiritus Sancti sunt quædam habituales dispositiones animæ, quibus anima est promptè mobilis à Spiritus Sancto. Inter cæteras autem motiones, quæ sunt à Spiritu sancto, mouet Spiritus Sanctus ad hoc, quòd affectum quendam filialem habeamus ad Deum, vt Patrem secundùm illud Apostoli ad Roman. 8. *Accepistis Spiritum adoptionis Filiorum Dei, in quo clamamus Abba Pater.* Pietas ergo secundùm quod cultum, id est, reuerentiam exhibet Deo per instinctum Spiritus Sancti, est Donum Spiritus sancti. Potest autem considerari excellentia huius doni quantùm ad tria, scilicet quantùm ad suam regulam, quantùm ad suam differentiam, & quantùm ad efficaciam, seu vtilitatem. Quantùm ad primum, certum est, quòd quanto regula dirigens est nobilior tanto actus ab illa regulatus, & mensuratus est nobilior. Sed virtus accipit pro regula aliquid humanum, scilicet, dictamen rationis. Donum verò accipit pro regula aliquid diuinum, scilicet, instinctum Spiritus Sancti, verbi gratia. In horribilibus fugiendis, vel prosequendis differenter dirigit fortitudo, quæ est virtus, & fortitudo, quæ est donum, quia per fortitudinem, quæ est virtus, homo aggreditur terribilia secundùm virtutem humanam. Sed per fortitudinem, quæ est donum, homo aggreditur terribilia, vtēs diuina potentia per confidentiam, quasi sua. Similiter se habet in communicationibus, quæ sunt ad alterum, pietas virtus, & pietas donum; quia pietas, quæ est virtus, accipit pro regula, & mensura aliquid humanum, puta obseruans, vel debitum, vel congruum eius, qui cōmunicationem facit. Sed pietas, quę est donū, in cōmunicationibus accipit pro regula ipsum Deū, quia cōmunicat se ad alterū, vtēs Deo, quasi seipso, vt scilicet, ea, quæ ipsum dicent in huiusmodi cōmunicationibus, quasi Deo vnitus exequatur. Vnde Dominus ad beneficentiam exemplo cœlestis patris exhortatur, qui Solem suum oriri facit super bonos, & malos. Sic ergo patet differentia, quia in alijs cōmunicationibus, potest attendi aliqua humana ratio cōmunicandi alteri, vel liberalitas in paruis donis, vel magni-

Rom. 8.

magnificentia in magnis, vel iustitia in debitis, vel decentia in gratuitis, quia tale dare decet, vel vtilitas, vel aliquid humanum. Sed quod ratio his terminis non clauditur, vt homo tantum tribuat homini, quantum debet, vel quantum expedit ei, qui tribuit, sed quantum est à Deo acceptum diuinum bonum, quod in se, vel in proximo relucet, hoc supra humanum bonum est, & hoc fit per donum pietatis. Hæc beatus Thom. in scripto super 3. sen. dist. 34. art. 2.

Secundò potest considerari excellentia huius doni pietatis quantùm ad suam differentiam. Posset enim aliquis dicere, quòd pietas non est donum, sed virtus, quia Greg. 1. moral. dicit, quòd pietas idem est, quod misericordia, sed misericordia est virtus, ideo operatur secundũ humanum modum: ergo & pietas non est donum, sed virtus operans secundùm humanũ modũ non diuinum. Respõdetur, quòd misericordia, & pietas in hoc differũt. Quia misericordia studet ad releuãdũ miserias proximorum ex eo, quòd proximi sunt ei coniuncti, vel propinquitate sanguinis, vel familiaritate, vel saltem naturæ similitudine. In omnibus enim misericordia accipit pro mensura aliquid humanum, sicut aliæ virtutes. Sed pietas, quæ est Donum Spiritus Sancti mouetur ad releuandas miserias proximorum ex aliquo diuino, scilicet, inquantũ sunt in filio Dei, vel diuina similitudine insigniti, itaquòd misericordia in suo actu vtitur aliqua regula humana, sed pietas, quę est donũ vtitur regula Diuina. Et per hoc patet, quòd pietas est potior misericordia, sicut donum perfectius virtute. Hæc B. Thom. super 3. sent. dist. 34. artic. 5. Tertiò potest considerari eminentia huius doni quãtùm ad reuerentiam sic. Quantò aliquid modo nobiliori Deo cultum, & reuerentia exhibet, tantò est excellentius. Sed hoc facit pietas, prout est donum Spiritus Sancti, quod quidem probatur, tum comparando pietatem ad virtutem religionis: tum comparando ipsam pietatem, prout est donum ad eam, quæ est virtus. Et inquantum ad religionem comparatur, licèt religio, quæ exhibet cultum Deo, sit potior pietate, quæ est virtus exhibens cultum, & reuerentiam Patri carnali, tamen pietas, quæ est donum, est nobilior religione, quia exhibere cultum Deo, vt Patri, quod facit pietas, quæ est donum, excellentius est, quàm exhibere cultum Deo, vt Creatori, & Domino, quod facit religio. Ex quo patet, pietatem donum excellentius religione virtute secundùm beatum Thom. 2. 2. quæst. 120. art. 1. Comparando autem pietatem donum ad ipsam, prout est virtus, etiam probatur, pietatem donum excellentiorem ea inquantum virtus. Ex eo videlicet, quia pietas donum respicit in actu tuo aliquid diuinum, vt filiationem diuinam per gratiam, vel diuinam similitudinem. Sed pietas virtus aliquid humanum, vt familiaritatem, propinquitatem, vel naturæ similitudinem. Et sic patet, quòd est potior, vt dictum est supra.

§. I.

IN quo autem consistat ista qualitas mentis scilicet, pietas donum quantùm ad actum eius. Sciendum secundùm beatum Thom. super 3. sentent. di. 34. art. 5. quòd pietas donum habet in via quinque actus, sed vnum principalem, alios quatuor secundarios. Primus ergo actus eius, quem habet in via, est Deo cultum, id est, reuerentiam exhibere non solùm propter debitum, sed & propter condignum, quia Deus honore, & reuerentia est dignus interiori affectu, & exteriori actu, vt sit in postrationibus, genuflexionibus, inclinationibus, & sacrificijs: ex hoc Malach. 1. *Filius honorat patrem suum, & si ego pater vester, vbi est honor meus*: accipie Deuter. 32. *Nunquid non ipse est pater tuus qui possedit & fecit*, quo ad corpus: *& creauit*, quo ad animam te? Vnde Apostolus ad Titum 2. *sobriè*, scilicet quoad se *iustè*, scilicet, quo ad proximum, *pie*, scilicet quoad Deum: *viuamus in hoc seculo expectantes, &c.* Secundus actus eius est propter Dei reuerentiam etiam sanctos honorare, quia sunt templa Dei, & organa Spiritus Sancti: 1. Corint. 6. *An nescitis, quia Templum Dei estis vos, & Spiritus Sanctus habitat in vobis*: Et alibi. *Honore inuicem præuenientes & præcipuè præsidentes, qui in regiminere præsentant personam Dei cuncta regentis.* Petrus in canonica 1. *Regem honorificate.* Et beatus August. in regula. Honore coram Deo prælatus sit vobis. Huius ratio est, quia sicut actus pietatis, quæ est virtus est non solùm exhibere cultum, seu reuerentiam Patri carnali, sed etiam omnibus sanguine iunctis secundùm quod pertinent ad Patrem, ita & actus pietatis, quæ est donum, non solùm Deo, sed & omnibus, qui pertinent ad Deum sibi coniunctis per gratiam, vel præsidentiam huiusmodi. Apostolus 1. ad Tim. 6. *Sectare iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, &c.* Tertius actus pietatis, quæ est donum, est Scripturæ sacræ intellectæ non contradicere; cùm sint verba Dei. Quæ enim aliquis veneratur, & colit, eius etiam verba in reuerentia habet, & impugnat nisi falsa reperirentur. Nam vt ait, Philosophus. Duobus amicis existentibus Platone, & veritate, sanctum est præhonorare veritatem. Et quia in verbis Scripturæ sacræ non potest esse falsitas, ideo semper (etsi non intelligãtur) veneranda sunt. Hũc actum esse pietatis ponit August. in libr. de doctr. Christiana. 1. ad Timot. 3. *Manifestè magnum est pietatis Sa-*

Malac. 1.

Deut. 32

Titu. 12.

1. Cor. 6.

1. Pet. 2.

1. Tim. 6.

1. Tim 3.

Sacramentum, quod manifestum est in carne iustificatum, &c. Quartus actus eius est constitutis in miseria subuenire. Et ratio est: quia secundùm Beatum Gregor. 1. moral. idem est, quod misericordia, scilicet, in actu exteriori, qui est subuenire miseriæ proximi. Differunt tamen in motiuo miserendi: vt supra dictũ est, misericordia autẽ miseriæ subuenit. Et secundùm hoc Beatus Gregor. ibi dicit, quòd pietas insistit operibus misericordiæ. Et secundùm hoc etiã dicit B. Hieron. vel August. secundùm alios. Non memini me vidisse, aut legisse mala morte perisse, qui exercuit opera pietatis: quia, scilicet, si peccator talis est, opera illa pietatis procurant sibi compunctionem, & reuersionem ad Deum. Quintus actus est sine offensione in medio nationis praua, & peruersæ conuersari, & inter eos conuiuere, vt dicit Beatus August. in lib. de Doctrina Christiana. Vnde & Petrus in 2. Canon. cap. 2. ait de Loth: *Aspectu quidem, & auditu iustus erat habitans inter illos, qui de die in diem animam eius iniquis operibus cruciabant.* 2. Petr. 2. Nouit autem Deus pios de tentatione eripere. Omnes hi actus vnam, & eandem regulam, & mensuram habent, scilicet, diuinam reuerentiam: vel honorem, quo Deus est dignus. Et ideo actus pietatis, qui est in via, est vnus, qui est præcipuus, & principalis, ad quem alij omnes reducuntur, vt ad causam suam: vt dicit B. Thom. vbi supra. Vnde Apostolus ad Titum 2. mandat *orationes, & obsecrationes* fieri in Ecclesia pro his, qui sunt in sublimitate constituti: vt tranquillam vitam, & quietam agamus in omni pietate, scilicet, reuerẽtia diuini cultus. Et dist. 41. cap. parsimoniam, dicitur pietatem in priuatis domibus non concludentes omnem locum in nomine Dei ædificatum honoramus. Et congregationem in Ecclesia factam ad vtilitatem communem recipimus: & bona opera, quæ supra vires in fratres pauperes exercentur, secundùm Ecclesiasticas traditiones beatificamus. Item B. August. supra Psalm. Si aliquando humana infirmitate pedes nostri in aliquod peccatum mouentur, insurgunt linguæ iniquissimæ inimicorum, cum fuisset miserendum, irrident impij, vnde dolent. 5. quæst. 5. § sed aliud. Titum 2.

A B C D

§. II.

DE permanentia pietatis, & efficientia, seu vtilitate sciendum secundùm Beatum Thomam super 3. dist. 34. art. 5. quòd actus pietatis remanebit in patria quantùm ad suam mensuram, & regulam, ad quam pietas attendit, scilicet, adhærere ipsi Deo. Et etiã quantùm ad eos, quibus beneficia præstare paratus erat, scilicet, quantùm ad effectum, vt scilicet beneuolentiã eis seruet: & de omnibus eorum bonis habeat gaudium, & lætitiam. Vnde in eis non erit communicatio ad supplendam negligentiam, sicut est apud nos: & per consequens ille actus pietatis, qui est in via, subuenire, scilicet, constitutis in miseria, non erit in patria: quia nulla ibi indigentia, nulla miseria: quia omnes suam sufficientiam à Deo accipient. Erit tamen in eis communicatio ad augendam lætitiam secundũ modũ illius patriæ, secundũ quẽ superiores aliquid influunt in inferioribus: vt dicit Dionys. Vnde post diem iudicij, & ante præcipuus actus pietatis, qui est donum in patria est reuereri Deum affectu filiali, qui præcipuè tunc erit secundùm illud Sap. 5. *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei.* Sap. 5. Erit etiam mutua honoratio sanctorum adinuicem. Nunc autem ante diem iudicij miserentur sancti, etiam qui in statu huius miseriæ viuunt. Hæc B. Thom. vbi supra. De vtilitate, & efficientia pietatis nota quod ait Apostolis 1. ad Thim. 4. *Exerce te ipsum ad pietatem.* 1. Tim. 4. Nam corporalis exercitatio, scilicet, ieiuniorum, & abstinentiæ, & huiusmodi, ad modicum quidem vtilis est. Pietas autem ad omnia valet, permissionem vitæ, quæ nunc est, habens, & futuræ. Scribens Apostolus ad Titum Episcopum ostendit, quòd Episcopus, & quilibet misericordiæ visceribus totus debet effluere. Quod significat illa abundans inunctio capitis eorum in consecratione ipsorum. Hinc est quòd de tumbis quorundam sanctorum, qui in misericordia, & pietate fuerunt præcipui, oleum manat. Vt Beati Nicol. B. Catha. & B. Valpurgis, & in huius figuram in vestibus summi Sacerdotis pendebant malagranata intexta: quæ cum refrigerent innuebat, quòd misericordia præsidentium debet subditos refrigerare. Valere autem dicitur pietas ad omnia. Ad tẽporalia quidem secundùm illud Prouer. 28. *Qui dat pauperi, non indigebit*, quin immo non solùm sufficientiam, sed abundantiam habebit. Prouerb. 14. *In omni opere bono erit abundantia.* Prou. 28. Prou. 14. Sicut legitur de sancto Ioanne Patriarcha Alexandrino pijssimo ad pauperes. Qui quantò plus dabat pauperibus, tantò plus ei Deus mittebat per diuersas personas ad distribuendum. Valet ad spiritualia promerenda. Vnde Beatus Ambros. Omnis summa Christianæ Religionis in misericordia, & pietate consistit. Quam aliquis sequens, etsi lubricum patiatur carnis, sine dubio vapulabit, sed non peribit. Quod oportet sanè intelligere: quia vel intelligitur de eo, qui & in lapsum carnis cecidit in præteritum: ipsum pœnitet, & abstinere disponit. Vel si intelligitur de eo, qui opera pietatis exercet in mortali existens, tunc opera pietatis valent sibi ad procurandum gratiam occasionaliter, non causaliter. Nam dicta

opera

opera pietatis sunt occasiones, vt adiutus precibus eorũ, quibus exercetur, exeat de peccato. Valet ad æterna promerenda. Vnde Hieron. ait. Pietas expectat beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei. Sicut enim impietas magni Dei formidat aduentum, ita pietas de suo opere secura, & de fide iudicium præstolatur. Et quia summa pietas fuit in Virgine, & est super omnes sanctos, & sanctas, cui cantamus. O clemens, ò pia, ò dulcis Virgo MARIA. Ideo de ipsa Virgine MARIA, vt fonte pietatis, siue quantùm ad actum diuini cultus, & reuerentiæ, siue quantùm ad actum miserationis, & subueniendi pauperibus, subsequenter in isto titulo diffusius agemus per capitula distinguendò, & per modum prædicationis.

Quòd Virgo MARIA est Mater nostra quadrupliciter. Cap. 2.

ECCE *Mater tua, Ioan.* 20. Loquitur de ista Matre Psalm. 86. dicens: *Mater Sion dicet homo, homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus.* Hæc secundum translationem 70. quam sequitur Beatus Augustinus super Psalterium, & obscura satis est locutio. Potest autem sic exponi. Homo dicet Sion Mater. Sed videndum est, quis est iste homo, qui dicit, cui dicit Sion, de qua dicit: est autè iste homo iste Dñs Iesus Deꝰ, & homo, de quo Propheta. *Ecce veniet Deus*, & homo, homo vtiq; animal rationale, ab initio solus suæ cõceptionis ratione vtẽs, vt perfectus omni sapiẽtia, & gratia, & inter natos nunquam à ratione deuians. Ipse est ille homo, qui natus est in ea Matre, quæ est, & ciuitas Dei dicitur, non ex virili semine, sed *quod in ea natum est de Spiritu Sancto est.* Matth. 1. Et ipse idem homo est altissimus Deus, qui solus altissimus fundauit eam ciuitatem, in qua habitauit nouem mensibus, vt Matre sua. Si quæris, cui Sion dicit. Respondeo, quòd Sion spirituali, id est, Ecclesiæ. Interpretatur enim Sion speculatio, ibi in Sion erat templum Domini, in quo verus cultus exercebatur, offerendo oblationes, & sacrificia vero Deo. Significat igitur aptè Ecclesiam sanctam, in qua speculamur Deum; in militanti per fidem, in triumphanti per spem. Et in ea sola verè colitur Deus, & offeruntur sacrificia vera bonorum operum, quæ Deo sunt grata, & non extra eam. Quid autem dicit iste homo Iesus Sion, id est, Ecclesiæ? illud: Mater, scilicet, est tibi; patrem habebas misericordiarum, accipe & matrem totius consolationis, & miserationũ. Ecce Mater tua, ò Sion, ò Ecclesia, quæ est Mater mea, volo, vt sit & Mater tua. Mea est Mater naturalis, tua sit Mater spiritualis. Ecce Mater Dei Saluatoris est Mater peccatoris in Ecclesia. Sed Iudæus hoc, vt perfidus nullo modo vult credere, quòd Beata Virgo MARIA sit Mater Dei, & hominis. Et secundùm hoc dicit trãslatio nostra, quæ fuit Beati Hieronymi. Nunquid Sion dicet homo, homo, scilicet, quicumque quantuncumque singularis Prædicator, & Doctor, nunquid dicet Sion, id est, Synagogæ, seu populo Iudæorum, cuius cultus erat propter templum in materiali Sion, istam veritatem mirabilem, quam subdam, ita vt credat eam? quasi dicat non. Neque Petrus, neque Paulus, sed neque ipse Christus dixit hanc veritatem populo Iudæorum, quòd voluerit credere. Ecce veritas, quam non vult credere, & ideo vt perfidi damnantur, homo natus est in ea ciuitate Dauid, id est, Virgine MARIA, & ipse natus in ea Christus est, ille altissimus Deus, qui solus sanctus per essentiam, solus Dominus per vniuersalem prouidẽtiam, solus altissimus per omnipotentiam, qui fundauit, & fecit ciuitatem istam Virginem gloriosam, quam inhabitauit. Idem vnus Deus, & homo, vna persona fundator, & creator Virginis per diuinitatem, natus in ea per humanitatem. Sed tu fidelis, qui credis Beatam Virginem Matrem Dei, & hominis, & secundũ hanc fidem rectè conuersaris: *Ecce Mater tua.* Ioan. 19. Imperator cœlestis Dominus Iesus Christus in throno crucis residens per hoc dictum suo ore prolatum loquens Ioanni Matrem suam Virginem ei dedit in Matrem, ipsum Ioannem Matri suæ adoptans filium. Nec Virgo Mater, etsi longè inferiorem ab eo indignata est talem in filium suscipere. Et Ioannes ipse, etsi tali, & tam dignissima Matre se indignum agnosceret, intelligens sui profectum, cum omni reuerentia, *ex illa hora accepit eam in suam*, scilicet, Matrem. Quia verò Ioannes interpretatur: in quo est gratia, cuilibet etiam, qui Ioãnes dicitur, & existit, nõ nomine, sed eius interpretatione, in quo, scilicet, est gratia gratum faciens, datur Virgo MARIA in Matrem, vt dicis possit. Ecce Mater tua. Ansel. Mater Dei facta est Mater nostra. Et verè optima, pijssima, & perfectissima Mater omnibus modis. Sicut enim pater dicitur aliquis genitura, cura, ætate, honore, affectu. Sic omnibus his modis Beata Virgo Mater nobis est. Primò enim sicut Christus nos genuit verbo veritatis ad esse spirituale gratiæ, quod perfectius est, quàm esse naturale in cruce patiendo, ita & Beata Virgo MARIA nos genuit, & peperit in maximis doloribus filio compatiendo, pœnas immensas pro nobis patienti, ita exponit Albertus Magnus illud Esai. vlt. *Parturiuit Sion filios suos*, id est, Beata Virgo MARIA, quæ speculabatur mysterium passionis. (Interpretatur

Esai. 66.

Ioan. 19.

Esai. 66.

tur enim Sion speculatio) parturiuit summè condolendo in passione Filij. Secundò Mater est cura Esai. 49. Nunquid potest mulier obliuisci infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? quasi dicat, nullo modo, sed magnam curam habet, vt prouideat ei de nutrimento, & necessarijs. Et quamuis amor patris ad filium sit solidior, amor tamen matris est tenerior. Et hinc est, quòd paruulus magis recurrit ad matrem pro his, quæ vult quàm ad patrem: quia experitur magis à matre, quàm à patre obtinere, quod petit. O quanta est cura Beatæ Virgini matri de nobis! Omnibus aperit sinum misericordiæ suæ, nec est, qui abscondat se à calore beneficiorum eius. Sileat misericordiam tuam, ò Virgo Beata, ait B. Bernard. quicumque in necessitatibus suis te inuocatam sibi deesse senserit. Sicut curam habuit, vt prouideret apud filium de defectu vini in nuptijs in Chana Galilææ celebratis. Et quod ait sapiens. *Vbi non est mulier ingemiscit æger.* Et verè potest intelligi de hac muliere, quam filius suus sic vocauit, cùm ait: *Mulier Ecce filius tuus* Non reperitur aliquem sanctorum ita compati, & adiuuare in infirmitatibus spiritualibus, & corporalibus ęgris personis, sicut mulier hæc Beata Virgo MARIA. Tertiò, Mater est antiquitate sicut homines antiqui dicuntur patres: sic & mulieres antiquæ matres. Sed quæ antiquior Beata Virgine MARIA? *Ab initio*, inquit, *& ante secula creata sum, & vsque ad futurum seculum non desinam.* Eccles. 24 Creata siquidem fuit in mente diuina ante secula, id est, prædestinata, vt esset Mater Dei, & inde Mater nostra. Nec vsque ad futurum, id est, ad aliam vitam patriæ, postquam fuit in mundo nata, non desinit pietatem, & misericordiam exhibere inuocantibus eam. Est ergo antiquitate maxima Mater. Quartò, est Mater dignitate, & honore. Sicut qui sunt in dignitate constituti dicuntur patres, ita & mulieres in dignitate prælationis possunt dici matres. Vnde Abbatissæ dicuntur prælatæ quasi matres. Sed quæ dignior, quæ honorabilior, & cunctis præsidentior B. Virgine MARIA? Regina enim dicitur cœlorum in Antiphona Ecclesiæ: Domina Angelorum, Mater Domini dominantium omni vtique laude dignissima, quia ex ipsa ortus est Sol iustitiæ Christus Deus noster. Quintò, ex maxima affectione ad bonum populi Iudæorum *Razias dicebatur pater eorum*, vt 2. Mach. penult. Sed nunquam fuit aliquis sanctus, vel sancta ita affecta ad salutem, & omne bonum populi Christiani, sicut Beata Virgo MARIA. Vnde cùm Christus vellet tribus lanceis mundum perdere propter tria vitia mundi, scilicet, superbiæ, auaritiæ, & luxuriæ. Beata Virgo precibus suis obtinuit dilationem sententiæ, dicens, se missuram in mundum ad prædicandum Beatum Dominicum, & Beatum Franciscum cum suis, vt sic reducerentur, vt habetur in legenda Beati Dominici. Ecce igitur Mater tua.

Eccl. 96.

Eccl. 24.

2. *Ma.* 14

A

B

C

D

§. I.

SED qualis sit ista Mater ipsa declarat sic de se loquens, seu Ecclesia in persona eius Eccl. 24. *Ego Mater pulchræ dilectionis, timoris, & agnitionis, & sanctæ spei.* Matrem se harum quatuor virtutum dicit: quia eas in mente concepit per infusionem gratiæ, & parturiuit istos filios, quando ad actum harum virtutum processit. Primò, *pulchræ dilectionis*, per eximiam charitatem. Secundò, timoris reuerentialis, per profundissimam humilitatem. Tertiò, agnitionis, scilicet, fidei per firmissimam veritatem. Quartò, sanctæ spei ad omne bonum, & supernam fœlicitatem. De primo Cant. 2. *Introduxit me Rex in cellam vinariam*, scilicet, & introduxit in charitatem. De secundo Luc. 1. *Turbata in sermone eius*, & laude propter humilitatē. De tertio Luc. 1. *Beata quæ credidisti.* B. Augustin. Priùs concepit fide, quàm carne. De quarto Eccl. 24. In me omnis spes vitæ, & virtutis. Extende vt placet. Ex his etiam verbis innuitur respectu quorum sit mater adoptiua. Cùm enim, vt dictum est: sit facta mater adoptiua Ioanni, qui interpretatur: in quo est gratia, mater est eorum, qui habent gratiam. Et quia à gratia quatuor ista semper procedunt, eorum est mater, qui habent ista quatuor. Ecce igitur mater tua, scilicet, tui, qui scilicet, habes rationalem dilectionem: quia ego mater pulchræ dilectionis. Ecce mater tua, scilicet, tui, qui habes filialem timorem: quia ego mater timoris. Ecce mater tua, scilicet, tui, qui habes salutarem cognitionem: quia ego mater agnitionis. Ecce mater tua, scilicet, tui, qui non præsumis, sed ex merito speras: quia ego mater sanctæ spei. Pulchra dilectio est, vt diligatur amicus in Deo, & inimicus propter Deum, verè pulchra, quia cum luce gratiæ, & clara fama. Matth. 5. *Diligite inimicos, &c.* Vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est, scilicet, Dei & sic eritis filij matris vestræ, scilicet, Beatæ MARIÆ. Sine timore Dei non poterit quis iustificari, ait Sapiens. Sed qui timet Deum, scilicet, filialiter, nihil negligit, scilicet, eorum, quæ sunt necessaria ad salutem, & gloriam Dei. Salomon ait Eccl. 7. *Salutaris cognitio incipit à seipso.* Sen. Principium salutis cognitio sui, breuissimā istam orationem faciebat, & docebat Beatus Augustin. Domine nouerim te, nouerim me. Et vnum inducit ad reliquum. *Expecta Dominum*, ait. Psalm. quoad quartum, *custodi vias eius, vt hæreditate capias terram*, scilicet,

Eccl. 24.

Cant. 2.

Luc. 1.

Luc. 1.

Eccl. 24.

Matth. 5.

Eccles. 7.

Psal. 36.

licet, viuentium. Si ergo diligis eum, & proximum: & times finaliter offendere eum, & conaris cognoscere teipsum, & speras rationabiliter in supernum præmium, non præsumendo de viribus tuis, hæc est sancta spes. Ecce mater tua Beata Virgo MARIA.

§. II.

POssunt etiam adaptari ista quatuor ad quatuor status Ecclesiæ, scilicet, præsidentes, incipientes, proficientes, & perficientes, super perfectos singulis singula attribuendo. Quibus omnibus est mater pia adiuuando, & succurrendo. Primò, & præsidentibus quidem congruit pulchra dilectio, scilicet, erga Deum, se, & proximum. Et ideo Christus Petrum institutum in præsidentem, & pastorem Ecclesiæ interrogauit ter, si eum
Ioan. vlt. diligeret. Ioannis vltimo cap. Horum Beata Virgo est pia mater, adiuuans in necessitatibus, vt patuit in Leone Papa, cui restituit manum abscissam. Et in Beato Domini co, cuius subditos fratres ostendit in visione Beata MARIA tenere sub chlamyde suæ protectionis. Secundò, incipientibus cõgruit timor. Inde enim mouentur ad cauendum
Esai. 25. mala, & pœnitendum ex timore. Vnde dicit Esai. 25. *A timore tuo Domine concepimus, & peperisti spiritum salutis.* Et horum est mater Beata Virgo MARIA, procurando reconciliationem Deo, sicut in figuram mu-
2. Reg. 14 lier sapiens *Tecuites* reconciliauit Absalonem patri suo Dauid. 2. Reg. 14. Et cuidam Moniali egressæ de Monasterio post tempora ex meretricio reuertẽti ad pœnitentiam, & religionem impetrauit Beata MARIA per ea peccatorũ veniam. Et adiuuat ad vincendum Diabolum in tentationibus, sicut in figuram occidit *Iudith* Holofernem. Iu-
Iudit. 13 dith 13. cap. Tertiò, proficientibus conue-
Eccles. 9. nit agnitio, vt dicit Salomon Eccles. 9. *Nescit homo finem suum.* Et ideo sequitur. *Sicut pisces capiuntur hamo, sic capiuntur homines in tempore malo.* Quod Psalm. considerans ait: *Notum fac mihi Domine finem meum.* Finem vltimum, propter quem factus sum, quia tu es, vt ad illum me dirigam. Notum fac finem proximum mei operis, vt intelligam me recta intentione facere opera, non vt videar ab hominibus, sed ad gloriam Dei. *Notum fac finem meum*, id est, vt frequenter intelligam, me esse in vita finiendũ, & omnia ista mundana dimittenda pro te. Et quia istis congruit cognitio, quæ lux est spiritualis, ideo dicit Salomon Prouerb.
Prou. 4. 4. *Iustorum semita, quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem.* Hi enim intendunt ad proficiendum in virtutibus. Horum mater est Beata Virgo MARIA precibus, & exemplis dando eis subsidium. Est enim figuratiuè illa *Rebecca*, quæ
Gen. 27. filium, scilicet, Israel, qui interpretatur videns Deum, docuit, & iuuit refectionem offerre patri suauem, cum vestibus odoriferis, vt benedictionem patris obtineret. Apparens ipsa Magistro Raynaldo corpore infirmo in virtutibus proficienti, vnxit eum, sanando corpus, & mentem roborando, ac habitum Ordinis Prædicatorum, quem ferret ostendẽdo, quem ordinem fuerat ingressus, qui postea feruentissimè prædicando, multos, & magnos viros traxit ad religionem. Ipsa est mater agnitionis, quæ reuelauit nobilissimis Romanis, & diuitibus viro, & vxori suę cupientibus se tradere in obsequium ipsius Virginis, ac Papæ, vt in loco vbi de mane inuenirent nines præter naturæ solitum, quia de mense Augusti, ibi Ecclesiam suo nomini dedicarent. Qua mane sequenti reperta, fabricata est ad honorem eius Ecclesia in vrbe sanctæ MARIÆ Maioris. Quartò autem congruit perfectis sancta spes, non sperare in principibus, vbi non est salus, nec in temporalibus diuitijs, quod est vanum, nec in suis viribus, quod est superbiæ, sed in æterna beatitudine. Et hoc est sancta spes. Contemplatur enim æterna bona, quæ non videntur, sed appetuntur summè ab eis, vt dicant cum Apostolo: *Cupio dissolui, & esse cum Christo, & Nostra conuersatio in cœlis est.* Horum mater est Beata Virgo MARIA, procurando eis consecutionem æternæ beatitudinis. Est enim figuratiuè illa *Bersabee*, quę interpretatur puteus septimus propter plenitudinem omnium gratiarum, quæ suis precibus petijt, & obtinuit à Dauid Regnum suum dari filio suo Salomoni. 2. Reg. 15. Hæc est, quæ fuit cilicium cum serico sancto viro B. Thom. Cantuariens. Archiepiscopo, mandans ei, vt interdictum factum simplici, sed optimo sacerdoti, qui quotidie Missam celebrabat ad sui honorem, nec aliam propter simplicitatem dicere noue-
2. Reg. 15 rat, vt non amplius celebraret, relaxaret. Quod simplex sacerdos faciens, & significans B. Tho. ex parte Beatæ MARIÆ, & signum datum de cilicio occultato ab ea suto, illum ab illo interdicto absoluit. Hæc apparens, vt matrona venerabilis ad fontẽ quendam cuidam rustico, qui missus erat à filio suo ei apparenti, ad immergendum tres panes, quos habebat prohibuit. Sed reuersus ad eum secundò, & tertiò vnum immersit, alios duos reseruans ex iussione Beatæ MARIÆ declarantis ei, se esse Virginem matrem, & eum, qui sibi apparuerat, & mandauerat panes tres immergi in aquam, erat filius eius, qui ratus propter peccata hominum, mundum in partes tres diuisum quasi volebat delere; in cuius signum tres panes iusserat immergi, sed ipsa sententiam retinuerat. Verùm ad placandum Dei iram omnes albis induti facerent processionem ad pœniten-

tiam

tiam reuertentes. Et illa disparente simplex ille rusticus per diuersas mundi partes diuulgauit. Vnde secuta est magna nouitas in vniuerso orbe apud Christicolas, vt omnes mares, & fœminæ cuiuscunque ætatis, & conditionis albis induti processiones multas facerent. Anno Domini M. cccxcix. in æstate, & multa bona secuta. Et postea anno sequenti. M. cccc. secuta est pestis vniuersalis nimia, vt tertia pars hominum moreretur. Ecce mater tua ad quam recurras.

De Conceptione, & sanctificatione Beatæ MARIÆ. Cap. 3.

DE Conceptu, & sanctificatione Beatæ MARIÆ. *In ciuitate sanctificata requieui*, inquit diuina sapientia, Eccles. 24. Adaptatur sermo iste ad Virginem gloriosam, de cuius Conceptione, vel potiùs sanctificatione Ecclesia solemnitatem facit. De hac ciuitate præcinens cantor Spiritus Sancti Dauid inquit Psalm. 126. *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.* Quæ ab Iesu Syrac dicta est ciuitas sanctificata, nec de aliqua creatura pura sunt vnquam dicta tàm gloriosa, quàm de Virgine MARIA. Vnde in commendationem Iudith pulcherrimæ, sapientissimæ, & castissimæ, & cõstantissimæ, quæ liberauit populum Dei de manibus inimicorum, & figurauit hanc Virginem Beatissimam, liberatricem populi fidelis de manibus Dæmonum, dixit Summus Pontifex Ioachim *Tu gloria Hierusalem*, scilicet, ciuitatis: *Tu lætitia populi Israel.* Non dixit tu gloriosa in ciuitate, sed tu ipsa gloria ciuitatis Hierusalem, quæ dicebatur ciuitas Dei: quia solemnis Dei cultus ibi erat. Gloriosa igitur dicta sunt de te. Circa quam possunt tria notari. Eius virtuositas perfectissima, quia ciuitas. Eius singularitas sublimissima, quia Dei. Eius nobilitas famosissima, quia gloriosa dicta sunt de te.

Psal. 126

§. I.

QVantùm ad primum, omnis anima potest dici ciuitas. Sed anima cuiuslibet reprobi dicitur ciuitas Babylonis, quæ interpretatur confusio: quia plena est confusione peccatorũ, & in ea regnat Nabuchodonosor Diabolus in superbia sua. Anima autem cuiuslibet electi dicitur Hierusalem, quæ interpretatur visio pacis, in qua regnat Salomon Rex pacificus. Hierusalem autem ædificatur, vt ciuitas ex auro, & argento, & lapidibus pretiosis, id est, dilectionis Dei, & proximi operibus, cum meditationibus, & contemplationibus pretiosis super fundamentum fidei Iesu Christi. *Et nisi Dominus custodierit ciuitatem animæ: frustra vigilat, qui custodit eam.* Verùm nulla anima propriè potest dici ciuitas, nisi Beata Virgo MARIA. Vnde per excellentiam ciuitas dicitur propter tria. Primò, propter plenam vnionem. Secundò, propter congruam prouisionem. Tertiò, propter rectam gubernationem. Ciuitas dicitur quasi ciuium vnitas. Vnde Saluator noster, cùm misit duos ex Discipulis ad ciuitatem Hierosolymam: quia plena erat sectis, & diuisionis, & peccatis, non dixit, *ite* in ciuitatem, sed *in castellum*, seruans illam regulam. Si re prueris, nec nomen habere mereris. In anima nostra sunt quasi ciues multi, & varij cogitatus nostri, & affectus, seu desideria quasi viri, passiones autem, quasi mulieres. Qui omnes debent conuenire in vnum, scilicet, vt conforment se diuinæ voluntati, quærendo semper gloriam Dei, & profectum salutis. Sed quis est hic, & laudabimus eum. Nullus est enim tam compositæ fœlicitatis etiam in spiritualibus, inquit, sanctus Seuerinus, qui non in aliquo cum sua fortuna rixetur. *Nunquam* enim, ait Iob, *in eodem statu permanet.* Quis est, qui semper in omni opere suo cogitatu, & affectu dirigatur ad Dominum, & non videat in membris suis legem concupiscentiæ repugnantem legi mentis suæ, saltem ad venialia. Vnde pax ibi non videtur perfecta: cùm caro concupiscit aduersus spiritum. Porrò vnum est necessarium, scilicet adhærere perfectè Deo, & se cum omnibus vnum spiritum esse, quod optimè fecit MARIA, quę optimam partem elegit in omnibus. Vnde pro certo scimus, ait Odilio in sermone, quia omnis MARIÆ actio intenta semper fuit in Domino. Secundò ciuitas vt sit benè prouisa, ne facilè capiatur ab hostibus, & circumquaque habeat fossata, ne possit appropinquari ad muros, quod fit circa animæ ciuitatem per humiliationem, qua quis seipsum deijcit, & infra se statuit, cognoscens se ad ima descendere ex propria cõditione, & inclinatione ad mala. Debet etiã ciuitas esse in portis benè custodita, & vigilata. Nam vt dicit Hierem. Propheta 9. *Mors ingressa est per portas nostras.* Portæ nostræ animæ sunt sensus exteriores, per quos intrat mors peccati ad animam per visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum videlicet, nisi vigilanter custodiantur. Nec sufficit custodia Angelorum, de qua Dominus per Prophetam. *Super muros tuos Hierusalem posui custodes*, scilicet, Angelos, *tota die non tacebunt*, scilicet, excitantes animam ad bonum, & Deum laudandum. Sed oportet, quòd quilibet per se inuigilet per considerationem, & discretionem, ne ingrediatur inimicus alicuius vanitatis per ipsas portas, nec egrediatur ciuis sub specie alicuius boni defectus curiositatis. Vnde in figuram legitur. 2. Reg. 4. Quòd *Isboseth* filius Saulis Rex Israel, qui posuerat ancillã

Luc. 19.

Iob 14.

Hier. 9.

Esai. 62.

2. Reg. 4.

ad

ad custodiam portæ palatij sui: quia non stetit vigilans, sed dormitauit, ingressi per portam Principes latronum *Rechab*, & *Banaa* clam occiderunt illum in lecto suo quiescentem. Sic quando consideratio vigilans, & discretio, quæ debet custodire portas sensuum dormitat, & non vigilat ad custodiendum, ipsi Dæmones latenter suggestionibus malis subintrant, & ablatis frugibus virtutum animam occidunt. Oportet etiam ciuitatem esse fulcitam victualibus, & aquis, ne fame, & siti pereat. Victualia sunt sacramenta, quæ animam reficiunt. Aquæ sunt doctrinæ sacræ, quibus contra calorem laborum, & tentationum refrigeratur. Omnia ista fuerunt perfectissimè in Virgine, & ideo per excellentiam ciuitas dicitur. Fuit enim
Luc. 1. humilitate profundissima. *Respexit*, ait, *humilitatem ancillæ suæ.* Et quantò magis se humiliauit, & occultauit virtutes suas, tantò magis Deus illam manifestauit, vt impleretur illud, quod ait filius suus Matth. 5. c.
Matt. 5. *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita*, id est, super altam perfectionem virtutum. Optimè custodiuit sensus suos, & nihil inquinatum introiuit in illam. Sacramenta suscepit tempore suo, quæ ei congruebant. Nam piè creditur & baptizata, & confessa, & communicata secundùm Albertum super illud. Missus est. Non quidem peccata, quæ non habebat: quia vt B. Augustin. ait. Cum humilitatis causa mentiris, si non eras peccator, mentiendo efficieris, quod euitaras, 22 quæst. 2. cum humilitatis. Sed confitebatur, se non esse dignam tantis beneficijs sua virtute. Non deficiebant in ea aquæ salutaris doctrinæ. Vnde Luc. 2. dicitur
Luc. 2. *MARIA conseruabat omnia verba hæc*, scilicet, dicta à filio, & de filio, *conferens in corde suo*, scilicet, cum his, quæ de eo prænuntiata erant à Prophetis. *Et sic fluminis impetus* feruentis, scilicet, sapientiæ *lætificat ciuitatem Dei*, scilicet, Beatam MARIAM. Tertium, quod requiritur ad bonitatem ciuitatis, est bonum regimen, & gubernatio eius.
Eccl. 10. Nam vt dicitur Eccles. 10. *Væ terræ cuius Rex puer est*, id est, cuius rector sensibilibus intendit, vt puer. Econtra Salomon in Prouerb. *In bonis iustorum exaltabitur, ciuitas.* Et Gratianus dicit dist. 8. §. 1. quòd apud Platonem illa ciuitas iustissimè ordinatur, in qua quisque proprios nescit affectus, id est, passiones, & appetitus suos inordinatos. Est ergo in ciuitate animæ, vt Rex, vel Regina volunras, quæ habet imperare
Prou. 14. omnibus potentijs. Et vt dicit Salom. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui*, id est, in potestate, & libertate arbitrij: *Posuit ante eum malum, & bonum, ad quodcunque voluerit extendat manum suam.* Sed si voluntas peccato consentit, iam non est domina, sed serua, & non nisi malè potest talis ciuitas animæ gubernari. Ne autem erret Regina ista voluntas, debet semper habere consilium cum ratione, secundùm illud Proverb. *Omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebis.* *Eccle.* 32. Ratio ergo est consiliarius. Sed Synteresis Secretarius, qui nunquam fallit, arguens illicita, & vtilia approbans. Phantasia, & memoria sunt referendarij. Cogitationes verò desideria, & passiones sunt subditi, qui habent regulari. Et cùm benè regitur, dicit Dominus de ea. *Ciuitas fidelis, iustitia habitauit in ea.* Esai. 1. *Esai.* 1.

§. II.

Secundò notatur eius singularitas maxima in sanctitate in eo, quod dicitur: *Dei.* Hæc potest dici ciuitas illa, de qua Ioann. in Apoc. 22. 1. *Vidi ciuitatem sanctã Hierusalẽ descendentem de cœlo à Deo paratã, vt sponsam ornatam.* Hæc est Beatissima Virgo MARIA ciuitas sancta: quia munda Deo dedicata, & firmata: *Et sic in Sion firmata sum.* Eccl. 24. Hierusalem dicitur visio pacis in ea. Vnde ipse ait. *In omnibus requiem quæsiui.* Descendentem de cœlo, vt à Deo ædificatam, & datam in ciuitatem refugij peccatoribus, à Deo paratam virtutibus, vt suam possessionem, vt sponsam ornatam omni gratia, vt sponsa esset Dei Patris, ex qua virtute Spiritu Sancti filium generaret communem filium vtrique. Dicitur ergo ciuitas Dei. Vnde gloriosa dicta sunt de ea triplici modo, seu causa, videlicet. Primò, quia Deus eam fundauit. Secundò, quia Deus eius possessionem continuauit. Tertiò, quia Deus eam inhabitauit. Primò, dicitur Beata MARIA ciuitas Dei: quia ipsam fundauit. Sicut Alexandria sic dicta est: quia Alexander eam fundauit, & vrbs Roma dicta est: quia Romulus primus eam fundauit. Psalm. 48. *Sicut audiuimus*, scilicet, ex veteri testamento figuratum: *Sic vidimus* impletum *in ciuitate Dei nostri*, scilicet, Virgine MARIA. *Deus fundauit eam in æternum.* Vnde ipsa ait Eccles. 24. *Ab initio*, scilicet, Deo, qui est initium omnis creaturæ: *& ante* secula *Eccl.* 24. temporalia *creata sum*, scilicet, prædestinatione in mente diuina, & semper post quam fundata fuit, permanebit. Actu autem in esse naturali creata, seu fundata fuit, quando anima eius creata fuit, & corpore eius concepto in vtero materno Annæ, & organizato infusa. Hier. Intra secretiv ẽtris angustias manus omnipotentis Dei semper operatur, idem formator corporis pariter, & animæ est. Noli despicere bonitatem figuli, qui te fecit, vt voluit, dist. 41. nasci. Modo autem spirituali dicitur Deus fundasse eam, quoad corpus: quia miraculosè concepta est, non quidem, quia de Spiritu Sancto, quoniã hoc priui-

priuilegium soli Christo, sed quia ex patre Ioachim, & matre Anna sterilibus. Vnde in figuram, vt dicit Damas. Sicut Anna per votа, & repromissus cùm esset sterilis genuit ex viro Samuelem, sic Anna ex Ioachim viro per votum, & orationes genuit MARIAM. In esse autem spirituali fundauit Deus ciuitatem istam, quãdo in vtero materno sanctificata fuit ab originali totaliter mundata, in qua quidem sanctificatione copiosior gratia fuit in ea infusa, quã in cæteris ab vtero sanctificatis, vt Ioanne Baptista, & Hieremia. Scimus enim plus gratiæ ei esse collatam, ait B. Bernard. ad vincendum ex omni parte peccatum, quæ concipere, ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Ac etiam piè credi potest, quòd citiùs alijs fuit sanctificata. Non quidem ante animæ infusionem: quia caro non est subiectum culpæ, vel gratiæ, sed anima; infusa, verò anima, quàm citissimè, & fortè eadem die, & hora, etsi non momento fuit ab originali mundata contracta immediatè post accessum eius ad corpus. Quod videtur notare Psalm. qui loquens de ciuitate Dei, & sanctificato eius tabernaculo, id est, anima, post pauca subdit: *Adiuuabit eam Deus manè diluculo.* Vt manè intelligatur natiuitas eius in vtero, cuius diluculum habens aliquid de tenebris fuit tempus, quo organizatum corpus suscepit animam aliqualiter tenebrosam factam per originale, sed in isto diluculo, id est, quàm citissimè adiuuabit eam sanctificando, & præstando robur gratiæ ad omne opus bonum tempore suo faciendum. Dicitur secundò Beata MARIA ciuitas Dei: quia possedit eam Deus, & continuè possidet. Peccator possidetur à Diabolo per culpam. Vnde Luc. 11. de eo dicitur. *Cùm fortis armatus custodit atrium suum*, id est, animam, vel mundum: *In pace sunt ea, quæ possidet*, scilicet, non sibi contradicendo, & tentationibus non resistendo. Boni autem à Domino possidentur, non solùm per gubernationem, & dominium, sed etiam per gratiã, & obedientiam. Vnde dicunt Domino per Psalm. *Tu possedisti renes meos*, id est, affectus, & delectationes meas: *Vt sint secundùm voluntatem tuam.* Sicut aliqua ciuitas dicitur ciuitas talis Domini, vt Parisius ciuitas Regis Franciæ: quia quandoque eam possidet, & plenè sub dominio, & obedientia eius est. Et per hunc modum Beata MARIA dicitur ciuitas Dei: quia semper possedit eam quietè, & sub perfecta obedientia. Nullius autem sancti, vel sanctæ anima fuit, quæ ita fuerit quietè possessa à Domino. Sed aliqua rebellio ad ipsum reperta est saltem secundùm passiones, & venialia. Excepta (inquit B. Augustus.) hac sancta Virgine, de qua cùm de peccatis agitur, propter honorem Domini, nullam prorsus de ea volo haberi mentionem. Si omnes sancti, & sanctæ dum hic viuerent, interrogati fuissent, vtrùm peccatum non haberent, omnes vna voce respondерent, quod ait Ioan. in Cano. 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*, Vbi satis patet, quòd loquitur de actualibus saltem venialibus. Perfectissimè autem possedit ciuitatem istam, vt dicatur per excellentiam Dei ciuitas. Vnde ipsa ait Prouerb. 8. *Dominus possedit me ab initio viarum suarum.* Viæ Domini sunt creaturæ suæ per quas nos inuus in Deum cognoscendum; causa cognoscitur per effectum, vt ignis per fumum. Dicitur autem hic initiũ, non prioritate temporis, sed dignitatis. Ita enim ciuitatem istam B. MARIAM possedit, vt sit ipsa initium creaturarum, id est, dignissima super omnes creaturas puras gratia, & gloria. Tertiò dicitur ciuitas alicuius, in quantùm est inhabitor eius, & sic Nazareth dicta fuit ciuitas Christi: quia ibi conceptus, & nutritus fuit. Vnde dicitur Matth. 2. de Christo veniens, scilicet, de Egypto cum matre, & Ioseph habitauit in Nazareth: *Vt impleretur quod dictum est per Prophetam, quoniam Nazareus vocabitur.* Et Bethleem dicta est ciuitas Dauid: quia ibi natus est, & habitauit in pueritia, & adolescentia. Et secundùm hoc dicitur Beata MARIA ciuitas Dei: quia Deus corporaliter, id est, secundùm corpus assumptum habitauit in ea. Psalm. 47. Magnus Dominus, & laudabilis nimis, scilicet, Dei Filius Iesus Christus in ciuitate Dei nostri, scilicet, Beatæ Virginis ad habitandum per nouem menses continuè, & totam infantiam, & pueritiam transegit cum ea, & in ea. Hæc est ciuitas illa mirabilis figurata, quam vidit Ezechiel in vltima visione, in qua Dominus solus introibat, & egrediebatur: *Et porta eius clausa remanebat*, significans secundùm B. Augustum, quòd MARIA Virgo fuit ante partum, in partu, & post partum, & quẽ totus non capit orbis in sua se clausit viscera factus homo. Vnde & canit Ecclesia. O gloriosa Domina excelsa supra sydera, qui te creauit prouidè lactasti sacro vbere. Quod Eua tristis abstulit, scilicet, vitam corporis, & animæ, tu reddis almo germine, id est, filio ex te genito, qui mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit, animæ, & corporis, & causaliter, & virtualiter. Vnde aptissimè dicitur: Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. Albertus autem in lib. super Missus est, dicit, quòd ideo gloriosa dicta sunt de hac ciuitate, scilicet, Virgine MARIA: quia omnia, quæ ad perfectionem ciuitatis pertinent, in Beatissima Virgine inueniri, & de Beatissima Virgine dici possunt. Fuit enim fundata super humi-

Luc. 11. *Ioan. 1.* *Prou. 8.* *Matth. 2.* *Psal. 47.* *Ezeq. 44.*

lit. se,

litatè, per castitatem murata, turrificata per charitatem, ditata per paupertatem, custodita per discretionem, libera immunitate peccatorum, pacifica superatione tentationum, diuino officio ordinata, per elegantiam morum ædificata, populosa virtute, & omnium donorum gratuitorum, irrigua abundantia miserationum, in altissimo sita per excellentiam priuilegiorum.

§. IIII.

DE eius nobilitate quoad tertium: *Gloriosa dicta sunt de te*, quia natiuitas gloriosæ Virginis MARIÆ ex semine Abrahæ orta de Tribu Iuda, clara ex stirpe Dauid, canit Ecclesia. Natiuitas autem priùs fuit in vtero, scilicet, per conceptionem, & exinde ex vtero nata, eius vita inclyta cunctas illustrans Ecclesias, per opera gloriosissimæ sanctitatis, in quibus consistit vera nobilitas animæ: quia vt ait. Sap. Nobilitas vera est animum, quæ moribus ornat. Ex ea quoque ortus est Sol iustitiæ Christus Deus noster, origo, & fons omnis nobilitatis. Gloriosa igitur dicta sunt de te, ò Beatissima MARIA. Vbi notandum secundùm Albert. Magnum super Missus est, de quo libro assumpta sunt plurima in materia ista de Virgine, vt infra patet, quòd nobilitas rei consistit in tribus. Primò, in sua causa. Secundò, in sua substantia. Tertiò, in sua efficientia. In causa. Si à nobili origine principium ducat. In substantia. Si nobilem essentiam, & proprietatem in se possideat. In efficientia. Si nobiles effectus ex se producat. Quantùm ergo ad primum nobilissima fuit. Vnde & glorioßissima, scilicet, ex parte causæ, & originis suæ. Nam fuit filia Principis, scilicet. Abrahæ in quo Deus populũ peculiarẽ elegit sibi, & distinxit ab alijs. Ab Abraham enim quadragesima, & vnà generatione descendit, vt patet ex Euang. Matth. in princip. De quo Abraham dictum est in Genesi. Princeps Dei es apud nos. Et cui primò facta est repromissio de Christo nascituro, cùm dictum est ei. *In semine tuo benedicentur omnes gentes. Non dicit in seminibus,* *Galat. 4.* inquit, Apostolus ad Galat. 4. *Sed in vno, & semini tuo*, quod est Christus. Hic Abraham fuit ille nobilissimus Patriarcha, vnde denominantur Hebræi quasi Hebraici: quia primò confessus est fidem vnius veri Dei inter idolatras Chaldæos adorantes ignem pro Deo, in quem iniectus ab eis, vt experiretur virtutem eius, illæsus exiuit, recedens postea ab eis, vt peregrinus discurrens per Palestinam. Et de ipsa Virgine dicitur in Canticis: *Quàm pulchri gressus tui in calciamentis filia Principis.* Glossa, id est opera tua in exemplum sanctorum, quos imitaris, & omnes excellis. Quantùm ad secundùm, scilicet, substantiam naturæ perfectionem, & plenitudinem gratiæ in se hæreditauit, & liberrima fuit. Libertatem enim maximè facit immunitas à peccato, & plenitudo gratiæ, quæ in ea fuit. Qui enim facit peccatum, seruus est peccati, seruitus enim est omnino contra nobilitatem. Sed ipsa sola inter puras creaturas fuit sine peccato etiam veniali, & ideo maximè libera. Et ista est glorioßior nobilitas, scilicet, ex gratia, & virtute, quàm illa, quæ est secundùm carnem, vnde Sen. ait, quòd non facit nobilitatem atrium plenum fumosis imaginibus: quia quod ante nos est, nostrum non est; non enim ad nostram vixerunt gloriam: vult ex his verbis ostendere, quòd tantùm nobilis est ille, quem nobilitat sua virtus. Hinc & Chrysost. Nemo ex virtute, aut ex vitio parentum verè, aut clarus, aut obscurus est, immo nescio quomodo non ille magis resplendet, qui ex parentibus à virtutibus prorsus alienus, quàm ipse, qui fuerit Dei virtute mirabilis, dist. 41. nunquam. Sed tunc quæritur, in quo consistat nobilitas secundùm carnem. Et cùm dicatur a sapiente, quòd nobilitas secundùm carnem nõ est aliud, quã inueteratæ diuitię, tũc videtur, quòd istã nobilitatẽ non habuit Beata MARIA, cùm fuerit paupercula, & coniux eius Ioseph carpentarius. Et sic videtur, quòd nobilitas ista secundùm carnem non sit à rebus. Sed neque à corpore videtur, quòd sit: quia nobilitas corporis est ex nobilitate complexionis. Inueniuntur autem Reges, & Principes, qui nobiles dicuntur, & sunt secundùm carnem aliquando complexionis melancholicæ, vel phlegmaticæ: & econuerso rustici cholerici, & sanguinei, ergo non trahitur à corpore. Item videtur, quòd nec ab anima: quia animæ non sunt ex traduce, & sic videtur, quòd nihil sit nobilitas ista secundùm carnem. Sed pro nunc breuiter respondetur, & infra in seq. § pleniùs, quòd nobilitas ista secundùm carnem, non solùm quoad gloriam mundi, sed etiam multùm adiuuat ad virtutes animi, & ad bonum incitat, quamuis ipsa sola non cogat ad malum, vel bonum. Quantùm ad tertium, fuit Beata MARIA nobilis in efficientia: quia actiuè, & passiuè. Actiuè: quia per ipsum fructum ventris sui ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei, vbi cessat omnis prælatio subiectionis in alios, & seruus liber est à Domino suo. Passiuè: quia si veritas liberabit vos, verè liberi eritis, vt dicitur Ioann. 8. Multò est facta libera, quæ veritatem istam genuit. Sic autem orta, & concepta est à nobilissimis, & dignissimis. Et hæc dignitas eius inuenitur in causa, substantia, & efficientia, sicut & nobilitas. Et in causa quidem reperitur triplex digni-

dignitas ex, qua originata est. Prima dignitas Regalis, & hæc corporalis. Secunda Sacerdotalis, & hæc spiritualis. Tertia Prophetalis, & hæc cœlestis. Concepta est autem Beata MARIA, & nata Regali ex progenie: quia ex Dauid, & successoribus eius regibus populi Dei, & propterea Christus dictus est frequenter in Euangelio filius Dauid: quia ex eo mater eius descendit, quòd & Iudæi confessi sunt. Ex Sacerdotali quoque tribu descendit: quia dum solùm iliæ duæ tribus, scilicet, regalis, & sacerdotalis adinuicem possent contrahere coniugia, & nullæ aliæ tribus secundùm Domini legem. Aaron autem primus Sacerdos, & summus à Domino institutus in vxorem duxerit de tribu Iuda, & Iojades summus sacerdos vxorem habuerit similiter de tribu Iuda, & stirpe regia. Et è contrario aliqui de tribu Iuda ducerent in vxores de tribu sacerdotali. Sic Beata MARIA ex sacerdotali etiam tribu descendit. Vnde & Elizabeth de tribu sacerdotali orta erat, cognata Virginis, id est, actiuans. Ex Prophetalis quoque dignitate descendit, quæ dici potest cœlestis: quia prophetiæ donum à Deo est immediatè ex eo, quòd ex Nathan Propheta descendit, ac etiam Dauid, & Salomone: quia fuerunt Prophetæ. In substantia quoque dignissima fuit, id est, in persona sua, nam ipsa est Regina cœlorum, ipsa est Regina: *Quæ assistit à dextris Dei in fimbrijs aureis, &c.* Fuit & Sacerdotissa iustitiæ, quæ proprio filio non pepercit, sed *stabat iuxta crucem Iesu.* Non vt dicit Beatus Ambros. vt mortem filij aspiceret, non vt dolorem filij consideraret, sed vt salutem humani generis expectaret, parata ipsa offerre filium Deo pro saluatione mundi. Prophetissa fuit, cùm ait. *Ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes.* In cuius figuram dicit Esaias. Accessi ad prophetissam, &c. In efficientia quoque fuit dignissima. Ipsa enim triplicem dignitatem originaliter transmisit in filium principaliter, specialiter filium genuit, qui Rex, & Sacerdos, & Propheta fuit. Rex: quia in vestimento suo, id est, in humanitate scriptum habet: *Rex Regum, & Dominus dominantium.* Rex sum ego, ait ipse, Pilato, de quo solo sapienter, quæ fierunt dicentes. *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum.* Sacerdos est iustitiæ *secundùm ordinem Melchisedech, qui per proprium sanguinem introuit semel in sancta æterna redemptione inuenta.* Ipse etiam Propheta promissus per Moysen potens in opere, & sermone. Et istam triplicem dignitatem Beatissima MARIA in nos transmisit, quæ nos fecit Deo regnum, & sacerdotes, immo regale sacerdotium ad regendum nos virtutibus, & immolandum Deo hostiam laudis, & bonorum operum. Et sic patet, quàm gloriosa dicta sunt de ea quantum ad maximam nobilitatem, & dignitatem.

Pſal. 44.

Ioan. 19.

Lucæ 1.

Apoc. 19.

Matt. 2.

Hebr. 11.

§. IIII.

SED pro maiori declaratione nobilitatis, quæ est secundùm carnem. Nota secundũ Albert. vbi supra, quòd nobilitas ista secundùm carnem est reductio carnalis originis a parentibus secundùm seculum in diuitijs potentia, vel dominio constitutis, ex quibus quantùm ex parte naturæ est, creatur in filijs similitudo complexionis, & conformitas morum, & imitatio operationis. Homo enim pauper, & ignobilis si diuitijs cœperit affluere, incipiet delicijs magis vacare, cibis delicatioribus se nutrire, & sic complexionem nobilitare, exercitijs honestioribus occupari, parua damna minùs curare, paruis lucris minùs inhiare, dona minùs curare, alienum dominium minùs timere, libertatem magis appetere maiorum consortia contrahere, cum ipsis matrimonium iungere, & eorum opera, & mores imitari, & sic natura primò seruilis, & ignobilis victa per consuetudinem in contrarium transmutatur. Et quantò hæc à remotiori, & diuturniori radice ad ramos transmittitur, tantò magis naturæ inclinatio induratur, & inseparabilior efficitur, vt in filijs quantùm ex parte naturæ est conditio, simillima patribus inueniatur inclinatio naturalis, & hæc apponit nobilitas carnis, quæ quantùm est de sui natura, semper ad honesta, & decentia plùs, quàm ad vilia inclinatur. Et hoc totum verùm est, nisi libertas arbitrij, vel consuetudo, vel alia causa extrinseca contrarium operetur. Et sic patet, quòd nobilitas non est tantùm ex qualitate complexionis, cùm Rex, vel digna persona melancholicæ complexionis magis sit audax, vel largus rustico propter consuetudinem sanguineæ complexionis. Licèt enim anima non fit ex traduce, tamen existens in carne operatur plùs, vel frequentiùs secundùm, quòd à carne amplius ad aliqua inclinatur. Quòd autem sola nobilitas mentis videtur laudanda. Respondemus, quòd si æqualitas operationis contraria agit nobilitati originis, tantò vitiosior, & detestabilior est deformitas operationis, quantò magis est contra naturalem inclinationem originis. Et sic magis culpabilis est nobilis vitiosus, quàm ignobilis, vbi autem nobilitas originis perficitur, & ornatur nobilitate morum, & operis, vtraque alteri præstat incrementum laudis. Deinde virtus originis ostenditur in operatione, non quasi aduentitiam, vel citò mutabilem, sed quasi propriam, & in-

natam, & debitam nobilitatem contraxerit à parente. Et dum virtus mentis fundamentum, & radicem habet nobilitatem carnis difficultius à virtute moueatur à dignitatibus non mutabilibus, sed quasi innatis minùs eleuetur in humiliationibus, quasi magis indignis altiùs exaltetur, & si virtus mentis forsitã tepuerit, ipsa carnis nobilitas eam ad nobilia excitat. Et inde est, quòd si hæ duæ nobilitates coniunguntur, ambæ meritò collaudantur. Vnde dicitur de sancto Greg. Fulgebat duplex in venerando decus, &c. Si autem separantur hæ duæ, nobilitas carnis non laudatur, sed vituperatur, quando deest nobilitas mentis. Nobilitas autem mẽtis sine nobilitate carnis tantò amplius laudatur, quantò etiam propriam vincens naturam laudabiliter operatur. Vnde versus Iuuenalis. Malo pater tibi sit Thersites, dum modo tu sis Eacidę similis, Vulcaniaque arma capessas, quàm te Thersiti similem producat Achilles. Si autem dicatur: videtur, quòd Beata Virgo magis debuit esse ignobilis conditionis secundùm carnem, quàm
1. Cor. 1. nobilis, tum quia. 1. Corint. 1. dicitur: *Non multi sapientes secundùm carnem, non multi nobiles. sed ignobiliora mundi, & contemptibilia, & quæ non sunt, elegit Deus, vt confundat fortia.* Sed Beatam MARIAM elegit Deus, & prælegit, ergo debuit potiùs esse ignobilis, tum quia Gloss. ibi dicit. Venit humilis Deus, non quærens altos, sed humiles. Vnde non elegit Reges, vel Senatores, vel Philosophos, vel Oratores, sed Plebeios, paupæres, indoctos, piscatores. Et sic ista omnibus præelectissima videtur, quòd debuit esse plebeia, & paupercula, tũ quia videtur maior humiliatio Dei nasci de ignobili, quã de nobili. Ad quę respondetur, quòd illa dicta sunt de Prædicatorib⁹ primis, per quos mundus erat conuertendus ad fidem, quos congruebat esse plebeios, & indoctos, ne eorum sapientiæ, potentiæ, vel dignitati ascriberetur id, quod Deus per gratiam, & suum mysterium operabatur, & sic crux Christi euacuaretur. Vnde congruebat, quòd non in doctis humanæ sapientiæ verbis, nec in potentia dignitatis homines ad fidem deciperentur, vel cogerentur, sed simplicibus simplicium verbis exteriùs diuina virtute cooperante interiùs humiles per humiles vocarẽtur, & sic Deus humilis exaltaretur, & Diabol⁹, qui per superbiã vicerat, vinceretur, vnde Gloss. ibi, nisi fideliter præcederet piscator, humiliter nõ sequeretur orator. Sed in Beata MARIA aliud reformat pactum Matre Domini, quam decebat modis omnibus, quibus potuit exaltare, & sibi nostram naturam vniendam in ipsa, de qua eam assumpsit per omnia honorare, vt sua erga nos gratia tantò maior appareret, quantò naturam sibi inseparabiliùs vniuit. Et quantò modus illius vnionis multipliciùs decoraret, eius quoque humilitas tantò profundior, & maior gratię capacior fieret: quantò etiam, & gratiæ plenitudo, & nobilitas eleuaret, tantò etiã humilitas maior est, & magis laudatur, quantò quis nobilis, & magnus existens humiliatur. Vnde B. Bernard. in alto non altum sapere, sed humilibus consentire, maximę virtutis est.

De Conceptione Beatæ MARIÆ. Cap. 4.

M*Emoria mea in generatione seculorum.* Eccles. 24. Et quomodo sit ista memoria de Virgine singularissimè in generatione sæculorum, ostendit Psal. 39. cùm ait in persona eius. *In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam.* Vbi sciendum, quòd tres sunt libri, in quibus est scriptum de ea, & memoria eius. Primus liber æternalis cognitionis. Secundus liber figuralis descriptionis. Tertius liber perfectionalis eruditionis. In primo generata sunt secula in mente diuinali per præordinationem. In secundo generata sunt secula in esse naturali per narrationem. In tertio generata sunt secula in esse spirituali per reformationem. Et in omnibus his est memoria Virginis in capite cuiuslibet libri, vt quid singularissimum scriptum. *Ecclc. 24. Psal. 39.*

§. I.

QVantùm ad primum est sciendum, quòd liber æternalis est mens diuina, in quo sunt omnia, quæ fuerunt, sunt, & erunt scripta, ista scriptura est notitia Dei, quæ est omnium rerum, non solùm, quæ facta sunt, sed etiam, quæ fieri possunt, quæ nũquam erunt, sed eorum, quæ creata sunt, & creabuntur, seu erunt. Inter cætera sunt in hoc libro æterno scripti omnes electi Dei præordinati ab eo in vitam æternam, & omnia bona, quæ eis collaturus est; de quo libro dicit Apostolus de quibusdam discipulis ad Philip. 4. *Quorum nomina scripta sunt in libro vitæ.* Vnde, & Gratiã. dicit de pœn. dist. 4. peccatũ, quòd secũdùm præscientiã aliquem scribi in libro vitæ, est aliquem præordinari ad vitam, scilicet, gratiæ, & gloriæ, quod ab æterno præordinatum est, & Moyses Exod. 32. *Aut dimitte populo isti hanc noxam,* scilicet, idolatriæ commissæ ad montem Sinai, adorando vitulum, *aut dele me de libro quem scripsisti,* quasi dicat. Quia scio te non velle me delere de libro viuentiũ, ideo parce huic populo. In hoc libro non est prioritas temporis, vt scilicet priùs mens diuina vnum cognoscat, & postea aliud, sed prioritas dignitatis, vt dicatur priùs scriptum quod nobilius, & perfectius faciendum est *Phil. 4.* *Exod. 32.*

dispo-

dispositum. Sicut etiam accipitur quod ait Ioan. Bap. de Christo: *Ante me factus: quia prior me erat.* Ioan. 1. Non quidem tempore prius conceptus, & natus est Christus Ioañe, sed Ioannes prius factus est, id est conceptus per sex menses, vt patet Luc. 1. sed dicitur Christus ante eum factus, & prior dignitate: quia sine comparatione Christus perfectior, & dignior Ioanne. Et isto modo dicere potest Beata MARIA, *in capite libri*, scilicet, diuinæ præordinationis *scriptum est de me*: quia ab æterno prænouit, & præordinauit Deus tempore suo concipiendam, & nascendam Virginem, quæ esset sanctior vniuersis puris creaturis, etiam Angelis. Et ideo in capite libri dicitur scriptum de ea, vt faceret voluntatem Dei: quia præ cæteris perfectius operata est secundùm voluntatem Dei, vt esset gratia, & gloria excellentior omni pura creatura. Vnde & de ea cantatur. Elegit eam Deus, & prælegit eam. Elegit ab æterno præordinando, & prælegit eam, id est, præ omnibus, allijs excellentiorem disposuit facere. In generatione ergo seculorum secundùm, scilicet, quòd fuerant creanda disposita in mente diuina, ab æterno fuit memoria huius Virginis, vt quid singularissimum.

Ioann. 1. *Luc.* 1.

A B

§. II.

QVantum ad secundum liber secundus figuris, scilicet, descriptionis est vetus testamentum, in quo vt ait Apostolus *omnia in figuram contingebant illis.* 1. Corint. 10. Et hic est *liber mandatorum Dei.* Baruch. 4. & Cæremonialium, & iudicialium, & moralium, scilicet, decem præceptorum. Huius autem veteris testamenti primus liber est Gen. in quo data sunt mandata de iure naturali, & huius libri principiũ est *In principio creauit Deus cœlum, & terrã, &c.* Et in capite libri huius dicere potest Beata MARIA, scriptum est de me, scilicet, figuraliter, in quo principio narratur generatio seculorum, id est, creatio rerum mundialium. Vnde ibi dicitur Istæ sunt generationes cœli, & terræ, id est, creatio, & memoria mea ait Beata MARIA per Ecclesiasticum, in generatione seculorum, id est, in figura fit mentio de me in creatione mundi. Moraliter igitur exponendo. *In principio creauit Deus cœlum, & terram,* inquit, Moyses Gen. 1. In principio, scilicet, temporis, seu mundi, creauit, scilicet, per figuram, id est, prænuntiauit figurando creando cœlum, & terram, id est, parentes Virginis gloriosæ Ioachim patrem, & Annam matrem eius. Sicut nobilius est cœlum terra, ita perfectior est pater: quia principium actiuum, quàm mater, quæ est principium passiuum, & ideo priùs describitur cœlum factum, & postea terra. Cœlum autem dicitur Ioachim pater: quia cœlestem, id est, virtuosam habuit conuersationem. Sicut enim cœlum est luminosum, ita & ipse fuit illuminatus lumine gratiæ, & doctrinæ legis diuinæ. Et sicut cœlũ est purum liberum ab omni corruptione, ita Ioachim castus, & mundus, fidẽ seruans vxori, non miscens se cum alia muliere, vt filios haberet, cùm vxor esset sterilis. Cœlum quoque dat pluuiam abundanter tempore suo, & Ioachim, vt in legenda scribitur, dabat abundãter eleemosynas. Nam de redditibus suis faciebat tres partes, vnam videlicet pauperibus, aliam Ministris templi, tertiam pro sustentatione familiæ suæ. Terra autem conuenienter significat Annam. Nam sicut terra est infimum elementorum, & subijcitur influentiæ cœli, ita Anna humilis erat, & subiecta in gubernatione domus viro suo, vt oportet. Terra stabilis est, in æternum stat, inquit Salomon. Eccl. 1. ita Anna constans, & fortis in sterilitate sua, non turbulenta, contra Deum murmurans, quòd filios ei non daret. Plerumque enim id votis exposcimus, quod non obtinuisse melius foret, ait Valerius Maxim. Orat. importune à mulieribus infœcundis pro filijs habendis, qui habiti aliquando sunt causa perditionis parentum. Terra atteritur multis modis, & scinditur ad fructificandum, ita & Anna ieiunijs, vigilijs, & alijs modis castigabat corpus suum, vt subditum esset rationi. Terra autem, vt sequitur in Gen. 1. c. *Erat inanis, & vacua:* quia Anna erat sterilis, & infœcunda, vt magis inde appareret miraculum, & magnificentia ex fœcunditate sibi collata. *Tenebræ erant super faciem abyssi,* quod potest exponi, & de conditione humani generis, vbi est abyssus iudiciorum incognita, in quo humano genere erant tenebræ errorum, & peccatorum, declinatis pene omnibus ad idolatriam, Gentilibus, & Iudæis legem Dei dissipantibus. Abyssus etiam dici potest ipsa Anna, vt terra infœcunda, & ideo tenebræ afflictionis, & confusionis erant in ea: quia maledicta dicebatur sterilis, opprobrio videlicet confusionis, quæ fructum non faciebat. Vnde enim ait B. Ambr. Pudor est fœminis nuptiarũ præmia non habere, propter quod primò institutum est matrimoniũ, vt habetur 32. q. 2. pudor. *Et spiritus Domini ferebatur super aquas.* Cùm enim, vt narrat historia Ioachim accessisset ad templum Domini in Hierusalem, iuxta mandatum legis ad offerendum sacrificium, & cum fœcundis se Pontifici præsentasset, redarguit eum Pontifex, quòd sterilis cum fœcundis ad templum accessit, propter quod ille confusus ex improperio huiusmodi non rediit domum, sed ad permanendum cum pastoribus gregis sui abijt. Quod intelligens Anna, solatio viri destituta, cum lachry-

Baruc. 4. *Cant.* 1. 1. *Co.* 10. *Ecclef.* 1. *Gen.* 1.

C D

mis Dominum exorabat pro reuerſione viri, & remotione huiuſmodi opprobrij, votũ faciens Deo, offerre fructum ventris ſui. Et tunc *ſpiritus Domini ferebatur* ſuper huiuſmodi aquas lachrymarũ, ad exaudiendũ votum eius, & conſolandum, vnde apparuit ei Angelus Domini confortans, & declarans ſterilium partus fore mirabiles, vt patet de partu Iſaac ex Sara ſterili, & Sanſonis ex matre ſterili: & Samuelis ex Anna, prænuntians ei reuerſionem viri ad domum, quod ſecutum eſt apparente Angelo Ioachim, & reditum imperante, ac conceptum futurum de ea, quæ Domina mundi, & Mater Dei facienda erat. Vnde ſequitur. Dixit Verbo Deus, dicere Dei eſt facere. *Fiat lux.* Vbi ſucceſsiuè narrantur opera ſex dierum in principio facta deſignantia ſex opera mirabilia Dei facta ſucceſsiuè in Virgine MARIA ibi figurata. Et ſic *in capite libri ſcriptum eſt de me, &c.* Et primum opus eſt conceptio; ibi dixit: *Fiat lux.* In hoc præfigurans, & præordinans conceptum virginis, cuius vita glorioſa lucem dedit ſeculo. *Et facta eſt lux.* Facta quidem tempore prædeterminato quantùm ad corpus à parẽtibus ſuis Ioachim, & Anna, vt cauſa inſtrumẽtali per eorum copulam carnalem. Non enim de Spiritu Sancto concepta eſt: quia hoc eſt priuilegium ſolius Chriſti, & hæreticum eſſet hoc dicere, ſed ſecundùm modum communem generationi humanæ. Facta eſt autem lux iſta Virgo glorioſa à Deo principaliter quantùm ad corpus: quia de ſterili, & optimè complexionata, & organizata, quantùm ad animam, quoniã ipſe Deus de nouo eam creauit poſt corpus perfectè organizatum, & creando animam in corpus ſuum infundit. Vnde. B. Hieron. Inter illas ſecreti ventris anguſtias manus omnipotentis ſemper operatur idem plaſmator corporis ſimul, & animæ eſt, diſt. 41. naſci. Et ſic concepta, & animata Beata MARIA inuenta eſt cùm aliqua tenebra, ſcilicet, peccati originalis contracti poſt infuſionem animæ in corpus. Sed ſubitò diuiſit Deus lucem à tenebris, eam ſanctificando, & ab originali mundando. Et facta eſt tota lux, & dies radioſa. In ſecunda die fecit Deus ſecundum opus, ſcilicet, firmamentum, diuidens aquam ab aquis. Hoc firmamentum eſt Beata MARIA: quæ nata in mundo ſemper firma fuit in Domino. Non enim ait B. Bernard. feſtiuis laudibus natiuitas eius celebraretur, ſi non ſancta naſceretur, id eſt, firmata in omni bono, poſitaque eſt in medio aquarum ſuperiorum, & inferiorum. Aquæ fluxibiles ſunt creaturæ ratione vtentes, vt Angeli, & homines, qui Angeli etſi immortales ſint in ſui eſſentia, & homines quoad animam, tamen continuè fluunt per mutationem, ſaltem cogitationũm, & affectionum, immo & vertibiles ad bonum, & malum ante ſui glorificationem. In medio ergo harum aquarum poſitum eſt iſtud firmamentum Beata MARIA, & in medio ſanctorum viæ, & patriæ diuiſa eſt ab vtriſque, exiſtens ſupra communem ſtatum viæ, & infra ſtatum patriæ, communicans cum vtriſque, habens cum ſuperioribus virtutum perfectionem, cum inferioribus merendi conditionem. Cum ſuperioribus ſecuritatem contra caſum, cum inferioribus poſsibilitatẽ ad meritum. In tertia die congregatis aquis in locum vnum, apparuit arida, *vocauitque Deus aridam terram, congregationeſque aquarum appellauit maria.* Congregatis igitur omnibus gratijs ſanctorum in vnum locum, ſcilicet, in animam virginis appellauit eam MARIAM, quaſi mare gratiarum. *Omnia enim flumina in mare intrant.* Eccleſ. 1. id eſt omnes gratiæ in MARIA, *& mare non redundat*, ſcilicet, in aliquam ſuperbiam. Vnde & ipſam aridam ab omni concupiſcentia vocauit terram propter ſuam humilitatem ſummam. Dicitur enim humilis quaſi humi acciiuis, id eſt, terræ, de qua dicitur in Pſalm. 84. *Terra noſtra dabit fructum ſuum.* Et in alio. Deus operatus eſt ſalutem in medio terræ, id eſt, Virginis. Et dicitur MARIA media producta non correpta: quia ſemper aucta eſt in virtutibus. Iſta igitur terra ſegregata ab aquis deliciarum, & populorum, & paruula in templo præſentata à parentibus Deo dedicata germen cœpit producere, herbas ſanctarum cogitationum, flores feruentium deſideriorum, fructus perfectarum operationum, quãrum ſemen remanſit ſuper terram, ſcilicet, exteriorum exemplorum, iuxta quæ alij poſsint fructificare per imitationem. Inſiſtebat enim orationi, meditationi pro parte diei, exercitio corporali honeſto alicui pro ſuſtentatione vitæ, obediens maioribus, & reuerens æqualibus non inuidens, inferioribus ſeruiens. Loquendi parcior, legendi ſtudioſior. Non in incerto diuitiarum, ſed in prece pauperis ſpem reponens, arbitrum mentis non hominem, ſed Deum quærens. In quarta die fecit Deus luminaria magna, ſcilicet, Solem, Lunam, & ſtellas. Sol autem iuſtitiæ eſt Chriſtus Deus noſter. Sol autem materialis dicitur factus illa die ex nubecula illa facta prima die, quæ dicta eſt lux ſecundũ quoſdã Doctores. Ita & Sol ſpiritualis, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, factus eſt conceptus, & natus de nubecula lucida, id eſt, Virgine MARIA. Tunc & Luna etiam formata, id eſt, Eccleſia à Chriſto illuminata, ſicut Luna à ſole, habuit ſuã perfectionẽ vnitã in noſtra humanitate cũ Deo in

Geneſ.

Eccle. 1.

Pſal. 84.

vtero

vtero virginis. Et stellæ, quarum non est numerus diuersorum sanctorum lumen gratiæ recipientes à sole Christo: quia de *plenitudine eius nos omnes accepimus gratiã.* Ioan. 1. apparuerunt noctem vitæ præsentis suis exemplis irradiantes. In quinta die creati sunt volucres cœli, & pisces ex ipsis aquis. Volucres ad alta volantes sunt actus vitæ actiuæ. Et vtrique ex aquis abundantissimæ gratiæ eius processerunt. Quis enarrare valeat, vel etiam cogitare altissimas contemplationes, quas habuit in conceptu filij? In visitatione Elizabeth, quando dixit. *Magnificat anima mea Dominum.* In natiuitate filij, cùm vidit Deum ex se natum, ab Angelis collaudatum, à pastoribus, & Magis veneratum, à Symeone declaratum, & postea in prædicationibus, miraculis auditis, & visis exaltatum. Nec tamen defecerunt in ea pisces, id est, actus misericordiæ actiuæ vitæ ad proximum, & cum labore. Nam nudum filium vestiuit, cibo pauit, lacte potauit, hospitem in domo sua paupercula recepit. Fugauit eum in Egyptum, ne perderetur, laborabat manibus, vt eius necessitatibus prouideret. Denique iuxta crucem stans cum filio crucifixo, cruci per compassionem confixa erat. In sexta die fecit Deus hominem, & translatum de terra in Paradisum voluptatis dedit ei vtile dominium, vt præesset volucribus cœli, & piscibus maris, & bestijs terræ ab eo creatis. Apostolus Paulus 1. Corin. 13. assimilat statum vitæ præsentis etiam in sanctis statui paruuli pueri. Statum autem beatorum statui viri perfectæ ætatis. Vnde dicit. *Cùm autem factus sum vir, euacuaui, quæ erant paruuli.* Sicut enim paruulus habet paruam notitiam de rebus, & maximè spiritualibus, sed vir magnam, si se applicat in illis. Ita in præsenti omnis notitia, quam de Deo habent etiam sanctissimi homines, est imperfectissima, & modica respectu cognitionis in patria, quamuis igitur Beata MARIA habuit altissimam cognitionem de diuinis in præsenti, tamen alio modo habuit perfectiorem, quando assumpta est in cœlũ, & Paradisum trãslata in anima, & corpore, vt vir habens perfectissimam visionem, & fruitionem facta domina omnium, vt præsit volucribus Angelorum piscibus Dæmonum in mari amaro pœnarum natantibus, bestijs hominem mortalium. Denique die septimo, quia quieuit ab operibus suis Deus, & Christus in sepulchro, & tunc fides in Virgine ipsa, ideo benedixit ei, & sanctificauit, statuens eam diem septimam in veneratione haberi à fidelibus in honorem eius. Non quidem abstinendo ab operibus manualibus, ne videamur iudaizare, de cons. dist. 3. peruenit, sed iemnando, orando frequentiùs, & eleemosynas dando. Ecce ergo quomodo in capite libri scriptum est de ea, vt faceret, &c. Et sic per figuram memoria eius est in generatione seculorum.

Ioan. 1.

Lucæ 1.

1. *Cor.* 13

§. III.

DE tertio libro, qui est nouum testamentum, præcipuè Euangelium, in quo docetur omnis Christiana perfectio, potest intelligi illud Ezech. 2. Et vidi. *Et ecce manus missa est ad me, & in ea inuolutus liber scriptus intus, & foris. Erant in eo scriptæ lamentationes carmen, & væ.* Manus ista est Dei filius, quo vt manu artificis factus est mundus. Liber inuolutus in ea est Euangelium, seu doctrina prædicata ab eo, quæ inuoluta, & obscura est Iudæis, & Gentilibus, scriptus est intus, & foris: quia dirigit, & informat conuersationem exteriorem, & interiorem hominis. Sunt scripta in eo lamentationes compunctionis, quæ debent haberi pro peccatis, iuxta illud: pœnitentiam agite, &c. Carmen exultationis, quod quis debet habere pro expectatione bonorum mercedis: væ cruciatus damnationis, quem debet quis timere pro vitijs perpetratis, iuxta illud Matth. 25. *Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.* Principium huius libri Euangelici est illud. *Liber generationis Iesu Christi.* Matth. 1. id est, in quo narratur generatio temporalis Christi, per quem generata sunt secula, id est, homines in esse spirituali. Et in fine huius genealogiæ, qui est in capite libri noui testamenti, seu Euangelij dicitur. *Iacob autem genuit Ioseph virum MARIÆ, de qua natus est Iesus*, qui dicitur Christus. In capite ergo libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam in sumendo sponsum, in consentiendo Deo ad concipiendum Christum. Et sic memoria huius Virginis est in generatione seculorum spirituali, facta in Dei incarnatione ex Virgine. Sed tunc quæritur: cùm Euangelista narraret genealogiam MARIÆ, de qua natus est Christus, non ex Ioseph, quare describit genealogiã Ioseph, & non MARIÆ? Ad quod respondent B. Hier. & Ioan. Dam. quòd non fuit consuetudo Iudæis, neque diuinæ scripturæ genealogias ponere per mulieres, sed per mares. Lex autem prohibebat commisceri connubia inter homines vnius tribus cum alterius tribus hominibus, nisi inter Sacerdotalem, & tribu Iuda regalem. Sed fiebat matrimoniũ inter homines vnius tribus, & vnius familiæ, & quia Ioseph erat iustus, vt dicitur Mat. 1. nõ sumpsisset MARIAM in eõiugẽ, nisi fuisset de tribu Iuda, & familia Dauid: quia fecisse contra legẽ. Ex hoc ergo, quòd describitur genealogia Ioseph

Ezec. 2.

Mat. 25.

Matth. 1.

Matt. 1.

seph inchoata ab Abrahã, consequẽter ponitur, & genealogia MARIÆ sponsæ suæ, cùm essent de eadem tribu, & familia. Si vlteriùs quæratur, quare scriptura non consueuit genealogizare mulieres, sicut viros? Respondit Albert. Mag. in libr. super Missus est, quòd propter plures causas. Prima, quia sexus fœmineus indignior, vt virilis dignior, propter principalitatem generandi: quia masculus generat in altero. Secundò, quia sexus fœmineus est natura posterior, priùs enim formatus est Adam, postea Eua, & ipsa de costa eius. Tertia causa: quia culpa prior. Priùs enim Eua tulit de pomo vetito, postea Adã fortè absuasus. Et magis Eua seducta superbia, credens se fieri posse per esum similem Deo, hoc Adam non credidit, licet mandatum, & ipse transgressus est. Et hoc est, quod ait Apostolus, cùm dicit *Mulier enim seducta est in præuaricatione. Adam verò non est seductus.* Quarta ratio: quia mulier ad opera infirmitatis signanda est congruentior: quia debilioris rationis, & virtutis corporalis. Cùm autem prædictis rationibus mulieres non genealogizentur, ab ista maledictione est exempta Beata MARIA, cuius genealogia expressissimè declaratur, & patentissimè euangelizatur. Quòd autem hoc fit per virum desponsatum sibi, id est, Ioseph, vt patet in Euangelio, declarat eminentia dignitatis, & humilitatis simul, vt manifestetur mirabilis pulchritudo, cùm & dignitas extollit humilitatem, & super omnia humilitas præcipuè ornat dignitatem. Quid enim ait B Bern. virtutum est æquè potens omnium Dæmonum debellare superbiam, & tyrannidem hominum? Cæterùm cùm omniũ indifferenter personarum hæc sit, scilicet, humilitas, quædam turris fortitudinis à facie inimici, nescio, quo pacto cuiusvis maior est in maioribus, & in clarioribus clarior cõprobatur. Nulla splendidior gemma in omni præcipuo ornatu Summi Pontificis. Quò enim excellentior cæteris ex humilitatè, patet illustrior ex seipso, hæc ille. Sicut ergo Dominus priuilegiauit Matrem suam super omnes mulieres in eo, quòd genealogizetur, ita & humilitate adornauit, quòd hæc genealogia ad ipsam per virum Ioseph descendere demonstratur. Circa quam genealogiam positam in capite libri Euangeliorum tria sunt considerandа. Primum est, quòd nullæ fœminæ peccatrices in genealogia describuntur. Secundum, quòd mali aliqui viri in ipsa genealogia inseruntur. Tertium, quòd multi boni in ipsa genealogia exprimuntur. Quantùm ad primum causa huius esse potest ex eo, quòd omnis peccati imitatio, vel suspicio à Beatissima MARIA excluditur, decuit. Sicut autem à patre in filios per

A imitationem mala conuersatio solet deriuari, quia cum eis frequentiùs conuersantur, & vident eorum mala opera, ita à matribus in filias, quæ continuè habitant cum eis, & vident opera earum, mali mores descendunt per sequelam. Nulla ergo mater in genealogia mala designata, ne suspicio, vel minima de eius imitatione in hoc oriatur, nec est contra quod ait Hieron. super Mat. scilicet, quòd nulla sanctarum mulierum hìc ponitur, quasi diceret, sed per contrarium peccatrices, vt Raab meretrix. Ruth Moabitides gentilis. Bersabee adultera. Thamar incestuosa. Nam prædictæ mulieres, quæ exprimuntur in genealogia
B fuerunt vtique malæ, sed antequam pertinerent ad genealogiam, ad quod respicit Beatus Hieronymus. Fuit enim Raab meretrix, antequam desponsaretur Salmoni, non autem postquam accepit illum in virum, vnde pertinet ad genealogiam Domini descendentis ab ea. Sic Ruth accipiens in virum Booz, ex qua natus est Obeth, anum Dauid, conuersa est ad cultum veri Dei. Bersabee autem perpetrauit adulterium, antequam sumeret in virum legitimum Dauid, & natus ex illo adulterio non ponitur in genealogia Dominæ, sed Salomon, qui natus est de legitimo matrimonio, ipsa honesta permanente, sic & Thamar con-
C cepto Saram, & Phares, quæ pertinet ad genealogiam Dominæ, casta permansit. Et secundùm hæc intelligi oportet dicta Alberti, & tunc non contradicunt verbis Beati Hieronymi. Quantùm ad secundum dicendum secundùm Albert. vbi supra, quòd ideo ortum habuit ab aliquibus descriptis viris in genealogia ista malis triplici ex causa. Prima, quia oppositа iuxta se posita magis eluceſcunt. Et secundùm illud dicitur in Cant. Canticor. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Et sicut spina rosam, genuit Iudæa MARIAM, canit Ecclesia. Secunda, vt sapientia Dei misericorditer appareret. Est enim exitus de
D bono in bonum, seu melius, vt illud. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Genes. 1. Ex singulis enim creaturis bonis factis resultat pulchritudo vniuersi, quæ est melius. Est & exitus de malo in malum, secundùm illud. Initium omnis peccati superbia. Est & exitus de bono in malum, vt de muliere initium peccati. Quartus exitus est de malo in bonum. Et hoc est proprium Dei, cuius sapientia vincit malitiam, ex malo eliciens bona. Tertia causa est, vt cõfidẽtiã peccatoribus augmẽtare, per hoc quòd mediatrix eorũ eadẽ propinquitate vtrãq; extremitatẽ coniungeret, vt sicut est mater, soror, & filia Dei, sic etiã à natura inclina

Cant. 2.

Gen. 1.

retur

retur ad miserendũ peccatori, propter quod figuratur per arcum in nubibus cœli in signũ fœderis inter cœlum, & terram. Non enim potuit Deus efficaciùs cum peccatoribus stabilire pacem, quàm, quòd filiã peccatorum hominum suo filio accepit vxorem, & matrem. Nec aliquis fidelius inter Deum, & hominẽ pacem fecit, quàm, quæ mater vtriusque fuit. Ad hoc etiam optimè facit authoritas Hieron. dist. 56. Dominus, qui hanc rationem assignat. Quantùm ad tertium dicendum, quòd ideo à bonis, & sanctis ortum habere voluit, vt patet in narratis in genealogia triplici ratione secundùm Alber. Primi est, vt sanctitas vndiq; eam circundaret. Retro per nobilitatem eorum, scilicet, sanctorum ex quibus descendit, vt Abraham, & aliorum. Antè per vtilitatem, scilicet, propter Christum ex ea natum. Supra per dignitatem: quia facta Regina cœli. Infra per potestatem ad Dæmones coercendos. A dextris per virtutum summitatem. A sinistris per peccati immunitatem. Ab intra per charitatem. Secundò, à causa, vt humilitas eius laudabilior appareret: quia vt ait B. Bern. In altum positis non alta sapere, sed humilibus consentire, nil Deo charius, nil apud homines rarius ipuenitur. Ipsa autẽ regali ex progenie exorta ancillam se vocat. Tertia ratio est, vt antiquitas nobilitatem extollat, & augeat: quia non potest arbor bona fructus malos facere. Et quòd natura tale magis tale, & magis ad virtutẽ perficitur, qui ad ipsam ex naturæ origine inclinatur. Virtutes enim partim à natura, partim â consuetudine sunt acquisitæ. Nam infusæ principaliter ex gratia. Vnde Iob 31. *Ab infantia creuit mecum* Iob 31. *miseratio*, scilicet, per assuetudinem, *& de vtero matris meæ egressa est mecum*, vt à natura. Sicut enim diuturnitas peccati non minuit peccatum, sed auget. Et tantò sunt grauiora peccata, quantò animã infœlicem diutius detinent alligatam, vt dicit Greg. 9. extra de consue. c. vlt. Et sicut *adulterinæ plantationes non dabunt radices altas*, vt dicitur Sap. 4. Sap. 4. Ita è conuerso *pulchra est casta generatio*, id est, progenies *cum claritate. Immortalis est enim memoria illius: quia apud Deũ nota est, & apud homines.* Et sicut omnes iniqui filij ex iniquis, qui nascuntur, testes sunt nequitiæ aduersus parentes, ita generatio rectorum benedicetur. Sic ergo Beatissima MARIA ex magnis, & bonis orta est, vt antiquitas nobilitatem eius extolleret. *In capite ergo libri scriptum est de me*, ait: quia in principio noui testamenti, &c. De Conceptione Beatæ MARIÆ Virginis habes alium sermonem in 1. parte tit. 8. de peccato originali, & ibi vtrùm ipsa contraxerit originale per rationes, & authoritates.

A

B

C

D

De Natiuitate Sanctæ MARIÆ Sermo. Cap. 5.

Liber generationis Iesu Christi Matth. 1. Hic est, scilicet, sancta MARIA hodie nata. Vbi notandum, quòd consuetudo antiquorum fuit Principum, & Magnatum diem natalis sui cum solemnitate, & iucunditate celebrare. Vnde dicitur Marc. 6. quòd Herodes Rex natalis sui cœnam fecit principibus, & tribunis, & primis Galileæ. Ratio autem, & causa huius fuit: quia credebant eufortunia sua ex die ex hora natiuitatis suæ omnia prouenire. In cuius rei signum est argumentum, quod narrat Valerius Maximus de duobus Philosophis eadem die natis, qui scilicet, in fortunis postea æqualiter processerunt. Vnde dicit, quòd Polestratus, & Hipoclides Philosophi eadem die nati, eiusdem præceptoris Epicuri sectam secuti patrimonij etiam possidendi, alendique scholæ communione coniuncti, eodemque momento tẽporis vltima senectute extincti. Similiter ex eodem credebant procedere infortunia sua, quæcũq; mala. Ad quod facere videtur quod idem Valerius Maximus refert de quodam, qui omni anno ea die solùm, in quo natus fuerat, febres patiebatur, nec vnquam aliàs alia infirmitate tangebatur; & illa tali febre illius vltimo die extinctus est. Illi ergo, qui eufortunati erãt, sicut & magni, & honorati tanquam causam eufortunij sui suæ natiuitatis diem cum lætitia celebrabant. Sed scriptura sacra diuinitus inspirata, & ipsius Doctores à Deo illuminati tam bona, quàm mala, id est, aduersa ex diuina prouidentia magis, quàm ex constellatione natiuitatis prouenire nobis asserunt. Propter, quod dicitur Hier. 10. *A signis cœli nolite metuere.* Nam etiam in his, quæ corporum cœlestium dominio subduntur, diuina voluntas, & prouidentia præualet, prospera, & aduersa prout vult singulis tribuens. Et ideo Ecclesia non celebrat natiuitates hominum, & præcipuè, quia nascuntur cum originali peccato. Celebrat tamen natales dies quorundam, qui ex speciali Dei munere nati sunt sine originali peccato, vt Christi, & Virginis matris eius, & Ioan. Bap. Christus etiam sine originali conceptus, non solùm natus. Et sic natiuitas B. MARIÆ celebratur: quia vt dicit B. Bern. sancta fuit, antequam nata. Neque enim festiuis laudibus celebraretur si non sancta nasceretur. Et de hac in verbis præpositis, quæ sunt titulus, quasi Euangelij dicitur *Liber generationis Iesu Christi*, in quo commendatur ex tribus. Ex totali puritate: quia liber. Ex supernaturali fœcunditate: quia genenerationis. Ex singulari dignitate: quia Iesu Christi.

Matth. 1.

Marc. 6.

Hier. 10.

§. I.

DIcitur Beata MARIA liber: quia continuit in se diuinam sapientiam, id est, filiũ Dei. In libris enim continetur sapientia descripta. Et ex hoc innuitur totalis eius pũritas, scilicet, in anima, & corpore: quia vt dicitur Sap. 1. *In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Et ideo oportuit eam esse totaliter puram ab omni peccato. Ioan. Damas. Sanctus enim Deus non nisi in sanctis requiescit. Et possumus dicere, quòd vocatur Beata MARIA liber triplici ex causa, seu ratione. Primò, ratione materiæ. Secundò, ratione scripturæ. Tertiò, ratione clausuræ. Quantùm ad primum libri præcipuè notabiles fiunt de pergameno quoad materiam, seu chartam, purgato tamen tripliciter, scilicet, à pellis carnositate, ab aquositate, seu humiditate, quando, scilicet, siccatur, & à superfluitate, quando raditur. Sic Beata MARIA purgata fuit à carnositate peccati originalis prouenientis ex peccato originali. Psalm. 50. *Ecce enim in iniquitate conceptus sum, & in peccatis cõcepit me, &c.* Et hoc in sanctificatione. Ab aquositate, id est, fomitis fluxibilitate. Gen. 6. *Cuncta cogitatio cordis prona est ad malum, &c.* Et hoc in Spiritu Sancti superuentione. A superfluitate, id est, à quadam legis irregularitate, & hoc in purificatione: quia, scilicet, secundùm legem mulier pariens non poterat ire ad templum, nisi post quadraginta dies, vel à superfluitate, quò ad directionem actualem omnium in Deum. Sic & nos oportet pũrgari, si volumus Paradisum intrare, ab originali per baptismum à mortali per pœnitentiam, à superfluitate venialium per sacramentalia. Beatus Augustin. de pœnit. dist. 1. neminem. Neminem putes ab errore ad veritatem à quocunque magno, vel paruo peccato ad virtutem sine pœnitentia posse transire. Ita à Deo impartitur largitas veniæ, vt non deseratur veritas disciplinæ. Vel potest dici, & debemus purgari à carnositate luxuriæ; ab aquositate superbiæ. Humiditas enim nimia facit inflare, & hydropicum, & à superfluitate auaritiæ, quæ superflua congregat, & retinet. Antiquitus autem materia librorum fiebant chartæ de ligno, id est, ex cortice illo arboris subtiliori, qui est medius inter corticem exteriorem grossum, & lignum, qui cortex medius, & subtilis dicitur liber. Vnde à tali materia liber est dictus, quæ materia benè congruit Beatæ MARIÆ: quia facta est media, seu mediatrix inter Deum, & homines, propter quod canit Ecclesia. Mediatrix hominum, ablutrixque criminum, peccatorum venia, scilicet, procurando ista. Et ideo peccatores discordes, & inimici Dei facti propter offensam, vt reconciliantur ei, debent ad istum librum, & ad istam mediatricem recurrere. Nam sicut ipsa mediante sedata est lis, quæ erat inter Deum, & homines, ita etiã per ipsam terminantur quæstiones inter homines, & Diabolum. Vnde legitur in lib. de miraculis eius, quòd quidam grandis peccator ductus est per visionem ad iudicium Dei, vbi per quatuor allegationes Diabolus voluit probare eum, esse suum. Primò ratione publici instrumenti, quod Deus dictauit, cũ dixit. *In quacunque hora comederetis ex eo, morte moriemini.* Cùm ergo iste sit ex eius progenie, morte perpetua debet mori, sed B. MARIA, cuius ille deuot⁹ erat respõdit, vt mediatrix, & aduocata Istud tu Dæmon falsificasti: quia ad illud addidisti. Nequaquam moriemini, & ideo tanquam falsarius repellendus es. Secundò, dicit Diabolus, illũ esse suũ ratione perscriptionis: quia, scilicet, multis annis eum in seruum possedit. At quod mediatrix B. MARIA respondit. Illa perscriptio fuit sæpe interrupta, & ideo non valet: quia ratio eius semper murmurabat, & cõtradicebat, quòd tã crudeli Domino seruiebat. Tertiò, dixit diabolus illum esse suum ratione proprietatis peccati. Nam peccati proprium est esse ponderosum Psal. 37. *Sicut onus graue grauatæ sũt sũper me.* Et quia põderosum, ideo trahit ad centrum esse, scilicet, infernum, & ideo illuc demergendum. Cui mediatrix respondit, quòd pœna, & passio filij sui plus omnibus ponderauit, & sursum quodammodo trahit peccatores. Iob 6. *Vtinam appenderentur peccata mea, &c.* Quartò, allegauit: quia plura erant eius mala, quàm bona. Et cùm ad præceptum iudicis in statera appenderentur bona, & mala, & statera in qua erant mala præponderaret, subitò Beata MARIA manum apposuit ad stateram, seu bilanciam in qua erant bona, etsi pauca, & traxit eam ad terram, & præponderauit, alteri. Tunc Diabolus confusus abscessit, & ille euigilans vitam suam in melius commutauit. Secundò Beata MARIA dicitur liber ratione scripturæ eius. Scriptura enim libri nihil est aliud, quàm verbum inchartatum, id est, charta incorporatum. Et repręsentat Verbum Dei incarnatum in Virgine. Nam tanquam nostrum Verbum mentale est Verbũ à Patre genitum. Psal. *Eructauit cor meum Verbum bonum*, ait. Psal. 44. Tanquam Verbum vocale est Verbũ Dei à Prophetis prædicatũ. Esai. 55. *Verbum, quod egredietur de ore meo*, scilicet, per Prophetas, non redibit ad me vacuum. Sed tanquam Verbum inchartatũ, seu scriptũ est Verbũ Dei in vtero Virginis formatum, seu incarnatum, de quo dicitur Esai. 8. *Sume tibi librum grandẽ, & scribe in eo stylo hominis.* Vt sit Verbũ patris & fi-

Sap. 1.
Psal. 50.
Genes. 6.
Genes. 2.
Psal. 37.
Iob 6.
Psal. 44.
Esai. 55.
Esai. 8.

& filij ad Spiritum Sanctum, cuius opere conceptus dicitur. Liber iſte grandis fuit Beata MARIA. Libri, qui fiunt ab hominibus ſunt parui, quia pauca continent. Nam etſi Salomon dicat, Eccleſ. vlt. *Faciendi libros nullus eſt finis.* *Eccl. vlt.* Tamen, vt ait Themiſtius. Ea quę ſcimus, ſunt minima pars eorum, quæ ignoramus. Sed Beata MARIA fuit liber grandis, quia continuit diuinam ſapientiam cuius non eſt numerus; in ipſo enim ſecũdùm Apoſtolum ſunt thelauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei. Scriptor huius libri fuit optimus, quoniam Spiritus Sanctus, qui omnium eſt artifex, omnium habens ſcientiam. Fuit quoque in hoc libro, & Scriptura, in qua omnes poſſunt, & debent legere, & obſeruare in B eo contenta. Vnde beatus Ambroſius in libr. de Virginibus ait. Sit vobis tanquam in imagine deſcripta vita MARIÆ. Habetis in ea probitatis exempla, vt ſciatis quid eligere, quid vitare debeatis, Virgo erat non corpore, ſcilicet tantùm, ſed & mente, quæ nullo diaboli ambitu ſyncerum violaret affectum. Corde humilis, verbo grauis, animo prudens loquendi parcior, legendi ſtudioſior, intenta operi, vel secunda ſermone, arbitrum mentis non hominem, ſed Deum quærens. Non in certo diuitiarum, ſed in prece pauperum ſpem reponens. Aſſurgere maioribus natu, æqualibus non inuidere, fugere iactantiam, ſequi rationem, amare virtutem. Et infrà, C Congeminatus ieiunio dies. Et ſi reficiendi neceſsitas fuit, plerumque cibus obuius erat qui mortem arceret, non qui delicias miniſtraret, dormiendi non prius cupiditas, quàm neceſsitas fuit. Et ſiquando dormiebat corpus, vigilabat animus, qui vel lecta repetit, vel interrupta continuat, vel agenda pronunciat, vel ordinata diſponit. Hæc ille, vbi multa dici poſſunt ad dilectionem, & imitationem eius. Et de hoc libro Virginali, ait Baruch. 4. capit. *Hic eſt liber mandatorum.* *Baruc. 3.* Mandata Dei ſunt de operibus virtutum. Tot ſunt in hoc libro Scripturæ, quot opera virtutum. Ille verò legit in eo, & colit, quia eam imitatur, & diligit. Tertiò dicitur D Beata MARIA liber ratione clauſuræ, libri enim habent ſua clauſoria, vel ſigilla. Ipſa dici poteſt liber ille, de quo Ioan. Apocalip. 5. *Apoca. 5.* *Vidi in dextera Dei ſedentis ſuper thronum librum ſcriptum intus, & foris ſignatum ſeptem ſigillis.* Liber iſte Beatę MARIÆ in dextera Dei fuit, id eſt, in Dei prędeſtinatione, & prędelectione cunctorum. Scriptus habitus intus in anima, & actibus virtutum ab extra, ſeu foris in exteriori conuerſatione. Septem ſigilla ſunt ſeptem figuræ ſuæ ſanctiſsimæ Natiuitatis. Primam clauſuram, ſeu ſigillum appoſuit Balaam dicens, Num. 24. *Num. 24* *Orietur ſtella ex Iacob, & homo exurget de Iſrael, qui percutiet Duces Moab.* Hæc ſtella eſt Beata MARIA, orta vtique ex Iacob, ideſt, progenie Patriarchę Iacob. Hęc aſſimilatur ſtellę ratione quantitatis. Eſt enim in cœlo aliqua ſtella, quæ omnibus ſtellis eſt maior, ſcilicet illa, quæ eſt in arietę in fine imaginis draconis, vt dicit Alphagranus. Quantò autem aliqua ſtella magis elevatur à nobis, tantò apparet nobis minor propter diſtantiam. Ita Beata MARIA maior eſt in eſſe ſpirituali, quã omnes ſancti, & ſanctę, & tamen quantò maior fuit, tantò minor ſibiipſi videbatur propter immenſam humilitatem. Dicta autem ſtella aliquando videtur maior, vnde videlicet mediante aliquo vapore humido videtur. Sic & Beatam MARIAM ille videt, vt maiorem, & magis laudat, qui humore deuotionis abundat. Secunda clauſura, ſeu figura fuit de area. Et hanc appoſuit Gedeon. Sed Dauid ipſum ſigillum magis ampliauit, cùm ait *Deſcendit ſicut pluuia in vellus, & ſicut ſtillicidia, &c.* *Pſal. 71.* Vellus eſt pellis cum lana beſtiæ, quod naſcitur in carne, & de carne, ſed paſsiones carnis non ſentit, quia eſt ſeparatum ab animali, ſcilicet poſt mortem eius. Sic Beata MARIA, quamuis nata fuerit de corpore Annæ, & in carne corporea fuerit ſeparata, tamen ab ea vitia carnis neſciuit, ſed pura, & illibata ſemper premanſit. Vnde beatus Hieron. illud Pſalmi, exponens in Sermone, ait. Plane cœleſtis imber virgineũ vellus infudit, & tota Deitatis vnda in cor ſe contulit, ac deinde per Crucis patibulum expreſſum omnibus pluuiam ſalutis effudit, & humanis mentibus ſtillicidia gratiæ præſtitit die clariùs. Area eſt Virgo MARIA, vellus Chriſtus in ea, ros Diuinitas, quæ fuit plena. Area tamen arida remanſit, quia virgo intacta, & inuiolata ſemper fuit, vt patet in figura Iudicum 6. *Iudic. 6.* Vel vellus MARIA, vt dictum eſt. Tertiam clauſuram, ſeu ſigillum ponit Salomon dicens Canticor. 4. *Hortus concluſus ſoror* *Cant. 4.* *mea ſponſa*, ſcilicet, *es hortus concluſus, fons ſignatus, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.* Soror dicitur Beata MARIA, quia creatura rationalis creata à Deo, vt patre omnium, vnde & Soror noſtra. Sponſa dicitur Dei, ex quo genitus eſt Chriſtus, ſcilicet opere Dei ſupernaturali. Hortus fuit, in quo fuerunt flores ſanctorum deſideriorum, & omnium odoramenta virtutum. Concluſus dicitur, quia nullo doli aditu à diabolo ingredi potuit. Fons ſignatus ſigillo totius Trinitatis. Fõs de mari oritur, ſed per meatus ſubterraneos tranſiens dulcoratur, & ſic de ipſa aqua dulcorata fonti immittitur, & potabilis redditur. Et ſic in principio fons habet amaritudinem, ſcilicet in mari, in medio dulcorationem, in fine, ſcilicet, in ipſo fonte dulcem, & potabilem emanationem. Ita & Beata MARIA de amaro po-

pu-

pulo Iudæorum ortum habuit, & in amaritudine peccati originalis generata, sed postea à Spiritu Sancto per sanctificationem dulcorata gratia, ita quòd postea semper emisit aquas dulcissimas actionum, potabiles, id est, imitabiles. Dicitur autè bis hortus conclusus, quia nec intellectum error intrauit, nec affectum iniquitas venialis. Puteus est aquarum viuentium, id est, gratiarum perfectarum, quæ fluunt de paradiso, quasi similes illis. Quartam clausuram apposuit Pro-
Esai. 11. pheta Esaias dicens cap. 11. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Virgo Dei Genitrix virga est, flos filius eius, exponit cantans Ecclesia. Et notandum quòd virga ista non dicitur orta, sed egressa de radice Iesse, id est, radice, & genere Iudæorum. Radix enim terræ humore, sed virga rore cœli, & calore Solis crescit. Radix stat in immo, virga ascendit sursum. Sic Iudæi ex quibus egressa est per Annam, & Ioachim perebant ima vitiorum, vnde & infernorum Beata MARIA sublimia virtutum, vnde & cœlorum Iudæi, vt radix sunt in terram fixi per cupiditatem temporalium. Hæc in aere per auiditatem cœlestium. Iudæi constringuntur, vt radix frigore infidelitatis, & hæc fouetur calore charitatis. Hæc est illa virga figurata per virgam Aaron, quæ in tabernaculo posita, miraculosè floruit, & fructum
Num. 17. fecit, cùm tamen sicca esset, vt habetur Numer. 17. quia Beata MARIA in Templo Deo dedicata floruit, Christum concipiendo, fructum fecit pariendo eum, ipsa tamen sicca, id est, Virgine permanente. Quintum sigillum posuit Ezechiel in vltima suarum visionum, vidit enim quoddam ædificium mirabile in monte, seu Templum, & in eo quandam portam factam, de qua ei dictum est.
Ezec. 44. *Hæc porta Domini clausa erit, Dominus solus ingredietur per eam, & clausa manebit in æternum.* Ezech. 44. Templum hoc est Ecclesia posita in sublimitate virtutum, & in spe cœlestium præmiorum. Ex hoc vidit aquam egredientem, & ad quos peruenit aqua illa, quæ est aqua gratiæ, quæ ab Ecclesia, seu Ecclesiasticis sacris egreditur, salui facti sunt. Porta autem in hoc templo facta, est Virgo MARIA nata in ipsa Ecclesia per gratiam iam receptam in vtero. Est enim Virgo fœlix cœli porta. Per hanc enim bona spiritualia de cœlo nobis exportantur, & per eam homines in cœlum importantur. Clausa fuit hæc porta, quia à nullo violata. Non à Ioseph, vt blasfemant perfidi Iudæi, nec ab alio, Dominus solus intrauit per eam, quia Dei filius incarnatus est in ea, Deo operante, & clausa permansit, quia Virgo in perpetuum mansit, vt dicit beatus Augustin. Sextum sigillum, seu figura fuit de luce noua, de
Esthe. 8. quę Esther 8. dicitur visa est oriri, *Lux noua*

A *gaudium, & tripudium.* Et hoc ex facto Esther Reginæ, quæ fuit pulcherrima omnium desponsata Assuero Regi, cùm scilicet, liberauit populum suum ex toto extinguendum per inimicum eius Aman. Interpretatur Esther humilis, & significat Virginem MARIAM, humillimam, pulcherrimam anima, & corpore, desponsatam Deo, quæ est beatitudo Sanctorum. Interpretatur enim Assuerus beatitudo. Hæc liberauit suis meritis populum electorum de manibus inimici dæmonis à morte æterna, vnde beatus Augustin. Quas tibi laude dignè persoluet fragilitas humana, quæ tuo singulari merito mundo succurristi perdito? Lux autem noua dicitur apte orta in eius Natiuitate, quia nũquã B ante eã tam lucida, tã mirabiliter nata fuit aliqua, ita plena gratiæ luce. Hæc est, quæ splẽdorem paternæ gloriæ gignendo, tenebras errorum effugauit. Hæc est, quæ tenebras, deceptiones dæmonum detegit, & oculos mentis sanos lætificat, & confortat. Prouerbio. 15. *Lux oculorum lætificat.* Septimum sigillum apposuit Christus de margarita Matth. 13. dicens, *Negotiator inuenta vna pretiosa margarita abijt, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam.* Iste negotiator est ipse met Dei filius, qui abijt, Angelos in cœlo relinquendo, id est non assumendo naturam eorum, omnia sua vendidit, dum cum humana natura commutauit, vt ipse daret nobis diuinitatem suam, & nos ei humanitatem nostram: tunc enim omnia bona sua acquisita sunt nobis cum illa, cùm ipse specialiter assumpsit istam pretiosam margaritam, id est, Virginem MARIAM sponsam. Hæc ergo admodum margaritę genita est infrà concham, id est, vterum Annæ humilis matris suæ ex cœlesti rore, id est, diuina gratia, & virtute, quia Anna sterilis erat dealbata, & sanctificata. Talis margarita pretiosa reputatur, scilicet pulchra, candida, & clara. Pulchra mente per puritatẽ, cãdida in corpore per castitatẽ, clara in opere per charitatẽ, Sap. 4. *O quã pulchra est casta generatio cum claritate!* & *Prou.* 15. *Mat.* 13. *Sap.* 4. D sic liber est.

§. II.

SEcundò commendatur, quoad principalem diuisionem à fœcunditate supernaturali, quia generationis. Duplex est generatio Christi. Vna æterna ex patre sine matre, Esa. 53. *Generationem eius quis enarrabit?* quasi dicat, nullus. Beatus Ambrosius. Mihi impossibile est huiusmodi generationis scire secretum. Vox, scilicet, non tamen mea, sed tamen Archangelorum. Alia est ex matre sine patre, scilicet, secundùm humanitatem suam. Et sic Beata MARIA dicitur Dei Genitrix Spiritu Sancto fœcundata, quod ostendit Euangelista, dicens, Christi generatio *Esai.* 53.

tio sic erat. Cùm esset desponsata Mater Iesu MARIA, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto, scilicet carnem. Sed notandum, quòd Beata MARIA est liber generationis, habens in se quadruplicem generationem. Prima est naturalis, qua vt mater verâ ex suis sanguinibus purum genuit Christum filium suum. Secunda est spiritualis, qua vt mater spiritualis genuit Ioan. Bapt. modo speciali, non solùm leuans eum de terra, quando natus est, quia præsens in partu eius, sed etiam, & magis quando, vt de sacro fonte Spiritu sancto, & aqua gratiæ baptizatus est Ioann. in vtero sanctificatus ad vocem Virginis, quando salutauit Elisabeth. Tertia est adoptiua, quando moriente filio Imperator ipse in throno Crucis manens rescripto suo, & edicto adoptauit sibi Ioannem Euangel. in filium dicens. *Ecce filius tuus.* *Ioan. 19.* Et ecce mater tua. Quarta generatio sua est generalis, & educatiua, qua scilicet, bonos generat, vt pia mater, & nutrit meritis, & exemplis, Eccles. 24. *Ego mater pulchræ dilectionis, &c.* *Eccl. 24.*

§. III.

QVantùm ad tertium commendatur ex dignitate filij, quia Iesu Christi. Iesus interpretatur Saluator, ipse enim nos saluat, Christus interpretatur vnctus. Tres autem personæ antiquitus vngebantur, scilicet Reges, Sacerdotes, & pugiles. Et in hoc appareret dignitas naturalis ab ea geniti, quia summus Rex, summus Sacerdos, & summus pugil, vt pugil pro nobis pugnauit contra Diabolum, & vicit, vt Sacerdos se obtulit in sacrificium, vt Rex nos coronat in cœlum, vt Saluator saluat à morte peccati, Diaboli, & inferni.

In Natiuitate Beatæ MARIÆ.
Capit. 6.

Eccle. 24. IN *me omnis gratia vitæ, & veritatis* Eccles. 24. Sicut in cœlo materiali sunt diuersa luminaria, scilicet stellæ, Luna, & Sol, diuersimodè lucentia. Sic in cœlo Ecclesiæ sunt quidam Sancti, & Sanctæ, tanquam lucentes per gratiam, & glòriam, diuersimodè tamen sicut stella differt à stella in claritate, vt ait Apostolus. Sol autem iustitiæ Christus Deus noster plenus est lumine gratiæ, scilicet, *& veritatis*, *Ioann. 1.* vt dicitur Ioan. 1. à quo omnes, & stellæ, & Luna illuminatur. Sed Beata MARIA post eum, vt Luna luce maior stellis nobis apparens est Beata MARIA pulchra, vt Luna canit de ea Ecclesia. Nam, vt ait beatus Hieronym. Cæteris sanctis per partes, MARIÆ verò plenitudo gratiæ se infudit. Et ideo de ea dicitur. *In me omnis gratia vitæ, & veritatis.* Vbi notanda sunt tria genera gratiarum circa Beatam MARIAM, & parentes eius, quæ trahuntur ex genealogia Domini, quam refert beatus Matthæus in principio Euangelij sui, quod hodie legitur. Ex interpretatione, scilicet, ipsorum nominum Hebraicorum in Latinum, ex quibus Christus secundùm carnem descendit. Liber generationis, incipit Euangelium.

§. I.

ET primò ponuntur conditiones gratiosæ, & virtuosæ parentum Virginis, scilicet, Anna, & Ioachim ex interpretatione nominum in Patriarchis, scilicet, ab Abraham, vsque ad Dauid. Horum igitur primus est Abraham, & hìc notatur rectitudo fidei in qua est iustitia. *Iustus enim ex fide viuit,* *Rima. 1.* quod est verbum Abacuc allegatum ab Apostolo ad Roman. 1. Præcipuè Abraham commendatur de fide, ex qua iustificatus est, secundùm illud, *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam*, *Roma. 4.* id est ad iustificationem. Et interpretatur Abraham Pater multarum gentium, scilicet, per iustitiam fidei. Et de parentibus Virginis, id est, Anna, & Ioachim, dicitur in historia eius, quòd erant iusti ambo ante Deum. Nota aliquos esse iustos ante homines, qui scilicet ab hominibus quærunt iusti reputari, quod Christus prohibet dicens. *Attendite, ne iustitiam* *Matt. 5.* *vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis, &c.* Matth. 5. Secundum bonum ex quo generatur in nobis Christus in mente, est irreprehensibilitas, cùm, scilicet, quis cauet, ne offendat, & scandalizet proximum malo exemplo. Ad quod hortatur Apostolus dicit 2. Corint. 6. *Nemini dantes vllam* *2. Cor. 6.* *offensionem.* Quod quidem pauci faciùt malis operibus, & verbis scandalizantes proximos suos. Sed parentes Virginis, vt legitur, erant sine reprehensione viuentes. Et ista irreprehensibilitas significatur in Isaac, qui interpretatur risus: magnum enim gaudium exurgit in mente ex eo, quòd quis irreprehensibiliter viuit. Tertium ex quo generatur Christus in mente, est obseruantia mandatorum Dei. Nec aliter potest esse ingressus ad vitam Christum, vnde ipse ait Matth. 19. *Si* *Mat. 19.* *vis ad vitam ingredi, serua mandata Dei:* non vnum, vel duo, sed omnia, vt dicere valeas illud Tob. 5. *Omnia, quæcumque præ-* *Tob. 5.* *cepisti mihi pater, faciam*, quod fecerunt Anna, & Ioachim, de quibus scriptum est, quòd incedebant in omnibus mandatis Dei. Et hoc notatur in Iacob, *quia Isaac genuit Iacob*, qui interpretatur supplantator. Oportet enim supplantare, & vincere, & subijcere sensualitatem ad obseruandum Dei mandata. Quartum in generatione Christi est confessio ad Romn. 10. *Ore autem confessio fit ad* *Rom. 10.* *salutem*, id est, necessaria, & hoc innuitur, *quia Iacob genuit Iudam*, qui interpretatur con-

confessio, Confiteri enim oportet, & peccata sua, & diuinas laudes secundùm illud Psal. 108. *Confitebor Domino nimis in ore meo*, id
Psal. 108 est, valde, & declarat modum. *In medio multorum laudabo eum*. Sic Ioachim, & Anna ibant ad Templum, confitentes Domino, id est gratias agentes, & per sacrificia peccata diluentes. Quintum, quòd ponitur in generatione Christi, est diuisio, seu distributio substantiæ suæ in pauperes. *Iudas enim genuit Phares*, qui interpretatur diuisio, scilicet, rerum suarum cum pauperibus. Tob.
Tob. 4. 4. *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue si parum, & illud libenter* impartiri stude.
Psal. 111 & Psalm. 111. *Dispersit*, scilicet iustus homo *dedit pauperibus*. Ambr. Pasce fame moriẽtem; si non pauisti, occidisti, distin. 86. pasce. Parentes Beatæ MARIÆ hoc diligenter agebãt, diuidentes substantiæ suæ redditus trifarie. Partem vnam templo, & ministris eius offerentes. Secundam pauperibus. Tertiam sibi, & familiæ suæ ad sustentationem retinentes. Sextum, quod multum iuuat ad generationem gratiæ Christi, & augmentum, est votum, quod scilicet, est de melioribus bonis, ad quæ aliàs qui nõ tenetur, sed postquam fecerit, obligatur, Psalm. 75. *Vouete, & redite Domino Deo vestro*, vbi Gloss. Vouere est voluntatis, sed reddere necessitatis. *Phares enim genuit Esron*, qui interpretatur sagitta, quia vt sagitta velociter ascendit ad Deum quasi feriendum ad amorem dandi quid sub voto petendi, vel gratiam concedendi ob voti oblationem. Istam sagittam emiserunt Ioachim, & Anna, quando steriles existentes vouerunt Deo fructum ventris sui se dauros ei, si eis concederet, quod & obtinuerunt, & seruauerunt. Et non sicut vanę, & fallaces mulieres, quæ quotidie vouent, & nihil obseruant. Septimum est opprobriorũ tolerantia, & iniuriarum. Petrus in Canon. sua. Si quid patimini propter iustitiam beati, & Matt. 5. *Beati eritis, cùm maledixerint vobis homines & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes propter me*. Nam & Christus de se dicit. *Factus sum opprobrium*
Psal. 21. *hominum, & abiectio plebis*, in Psalm. 21. Vnde & sequitur, quòd Esron genuit Aram, quia interpretatur excelsus. Opprobria enim, & iniuriæ toleratæ faciunt hominem excelsum coram Deo. In cuius figuram dicitur, quia multiplicatæ aquæ, scilicet, tribu-
Genes. 7. lationum, *eleuauerunt Arcam in sublimi*, id est, animam Genes. 7. Hoc passus est opprobrium, & contumeliam Ioachim, quando pergens ad Templum cum fœcundis eiectus est a Sacerdote, sacrificio repulso, improperante ei opprobrium sterilitatis. Octauum est vt non solùm sustineat aduersa, quod commune est omnibus, sed libenter pro Christo,
2. Co. 12. vt dicat cum Apostolo, 2. ad Corint. 12. *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt habitet in me virtus Christi*. Vt enim dicit beatus Gregorius, ab electis suis Deus curat maculas peccatorum temporali afflictione extergere, quas in eis in æternum non vult videre, id est, punire, de pœn. dist. 1. si peccatum. Vnde Aram genuit Aminadab, qui interpretatur voluntarium. *Voluntariè enim*
Psal. 53. *sacrificabo tibi*, ait Psalm. 53. scilicet me in aduersitatibus tibi offerendo. Sic Ioachim accepta contumelia à Sacerdote, non respondit ei malum pro malo. Sed ne perturbaret officium, vel populum in contendendo, vel impatientiam ostendendo, recessit patienter ferens iniuriam, & recessit ad pastores suos, non ad consanguineos, qui secum vindicarent iniuriam, sicut hodie fit, ex quo multiplicantur mala. Nonum est consolatio Angelica. Non enim quis diu posset sustinere aduersa, nisi Angeli inuisibiliter nos consolarentur per bonas instigationes, & illuminationes confortando, Psalm. 93. Secundùm
Psal. 93. multitudinem dolorum meorũ in corde meo cõsolationes tuæ lætificauerũt animã meam,
Tob. 3. & Sara vxor Tob. eiusdem 3. Non delectaris Domine in perditionibus nostris, sed post tempestatem tranquillum facis post lachrymationem, & fletum exultationem infundis, quod significatur in eo, quòd Aminadab genuit Naason, qui interpretatur augurium. Consolatur enim Angelus, quasi auguranuo, id est, promittendo nobis bona, & præmium ex tribulationibus voluntariè toleratis. Apparuit ergo Angelus Ioachim, & Annæ de sua sterilitate, & opprobrio illato humiliatis, consolatus est eos promittendo filiam ex eis nascituram, quæ esset mater domini, & speculum mundi. Et cùm per plures annos nec per orationes, nec per eleemosynas suscepissent fructum de suo matrimonio, per patientiam in aduersis consolati sunt ex augurio, id est, promissione talis filiæ. Et tu ergo si vis consolari, & fructum bonum facere, patientiam habe, & iniurias remitte omnes. Decimum est quasi quædam certificatio diuinæ promissionis. *Ipse enim spiritus testi-*
Roma. 1. *monium reddit spiritui nostro, quòd filij Dei sumus* Et per quid, nisi per hoc, quod sustinemus aduersa pro nomine eius libenter? Nam ipse spiritus, scilicet, qui mentiri non potest dicit per Apostolum Heb. 12. *Flagellat Deus*
Heb. 12. *omnem filium, quem recipit*. Et sic per hoc testificatur cordi eius, quòd inter filios Dei computatur ex quo flagellatur, & sustinet. Ideo dicit, quòd *Naason genuit Salmonem*, quia interpretatur habitaculum, quia per hoc Deus inhabitat, sic Angelus dedit certum signum eius, quod dixerat de filia nascitura, scilicet, quòd occurrerent sibi inuicem in certo loco, & inuicem consolarentur domum reuertentes, quod impletum est ex admo-

monitione Angeli dicentis, quòd ad illum locum accederent. Vndecimum est constans amor vxoris ad virum, & è conuerso ita, quòd non euagentur ad alios, nec etiam mente, vnde parentes Saræ admonuerunt filiam, diligere virum, honorare soceros, gubernare familiam, & irreprehensibilem se exhibere. Et Apost. ad viros. Diligetis vxores vestras sicut & Christus dilexit Eccl. Non quidé, vt esset vana, sed vt esset honesta, & sancta, beatus Amb. Nemo sibi blãdiatur de legibus hominum, quod non licet vxori, non licet viro, scilicet, aliam carnaliter diligere, vel alium, quàm coniugem suum, vnde *Salmon genuit Booz*, qui interpretatur fortis. Debet enim fortis esse, & constans amor vxoris ad virum & è conuerso, & non dimittere, vel odire propter quodcumque contingens, sicut Anna diligebat constanter Ioachim, & è conuerso, propter sterilitatem, non accedendo ad alias. Si autem quis extra statum matrimonij se repetit. Si Booz fortis, vt ad omni fornicatione se abstineat, & contineat. Duodecimum est reuerentia, & subiectio ad superiores, vnde & vxoris ad virum, cùm dictum sit a Domino primæ vxori. Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui, scilicet, quoad regendam domum, & Esther 2. dicitur. *Cunctæ vxores tam maiorum, quàm minorum deferant viris suis.* Ad quod insinuandum dicitur, quòd *Booz genuit Obeth*, qui interpretatur seruitus. Mulieres enim, vt ait Apostolus ad Eph. 5 *subditæ sunt viris suis*, sed hoc transgrediuntur superbæ mulieres hodie, quæ volunt damnari viris suis. Si autem extra coniugium est, fit reuerens ad suos superiores, & subditur, ad Romanos 12. Tredecima conditio, ex qua generatur in nobis Christus per gratiam, est gratiarum actio, seu beneficiorum cognitio. Apostolus. *In omnibus gratias agite*, vt de beneficijs receptis gratias exhibentes beneficia potiora sumamus, ait beatus Gregorius, quod innuitur in 13. generatione, in qua dicitur, *Obeth genuit Iesse*, qui interpretatur incensum. Est enim oratio, & gratiarum actio velut quoddam incensum coram Domino, hoc optimè peregerunt Ioachim, & Anna parentes Beatæ Virginis. Nam obuiantes, & occurrentes sibi ad portam auream gratias egerunt Deo de consolatione eis facta, ex promissione talis filiæ, & cum timore Domini vtentes matrimonio genuerunt MARIAM.

Esther. 2. *Ephes. 5.* *Rom. 12.* *1. Thes. 2.*

A B C D

§. II.

IN secunda parte Principali notantur quindecim perfectiones gratiæ, quæ fuerunt in ipsa Virgine ex interpretatione nominum quindecim Regum, qui fuerũt in populo illo Dei à Dauid vsque ad Iechoniam Regem, qui cum populo ductus est captiuus in Babilonem, vt conuenientissimè dicere valeat thema propositum. *In me omnis gratiæ vitæ.* Prima igitur gratia est post conceptum sanctificatio. Postquam enim Anna concepit ex Ioachim Virginem MARIAM, anima eius à Deo creata, & corpori infusa, quàm citissimè, & forte eadem die fuit sanctificata ab originali mundata, secundùm illud. *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus.* Nos per nouem menses moramur in peccato in vtero materno, in quo si morimur, descendimus propter illud originale ad limbum inferni, sed beata Virgo, quàm citissimè fuit facta sancta post animæ infusionem quod figuratur in Dauid: sequitur enim in ipsa genealogia Domini. *Iesse autem genuit Dauid Regem*, hic interpretatur pulcher aspectu. Et de Virgine ait Spiritus Sanctus, Cantic. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*, scilicet peccati, purgato originali, & actuali non perpetrato. Secunda eius gratia est natiuitas gaudiosa. Natiuitas tua sancta Dei Genitrix Virgo gaudium annunciauit vniuerso mundo. Videntes enim Angeli natam tam sanctam creaturam, magnum gaudium fecerunt. Et ita quolibet anno in cœlo fit, vt reuelatum fuit cuidam sancto Eremitæ, vnde genealogia Domini subditur. *Dauid genuit Salomonem*, qui interpretatur pacificans merces, quia Angelos dolentes modo suo de perditione hominum, & eorum ruina, natiuitas huius lætificauit. Vnde in introitu Missæ canitur. Gaudeamus omnes in Domino, diem festum, &c. De cuius natiuitate gaudent Angeli, &c. Tertia gratia, quæ disponit ad generationem Christi, est in Templo præsentatio, seu dedicatio. In mundi quidem conuersatione non benè potest mens in diuinis dilatari. Nemo enim militans Deo implicat se negotijs secularibus. Vnde & Christus inter turbas fuit, cùm esset duodennis amissus, & in Templo repertus. Virgo igitur MARIA ablactata fuit tribus annis; hæ enim sunt fortiores per totam vitam suã quam si per duos annos. Et ablactata fuit ab Anna proprijs mamillis. Deus, & natura nihil frustra operantur secundùm Philosophum, propterea autem datæ sunt mamillę mulieribus, vt valeant de lacte suo nutrire filios suos, non vt ostendant eas populo. Frustra igitur videntur esse in illis, quæ non nutriunt filios ex eis, cùm possint, sed tradunt alijs nutriendos. Quod beatus Gregorius Papa in decret. dist. 5. ad eius, multùm reprehendit in mulieribus. Nam ex malo lacte nutriti cõtrahunt malas conditiones naturales. Post ablactionem igitur eius duxerunt parentes eius ad Templum, ipsam offerendo. Non expectarunt, quòd prius disceret mundi vanitates, nec obtulerunt filiam claudam, illegitimam, turpem, vel pauperem, quam dotare

Psal. 45. *Cant. 4.*

non

non possent, sicut hodie faciunt, qui offerunt filias Monasterijs, vel filios in Clausto ferituros. Indignum est dare Deo, quod dedignatur homo, ait beatus Hieronym. super Prophetas, sed dederunt Deo MARIAM vnicam filiam pulcherrimam honestissimam, ab omnibus amabilem, hoc figuratur in Roboam, quem genuit Salomon, & interpretatur latitudo populi, quia Virgo fuit dilatata in virtutum populo. Quarta gratia eius fuit sancta conuersatio, quod figurauit, quando ducta ad Templum, dum parentes incederent ad mutandas, & aptandas vestes, quia ab extra veniebant, Beata MARIA, paruula, scilicet, trium annorum per se ascendit, & erecta per 15. illos gradus per quos ab imo ascendebatur ad Templum, vbi Sacerdotes officia exercebant, & significant, 15. status beatorum, qui sunt in Templo gloriæ infra Diuinam Maiestatem, videlicet nouem Ordines Angelorum, & sex Sanctorum, scilicet Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, & Sanctarum Virginum, quorum omnium perfectionem transcensura erat, vnde Prouerb. vlt. *Prou.* 31 *Multæ filiæ*, id est animæ, *congregauerunt diuitias*, dignitates, scilicet virtutum, *tu sola*, scilicet, Beata MARIA, *supergressa es vniuersas*, & in Templo cum alijs Virginibus in omni sanctitate conseruabatur. Et significatur in Abia filio Roboam, qui interpretatur ipse Dominus. Quinta est visitatio frequens Angelorum. Cùm enim in Templo insistere t multùm orationi, Angeli visitabant eam, consolantes, & deferentes orationes eius ante Deum, & referentes ei dona gratiarum à Deo. A mane enim, vt dicitur in historia eius, vsque ad tertiam diuinis laudibus vacabat, & à tertia vsque ad nonam in textr ino opere se exercebat, dans exemplum vitandi otium. *Panem*, inquit Salomon, *Prou.* 31 Prouerb. vlt. *otiosa non comedit, sed operata est.* Lectioni Scripturæ partim vacabat. Cibum sumebat, vt ait beatus Ambros. in libr. de Virginibus, qui mortem arceret, non qui delicias ministraret. Sicque virtutibus quotidie magis eleuabatur in Deum, quod innuitur in Aza, qui interpretatur attollens se, scilicet in Deum. *Abia enim genuit Aza*, Sexta conditio, quæ valet ad generationem Christi etiam, in mente nostra est cura salutis aliorum. Vnicuique mandauit Deus de proximo suo, scilicet, vt curam habeat de salute eius, & si non eo modo stricto, quo & Prælati, tamen modo charitatiuo. Vnde Anacletus Papa, omnes summam debent habere curam de his, qui pereunt, vt aut eorum redargutione corrigantur à peccatis, aut si incorrigibiles sunt, eijciantur de Ecclesia 24. quæst. 3. tam Sacerdos. Solicita autem erat Beata MARIA, ne quam ex sodalibus offenderet, admonens eas, ne contumeliosæ essent, altera alteri, sed inuicem seruientes, & honorantes, ab otiosis verbis abstinerent, semper Deum laudarent. Vnde & ipsa, cùm vocabatur, respondere solita erat per Deo gratias, vt illud modicum verbum non esset sine Dei laude, vnde in ea regnabat Iosaphat, qui interpretatur iudicans, genitus ab Aso, quia ipsa cuncta iudicans, & discernens à nemine poterat reprehendi. Septima est propositum virginitatis. Proposuit enim in mente sua virginitatem seruare, nisi sibi Deus aliter reuelaret, quia insolitum tunc illud erat. Et ideo Angelo salutanti dixit. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*: id est, proposui nō accipere virum, vt exponit Beda. Postea autem sumpto sponso ex Dei reuelatione, votum virginitatis cum sponso Ioseph emisit. Et vterque, vt dicit beatus August. in virginitate permansit. Et hic fuit Ioram spiritualiter, qui interpretatur excelsus, quia virginitas facit homines similes Angelis. Nuptiæ vt ait beatus Ambros. replent terram, virginitas paradisum, res est voti, non præcepti, & sic facit excelsum. Iosaphat enim genuit Ioram. Octaua conditio est robur, id est, firmitas propositi in bono concepto. Vt enim dicit beatus Gregorius super Ezech. quibona agunt, & meliora agere proponunt, si non faciunt, licèt in bonis prioribus perseuerēt, in conspectu tamen Dei ceciderūt. Multa enim diabolus proponit ad impediendum, ne quis exequatur bona propositā, sed viriliter age, & esto robustus ad ea exequendum. *Ioram enim genuit Oziam*, qui interpretatur robustus, quia ex celsitudine propositi boni debet generari robur, & firmitas in eo, vnde & cùm iam esset nubilis ætatis facta Beata MARIA. & Sacerdos admoneret, domum reuerti ad nuptias contrahēdas. Respondit, se hoc agere non posse propter propositum virginitatis, & sic firma, & robusta fuit in sancto proposito. Nona est continuus profectus in virtutibus ad maius bonum. Nam vt dicitur, Prouerb. 4. *Iustorum semita, quasi lux splendens proficit, & crescit vsque ad perfectum diem.* Vnde & animalia, quæ vidit Ezechiel in visione, significantia secundùm beatū Gregoriū sanctos viros, cùm proficiscerentur, non reuertebantur, *sed vnumquodque ante faciem suam gradiebatur.* Ezech. 1. quia, videlicet homines iusti non redeunt ad mala, quæ commiserunt, nec firmant se, desistendo à bonis operibus, sed continuè ad meliora procedunt. Et hic est *Ioathan*, quia interpretatur perfectus, quem genuit *Ozias*. Sic Beata MARIA semper ad perfectiora opera se extendebat, facta omnibus sanctitatis exemplum, &c. Decima est inquisitio circa dubia, ex qua declaratur quid agendum, ne incautè agendo exponat se periculis. Deutor. 32. ait Moy-

Luc. 1.

Prou. 4.

Ezech. 1.

Deut. 32.

Moyses: *Interroga patres tuos, & annunciabunt tibi maiores tuos, & dicēt tibi*, scilicet quid sit rectè faciendum? Et hoc est, quod Tobias admonebat filium suum, dicēs: *Tob.4.* *Consilium semper à sapiente inquire.* Tob.4. Et significanter dicit: à sapiente, id est, perito in illa re de qua quæris. Vnusquisque enim benè iudicat quæ nouit, ait Philosophus in Ethi. Sicut non posset tibi benè consulere lanifex de arte pictoria, aut miles de negotiatione, ita nec de pertinentibus ad conscientiam, vel cultum diuinum, qui vacat mundanis. Hic est *Achaz* genitus ab *Ioathan*, qui interpretatur comprehendens, quia ex inquisitione comprehenditur veritas rei. Summus igitur Sacerdos, vt legitur, audito proposito virginitatis Beatæ MARIÆ, quia res dubia erat, quæsiuit à Domino, & comprehendit voluntatem eius. Vndecima est diuinum oraculum, seu diuina inspiratio. Cùm enim (ait Iosaphat) ignoremus, quod agere debeamus, hoc residui habemus, vt oculos nostros ad te, scilicet Dominum erigamus. Aliquando enim res est ita obscura, quòd homines nō sufficiunt declarare, & ideo tunc ad Deum recurrēdum est, vt reuelet, vel inspiret quid pro meliori agere debeat, quòd innuitur in eo, quod *Achaz genuit Ezechiam*, qui interpretatur auxilium Dei. Ex inquisitione enim per orationem, quando non sufficit virtus, & scientia humana Deus auxiliatur inspirando quod fieri oportet. Reuelauit enim Deus Summo Sacerdoti, quòd omnes de tribu Iuda afferrēt virgas ligneas, & tunc manifestaretur, cui desponsanda erat. Duodecimo est obliuio mundanorum, vt scilicet, in agendis non habeatur respectus ad aliquid mundanum, sed Dei beneplacitum. *Obliuiscere populum tuum*, (ait Dominus per Psalm. 44. ad animam Deo deditam,) *& domum Patris tui.* Et hic est, *Manasses*, Rex filius Ezechiæ, qui interpretatur obliuiosus, oblita erat in opere omnium passionum, & consanguineorum Beata MARIA, & solùm attēdebat ad Dei voluntatem, & Ioseph etiam quasi oblitus esset, & non curaret cōtra hereditatem matrimonium, cùm senex esset, non attulit ipse virgam, vel si attulit, non dimisit Sacerdoti, vt dictum fuerat, quamuis & ipse esset de tribu Iuda, & familia Dauid. Vnde reuelatum fuit à Domino, quòd non dederat ille virgam, ad quem spectabat Virgo Beatissima. Tertiadecima est fidelitas ad Deum. Debet enim quis fideliter Deo subijci in his quæ exigit ab eo quantumcumque videatur ineptus, & inprę meditatus, iuxta illud Esai. *Psal.44.* *Esai. 54.* 5. *Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abij*, scilicet, resistendo voluntati Dei. Et hic est *Amon*, quem genuit Manasses Rex Iuda, qui Amon interpretatur fidelis. Ex quo enim perpendit Ioseph, Deum velle & ipsam virgam, cum cęteris Sacerdoti tradere, eam secundò attulit. Et tunc fronduit, & floruit, ac fructum fecit & columba apparuit super eam, iuxta illud. Virga Iesse floruit, &c. Vnde manifestum fuit omnibus ad Ioseph sponsam illam pertinere. Decimaquarta est desponsatio facta inter MARIAM, & Ioseph castissima, quæ immo facta fuit ad cœlandum Diabolo mysterium, ne machinamenta quereret contra Christum. Viso enim miraculo illo, fuit desponsata MARIA Ioseph. Et hoc significatur in Iosia filio Amon, qui interpretatur salus Domini, quia per illam desponsationem saluatus est honor Domini Christi, ne abijceretur, vt illegitimè nat⁹ & saluata fuit fama Virginis, & vita, ne putaretur fornicaria, & lapidaretur. Et multa alia mysteria ibi sunt. Decimaquinta, & vltima, gratia perfectionis est præparatio ad filium Dei concipiendum, quæ preparatio fuit per profundam humilitatem, quod ipsa insinuat dicens: *Respexit humilitatem ancil æ suæ.* Non dixit virginitatem, benignitatem, charitatem, quæ omnia grata Deo erant in ea, sed humilitatem. Beatus August. O fœlix ancilla. O humilis gratia, quæ dum fidem humiliter dedit, cœli in se opificem incorporauit, quod innuitur in Ioachim, qui interpretatur præparatio. Per humilitatem enim præparauit Virgo se ad recipiendum filium Dei in vtero. Et sic patent 15. conditiones, vel gratiæ Beatæ MARIÆ, vnde benè dicitur. *In me omnis gratia, &c.* *Luc.1.*

§. III.

QVantùm ad tertium principale notantur 14. perfectiones gratiæ, quibus Beata MARIA subuenit hominibus in diuersis statibus constitutis, vt meritò possint dicere illud. *De plenitudine eius nos omnes accepimus gratiam.* Ioan. 1. Est enim quadruplex status hominum, quibus Beata MARIA subuenit gratia sua. In me ait omnes gratia vitæ. Primus est status Religiosorum, quibus sunt necessariæ tres gratiæ ad salutem eorū, & ad eas habendas, & conseruandas Beata MARIA suis exemplis, & meritis iuuat. Primum est voluntaria paupertas, vt illud inueniatur in eis, quod ait Apostolus, 2. ad Corint. 6. *tanquam nihil habentes, & omnia possidentes*, tanquam nihil habentes, scilicet proprium, & Hieronym. Habēs victum & vestitum, his contentus ero, nudam Crucem nudus sequar. Hæc significatur per *Iechoniam*, qui interpretatur preparatio, quia paupertas preparat hominem ad perfectionem, etsi in ea non sit perfectio. Secundùm est castitas, quæ figuratur in *Salathiel*. Nam vt dicitur in genealogia Domini, post transmigrationē Babylonis Iechonias Salathiel, *Ioann. 1.* *2.Cor. 6.*

hic

hic interpretatur: petitio mea Deus, hoc enim petit Deus à religiosis 2. Cor. 6. *Exhibeamus nos metipsos sicut Dei ministros in castitate.* Per hanc ostendit, se petere Deum. Nã vt dicitur Sap. 6. *Incorruptio facit proximũ Deo.* Tertiũ est regularis disciplina, per quã coerceatur sensualitas ab appetitibus plenis confusione, per ieiunia, vigilias, silentia, obedientiam, exercitia, & huiusmodi; & hæc est *Zorobabel*. Salathiel enim genuit Zorobabel, qui interpretatur magister confusionis, quia disciplinat, & corrigit ea, quæ confusione sunt digna. *In disciplina perseuerate*, ait Apostolus ad Hebr. 12. quia hæc conseruat Religionem, vnde multis Religiosis Beata MARIA sæpè apparuit, vt beato Bernardo, Dominico, Thomæ, & alijs eos, in religione confortans. Secundus status est Prælatorum ad quorum debitum officium pertinent quatuor gratiæ. Primum est paterna solicitudo ad subditos, Rom. 12. *Qui præest in solicitudine ad prouidendum necessaria*, vtique homini, & hic dicitur *Abiud* filius Zorobabel, qui interpretatur Pater meus iste, scilicet, solicitus de me. Secundum est doctrina excitans pigros ad operandum bene 2. ad Tim. 3. *Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina*, & hæc est *Eliachim* genitus ab Abiud, qui interpretatur resuscitans. Per doctrinam enim resuscitantur mortui peccatores ad vitam gratiæ, & euigilant ad operandum. Tertium est scientia consulens imperitis. Male enim potest docere subditos, qui est ignorans. Cæcus enim si cæco ducatum præbet, ambo in foueam cadunt. Vnde beatus Augustinus. Caueat spiritualis Iudex, vt sicut non commisit crimen nequitiæ, ita non careat munere scientiæ; hic est *Azor*. Eliachim enim genuit Azor, qui interpretatur videns lumen. Ignorantes autem cæci sunt, & duces cæcorum. Quartum est sanctitas vitæ. Sicut enim Christus *cæpit facere, & docere*. Act. 1. ita mandauit Prælatis Ecclesiæ Matth. 5. *Sic luceat lux vestra*, id est, vita clara, & sancta *coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum*, vnde dicitur, Azor genuit *Sadoch*, qui interpretatur iustus, quia scientia debet generare iustitiam vitæ. Tertius status est actiuorum ad quorum bonam actionem pertinent quatuor gratiæ, ad quas Beata MARIA adiuuat. Primum est demonstratio dilectionis ad proximum; debet enim quis diligere, proximum, sicut seipsum, vt omnem hominem, quẽ potest beneficentiæ consolatione, morum informatione, vel coertione disciplinæ inducat ad colendum Deum, ait beatus Augustinus 3. quæst. 4. debet. Sadoch enim genuit *Achim*, qui interpretatur frater meus, quia vt fratrem debet tractare subueniendo. Secundum est dulcis amor ad Deum. Achim enim genuit *Eliud*, qui interpretatur Deus meus, vt quodam intimo affectu dicat illud. *Deus meus, & misericordia mea.* Tertium fiducia in Deo in aduersis, vt dicat cum Iob 13. *Si occiderit me, sperabo in eum*, dicit enim Psal. 9. *Adiutor in opportunitatibus in tribulatione. Sperent in te, qui nouerunt nomen tuum, quoniam non derelinquis quærentes te Domine*, hoc est *Eleazar* filius Eliud, qui interpretatur Deus adiutor eius, qui confidit in eo. Quartum est conseruatio humilitatis in prosperis, vt nihil sibi attribuat boni, sed omnia à Deo recognoscat. Tua enim Domine sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus dedimus tibi, dixit Dauid, 2. Reg. 2. Eleazar enim genuit *Nathan*, qui interpretatur donum. *Omne donum perfectum desursum est*, ait beatus Iacobus Apostolus 1. cap. Quartus status est perseuerantium, vt enim dicit beatus Gregorius libr. 1. moraliũ. Incæptum bonum agitur, si ante vitæ terminum deseratur. Et non qui inceperit, sed qui perseuerauerit & cætera, hæc consistit in supplantatione, & superatione vitiorum. Nathan enim genuit *Iacob*, qui interpretatur supplantator Apostolus, 1. Corinthiorum 2. Nõ coronabitur nisi, qui legitimè certauerit, vt scilicet superet vitia. Secundum est in augmentatione virtutum Psalmus 83. *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus, &c.* Iacob genuit *Ioseph*, qui interpretatur augmentum, scilicet virtutum. Tertium est constantia in his, quæ sunt fidei, & virilitas, quod significatur in hoc, quod Ioseph est vir *MARIÆ*, in qua terminatur genealogia Domini, & interpretatur illuminatrix, quia profert lumen veritatis cæcis, mala vitiorum pellit, bona cunctarum virtutum nobis posci. In omni igitur statu adiuuat ad se recurrentes, & subuenit. *In me* ergo ait *omnis gratia vitæ, & veritatis.*

2. Cor. 6. Sap. 6. Hebr. 12. Rom. 12. 2. Tim. 3. Act. 1. Matt. 5. Psal. 58. Iob 13. Psalm. 9. 2. Reg. 2. Iacob. 1. 1. Cor. 2. Psal. 83.

De desponsatione MARIÆ. Capit. 7.

QVia desponsatio Beatæ MARIÆ fuit ante annunciationem, & Christi Incarnationem, & vt patet in Euangelio Luc. 1. *quia missus est Angelus ad MARIAM desponsatam Ioseph.* Ideo de eius desponsatione & coniugio cum Ioseph hic agendum, de quo etiam dicitur Matth. 1. in fine genealogiæ Christi. *Iacob genuit Ioseph virum MARIÆ, de qua natus est Christus*, vbi dicit beatus Hieronym. Cùm virum audieris, suspicio tibi non subeat nuptiarum, sed recordare consuetudinis Scripturarum, quòd sponsi viri, & spõsæ vocantur vxores, 27. quæst. 2. genuit. Et ab eodem Euangelista Matthæo dicitur immediatè post prædicta. *Cùm esset desponsata Mater Iesu MARIA Ioseph, inuẽta*

Luc. 1. Matth. 1.

est

est in vtero habens de Spiritu Sancto. In quibus tria de Virgine notantur. Coniugij eius descriptio, ibi. *Cùm esset desponsata mater Iesu.* Viri eius nominis expressio, quia Ioseph, *priusquam conuenirent.* Filij eius supernaturalis conceptio, *quia inuenta est habens in vtero de Spiritu sancto.*

§. I.

QVantùm ad primum, vt dicit B. Augu. ad Volusianum. Ipsa Dei virtus per inuiolata mentis virginea viscera membra infantis eduxit, quæ per clausa ostia membra iuuenis introduxit. Si ratio quæritur, nõ erit mirabile. Si exemplum poscitur, nõ erit singulare. Et licet, inquit B. Thom. miracula, quæ sunt ad confirmationem fidei, debeant esse manifesta, voluit tamen Dominus hoc maximum miraculum, scilicet, suæ conceptionis, & natiuitatis ex Virgine per despõsationem matris obrumbrare, seu occultare. vt homines inde cogitare possent, Christum non conceptum à Virgine, sed à Ioseph coniuge. Et hoc multiplici ratione. Quas rationes assignat B. Thom. in 3. p. q. 29. art. 1. quare voluit matrem suam desponsari, & nõ copulari. Quædam sumuntur ex parte Christi nascentis. Quædam ex parte matris concipientis. Quædam ex parte vtilitatis nobis prouenientis. Propter Christum, quare voluit esse matrem eius desponsatam, assignatur quadruplex ratio. Prima est, ne ab infidelibus, tanquam illegitimè natus abijceretur. Si enim mater nõ habuisset coniugem, omnes arbitrati essent de fornicatione Christum fuisse conceptum, & sic Christum tãquam illegitimum despexissent. Nam iura tales detestantur, & honoribus priuant, vnde beatus Ambrosius super Lucam. Quid Iudæis, quid Herodi posset ascribi, scilicet, mali, & iniustitiæ, si natũ viderentur ex adulterio persequi? Secunda ratio, vt consueto modo genealogia eius per virum describeretur, vnde beatus Ambrosius super Lucam. Qui in seculum venit, seculi debuit more describi, viri autem persona quæritur, qui in Senatu, & reliquis Curijs Ciuitatum generationis asserit dignitatem. Consuetudo etiam nos instruit Scripturarum, quæ semper viri originem quærit, hæc ille. Quia igitur secundùm legem desponsari non poterat, nisi viro, qui esset de tribu Iuda, & familia Dauid, ex genealogia sponsi, id est, Ioseph deprehenditur genealogia MARIÆ, & Christi filij eius. Vbi etiam aduertendum, consuetudinem in his, quæ mala non sunt in agendo, & scribendo, seruandã. Tertiò ad tutelam pueri nati, ne diabolus contra eum vehementiùs nocumenta procurasset. Sciebat enim diabolus, Dei filium incarnandum pro redemptione humani generationis, sed tempus ignorabat. Vnde cautè obseruabat ad sciendum, quando mundum intraret, vt redemptionem nostram impediret. Et ideo vt beatus Hieronymus refert super Matthæum, hanc causam assignauit Ignatius Martyr desponsationis Matris Dei, vt scilicet, partus eius diabolo cælaretur. Dum enim vidit diabolus MARIAM sponsum habere, putauit Iesum non de Virgine, sed de vxore, & Ioseph generatum. Et Origc. Coniugem dico, vt diabolo virginitatem eius occultem 27. quæst. 2. inuenta. Quamuis enim diabolus ea, quæ corporaliter fiunt, perspicacitate sensus cognoscat per signa exteriora, multa tamen, vt dicit beatus Augustinus in 3. de tri. quæ potest virtute naturæ suæ, à virtute diuina prohibetur. Et hoc modo secundùm beatum Thom. vbi supra, potest dici, quòd etsi virtute suæ naturæ cognoscere potuisset, Matrem Domini non fuisse corruptam, sed Virginem, prohibitus tamen est à Deo cognoscere modum partus diuini. Quamuis enim postmodum eo prædicante, aliqualiter virtutem eius agnoscerent, propter quod clamabãt, *quia tu es Filius Dei*, Luc. 4. Non ita incongruum, quia iam virtutem suam ostendẽdi cõtra diabolum tempus erat. Sed in infantia oportebat impediri malitiam diaboli, ne eum acriùs persequeretur, quando nec Christus pati dispoſuerat, nec dum virtutem suã ostẽdere, sed per omnia similẽ alijs infantibus. B. Amb. tamẽ dicit hoc factum, vt falleret Principem mundi, nõ solum diabolũ, sed & Principes seculi, ad innuẽdũ, scilicet quòd qui secularibus vanitatibus occupãtur, scire diuina non possunt. Quarta ratio vt à Ioseph nutriretur paruulus ipse. *Debuit enim per omnia*, ait Apostolus, *fratribus similari*, ad Hebr. 2. Et ideo sicut pueri indigent nutritijs, & ipse voluit habere Ioseph sanctum, vt nutricium sponsum matris suæ. Et ideo Pater Christi dictus est, non effectu genituræ, sed officio, & cura prouidendi, vt dicit Gratian. 27. quæst. 2. §. iuxta. Est pater hic cura, dicit Græcismus. Ex parte matris assignat, b. Tho. tres rationes, quare fuit desponsata, vbi supra. Harum prima est, quia redditur per hoc immunis à pœna, ne scilicet lapidaretur à Iudæis, tanquam adultera, vt dicit B. Hieron. seu ex stupro. Si enim nõ habuisset maritum, æstimassẽt omnes, ex fornicatione concepisse, & sic fuisset lapidata. Nam vt dicit beatus Thom. in iudicio adulterorum condemnabatur, non solùm quæ nupta erat in adulterio deprehensa, sed etiã virgo, quæ fornicata fuisset in domo patris, quæ custodiebatur, vt virgo quandoque nuptura, vt patet Deuter. 22. vel etiam secundùm quosdam virgo de genere sacerdotali propter stuprum occidebatur, vt Leu. 21. Et

Lucæ 4.

Hebr. 2.

Deut. 22.

Leui. 21.

Beata MARIA aliquo modo erat ex stirpe Sacerdotali descendens. Potest etiam referri dictum Ioannis de lapidatione ad lapidationem infamiæ. Igitur habuit sponsum Beata MARIA, vt saltem crederent homines eam ex sponso, non ex fornicatione concepisse, vt à pœna, & infamia liberaretur. Secunda ratio est, vt ab infamia liberaretur. Hanc rationem assignat beatus Ambrosius, super Luc. dicens. Ideo desponsata est, nè temeratæ virginitatis adureretur infamia, cui grauis aluus corruptelæ videretur insigne præferre. Maluit autem Dominus de ortu suo, id est, quòd non esset natus ex Virgine, quàm de matris pudore dubitari, id est, castitate, si non habuisset sponsum, & grauida appareret. Sciebat enim, teneram esse Virginis verecundiam, & lubricam famam pudoris. Nec putauit ortus sui fidem matris iniurijs asscribendam. Hæc beatus Ambrosius. Tertia ratio, vt ei à Ioseph ministerium exhiberetur in occurrentibus, quæ expediebant, vt eam associando, cum accessit in Bethleem, vbi peperit, & cùm ea ad templum in Purificatione proficisceretur. In Ægyptum pergens, & inde rediens in Nazareth. In his enim, quæ necessaria erant ad sustentationem eorum, & paruuli, ipse procurabat de labore manuum suarum. Nam secundùm Chrisost. carpentarius erat, in hoc omnes laborare docens pro sustentatione sui, & suorum. Addatur & quarta, quæ est Alberti, supra, scilicet, vt dignitas matris humilitati societur, vt sit similis mater Dei, & vxor fabri, ideſt, Ioseph. Vnde in vilipensionem Christi dicebant Pharisæi: Nonne hic fabri filius est, ideſt, Ioseph? Nonne sorores eius sunt apud nos, quæ erant pauperculæ? Et sic hoc exemplo obseruetur à nobis illud Eccles. 3. cap. *Quantò maior es, tantò magis humilia te in omnibus, & inuenies gratiam*. Quantò enim, quis maior est, tantò magis humilitas laudatur in eo. Ex parte nostræ vtilitatis quadruplex etiam ratio assignatur secundùm Beatum Thom. vbi supra. Prima, quia testimonio Ioseph sponsi comprobatum est, Christum ex Virgine natum. Vnde Beatus Ambrosius super Lucam. Locupletior testis pudoris, id est, castitatis maritus adhibetur, qui possit & delere iniuriam, & vindicare opprobrium, si non cognosceret Sacramentum. Et beatus Gregorius in homilia. Sicut discipulus dubitans, & palpans, scilicet, Thomas Apostolus factus est testis veræ Resurrectionis, sic sponsus, scilicet, Ioseph fuerat custos integerrimæ virginitatis, 17. quæst. 2. sic quippe. Ex quo magis confirmatur in fide huius mysterij, scilicet, quòd conceptus ex Virgine tanto testimonio. Ipsa etiam verba Virginis magis credibilia redduntur A suam virginitatem asserentis. Vnde Beatus Ambrosius. Fides MARIÆ verbis asseritur magis, & mendacij causa remouetur. Causam enim mentiendi desponsata non habuit cùm coniugij præmium, & gratia nuptiarum sit partus fœminarum. Secunda ratio est, vt tolleretur excusatio Virginibus, quæ propter incautelam suam non vitant infamiam. Vnde beatus Ambrosius. Non decuit Virginibus frustra opinione viuentibus, velamen excusationis relinqui, quòd infamia Mater Domini notaretur. *O quàm pulchra est casta generatio* (ait sapiens) *cum claritate*, Sap. 4. id est, cum clara fama. Nam vt ait beatus Augustinus: Duæ res sunt, cõscientia necessaria est tibi, sed bona fama proximo tuo. Quisquis confidens conscientiæ suæ, negligit famam suam, nimis crudelis est. 12. quæst. 1. nolo. Tertia ratio est, quia per hoc designatur vniuersa Ecclesia, quæ cùm Virgo sit, scilicet, integritate, fidei, & gratiæ, desponsata tamen est vni viro Christo, ex quibus generantur filij spirituales, scilicet, fideles fratres Iesu Christi, iuxta illud Psalmus 21. *Narrabo fratribus meis nomen, &c.* Quarta ratio est, quia quòd Mater Domini fuit desponsata, & Virgo, in persona eius honoratur virginitas simul, & matrimonium, & sic reprobatur error eorum, qui alteri detraxerunt, scilicet matrimonio, dicẽtes, non posset tales saluari. Alij dixerunt, virgines non esse maioris meriti, quàm coniugatos, sed falsum est, vnde & mater fuit coniugata, & Virgo. In qua autem ætate Beata MARIA desponsata fuerit? ex Euangelio haberi non potest. Sed Epiphanius dicit, quod in 14. anno, & in 15. peperit Christum. Albertus autem, vbi supra videtur dicere, quòd in maiori ætate, licèt non exprimat, quoto anno. Dicit enim, quòd cùm supponatur, quòd in Beatissima Virgine fuerit omnis congruentia, tam ex parte naturæ, quàm ex parte gratiæ, ad hoc, vt esset Mater Domini, credimus, quòd Deum concepit tali ætate, qua perfecta fuit, statu corporis, & quantitate. Et quòd cum eadem ætate desponsata fuit tantum ante, quantum matrimonia solent præcedere sponsalia, scilicet, circa duos menses. Cùm enim nihil sit laudabile, nisi aliquo modo dependeat à liberi arbitrij voluntate, non statim illud fieri debuit, cùm Beata MARIA libero arbitrio vti potuit, scilicet, anno 11. vel 12. sed interuenire debuit temporis protractio, in quo fieret, & meritorũ ac cumulatio, & Purificationis suæ factæ in vtero maior succederet depuratio, & virtutum exercitio, vt omnium virtutum apice sublimata suo singulari merito mundo succurreret perdito, Christum gignẽdo.

Sap. 4.

Psal. 21.

Item

Item contra grauitatem, & honestatem morum est nimia acceleratio matrimonij, vnde & in adolescentia fuit. Ad quod facit, quòd ait Salomon, Prouerbiorum penult. *Tria sunt mihi difficilia ad cognoscendum, &c. Quantum penitus ignoro, scilicet viam viri in adolescentia sua*, secundùm aliam translationem, quod exponit Nicolaus de Lyra, id est, Christi in Virginis vtero in sua Incarnatione. Nec attendit, Beata MARIA, quòd sponsus esset senex, sed ad voluntatem Dei sibi renelatam, & Dei legem disponentem hoc consensit. Nunquam enim debet puellæ dari sponsus inuitæ, aliàs mala sequuntur plura. Prou. 30.

§. II.

SEcundò nomen viri eius exprimitur, cùm *dicitur Ioseph*, sic enim vocabatur. Quã desponsationem non est secuta illo tempore copula carnalis, vnde quod dicitur *priusquam conuenirent*, ly, prius, non notat ordinem rei, scilicet, postea, id est, quòd nondum cõuenerint carnaliter commiscendo, sed postea. Sed simpliciter negat factum, quod non fuerit, scilicet, cognita carnaliter, vnde dicit Chrisost. Non dixit priusquam in sponsi induceretur domum. Hunc enim morẽ seruabat antiquitas, vt sponsæ in sponsorum domibus haberentur, vt generi Loth apud socerum leguntur habitare cum sponsis nondum sibi copulatis lege coniugij. Sic MARIA habitabat, cum sponso, scilicet, Ioseph 27. quæst. 2. priusquam. Ex quo clarè patet, quantùm exercuerit malitia, & concupiscentia hominum, quia cùm tunc manerent sponsæ in domo sponsorum, nulla commixtio, nulla impudicitia erat inter eos ante tempus nuptiarum, sed vt frater, & soror in omni castitate simul conuersabantur. Nunc sponsæ vix in domo parentum suorum possunt tutè custodiri, quin sponsi earum cùm visitant, faciant multas turpitudines. Et ideo matres debent huiusmodi obuiare. Sed nedum sponsæ sunt tutæ à sponsis, & maritis earum in domibus parentum, nisi in magna custodia teneantur, immo germanæ, quo ad fratres suos, vel germani. Nec filiæ à parentibus, nec mulieres à cognatis, nec nouercæ à priuignis, seu filiastris, nec seruæ à Dominis. Et ideo vt dicit Ierem 9. capit. Vnusquisque à proximo suo caueat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam, sed omnem diligentiam habeat in custodiendo. Sed ex quo sponsus Ioseph nunquam carnaliter cognouit sponsam suam, meritò quæritur. Si fuit verum matrimonium inter MARIAM, & Ioseph? Ad quod respondet Beatus Thom. in 3. part. quæst. 29. art. 2. quòd matrimonium dicitur esse verum, quando suam perfectionem attingit. A B C D

Duplex est autem perfectio rei. Prima quidem perfectio in ipsa forma rei consistit à qua sortitur speciem. Secunda perfectio cõsistit in operatione rei per quãs res aliqua liter finem suum attingit. Modò ad propositum; forma matrimonij consistit in quadam indiuisibili coniunctione amborum, scilicet, expressa per verba, vel signa per quam vnus coniugum fidem alteri seruare tenetur. Finis autem matrimonij est proles generanda, & educanda. Ad quorum primum peruenitur per concubitum coniugalem. Ad secundum, scilicet educandum prolem peruenitur per alia opera viri, & vxoris, quibus sibi ij inuicem obsequuntur ad nutriendum prolẽ. Dicendum igitur, quòd quantùm ad primam perfectionem, quæ est essentialis matrimonij, omnino fuit verum matrimonium inter MARIAM Matrem Domini, & Ioseph, quia vterque consensit in copulam coniugalem, non autem expressè in copulam carnalem, nisi sub conditione, si Deo placeret, vnde & Angelus ad Ioseph vocat MARIAM coniugem suam dicens. *Noli timere accipere MARIAM coniugem tuam*, vbi beatus Augustinus Coniux vocatur ex prima desponsationis fide, quàm concubitu, nec cognouerat, nec cognituruserat. Quantùm verò ad secundam perfectionem, quæ est per actum matrimonij, quantùm ad carnalem concubitum non fuit illud matrimonium consummatum, scilicet, per quem proles generatur. Fuit tamen quantũ ad prolis educationem. Et vt dicit B. Aug. hoc exẽplo manifestè insinuatur fidelibus cõiugatis, etiam seruata pari cõsensu cõtinẽtia posse permanere, & vocari cõiugium, etiam non permixto corporis sexu. Potest addi & tertia perfectio matrimonij, scilicet, quantũ ad significationem, quæ est in matrimonio. Vnde Apostolus, *hoc autem dico magnũ in Christo, & Ecclesia Sacramentum*, scilicet esse matrimonium. Significat enim coniunctio animorum coniunctionem Christi cum Ecclesia, seu cum anima per fidem viuam. Sed cõiunctio corporum, quæ facit matrimoniũ omnino insolubile, significat coniunctionem Christi cum Ecclesia per humanitatem assuptam, quæ nunquam separata est, vel separari potest. Prima igitur significatio fuit in matrimonio MARIÆ, & Ioseph, sed non secunda, quia nulla ibi copula, vnde completa significatio in illo matrimonio non fuit. Sed iam videndum est aliquid de qualitate, & magnificentia huius sponsi. Et primò videndum est quare dicitur desponsata viro? Vbi Bernardus. Si nec folium de arbore sine causa, nec passer vnus sine patre cœlesti cadat super terram, multò magis non potest de ore Euangelistæ superfluum defluere, præsertim in sacra historia verbũ. Matt. 1. Ephes. 5.

Plena quippe sunt omnia supernis mysterijs ac cœlesti singula dulcedine redundantia, si tamen habeant diligentem inspectorem, qui sciat mel de petra sugere, oleumque de saxo durissimo. Non ergo sine causa dictum est viro, quod secundùm Alber. nõ dictum est ad denotãdum sexus discretionem, sed ad tã gẽdum spõsiB. Virginis commendationem, & sponsæ in spõso honorationem. Non ergo vir notat sexum, vel ætatem, sed virtutem. Fuit ergo Ioseph vir per constantiã fidelitatis, quantùm ad iustitiam pertinet, per virtutem castitatis, quantùm ad temperantiam, per excellentiam discretionis, quantùm ad prudentiam, per strenuitatem operationis, quantùm ad fortitudinem. Et sic vir hic dicitur à virtute, quia excellenter habuit virtutes cardinales. Secundò, cùm natura nihil frustrà agat, nec abundet in superfluis, sicut nec deficit in necessarijs secundùm Philosophum. Multò magis hoc videtur de gratia, & Scriptura sacra, vtpotè dictata à Spiritu sancto. Quare ergo dicit Luc. 1. *Ad Virginẽ desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph:* Videtur enim istud superfluum, *cui nomẽ erat.* Sufficiebat enim dicere desponsatã Ioseph. Ad quod respondet Alber. vbi supra, quòd non superfluè, & frustra hoc exprimitur, sed magno mysterio, & multis de causis, videlicet, quòd esset notabile, ipsum nomen designare voluit tali modo, vt scilicet, plenius, & ordinabiliùs res describatur, vt probabiliùs credatur totum prælectum, monstratur locus, scilicet, Nazareth, & persona etiam nomine honoretur, vt Ecclesia exercitetur ad indaganda mysteria, vt Euangelista familiaris, & fidelis comprobetur, vt humilitas sponsæ declaretur, cùm ita nominatim, & expressè humilis sponsus describatur, vt iustus apud Deum demonstretur, cuius nomen tanquam in libro vitæ scriptum in Euãgelio tam signanter exprimitur, vt notus hominibus intelligatur, qui testis Virginitati Beatæ MARIÆ adhibetur, vt in memoriam hominum dignè veratur, qui in patrẽ Domini assumitur putatiuum. Item cùm rota sit in medio rotæ, id est nouum Testamẽtum in veteri figuratum, & multi sunt in quibus figuratur istud coniugium Incarnationis, vt Assuerus sponsus Esther. Abraham maritus Saræ, quę miraculosè peperit Isaac Christum designantem. Isaac sponsus Rebeccæ, Manue Pater Sansonis, videtur, quòd potiùs debuerit vocari aliquo aliorum nominum, vt Abraham, Assuerus, Isaac, & huiusmodi, quàm hoc nomine Ioseph, cùm hoc nomen interpretetur augmentum, & nullum augmentum factum sit in isto coniugio, & Ioseph filius Iacob magis figuret, & aptiùs Christum, vt venditum à Iudæis, & deiectum, & Saluatorem mundi factum.

Luc. 1.

A Sed respondet Albertus, quòd vna persona secundùm diuersas proprietates sui pluries figurat personas, vt Abrahã, qui in immolatione Isaac figurat Deum Patrem, qui proprio filio non pepercit. In eo, quòd egressus est de terra sua, & postea ingressus est Ægyptum, significat filium, qui egressus à patre venit in mundum. In eo, quòd in ostio tabernaculi sedebat in feruore diei, & recepit hospitio tres, & vnum adorauit, significat Sanctos Patres expectantes intenso desiderio Christi aduentum, qui est vna persona in tribus substantijs, scilicet, deitate, anima, & carne. Sic, & Ioseph Patriarcha in sui venditione, incarceratione, liberatione, &
B saluatione Ægypti Christum figurauit. Sed in fidelitate, in castitate, in mysteriorum reuelatione, in procurationis commissione, in cibi conseruatione, huius Ioseph sponsi MARIÆ figura fuit. Non autem decuit eum præfigurati per aliquem antiquorum, qui maritus per carnalem copulam extiterit, cùm ipse Ioseph, sine carnali copula sanctus coniugium per actionem coniugalem contraxerit, & coniux virgo Virginem custodiuit, & Matri, & filio paterno affectu coniunctus fuerit. Proprietas etiam nominis ex interpretatione ei congruit optimè, qui in ipsa desponsatione, quantùm ad Deum, quantùm ad proximum, quantùm
C ad se ipsum sublimatus est virtutum augmentatione, famæ celebritate, hominum reuerentia, & dilectione, Matris Dei familiaritate, & diuina, vt putabatur paternitate. Vnde Bernardus, ad tempus Ioseph appellatus est, & putatus est pater Christi. Cõijce, ex hac appellatione, & qualibet dispensatione, meruit honorari, à Deo, vt Pater Dei, & dictus, & creditus est. Conijce, ex proprio vocabulo, quod augmentũ non dubites interpretari, quis, & quantus fuerit Ioseph. Memento simulque magni illius Patriarchæ venditi in Ægypto, & scito ipsius non solum vocabulum fuisse sortitum, sed & castimoniam adeptum, innocentiam assecutum, &
D gratiam. Si quidem ille Ioseph fraterna ex inuidia venditus, & ductus in Ægyptum Christi venditionem præfigurauit. Iste Herodianam inuidiam fugiẽs Christum in Ægyptum portauit. Ille Domino suo fidem seruans Dominæ suæ noluit commiscri. Iste Dominam suam, Domini sui Matrem Virginem agnoscens, & ipse continens fideliter custodiuit. Illi data est intelligentia mysteriorum somniorum, isti datum est conscium fieri, & participem cœlestium Sacramentorum. Ille frumenta seruauit, non sibi, sed omni populo. Iste panem viuum de cœlo seruandum accepit, non sibi sed toti mundo. Non est dubium, quin fidelis, & bonus hic fuerit iste

Io-

Ioseph, cui mater desponsata est Saluatoris fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus suæ matris solatiũ, suæ carnis nutritiũ, solũ denique in terris magni consilij adiutorem sibi fidelissimum. Hæc ille, dicitur autem *Ioseph de domo Dauid*. Lucæ 1. de sponsatam Ioseph de domo Dauid, non tamen propter successionẽ in generatione, sed principaliùs propter virtutum imitationẽ. Et tales propriè dicũtur esse de vna domo, iuxta illud Ps. 67. *Qui habitare facit vnius moris in domo*, secũdum Alber. vnde & Ber. Verè de domo Dauid, verè de stirpe Regia descendit vir iste Ioseph generatione nobilis, mente nobilior, planè filius Dauid, nõ tamen carne, sed sanctitate, & deuotione, quẽ tanquam alterũ Dauid Dominus inuenit secundùm cor suum, cui citò committeret secretissimũ, atque sacratissimũ sui cordis arcanũ. Cui tãquã alteri Dauid incerta, & occulta sapientiæ suæ manifestauit, & dedit illi non esse ignarum mysterij, quod nemo Principũ huius seculi cognouit. Cui datum est, quod multi Reges, & Prophetæ voluerunt videre, & non viderunt. Nec solum videre, & audire, sed etiã portare, deducere, amplecti, deosculari, nutrire, & custodire. Et ideo non tantũ Ioseph, sed MARIAM de domo Dauid credendum est ascendisse, alioquin non fuisset desponsata viro de domo Dauid, hæc B. Bernard. Rectè ergo ait Albert. sponsus Virginis de domo Dauid dicitur, vt scandalum euitetur, vt eadem tribus esse probetur, vt amor legis in vtroque ostendatur, vt humilitas nobilitate Regia exaltetur, vt paupertas nobilitati non repugnare doceatur, vt Dauid humilitas euangelizetur, vt imitatio humilitatis in Ioseph insinuetur, vt veritatis promissio adimpleatur, vt genealogia Domini describatur, vt paupertas mirabiliter demonstretur, vt nobilius exemplum paupertatis, & humilitatis detur. Nec propter peccati maculam, quã pœnitentia deleuit, minùs in genealogia Domini debuit nominari, sed audacter prædicari, cùm hoc peccatoribus confidentiam generet, & misericordiam augmentet, dicente Domino. *In quacumque hora peccator conuersus fuerit, omnium iniquitatum eius non recordabor.*

Lucæ 1.

Psal. 67.

Ezec. 33.

§. III.

QVantùm ad tertium, scilicet, supernaturalis conceptio Beatæ MARIÆ notatur, cùm dicitur *Inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto*, id est grauida, vbi Orig. ait inuẽta est à Beato Ioseph habens in vtero id est, prægnans, qui licèt eam non contingeret, futuræ tamen, vt putabatur, vxoris omnia nouerat. Et infra, si tibi vxor nominatur. Si tibi in desponsatione esse dicitur, non tibi tamen vxor est, sed Dei vnigeniti mater est æterni. In sequentibus demonstrabo, quod nec ista tua coniux secundùm consuetudinem coniugij habeatur, nec iste, qui generatur, tuus filius esse credatur, 27. q. 2. inuenta. Fuit ergo conceptus Virginis non à Ioseph, sed supernaturalis, quia de Spiritu sancto, cui attribuitur operatio miraculorũ, quorum omnium istud fuit maximum. Et ex hoc ait B. August. in lib. de bono coniugali. Omne nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus, Christi, fides, scilicet proles, & Sacramentum. Prolem cognoscimus ipsũ Dominum Iesum. Fidem, quia nullum adulterium. Sacramentum, quia nullum diuortium. Solus ibi nuptialis cõcubitus nõ fuit, quia in carne peccati fieri non poterat sine pudenda concupiscentia carnis, quæ accidit ex peccato, sine quo concipi voluit, qui futurus erat sine peccato, 27. q. 2. omne. Prolis tamen illius, scilicet, Christi Mater, vera, & naturalis fuit Beata MARIA. Ioseph autem nõ naturalis pater, sed putatiuus. Quod autem dicitur in Euangelio. *Ioseph autem, cùm esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam*, exponitur triplicitèr. Vno modo traducere, id est, in domum suam ducere. Nam secundùm aliquos non duxerat in domum suam, sed in domo erat parentum. Alio modo dicitur traducere, id est nuptias solemniter celebrare. Nam iam Ioseph induxerat Virginem MARIAM in domum suam, vt erat moris, tunc temporis de sponsis erga spõsas. Et hæc melior expositio secundùm B. Tho. Nam minùs suspecta haberi poterat de adulterio, quòd in domo Ioseph concepisset, vtpotè magis zelantis pro honestate sponsæ, quàm in domo parentum, & melior testis castitatis suæ. Tertio modo exponitur traducere, id est, publicè accusare in iudicio, seu denunciare. Vnde beatus Augustinus in libro, seu homilia de pœnitentia, ait. Attende quemadmodum iustus Ioseph tanto flagitio, quod de vxore fuerat suspicatus, tanta benignitate pepercit antequam sciret, vnde illa concepera t, quam grauidam senserat, & se ad illam accessisse non nouerat. Restabat ergo ei certa adulterij suspicio, & tamen quia ipse non nouerat, quod dicit Euangelium, *Ioseph cùm esset iustus, & nollet eam diuulgar, voluit occultè dimittere eam*. Diuulgare, id est, in iudicio denunciare. Ergo quæ peccantur coram hominibus, corripienda sunt coram hominibus, id est, publicè. Et quæ peccantur secretiùs, corripiẽda sunt secretiùs. Distingue tẽpora, & concordabis Scripturam. Hæc. B. Aug. 2. q. 1. si peccauerit. Ex quibus videtur secũdũ Aug. quòd habuit suspicionẽ de adulterio, fortè leuem. Et ideo cogitabat dimittere, nõ autem denunciare, ex quo certus non erat præcipuè attendendo sanctam

conuersationem, nec etiam retinere, ne videretur particeps, seu assentiens adulterio. Sed Angelus eum in somnis illuminauit, & declarauit veritatē conceptionis, quia non de homine, sed quod in ea natum est, id est, conceptum, de Spiritu sancto est, qui cōceptus saluaret populum suum à peccatis, & quod dixit. *Noli timere accipere MARIAM coniugem tuam* exponitur, idest, acceptam iam in domum retinere. Sed B. Ber. aliter sentit de ista causa diuisionis. Dicit enim. Si quæritur quare Ioseph voluit dimittere MARIAM? Respondetur, quòd iste Ioseph considerans sanctitatem sponsæ suæ, modestiam, & pudicitiam, dicebat intrase. Comessatrix nunquā fuit, nec vinolenta, non saltatrix, nunquam oculum super virum erexit, non discurrens, nō leuis in risu, vel verbo scurrilis. Vnde ergo ista prægnatio? Non à me, qui ad eam nō accessi, non ab alio, quia nunquam mandatū Dei præteriisset, ergo à Deo est ista operatio. O inestimabilis laus MARIÆ! Potius æstimabat Virginem posse concipere, quàm MARIAM peccare. Stupens ergo de tanta sanctitate, quod Mater Dei esset, voluit occultè dimittere eam, reputans se indignum cum tanta manere sanctitate. Ea ratione voluit dimittere eam, qua & Petrus Christum, viso miraculo de captura piscium plurima, dicens: *Exi à me Domine, quia peccator homo ego sum.* Lucæ 5.

Lucæ 5.

De Annunciatione Dominica.
Capit. 8.

Lucæ. 1. *MIssus est ad MARIAM*, Lucæ 1. Quia in mysterio Incarnationis quoddā matrimonium spirituale fiebat inter Deum, & humanam naturam, quæ assumenda erat ex Virgine, ideo debuit in isto summo matrimonio consensus Virginis requiri tanquam spōsæ faciēdæ. Nec enim est laudabile opus nisi cōstitutū aliquo modo libero arbitrio, nam etsi prophetia prædestinationis, vt erat prophetia Incarnationis, à multis prænūciata impleatur sine nostro arbitrio, vt dicit Gloss. super Mat. hoc intelligendum est secundùm Alber. sine nostro arbitrio operante, sed non sine nostro arbitrio consentiente. Et ideo decuit mitti, qui hoc annunciaret, & requireret consensū Virginis. Vnde in figurā huius procurator Abrahę Eleazar missus ab Abraham, qui interpretatur Pater multarū gentium, de terra promissionis ad procurandam vxorem, seu desponsandam filio suo Isaac in Aram *Rebeccam* pulcherrimam Virginem, & incognitam viro ad aquarum fontem repertam subitò eam in sponsā Isaac disposuit assumere, prius tamē, quā hoc faceret quæsitus est assensus eius, quem exprimens clarè, facta est sponsa. Genes. 34.

Gene. 34.

A Iste procurator fuit Archangelus Gabriel missus à Deo Patre de terra Promissionis, scilicet supernæ, qui in mundum veniens inuenit præ cæteris Virginem pulcherrimam mente, & corpore, ad fontem aquarum viuentium gratiarum, & diuinorum eloquiorum, quæ etiam sua liberalitate ipsi Angelo nuncio desponsationis sitiēti salutem humanam, & camelis eius, id est, hominibus, qui ab eo dirigebantur, & gubernabātur, potum dedit, satisfaciens desiderio suo; cū nūciasset aduentus sui causam, & missionis, vt scilicet eam desponsaret filio Dei, cùm consensit dicens. *Ecce ancilla Domini, &c.* contractum est matrimonium, & Verbum caro factum est. Multi sancti homines in veteri, & B nouo testamento ante conceptum fuerunt nunciati, & missi Angeli, vel sancti homines ad hoc nunciandum, vt Isaac, Sanson, Ioannes, Remigius, Thomas: vnde multò magis Sanctus sanctorum debuit nunciari per aliquem missum. Et ideo *missus est.* Non obstat, si dicatur, inter ea, in quibus nulla est distantia, nulla est necessaria missio, sed inter Deum, & B. MARIAM nulla erat distantia, quia in illa erat nō solùm per essentiam, præsentiam, & potentiam, vt in cunctis est, sed etiam per gratiam, prout est in electis, & perfectiùs, quàm in cunctis puris creaturis. Ergo non oportuit, vel potuit mitti. Sed C respondet Alber. quòd quamuis missio sit inter distantia, quia tamen gratia habet plurimos gradus, ideo contingere potest Deum habitare in aliquo per gratiam aliquam, à quo distat respectu aliarum gratiarum, quarum est capax, & nondum habet. Licèt ergo Deus inhabitaret Virginem per gratiam, distabat tamen ab ea, quoad maiorem etiam gratiam, quam in concipiendo percepit, & per corporalem præsentiam, quam priùs in ea non habuit. Missus est ergo ad MARIAM Angelus, videlicet nuncians ei Verbum bonum. Quæ nunciatio ex missione ista fuit necessaria, & congrua propter tria. Propter Dei venerationem. Propter Virginis commendationem. Propter nostræ vtilitatis con- D secutionem.

§. I.

QVantùm ad primum, secundùm Albert. honorabatur Deus in ista Annunciatione tripliciter. Primò, quantùm ad eius potentiā eò, quòd Angelos suos ministros habuit, qui sunt valdè potentes. Psalm. 102. *Omnes Angeli eius potētes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonū eius.* Et quamuis solemnior videatur nunciatio, tantò magis per plures, & solemnes missos, hoc est verū, nisi illud, quod nūciatur sit arcanū, seu secretū, hoc enim repugnat multitudini. Non enim dicitur arcanum, quod multis est cognitum. Nec est familiariter

Psal. 102

inti-

intimatum, & amicabiliter, quod multis est prius intimatum. Quia igitur istud erat valde secretum, non decuit per multos nũciari. Sed per vnum ex Angelis, qui missus est ad MARIAM, scilicet. Secundò honoratus est Deus in ista missione, & annunciatione, quo ad eius sapiẽtiam, in eo quòd modo perditionis obuiauit directè per viam liberationis, quia sicut Angelus malus Virginem Euam decepit per malam nunciationem, sic per Angelum bonum Deus Virginem MARIAM docuit, nuncians ei Verbum bonum summã beatitudinem inde hominibus consequẽdã. Et sic satis credi potest, quòd malus Angelus qui nunciauit Euę verbum falsum, fuit vnus ex maioribus dæmonijs, ita & nuncians verbum optimum MARIÆ, non fuit ex ordine inferiori, sed de ordine Archangelorum, & fortè primus illorum, qui dicitur Princeps Archangelorum. Tertiò honoratus est Deus quantùm ad bonitatem in ista nunciatione. Vnde Dama. Magnum circa amorem hominum clementiæ Dei demonstratur pelagus. Ipse enim conditor, & Dominus eam, quam proprio plasmate fecit, reiteratione, & opere magister fuit, & qui bonitatis spem decepit hominum, carnis problemate deciperetur. Et monstratur bonitas, & iustitia Dei. Nam bonitas quidem, quia nõ despexit proprij psalmatis infirmitatem, sed viscera eius commota sunt in ipso cadente manum porrexit. Iustitia etiam ostensa; quoniam homine victo, non aliumvincere fecit natura. Neque vi eripuit hominem ex morte, sed quem quondam per peccatum in seruitutem redegit mors, hunc bonus, & iustus victorem fecit, & similem simili reseruauit. Hæc Ioan. Damian. Et ideo missus est Gabriel ad MARIAM, qui interpretatur fortitudo Dei, quia ad nunciandum veniebat eum, qui est fortis, & potens in prælio ad Diabolum vincendum.

§. II.

SEcundò fuit necessaria, & congrua ista annunciatio facta, B. MARIÆ à misso ad eam propter eius commendationem. Et hoc in tribus ostenditur. Primò, quia virtus Virginis manifestatur. Secũdò, quia meritũ Virginis augmentatur. Tertiò, quia intus, & extra illuminatur. Quantùm ad primum manifestatur in ista annũciatione virtus Virginis. Et primò virtus humilitatis in turbando se & timendo, non quidem per iram, vel deiectionem pusillanimitatis, sed per admirationem ex tanta laudatione. Sicut enim superborum proprium est ex laudibus aliorum se extollere, ita è cõtra humiliũ est laudes horrere. & minora de se sentire, & sic in eis virtus laudata crescit, vt dicit Sen. Secundò virtus prudentiæ, & discretionis manifestatur ex eo, quòd de nũciatis sibi quęritur, nõ dubitãs, sed modũ piè quęrẽs, inquit, Ioan. in Can. Nolite omni spiritui credere, scilicet, loquẽti intus, vel extra, sed probate, id est, examinate spiritus vtrũ ex Deo sint. Nã ipse Sathanas, ait Apost. trãsfigurat se in Angelũ lucis. Tertiò manifestatur virtus fidei in cõsẽtiẽdo. B. ait Elisabeth, quæ credidisti, quoniã perficiẽtur in te quędicta sũt tibi à Dño. Et B. Tho. in 3. p. q. 3. dicit, quòd cõgruũ fuit B. Virgini nunciari, quòd esset Christũ cõceptura, vt cõseruaretur congruus ordo coniũctionis filij Dei ad Virginẽ, vt scilicet, priùs mẽs eius de ipso instrueretur, quã carne eũ cõciperet, vnde B. Aug. dicit, quòd beatior fuit MARIA in concipiendo fidem Christi, quã concipiẽdo carnẽ Christi. Tũ etiã vt vo lũtaria sui obsequij munera offerret, ad quæ promptã se reddidit. Tum, vt tactum est supra, cũ contraheretur quoddã matrimoniũ spirituale inter Dei filiũ, & humanã naturã per annunciationem, expectabatur cõsensus Virginis loco totius humanę naturę. Secũdò meritũ Virginis in hac annũciatione augmẽtatur, & hoc in credẽdo nuncio, cũ enim aliquid nũciatur credẽdũ, quãtòillud est magis arduũ, & lõge ab humana operatione, vel ab vsu naturę, tãtò magis, quis meretur, assẽtiẽdo ad credẽdũ. Et quia maximè arduũ, & inusitatũ erat Virginẽ concipere, & Deum hominum fieri, ideo assentiens huic rei sibi nũciatę, augebatur, & meritũ. Secũdò augmẽtatũ est meritũ in assentiẽdo nũciato, cũ ait. *Fiat mihi secundùm verbum tuum*. Stabat tota cœlestis Curia expectãs respõsũ suum, auidissimè cupiebat assensũ suum. Angelus Gabriel orator pro cunctis beatis spiritibus sitiebat amoris ardore ad vltimũ verbũ suũ. Clamabãt Patres omnes in limbo illud, Esa. 45. *Aperiatur terra, & germinet Saluatorẽ*. Aperiatur terra Virginalis in ore suo per cõsensum cordis corporis per vocale verbũ dicens. *Fiat mihi secundùm verbum tuũ*, & immediatè germinabit Saluatorẽ Christi. Quo verbo prolato reuersus est Angelus missus ad Dominũ suũ, totã ciuitatẽ lætificãs nuncio suo. Tertiò augmẽtatũ est meritum in se Deo totaliter humiliando, dicens. *Ecce ancilla Domini*, non ait mater, vel filia, vel spõsa Dei, sed ancilla. Ancilla totum, quod lucratur Domino, vt suum tribuit. Si bona est seruit in cunctis, ac reueretur Dominum suũ sic B. MARIA. Quantũ ad tertiũ, scilicet, quod intus & extra illuminatur in ista nũciatione. Fuit enim illuminata in potẽtijs sensitiuis per allocutionẽ, & visionẽ Angeli. Si enim Angelus apparẽs pastoribus cũ magna claritate se illis ostendit ad annunciandum Christum natum, multò magis credendum est, apparuisse cum magno splendore Virgini, quæ conceptura erat, non luce, quæ oculos offenderet, vt offenditur aspiciens in

Esai. 45.

sphera solis, sed luce reficiéte visũ, & omnes sensus. Illuminata est in potentijs medijs, scilicet, imaginatiuis, & cogitatiuis, circa quas multùm operatur ministerium Angelorum in purgando phantasmata, & suggerendo bonas imaginationes, quas autem cogitationes sanctissimas, quàm altissimas, quàm feruidas erga diuina haberet ipsa sola nouit, nobis autem incognita sunt. Quantùm autem ad vltimas potentias, scilicet, intellectum, & voluntatem, per inspirationem Deus operabatur, qui solus in voluntate operatur, & animæ illabitur. Tamen dicit Albert. Deus est in hac missione negotij inuentor, per seipsum saluationis dictator, intelligentiæ inspirator, & mentis ad consensum prouocator, modi executionis expositor. Vnde Angelus requisitus de modo, transmisit eam ad Spiritum sanctum, dicens: *Spiritus sanctus superueniet in te*, qui scilicet modum docebit, & seruabit, vnde nihil in hoc ab Angelo illuminationis accepit, sed à Deo.

§. III.

TErtiò fuit necessaria ista missio, & nunciatio sic facta ad nostræ vtilitatis consecutionem. Et hoc tripliciter. Primò ad fidei confirmationem. Secundò ad deuotionis accensionem. Tertiò ad actuum informationem. Quantùm ad primum fides confirmatur in nobis ex hoc, quòd origo exordium, & processus nostræ redemptionis seriatim, & ordinatè describitur, & sacri Euangelij testimonio comprobatur. Fides enim ex auditu, ait Apostolus ad Romanos 10. *Rom. 10.* Auditus autem per verbum Christi prædicatum, & in scriptis Euangeliorum redactum, & per miracula multa approbatum. Cùm aliquis audit ordinatè aliquam historiam enarrari, & describi Prouinciam, & Ciuitatem, vbi res gesta est, & quo tempore, & quibus personis, & quibus locutionibus, & responsionibus, & exemplis notis, non solùm confirmatur ad credendum illa, sed quasi cogitur probabiliter, quæ mõstrari aliter non possunt, & cùm referuntur à personis grauibus, & iustis. Cùm ista enarrata sunt ab Euangelistis, discussa, & approbata per Apostolos Sanctos operatores prodigiorum, confirmatur ex his fides magis in nobis quàm si solùm audiremus Incarnationem, sed non ordinem eius. Quantùm ad secundum deuotio accenditur, cùm toti humano generi mediante Beatissima Virgine MARIA perfecta pax, reconciliatio nũciatur. Et humana natura Deo, & Angelis inimica abiecta à Deo, prior etiam per Angelum saluatur. Certè si quis Dominus recepisset magnas injurias à seruis suis rebellantibus se ab eo, & inimico eius adhęrentibus, qui serui in nullo possunt ei Domino nocere, nec eget eis, sed ipse sine eo viuere non possunt. Si talis Dominus mitteret ad seruos illos vnum ex Principibus suis ad salutandum eos, ostenditse velle eos reconciliari sibi, & facere eos familiares, & Regni sui consortes, nonne sine dubio accenderentur ad deuotionem, & affectionem eius? sicut ait Apostolus. *Commendat Deus*, id est, commendabilem ostendit, *charitatem suam in nobis, quia cùm inimici essemus, reconciliati sumus.* *Romã. 5.* Et immo misit vnum de Principibus, scilicet Gabrielem, ad salutandum Virginem, vt in ea, & per eam fieret reconciliatio nostra per incarnationem. Quantùm ad tertium. Actus nostri in ista nunciatione informantur. Nam per illud, quod Beatissima Virgo gessit, quando ad ipsam Angelus venit, & per id, quod Angelo dixit, & per illud, quod post receptionem plenitudinis fecit, instruimur quales debeamus ad gratiam habendam præparari, videlicet primò, vt simus separati à turbis, clausi in interiori domo conscięntiæ, clausi à sensibus, & sensibilibus, & clauso ostio, scilicet, sensuum *ora patrem tuum*, ait Christus Matth. 6. *Matt. 6.* Et cum timore audire diuinas inspirationes, quæ fiunt per Angelum, vt loquentem. *Audiam*, inquit, Psalmus 84. *quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem.* *Psal. 85.* Ad hoc instigat, vt reconcilietur homo cum Deo suo. Sic MARIA non in turba, vel platea inuenta est ab Angelo sed in domo, non ad fenestram, vel ostium, sed in cubiculo orans, vel legens, ad verba Angeli timens. Secundò instruimur, qualiter gratiam receptam augmentare debeamus, videlicet interrogando de vtilibus, humiliando se in omnibus, & obediendo diuinis iussionibus, & inspirationibus. Sic enim MARIA post salutationem interrogauit Angelum de modo conceptionis, ancillam se nominauit, diuinæ voluntati obediuit, dicens; *Fiat mihi secundùm verbum tuum*, Tertiò instruimur, quomodo auctam gratiam conseruemus, videlicet semper ascendendo de bono in melius. Nam secundùm B. Bernardum, In via Dei non proficere est deficere, saltem dispositiuè & Chrisost. Nemo repente fit summus, sed à minimis quisque inchoat, vt ad maiora perueniat, de pœnit. dist. 2. charitas est aqua. Sic Beata MARIA post cõceptum filij ascẽdit in montana, scilicet virtutum proficiendo, & ad Elisabeth seruiendũ proficiscendo. Quæritur, in quo actu fuerit Beata MARIA, quando salutata fuit ab Angelo, vtrum in actu contemplationis, vel actionis? Et videtur, quòd in actu contemplationis. Nam ad cõtemplationem pertinet quod dicitur in Thren. 3. *Sedebit solitarius, & tacebit, & leuabit se super se.* *Tren. 3.* Dicit enim Phpilos. quòd anima sedendo, & quiescendo

fit

fit prudens, scilicet, sapiens. Sed Beatissima Virgo MARIA in concipiendo debebat fieri Virgo prudentissima, & mater sapientiæ. Ergo congruebat ei sedere mente, & quiescere, quod fit per contemplationem. Cùm etiam Dominus appropinquaret in illo mysterio Beatissimæ Virgini descendendo, & ipsa debuit obuiare ei ascendendo, scilicet, eleuando se super se per contemplationem, secundùm illud Amos 4 *Præparare in occursum Deo tuo.* Nam nobilissima operatio fuit concepti filij Dei, ideo debuit fieri in nobilissimo statu, qui est status contemplationis. Præterea dantis, & recipientis debet esse adinuicem conuersio, secundùm illud Cant. 7. *Dilectus meus mihi*, id est, à me diligitur, *& ad me conuersio eius*, vt me diligat. Anima autem habet duas facies secundùm rationem, scilicet, partem superiorẽ, & partem inferiorem, superiorẽ, scilicet, secundùm quam superioribus inspiciendis, & consulendis inhæret. Inferiorem, secundùm quã inferioribus tractandis, & disponendis intendit. Si ergo Dei, & Beatissimæ Virginis tanquam dantis, & recipientis debet adinuicem fieri conuersio, necessarium est, quòd secundùm illam partem comparetur, secundùm quam anima ad Deum conuertitur, scilicet, secundùm partem superiorem, quod pertinet ad contemplationem. Sed, quòd fuerit in actione tunc B. MARIA, scilicet, descendendo per humiliationem sui, videtur ex hoc, quod dicitur. Cant. 1. *Cùm esset Rex in accubitu suo*, scilicet, quiescendo in Virgine per incarnationem *nardus mea dedit odorem suum.* Nardus est herba medicinalis, parua per humilitatem, medicinalis per curationem infirmitatum spiritualium, & corporalium, odorifera per exemplorum vitæ fuæ diffusam suauitatem. Et sic videtur, quòd humilitas Beatæ MARIÆ fuerit præparatoria ad conceptionem, vnde & Beatus August. dicit, quòd humilitas genuit nobis Deum. Humilitas autem est in descendendo, quia recumbit in nouissimo loco inferiorem se alijs existimans. Sicut autem ascensus est in contemplatione: quia eleuat se supra se, ita humilitas videtur esse in actione, descendendo ad inferiora: quia humilis dicitur, quasi humi accliuis. Item Gen. 19. dixit Abraham. *Loquar ad dominum meum cùm sim puluis, & cinis.* Ergo puluerizatio, & incineratio, qua se homo humiliat, est præparatio, qua homo loquatur cum Deo, & Deus cum eo. Sed Deus in hoc mysterio familiarissimè locutus est cum Virgine in ipsa salutatione, ergo maximè debuit incinerari. Quod etiam patet se fecisse ex vltimis verbis, cùm ait. *Ecce ancilla Domini.* Non ait mater, vel sponsa, vel filia, sed ancilla, quo statu, scilicet, ancillarum nil infimius, vel vilius, hoc autem, scilicet, humiliando se, fit descendẽdo, ergo in actione erat. Exercitium enim moralium virtutum, cuiusmodi est humilitatis, pertinet ad vitam actiuam, secundùm B. Thom. 2. 2. Sic enim *Deus humilibus dat gratiam suam.* Vt ait Petrus Apostolus, & Iacob. ergo maximè humili dat maximam gratiam. Sed maximam gratiam dedit Deus Beatæ Virgini in conceptione filij, ergo tunc maximè humiliata fuit. Solutio Albert. vbi supra, cuius etiam sunt rationes pro, & contra. Concedimus quòd Beata Virgo fuit in ista annunciatione in actu contemplationis. Sed cùm quæritur, per quem actum ad gratiam istam maximè præpararetur? dicimus, quòd Beata Virgo in hac annunciatione, in summo puræ creaturæ eleuabatur causaliter in summam pietatem, in summam dignitatem, in summam charitatem. In summam pietatem eleuata fuit, eò quòd super naturam Deum genuit. Et ad hanc pietatem eleuauit eam fides, iuxta illud. *Omnia possibilia sunt credenti.* Marc. 9. vnde Elizabeth. *Beata quæ credidisti, quoniã perficientur in te quæ dicta sunt tibi à Domino.* Lucæ 1. In summam dignitatem eleuata est, eò quòd totius creaturæ per recreationem mater effecta est. Et ad hanc dignitatem eleuauit eam humilitas, secundùm illud Matth. 23. *Qui se humiliat exaltabitur*, & quantò magis se humiliat, tantò magis exaltatur. Vnde quia filius eius Iesus summè humiliauit semetipsum, factus *obediens vsque ad mortem crucis*, vt ait Apostolus ad Phil. 2. mortem ignominiosissimam. *Ideo Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, &c.* Et quia post eum mater eius maximè se humiliauit, ideo exaltata fuit ad hoc, vt sit mater totius creaturæ, exaltata super choros Angelorum. In summam charitatem eleuata est per hoc, quòd Deo in omni propinquitate propinquissima fuit, vtpote quia eius filia mater, soror, & sponsa fuit. Et ad charitatem eleuauit eam charitas, secundùm illud Prou. 8. *Ego*, ait sapientia, *diligentes me diligo.* Et quia charitas est ignis diuinus consumens, & desiccans omnem humorem carnalitatis, vt sibi contrarium. Ideo castitas eius eleuabat eam ad summam cum Deo familiaritatem, secundùm illud Sap. 6. *Incorruptio facit proximum Deo.* Inter istas ergo virtutes præparantes Beatã Virginem ad istam conceptionem. Fides eleuauit potentiam rationalem, humilitas potentiam irascibilem, siue ardui appetitiuam, & charitas affectiuam, virginitas ex parte corporis præparabat generatiuam susceptiuam. Et sic tota eleuabatur, quæ tota replebatur, & tota glorificabatur. Si autem quæritur, vtrùm istis motibus simul moueretur? Dicimus,

Amos 4. — Cant. 7. — Cant. 1. — Gen. 19. — 2. Pet. 4. Iacob. 5. — Marc. 9. — Lucæ 1. — Mat. 23. — Phil. 2. — Prou. 8. — Sap. 6.

quòd

quòd non. Sed aliæ virtutes præparabant suas potentias, eleuando habitualiter. Charitas autem tanquam forma aliarum, & vinculum perfectionis ex parte Beatissimæ Virginis fecit coniunctionem actualiter. Vnde charitas fuit complementum vltimum ex parte suscipientis, sicut & complementum vltimum ex parte dantis, & mouentis ad mouendum, & dandum, vnde Hugo de sancto Victore. O charitas, quàm forte est vinculum tuum! Tu Deum de cœlo ligatum traxisti in mundum. Ad obiecta ergo respondeo, quòd ascensioni per contemplationem non contrariatur descensus per humilitatem. Sed descendere ad opera actionis propter Deum, hoc est ascendere per humilitatem ad Deum. Vnde Anselmus in libro de similitudinibus assimilat humilitatem monti: quia per eam ascenditur ad Deum per quosdam gradus. Et hæc mutuò se consequuntur: quia quantò magis eleuatur in cognitionem Dei, tantò magis descendit in humiliationem sui: quia quantò magis videt magnitudinem Dei, tantò magis respectu eius cognoscit vilitatem, & paruitatem sui. *Psal.* 115 Vnde Psalm. 115. *Ego dixi in excessu meo*, scilicet, Deum contemplando, *omnis homo mendax*, id est: quia non sit, & Esai. 54. *Esai.* 54. *Omnes iustitiæ nostræ, quasi pannus menstruatæ*, quo nihil abhominabili⁹ dici potest. Vnde frequenter legitur de Prophetis, vt Dan. & Ezech. quòd quando diuina conspiciunt, in terram cadunt, & Dionys. dicit, quòd tenebræ occultantur à lumine, & magis à multo lumine. Et sic patet, quòd per humiliationem descensus non impedit contemplationis ascensum. Erat ergo Beatissima Virgo in ipsa annunciatione, & conceptione in summo contemplationis ascensu tota per dilectionem in Deum transformata. Et notandum, quòd Beda super illud Luc. 11. *Lucæ* 1. *Beati qui audiunt verbum Dei, &c.* dicit. Hoc in loco Beatæ Dei genitricis excellentia cõmendatur: quia in tanta speculationis custodia Domino famulabatur, quòd ipsius humilitati, & sanctitati nullus sanctorum comparatur, sed & tota sanctorum beatitudo ex gratiosæ Virginis vtero processit. O veneranda Domina electa, & præelecta, quæ est mater, & Virgo esse non desinit! O admiranda puella, quæ saluo virginitatis pudore suũ genuit genitorem! O fœlix ancilla, quæ creatorem, & gubernatorem genuit vniuersorum, & Virgo permansit in æternum. O benedicta mater, quæ inferni vastatorem, cœli reparatorem, nostrum Saluatorem, mundi Redemptorem, Deum omnipotentem, Dominum cœli, & terræ, & omnia continentem suo protulit ex vtero, Angelorum lætitiam, hominum vitam, cœlorum gloriam, sanctorum coronam, Paradisi lucernam! O Beata fœmina, quæ Regis vniuersorum mater esse meruit! Sedet in gremio Virginis matris, qui trinam rerum machinam palmo concludit. Gaudet itaque mater, quæ tantùm se habere filium contemplatur. O admirandum magnæ pietatis miraculum! Hæc Beda.

Alius sermo de missione in genere.
Cap. 19.

Missus est ad MARIAM Virginem. Lucæ 1. Missio alicuius ad aliquem importat quendam processum, seu emanationem ipsius missi à mittente. Et quia Pater æternus à nullo procedit, ideo non dicitur mitti ad creaturam, nec vsquam legitur missus. Similiter Trinitas nõ dicitur mitti: quia includit personam Patris, quæ non mittitur. Sed quia filius Dei procedit à patre, ideo mittitur à patre, & mitti dicitur in mundũ. Galat. 4. *Misit Deus filium suum.* Spiritus quoque Sanctus, qui procedit à patre, & filio, mitti dicitur ad sanctificandam creaturam. Ioan. 16. *Mittam vobis à patre Spiritum veritatis.* Angeli quoque à Deo sæpe mittuntur ad diuersa officia. Hebr. 1. c. *Omnes administratorij spiritus sunt, in ministerium missi eorum, qui hæreditatem capiunt salutis.* Quod ergo dicitur. Missus est ad MARIAM Virginem, secundùm Albert. potest intelligi de Angelo, & de Spiritu Sancto, & de Dei filio in ista annunciatione, sed aliter, & aliter. Primò, *Missus est* Dei Angelus ad MARIAM, vt reparationem nostram de ea intimaret. Secundò, *Missus est* Dei spiritus ad MARIAM, vt præparationem ad hoc adaptaret. Tertiò, *Missus est* altissimi filius ad MARIAM.

Lucæ 1. *Galat.* 4. *Ioan.* 16. *Hebr.* 1.

§. I.

QVantùm ergo ad primum de missione Angeli in hoc sermone. Sciẽdum, quod ista nunciatio fuit suprema, & finis, & complementum omnium nunciationum Prophetalium de incarnatione loquẽtium. Et quia beatitudo, quæ nunciatur immediatè Beatæ MARIÆ, & in ipsa, & per ipsam annunciatur toto humano generi, consequenda per incarnationem, cùm homo in hoc fuerit, vt recipiens eam, non decuit, vt homo huius esset nuncius. Hominum etiam est recipere illuminationes, Angelorum autem est nunciare. Sed vt cum nullus hominum fuerit superior Beata MARIA, sed ipsa omnes excelleret. Inferiorum autem est recipere illuminationes à superioribus, apparet, quòd non debuit ista reuelatio, vel nunciatio incarnationis fieri per hominem, cùm quilibet esset inferior Virgine. Et si diceretur, quòd eadem ratione, non debuit fieri etiã per Angelum, quia fuit maior Angelis perfectione gratiæ super eos exaltata. Respondet B. Thom.

Thom. in 3. part. quæst. 30. quòd Mater Dei erat superior Angelis quantùm ad dignitatem, ad quam diuinitus eligebatur. Sed quantùm ad statum vitæ præsentis inferior erat Angelis, sicut etiam Christus propter passibilitatem assumptam dicitur paulo minùs Angelis minoratus. Sed quia Christus erat viator simul, & comprehensor, ideo non egebat quantùm ad cognitionem diuinorum ab Angelis instrui. Mater autem Dei in vita nondum erat in statu comprehensorum, & ideo de conceptu diuino erat per Angelum instruenda. Fuit ergo ad hoc missus Angelus Gabriel, & hoc triplici ratione secundùm B. Thom. in 3. part. quæst. 30. Fuit conueniens mysterium incarnationis nunciari per Angelum missum, vt dicitur in Euangelio. Primò, vt in hoc seruaretur diuina ordinatio, secundùm quam mediantibus Angelis diuina ad homines proueniunt, vnde omnes reuelationes diuinorum factæ sunt ministerio Angelorum, vt patet in Dan. & Apoc. 12. cap. & lege diuina data per Angelos secundùm Apostolum. Vnde Dionys. dicit in lib. cœlestis Hierarchiæ 4. cap. quòd diuinum Iesu benignitatis mysterium Angeli primum edocti sunt, postea per ipsos ad nos cognitionis gratia transiuit. Sic diuinissimus Gabriel ad Zachariam quidem dicebat Prophetam esse venturum ex ipso. MARIAM autem quomodo in ipsa thearchicum ineffabilis Dei formationis mysteriũ. Nec est contra quod ait idem Dionys. cap. 7. scilicet, quòd Christo ascendente Angeli quærunt de ipso: *Quis est iste, qui venit de Edon?* Esai. 63 quasi ignorantes tale mysterium, sed perfectiùs scire cupientes huius mysterij rationes, quæ sunt incomprehensibiles intellectui creato secundùm Beatum Thom. vbi supra. Vnde Maximus dicit, vtrùm Angeli cognouerint futuram incarnationem, ambigere non oportet; latuit autẽ eos in inuestigabilis Domini conceptio, atque modus, qualiter totus in genitore, totus manebat in omnibus, necnon, & in virginis cellula. Secunda ratio est: quia conueniens fuit reparationem, quæ futura erat per Christum, nunciari per Angelum, vt cor responderet reparatio lapsui, vt sicut per Angelum, sed malum nunciatum est verbum fœminæ, scilicet Euæ, vnde secuta est mors, sic per Angelum bonum nunciaretur Verbum MARIÆ, vnde reparata est vita. Et hoc est, quod dicit Beda in Homil. Aptum humanæ restaurationis principium, vt Angelus à Deo mitteretur ad mulierem partui consecrandam diuino: quia prima perditionis humanæ causa fuit, cùm serpens à Diabolo mittebatur ad mulierem spiritu superbiæ decipiendam. Potest huic rationi addi, & hoc: quia cum ex ipsa reparatione humani generis per incarnationem restaurabantur, & ruinæ Angelorũ ex hominibus assumendis in eorum consortium, decens fuit, quòd etiam Angeli concurrerent in hoc mysterio, videlicet nunciando ipsum. Tertia ratio est: quia conueniebat hoc virginitati Matris Dei. Omne enim animal diligit sibi simile, & delectabiliter conuersatur cum eo, ouis cum oue, homo cum homine, iniquus cum iniquo, castus, & innocens cum pudico, & sancto. Hanc rationem tangit Beatus Hieronym. in sermone de Assumptione dicens: Benè Angelus ad Virginem mittitur: quia semper Angelis cognata est virginitas. Profectò in carne esse, & præter carnem viuere, id est, in virginitate, non terrena vita est, sed cœlestis. Hæc ille. De vita enim cœlesti dicitur, quòd in futura resurrectione, neque nubent, neque nubentur, *Sed erunt similes Angelis Dei.* Matth. 22. *Matth. 22.* Et alius dicit. Virginitas est soror Angelorum. Aptè ergo Missus est Angelus virgo ad MARIAM Virginem desponsatam Ioseph virgini.

Apoc. 12.

Esai. 63.

§. II.

SED nunc videndum est circa ipsum nunc ium. Primò, de quo ordine missus est. Secundò, in qua specie missus est. Tertiò, in quo tempore missus est. Quartò, in quo loco missus est. Quintò, qua locutione vsus est? Quantùm ad primum; cùm sint ordines nouem in cœlesti Hierarchia, de quo illorum missus sit dicendum. Et quidam dixerunt circa hoc fuisse hunc Gabrielem de supremo ordine, scilicet, Seraphim. Mouentur ad hoc, quia B. Gregor. dicit, quòd summum Angelorum venire dignum erat, qui summum omnium nunciabat, scilicet, Dominum incarnandum. Gabriel enim, siue sit nomen proprium alicuius Angeli, siue nomen commune, designans officium, ad quod mittitur, non exprimit magis vnum ordinem, quàm alium. Si enim Seraphim missus fuit *ad Esaiam* ad purgandum calculo ignito labia eius. Esai. 6. quare non multò magis *Esai. 6.* ad Virginem, ad significandum purgationem totius mundi? Et si dicatur illum missum ad Esaiam non fuisse de supremo ordine: quia illi non mittuntur, sed semper assistunt, sed dictus est Seraphim ex exercitio ad quod missus fuit, scilicet, incendendum mentem illius, & locutionem. Posset dici, quòd hoc est de cõmuni lege, supremos non mitti, secus ex aliqua causa ardua, & maxima, vt fuit mysterium incarnationis. Sed communior opinio est, quòd fuit iste de ordine Archangelorum, quod & B. Bernard. dicit. Hoc expressè notat August. in quodam sermone, in quo inducit Beatam Virginem sic loquentem. Venit ad me Gabriel Archangelus facie rutilans, veste coruscans, incessu mira-

mirabilis. Et assignat tres rationes, vnde Ecclesia canit. Archangelum Gabrielem credimus te diuinitus affatum. Et iterum in officio. Gaude MARIA Virgo, quæ Gabrielis Archangeli dictis credidisti, & ipse B. Gregor. ait in homilia, quoad Archangeli sunt, qui summa nunciant, vnde credibile est secundùm B. Thom. vbi supra, quòd fuit iste summus in ordine Archangelorum, & sic potest intelligi dictum Beati Gregor. cùm dicit, quòd debuit venire ad annunciandum summum Angelum, non respectu omnium, ordinum, sed respectu Angelorum, & Archangelorum. Gabriel autem dicitur, quòd interpretatur fortitudo Dei: quia annunciabat Dominum fortissimum in prælio ad Dæmones expugnandos. Dicit autem Albert. vbi supra, quòd ideo iste Angelus non fuit de maioribus, sed Archangelus, quod factum fuit in honorationem Beatæ MARIÆ: quia si quis de superioribus mitteretur, ab illo illuminari crederetur, de inferioribus autem mittitur, vt ostendatur, quòd Angelus tantùm est mysterialis negocij nuncius, & exterior delator. Deus autem per seipsum est negocij inuentor, & intelligentiæ inspirator, & mentis ad consensum illuminator, nihil ergo illuminationis in hoc ab Angelo Virgo accepit. Vnde in Euangelio Angelus dicitur per totum, non Archangelus, ad tollendam talem opinionem.

A

B

C

§. IIII.

SEcundò videndum est, in qua specie missus est Angelus ad MARIAM, secundùm B. Thom. 4. part. quæst. 30. quòd in specie corporali appareret, hoc conueniens fuit. Primò, quantùm ad id, quod nunciabatur. Veneratenim Angelus nunciare incarnationem inuisibilis Dei, vnde etiam conueniens fuit, vt ad huiusmodi rei declarationem inuisibilis creatura, scilicet, Angelus in sua substantia inuisibilis oculis nostris corporeis formam assumeret, in qua visibiliter appareret. Cum etiam omnes apparitiones veteris testamenti ad hanc apparitionem ordinentur qua filius Dei in carne apparuit. Secundò, hoc congruum fuit dignitati Matris Dei, quæ non solùm mente, sed in corporeo ventre erat Dei filium receptura, & ideo non solùm mens eius, sed etiam sensus corporei erant visione Angelica refouendi. Tertiò, congruit certitudini eius, quando nunciabatur. Ea enim, quæ sunt oculis subiecta certiùs apprehendimus, quàm ea, quæ imaginamur. Vnde dicit Chrysost. super Matth. quòd Angelus non in somnis, immo visibiliter virgini astitit. Nam quia magnam valde reuelationē ab Angelo accipiebat, egebat tanta rei euentus visione solemni, scilicet, corporali. Quamuis autem intellectualis visio sit potior, quàm visio imaginaria, vel corporalis, tamen Beatus August. dicit, quòd est excellentior visio, seu prophetia, quæ habet simul intellectualem, & imaginariam visionem, quàm illa, quæ habet alteram tantùm. Beata autem Virgo non solùm percepit visionem corporalem in Angelo nuncio, sed etiam intellectualem illuminationem, vnde talis apparitio nobilior fuit. Et adhuc nobilior fuisset, si Angelum intellectuali visione in sua substantia vidisset, sed hoc non patiebatur status eius, cū esset viatrix. Non enim viator homo Angelum per essentiam videt. Apparens autem Angelus in specie corporali, quam ipse assumpsit ex aere densato, se obtulit virgini in humana forma magis, quā in alia forma corporea. Et ratio est secundùm Albert. vbi supra: quia Virgo sensibiliter ab Angelo illuminari debuit. Illuminatio autem sensitiua ad cognitionem fit mediante locutione, ergo medium illuminationis debet esse locutiuum, sed nullum sensitiuum est locutiuum, nisi homo. Et ideo decuit, vt ipse in specie humana, non alia appareret, vt sicut nobilissimum intellectiuum erat, quod illuminabat eam interiùs, scilicet, Deus, sic nobilissimum esset instrumentum, per quod illuminabatur exteriùs, scilicet, species humana. Et hæc forma humana fuit in sexu virili secundùm Albert. quod patet ex verbis B. Ambros. dicentis super Luc. Trepidare virginum est, & ad omnes viri ingressus pauere, & omnes viri affatus vereri, quod ideo dicit: quia Euangelista ait, quòd turbata est in sermone Angeli: quia speciem viri habebat. Patet etiam hoc ex eo quòd in omnibus alijs apparitionibus Angelorum figuratiuis huius annunciationis Angeli apparuerunt in forma virorum. Vnde quando apparuerunt tres viri, id est, Angeli Abrahæ Genes. 18. Ratio etiam huius est secundùm Albert. quia sexus fœmineus non est illuminatiuus, sed magis illuminabilis secundùm Apostolum dicentem: *Mulieres in Ecclesia taceāt, sed domi viros suos interrogent. Caput enim mulieris est vir.* Vnde cùm illuminans in quantùm homo, dignior sit illuminato, potiùs illuminatio fieri debuit Beatæ MARIÆ in sexu digniori, scilicet, virili, quàm fœmineo. Missus autem Angelus apparuit in forma humana virili, non quidem in etatæ puerili, nec senili, sed iuuenili. Cuius ratio est secundùm Albert. quia senex in quantùm huiusmodi dicit defectū, & similiter puer, sed iuuenis dicit nouitatem cum perfectione. Hic autem nunciabatur ille, qui fuit nouus secundùm humanitatem, perfectus secundùm diuinitatem. Ergo in specie iuuenili debuit nunciari. Et ad idem facit quod dicit Dionys. dicens. Signa innouantis, & semper vitalis virtutis. Innouantis, ecce nouitas humanitatis. Semper vitalis

D

Gen. 18.

1. Cor. 14.

talis virtutis, ecce æternitas Deitatis. Et sic iuuenile nomé complectitur humanitatem, æternamque Deitatem, quam vtramque Christus nunciatus habuit. Congruebat ergo forma iuuenilis illuminationi sensibili, non autem pueri, vel senis forma: quia pueri non perfectè vtuntur discretione sensuũ, & senes deficiunt secundùm sensum. Neutra ergo ætas conueniebat illuminationi sensibili, vbi necessaria est, & discretio sensuum, & vigor organorum. Missus etiam credendum est apparuisse indutus: quia in scripturis sic leguntur apparuisse. Nam in resurrectione viderunt mulieres in monumento duos Angelos in albis sedentes. Et post ascensionem Christi immediatè *apparuerunt duo viri in vestibus albis.* Actor. 1. id est, Angeli Dei. Et vt dicit Beatus Gregorius, Candor vestis iucunditatem indicat futuræ solemnitatis. Et quia maximum festum fuit hominibus, quando diuinitas fuit copulata nostræ humanitati in isto mysterio, ideo posset videri, quòd Angelus iste debuit apparere MARIÆ albis indutus. Sed quia quem nunciauit, scilicet, Iesum Zacharias Propheta in figuram *vidit indutum vestibus sordidis Iesum magnum Sacerdotem*, ideo videtur, quòd ad conformandum ei, debuerit apparere potiùs in vestibus sordidis. In Esai. quoque 63. c. quærũt Angeli à Christo ascendente, vt communiter exponitur. *Quare rubrum est vestimentum tuum?* Ex quo videtur, quòd debuit apparere in veste rubea. Sed dicit Albert. vbi supra, quòd apparuit Angelus iste in veste clara, non alba, nec nigra, vel rubea. Et hoc propter annunciationem, & propter recipientem, & propter nunciatum. Propter nunciationem quidem Angelus, qui claritatem cognitionis, & puritatẽ habet. Quãtùm ad Virginem recipientem nuncium congruebat vestis clara, quia illa, quæ concepit, sine tenebra peccati fuit, & sine peccato concepit, qui peccare non potuit Iesum. Et quia sine libidine concepit, & sine dolore peperit, ergo sine passionis rubore hæc conceptio consummata fuit, ergo cùm Angelus non intenderet nunciare, nisi incarnationem, non debuit habere vestem rubricatam, vel bicoloratã, sed tantùm claram. Item modus procedendi in ista incarnatione fuit sine corruptione, sine diminutione, sine mixtione, sicut lux procedit de luce, ergo quoad omnia, quæ fuerunt in ista incarnatione, congruebat Angelum venire in veste clara. Authoritates autem, quæ loquuntur Dominum vestitum, vel sacco, vt illud Psalm. 19. *Conscidisti saccum meum*, vel sordida veste, vel rubea, loquuntur de ipso Christo secundùm statum passionis, non incarnationis.

Apoc. 1.

Zach. 3.

Esai. 63.

Psal. 19.

§. IIII.

TErtiò considerandum est, quo tempore missus est. Et dicendum, quod missus est eo tempore, quo pronunciatum fuerat, Messiam, id est, Christum mittendum secundùm prophetiam Iacob Patriarchæ dicentis Genes. pen. *Non auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est.* Alia translatio habet Messias, qui dicitur Christus. Et quia tunc temporis iam erat ablatum sceptrum de Iuda, id est, dignitas Regalis de tribu Iuda, & Dux de femore eius, id est, ducatus, & regimen illius populi, per Duces Leuitas Machabæos, qui aliquo modo pertinebant ad tribum Iuda contrahentes adinuicem consnubia, & assumpserat sibi Regnum Iudeæ *Herodes alienigena*, qui non erat de genere Iudæorum, vt patet Matth. 2. Sed diffusè declaratur per Magistrum in historia scolastica. Ideo vt impleretur prophetia, missus est Angelus ad nunciandum subitum aduentum regis per incarnationem. Et si quæratur, quoto anno ab initio mundi? Respondeo secundùm Bedam 70. Interpretes, quinquies millesimo centesimo minus vno. Fecerat siquidem Deus cunctas creaturas in principio mundi, vt narrat littera Gen. 1. in quinque diebus, & in parte 6. in qua creauit bestias terræ, & hominem faciens eum Dominum omnium, & à Paradiso terrestri translaturus humanum genus, si obedisset, in gloriam cœlestem. Sed quia, vt ingratus transgressus est præceptũ, puniuit eos Adam, & Euam cum omni posteritate sua, quæ tota erat in eis secundùm virtutem seminalem per quinque millia 99. annos, vt nullus eorum quantumcunque rectè viueret, posset intrare in gloriam cœlestem, ita quòd pro singulis diebus data est pœna mille annorum. Et pro illa parte sextæ diei residuum, quo tempore pene transacto missus est Angelus ad annunciandum: quia tempus miserendi eius hominis: quia venit tempus, vt incarnatus passione sua aperiret omnibus ianuam Regni cœlestis, remoto Angelo à custodia viæ Paradisi, ne posset adiri. Si scire cupis, quo anni mẽse? Vniuersalis tenet Ecclesiæ: quia de mense Martij: quia erat sextus mensis à conceptione Ioannis Baptistæ, vt dicitur Luc. 1. Et aptè in sexto mense à Ioannis conceptu dicitur missus Angelus ad annunciandum Christi incarnationem: quia lex, & Prophetæ, id est, vetus testamentum vsque ad Ioannem continens quinque mundi ætates, primam ab Adam vsque ad Noe, secundam à Noe vsque ad Abraham, tertiam ab Abraham vsque ad Dauid, quartam à Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis, quintam à transmigratione Babylonis vsque ad Christum, in quo inchoatur sexta ætas, cuius finem Deus nouit. Habemus

Gen. 49.

Matt. 2.

Lucæ 1.

bemus autem de ea. M. cccc. lxxix. annos cum hoc scriptum est. Est autem senarius numerus perfectus, significans perfectionem gratiæ, quam Christus adduxit. Mensis autem Martij est tempus vernum, quo terra sicca, & indecora propter frigus, reuiuiscit in herbis, floret in arboribus, lætatur auium concentu, abundat in humoribus. Et quia per incarnationem Christi renouatio facienda in humano genere, quod olim propter frigus peccati erat aridum gratia indecorum: quia sine virtutibus, reuiguit in bonis cogitationibus, refloruit in sanctis affectionibus, augmentatum est in sanctis doctrinis, lætatum ex præmijs, ideo aptè hoc mense missus est. Dies autem huius mensis in quo missus est dies 25. Martij, & sexta feria qua die creatus est primus homo, & qua die reuolutis, 33. annis ætatis Domini nostri, & crucifixus, & mortuus est pro nobis secundùm B. August. Ea igitur die, qua primus homo de terra terrenus Adam factus est, voluit secundus Adam de cœlo cœlestis Iesus fieri, vt terrenum faceret cœlestem. B. August. Deus factus est homo, vt homo fieret Deus, redimendo eum sua passione, illa die eam suscipiendo. Et ideo præ cæteris in maxima deuotione habenda est, & vbique propter reuerentiam eius abstinetur à carnium esu, de conse. dist. 3. de esu carnium. Sed antiquitus etiam ieiunabatur, ita vt crucifigere Christum reputaretur, qui sanus non ieiunasset, de conse. dist. 3. ieiunia. Demum hora, in qua missus est, etsi nobis non sit certa, tamen secundùm Albert. vbi supra conuenientior videtur fuisse in ortu solis, dicit enim, quòd circunstantiæ nunciantis debent exprimere proprietatem nunciati secundùm Dionys. vnde cùm annunciet Angelus iste ipsam incarnationem cum proprietatibus suis, illa autem sit ortus veri Solis super terram illuminantis omnem hominem venientem in hunc mundum, quod tempus, scilicet, mane est initium diei, sine prejudicio præsumptionis credimus, quòd hæc annunciatio sit facta in ortu diei. Ad quod facit: quia opus creationis cœpit à luce. Genes. 1. *Fiat lux*, quod videtur fuisse in principio diei artificialis. Ergo multò fortius opus recreationis, quod est nobilius, in incarnatione incipit dies gratiæ. Omnis autem dies incipit à luce, scilicet, artificialis dies, qui est ab ortu solis vsque ad occasum super nostrum hemispherium, dies enim naturalis, qui est 24. horarum comprehendens etiam noctem, in veteri testamento inchoabatur à luce, scilicet, in mane, vt patet ex textu litteræ Gen. 1. & ideo decens fuit, quòd recreatio, quæ est per gratiam allatam inchoaret à luce. Quod autem dicitur Sap. 18 *Dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium inter haberet, omnipotens sermo tuus Domine*, id est, filius *de cœlis à regalibus sedibus venit*. Ex qua authoritate posset videri, quòd ista annunciatio fuerit facta in media nocte. Respondeo, quòd non intendit sapiens, ibi notare tempus, seu horam incarnationis, sed statum eorum, quibus venit, qui omnes vna catena tenebrarum errorum, & vitiorum erant compediti. Angelus autem magis debuit nunciare, & ex hora annunciationis, scilicet, initium, seu ortum veri solis potiùs, quàm statum eorum, quibus ortus est, nec etiam in vespere, id est, serò debuit nunciare, significans finem seculi, id est, sextam ætatem, in qua incarnatus est, secundùm illud Apostoli ad Galat. 4. *Postquam venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum*, id est, penultima ætas, & alibi. Nos sumus, in quos fines seculorum deuenerunt: quia tempus non nunciabat incarnationis. Iam enim illud fuerat nunciatum per Gabrielem Danieli, scilicet, ipsam tunc faciendam incarnationem. Si autem diceretur, quòd conuenientior videtur hora in meridie, ex eo quòd Abrahæ stanti in ostio tabernaculi in feruore diei, id est, in meridie apparuerunt Angeli nunciantes conceptum Isaac, qui fuit figura Christi. Illa etiam hora, scilicet, nona Christus expirauit in cruce, per cuius mortem redempti, & illuminati sumus. In meridie etiam Sole existente in altissimo poli, maximum calorem generat super terram. Maximum autem calorem suæ dilectionis ostendit in mittendo filium suum in mundum, ergo illa hora debuit potiùs nunciari. Respondet Albert. quòd Abraham designat feruentem affectum Patrum antiquorum, quem habebant ad istam incarnationem faciendam. Sed Angelus non ad hoc fuerat missus nunciare, scilicet, desiderium patrum, sed impletionem, vnde & initium illuminationis. Quòd autem hora passionis fuerit meridies, facit ad propositum, videlicet: quia sicut sole mundi materiali ad occasum tendente, congruebat verũ solem Christum mundum relinquere, quoad vsum vitæ humanæ. Ita congruebat, quòd sole materiali oriente, scilicet, in principio diei, simul oriretur ab intra verus sol iustitiæ Christus Deus noster per incarnationem. Et licèt in opere redemptionis charitas mõstraretur in summo, opus tamen incarnationis sine passione non fuit opus redemptionis, vnde licèt incarnatio magis in se esset, [illegible]àm passio, tamen magis monstrata est cha[illegible]tas in passione dicente Domino. *Maiorem charitatem nemo habet, &c.* Ergo non fuit summum, quod recepit augmentum, vnde charitati ostensæ in incarnatione, facta est additio secundùm demonstrationẽ exteriorem in passione per quam charitas vltima est

Gen. 1.
Genes. 1.
Sap. 18.
Galat. 4.
Ioan. 15.

est in ostensionis perfectione, & ideo in meridie passio magis, quàm incarnatio congruit fieri.

§. V.

QVartò videndum est de loco ad quem missus est, scilicet, in qua Prouincia? In qua ciuitate? In qua domo? Et quantùm ad Prouinciam ostenditur expressè ex Euangelio isto Luc. & quoad ciuitatem: quia dicitur ibi. *Missus est Angelus in ciuitatẽ Galileæ*, scilicet, talis prouinciæ, quæ ciuitas dicitur *Nazareth*. Ideo autem annunciatio ista, & conceptio Christi fieri debuit in prouincia Galileæ secundùm Albert. vbi supra, & propter factum, quod fiebat, & propter finẽ per quem fiebat. Incarnatus enim fuit Dominus, vt Iudæos, & Gentiles saluaret. Propterea in regione, quæ ab vtroque inhabitabatur, annunciari, & concipi voluit. Quòd autem ab vtrisque inhabitaretur, patet per Esaiam dicentem 9. cap. Primò tempore alleuiata terra Zabulon, & terra Neptalim, &c. Trans Iordanem Galileæ, gentium populus, qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam. Ductis enim in magna parte dictis tribubus in captiuitatem in Niniuem, missi sunt à Rege multi Gentiles ad habitandum in Galilęa, & sic mixti erant Gentiles cum Iudæis, qui remanserant. Quòd habitaretur à Iudæis Galilæa patet ex Euangelio, vbi dicitur, quòd ascendit Ioseph à Galilea in Iudæam, & sic in regione communi concipi voluit, qui pro omnibus nasci voluit. Non enim Iudæorum Deus tantùm, sed & Gentilium. Item regio illa suo nomine proprietatem incarnationis proprijsimè expressit. Galilæa enim interpretatur reuelatio, seu transmigratio. In hac autem annunciatione fiebat summi secretorum reuelatio, quando Verbum in principio, quod erat apud Deum, & lucem inhabitat inaccessibilem, caro factum est. Et vidit omnis caro salutare Dei nostri, qui librum aperuit, & soluit signacula omnia, & quæcumque audiuit à patre nota fecit nobis. Similiter, & hìc fiebat transmigratio maxima: qua de ignorantia in scientiam, de culpa in gratiam, de vmbrâ in veritatem, de austeritate in benignitatem, de seruitute in libertatem, de timore in amorem, de grauitate in leuitatem, diuinitas in humanitatem, quo maxima transmigratio fuit: quia in ea primum ad vltimum in vnam personam transmigrauit. Nec obstat, si dicatur, quòd Iudæis promissus est, ergo ibi in Iudæa concipi debuit, falsum enim hoc est: quia & *Gentibus*, vt patet per Prophetas prę cipuè Esai. sed bene promissum est, quòd de eorum semine Christus nasceretur, quod eis solutum est. Et sic salus ex Iudæis est originaliter, sed non propter eos. Quantùm ad ciuitatem clarum est: quia nunciatus est in ciuitate, hoc testante Euangelio. Et quia natus est extra ciuitatem Bethleem, passus, sepultus, & resuscitatus extra ciuitatem, scilicet, Hierusalem, posset alicui videri, quòd etiam extra ciuitatem debuisset concipi, sicut & alia prædicta facta sunt. Sed respondet Albert. vbi supra, quòd Dominus in omnibus principalibus factis, quæ in mundo gessit quare in mundum veniisset, ostendit. Inter homines enim peccatores natus fuit, natus ante bouem, & asinum iacuit. Inter peccatores conuersatus fuit, & cum eis comedit. Inter latrones crucifixus fuit. Resurgens primò MARIÆ peccatrici apparuit, omnibus per hoc ostendere volens: quia venerat Iesus in mundum, peccatores saluos facere. Non ergo in mari, quod est locus piscium, debuit nunciari. Non in aere, qui est locus auium; non in campo, qui est locus animalium syluestrium, sed in ciuitate concipi debuit, qui est locus hominum proprius, qui propter nos, & propter nostram salutem descendit de cœlis. Ad obiecta respondetur, quòd duplex est natiuitas, scilicet, in vtero, & ex vtero. Prima congruit mysterio. Secunda exemplo. Prima in secreto. Secunda in manifesto. In ciuitate ergo concipi voluit, vt ostenderet, quòd pro omnibus venit. In via autem natus, vt ostenderet: quia natus nobis factus est via ad Regnum cœlorum. Extra portam passus ad ostendendum, quòd per ipsius passionem non liberemur, nisi à conuersione peccati ad ipsum, & post ipsum egrediamur. Immo etiam in ciuitate concipi voluit, ad ostendendum, quòd quando de cœlis venit, non sine cœlis, & ciuitate Regni cœlestis venit, sed ipsam ciuitatem Regni nobis secum tulit. Non sic Lucifer descendit, sed sicut fulgur de cœlo, ipsum cœlum deserens, & secum vbicumque ignem portans, Dominus autem ad nos veniens, id, quod erat permansit, & de bonis paternis non expulsus fuit, sed in vtero matris, vt in ciuitate Domini Regnum cœlorum fuit. Quantùm ad nomen ciuitatis dicit Euãgelista, quòd erat Nazareeh, quod etiam non vacat à mysterio. Interpretatur enim Nazareth flos. Sicut aurem diuinæ generationi, ita & humanæ assimilatur generatio floris de flore, flos enim pullulat de vno, & in decore est, cum spe vtilitatis in fructu. Similiter secundùm diuinam generationem procedit filius de vno, scilicet, patre, qui est in cœlis sine matre, & secundùm generationem humanam de vna, scilicet, matre in terris sine patre, vnde ipse sponsus Ecclesiæ, ait in Cant. *Ego flos campi*. Benè ergo in Nazareth conceptus fuit, qui sicut flos de flore sine mixtione de vna matre, saluo virginitatis decore, & matris vtilitate processit. Vnde Beatus Bernard. Semina diuinæ cognitionis videntur

Esai. 2.

Cant. 2.

esse

esse allocutiones, & promissiones factæ ad patres. Floruit autem hoc semen in mirabilibus, quæ ostensa sunt in exitu de Ægypto, susceptio autem huius seminis ista, & horum florum fructus est Nazareth. Nunciatur ergo Christus Nazareth nasciturus: quia in flore separatur fructus processurus. Nomen ergo ciuitatis, in qua concipitur exprimit, & statum temporis, & finem operis ad quem venit. Cùm enim Christus concipitur, hyems transijt, tempus inuocationis aduenit, fructus appropinquauit, omnibus se exhibuit, medicinam confecit, sensum refecit, coronandus pauperibus venit. Hæ autem sunt proprietates floris, propter quas congruit Nazareth ad locum diuinæ conceptionis. Non obstat, quòd Michæas ait. *Tu Bethleem terra Iuda, &c. Ex te exiet Dux, qui regat populum meum.* Quia loquitur de exitu eius ex vtero, id est, natiuitate, quæ fuit in Bethleem. Et quod ait Dominus in Psalm. 131. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Quæ sedes Regni Dauid fuit in Hierusalem, loquitur de modo obtinendi Regnum Dauid spirituale secundùm ius, & actum, & vtrumque fuit factum in Iudæa, & Hierusalem: quia ibi est passus Dominus. Et per ius redemptionis Regnum accepit super eos, pro quibus passus est. Ibi etiam resurrexit, & tunc actualiter in throno Regni sedit. Quantùm autem ad locum habitationi dicendum, quòd fuit missus ad domum vbi habitabat Beata MARIA. Dicit enim Euangelista. *Ingressus est Angelus ad eam*, scilicet, in ostium domus suæ. Sed videtur, quòd potius debuerit fieri ista nunciatio in templo: quia dignior operatio debet fieri in digniori loco, vnde oratio, quæ est opus valde dignum, nam tunc loquimur cum Deo, fit cõmunis in templo, quod Christus ostendit dicens. Luc. 19 *Domus mea domus orationis vocabitur*, sed ista nunciatio, & conceptio fuit digniſsima operatio, ergo, &c. Conceptio etiam Ioannis Baptistæ fuit nunciata in templo, vt patet Luc. 1. ergo multò magis ista, quæ sine comparatione fuit dignior. Ad quæ respondet Albert. vbi supra, quòd locus non sanctificat hominem, sed homo locum, vt dicit Chrysost. dist. 40. cap. multi, dignis ergo templum, & locus, in quo habitat maioris dignitatis, & sanctitatis persona, & in quo exercetur perfectior operatio. Erat ergo digniſsima habitatio in terra illa, in qua habitabat digniſsima, & sanctiſsima creaturarum, quem ipse sanctus sanctorum semper inhabitauit, nunquam solam reliquit, quam multitudo Angelorum frequentauit. Exercebatur etiam ibi in nobiliſsima operatione, scilicet, sanctiſsima contemplationis, orationis, deuotionis oblatione. Dignius ergo oratorium istud, quàm illud Iudaicum, in quo fiebat taurorum, & vitulorum mactatio, thuris incensio. Fiebat ergo ista annunciatio, & incarnatio in digniſsimo loco, in templo, scilicet, sacratiſsimo vteri virginalis. Vnde canit de ea Ecclesia. Templum Domini, Sacrarium Spiritus Sancti. Et Beatus Bernard. ait, quòd non fuit locus dignior vtero virginali. Et quia dicit ingressus ad eam, dicit Albertus: Credimus Angelum clausis ianuis domus ad eam intrasse, & hoc potuisse propter naturæ suæ subtilitatem, & assumpti ætherei corporis qualitatem, quod elicit ex verbis Beati Bernard. sic dicentis. Ingressus ad eam puto, in secretarium pudici cubiculi, vbi illa forsan clauso super se ostio orabat patrem suum in abscondito. Solent Angeli astare orantibus, & delectari in his, quos vident puras manus in oratione leuare, holocaustum sanctæ deuotionis gaudent se Deo offerre in odorem suauitatis. MARIÆ autem orationes quantùm placuerint in conspectu altiſsimi, Angelus indicauit, qui ingressus ad eam reuerenter salutauit. Nec fuit difficile Angelo per clausum ostiũ intrare, penetrare ad abdita virginis, qui vtique ex subtilitate substantiæ suæ hoc habet in natura, quòd nec ferreis seris eius arceatur ingressus, quòcumquè eum suus ferat impetus; Angelicis enim spiritibus parietes non obsistunt, sed cuncta illis visibilia cedunt, & solida, & spissa penetrabilia sunt eis, & peruia. Suspicandum igitur non est, quòd apertum ostium Angelus inuenerit virginis, cui nimirum in proposito erat frequentias hominum fugere, vitare colloquia, ne vel orantis silentium perturbaret, vel continentis castitas tentaretur. Clauserat inquam super se illa hora habitaculum suum prudentiſsima Virgo, sed hominibus, non Angelis. Et sic potuit ad eam intrare Angelus, sed nulli hominum facilis patebat accessus. Hæc Beatus Bernardus.

Mich. 5.

Psal. 131

Lucæ 19.

Lucæ 1.

§. VI.

QVintò, & vltimò querendum, qua locutione locutus est ad eam in hac missione? Habent enim Angeli suas locutiones adinuicem, & ad animas Beatas spirituales nobis ignotas manifestantes suas cogitationes, & affectus. Habent, & suas locutiones ad homines, cum ad eos mittuntur à Deo. Aliquando interiores, scilicet, illuminando, & instigando ad bonum, sicut Zacharias Propheta dicit 1. cap. *Et dixit Angelus, qui loquebatur in me*, id est, in mente. Aliquando verò cùm mittuntur in specie visibili, loquuntur etiam voce sensibili, sicut patet de Angelis apparentibus. Abrahæ nunciantibus conceptum Isaac, & de Angelis apparentibus in forma humana in resurrectio-

Zach. 1.

rectione Christi ad monumentum voce clara annunciãtibus eam Marijs, & in ascensione discipulis. Ita dicendum est hic, quòd sicut in specie humana, vt dictum est, apparuit MARIÆ, ita & voce humana locutus est, vt patet ex litera Euangelij. Licèt enim Angelus non haberet dentes naturales, vt homo, nec palatum, guttur, vel pulmonem ex quibus formatur vox humana, tamen & sine illis potuit formare vocem humanam, id est similem ei, sicut & cùm facta est vox de cœlo, quæ audita est. Hic est filius meus dilectus in aere, vbi illa instrumenta vocis humanæ non erant. Decuit enim, vt sicut nõ solùm illuminatione inuisibili mens eius illustrabatur, & inflammabatur Deo, ita etiam & visione clara, & locutione sensibili, oculi eius, & auditus eius, & omnes sensus reficerentur in Domino. Salutauit ergo eam voce humana, dicens: Aue. Congruo autem ordine ista annunciatio facta est, quæ enim à Deo sunt, ordinata sunt. Apostolus ad Roman. 13. Tria enim intendebat Angelus circa Virginem, vt inquit Beatus Thom. in 3. part. quæst. 30. art. 4. Primò quidem, reddere mentem Virginis attentam ad tantæ rei considerationem, quod quidem fecit, eam salutando quadam noua, & inusitata salutatione. Vnde Origen. super Luc. dicit, quòd si sciuisset MARIA ad alium quempiam fuisse factum similem sermonem, vt pote quę habebat legis scientiam, nunquam eam tanquam peregrinam talis salutatio terruisset, in qua salutatione præmisit idoneitatem eius ad conceptum in eo, quod dixit. Gratia plena. Expressit conceptum, cùm subdidit. *Dominus tecum*, scilicet, erit. Post nunciauit honorem consequentem, cùm dixit. *Benedicta tu in mulieribus.* Secundò, intendebat eam instruere de mysterio incarnationis, quod in ea erat explendum. Quod quidem fecit prænuntiando conceptum, & partum dicens. *Ecce concipies, &c.* Et in ostendendo dignitatem prolis, dum ait, *hic erit magnus, &c.* Et in demonstrando modum conceptionis, cùm ait, *Spiritus Sanctus superueniet in te.* Tertiò, intendebat animum eius ad consensum inducere, quod fecit exemplo Elisabeth, & ratione sumpta ex diuina omnipotentia. Non autem inductum fuit exemplum Elisabeth, quasi ex eo, quòd dubitaret, vt dicit B. Ambros. Nam quòd credidit, ostendit Elisabeth dicens. Beata, quæ credidisti, & ideo punita non fuit in aliquo, sicut Zacharias mutitate, qui non credidit verbis Angeli. Vnde quod Beatus August. videtur dicere in libro quæst. vete. & noui testamenti, scilicet, quòd ambigenti MARIÆ de conceptu possibilitatem Angelus prædicat, intelligenda est secundùm B. Thom. ista dubitatio magis admirationis, quàm incredulitatis. Et ideo Angelus probationem inducit non ad auferendam infidelitatem, sed tollendam admirationem, & ponitur, vt quoddam figurale exemplum, & ad confirmationem huius exempli subditur, vt argumentum efficax Dei omnipotentia: *Quia non erit impossibile apud Deum omne Verbum.* Assignantur, & infra aliæ rationes huius exempli. In ipsa salutatione, locutione, & tandem assensu Virginis dicit Albertus vbi supra. Credimus Beatam Virginem in aduentu eius inclinatis genibus, & eleuatis puris manibus, erectis ad cœlum oculis ad patrem misericordiarum pro incarnatione filij sui deuotissimas preces cum lachrymis fudisse, & Angelo venienti assurrexisse, & percepta eius annunciatione credentem in eam assensisse, & quantò citiùs impleri flexis in terram iterum genibus, & eleuatis rursum in cœlum oculis, ac manibus, ex intimo corde erumpentibus præ gaudio ex oculis lachrymis, deuotissimè flagitasse, & sic Deum pariter, & hominem concepisse, quando demum ait. *Fiat mihi secundùm Verbum tuum*, & tunc Verbum caro factum est.

Rom. 13.

De missione Spiritus Sancti ad MARIAM Virginem. Cap. X.

MIssus est etiam ad MARIAM Virginem Spiritus Sanctus, quod prænuntiauit Angelus, cùm ait: *Spiritus Sanctus superueniet in te*, scilicet, ad istud mysterium perficiendum, vnde dicere potuit ipsa Beatissima Virgo MARIA illud Thren. 1. *De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me.* Ossa virginis potentiæ interiores, in quibus consistit virtus animæ. De excelso ergo cœlo misit Deus ignem Spiritus Sancti in potentijs virginis, in intellectu ad illuminandum; in affectu ad flammandum; in sensitiua ad deliccandum, scilicet, concupiscentiam. In generatiua ad fœcũdandum, de omnibus erudiuit eam Deus de his, quæ oportuit. Vnde, & articulus fidei est, quòd conceptus est Christus de Spiritu Sancto, quod trahitur ex eo, quod dixit Angelus Ioseph. *Quod in ea natũ est*, scilicet, in Virgine conceptum *de Spiritu Sancto est.* Missus est ergo Spiritus Sanctus ad MARIAM tripliciter. Primò, ad sanctificationem in ea plenissimè perficiendam. Secundò, ad operationem ab ea perfectissimè producendam. Tertiò, ad fœcundationem ex ea singularissimè conferendam. Et in his Spiritus Sanctus, dixit Angelus, superueniet in te, id est, super omnes alios sanctos, & sanctas, veniet in te

Thren. 1.

Matt. 2.

ad ista efficiendum, & nulli alteri ista ita sublimiter concedendum, vel efficiendum.

§. I.

QVantùm ad primum, quòd, scilicet, fuerit sanctificata Virgo MARIA, ostendit Psalm. 45. Dum ait. *Sanctificauit tabernaculum suum altissimus.* Dicta autem est Beata MARIA tabernaculum Christi: quia in ea habitauit ingrediens campum huius mundi ad pugnandum in quo militamus. Vnde sapiens in persona eius dicit Eccl. 24. *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* Et B. August. in sermone, de ea loquens ait. Thronum Dei cœli, thalamum Dei, tabernaculum Christi necesse est ibi esse, vbi est ipse. Sanctificatio autem, vt dictum est, supra, attribuitur Spiritui Sancto, & tunc dicitur mitti ad creaturam rationalem, cùm eam sanctificat. Sanctificatio autem importat emundationem à peccato. Est enim secundùm Dionys. sanctitas perfecta munditia. Ista autem emundatio à culpa non fit, nisi per gratiam, quæ attribuitur Spiritui Sancto. Et quia solùm anima rationalis est subiectum culpæ, & gratiæ, propter quod in brutis non est reperire culpam, vel gratiam: quia ratione carent, ideo ante animationem, seu infusionem animæ in corpus non potest esse in corpore concepto culpa, nec gratia. Sed post infusionem animæ contrahitur culpa originalis, & ab ea per gratiam potest emundari. Et secundùm legem communem, qui non est natus, id est, ex vtero matris egressus saltem pro maiori parte, vel notabiliori corporis, renasci non potest secundùm August. de consec. dist. 4. qui in vtero. Quod ostendit proprietas ipsius nominis. Nam renasci est iterum nasci, vt prima natiuitas sit corporalis, qua egreditur de vtero matris. Secunda spiritualis, qua nascitur ad esse spirituale ex matre Ecclesia, quod fit per baptismum, & tunc quis sanctificatur per gratiam ab originali mundatus, & hoc Christus ostendit dicens Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Et hoc quia non habet gratiam sanctificationis emundantem ab originali culpa, nihil autem coinquinatum, scilicet, culpa introibit in illam, scilicet, supernam patriam. Verùm quia, vt ait Magister in 4. sententiarum, Deus non alligauit potentiam suam Sacramentis, quin scilicet, possit & per alium modum sanctificare creaturam rationalem, & mundare à culpa, quàm per sacramenta. Ideo præter legem communem aliquos etiam in vtero existentes sanctificauit, vt patet de Hierem. de quo dicitur 1. cap. *Antequam exires de vulua, sanctificaui te.* Et de Ioanne Baptista ait Angelus Luc. 1.

Psal. 45.

Eccl. 24.

Ioan. 5.

Hier. 1.

Lucæ 1.

A *Spiritu Sancto replebitur ex vtero matris suæ*, scilicet, per sanctificationem. Sed ista est differentia inter sanctificatos, & emundatos à culpa: quia sanctificati modo legis communis, scilicet, per gratiam Sacramentorum, à culpa liberantur, vt non dominetur sensualitas rationi, nec regnet peccatum in eis, dum scilicet, sequuntur instinctum gratiæ, & conseruant eam. Remanet tamen in eis fomes, qui non est aliud, quàm quædam habitualis inordinata concupiscentia sensualitatis, non subdita rationi, sed inclinans ad malum, & difficilem reddens ad bonum, quæ exijt in actum tempore vsus rationis, & diuersos motus vitiorum, quibus, & resistere, & assentire B potest. Sanctificatio autem in vtero, seu ex priuilegio speciali, vt in Apostolis die Pentecostes, hoc operatur, vt non solùm à culpa liberet, sed etiam fomitem talem ita restringit, vt exire non valeat in actum peccati mortalis ex munere gratiæ. Remanet tamen quoad inclinationem, & perpetrationem venialium delictorum, à quibus, vt dicunt omnes, nec Apostoli, nec sanctificati in vtero fuerunt immunes. Sed in Beatissima MARIA sanctificatio plus operata est. Et ideo signanter dicit. *Spiritus Sanctus superueniet in te*, id est, plus, quàm in alijs veniet in te ad sanctificandum. Nam in vtero Matris ita fuit sanctificata, quòd nec venialiter potuerit peccare. Et hoc est, quod dicit B. Bern. C in sermone. Ego puto, quòd copiosior gratia sanctificationis in ea descenderit, quàm in alijs in vtero sanctificatis ad vincendum ex omni parte peccatum, quæ concipere, & parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum, quod nemini in natis mulierum credimus esse datum. Et licèt fuerit in vtero ita sanctificata, & gratia repleta à Spiritu Sancto, & fomes religatus, tamen ait Angelus, *Spiritus Sanctus superueniet in te*, adhuc te magis sanctificans, & replens, & fomitem ex toto extinguens. Nam vt dicit B. Thom. in 3. part. quæst. 27. art. 3. Credendum est, in ipsa conceptione carnis Christi D in qua debuit refulgere immunitas peccati, quòd ex prole redundauerit in matrem totaliter fomite subtracto, & extincto. Et hoc signatur Ezech. 44. cap. vbi dicitur. *Ecce gloria Dei ingrediebatur per portam orientalem*, id est, per Beatam Virginem, & terra, id est caro ipsius *splendebat à maiestate ipsius*, scilicet, Christi, & non solùm istam sanctificationem, seu purgationem fecit Spiritus Sanctus in MARIA in conceptione filij, sed & aliam quasi præparatoriam ad Christi conceptionem, quæ non fuit ab aliqua impuritate culpæ, vel fomitis. Sed mentem eius magis in vnum colligens, & à multitudine subtollens. Nam

Ezech. 44

& An-

& Angeli purgari dicuntur, in quibus tamen nulla impuritas culpæ, vel fomitis est. Fuit ergo Beata Virgo sanctificata in vtero, antequam nasceretur. Neque enim, ait B. Bernard. Natiuitas eius festiuis laudibus celebraretur, si non sancta nasceretur. Et hoc signatur Iob. 3. vbi secundùm. B. Thom. de
Iob 3. nocte peccati originalis dicitur: *Expectet lucem*, id est, Christum, *& non videat*: quia ipsum non contraxit originale solus, *nec ortum surgentis auroræ*, id est, Beatæ Virginis, quæ in ortu suo ex vtero ab originali mundata immunis fuit. Non tamen ante animationem in vtero sanctificata fuit: quia sic non incurrisset maculam originalis culpæ, & sic non indiguisset redemptione, & salute, quæ est per Christum, de quo dictum est Matth. 1. *Ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Et hoc est in-
Matth. 1. conueniens dicere: quia sic Christus non esset Saluator omnium hominum, vt dicit Apostolus 1. Thim. 4. Quod & figuratum
Thim. 4. fuit, scilicet, sanctificationem factam post
Exo. vlt. animationem Exod. vlt. vbi dicitur, quòd postquam omnia perfecta sunt, scilicet, circa tabernaculum: *Impleuit nubes tabernaculum testimonij, & gloria Domini impleuit illud.* Tunc autem omnia perfecta sunt circa tabernaculum, quando & corpus organizatum, & anima creata Beatæ MARIÆ infusa est, & tunc originali contracto in coniunctione animæ ad corpus nubes culpæ originalis operuit illud, & gloria Domini, id est, gratia impleuit illud ab eo emundans, vel nubes gratiæ operuit, sanctificans ab originali, & gloria Domini, id est, diuinitas impleuit in conceptione postea filij. Nec obstat, quòd in aliquibus Ecclesijs fiat festum Conceptionis: quia festum illud est de sanctificatione, non conceptione, sed quia nescitur, quando fuit in vtero sanctificata, ideo fit festum in conceptione referens se Ecclesia ad sanctificationem, quæ fortè fuit facta, qua die anima infusa est corpori.

§. II.

SEcundò Spiritus Sanctus missus superuenit in eam ad operationis perfectionem.
Rom. 8. Dicit Apostolus Roman. 8. *Qui spiritu Dei aguntur, hi filij Dei* sunt, scilicet, per adoptionem, & gratiam, quamuis habeat gratiam oportet, quòd agatur, id est, moueatur à Spiritu Sancto ad benè agendum. Propter quod
Esai. 26. dicit Esai. 26. Propheta. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine*, te, scilicet, mouente ad bonum opus, & libero arbitrio assentiente, & concurrente. Multùm autem iuuat ad benè operandum bona complexio corporis, & debita dispositio organorum, vt qui meliora naturalia habet, quod est ex dispositione corporis, ille instinctum gratiæ præceptæ perfectiùs exequatur. Et quia Beata Virgo optima naturalia habuit, perfectissimam corporis complexionem, & dispositionem, repleta gratia in sanctificatione perfectè operabatur, & feruenter ex ardenti charitate, & in conceptione filij Spiritus Sanctus missus superueniens ad abundantiorem gratiam conferendam adhuc postea perfectiùs sanctiùs, & feruentiùs operabatur. Totam enim eam, vt ait, B. Hieron. incanduerat diuinus amor, vt nihil esset, quod in ea mundanus violaret affectus, sed ardor continuus, & ebrietas perfusi amoris. Quòd autem esset pulcherrima, & optimè in corpore disposita, patet tripliciter. Primò, ex sacra scriptura. Ex antiqua figura. Ex ratione plurima. Ex scriptura Salomonis hoc ostenditur dicentis in persona Domini Cant. *Cant.* 7. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Nulla amicitior Deo, & coniunctior charitate Beata MARIA, hæc tota pulchra: quia in anima, & corpore, pulchritudo animæ, & refulgentia gratiæ cum debita ordinatione operum resultat, sicut, & pulchritudo corporis extat ex quadam claritate cum congrua proportione membrorum, quod totum fuit in Beata MARIA præ cæteris. Sicut enim propinquior fuit cunctis principio influxiuo gratiæ, scilicet, Christo in omnes secundùm diuinitatem efficienter secundùm humanitatem instrumentaliter: quia mater eius ita copiosiùs cunctis recepit gratiæ refulgentiam, & omnium operum bonorum perfectiorem operationem. Macula non fuit in ea, nec corporaliter, nec spiritualiter, scilicet, culpæ actualis, nec etiam venialis, quòd de nulla alia creatura pura dici potest. Quòd autem Euangelium nihil dicat de eius pulchritudine corporali, ideo factum est secundùm Albert. vbi supra: quia cùm ipsa Domina nostra sit nobis posita in speculum, & exemplum saluos faciendi, & bona opera, non voluit eam in talibus laudari, quorum inordinatus appetitus, vel abusus multis est causa pereundi. Tum etiam, quia cùm quidquid bonitatis, & pulchritudinis fuit in alijs, in ipsa pleniùs fuerit, tacendo aliquo particulari de ea, vt de pulchritudine, & huiusmodi, magis eam laudat tacitè supponendo, quàm explicando, sicut & Angeli summi, quia donis melioribus denominantur, & laudantur, non tamen ab inferioribus bonis, quæ etiam in eis sunt perfectiùs, quàm in inferioribus ordinibus excluduntur. Secundò patet hoc ex figura veteris testamenti, nam quatuor inueniuntur ibi mulieres Beatam MARIAM expressissimè figurãtes, scilicet, Esther coniugata, Iudith vidua, Rebecca, & Rachel virgines. Nam de Rebecca dicitur

Genes. 24. Genes. 24. quòd fuit *puella decora nimis, virgoquè pulcherrima, & incognita viro*: de Rachel verò, quòd erat *venusta facie, &* Genes. 29. *decora aspectu*. De Iudith dicitur, quòd erat Iudith 8. *eleganti aspectu nimis*, & quòd erat stupor in oculis eorum, qui eius pulchritudinem mirabantur nimis. Et iterum *non est talis mulier super terram in aspectu pulchritudi* Esther 1. *ne, & sensu verborum*. De Esther autem cõiugata Assuero Regi scribitur, quòd erat *pulchra valde, & incredibili pulchritudine, & gratiosa omnium oculis, & amabilis videbatur*. Signum autem, & figura debet assimilari signato, & figurato, & potior est veritas, quàm figura. Ex quo sequitur, quòd Beata MARIA figurata per istas tàm pulchras multò pulchrior fuerit. Nec obstat si dicatur, quòd pulchritudo mulierum est ma Eccles. 9. gna occasio mali, propter, quod dicitur Eccles *Ne aspicias Virginem, ne scandalizeris in pulchritudine eius*. Et iterum *propter speciem mulieris multi perierunt*. Sed Beatissima Virgo debuit omnibus esse causa salUandi, non occasio pereundi, ergo nõ debuit esse pulchra. Item quæ summè fuit humilis debuit habere omnes causas humilitatis. Sed pulchritudo est occasio superbiæ, & inanis gloriæ secũdùm illud. Fastus inest pulchris Esther 2. & exemplum in *Vasthi* Regina Esther 2. Respondet Albert. vbi supra, quòd pulchritudo corporalis in suo genere est bona. Sed nihil est à Deo bonum, quin ex eo possit malus scandalizari, vnde non solùm in homine Christo scandalizabantur mali in doctrina, & operibus eius, propter, quod dixerunt ei discipuli eius. Scis Rabbi, & Pharisæi audito hoc verbo, scandalizati sunt, scilicet, in ipso Deo, & gubernatione eius. Vn Psalm. 72 de Gloss. super illud Psalm *Quam bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde*. Dicit, quòd peruersis peruersus videtur Deꝰ. Talis ergo occasio mali siue scandali passiui nõ est vitium bonam naturã habentis, sed culpam patientis, sicut & ipsi Dæmones de pulcherrima Dei iustitia scandalizabantur. Hinc & B. August. Absit, vt ea, quæ propter licitum, & bonum facimus, & habemus si quid per hoc cuique aliquid mali præter nostram voluntatẽ acciderit, nobis imputetur. Quid enim est in vsu hominum bono, & licito, vnde non possit pernicies irrogari? 23. quæst. 5. de occidendis. Sicut autem gratia est nobilior natura, & perfectior, ita & humilitas, quæ est ex gratia est perfectior ea, quæ partim est ex natura, partim ex gratia, vt si quæ mulier esset humilis, tum quia habet gratiam, tum quia turpis, & deformis, vnde non mirum, nec laude ita dignum opinio iudicaret humana, si virgo deformis humilis esset, & quasi despecta viro virgo permaA neret, secus si pulcherrima tunc admiranda: quia ex sola gratia. Ratione probatur sic secundùm Philosophum. Natura est vis insita rebus ex simili simile procreans. Nisi ergo natura impediatur, vel erret, filius erit similis patri, vel matri, vnde sequitur, quòd filius, qui nascitur de matre, & non de patre, & tali operante, qui non potest impediri, vel errare, scilicet, Deo, ibi necesse est filium fieri similem matri, & èconuerso, sed ipse est pulcherrimus, iuxta illud Psalm. 44. *Pulchrior fuit super filios hominum*, ita quod in ipsum *desiderant Angeli prospicere*, vt ait Petr. in Cant. ergo, & mater eius Bea- 1. *Petr*. 4 ta MARIA est pulcherrima. Qui viderunt B Veronicam, dicunt, quòd pulcherrimam, & glorioßissimam faciem repræsentat. Secundò, sic probatur. Corpus humanum pulchrius est, & nobilius omnibus corporibus brutorum propter vnionem ad animam rationalem. Ergo nobilitas corporis intenditur, & augetur ad nobilitatem animæ, ad quam ordinatur, vt suum perfectibile. Forma enim, & materia debent esse proportionabilia. Si anima Beatæ Virginis fuit nobilissima post animam filij, igitur, & corpus eius fuit nobilissimum, & pulcherrimum post corpus filij. Corpus enim filij, quia vnitum Deitati, ideo perfectissimum in pulchritudine, vnde corpus immediatè ordinaC tum ad ipsum erit secundò loco pulcherrimum. Sed illud fuit corpus matris, vnde assumebatur id, quod vniebatur diuinitati, propter quod sequitur, quòd fuit pulcherrimum corpus Beatæ MARIÆ. Tertiò sic. Ordo est in rebus naturalibus, & in corporibus humanis. Natura facit aliquid pulchrum, & aliquid pulchrius, ergo & aliquid debet esse pulcherrimum secundùm naturam. Natura enim habet aliquẽ terminũ, ad quem potest, & non vltra. Aut ergo illum terminum continget alicubi, aut nusquam. ergo deficit respectu suarum operationum, quod est falsum: quia Philosophus dicit, quòd natura non abundat in superfluis, nec D defecit in necessarijs. Natura igitur alicubi habet suum summum. Corpus autem naturale aliquando formatur à corpore naturali ipsa natura creaturæ operante naturaliter, & aliquando ipso Deo operante supernaturaliter, ergo alicubi est summũ in corpore humano, Deo operante, & alicubi summũ natura operãte. Sicut ergo corpus Dei, quod Deus per seipsũ formauit, est perfectissimũ, & pulcherrimũ in natura, quod Deus potuit facere secundùm statum viæ, ita & corpus Beatæ Virginis ad hoc immediatè ordinatum, erit pulcherimum secundùm statum viæ, quod natura potuit facere se operante. Et Damas. *Damas.* dicit, quòd ipsa à nullo illustrium, scilicet,

viro-

virorum, & mulierum superatur, scilicet, in aliquo, vnde nec in pulchritudine, & castitas ipsa laudabilior est in pulchris. Debuit ergo Beatissima Virgo MARIA omni laude dignissima de vtraque pulchritudine laudari, vnde, & corporali etiam. Primò, ad ipsius commendationem, vt naturam perficiat, & gratiam augmentet: quia forma pudicitiæ rara, sed apta comes. Secundò, ad nostram ædificationem, & deuotionem. Sap. 4. *Pulchra est enim casta generatio cum claritate.* Et tertiò ad Dominici corporis commendationem: quia non potest arbor bona, & nobilis fructum malum, & ignobilem facere. Euangelium autem non curauit de eius pulchritudine narrare propter rationes iam dictas. Et quia magis in eo, & ex eo intenditur perfectio, & pulchritudo spiritualis, quàm circa temporalia, & corporalia. Et ex his dicendum est, quòd cum pulchritudo atteſtetur optimæ complexioni, & dispositioni corporis, quæ cum gratia perfectiùs operatur, natura gratia iuuante pulcherrima corpora, cum maxima gratia perfectissimè operata est in omnibus. Quantitas spiritualis animæ, quæ pertinet ad pulchritudinem eius est, quòd sit mediæ staturæ: quia medium tenuere Beati, id est, quòd non sit nimis paruus, id est, pusillanimis ad operandum, neque nimis magnus in præsumendo vltra vires superbas, vt superbi Gigantes. Qualitas non nimis pinguis, & carnosa, id est, deliciis affluens, & diuitijs, nec nimis macilenta, scilicet, indiscretè abstinens, de consecr. dist. 5. non mediocriter, & dist. 41. quisquis. Proportio debita membrorum, id est, debita obseruantia circunstantiarum in operando, quod pertinet ad prudentiam, contemperantia quatuor humorum, id est, moderatio quatuor passionum, scilicet, amoris, timoris, tristitiæ, & spei.

§. III.

QVantùm ad tertium Spiritus Sanctus missus superuenit in MARIAM, id est, super omnes alias modo miraculoso, dans sibi fœcunditatem, & virtutem generandi, quod aliæ mulieres habent ex viri coniunctione. Vnde Ioan. Damasc. lib. 3. dicit, quòd Dei filius construxit sibi ipsi ex castissimis, & purissimis sanguinibus Virginis carnem animatam anima rationali. Pro cuius declaratione, dicit B. Thom. in 3. par. q. 31. art. 5. quòd in conceptione Christi aliquid fuit secundùm naturam, aliquid supra naturam. Nam secundùm conditionem naturæ fuit, quòd conceptus est ex fœmina, sed supra conditionem naturæ, quòd conceptus, & natus est ex Virgine. Si ordinem naturæ quæris, inquit, B. Ambros. fœmina viro nupta generare consueuit, præter igitur naturæ ordinem est Christi partus ex Virgine, de consec. dist. 2. reuera. Cùm autem Beata MARIA fuerit eiusdem naturæ cum fœminis alijs, consequens est, quòd habuit carnem, & ossa eiusdem naturæ. Carnes autem, & ossa in alijs fœminis sunt essentiales corporis partes, ex quibus constituitur integritas corporis, & ideo subtrahi non possunt sine corruptione corporis, vel diminutione. Christus autem, qui venerat corrupta reparare, nullam corruptionem, aut diminutionem integritati matris inferre debuit. Et ideo non debuit corpus Christi formari de carne, vel ossibus Virginis, sed de sanguine, qui nondum est actu pars, sed est potentia, vt dicitur in libro de generatione animalium. Et ideo dicitur carnem de Virgine assumpsisse, vt in collecta. Deus, qui de Beatæ MARIÆ Virginis vtero Verbum tuum Angelo nunciante carnem suscipere voluisti, &c. Non quòd materia corporis fuerit actu caro, sed sanguis, qui est potentia caro. Non quidem sanguis menstrualis, quem natura, vt superfluũ in mulieribus repellit, nec ex tali potest esse conceptus: quia immundissimus est, sed sanguis purissimus, qui est alio sanguine purior, & perfectior paratus ad conceptum. Sic ergo in conceptione corporis Christi operatione Spiritus Sancti talis sanguis purissimus in vtero virginali adunatus est, & formatus in prolem. Et ideo dicitur ex purissimis, & castissimis sanguinibus Virginis illud corpus formatum. Nam in alijs mulieribus generantibus sanguis ille descendit in locum generationis cum quadam concupiscentia, sed in Virgine nulla fuit concupiscentia, & ideo dicitur: castissimis. Et in Euãgelio: virtus altissimi obumbrabit, id est, refrigerium præstabit, vt nullum sentias calorem concupiscentiæ. Quare autem dicatur Christus conceptus de Spiritu Sancto, & sibi attribuatur ista conceptio? Pro cuius declaratione dicit B. Thom. in 3. part. quæst. 32. art. 1. quod conceptionem Christi tota Trinitas operata est. Attribuitur tamen ipsa Spiritui Sancto, vt dicatur conceptus de Spiritu Sancto triplici ratione. Prima, quia hoc congruit causæ incarnationis, quæ ex parte Dei consideratur. Spiritus enim Sanctus est amor patris in filium, & filij in patrem secundùm Hieron. non quidem accidentalis, vt est amor noster: quia nullum est in Deo accidens, sed substantialis, hoc autẽ ex maximo amore Dei erga nos processit, vt Dei filius sumeret carnem nostram sibi in vtero virginali. Vnde Ioan. 3. dixit Iesus. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Ioan. 3. Et Beatus Gregor. O inæstimabilis dilectio charitatis, vt seruum redimeres, filium tradidisti! Secunda ratio est, quia hoc congruit causæ incarnationis ex parte

parte naturæ assumptæ: quia per hoc datur intelligi, quòd humana natura assumpta est à filio Dei in vnitate personæ, non ex aliquibus meritis, sed sola gratia, quæ Spiritui Sancto attribuitur secundùm illud 1. Corint. 12. *Diuisiones verò gratiarum sunt, idem enim spiritus.* Vnde Beatus Augustin. in Enchiridion. Iste modus quo natus est Christus de Spiritu Sancto, id est, conceptus insinuat nobis gratiam Dei, qua homo nullis meritis præcedentibus ex ipso primo exordio naturæ suæ, quo esse cœpit, Verbo Dei copularetur in tantam vnitatem personæ, vt idem esset filius Dei. Tertia ratio est: quia hoc congruit termino incarnationis. Ad hoc enim terminata est incarnatio, vt homo ille, qui concipiebatur, esset sanctus, & filius Dei, vtrumque autem horum attribuitur Spiritui Sancto. Nam per ipsum efficiuntur homines filij Dei, secundùm illud ad Galat. 4. *Quoniam estis filij Dei: misit Deus spiritum filij sui in corda vestra, clamantem Abba Pater.* Ipse etiam spiritus est spiritus sanctificationis, vt dicitur ad Roman. 1. Sicut ergo alij per Spiritum Sanctum sanctificantur spiritualiter, vt sint filij Dei adoptiui, ita Christus per Spiritum Sanctum est in sanctitate conceptus, vt esset filius Dei naturalis. Vnde ad Roman. 1. secundùm vnam Gloss. quod præmittitur. *Qui prædestinatus est filius Dei in virtute, manifestatur* per id quod sequitur immediatè, scilicet, *Secundùm spiritum sanctificationis*, id est, per hoc, quòd conceptus est de Spiritu Sancto, & ipse Angelus per hoc, quod præmiserat. *Spiritus Sanctus superueniet in te*, concludit. *Ideoque quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei.* Est ergo opus conceptionis huius, vt dictum est, opus totius Trinitatis commune, secundùm tamen aliquem modum attribuitur aliquid singulis personis. Nam patri attribuitur authoritas respectu personæ filij, qui sibi per huiusmodi conceptionem naturam humanam assumpsit. Filio attribuitur ipsa carnis assumptio. Spiritui Sancto attribuitur formatio corporis, quod assumitur à filio. Nam Spiritus Sanctus est Spiritus filij, ad Galat. 4. *Misit Deus spiritum filij sui.* Sicut autem virtus animæ, quæ est in semine, per spiritum, qui est in semine conclusus, format corpus in generatione aliorum hominum, ita virtus Dei, quæ est ipse filius, secundùm illud 1. Corint. 1. *Christum Dei virtutem*, per spiritum suum corpus formauit. Et hæc verba Euangelij demonstrant, vbi dicitur: *Spiritus Sanctus superueniet in te*, scilicet, ad præparandam, & formandam materiam corporis Christi. *Et virtus altissimi*, id est, Christus *obumbrabit tibi*, id est, corpus humanitatis in te susceptiet incorporeum lumen Deitatis. Vmbra enim à lumine formatur, & corpore, vt B. Gregor. ait 8. moral. Altissimus autem intelligitur Pater, cuius virtus est filius, & B. August. dicit in Enchiri, quòd non eodem modo dicitur Christus conceptus, aut natus de Spiritu Sancto, & de Virgine MARIA. Nam de MARIA dicitur conceptus materialiter: quia, scilicet, materia corporis Christi de corpore eius sumpta est, sed de Spiritu Sancto conceptus dicitur effectiuè: quia, scilicet, Spiritus Sanctus formauit illud corpus, & non quia de substantia eius sit conceptus, vt filius alicuius hominis de patris sui substantia, nec plus operatus est Spiritus Sanctus in illo opere conceptionis, quàm pater, vel filius, sed sibi magis attribuitur ratione iam dicta. Illa ergo conceptio Christi secundùm B Thom. in 3. part. quæst. 4. habuit tria priuilegia, scilicet, quòd esset sine peccato originali facta, & quòd esset non puri hominis, sed hominis, & Dei: & quòd esset conceptio Virginis, id est, à Virgine, & hæc tria habuit à Spiritu Sancto. Et ideo dicit Damasc. quantùm ad primum, quòd Spiritus Sanctus superuenit Virgini, purgans ipsam, id est, præseruans, ne cum peccato originali conciperet. Quantùm ad secundùm dicit: & virtutem susceptiuam verbi Dei tribuens, id est, vt conciperet Verbum Dei. Quantùm ad tertium dicit simul, & virtutem generatiuam, vt scilicet manens Virgo posset generare. Non quidem actiuè, sed passiuè, sicut aliæ mulieres hoc consequuntur ex semine viri. Et sic Spiritus Sanctus missus est ad Virginem ista faciendum.

De pulchritudine Beatæ Virginis. Cap. 11.

Pecie tua, & pulchritudine tua. Specie, scilicet, corporali, pulchritudine spirituali, & ideo dicitur Cant. 4. cap. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Intende, scilicet, ad indigentias nostras, ad orationes nostras, ad prouisionem nostram, prospere procede de virtute in virtutem, semper proficiendo sine defectu, procede ad orādum pro nobis, procede ad impetrandum nobis bona, & Regna in cœlis super omnes, Regna super Dæmones comprimendo, Regna in terris, nos tibi subijciendo, vitia deferendo. *Psal.* 44. *Cant.* 4.

§. I.

PVlchritudine in particulari dicit Albert. vbi supra, quòd hæc in tribus consistit, scilicet. In debita corporis quantitate, & qualitate. In eleganti membrorum dispositione, & proportione. In coloris venustate. Conueniens quantitas corporis eius potest

1. *Cor.* 12

Galat. 4.

Rom. 1.

Lucæ 1.

Galat. 4.

1. *Cor.* 1.

test probari à quantitate corporis filij sui, quod tanquam perfectissimum in suis naturalibus debitissimam habuit quantitatem. Corpus enim filij formatur à corpore generantis, ita quòd de tali tale, & de tanto tantum, nisi error, aut impotentia impediat, vel per viam accidentis aliter fiat. Sed naturaliter magnus magnum, & paruus paruum, & tantus tantum. Cùm ergo filius habuerit in summo debitam quantitatẽ, & mater eius virgo habuit debitam quantitatem conuenientem fœminæ, & ita credimus. Idem de qualitate dicentes. Modi qualitatis sunt quandoque, scilicet, grossities nimia, & extenuata macies, synthesis, squaliditas, & æqualitas. Pinguedo causatur ex frigiditate, & humiditate. Squaliditas ex caliditate, & frigiditate. Extenuata macies ex caliditate, & siccitate. Synthesis ex frigiditate, & siccitate. Æqualitas ex omnium humorum æqualitate, cuiusmodi credimus fuisse corpus Beatæ Virginis. De membrorum dispositione, & proportione idem dicimus, scilicet, quòd fuit congruentissima, quod probatur ex parte generati. In formatione enim corporis à generante sic formatur totum à toto, quòd a qualibet parte generantis fit formatio. Vnde inter generantem, & genitum naturaliter, & regulariter singulorum membrorũ ad inuicem est similatio in forma, & figura, nisi per viam accidentis impediatur. In corpore autem Dominico formando nullumpotuit intercidere impedimentum, cùm Spiritus Sanctus formator extiterit, & ideo membra illius corporis fuerunt elegantissimæ dispositionis, & congruentissimæ proportionis, ita quòd oculi non fuerunt nimis grandes, vel parui respectu aliorum membrorum. Similiter aures, genæ, os, brachia, manus, tibiæ, & huiusmodi alia, sed singula erant omnibus alijs correspondentia. Et idem dicendum est de membrorum proportione Beatæ Virginis Matris eius. De colore sciendum, quòd triplex est coloris diuersitas in corpore humano. In cute, in capillis, & in oculis. Et de colore in cute videtur, quòd fuerit mixtus ex albo, & rubeo: quia sicut Authores medicinæ dicunt. In cute color ab interioribus duobus accidit modis. Aut ex abundantia, aut ex æqualitate humorum. Ille est ex æqualitate, qui est compositus ex albedine, & ex rubore. Alij colores ex inæqualitate. Sed nobilior est color, qui procedit ex æqualitate humorum, ergo color in ea fuit ex albo, & rubeo. Et quia ista possunt reduci significatiuè ad pulchritudinem animæ, ideo aliquantulum diffusiùs dicemus secundùm illud Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea,* scilicet, in anima, & corpore, *& macula non est in te.* Pulchritudo enim attestarunt nobilitati, & perfectioni complexionis. Vnde cum additione gratiæ, quæ fuit in summo in MARIA, perfectiùs operabatur. Dicit ergo Albert. vbi supra, quòd sex sunt colores cutis. Primus ex albedine, & rubedine compositus. Secundus niger. Tertius citrinus. Quartus glaucus. Quintus solus albus. Sextus solus rubeus. Ille autem, qui est compositus ex rubore, & albedine, vt dicit Ioannitius, est ab æqualitate procedens. Omnes autem alij ex inæqualitate procedunt humorum. Vnde primus, scilicet, ex albo, & rubeo est nobilissimus, & corpori euchratico, id est, benè dispositio determinatur, & à Galeno in temperata complexione positus. Dicit enim in Techni, quòd corpus euchraticum est ex albo, & rubeo mixtum, & similiter à Constantino in Pantechni. Et hunc concedimus in corpore Beatissimæ Virginis fuisse. Et licèt color niger sit magis visui congruus alteri ad videndum, non tamen est magis determinatus corpori euchratico ad habendum. Color enim corporis est principaliter ad corpus proprium venustandum, & suam complexionem ostendendum. Item cùm visus delectetur in pulchro, & luce proportionabili, delectabilior, & delicioſior ad videndum lumen, si est color albus mixtus cum rubeo, quàm nigredo. Nec obstat etiam, quòd colores extremi sunt magis sensitiui. Illa enim præeminentia sunt respectu alterius videntis. Ista autem respectu habentis. Natura autem, vt dicit Philosophus, magis intendit sibi, nisi sit ebria. Et ideo color corporis magis debet determinari secundùm congruentiam sui subiecti, quàm respectu alieni, vnde, & de Christo filio Virginis dicitur Cant. 5. 3. *Dilectus meus candidus, & rubicundus.* Et in anima quidem color candidus designat puritatem secundùm Doctores. Rubeus autem charitatem. Quæ virtutes puritas, & charitas fuerunt in Virgine in summo. Ea enim puritate nituit, qua maior sub Deo nequeat reperiri, secundùm Anselm. scilicet, in humana natura. Nam filius eius erat Deus, & ideo maior in eo, quia nec originale. De charitate dicit Beatus Hier. Totam incanduerant eam diuinus amor, & ardor continuus in ea, & ebrietas perfusi amoris. Ignis autem coloris rubei est, & ebrietas rubeum facit, &c. De colore capillorum sciendum, vt allegant Albert. Constantinus in Pantechni posuit tres causas capillorum dicens. Capilli caput custodiunt, & defendunt, & honestant, quibus si careat homo, maxima est inhonestas, & præcipuè in mulieribus, quoad caput. Et iuxta

Cant. 4.

hoc fecit natura corpori iuuamenta, & ornamenta. Causa autem, quare masculi barbescunt, & non fœminæ, est, quia masculi sunt calidiores, in quibus fumus, qui est pilorum materia, magis augmentatur, quem quia natura non sufficit expellere, expellit per duo loca, per caput, & barbam, vnde fit vt fœminæ calidissimæ barbescere videantur, & è conuerso in masculis frigidis, vnde non barbescunt eunuchi: quia perdiderunt membra calidiora. Pili ergo isti facti sunt à natura, vt essent iuuamenta, & ornamenta. Et ex hoc patet, quòd tres sunt causæ pilorum. Expulsio superfluitatis fumosæ in natura, & defensio à calore, & frigore, & ornatus capitis. Secundùm autem Authores medicinæ quatuor sunt colores capillorum, scilicet, niger, rubeus, glaucus, & canicies. Cùm autem glaucus constet ex humore abundanter melancholico. Canicies autem ex nimia defectione naturalis caloris, & ex effectu putridi phlegmatis, quod plurimum fit in senibus, de his duobus non fit quæstio, sed tantùm de nigro, & rubeo. Nam videtur, quòd capilli ad ostendendum meliorem complexionem corporis debeant esse magis rubei, quam nigri: quia dicit Galenus. Rubedo attestatur sanguini, nigredo autem melancholicæ, vel cholericæ complexioni. Ergo cùm nobilior sit complexio sanguinea, quàm cholerica, color attestans sanguini, scilicet, rubeus, nobilior erit quàm attestans cholericæ, vt niger. Ergo nobilior erit rubedo, quàm nigredo, & sic in nobiliori corpore erit rubedo. Et sic concludit secundùm Galenum, quòd in optimè complexionato cerebro capilli debent esse rubei. Econtrario videtur, quòd in corpore euchratico, id est, optimè complexionato capilli potiùs debent esse nigri, quàm rubei. Et primò quantùm ad vtilitatem capillorum, quæ est expulsio fumosæ superfluitatis iuuatiua. Quæcumque autem superfluitas magis est nocina, illius expulsio magis est iuuatiua. Sed cholericum incensum, & sanguineum adustũ magis est nociuum, quã sanguis non adustus: ergo magis est iuuatiua huius expulsio, quàm illius. Sed ad istius expulsionem sequitur generatio capillorum nigrorum, non rubeorum, ergo quantùm ad illam causam corpus euchraticum magis debet habere capilios nigros, quàm rubeos. Similiter quantùm ad defensionem. Capilli enim nigri fortiores sunt, quàm rubei. Similiter quantùm ad ornamentum pulchrior est enim, & aptior proportio extremi ad extremum, quàm medij ad extremum. Opposita enim circa se posita magis elucescunt, ergo supposito colore albi, & rubei in cute, magis venustat in capillis nigredo,

A quàm albedo, vel rubedo. Item quantùm ad signatum rubedo attestatur mobilitati, & inndelitati, nigredo stabilitati, & firmitati: quia correspondet elemento, quod est terra. Vnde & Constantinus Doctor in medicina de æquali complexione, & significatione eius dicit, quòd corpus æquale neque est multùm macidum, neque pingue. Color autem eius inter album, & rubeum medius. Pili autem in infantia rufi, in pueritia, & iuuentute nigri. Et sic esse videtur contrarietas inter Galenum, & Constantinum de colore capillorum in corpore æquali: quia Galenus dicit esse rubeum, Constantinus nigrum. Similiter inter illos, qui loquuntur de corporis pulchritudine diuersa sentiunt de colore capillorum, vnus enim dicit.

B

Fœmineum plenè si vis formare decorem.
Crinibus irrutilet, nitet aurum.

Vult dicere, quòd capilli debent esse aurei coloris, qui tendit in rubeum. Alter dicit. Spectandum nigris oculis. Et in Canticis, vbi describitur pulchritudo spiritualis per exteriorem compositionem, dicitur. *Comæ eius sicut elatæ palmarum, nigræ, quasi cornus.* Et sic videtur, quòd nigredo in capillis pertineat ad pulchritudinem. Item soboles secundùm complexionem innatam solet assimilari parentibus, & è conuerso. Sed C gens Iudæorum, vt in pluribus habet capillos nigros. Et Veronica prætendit nigram barbam, & nigros crines. Ergo & domina nostra habuit capillos nigros. Concordat Albert. istam contrarietatem per istum modum dicens. Color in capillis immediatè significat super dispositionem cerebri. Vnde optimus color in capillis debet determinari secundùm optimam complexionem cerebri. Optima autem complexio cerebri determinatur secundùm duos modos. Vno modo cerebrum est optimè complexionatum, quando est optimè ordinatum ad actiones virtutis naturalis, ita quòd operationes cerebri maximè ordinantur secundùm æqua- D litatem ad operationes cordis, & epatis, & aliorum membrorum principalium. Et secundùm hoc cerebrum debet esse calidum, & humidum. Et ideo capilli in infantibus sunt subrufi. In pueris rufi, vel subrubei. In perfectis sunt rubei. Et de his dicit Galen. supra, quòd euchraticum corpus habet capillos rubeos. Et ille alius, quòd habet capillos aurei coloris. Alio modo est cerebrũ euchraticũ secundùm quod est optimè dispositũ ad operationes animales, quæ propriè sunt in cerebro, & mediante spiritu animali, qui nascitur in cerebro. Et secundùm hoc calidum & siccum debet esse cerebrum, quia illæ duæ qualitates maximè deseruiunt cognitioni.

Cant. 5.

A ca-

A caliditate enim est velocitas apprehendēdi. A siccitate autem firmitas retinendi. A calore est motus, & mobilitas. A frigore quies, & immobilitas, & sic magis congruit perfectioni cerebri siccitas, quàm humiditas. Et sic nobilius est cerebrum secundùm virtutes animales siccum, quàm humidum, vnde & siccioris cerebri sunt perfectiores sensibus, & vigilantis naturæ; humidioris autem sunt sensu hebetes, & multi somni, & profundi. Et secundùm hoc Constantinus dicit euchraticum corpus habere capillos nigros. Cùm autem sint nobiliores operationes virtutis animalis, quàm operationes virtutis naturalis, sequitur quòd perfectissimi corporis cerebrum debet esse siccum, & calidum. Ergo cùm Beatissima Virgo habuit corpus perfectissimum, sequitur, quòd cerebrum eius fuit siccum, & calidum, & per consequens habuit capillos nigros: & cùm color oculorum significet super complexione proprij subiecti, propter hoc cerebro sicco determinabitur color oculorum niger, & dominabitur, & tali cerebro sicco & calido transmittitur spiritus visibilis ad oculum paucior, & subtilior, & fortior. Et simili modo nutrimento paucius, subtilius, & fortius. Paucitas autem spiritus, & nutrimenti creat nigredinem, vt dicit auctor, sed subtilitas est causa nobilioris, & forrioris operationis. Et sic tales oculi erunt nigri propter prædictorum paucitatem, sed clariores ad videndum, nobiliores propter sensuū subtilitatem, & nutrimenti puritatem, & sic concludit Albert. quòd Beata Virgo fuit in colore cutis alba, & rubea mixtim. In capillis autem, & oculis nigra temperata, sicut & eius filium speciosissimum credimus coloratum. Quantùm autem ad pulchritudinem animæ, capilli eius sunt cogitationes, quia sicut capilli à capite, ita cogitationes à mente, quę est caput animæ, fluunt, de quo potest intelligi illud. *Omnes capilli capitis vestri numerati sunt*, id est cogitationes Deo notæ. Et istæ cogitationes fuerunt nigræ, plenæ humilitate. *Respexit*, ait, *humilitatem ancillæ suæ*, Cant. 1. ait ipsa: *Nigra sum sed formosa.* Vel si secundùm aliam opinionem fuerunt aurei coloris, significant cogitationes plenas sapientia, quæ signantur per aurum, Lucæ 2. *MARIA autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo*, ipsa etiam dicitur mater agnitionis, & sapiētiæ. Oculi significant intentionem secūdùm illud Matth. 6. *Si oculus tuus fuerit simplex*, id est, intentio, *totum corpus tuum* id est, opus sequens ab eo, *lucidum erit*, id est virtuosum. Color eorum niger est, quia mortificata quoad mundum, sed subtile erecta ad Deum, vt placeret Deo in omnibus non mundo, iuxta illud Odilionis. Omnis

Lucæ. 12.

Luc. 1.

Cantic. 1

Luc. 2.

Matt. 6.

A MARIÆ actio semper intenta fuit in Domino. Vel si secundùm illum, qui ait loquens de pulchritudine oculorum. Radiant vtrique gemelli luce smaragdina, vel syderis instar ocelli, tunc claritas oculorum designat intentionem supernorum, quia optimā partem elegit. Hic satis congruit illud exemplum de illo deuoto clerico, qui audiens, & dicens illam Antiphonam. Tota pulchra es, orauit, vt semel posset videre eam, non curās de amissione oculorum, vt pleniùs posset intueri, cùm apparuit, &c.

De missione Filij Dei ad MARIAM. Capit. 12.

B

MIssus est demum Dei filius ad MARIAM Virginem, vt ex ea carnem assumeret. De qua missione, ait Psalm. 106. ostendens eius vtilitatem: *Misit verbum suum, & sanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum.* Missus dicitur Dei filius, non quia cœlum, vel patrem reliquit, sed quia carnem suscepit nostram, in qua visibilis nobis apparuit. Et ex hac incarnatione hoc maximum bonum nobis secutum est, quia sanauit genus humanum à cæcitate. Vna enim catena tenebrarum omnes tenebātur compediti, scilicet cæcitatis errorum, quibus plenus erat mundus, quod ipse Iesus Christus figuratiuè ostendit, quando cæco à natiuitate, luto facto ex sputo, & puluere, & posito super eius oculos, dixit. *Vade ad natatoria Siloe*, quod interpretatur missus, quo facto lotus in aqua visum recepit. Ioan. 9. Lutum enim ex sputo signat mysterium Incarnationis, in quo filius Dei sapientia tanquam saliua ex ore patris prodiens, vnita cū puluere nostræ mortalitatis fuit. Ponitur super oculos nostros, cùm credimus hoc, & loti aqua baptismi, cum hac fide lumen gratiæ recepimus. *Et crediderunt*, ait ipse Dei filius, Incarnationem, scilicet omnes fideles *quia tu me misisti*, id est, incarnari instituisti, Ioan. 17. Eripuit etiam nos de interitionibus, id est, mortibus nostris, scilicet, de morte inferni, de morte peccati, & de morte corporis. In vltima tamen Resurrectione, in cuius figuram in mundo conuersatus tres mortuos resuscitauit. Non enim (ait ipse Ioan. 3.) *Misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet*, ideſt condemnet mundum, *sed vt saluetur per eum* ab his mortibus. Vbi beatus Augustinus super Ioan. Quantū est in medico sanare venit ægrotū, immo & mortuum suscitare. Sed ipse, scilicet, homo se interimit, qui præcepta medici seruare non vult. Ergo *si vis ad vitam ingredi*, Matth. 19. tibi paratam, *serua mandata*, scilicet huius medici. O quanto desiderio istā missionem antiqui Patres flagitabant, dicētes

C

D

Psal. 106

Ioann. 9.

Ioan. 17.

Ioann. 3.

Matt. 19

tes per Moysen *Obsecro Domine mitte quē*
Exod. 4. *missurus es*, Exod. 4. Sed ecce iam missum, & cum tanta vtilitate de Virgine conceptum, & natum conuersatum, cultores vineæ, id est, fideles non solum semel, vt Iudæi, eiectum occiderunt, sed quotidie iterum crucifigunt malis moribus suis. Ita inquit Apostolus ad Hebr.
Hebr. 6. *6. Rursus crucifigentes in semetipsis filium Dei, & ostentui habentes.* Videamus ergo circa istam missionem tria. Primò, quare Dei filius missus. Secundò, quare ad MARIAM missus. Tertiò, quare ad Virginem missus?

§. I.

QVantùm ad primum, scilicet, quare potius missus, id est, incarnatus sit filius,
Psa. 106. quàm pater, vel Spiritus Sanctus? quia dicit Psalmus 106. *Misit verbum suum*, qui scilicet, est filius suus. Et Angelus ad MARIAM *virtus altissimi obumbrabit tibi*, id est, filius altissimi, qui est virtus eius, ad Hebr. 1.
Hebr. 1. *Portansque omnia*, id est, sustentãs Deus, *verbo virtutis suæ*, id est, filio, qui est virtus
1. Cor. 2. sua. Et iterum *Christum Dei virtutem, & Dei sapientia*. Ista ergo virtus, id est filius Dei, *obumbrabit tibi*, id est, corpus assumet ex te, in quo posset lux videri. Assignat autem beatus Thom. in 3. part. quæst. 3. art. 8. tres rationes conuenientiæ huius, quare decuit magis filium mitti, id est, incarnari, quàm patrem, vel Spiritum sanctum. Primò ex parte vnionis. Secundò, ex fine incarnationis. Tertiò, ex occasione nostræ perditionis. Quantùm ad primum, scilicet, parte vnionis satis patet, quia conuenienter ea, quæ sunt similia sibi inuicem vniũtur. Ouis cum oue, homo cum homine, bonus cum bono, malus cum malo in conuersatione sibi vniuntur. Ipsius autem personæ filij, qui est Verbum Dei, attenditur communis conuenientia ad totam creaturam, quia Verbum artificis, id est, conceptus eius est similitudo exemplaris eorum, quæ fiunt ab artifice. Ita Verbum Dei, quod est æternus conceptus eius, est similitudo exemplaris totius creaturæ, ideo sicut per participationem huius similitudinis creaturæ sunt in proprijs speciebus institutæ, sed mobiliter, ita per vnionem verbi ad creaturam non participatiuã, sed personalem conueniens fuit reparari creaturam in ordine ad æternam, & immobilem perfectionem. Nam & artifex per formam artis conceptam, qua artificiatum condidit, ipsum, si collapsum fuerit, restaurat.
Psa. 103. Vnde Psalmus 103. *Omnia in sapientia fecisti*,
2. Cor. 5. & Apostolus 2. Corint. 5. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi* Quòd
Mat. 15. autem dixit Matth. 15. *Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel*, intelligitur, quoad prædicandum, & miracula faciendum ipse in persona sua, sed quoad saluandum ad omnes missus est, per suos discipulos prædicaturus per orbem. *Euntes*,
Mar. 16. ait, *ite & prædicate, Euangelium omni creaturæ*, id est, omni generationi hominum & nationi. Reminiscere, (ait Leo Papa,) quia erutus de potestate tenebrarum translatus es in Dei lumen, & Regnum. Pretium tuum sanguis Christi est, qui in veritate te iudicabit, id est condemnabit, qui in misericordia te redemit, si videlicet ingratus fueris tanto beneficio Incarnationis, te sibi non vniendo, & incorporando per dilectionem. Secundò potest accipi ratio huius conuenientiæ ex fine incarnationis, quæ est impletio prædestinationis eorum, qui scilicet, prærordinati ad hæreditatem cœlestem, quæ non debetur, nisi filijs, secundùm illud ad Roma. 8.
Roma. 8. *Si filij Dei, & hæredes*. Et ideo congruum fuit, vt per eum, qui est filius naturalis homines participarent similitudinem huius filiationis secundùm adoptionem, sicut Apostolus dicit Roman 8. *Quos præsciuit, hos &*
Roma. 8. *prædestinauit cõformes fieri imagini filij sui*. Cum etiam homo in sapientia proficiat, quę est propria eius perfectio prout est rationalis, quod participat Verbum Dei, à quo omnis sapientia hominum deriuatur, sicut discipulus instruitur per hoc, quod recipit verbum Magistri. Vnde Eccles. 1. dicitur: *Fons*
Eccles. 1. *sapientiæ Verbum Dei in excelsis*. Ideo ad consummatam perfectionem hominis conueniens fuit, vt ipsum Verbum Dei personaliter humanæ naturæ vniretur, vnde si Regina Austri, seu Saba venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis puri hominis, & Plato multas regiones peragrauit, vt audiret Philosophos de natura rerum differẽtes, quantò magis fideles debent concurrere cum omni auiditate, audire sapientiam incarnatam in Euangelijs quotidie resonantem, & illa seruare? *Nam beati, qui audiunt*
Luca 11. *Verbum Dei, & custodiunt illud*, Lucæ 11. ait ipse. Tertiò potest accipi ratio huius congruentiæ ex occasione ruinæ nostræ in peccato primi parentis, cui per incarnationem remedium adhiberetur. Peccauit enim primushomo, appetendo scientiam, vt patet ex verbis serpentis antiqui, promittentis scientiam boni, & mali; vnde conueniens fuit, vt per verbum veræ sapientiæ homo reduceretur in Deum, qui per inordinatum appetitum scientiæ recessit à Deo. Hanc rationem tangit beatus Bernardus in Sermone inducẽs figuram Ionæ. Nam cùm orta tempestate propter eum, & sedari non posset, ait
Ioan. 1. ipse Ionas. *Si propter me*, si pro, *quia* tempestas hæc venit, *tollite me, & mittite in mare*, quo facto tempestas cessauit. Ionas interpretatur filius columbæ, & significat filium Virginis, quę columba dicitur propter

pu-

puritatem. Cùm igitur esset orta tempestas in mari mundi, seu humani generis multorú malorum, quæ minabantur, & trahebant ad submersionem inferni. Ionas, id est, Dei filius, & Virginis, cui attribuitur sapiẽtia, ait per effectum ad Patrem, & Spiritum sanctum. Ex quo propter sapientiam inordinatè appetitam processit hæc miseria, & afflictio in humano genere, tollite me, & mittete in mare, id est, operamini mecum, vt in mundum intrans carnem assumam, quo facto, id est, incarnato, cessauit virtualiter per ditio humana, vnde & ipse ait per Esai. 48. *Esai.* 48. *Me misit Dominus*, scilicet pater, *& Spiritus eius sanctus*. Sed cauendum est, ne adhuc iste inordinatus appetitus sapientiæ tempestatem, & perditionem inducant alicui, qui, scilicet nimis curiosè quærit scire mysteriũ istud humana ratione, cùm tamen excedat omnem rationem, propter quod Ioannes Baptista protestatus est, se hoc nescire, vel non posse, cum ait. *Non sum dignus soluere corrigiam calceamenti eius*, id est, explicare, vel *Ioann.* 1. intelligere modum illius Incarnationis. Calceamentum enim, quod fit de pellibus animalis mortui designat assumptam nostram mortalitatem, pes, qui corpus sustentat, & discurrit vbique, est diuinitas omnia sustentans, & per omnia discurrens ad Hebreos 1. *Hebr.* 1. *Portans omnia Verbo virtutis suæ*. Quo modo autem sit coniuncta, & vnita diuinitas humanitati, non potest à nobis intelligi, sed credi. Corrigia igitur est ligatura mysterij Incarnationis, quam nullus potest soluere, id est, declarare, sed credere de- *Rom.* 12. bet. ad Romanos 12. *Non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.*

A

B

C

§. II.

SEcundum, scilicet, quare missus est ad SMARIAM, quæ mulier, id est, fœmina erat, ad Galat. 4. *Misit Deus filium* *Galat.* 4. *suum factum ex muliere*, id est, ex fœmina. Non enim dicit mulier, nisi sexum fœmineum, non autem corruptionem. Sed cùm sexus virilis sit nobilior sexu fœmineo, videtur, quòd potius de sexu masculino debuerit incarnari, sicut & mulier prima de viro facta est. Et cùm ipse dicat, *cælum, & terram* *Ierem.* 23 *ego impleo*, quomodo in vtero vnius fœminæ clausus est? Sed vt dicit beatus August. ad Volusianum. Hominum iste sensus est nõ aliud, nisi corporalia cogitare volantium, quorum nullum potest esse vbique totum, quoniam per innumerabiles partes alia alibi, quam altera sit, necesse est. Sed longè aliud natura animæ est, quàm corporis, quãtò magis natura Dei, qui Creator animæ est & corporis, nouit vbique totus esse, & nullo contineri loco. Nouit venire, non recedendo vbi erat. Nouit abire, non deserendo quò venerat. Et licet Dei filius carnem humanã assumere potuerit de quacumque materia voluisset, conuenientissimum tamen fuit, vt de fœmina carnem acciperet triplici ratione, secundùm Thom. in 3. part. quæst. 31. art. 4. Primò, propter totius naturæ humanæ nobilitationem. Secundò, propter veritatis confirmationem. Tertiò, propter omnis varietatis generationis completionem. Quantùm ad primum, conuenientissimum fuit, vt de fœmina carnem Dei filius acciperet, quia per hoc tota natura humana nobilitata est. Vnde beatus Augustinus in libr. 83. quæst. ait. Hominis liberatio in vtroque sexu debuit apparere. Et quia sexus masculinus est nobilior, seu honorabilior oportebat eũ, scilicet, Dei filium suscipere virum. Sed vt fœminei sexus liberatio appareret in hoc mysterio Incarnationis, ideo ille de fœmina conceptus, & natus est, quod etiam longè ante prædixerat. Hirem. 31. dicens: *Nouum faciet Dominus super* *Ierem.* 31 *terram, fœmina circundabit virum*. Fœmina Beatissima MARIA circundabit, id est, in vtero concipiet, & habebit, non à vero, sed à Spiritu sancto, virum, scilicet, Iesum Christum masculum omni gratia, & sapientia perfectum. Et sicut fœmina fuit prima causa perditionis humanæ, scilicet, Eua prima transgrediendo Dei præceptum, sic Beatissima fœmina MARIA esset prima causa reparationis nostræ, generando filium secundùm Adam, per quem omnes mortui à primo viuificantur. Secundò per hoc veritas Incarnationis astruitur, vnde beatus Ambrosius in libr. de Incarnatione ait. Multa secundùm naturam in hoc mysterio, & multa vltra naturam. Secundùm enim conditionem naturæ in vtero fœminei corporis fuit, sed supra conditionem Virgo concepit, Virgo generauit, vt crederes, quia Deus erat, qui innouabat naturam, & homo erat, qui secundùm naturam nascebatur ex homine, id est fœmina. Vnde beatus Augustinus dicit ad Volusianum. Si omnipotens Deus hominem vbicumque formatum, non ex materno vtero causaret, sed repentinum inferret aspectibus, nonne opinionem confirmaret erroris, ne suscepisse verum hominem crederetur vllo modo, & dum omnia mirabiliter facit, auferret quod misericorditer fecit, nunc verò inter Deum, & hominem ita mediator apparuit, vt in vnitate personæ copulans, vtramque naturam, & solita solitis sublimaret in solitis, & solita solitis temperaret. Tertiò, quia per hunc modum completur omnis diuersitas generationis humanæ. Quatuor enim modi secundùm Anselmũ, inueniũtur generationis, seu productionis humanæ. Primus est sine muliere, & vi-

D

viro, vt Adam factus ex limo terræ. Secundus est sine fœmina ex masculo, vt Eua facta est ex costa pectoris Adæ soporati. Tertius modus est communis omnibus alijs naturaliter genitis, scilicet, ex viro, & muliere carnaliter copulatis, vnde dicuntur filij
Psal. 99. hominum, Psalmus 99 *Filij hominum scitote, &c.* id est, geniti ex muliere, & viro. Restabat quartus modus generationis, scilicet, ex muliere sine viro. Et hæc est Christi geniti ex MARIA sine viro, sed opere Spiritus sancti. Et per istum sic genitum reuertimur in terram nostram promissionis fluentem lac, & mel, id est, in vitam beatam. In cuius figuram dictum fuit Abrahæ, cui promissa fuerat terra illa, & generi suo. *Generatione autem quarta reuertentur huc.*
Gene. 15. id est, per istum quartum modum generandi reuertuntur Israelitæ ad patriam supernam, Genes. 15. Non debet ergo contemni sexus fœmineus, etsi infirmior, quia etsi Christus vir, de fœmina tamen nascitur. Vnde beatus Augustinus in lib. de agone Christiano, ait: Nolite contemnere vos viri, quia filius Dei virum suscepit. Nolite vos contemnere mulieres, quia & Christus natus est ex fœmina. Contemnunt seipsos viri, cùm effœminati sunt, delicijs, & concupiscentijs insistendo, nil virile agentes. Contemnunt se fœminę, quando liniunt facies suas ceruſa, & purpurissò, contemnendo, quòd Deus tales fecerit, & cùm vtuntur ornamentis virorum. Et sic patet, quare ad fœminam missus.

§. III.

TErtiò declarandum, quare ad Virginem missus est Dei filius, quia ad MARIAM Virginem dicit Euangelista, vbi inquit beatus Bernardus, Virginem mente, Virginem corpore, virginem talem, qualem describit
1. Cor. 7. Apostolus: *Virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta mente, & corpore, quomodo placeat Deo.* Vbi notandum, quòd quælibet virtus principaliter consistit in mente, & voluntate. Vnde cùm virginitas sit virtus, seu excellentia virtutis castitatis, & ipsa principaliter consistit in mente, qui igitur, vel quæ est Virgo corpore, immunis, scilicet, ab actu venereo, sed tamen mente corruptus, habens, scilicet, cogitationem, & desiderium deliberatum ad perpetrandum actum carnalem quomodocumque, quamuis non exequatur opus tale, tamen non est Virgo mente, sed similis diabolo, qui cum virginitate habet infernum. Vnde beatus Hieronym. ad Eustochium. Timeamus & illam prophetiam, ne in nobis impleatur, &
Amos. 8. *Virgines bonæ deficient.* Obserua quid dicat & Virgines bonæ, quod ideo dicit, quia sunt & Virgines malæ. Qui viderit, inquit, mulierem ad cõcupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Perijt ergo & mente virginitas. Istæ sunt virgines malæ virgines carne, non spiritu, virgines stultæ, quæ oleũ nõ habẽtes, excluduntur à spõso, 32. quæst. 5. si Paulus. Qui autem vir, vel mulier est corpore virgo, no tamẽ habens propositum eam virginitatem seruandi, sed tempore suo ad statum coniugalem peruenire licito modo, & actum coniugalem exercere. Talis, etsi virgo sit corpore, nõ tamen habet virginitatis virtutem, & excellentiam, & aureolam, quæ reseruatur habentibus firmum huiusmodi propositum. Recuperari tamen potest talis virginitas, quæ solùm mente amissa est, per pœnitentiam, & propositum eius. Sed quæ corpore amittitur voluntariè, nunquam recuperari potest. Vnde beatus Hieronymus, in di. ca. si Paulus. Audacter dicam, quia cum cætera possit Deus, hoc non potest Virginem suscitare post ruinam. Valet liberare de pœna, scilicet, peccati per pœnitentiam, sed non valet coronare corruptam, id est, non congruit secundùm Gloss. vel non consueuit secundùm Hugum Card. Erat igitur Beatissima MARIA ad quam missus est Dei filius, & de ea incarnatus, virgo corpore in ipso concæptu, Virgo mente, Virgo & voto. Nam vt dicit beatus Thom. in 3. part. quæst. 28. art. 4. Cùm opera perfectionis magis sunt laudabilia, si ex voto celebrantur, & virginitas in Matre Dei præcipuè debuit pollere, ideo conueniens fuit, vt virginitas eius ex voto esset Deo consecrata. Verùm quia tempore legis oportebat generationi insistere tam viros, quàm mulieres, quia secundùm carnis originem cultus Dei propagabatur, antequam ex illo populo Christus nasceretur, ideo Mater Dei non credatur, antequam desponsaretur Ioseph, absolutè vouisse virginitatem, licèt eam in desiderio habuerit, super hoc tamen volũtatem suam diuino commisit arbitrio. Postea verò accepto sponso Ioseph secundùm morem illius temporis, simul cum eo votum virginitatis emisit. Vouit ergo priùs sub conditione, & non absolutè, scilicet si Deo placeret. Postquam autem hoc innotuit Deo reuelante ei esse acceptum, tunc absolutè vouit, & antequam ab Angelo annunciaretur. Missus est ergo Dei filius ad Virginem, vt ex Virgine conciperetur Christus secũdùm illud Esai. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*, scilicet permanens Virgo, *& vocabitur nomen eius Æmanuel, quod interpretatur nobiscum Deus*, id est, Deus humanatus. Contrarium sentire, & dicere est hæreticum, scilicet, quòd esset conceptus ex viro & muliere MARIA. Hoc autem conueniẽs fuit, scilicet Christum concipi ex Virgine propter quatuor actiones secundùm B. Tho. *Esai. 7.*

in

in 3. part. quæst. 28. Primò ex patris dignitate. Secundò, ex filij proprietate. Tertiò, ex assumpta humanitate. Quartò, ex incarnationis finalitate. Quantùm ad primum, fuit conueniens, Christum ex Virgine concipi propter patris mittentis dignitatem conseruandam. Cùm enim Christus sit verus, & naturalis filius Dei patris, non fuit conueniēs, vt alium patrem haberet, quàm Deum, ne Dei dignitas transferretur in alium. Nam si conceptus fuisset ex MARIA, & Ioseph, vt blasphemant perfidi Iudæi, vel ex alio, ille etiam ex quo conceptus fuisset, esset pater eius. Et sic homo diceretur pater filij Dei, sicut & Deus pater, quod non videtur decens. Secundò, fuit hoc conueniens, scilicet, de Virgine concipi, quia conuenit proprietati ipsius filij, qui est Verbum Dei: Verbum autem absque omni corruptione cordis concipitur, quinimmo cordis corruptio perfecti verbi corruptionem non patitur Psalmus 44. *Eructauit cor meum verbum bonum.* Quia igitur caro sic fuit assumpta à Verbo Dei, vt esset caro Verbi Dei, conueniens fuit, quòd etiam ipsa caro sine corruptione matris conciperetur. Et sic Verbum caro factum est de Virgine MARIA, ait beatus Bernardus. Tertiò, fuit conueniens dignitati humanitatis Christi, in qua locum peccatum habere non debuit, per quam peccatum mundi tollebatur, secundùm illud Ioann. 1. *Ecce Agnus Dei,* scilicet innocens, *qui tollit peccata mundi*: non potuit autem esse, quòd in natura iam corrupta ex concubitu maris, & fœminæ nasceretur quis sine infectione originalis peccati, vnde beatus Augustinus dicit. Solus ibi nuptialis concubitus non fuit, scilicet, in matrimonio MARIÆ, & Ioseph, qui in carne peccati fieri non potuit sine vlla concupiscentia carnis, qui accidit ex peccato, sine qua esse voluit qui futurus erat sine peccato. Quartò, propter finem Incarnationis, qui finis ad hoc fuit, vt homines renascerẽtur in filios Dei, non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt, id est, Dei virtute. Cuius rei exemplum apparere debuit in ipsa conceptione Christi. Vnde beatus Augustinus de sancta virginitate, oportebat caput nostrum insigni miraculo secundùm corpus nasci de Virgine, vt signaret sua membra nasci de Ecclesia Virgine secundùm spiritum nascitura, Apostolus 2. Corint. 11. *Despondi vos,* scilicet fideles, *vni viro, virginem castam exhibere Christo,* scilicet, Ecclesiam integram fide, & à peccato incorruptam. Nec obstat, quòd Ioseph aliquando dicitur pater Christi, vt Lucę 2. quia dictus est pater, idest, nutritius, vel secundùm opinionem vulgi.

Psal. 44.

Ioan. 1.

2. Cor. 11

A *De Angelica Salutatione, scilicet, Aue. Capit.* 13.

DE salutatione facta Virgini MARIÆ cùm Dei filium concepit, *Aue* ei dixit Angelus. Mos antiquissimus est, cùm quis amico occurrit, vel literam, aut ambasiatam mittit, in principio sermonis salutare eum. Hinc est, quòd glorioſus Deus mittens nũcium suum Gabrielem ad annunciandum mirabile Sacramentum Incarnationis faciendæ in Virgine amicissima ipsi Deo, salutat eam ex persona ipsius Dei, dicens. *Aue*: Equidem diuersus modus salutationis vsitatur, & reperitur in scripturis, videlicet, B per Aue, per Salue, per Gaude. Nam Dominus Iesus resuscitatus occurrens mulieribus venientibus à monumento, & euntibus discipulis nunciare eius Resurrectionem, salutauit eas, dicens: *Auete*, Matth. vltim. & Iob Princeps exercitus, Dauid occurrens Amasę, vt amicum salutans, ait. *Salue mi frater*, 2. Reg. 20. Et Iudæi, qui erant Hierosolimis mittentes literas eis, qui erant in Ægypto amicis suis, & generis sui salutauerunt dicentes. *Salutem, & pacem bonam.* Angelus autem Raphael ingressus ad Tobiam salutans ait, *gaudium tibi semper sit.* Et primus quidem modus salutationis conuenit salutatis incipientibus, qui optatur C ex modo loquendi, vt sint sine væ præcipuæ culpæ, ab à quod est sine, & væ, quod importat malum. Secundus congruit proficienti, quia optatur salus, id est, perfectus, & firmitas in virtutibus. Tertius ascribitur perfectis, scilicet, gaudere in Domino. Et quia hoc non potest esse sine pace mentis, quæ est causa eius, ideo Christus discipulos, qui statum tenebant perfectorum, salutabat per pacem, dicens: pax vobis. Angelus ergo Gabriel, qui annunciabat Virgini in persona humani generis Incarnationem, per quem inchoabatur procuratio salutis humanæ. Profectus autem, & perfectio nostræ salutis postea facta est per sacramenta instituta ab D eo per doctrinam, & passionem. Ideo magis decuit salutationem istam fieri per Aue, quã per Salue, vel Gaude. Hæc Albert. Magnus super Missus est. Ex hoc autem verbo multa mysteria insinuantur. Primò, salutationem mittentis maiestas. Secundò, Incarnationis, & vnionis sublimitas. Tertiò, humanationis huius vtilitas. Quartò, recipientis salutationem singularitas.

Mat. 28.

2. Reg. 10

2. Mac. 1

Tob. 5.

§. I.

QVantùm ad primum, sciendum, quòd Angelus MARIÆ, dixit, *Aue*, ex parte ipsius Dei, quod verbum, seu dictio habet tres literas innuentes personas Diuinæ Maiestatis, scilicet Patris, & Filij & Spiritus San-

sancti. Nam prima litera, quæ est a, significat Spiritum Sanctum, ipse enim Spiritus sanctus, (ait Gregorius,) amor est. Secunda litera est v, significat personam filij, qui est Verbum patris, & quasi medius, non situ, sed numero inter Patrem, & Spiritum
1. Ioan. 5. sanctum. *Nam tres sunt*, ait Ioan. in Epistola 1. cap. 5. *qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus.* Tertia litera e, & significat patrem. Nam vt dicit Hilarius in libro de Trinit. Æternitas est in Patre, non ita tamen, quin Filius, & Spiritus Sanctus etiam sit æternus cum eo, sed quia ei appropriatur magis, æternum importat quid sine principio: Filius autem, & Spiritus sanctus, quamuis non habeant principium creationis, nec factionis, habent tamen principium emanationis, quia emanat Filius à Patre, & Spiritus sanctus ab vtroque, etsi ab æterno, solus autem Pater est sine aliquo principio, quia à nullo ipse emanat. Dicit ergo Angelus, *Aue*, quasi dicat, tota Trinitas me mittit ad te, quia & ipsa tota operabitur istam Incarnationem in te.

§. II.

VNionis sublimitas etiam hoc denotat. Altera est prima litera alphabeti in quo omnes scientiæ comprehenduntur. Est prima secundùm omne idioma. Nam literarum Hebræarum, quam literam vocant Aleph, & Græcorum, quia dicunt Alpha, & Latinorum, qui exprimunt eam per A, vltima autem litera alphabeti secundùm Latinos est v, & v adiungitur, & coniungitur a, in vnam dictionem per e. Inter naturas intellectuales prima, & suprema principium omnis creaturæ, & sapientiæ est natura diuina signata per a, vnde & ipse Deus dicit,
Apoc. 1. Apo. 1. *Ego sũ Alpha, & Omega, principiũ, & finis* omnis creaturæ. Vltima autem naturarũ, quæ intelligentiam habent, est natura humana designata per v, vltimam literam, quæ natura in supposito dicitur vir, cuius dictionis principium est v. Vnde Genes. 2. dixit Adam de vxore sua matre omnium Eua. Hæc vocabitur virago, quia de viro sumpta est. Ista autem duo, natura, scilicet diuina, & humana coniuncta sunt ad inuicem in vnitate personæ in Virgine MARIA signata in v, quia sicut est media inter e, & a, sic Virgo MARIA est, & dicitur mediatrix hominum inter Deum, & homines, quasi mediatrix, & reconciliatrix, quia in ea facta est talis vnio sicut a, & v, literæ vniuntur in e, in vna dictione. Nulla autem vnio in creaturis reperitur ita sublimis, sed omnes excedit, & omnem intellectum transcendit. Ecce, (inquit Propheta,) veniet Deus homo. Dicit ergo Angelus, Aue, quasi dicat, hoc est tibi nuncio, quia in te vnitur in vna persona Deus, & homo. Naturam enim humanam in te, & de te assumet.

§. III.

VTilitas etiam hic implicatur in *Aue*. Omnes (dicitur in versu) dicunt e, vel a, quotquot nascuntur in Eua, scilicet, in egressu ex vtero matris, nascuntur enim lugendo. Qui ploratus est secundùm beatum August. de ciuit. Dei, quasi quædam prophetia nostri incolatus, designans ex hoc, quia in terram, & vallem lachrymarum, & miseriarum intramus. Et masculus, quidem in ploratu suo nascens profert a, quasi dicat. Similis sum Adæ masculus, miserias innumeras, & mortem, cui sum subditus, deplorans. Fœmina autem in ortu suo plorans e, resonat, quasi dicat, fœmina sum Euæ similis, cuius miserijs, & maledictis subijcior. Sed Adam, & Eua cum filijs, & filiabus suis ab eis mortificatis, viuificantur per Virginem matrem, quod significatur per v, medium inter a, & e, mediatrix & genitrix vitæ per filium suum benedictum. Vbi etiam aduertendum, quòd istud nomen Eua, si literæ ipsæ è contrario exprimantur, secundùm ordinem suum sonant *Aue*, quasi dicat, Angelus. Ideo dico tibi *Aue*, quasi tota cõtraria es Euæ. Et hoc est, quod canit Ecclesia in hymno. Sumens illud *Aue*, Gabrielis ore funda nos in pace, mutans nomen Euæ. Illa enim Eua fecit filios suos inimicos Dei, & ista nos pacificauit Deo. Illa superbiuit contra Dominum, similis volens esse Deo; ista se profundissimè humiliauit, vocans se non matrem Domini, sicut erat, sed ancillam Domini. Ecce, ait, ancilla Domini. Illa mater cunctorum viuentium spiritualis interfectrix. Hæc cunctorum mater spiritualis viuificatrix. Illa maledicta multipliciter à Deo, hæc benedicta in matris vtero. Et ideo meritò dixit Angelus *Aue*, quod est oppositum Euæ versis literis è contrario. Sciendum etiam, quòd litera a, expressa voce formatur in gutture, & in gutture communiter. Hebræa locutio formatur, e formatur in palato, quia in palato Græcus sua verba pronunciat, v pronunciatur in labijs, ea acuẽdo & Latinus in labijs quodammodo loquitur. Aptè ergo, inquit, *Aue*, quasi dicat, omnis lingua, tam Hebraica, quàm Græca, & Latina te laudet, hoc omnis doctrina attestatur mysterium.

§. IIII.

QVartò ostenditur ex hoc verbo singularitas MARIÆ, sibi enim soli congruit hoc verbum *Aue*, quod deriuatur ab à quod est sine, & væ, quasi sine væ. Væ autem importat miseriam. Nulla autem pura creatura est, quæ sit sine væ, nisi Virgo MARIA.

No-

Notandum igitur ſecundùm Albertum ſuper Miſſus eſt, quòd Virgo fuit ſine væ communi omnibus hominibus conuenienti, ſine væ ſpeciali omnibus mulieribus cõtingenti, ſine væ particulari omnibus mulieribus, ſeu matribus congruenti. Et væ, quod tangit omnes per peccatum homines, triplex eſt, vt meritò dicatur per Ioan. in Apocalip. ter. *Apoc.* 8. *væ væ væ, habitantibus in terra*, ex parte, ſcilicet, corporis, ex parte animæ, & ex parte coniuncti. Ex parte corporis per peccatum incurrit diſtemperationem, & naturalium appetituum inordinationem. Corpus enim diſtemperatur in humoribus per nimios labores, & inordinatas paſsiones. Vnde Seneca, dicit, quòd plures occidit voluptas, quàm gladius. Item væ eſt per corporis ad animam rebellionem, quia *Caro*, (ait Apoſtolus,) *Galat.* 5. *concupiſcit aduersùs ſpiritum.* Tertiò per ipſius poſt mortem corporis incinerationem. *quia puluis es, & in puluerẽ reuerteris.* *Geneſ.* 3. Vnde & primo hominis in perſona omnium iſtud triplex væ fuit prænunciatum à Domino dicente. *Maledicta terra in opere tuo*, id eſt, corpus de terra factum. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo*, per ſudores corpus diſtẽperatur, *ſpinas & tribulos germinabit tibi* terra, ſcilicet, corporis punctiones, ſcilicet, & pruritus cõcupiſcentiæ contra ſpiritum, *donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es* per incinerationem. Sed ab iſto triplici væ fuit MARIA libera, & ſine eo. Nulla enim inordinatio paſsionum fuit in ea, vel diſtemperantia humorũ ex operum inordinatione, quæ ordinatiſsima fuit in omnibus. Et repreſſo, & extincto in ea fomite concupiſcentiæ, nullus etiam primus motus ad peccatum, ſeu contra ſpiritum fuit in ea. Vnde dictum fuit de *Geneſ.* 3. ea in figuram. *Ipſa conteret caput tuum.* Geneſ. 3. Caput ſerpentis antiqui ſunt primi motus peccati, quibus ipſe inſidiatur animę. Sed Virgo MARIA contriuit ex toto extinguens. Incinerata poſt mortem non fuit, ſed glorificata in corpore regnat cum filio. Vnde beatus Auguſtinus, putredo, & vermis ſunt opprobrium humanę conditionis, à quo MARIÆ natura excipitur, quam de ea Ieſus aſſumpſiſſe probatur. Ex parte autem animæ triplex væ omnes incurrimus. Væ erroris: Væ doloris. Et væ pudoris. Errare eſt aliud pro alio putare, ſcilicet, falſum pro vero, malum pro bono, Eſai. 53. *Omnes quaſi oues errauimus*: beatus Auguſtus. Er- *Eſai.* 53. ror non eſt in natura hominis inſtituti, ſed pœna damnati, id eſt, puniti à Deo per peccatum. Errauimus in rationali tripliciter, ſcilicet in eligendo, in diſcernendo, & in exequendo. Prouerb. Errant, qui operantur malum. Primùm, quod occurrit in agendis eſt finis. Omne enim agens agit propter finem, inquit Philoſophus. Finis autem habet rationem boni. Nemo enim intendẽs ad malum, operatur. Sed iſtud bonum, quod quis intendit in operando, eſt aliquando verum bonum, vt opus virtuoſum, aliquando apparens bonum, ſed non verum bonum, vt opus vitioſum. Auarus enim intendit in ſuo opere bonum vtile lucri, ſed quia poſtponit ſalutem animę, obſeruationem diuini præcepti, prohibitis illicita lucra, ideo non verum bonum eligit, ſed apparens, & falſum. Luxuriosus eligit bonum delectabile carnis contra virtutem caſtitatis, æſtimans tunc illud maius bonum, quàm caſtitatem, & ſic errat. Sed ſeruus Dei eligit bonum honeſtatis, quod eſt verum bonum Deo acceptum, opus ſcilicet, virtuoſum, iſtud, vel illud. Iſtud ergo væ erroris, de quo Eſai. 5. dicitur. *Væ* *Eſai.* 5. *qui dicitis malum bonum, & bonum malũ*: frequenter omnes incurrunt. Sed MARIA, ſine iſto væ fuit. *Optimam enim partem ſibi* *Lucæ* 10. *elegit MARIA* in omnibus. Lucæ 10. Vnũ quippe ſcimus pro certo, inquit Odilo, in ſermone, quia omnis MARIÆ actio ſemper intenta fuit in Domino. In diſcernendo erramus. Non enim ſufficit eligere bonum finem in opere noſtro, ſed etiam debita media perueniendi ad illum finem quærere. Vnde dictum fuit Cain ſecundùm aliam trã ſlationem Si rectè offeras, & non rectè diuidas, peccaſti, id eſt, ſi intendas, & facias bonum opus, & non obſerues debitas circunſtantias, quæ ſunt diuerſæ, vt debitum locũ tempus, & modum, & huiuſmodi peccatum incurris. Bonum eſt enim dare eleemoſynam propter Deum, ſed dare non indigenti, vel ei, qui abutitur, & huiuſmodi, non eſt bonum. Et illud væ etiam frequentiùs incurritur, de quo poteſt intelligi illud Matth. *Mat.* 15. 18. *Væ mundo à ſcandalis*. Quia enim homines in operibus ſuis non obſeruant debitas circunſtantias, ideo ſequuntur multa ſcandala. Sed *Aue*, id eſt, ſine iſto væ fuit MARIA, quæ *ſemper operata eſt conſilio ma-* *Prou.* 31 *nuum ſuarum*. Prouerb. vlt. id eſt, in operibus ſuis conſilium habebat, diſcernendo debitas circunſtantias. In exequendo erramus non operando, & executioni mandando, vel tardè quod ratio decreuit faciendum, ex negligentia, vel pigritia, cùm tamen, vt ait Philoſophus in Ethi. Oportet conſiliata velociùs exequi. Et iſtud væ incurrimus frequentiſsimè, non exequendo quæ cognouimus, & deliberamus facere, *& væ diſſo-* *Eccl.* 10. *lutis corde*. Eccleſ. 10. qui ſcilicet, non viriliter exequũtur, quod intendunt. Sed *Aue*, id eſt, ſine iſto væ fuit MARIA. Vnde concepto filio, cùm audiſſet Eliſabeth grauidã cogitãs illi ſeruire in partu: *exurgẽs abijt in* *Lucæ* 2. *mõtana cũ feſtinatione ad domũ Zachariæ.* Luc. 2. Omnia hæc pertinent ad prudentiã, qua

qua plenissima fuit. Vnde de ea canit Ecclesia. Quò progrederis Virgo prudentissima, &c.

§. V.

SEcundum væ est doloris commune omnibus incōcupiscibili, Eccles. 5. *Cuncti dies eius laboribus, & ærumnis pleni sunt.* Eccles. 5.
Psal. 17. Psalmus 17. *Dolores inferni circundederūt me.* Item *tribulationem, & dolorem inueni.* Psal. 114
Et quis est ille, qui vnquam euaserit istud væ? sed quomodo dicimus de Virgine de isto væ *Aue*, id est, sine doloris? Cū væ, vt dicit, Daman. dolores partus fuerunt ei reseruati in passione filij, tunc enim animam eius pertransiuit gladius, vt prædixerat Simeon. Et ibi dolores, vt parturientis. Vtique ex his, quę dicit Sen. probatur fuisse sine eo. Dicit enim sapiens: nō turbatur, vel contrista tur quicquid acciderit ei. Et hoc sic probatur. Validius est, quod lædit eo, quod lædi tur. Nequitia autem non est fortior virtute sed infirmior. Non læditur autem, quis nisi à malis: ergo non læditur sapiens, dolor autem est de lęsione. Item alia ratione, diuinitati non nocetur, sed omnis sapiens participatione Deus est: ergo sapienti non nocetur. Dolor autem est de læsione. Dolor etiā est de nocumēto. Item tertia ratione sic probatur: omnis iniuria est alicuius rei, quæ perdi potest. Sapiens autem nihil potest perdere omnia in se reposuit. Nihil credit fortunæ, bona sua habet in se solido, nihil autem cupit fortuna, quod non dedit. Nulla ergo turbatio cadit in sapientem, id est, virtuosum, hunc enim appellat sapientem. Sed omne væ doloris est turbatio, hunc enim appellat sapientem. Virgo autem MARIA proculdubio fuit omni sapiente sapientior, & perfectior: ergo in ea non fuit væ doloris. Et hoc vtique verum est, quantùm ad rationem fuit in omnibus super omnes potentias suas ordinatissima ratione superiore semper dominā te inferioribus viribus. Vnde quicquid doloris sustinuit in corpore secundùm sensualitatem, vt in passione filij maximum: totum cessit et in materiam amoris, & gaudij secūdùm rationem. Et sic in ea dolor maximus in passione filij secundùm sensitiuam nūquam contrarius fuit gaudio rationis, quod habebat ex cogitatione, quia ex passione filij sequebatur Dei honor ex redemptione humani generis. Sine væ ergo doloris in ratione fuit. Quamuis autem in cæteris sapientibus, & perfectis viris hoc aliquando fuerit, vt scilicet, secundùm rationem non habuerint turbationem, vel dolorem in aduersis, non tamen ita vniuersaliter, quin aliquando turbatus fuerit, & obfuscatus oculus rationis, etsi non excæcatus. Tertium væ, scilicet pudoris incurrit homo per peccatum. Nam in statu innocentiæ dicitur Genes. 3. quòd *erant nudi ambo*, scilicet Adam, & Eua, *& non erubescebant*. Sed post peccatum videntes se nudos, erubuerūt, vnde propter pudorem fecerunt sibi perizomata ad cooperiendum ignominiam suam. Est autem erubescētia timor de turpi præsenti, vel præterito, cui omnes subijcimur, quia omnes facimus confusione digna. Psalmus 63. *Tota die vere cundia mea contra me est.* Sed ab hoc væ fuit immunis Virgo MARIA, quia nihil turpitudinis vnquam gessit, vel in se habuit nihil inordinationis. Quod autem Ambrosius, dicit de ea, quòd erat intenta operi, verecūda sermone, vult dicere, quòd in exteriori cōuersatione ostēdebat verecundiam ostēdēs necessariam maximè iuuenibus, & mulieribus, non quòd ratio eam argueret de aliqua turpi re præsenti, vel præterita. Ex parte coniuncti, id est animæ cum corpore reperitur in humano genere triplex væ, scilicet, ignorantiæ, culpæ, & pœnæ. Ignorātia magna est in omnibus, *nescit enim homo finē suum*, Eccles. 9. quoad corpus, & quoad animam, nam ignorat diem mortis suæ, & quò perget, ad pœnam, vel gloriam. Et in vita, vt dicitur Eccles. 9. *Nemo scit vtrum odio, vel amore sit dignus*, id est, si sit in gratia Dei, vel nō. Sed Beata Virgo MARIA ab isto væ fuit liberata, quia certa erat nō solùm, quòd gratiam Dei habebat, sed etiam quòd plena gratia, Angelo sibi nunciante, qui mentiri nō potest. Sciuit enim per reuelationem diem mortis suæ, & quòd maximam gloriam consecutura esset. Væ culpæ est triplex, quia culpa originalis, culpa mortalis, & culpa venialis. De primo Ierem. 15. *Væ mihi mater mea, quare genuisti me virum rixæ?* Ex conceptu enim contrahitur originale, cum quo nascimur cum rixa carnis, & spiritus, & ab hoc fuit libera Beata MARIA, quia etsi cōcepta in eo, vt cæteri, tamē nata sine eo, sanctificata in vtero. Neque enim festiuis laudibus celebraretur, scilicet, natiuitas eius: si nō sancta nasceretur, inquit beatus Bernardus, in sermone. Etsi aliqui sancti, vt Ioan. Baptist. & Ierem. fuerunt in tanta copia gratiæ, nec ita citò. Nam infusa anima in corpore, piè credi potest, quòd eadem die fuerit ab illa culpa emundata. Ad quod facit, quod ait Psalmus 45. loquendo de sanctificatione tabernaculi altissimi, quòd tabernaculum nulli dubium fuit Beata Virgo. *Adiuuabit eam Deus mane diluculo*; adiuuauit, dando ipsi Virgini gratiam adiutricem ad vincendum ex omni parte peccatum. Mane, id est, in principio suæ animationis, cùm recepit animam cum luce intellectus diluculo, id est quàm citissimè. Væ culpæ mortalis, vel actualis plurimi incurrūt, quod nisi emundetur per penitentiam à pec-

Genes. 3.
Psal. 63.
Eccles. 9.
Eccles. 9.
Ierem. 15.
Psal. 45.

peccatis cessando sequitur aliud væ æternæ damnationis, de quo potest illud Apocal. 9. exponi, *vnum væ abijt, ecce aliud væ*. Væ vnum est culpa, quæ abijt moriendo, quia cessat, quis peccare, sed sequitur aliud væ æternæ damnationis, & potest dici illud, Psalm. 73. *Tu*, scilicet Deus; *confregisti capita draconum in aquis*. Capita draconum sunt septem vitia capitalia. Vnde & Ioan. Apocal. 12. vidit draconem, qui insidiabatur mulieri, habere *septem capita*. Hæc capita confriguntur in aquis gratiarum, quæ fuerunt in MARIA plenissimè, vt de ea possit illud intelligi, Genes. 1. *Congregationesque aquarum appellauit MARIA*, producto hoc nomine non correptè prolato secundùm literam, MARIÆ enim, vt ait beatus Hieronymus, plenitudo gratiæ se infudit. Fuerunt septem capita draconum, id est, vitia capitalia confracta in MARIA, & quoad seipsam, quia nullum eorũ habuit, & quoad nos suo merito, & exemplo, ac filio suo. De septemplici væ peccati mortalis, dicit Esai. 1. *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis, dereliquerunt Deũ, blasphemauerunt sanctum Israel abalienati sunt retrorsum*. In qua auctoritate notantur septem capitalia vitia, quibus debetur væ æternæ dãnationis à quibus omnino fuit MARIA libera. Et ideo benè ei dicitur, *Aue*, id est, sine væ huiusmodi. Primũ est vitium gulæ. Et huic dedita gens dicitur peccatrix, quòd importat habitum permanentem. Nullum enim vitium est in nobis ita permanens, vt gula, habituatum, quasi in nobis, & quod citius exerceatur. Nã puer totus est gulæ deditus. Et quis est ille, qui vltra metas necessitatis non rapiatur in cibo, & potu? Quod cùm mortale est, præparatur ei væ æternæ damnationis, secundùm illud Esai. 5. *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, &c.* Ab hoc Beata MARIA libera fuit. Secundum caput draconis est accidia, hi est populus grauis iniquitate. Nam accidia aggrauat animam, vt nil boni agere libeat. Sed *væ dissolutis corde*, dicitur Eccl. 2. Tertium caput est luxuria. Et hæc est semen nequam, quia nequiter effundit semen. *Sed væ, qui opulenti estis in Sion, qui lasciuitis in stratis vestris*, habetur Amos. 6. Quartum caput est auaritia. Et dediti huic vitio sunt filij scelerati. Auaritia enim nihil scelestius. *Sed væ his, qui congregant auaritiam*, inquit Propheta. Quintum caput est superbia. Et hi sunt, qui dereliquerunt Deum. Per nullum enim vitium recedit, quis à Deo, & bellat contra eum, sicut per superbiam. *Sed væ coronæ superbiæ*, scribitur in Esai. 28. *Detracta est enim ad inferos superbia tua*. Sextum caput est ira, per

Apoca. 6. — Psal. 73. — Apoc. 12. — Genes. 1. — Esai. 1. — Esai. 15. — Eccles. 2. — Amos. 6. — Abac. 2. — Esai. 28.

A hanc homines pessimi blasphemauerunt sanctum Israel. Sed dicitur Eccles. 2. *Væ his, qui perdiderunt sustinentiam*, id est patientiam, *victi ab ira*. Septimum caput est inuidia, inuidi autem abalienati sunt à Deo retrorsum. Deus omnia sua bona communicat, inuidus autem dolet, quòd aliquis extra se habeat bona, vnde alienus à conditionibus Dei. Sed dicitur in Epistola Iudæ. *Væ illis, qui abierunt in viam Cain, & Core*, Iudæ 1. Hi ex inuidia moti sunt, primus contra Abel, alter contra Moysen. Ab omnibus his fuit libera MARIA: nam abstinentiæ dedita, vt ostendit beatus Ambrosius. Ab accidia libera cuius spiritus exultauit semper in Domino operata. A luxuria aliena, quia Virgo. Auaritiæ nescia, quæ omnia sua communicauit pauperibus. Contra superbiam humillima, quia respexit humilitatem, &c. Nil in ea iræ, quæ inter omnes mitis, vt in passione filij. Inuidia nunquam in ea, quæ salutem omnium semper optabat. De væ culpæ venialis, cui debetur pœnæ Purgatorij, si non purgatur, potest intelligi illud Micheæ Prophetæ 2. *Væ vobis, qui cogitatis inutile* Nam cogitationes inutiles communiter sunt venialia peccata. Sed ab omni culpa actuali, mortali, & veniali fuit libera Virgo MARIA, de quibus loquitur beatus Augustinus, cum ait in libro de natura, & gratia. Cùm de peccatis agitur nullam prorsus volo de ea haberi mentionem. Ea excepta, omnes sancti, & sanctæ cùm viuerent, cum Ioanne Euangelista sanctissimo dicerent. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus*, actuale, saltem veniale perpetratum, *ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*. Væ tertium, scilicet, pœnæ est consequens ex peccato pœnitudo, quia conscientia remordet de malo, iuxta illud beati Augustini, in libro confessionum. Iussisti Domine, & sic est, vt omnis inordinatus animus ipse sibi pœna sit. Et Philosophus in Ethi. Omnis malus impletur pœnitudine, vel etiam væ pœnæ est inclinatio ad alia mala perpetranda. Vnde Greg. Peccatum, quod per pœnitentiam non deletur mox suo põdere ad aliud trahit. Et licèt per baptismũ fomes peccati, id est, inclinatio ad malũ minuatur, vt nõ dominetur, nõ tamẽ extinguitur, quin incitamentum ad illud sæpe exurgat. De quo væ pœnæ potest intelligi illud Micheæ *Væ eis, quoniam recesserunt à me*, scilicet peccãdo. Sed ab huiusmodi fuit immunis B. Virgo MARIA, quia cũ nullum commiserit peccatum, non habuit pœnitudinem de eo, nec aliquam inclinatio nẽ ad malum. *Tota pulchra es*, de ea dicitur in Cant. 4. *& macula non est in te*. Aptè ergo ei dicitur, *Aue*, id est, sine væ igno-

Eccles. 2. — Iudæ 1. — Mich. 2. — 1. Ioan. 1. — Mic for. oscul. 7. — Cant. 4.

rantiæ, culpæ, & pœnæ prædictis.

§. VI.

FVit Beata MARIA sine væ, quod contingit omnibus matribus. Vnde Dominus
Matt.24 Iesus. *Væ prægnantibus, & nutrientibus.* Matth.24. Est autem istud væ triplex in matribus, scilicet damnificentiæ, indigentiæ, & afficientiæ. Damnum autem triplex incurrit fœmina, cùm mater efficitur, scilicet, quia in conceptu perdit virginitatem, thesaurum irrecuperabilem. Post conceptum venustatem, & sanitatem. Non enim mulieres grauidæ apparent ita pulchræ, vt priùs, nec sanę, quia subijciuntur multis alterationibus propter conceptum. In partu autem perdunt hominum societatem. Non enim possũt viri accedere ad eas. Sed ab huiusmodi fuit libera Virgo MARIA. Nam in conceptu non amisit virginitatem, sed aucta est puritas eius. Rubum, quem viderat Moyses incombustum, cõseruatam agnouimus tuam laudabilem virginitatem Dei genitrix, canit Ecclesia. Pulchritudinem non minuit ex conceptu, immo est ita adaucta pulchaitudo eius, quòd Ioseph non cognouit eam, donec peperit filium, quia vt dicit Glos. tantus splendor, tanta pulchritudo exibat ab ea, vt facie ad faciem nõ fixè posset aspicere in eam, & meritò, quia splendor æternæ glorię erat in ea. Nec tamẽ hoc alijs apparebat. In partu nõ perdidit hominum societatem, sed pastores eam visitarunt, & paulò post Reges Tharsis sancti Magi. Item matres incurrunt væ indigentiæ. Nam ad concipiendum indigent compare, id est, viro, ex quo concipiãt, post conceptum egent quiete, in partu obstetricatione. Sed ab huiusmodi væ libera fuit Beata MARIA, quia non ex virili semine, sed mystico spiramine Verbum Dei factum est caro de Virgine MARIA. *Quod enim in ea natum est*, inquit Angelus, id est conceptum, *de Spiritu sancto est*. Matth. 1. id est,
Matth.1 opere Spiritus Sãcti. Non eguit quiete, quia non ex eo debilitata, sed roborata fuit, vnde & subitò abijt in montana ad visitandum Elisabeth, & seruiendum ei in partu eius, vt dicit Hieron. Nulla enim obstetrix, nulla ob
Esai.35. sequia mulierum. Esai. 35. *Germinans germinabit*, scilicet Virgo pariet lætabunda, id est, laudans, circunstantibus Angelis, & canentibus. Gloria in excelsis Deo. Tertiò, matres incurrunt væ afficientiæ, quia afficiuntur in conceptu libidine, in portãdo in vẽtre, grauedine, in partu maximo dolore. Sed Beata MARIA sine huiusmodi væ fuit. Nam concepit sine libidine. Vnde Angelus, Virtus altissimi obumbrabit tibi, id est, refrigeriũ præstabit, vt sine ardore alicuius libidinis concipias, sine grauamine filium in A ventre portauit, Esai. 10. *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem*. Nubes est Virgo MARIA, quæ grauamen in portando non habuit, & ipsa sola peperit sine dolore Saluatorem seculi. *Esai.10.*

§. VII.

QVod est speciale fœminis est triplex, scilicet, sterilitatis in virginibus, subiectionis, & corruptionis in coniugatis, desolationis in viduis, vt de se patet. Sed Beata MARIA in quolibet statu fuit sine tali væ. Virgo fuit cum fœcunditate diuinę prolis. Coniugata fuit sine corruptione, quia ipsa
B cum sponso in virginitate permansit, libera ab eo, quod de alijs dictum est fœminis. *Sub viri potestate eris*. Genes. 3. Nõ enim fuit *Genes.3.* subdita Ioseph, sed ipse ei, quia & filius Dei subdita erat ei. Vidua postea, sed nõ desolata, sed filio naturali associata, & post mortẽ eius, filio adoptiuo Ioanne. Ergo, *Aue*, id est, sine omni væ.

De nomine Virginis MARIÆ.

Capit. 14.

NOmen *Virginis MARIA*, Luc. 1. Hoc autem proprium nomen Virginis An-
C gelus in salutatione reticuit, sed Ecclesia addidit. In quo posset videri alicui erratum vel ab Angelo nomen ipsum omittendo, cùm tamen in salutatione soleat nomen salutare exprimi, vel ab Ecclesia non videtur rectè factum, addendo verbis sacræ Scripturæ, cùm Dominus mandarit in Deuter. Non addetis verbis his quicquam, nec minuetis, & Ioan. Apocal. vltim. ait *Si quis apposuerit ad hæc*, scilicet verba, *apponat ei* *Apo.vlt.* *Deus has plagas*, quæ scilicet, sunt in isto libro, sed ad hæc respondetur, quòd à nullo erratum est, sed rectissimè factum est. Angelus enim dignissimè salutando nouæ dignitatis nomine salutauit, vt per mutationem nominis mutatio status figuraretur, & eminentia dignitatis. Quando
D enim quis assumitur ad magnam dignitatem mutatur nomen, vt patet in Papa, quod & Dominus Iesus fecit de Petro, dicẽs. *Tu vocaberis Cephas*, id est Petrus. Angelus ergo de proprio nomine, quod est MARIA mutauit nomen dicens, gratia plena, hoc autem nomen, quod est gratia plena huiusmodi circunlocutio est tantùm proprij nominis Beatissimæ Virginis, & personæ ipsius, quod nulli alij conuenit propriè, nec Deo, nec creaturis, sed quod plenitudo gratiæ intelligitur susceptiuæ. Constat enim, quòd Deus non est gratiæ susceptiuus,

sed

sed datiuus. Nulla autem pura creatura est plena gratiæ susceptiuæ, præterquàm Beata Virgo, quæ tantam suscepit, quòd pura creatura magis suscipere non potuit. Vnde hoc ei ita proprium fuit, quòd nulli alij conuenit. Ideo Angelus ei hoc nomen imposuit, dicens gratia plena. Ecclesia tamen addendo, gratia plena, MARIA, non errat, vel indecenter agit, quia non apponit ad verba Scripturæ sacræ aliquid falsum, vel contrarium ei, quod prohibetur per auctoritates supra inductas. Nam per id, quod dicit, cum Angelo, gratia plena, quod nomen exprimit suam dignitatem, & per quod addit MARIA, intendit eam inclinare ad nostram necessitatem subleuandam. Ipsa enim quæ est gratia plena, per influentiam diuinæ bonitatis, data est nobis stella maris, quæ est interpretatio MARIÆ, vt eius plenitudo gratiæ in nobis suppleat defectum eu pæ in via. Et ipsa stella in firmamento gloriæ fixa, nos naufragos de statu miseriæ traducat ad portum salutis æternæ. Et ideo aptè dicitur. *Aue MARIA, nomen Virginis*, inquit Euangelista, *MARIA*. Non in datiuo, dicit, nomen Virgini, sicut dicit de Ioseph. Cui nomen erat Ioseph. Nam Ioseph ex sponsalibus cum MARIA acquisitum est sibi, & datum augmentum virtutum. Sed in genitiuo dicitur nomen Virginis MARIA, qui genitiuus significat possessionem, non enim tunc ei datum fuit, vt esset stella maris, sed iam possedit, & in hoc nata fuit, vt omnes illuminaret præcedentes, & sequentes, quia nisi per fidem Verbi incarnati, vel incarnandi de hac Virgine explicitam, vel implicitam nulli salus extitit. Satis verisimile est, quòd cum mulieres non circuncliderentur, sed mares, in qua circuncisione octaua die natiuitatis suæ celebrata imponebatur ei nomen, fœminis ipsis die suæ natiuitatis nomen imponeretur. Et sic die, qua nata est, impositum est ei nomen MARIA à parentibus, secundùm Angelicam reuelationem, de qua stella oriunda prophetauit Balaan dicens. *Orietur stella ex Iacob*, id est, Virgo MARIA, ex genere Iacob. Numer. 24. & in festo natiuitatis eius canit Ecclesia. Stella MARIA maris hodie processit ad ortum. Rectè igitur nomen Virgini MARIA. Nomina enim imponuntur rebus, secundùm proprietatem earum. Et quia Virgo ista habet similitudinem ad proprietatem stellæ maris, ideo nomen eius MARIA, quod interpretatur stella maris, vt declarabitur, ideo nomen eius MARIA. Vbi tria notantur circa hoc nomen. Primò nominis, interpretationem applicandam. Secundò nominis, d riuationem adaptandam. Tertiò nominis literationem appropriandam.

Num. 20

§. I.

QVantùm ad primum, sciendum, quòd MARIA interpretatur Domina, vel illuminata, seu illuminatrix. Ac etiam stella maris secundùm beatum Hieronymum in libro interpretationum. Ipsa enim Domina omnium, cùm filius eius sit Dominus vniuersorum, ipsa illuminata à Deo, vt luna à sole, & plena omnium illuminationum cœlestium. Ipsa illuminatrix omnium electorum. Vnde canit Ecclesia. Solue vincla reis, profer lumen cœcis, merito, scilicet, & interuentu. Stella quoque maris. Aue maris stella ei dicitur, & super hac interpretatione, alijs omissis, diffusiùs tractemus. Vnde beatus Bernardus super Missus est. Loquamur de hoc nomine, MARIA, quod interpretatur stella maris, & Matri Virgini valde conuenienter adaptatur. Ipsa siquidem syderi conuenientissimè comparatur, quia sicut stella sine sui corruptione profert radium. Sic Virgo MARIA sine sui violatione edidit filium. Nec syderi radius suam imminuit claritatem, nec filius MARIÆ ei suam integritatem. Ipsa namque est nobilis illa stella orta ex Iacob, cuius radius totum orbem illustrauit, cuius splendor etiam præfulget in supernis, in infernos penetrat, terras etiam perlustrans, & calefaciens mentes magis, quàm corpora, fouet virtutes, & excoquit vitia. Ipsa siquidem præclara, & eximia stella super hoc mare magnum & spatiosum, necessario eleuata micans meritis, illustrans exemplis. O quisquis intelligis in huius seculi perfluo magis inter procellas, & tempestates fluctuare, magis, quàm per terram ambulare, ne auertas oculos ab huius seculi syderis fulgore, si non vis obrui procellis. Si insurgant venti tentationum. Si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca MARIAM, si iracundia, aut auaritia, aut carnis illecebra nauiculam concusserit mentis, respice ad MARIAM. Si criminum immanitate turbatus conscientiæ fœditate confusus, iudicij terrore, baratro desperationis incipias turbari, vel absorberi, & tristari in periculis, in angustijs, in rebus dubijs, MARIAM cogita, MARIAM inuoca, non recedat ab ore, non recedat à corde. Et vt impetres orationis eius auxilium, non differas cõuersationis eius exemplum, ipsam sequens non deuias, ipsam cogitans non erras, ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia peruenis. Et sic in te metipso experiris, quia nomen Virginis MARIA, id est, stella maris. Conuenientiùs autè dicitur Virgo MARIA stella maris,

ris, & eis assimilatur propter sex considerãda in stella illa, videlicet substantiam, quantitatem, qualitatem, situm, statum, & effectum. Et quantùm ad substantiam stella illa cœlestis incorruptibilis, & origo lucis, quæ tamẽ conueniunt, & alijs stellis. Sic Virgo MARIA fuit cœlestis conuersatione, vt completiùs dicere posset cum Apostolo. *Nostra conuersatio in cœlis est*, ad Phil. 4. Incorruptibilis fuit mente, & corpore. Nam vt dicit Anselm. Ea puritate decuit, vt niteret, qua maior sub Deo nequeat reperiri. Origo fuit lucis. Nam, vt canit Ecclesia: Angelus cõsilij natus est de Virgine, sol de stella, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Quãtùm ad qualitatem stella illa est superior, clarior, & vtilior, quia est in supremo poli, ideo superior, & Beata MARIA est superior omnium sanctorum, & Angelorum Deo propinquior, clarior est virginitate. Et etiam Beata MARIA stella semper rutilans, semper clara in fide fuit. Omnes aliæ stellæ, id est, Apostoli, & Mariæ ceciderunt amittentes lumen fidei diuinitatis Christi, ipsa nunquam in passione eius. Vtilis est valdè stella maris fœcunditate. Et quis sanctus, vel sancta vtilior nobis hac Virgine, quæ nobis genuit Deum pariter, & hominem omnium Saluatorẽ? Quãtùm ad quantitatem stella maris est minima in apparẽtia nobis, sed maxima in seipsa. Sic Beata MARIA maxima in sanctitate in se, sed minima in sui mente propter maximam humilitatem, *quia respexit humilitatem ancillæ suæ*, ait Lucæ 1. Humilis in corde totum Deo tribuens, humilis in ore, seu locutione, cuius signum rarissima, & breuis locutio eius. Humilis in opere, seruiens cognatæ in partu loco ancillæ ipsa, quæ erat Domina Angelorum. Quantùm ad statum, status stellæ, etsi quasi sine motu, quia est vicina polo, ita modicus est circuitus eius, vt videatur non moueri. Et sine occasu, quia non occidit nobis, vt aliæ stellæ, & sine errore. Sic Beata MARIA est sine motu inconstantiæ, nunquam turbata. Nam quod dicitur: turbata in sermone Angeli, non fuit illa turbatio iræ, sed admirationis in tanta laude ex humilitate. Sine occasu fuit alicuius peccati. Nam etsi *septies in die cadit iustus*, vt ait Salomon Prouerbiorum 24. scilicet venialiter, & igitur in die gratiæ remanens, hæc nunquam cecidit. Fuit sine errore ignorantiæ eorum, quæ pertinent ad salutem, vnde & dicitur *Mater agnitionis*, Eccles. 24. Quantùm ad effectum stella illa attrahit ferrum ad calamitam, sua luce nautas dirigit, & est contra aquilonem. Et Beata MARIA per insertam sibi misericordiam attrahit peccatores ad cœlum per

Phili. 4.

Lucæ 1.

Prou. 24

Eccle. 24.

pœnitentiam, quam eis procurat, naufragãtes in pelago huius mundi ad portum salutis dirigit. Vnde canit Ecclesia. Ad te pia suspiramus. Si nõ ducis, deuiamus. Ergo ad te confugimus. Est etiam contra aquilonem, id est contra diabolum nobis aduersantem, iuxta illud Ierem. 1. *Ab aquilone pandetur omne malum*, sed tu nos ab hoste protege, & in hora mortis suscipe, ei dicimus: Quantùm ad situm dicit, Exastenes, quòd est vna stella infima, quæ polus appellatur, per quem locum mundus ipse æstimatur versari. Quod nulli puræ creaturæ videtur potiùs conuenire, quàm Beatæ MARIÆ, scilicet, mundũ circa ipsam versari. Ad ipsam enim respicere videntur vniuersi, superi, vt restaurentur, inferi vt de limbo liberentur, qui in mundo sunt, vt iustificentur, qui ante nos fuerunt Prophetæ, vt verificentur in suis Prophetijs de Incarnatione filij, qui in præsenti sunt, vt sublenentur à tantis miserijs, qui futuri sunt, vt saluentur. Dicitur autem stella maris, & non stella cœli, vel nauis maris, quia existens ipsa in statu cœlestis patriæ vt stella in cœlo, & non in pelago inquietudine pleno, vt nauis dirigit nos in statu viæ, qui sumus in mari, & ideo stella maris, & non cœli.

Ierem. 1.

§. II.

QVantùm ad secundum principale, deriuatur hoc nomẽ à mari. Et hoc aptissimè, quia sicut *omnia flumina in mare intrant, & mare non redundat*, Eccl. 1. ita in MARIA omnes aquæ gratiarum, quæ fuerunt in alijs sanctis, vel fluuijs, intrauerunt in MARIA Virgine, & tamen istud mare plenum omni gratia non redundauit, excedens terminos suos in aliquam elationem, vel iactantiam. Vnde & beatus Hier. in ser. Cæteris sanctis per partes collata est gratia MARIÆ verò plenitudo gratiæ se infudit. Mare autem dicitur, quasi amarum. Fuit autẽ Beata MARIA mare amarum in cõuersatione amara, scilicet, perfecta sensuũ mortificatione. Nulla enim pura creatura mortificauit ita sẽsus suos ab omni vanitate, & curiositate, vt ipsa. Cũ tamẽ, vt dicitur Ecc. 1. *nũquã satiabitur oculus visu, nec auris auditu*, & sic de alijs sẽsibus erga sua obiecta. Et inde mors peccati intrauit per feneſtras nostras sensuum, quia non clauduntur, vt oportet. Vnde & Beata MARIA assimilatur myrrhæ amaræ, quæ præseruat à corruptione, *quasi myrrha electa*, ait ipsa, *dedi suauitatem odoris*, Eccles. 24. MARIA verò mare amarissimum fuit in passione filij. Nam vt ait Damascenus. Partus dolores fuerunt ei reseruati. In partu igitur naturali peperit sine dolore Saluatorem, immo

Eccles. 1.

Eccles. 24.

cum

cum summo gaudio. Sed in partu spirituali, cùm scilicet, parturiuit nos Deo: *Attendite, & videte, ait, si est dolor sicut dolor meus.* Thren. 1. Sicut ergo ex primo partu dicitur MARIA quasi stella maris, quia sicut sydus radium profert, Virgo filium pari forma sine dolore, sine corruptione, sic in secundo partu dicitur MARIA mare amarum, vbi scilicet, mater misericordiæ adfuit patri misericordiarum in opere summæ misericordiæ, & dolore passionis secum sustinuit; nam ipsius animam pertransiuit gladius doloris immensi, excedentis omnium martyrum dolorem, vt ait beatus Bernardus. Et sic adiutrix facta est nostræ redemptionis, & Mater nostræ spiritualis generationis. Et de hoc duplici partu Virginis dicitur Esai. vlt. *Antequam parturiret peperit, & antequam veniret partus eius, peperit masculum. Quis audiuit vnquam tale, aut quis vidit huic simile?* Peperit primò Beata MARIA sine dolore, & peperit masculum suum primogenitum, quem pannis inuoluit, parturiuit postea iuxta crucem, dolorem immensum sentiendo cum filio in cruce, non vnum, sed multos filios, qui redempti sunt, à Domino, simul quantùm ad virtutem causæ, non simul quantùm ad esse, sed diuersis temporibus, quantum ad applicationem effectus ipsius passionis. Quis vnquam audiuit tantum gaudium, vt in primo? Quis vidit tantum dolorem, vt in secundo partu? Certè nullus, fuit autem figurata hæc Beata MARIA quâtùm ad nomen in MARIA sorore Moysi, & Aaron. Illa enim transito mari rubro, cecinit cum magno gaudio. *Cantemus Domino gloriosè, &c.* Et ista MARIA non solùm Mater, sed soror affectu, & natura summi Sacerdotis Iesu Christi, & ducis populi Israel, populi fidelis post primam natiuitatem in vtero, intelligens in sui initio prostratum Pharaonem inferualem cũ suis, Deo gratias agens dixit: *Magnificat anima mea Dominum.* Sed in mari rubro passionis filij cognoscens mortem nostram per mortem filij destructam, & diabolum prostratum in Resurrectione filij pro nostra liberatione mente Domino decantauit, grãtias agens, & ad hoc omnes inuitans, & amaricatos per pœnitentiam ex amaritudine peccatorum egredientes ad littus salutis suscipiens.

Thrẽ. 1. *Esai. 66.* *Luc. 1.*

§. III.

QVantùm ad tertium, ex significatione literarum huius nominis elicitur sublimitas eius. Quinque enim sunt literæ huius nominis MARIA. Et signatur per hoc, quòd est Mater vniuersorum. Arca thesaurorum. Regina cœlorum. Iaculum inimicorum. Ad uocata peccatorum. Primò est Mater vniuersorum, iuxta illud Sap. 7. *Omnium est Mater.* Quod Albert. super missus est exponit de Virgine MARIA, subdens, quia Mater respectu filij habet quatuor proprietates, quæ sunt genitura, cura, prioritas, & dignitas. Et genitura primò quidem est Mater omnium, quia vnum hominem genuit, scilicet, Christum, & omnes regenerauit. Peperit enim filium suum primogenitum Christum corporaliter. Alios autem omnes sanctos spiritualiter. Ipse enim Iesus non confunditur electos suos Apostolos vocare fratres per Psalm. 21. *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Nam per conceptum eius, & partum ex ipsa Virgine caro, & frater noster est, vt sit ipse primogenitus, scilicet dignitate in multis fratribus, scilicet omnibus sanctis, quos sanctitate præcellit. Nec obstat, si dicatur, quòd filius esse non potest ante Matrem. Sed multi sancti fuerunt antequam Virgo esset in mundo concepta, vel nata, vt patet de omnibus Patribus veteris testamẽti, ergo videtur, quòd respectu illorum non possit dici Mater. Sed respondetur, quòd hoc est verum in esse naturæ, quòd filius nõ possit esse ante patrem, vel matrem in tempore. In esse autem gratiæ non repugnat. Omnes sancti, qui fuerũt ante Christum, salui fuerunt, & gratiam receperunt per fidem Verbi incarnandi de Virgine MARIA, explicitam, vel saltem implicitam, de cuius plenitudine omnes sancti receperunt. Sicut ergo regeneratio spiritualis, per quam, scilicet, habetur esse gratiæ, quoad Sanctos noui testamenti est per fidem viuam Verbi incarnati de Virgine, ita quoad Sanctos veteris testamenti erat regeneratio in esse spirituali per fidem incarnandi de Virgine, quæ Incarnatio fuit in Virgine. Horum igitur omnium regeneratorum spiritualiter per gratiam Virgo Mater est. Item & Angeli cùm recipiant illuminationem, perfectionem, & beatificationem à Iesu. Nam ipse est in *quem desiderant Angeli prospicere*, 1. Petr. 1. Et per ipsum omnia restaurãtur in terra, & in cœlo, ergo & Angeli recipiunt quoddam esse gloriæ à Beatâ Virgine. Quicquid autem est causa causæ, est causa causati. Sed Beata MARIA est causa Iesu, quia mater eius: ergo & causa est aliquo modo gloriæ Angelorum, vt aptè dicatur mater eorũ. Cùm etiã ipsa dicatur ab Ecclesia Mater gratiæ, & Mater misericordiæ, & gratia perducat ad gloriã, & causa sit eius: sequitur, quòd omniũ, qui sũt in gloria sanctorum, etiã qui eã precesserũt tẽpore, in gloria cõsequẽda matere est. Secũdò est mater nostra cura, quia in vno nobis genuit quicquid ad hãc vitã, & futurã nobis necessariũ fuit, vnde ipsa dicit Eccl. 23. *A generationibus*

Sap. 5. *Psal. 21.* *1. Pet. 1.* *Eccl. 24.*

bus meis adimplemini, id est, à bonis, quæ generantur, & profluunt à filio à me genito & sicut de sapientia Dei dicitur: Ipsi est cura de omnibus, ita de Virgine Matre sapientiæ, dici potest, quòd curam habet de omnibus. In cuius figuram cùm *Eleazar* procurator Abrahæ postularet à *Rebecca* virgine pulcherrima, vt potum sibi daret, non
Genes.24 solùm ei obtulit *potum* aquæ, sed & *camelis* suis. Sic virgo pulcherrima mente, & corpore, non solùm curam habet de electis ratione vtentibus, vt sitientibus procuret aquam gratiarum, sed etiam de peccatoribus curam habet, vt animalibus irrationalibus, non petentibus, nec desiderantibus aquam gratiarum procurat. Tertiò quoque dignitate est Mater, quia primogenita est ante omnem creaturam. Nobilior enim est, & perfectior gratia, & gloria omni pura creatura. Quod autem est primum in vno, quoque genere, est quasi causa aliorum. Sicut charitas, quæ est excellentissima virtutum, dicitur Mater virtutum, ita & Virgo MARIA excellentissima creaturarum dicitur Mater earum, non solùm autem spiritualium, sed & rerum corporalium Mater dici potest. *Omnis enim creatura*, inquit,
Rom.8. Apostolus ad Romanos 8. *ingemiscit, & parturit vsque adhuc, expectans reuelationem filiorum Dei*, id est, glorificationem sanctorum in anima, & corpore, quod erit in fine mundi, quia & tunc creatura corporalis insensibilis innouabitur liberata à corruptione, vt elemẽta, & motu, vt corpora cœlestia. Vnde & Ioan. Apocalip. penul. dicit se vidisse *cœlos nouos, & terram nouam*, id est innouatam, quæ innouatio fit per Chri-
Apoc.21 stum, iuxta illud Apocalip. 21. *Ecce noua facio omnia*. Vnde sicut Beata MARIA Mater est Christi, ita & innouationis, & creaturarum innouatarum Mater meritò dici potest. Prioritate etiam dicitur Mater, prioritate, scilicet, prædestinationis. Ipsa enim ante secula prædestinata est, vt esset principium, ex quo recreandum fuit omne creatum, & sic dicitur de ea Prouerb. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, id
Prou.8. est, in principio operum suorum, vt sim prima omnium suarum creaturarum, quæ puræ creaturæ sunt. *Et cum ea eram cuncta componens*, scilicet, recreando quæ per culpam quasi destructa erant. Vnde & beatus Bernardus. Meritò ò Domina respiciunt in te oculi vniuersæ creaturæ, in qua, & ex qua benignissima manus Dei quicquid creauerat, recreauit.

§. IIII.

SEcunda litera est, a, & significat, quòd est arca thesaurorum, quæ figurata est in arca tabernaculi, de qua dixit Dominus ad Moysen Exod 25. *Fac tibi Arcam de lignis Setthim*, quæ vtique arca deaurata erat intus & foris. Et erant in ea vrna, manna, tabulæ legis, & virga Aaron, quæ fronduerant. Ligna Sethim, de quibus fabricata erat Arca sunt ligna imputribilia, & significant thesaurũ virginitatis in summo, quæ in ea fuit. Castitatis enim est ille thesaurus, de quo ait Apostolus, 2. Corinthior. 4. *habemus thesaurum istum in vasis istis fictilibus*, id est, in corporibus. Nam in Angelis, qui non habent corpus, virginitas non est virtus, quia hoc habent à natura, non à pugna, cum gratia. Est autem tanti valoris iste thesaurus, vt dicat sapiens Eccles. 26. Non est digna ponderatio animæ continentis, qui thesaurus si semel amittitur, nunquam recuperatur, quoad præmium aureolæ. Et licèt secundùm Philosophum in Ethic. dicatur incontinens, vnde & vitiosus, qui sustinet pugnam carnis, & deducitur, ac superatur, scilicet, consentiendo concupiscentijs; cõtinens, autem, & virtuosus, qui etsi sustinet tentationes carnis, non tamen deducitur, sed resistit. Insẽsibilis autem, qui nõ sustinet huiusmodi stimulos, vnde nec deducitur. Hoc est verum secundùm naturam, & omnem gratiam. Sed in Virgine per gratiam specialem, non per insensibilitatem, quæ est vitium, hoc habuit, vt cùm esset in carne, nec sentiret stimulos aliquos, & motus etiam primos carnis, nec aliquam inclinationem ad malum. Est ista Arca deaurata intus, & foris, quia plena charitate. Beatus Hieronymus in Sermone de Assumptione eius ait. Totam incanduerat eam diuinus amor, vt nihil esset in ea, quo mundanus violaretur affectus, sed ardor continuus æbrietas perfusi amoris. Aurum enim, quia preciosius alijs metallis, ideo significat charitatem maximam virtutum. Hac ipsa erat circundata in conuersatione exteriori, & actione interiori. Ad opera ipsius charitatis Christus hortabatur Matthæi 5. dicens. *Thesaurizate vobis thesauros in Cœlis* faciendo, scilicet, opera charitatis. In hac Arca est thesaurus misericordiæ, designatæ per manna suauissimum, quem thesaurum postulabat Moyses populo suo, dicens, Numer. 20. *Aperi eis Domine thesaurum tuum fontem aquæ viuæ*, scilicet, misericordiæ, & gratiæ: vnde Mater misericordiæ Virgo MARIA dicitur. Est in ea thesaurus sapientiæ signatus per legem, ibi positam, de quo dicitur Sapient. 7. *Infinitus thesaurus est hominibus*, scilicet, sapientia, de qua ibi loquitur. Nulla enim creatura pura habuit tãtam cognitionem de diuinis rebus

Exo.25. *Matt.5.* *Num.20* *Sap.7.*

& pertinentibus ad salutem, sicut ipsa magistra fuit Apostolorum, & Euangelistarum ad docendum eos de mysterijs Christi. Nec mirum, si thesaurum habuit immensum sapientiæ, cùm in ea Christus requieuerit, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei*, secundum Apostolum. Et qui Christum nouit, ait beatus Ambrosius, thesaurum sapientiæ, & scientiæ nouit, dist. 37. legimus. Est & virga in arca designãs potestatem, & dominium. Nam Regina dicitur cœlorum, & Domina Angelorum. Arca autem ista habetur in tabernaculo, vt pretiosissimum quid. Et ita Virgo in tabernaculo Ecclesiæ pretiosissimum & sanctissimum.

Coloſ. 2.

§. V.

TErtia litera est, r, denotans, quia ipsa est regula viatorum, nam vt canit Ecclesia. Eius vita inclita cunctas illustrat Ecclesias. Habetis inquit B. Amb. in li. de virginibus, in ea exempla probitatis, vt sciatis, quid eligere, quid reprobare debeatis. Reprobare, scilicet, illicita, & eligere virtuosa opera. Hinc & Hieron. in ser. Talibus decebat Virginẽ oppignorari muneribus, vt plena esset gratia, quæ cœlis dedit gloriam, terris Deũ, pacemquè refudit, fidẽ gẽtibus, finẽ vitijs, moribus disciplinam, scilicet, per exẽpla vitæ suæ. Et cùm sit triplex status Ecclesiæ, scilicet virginum, cõiugatorum, & viduarũ in vtroque sexu. Ipsa in omni statu se reperit, vt omnibus regulã daret, Virgo vtique semper fuit ante partum, in partu, & post partũ; docens virgines suo exemplo virginitatem suam Domino dedicare. Ab infantia enim à parẽtibus ad tẽplum adducta, & ibi dimissa à parẽtibus cũ alijs virginibus nutriebatur & instruebatur in lege Domini. *Panem otiosa non comedit*, vt dicitur Pro. vlt. sed *opera ta est consilio manuũ suarum* faciẽs aliquod honestum exercitium manuale. Inuictum ab oratione, & laude Dei spiritum nõ relaxabat: adeo vt cùm vocaretur à quoquã, respõderet per Deo gratias, ne illud momentum tẽporis gratiarum actione vacaret, prodire domo nescia (ait de ea B. Amb.) nisi cùm ad tẽplum accederet, legem Domini hoc mãdãte. Discite ò virgines (ait idem Amb.) non curiositare per alienas ẽdes, non aliquos in publico miscere sermones. O quàm parũ locutam fuisse refertur, cùm tamẽ in verbo offẽdere non posset, vt virtutem primam innueret esse cõpescere linguam! Sciẽs illud Prou. 10. *quia in multiloquio non deest peccatum*. Parum cum hominibus loquebatur, vt copiosiùs posset loqui cum Deo. In salutatione Angelica, quòd turbata est Virgo in laudatione sua, *& cogitabat, qualis esset ista salutatio*, docentur virgines, & personæ spirituales exhorrescere, cùm laudantur, non sibi ipsis complacere, & ad mentem recurrendo se humiliare, nõ omni spiritui de facili credere, cùm in Angelum lucis aliquando se sathanas transferat, sed cogitare, & discutere, si ex Deo sit spiritus apparens. Demum informata de Domini voluntate totam se ei submittens. *Ecce*, ait, *ancilla Domini, fiat mihi secundũ verbũ tuũ*, instruẽs, vt cogitet Virgo quæ Dei sũt quomodo per omnia placeat Deo. Deinde à Spiritu Sancto edocta ante conceptum filij desponsari acquieuit, non in carnalem copulam assentiẽdo, quam per reuelationem nouerat non esse sequendam, sed cum sponso virginitatem conseruandam. Sed in coniugalem societatem sponsum Ioseph assumens antiquum pauperem, & carpentarium, secundum Chrisost. ipsa erat de stirpe Regali pulcherrima inuẽcula, & nobilissima: non dedignans illum accipere, sed eum in reuerentia habens. Vnde cùm filium inuenit in Templo, requirens ait. *Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Præponens sponsum suum sibi, quem patrem vocauit, quia nutritius erat, vel secundùm æstimationem vulgi. Vbi regula datur coniugatis, vt discant vxores subditæ, & reuerentes esse viris, & non dedignari si sunt pauperes, & vilis conditionis. Audiens autem ab Angelo cognatam Elisabeth grauidam, etsi longè maior, & dignior visitat eam, & prima salutat, cum ea manens tribus mensibus ad seruiendum in partu, & leuandum natum Ioannem Baptistam de terra, quem in vtero existentem Elisabeth Virgo salutans, per filium iam conceptum sanctificauerat, & Deum excellenter magnificat, docens coniugatos Deum collaudare, & gratias agere, cùm filios generant. Eos insuper ad Ecclesias, & ad Dei verbum audiendum ducere. Sic enim MARIA & Ioseph paruulum Christum duodennem duxerunt ad Templum, vbi exponebatur lex Dei. In nuptijs quoque nepotis ex matre, scilicet Ioannis, se reperiens, compatiens verecundiæ sponsi ex defectu vini, à filio supplementum procurauit, vt discant coniugatæ necessitatibus suorum prouidere. Vidua autem effecta ex morte sponsi nõ alium responsum duxit. Licèt enim hoc non prohibeatur, status tamen vidualis post vnicum magis collaudatur. Exercitium autem viduarum est ieiunijs, & vigilijs, & orationibus intendere. *Nam viuens in delitijs vidua*, (vt ait Apostolus 1. ad Timot. 5.) *mortua est*. Quod totum faciebat Beata MARIA, vt docet Beatus Ambrosius, in libro de Virginibus. Sequebatur autem filium, audiendo eius prædicationem, & miracula aspiciendo. Status autem viduarũ est communiter cum tribulationibus

Prou. 31

Prou. 10.

Luc. 2.

1. Tim. 5.

& oppressionibus ab alijs. Sic ipsa passa est maximum dolorem in iniusta condemnatione filij, iuxta crucem aspiciens innumera opprobria ei illata, & pœnas: totum patientissimè ferens, sine querela, vel contumelia ad crucifixores. Et ne remaneret sola, ex quo sponsus eius iam mortuus erat, & ipse ab ea per mortem recessurus erat, ideo commendauit eam Ioanni. Post ascensionem autem filij visitabat vidua loca deuotionis, vbi filius fecerat aliquod opus egregium, vt montem Caluariæ, locum natiuitatis, annunciationis, & huiusmodi, cum iam esset, 46. annorum, vel circa. Et sic patet, quòd vita eius est regula omnium.

§. VI.

QVarta litera est, i, insinuãs, quòd ipsa est iaculum inimicorum, scilicet infernalium. Vnde de ipsa dicitur in Cantic. cap. 6.

Cantic. 6 *Terribilis, vt castrorum acies ordinata.* Terribilis vtique Beata MARIA spiritibus malignis. Vnde frequenter ad eam orat Ecclesia. Tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe, quando maiora pro nobis bella mouet. De ea enim sub figura primæ matris

Genes. 3. Eua dictum fuit antiquo serpenti. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius. Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* Genes. 3. Mulier hæc, mater quidem omnium verè viuentium spiritualis, est Beata MARIA. Nam Eua erat mater omnium morientium. Semen eius spirituale est, scilicet, vel sanctæ affectiones, & operationes virtutum ex vtero mentis eius procedentes, vel omnes electi eam, vt boni filij spirituales imitãtes. Serpens diabolus est callidior cunctis. Semen eius sunt vitia, quæ suggerit in mentibus hominum, ad generandum mala opera in eis. Vel omnes mali imitatores eius quos

Ioan. 7. Christus appellat *filios diaboli.* Ioan. 8. Et clarum est, quia diabolus cum membris suis, id est malis, est inimicus Christi, matris eius & cunctorum electorum, & semina eorum ad inuicem inimicantur, quia contraria sunt vitia, quæ suggerit diabolus virtutibus, & bonis operibus Virginis, & filiorũ suorum, & natura contrariorum est mutuò se expellere, vt inimica adinuicem. Contraria est enim humilitas Virginis, & sanctorum, superbiæ dæmonum, & malorum. Sed mulier hæc MARIA prænuntiata est, quòd conteret caput serpentis, quia ipsa ex toto superbiam in se extinxit, quæ est caput, id est, initium malitiæ eius, & aliorum vitiorum. Et etiam primos motus omnium vitiorum, vt scilicet, in ea nõ essent tales primi motus, qui dicuntur caput serpentis, quia principium, quo mordet, & inficit per peccatum. Semen autem spirituale ipsius mulieris, id

A est sanctos, & sanctas cõtrit meritis eius exemplo, & precibus caput serpentis, id est, ipsos primos motus vitiorum, non quidem, vt non sint, sed ne dominentur, & inficiant per consensum. Contriuit etiam caput serpentis, id est dominium, quo erigebat se cõtra genus humanum per benedictum fructum ventris sui, vt qui per lignum pomiferum vicerat, per lignum crucis vinceretur salutiferum. Sed non quiescit serpens, nam insidia ponit calcaneo mulieris, siue ipsius virginis morti, quæ est finis vitæ, quærendo si forte aliquid suum inueniret. *Venit enim Princeps mundi huius*, ait Christus, id est, *Ioan. 14.*
Diabolus ad eum, scilicet, in fine vitæ, si for
B tè quid etiam minimum vitium reperiret in eo. *Sed in me, ait, non habet quicquam,* id est non inueniet aliquid suum, id est, malum peccati. Sic in Virgine in fine vitæ nihil reprehensibile inuenit, quia vt dicitur Cantic. 4. *Tota pulchra es* anima, & corpore, *Cant. 4.*
& macula non est in te, scilicet alicuius minimi peccati. Insidiatur quoque serpẽs iste antiquus calcaneo mulieris quoad semen eius spirituale, id est, electos. Siue in generali in fine mundi, quia tunc soluetur Sathanas de carcere suo super semen suum Antichristum ad perdendum animas. Siue in particulari in fine vitæ cuiuslibet etiam sancti, fortiter tentans ad decipiendum. Sed adiu-
C torio Christi, & meritis eius, insidiæ eius deteguntur, vt superetur, sicut de multis legimus, quos in exitu suo quasi deficientes Virgo liberauit. Denique ipsa est illa sancta *Iudith* figurata, quæ Virgo priùs cõiugata, & postea vidua castissima, deuotissima *Iud. 14.*
& pulcherrima, quæ sua sapientia, & fortitudine interfecit illum terribilem, & superbissimum *Holofernem*, caput eius abscindens. Et sic liberans populum Dei de manibus eius.

§. VII.

QVinta, & vltima litera est, a. In qua ostẽditur, quòd est aduocata peccatorum.
D Vnde in antiphona, quam dicitur cõposuisse Damascenus ei, dicimus. Eia ergo aduocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte. Vt enim dicit Anselmus. Impossibile est, quòd illi à quibus Virgo MARIA oculos misericordiæ suæ auertit saluentur, ita necessarium, quòd hi ad quos conuertit oculos suos, pro eis aduocans, iustificentur, & glorificentur: *Aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum.*
1. Ioan. 2. *Qui etiam interpellat pro nobis.* *1. Ioan. 2.*
ait Apostolus ad Romanos 8. Sed quia non *Rom. 8.*
solùm aduocatus, sed & Iudex est constitutus viuorum, & mortuorum, cuncta vtique discussurus, ita quòd nihil inultum remanebit, poterat fortè humana fragilitas, & præ-

ci-

cipuè peccator, cùm vix iustus ante eum sit securus ad eum accedere tanquam aduocatum. Et ideo pijssimus Deus prouidit nobis de aduocata, quæ tota mitis, & suauis est. Nihil in ea inuenitur asperum, nunquam ex ea processit verbum durum. Hæc est figurata illa prudentissima mulier *Tecuites*, quæ ita sapienter aduocauit apud Regem Dauid in causa *Absalonis* vani, superbi, & fratricidæ, exulis facti propter tantum scelus à Hierusalem, quòd induxit patrem *Dauid* ad misericordiam erga filium, & ab exilio reuocandum. Sic Virgo MARIA pro mundo Deo rebelli, & occisore fratris sui, id est, animi sui propter quod exul constituitur à superna Hierusalem, ita aduocat, & interpellat, vt Deum patrem placet, & conuersum ad potentiam ad gloriam inducat. Vnde Beatus Bernard. Securum accessum habes ad Deum, ò homo, vbi mater stat ante filium, filius ante patrem. Mater ostendit filio pectus, & vbera, filius ostendit patris latus, & vulnera, ibi ergo nulla poterit esse repulsa, vbi sunt tot amoris insignia. *Ad thronum igitur eius*, scilicet, Virginem MARIAM, in qua quieuit, *accedamus cum fiducia*, ait Apostolus ad Hebr. 4. vt misericordiam, & gratiam consequamur in tempore oportuno, Amen. In ea non solùm reperiuntur Dei perfectiones ex ibi narratis, vt omnipotentiam in Genesi, & mundi creatione, Dei clementiam in Exodo ex liberatione in exitu Israel de Ægypto. Reuerentiam & maiestatem in Leuitico ex sacrificijs, & ceremonijs. Eius patientiam in libro Numeri. Fortitudinem in bellis Iosue. Longanimitatem, & misericordiam in libro Iudicum. Prouidentiam in libris Regũ, & huiusmodi, & sic de alijs, &c. Sed etiam quæcunque ibi scripta, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per exempla, & dicta eorum, qui ibi laudantur, curramus per viam virtutum ad brauium supernæ vocationis. Respice ibi & inuenies Abel deuotionem, Enoch contemplationem, Noe credulitatem, Abrahæ fidelitatem, Isaac patientiam, Iacob prudentiam, Ioseph castitatẽ, Moysis charitatem, Phinees sanctam æmulationem, Aaron deuotam oblationem, Iudæ audaciam, Iosue confidentiam, Othoniel rectitudinem, Sansonis fortitudinem, Booz æquanimitatem, Samuelis integritatem, Iob redarguti ones, Tobiæ correptiones, & monitiones, Dauid misericordiam, Salomonis pœnitentiã in Ecclesiaste, Heliæ zelum pietatis, Helisæi zelum æquitatis, Esaiæ stabilitatem, Hieremiæ magnanimitatem, Ezechielis rigorem, Danielis feruorem, Matathiæ singultus, Iudæquè Machabæi cultum, Eleazari amorem patriæ, Raziæ virorem latriæ. In nouo testamento Christi Domini obediẽtiam, Angelorum exultationem, Baptistæ confessionem, Petri longanimitatem, Pauli sublimitatem, Andreæ magisterium in cruce, Iacobi desiderium in luce, Ioannis sapientiam, Thomæ scientiam, Alpheidis iustitiam, Philippi refulgentiam, Bartholomæi nobilitatem, Matthæi veram sanctitatem, Simonis constantiam, Thaddæi reuerentiam, Matthiæ humilitatem, Marci sinceritatem, Lucæ vigilantiam, Barnabæ eminentiam, cum innumeris virtutibus legendis, & tangendis in sola Philosophia, quam Deus pro salute nostra dignatus est mundo misericorditer reuelare. Hæc Ioannes Dominici Cardinalis in Noticula, quæ omnia possunt attribui Beatæ MARIÆ, vt volueris.

2. *Reg.* 14

Hebr. 4.

De plenitudine gratiæ in Beata MARIA Virgine. Cap. XV.

Gratia plena, scilicet, es Lucæ 1. In ista autẽ salutatione, cũ fuerit perfectissima potest primò quæri. Quare Angelus non dixit, gloria plena, sicut gratia plena, cùm gloria sit perfectior gratia? Ad quod respondet Albert. super Missus est, quòd congruè plenitudo gratiæ annunciantur MARIÆ, quæ est origo, medium, & causa omnis gratiæ in humanum genus transfundendò; & secundùm statum viæ, & secundùm statum patriæ, vnde Eccl. 24. ipsa, vt introducit Ecclesia ait. *In me omnis gratia viæ, & veritatis. In me omnis spes vitæ, & virtutis. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini.* Quia verò initium beatitudinis significatur per gratiam, consummatio verò eius per gloriam, hîc autem annunciatur initium beatitudinis, & salutis, scilicet, incarnatio, ideo potiùs dici debuit gratia plena, quàm gloria plena.

Lucæ 1.

Eccl. 24.

§. I.

SCiendum autem, quòd cùm dicatur de pluribus plenitudo gratiæ. Nam de Christo dicitur Ioan. 1. *Plenum gratiæ, & veritatis.* De Apostolis. *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto*, id est, de gratia. De Stephano. *Stephanus plenus gratia, & fortitudine.* Actuum 6. Distinguere oportet, & assignare triplicem plenitudinem secundùm Albert. Est plenitudo effluxiua, non receptiua. Est plenitudo receptiua sine mensura, & effluxiua. Est plenitudo receptiua cũ mensura, & effluxiua. Prima plenitudo est in Deo, qui dat gratiam, & nõ recipit à quoquã Psal. 83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Et nulla creatura potest eam dare, nec etiam Christus in quantum homo, vt ponit Magister senten. in 3. quia ipsa est virtutis infinitæ cum ducat ad bonum infinitum, scilicet, Deo fruendum, omnis autem creatura est virtu-

Ioan.

Actor. 1.

Actor. 6.

Psal. 83.

virtutis finitæ. Nihil autem potest supra virtutem suam. Et hæc plenitudo, quæ Dei est sub figura Assueri, qui interpretatur beatitudo, describitur Esther 15. vbi dicitur: *Esther 15* *Vidi te Domine, quasi Angelum Dei, & conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ, valdè enim mirabilis es Domine, & facies tua plena est omnium gratiarum.* Hæc plenitudinem habuit Virgo MARIA in se: quia Deum in mente plenum omnium gratiarum, sed in ventre per incarnationem. Vnde B. Bernard. Legimus Stephanum plenum gratia, & Apostolos plenos Spiritu Sancto, sed longè dissimiliter à MARIA. In nullo enim alio habitauit plenitudo diuinitatis corporaliter, quemadmodum in MARIA. Nec aliqui conceperunt de Spiritu Sancto sicut, & MARIA. Et sic videtur intelligendum illud Hieron. Cæteris sanctis per partes datur, MARIÆ verò plenitudo gratiæ se infudit, id est, Deus plenus omni gratia. Secunda plenitudo gratiæ est in Christo secundùm humanitatem, nam *requieuit super eum Spiritus Domini*, vt dicitur Esai. 11. *Esai. 11.* cum omni gratia, quam recepit. Sed in hoc est differentia: quia omnibus sanctis data est ad mensuram certam nobis ignotam, sed illi notissimam, qui omnia constituit in pondere, numero, & mensura. Sed homini Christo, id est, animæ eius infusa fuit gratia ab initio suæ conceptionis sine mensura secundùm illud: *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum* Ioan. 1. scilicet, Christo. Vnde in *Ioan. 1.* gratia crescere non potuit, & ex operibus suis infiniti valoris, quia ex perfectissima charitate procedentibus, nõ sibi meruit, sed nobis. *Plenum* igitur Verbum incarnatum *vidimus gratiæ, & veritatis.* Ioan. 1. Fuit *Ioan. 1.* ergo plenus gratia: quia ille homo habuit omnia per gratiam, quæ Deus habuit per naturam, & præterea nulla gratia fuit in eo diminuta, vel otiosa, vel habés aliquid contrarium. Etiam hæc gratia fuit vnionis. Plenus autem fuit veritate: quia anima illa in Verbo, cui erat vnita, omnia cognouit ab initio sui, quæ vnquam actu fuerunt, sunt, & D erunt. Et Isidor. dicit, quòd Trinitas sibi soli nota est, & homini assumpto. Et quia anima Christi carni fuit vnita in ventre Virginis, sic etiam potest dici, quòd ista plenitudo sine mensura fuit in Virgine, vt dicatur gratia plena: quia anima Christi plena summa gratia habituali simul cum corpore fuit in vtero Virginis. Non tamen Beata MARIA ita plena fuit gratia quantùm ad animam, seu affectum, quin potuerit in ea crescere. Nec ita plena veritate quantùm ad intellectum, quòd in via cognouerit omnia, vel etiam cognouerit Deum per speciem, sicut sancti in gloria. Sola autem Virgo MARIA plena gratia fuit inter puras creaturas: quia maiorem gratiam habere non potuit. Nisi enim ipsa Deitati vniretur, maior gratia non potuit intelligi, quàm quòd de ipsa acciperet, quòd vniretur, hoc est quod nisi ipsa esset Deus, maior gratia intelligi non potest, qua quòd esset Mater Dei. Hieron. Quod natura non habuit, vsus nescivit, ignorauit ratio, mens non capit humana, pauet cœlum, stupet terra, omnis creatura etiã cœlestis miratur, hoc totum est, quòd per Gabrielem nunciatur, cùm dicit; gratia plena, & per Christum impletur carnem de ea assumens. Tertia plenitudo, quæ est receptiua cũ mensura tamen, & effluxiua, quæ est quidam habitus mentis, Deo gratam creaturam faciens, & omnia eius, quæ ab ea procedunt meritoria, & digna vita æterna. De qua Apostolus ad Roman. 6. *Gratia Dei vita æterna.* Et ad Titum 3. *Iustificati gratia ipsius, hæredes sumus secundum spem vitæ æternæ.* Hæc plenitudo replet mentem interiùs, & effluit exteriùs per operationem bonam. Et hæc plenitudo fuit in Beata MARIA, Apostolis, Stephano, & Thabita, quæ dicitur in actibus Apostolorum plena bonis operibus, scilicet, interioribus per charitatem formatis, & eleemosynis, id est exterioribus procedentibus ex fide per dilectionem operantis, magis tamen in MARIA præ cæteris. Quantò enim aliquod receptiuum est magis vicinum principio influenti, tantò magis recipit de influentia eius, sicut patet de igne, & aqua, quantò enim quis magis appropinquat igni, qui est principium, caloris tantò magis calefit, quantò fluuius magis appropinquat mari, quod est principium aquarum, tantò profundior, & copiosior est aqua. Et quia Virgo maximè appropinquat Christo principio effluxiuo gratiæ, nam Mater eius est, ideo plena gratia præ cæteris. Namvt dicitur Ioan. 1. *De plenitudine eius,* *Ioan. 1.* scilicet, Christi *omnes accepimus gratiam* ab eo collatam causatiuè in quantùm Deus, meritoriè, & exemplariter in quantùm homo. Hæc autem effluxio gratiæ, quæ mentẽ implet, & effluit per opus exterius communis omnibus sanctis est triplex secundùm Albert. vbi supra Quidam enim effluunt de interiori perfectione gratiæ ad exteriorem ad sui saluationem, & aliorum per exemplorum ædificationem. Et hæc est communis omnibus sanctis habentibus tempus operandi, & hæc dicitur plenitudo sufficientiæ ad quam tenentur omnes, de qua potest intelligi dictum de Thabita, quòd erat plena bonis operibus. Secundò, alij effluunt non solùm per bonam operationem exteriorem ad sui salutem, & aliorum ædificationem, sed doctrinam salutarem in Ecclesiæ ædificationem. Et de ista dicitur Actor. 1. & 2. *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt* *Rom. 6.* *Titum. 3.* *Act. 1. & 2.*

lo-

loqui. Tertiò alij effluunt non solùm per operationem bonam exteriorem, & aliorum instructionem, sed etiam per animæ suæ, id est, vitæ pro fide positionem, vt in Stephano, qui dicitur *plenus gratia, & fortitudine*, plenus gratia ad conuertendos peccatores, & fortitudine ad tollédos passionis dolores. Et hæc dicitur plenitudo excellentiæ. Secunda dici potest plenitudo abundantiæ. Omnis ista plenitudo in Virgine fuit super omnes excellentiùs, vt dicere valeat. *In plenitudine sanctorum*, id est, gratia sanctorum *detentio mea*. Eccles. 24. id est, detineo omnem plenitudinem gratiæ. Plena fuit operibus bonis, id est, eleemosynis. Vnde & B. Bernard. dicit, quòd in die Purificationis obtulit sacrificium pauperum, par turturum, aut columbarum: quia etsi Magi Reges obtulerant ei paucis diebus ante non modicum aurum, iam illud pauperibus erogauerat. Plena fuit gratia per doctrinæ communicationem, ipsa enim Apostolos, & Euangelistas, & aliorum Doctores de multis instruxit mysterijs. Vnde & Beda dicit super illud. *MARIA conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Luc. 2. quia, scilicet, mente retinebat illa mysteria, vt postea Apostolis ea explicaret, plena fuit tolerantia pœnæ in passione filij, cuius animam pertransiuit gladius doloris, vt plus quàm martyrem eam dicat. Hieron. Aue igitur omni gratia plena. Vnde de ipsa figuratè dicitur sub nomine Esther Reginæ, quæ humilis interpretatur. *Fons paruus creuit in flumen maximum.* Fons dicitur propter abundantem gratiam, & originem eius: quia ex ea Christus, vnde nobis omnibus misericordia, & gratia influxit. Paruus dicitur propter humilitatem, propter quam creuit in flumen maximum, quando, scilicet, nobis genuit Dominum nostrum Iesum Christum, qui ait Eccl. 24. *Ego quasi aqueductus exiui de Paradiso Dei* coopertus, scilicet, carne mortali, de Paradiso, id est, fonte Paradisi Ecclesiæ. *Fons* enim (vt dicitur Genes. 2.) *Egrediebatur de loco voluptatis*, id est, Paradiso, Virgo, scilicet, MARIA plena gratia. *Qui fons diuiditur in quatuor capita.* Effectus enim gratiæ procedentis ab isto fonte ad quatuor partes extenditur. Ad Angelos videlicet, eos restaurando, & lætificando. Ad inferos, Dæmones virtutem eorum extermi nando Psalm. 73. *Confregisti capita draconum in aquis.* Ad Patres, qui erant in limbo à tenebris liberando, ad homines, qui sunt in mundo, iustificando, & à multis malis liberando. Excellentissimè igitur dicitur: *Aue gratia plena.* Nam vt ait B. Bernard. de plenitudine eius omnes recipiunt, captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, Angeli lætitiam, tota Trinitas gloriam, denique Dei filius carnis substantiam.

Actor. 6. *Eccl. 24.* *Lucæ 2.* *Esther 10.* *Eccl. 24.* *Genes. 2.* *Psal. 73.*

A B C D

§. 11.

Nueniſti gratiam apud Deum. Ex his verbis comprehenditur excellentia Beatæ MARIÆ. Et ex eo, quòd dicit Angelus. Inuenisti: Inuenit, ait, nō quia prima in rem gratiæ venit. Nā Angelus priùs in hanc rem gratiæ venit, cùm, scilicet, à principio sibi fuit gratia collata. Sed inuenit, quia ipsam rem gratiæ perditam primò recuperauit humano generi. Hoc Adam non fecit: quia etsi gratiam perditam per pœnitentiam recuperauit, vt dicitur de pœnit dist. 1. sicut primi, hoc tantùm pro se, nō pro toto humano genere procurauit, sed MARIA pro omnibus inuenit: quia per ipsam omnes gratiam rehabuerunt virtualiter, per filium ipsam nobis afferentem, meruit autem hoc de congruo, vnde Beatus Augustin. in serm. O Beata MARIA, quis tibi dignè iura gratiarum, & laudum præconia valeat impendere, quæ tuo singulari meritò mundo succurristi perdito? Et cùm per virtutes gratuitas fit propriè meritum, id est, per opera earum. Et B. Augustin. dicat, quòd humilitas MARIÆ nobis genuit Deum. Et Beatus Bernard. quòd ipsa MARIA est mulier illa Euangelica, quæ *commiscuit sata tria*, id est, Deitatem, animam, & carnem Christi in vna persona coniunxit. Et fermentum ad ea commiscenda, seu fermentanda, fuit fides eius. Et B. Aug. quòd beatior fuit MARIA Concipiendo fide, quā carne. Patet, quòd meruit gratiam nobis perditam inuenire. *Inuenisti*, ait, non creasti gratiam, quia hoc Dei est: quia *gratiam & gloriam dabit Dominus. Inuenisti.* Non semper habuisti, vt filius tuus, de quo Ioan. 1. *Plenum gratia, & veritate. Inuenisti*, non rapuisti, vt Angelus primus, dicens. *Similis ero altissimo. Inuenisti*, non perdidisti, vt primi parentes, qui, vt ait B. Augustin. voluerunt diuinitatem, & perdiderunt fœlicitatem gratiæ, scilicet, & gloriæ. *Inuenisti* non emisti, vt Simon Magus, qui obtulit pecuniam Apostolis, vt emeret gratiam Spiritus Sancti. *Inuenisti*, quia quæsisti: quia qui quærit inuenit, vt Virgo prudentissima, & doctrix fidelissima, sed reddidisti, vt mater misericordissima. *Inuenisti gratiam* Dei miserentis charitate, promittentis veritate, hominis necessitate, tui ad hoc idoneitate. *Inuenisti gratiam* increatam in Deum. Et in illa, & cum illa omnem creaturam. *Inuenisti gratiam* specialem. Et generalem quidem: quia gratia, quæ fuit, & est in omnibus electis, in ipsa fuit, scilicet, gratum faciens. Gratiam specialem, quæ scilicet, fuit in aliquibus sanctis, sed non in omnibus, vt gratiæ gratis datæ Apostolis, & alijs. Gratiam singularem, quæ sibi soli conuenit, vt patet dist. 12. eius

Lucæ 1. *Psal. 83.* *Ioan. 1.* *Esai. 14.*

pri-

priuilegijs. Et de his omnibus plenè infra dicetur. *Inuenisti gratiam* corporalem: quia gratiosa in aspectu omnibus, & in sermone. *Psal.* 44. Psalm. *Diffusa gratia in labijs tuis.* Sed & hanc generalem habuit, quantùm ad corporis resurrectionem cum alijs. Sed ante alios: quia quàm citissimè post mortem. Spiritualem quantùm ad virginitatis integritatem, sed perfectiùs cunctis. Singularem quantùm ad veteri fœcunditatem, & talis mater facta vnigeniti, mater Dei, & plasmatoris omniũ, mater inuiolata, mater intacta. *Inuenisti gratiam apud Deum.* Vbi sciendum, quòd ista præpositio *apud*, tripliciter sumitur. Quandoque enim dicit æqualitatem essentiæ, vt *Ioan.* 1. illud. *Verbum erat apud Deũ.* Ioan. 1. Quandoque æqualitatem secundùm situm, vt quando apponitur ad supra, & infra, sicut dictum *3. Reg.* 2. est 3. Reg. 2. *Positus est thronus matris apud* vel iuxta *thronum Regis.* Quandoque *apud*, & iuxta ponitur respectiuè, sicut dicitur de mulieribus, quòd stabant *iuxta crucem.* *Ioan.* 19. Non quidem absolutè. Sic enim stabat Mater Iesu, & Ioannes iuxta crucem: quia valde prope. Sed aliæ mulieres dicuntur stare iuxta crucem respectiuè, id est, respectu turbæ, quæ longiùs eis erat à cruce. Vnde & *Matt.* 15 alius Euangelista dicit: *Mulieres stabant à longe*, respectu, scilicet, Matris Iesu, quæ absolutè iuxta crucem stabat, & omnibus his tribus modis potest exponi hìc istud *apud Deum.* Nam primò modo sicut filius dicitur esse apud patrem propter identitatem naturæ: quia eiusdem naturæ. Sic MARIA gratiam inuenit, vt sit *apud Deum*, scilicet, filium: quia scilicet eiusdem naturæ cum eo secundùm humanitatem, in qua est vnũ cum matre, sicut in Deitate vnum cum patre. Et verè ista gratia est nimis mirabilis. Secundò modo, scilicet, quantùm ad situm certum est, quòd exaltata est in cœlo super choros Angelorum, vnde & *apud Deum*, id est, excellentiori gradu gloriæ decorata super om- *Psal.* 44. nes puras creaturas, iuxta illud Psalm. 44. *Astitit Regina à dextris tuis*, scilicet, Beata MARIA. Iuxta figuram illam supradictam de matre Salomonis, cuius thronus positus est iuxta thronum eius. Et aptè: quia vna est maiestas Regia in Rege, & Regina, & coæquantur sibi. Inuenit ergo gratiam, vt sit *apud Deum*, id est, excellentiori gloria, quàm aliæ creaturæ. Tertiò modo dicitur *apud Deum:* quia propinquissima fuit Deo respectu aliorum in sanctitate. Vnde & ei familiarissima, vt inueniat gratiam *apud Deũ* pro deuotis eis, & refugium habentibus ad eam in suis necessitatibus. *Apud* ergo *Deum* creatorem, recreatorem, iustificatorem, & glorificatorem, inuenit gratiam ad procurandum omnibus. Vnde & benè, ait Angelus. *Aue gratia plena.*

A *De triplici genere gratiarum. Cap.* 16.

AVE *gratia plena*, hæc plenitudo gratiæ potest intelligi tripliciter, vel quia sum mam, & omnem gratiam habuit, vel quia maior gratia non fuit, vel quia maioris gratiæ capax non fuit. Constat autem secundùm Albert. vbi supra, quia non summam, & omnem habuit: quia gratiam vnionis non habuit, quæ est summa in numero gratiarum, non ipsa, sed filius eius fuit Deitati vnitus. Similiter maior gratia fuit in filio, in quantùm homo, quàm in ea. Vnde dici non potest, quòd maior gratia, quàm sua non fuit. Restat ergo, vt intelligatur tertio modo, B scilicet, quia maioris gratiæ capax non fuit pura creatura, & in statu illo viatorum, nam si aucta est gratia in assumptione, quia dicitur gratia consummata, nunc effecta est in comprehensorum numero. Propterea priuilegia Principum sunt latè interpretanda. Cùm ergo Dominus in priuilegio suo, quod ei mittit per Angelum, dicat *gratia plena*, nullam specificando, erit pro omnibus interpretandum. Præterea Deus infundit suam bonitatem vnicuique secundùm suam virtutem, & capacitatem, vt patet Matth. 25. de *Matt.* 25. Domino, qui tradidit seruis suis *bona sua* vnicuique secundùm propriam virtutem, ergo quæcumque creatura est capax omnis C gratiæ, cuius est capax pura creatura, illa erit plena omni gratia. Talis autem creatura fuit Beatissima Virgo MARIA, ergo ipsa est plena omni gratia, cuius particeps potest esse omnis pura creatura. Vbi sciendum, quòd triplex est genus gratiarum. Est enim gratia gratum Deo faciens propter sui sanctitatem. Est gratia gratis à Deo data propter aliorum vtilitatem. Est gratia priuilegiorum à Deo collata ad singularem sublimitatem. Omnibus his fuit plena Virgo MARIA, vt dicere valeat illud. Eccl. 24. *Eccl.* 24. *In me omnis gratia.* Et ideo *transite ad me omnes, qui concupiscitis me, &c.*

§. I.

D DE prima gratia, quæ solùm reperitur in bonis, dicit Apostolis ad Hebr. vlt. *Optimum est gratia stabilire cor*, ideo autem optimum, quia nil melius in vita. Est enim quid ita pretiosum, quòd ea percipitur bonum infinitum. Vnde Petr. 1. Canon. 2. *Ma* 1. *Pet.* 2. *xima, & pretiosa nobis donauit Deus, vt simus diuinæ naturæ consortes*, & Dij per participationem. Eccl. 40. *Gratia Dei sicut Pa* *Eccl.* 40. *radisus in benedictionibus.* Parat enim nobis Dei visum, id est, aspectum, & secum habet omnem spiritualem benedictionem. Et illis solis dicitur. *Venite benedicti Patris* *Matt.* 25. *mei.* Matth. 25. qui cum gratia ista transierunt de seculo, sed & ista gratia est triplex realiter distincta vna ab altera, & diuersi effe-

effectus. Est enim gratia sacramentalis, est gratia virtualis, est gratia numeralis. Omnis ista gratia fuit in Virgine, & perfectissimè, & ideo verissimè dicitur ei. *Aue gratia plena.* Et de prima gratia, scilicet, sacramentali dicit Magister in 4. quòd Sacramentum est inuisibilis gratiæ quam, scilicet, continet, visibilis forma.

§. II.

TRactando igitur de gratia, quæ scilicet, in omnibus septem Sacramentis est varia. Sciendum, quòd sicut quodlibet Sacramentum continet in se gratiam gratum facientem, ad tollendum morbum peccati, vel reliquias eius, vnde & medicinæ animæ dicuntur, sicut quæ auferũt à corporibus morbos, medicinæ corporales, vnde ex quolibet eorum deuotè sumpto recipitur, vel augetur gratia, si non ponatur obstaculum. Ad recipiẽdum igitur talem gratiam talis requiritur actualis receptio Sacramenti, cùm fieri potest. Et ideo si dicimus Virginem plenam hac gratia, oportet etiam dicere, quòd sacramenta susceperit, quod firmat Albert. super Missus est, omnia videlicet sacramenta sumpsisse ordine excepto. Sed & ipsos per æquipollentiam accepit, vt dicetur, sed quia non eis eguit, quia peccatum nullum actuale commisit, originale contractum iam per sanctificationem in vtero matris suæ erat extinctum cùm reliquijs suis. Ideo oportet circa huiusmodi tria videre? Primò quare ipsa sacramẽta susceperit? Secundò quare hoc scriptura reticuit? Tertiò quid vtilitatis ex eis acquisiuit. Quantùm ad primum. Secundùm Albert. vbi supra, sciendum, quòd vt dictum est, Virgo MARIA non accepit sacramenta ex necessitate, vt alij, sed triplici ex causa ipsa sacramẽta deuotè susceperit. Prima ob sui maiorem humiliationem. Secũda, ob aliorum instructionem. Tertia, ob bonorum supererogationem. Quantùm ad primum. Sicut primum documentum, quod dedit nobis, & infudit prima mater Eua fuit superbia, qua voluit se Deo æquari, ita prima MARIÆ virtus, inquit B. Ambr. est humilitas. Hanc nos mater spiritualis in omnibus edocuit. Vnde sicut legalia obseruauit instituta pro peccatoribus, tanquam peccato subdita foret, quo tamẽ omni caret ab, vt patet in sacrificio purificationis, & filij redẽptione, ita etiam sacramẽta, quæ sunt medicinæ principaliter peccatorũ, ex humilitate susciperevoluit, vnde B. Bernard. Verè Virgo MARIA non indiges purificatione, sed nec filius tuus circuncisione. Esto ergo & tu, sicut vna ex mulieribus: sicut ille est vnus ex illis, id est, peccatoribus secundùm apparentiam. Secundò sacramenta susceperit Beata MARIA propter instructionem aliorum, vt perfectos doceret sui exemplo seruare leges superiorum, etiam si non tenerentur. Promulgatum fuerat à Domino per Apostolos omnibus edictum. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti*, scilicet, docẽtes eos *seruare quæcunque mandaui vobis.* Matth. 28. vt de pœnitentia, de eucharistia, & alijs huiusmodi. Voluit ergo Virgo Beata obseruare, & hæc mandata filij, vt inuitaret nos exemplo ad obedientiam. Peccatores etiam instruit, vt non erubescant assumere remedia humilia ad delendum peccata instituta. Erubescunt aliqui peccatores sciri, & ideo non confitentur peccata sua, ne cognoscantur tales esse, quales sunt in malitia, vnde B. Bernard. O nimia insania hominum, pudet ablui, scilicet, per sacramenta, & non pudet inquinari, scilicet, per peccata, pudet sordes abstergere, & non pudet contrahere. Beata MARIA Virgo, cùm esset sine peccato, tamen sacramenta contra peccata in remedium instituta suscepit, ac si esset peccatrix. Tertiò propter bonorum supererogationem, vt dicitur Apoc. vlt. *Qui iustus est, iustificetur adhuc.* Et in Prou. 4. dicitur. *Iustorum semita, quæ est via arcta virtutum, quasi lux splendens proficit, & crescit vsque ad perfectũ diem*, id est, visionem claram patriæ. Tepidorum enim, & imperfectorum est seruare necessaria ad salutem, & non curare in anteriora se extendere, quod periculosũ est, & dispositio ad casum. Sed perfecti considerantes, quòd status gratiæ, & virtutum est quasi infinitus: quia nunquã potest tantũ in gratia proficere quin valeat multò magis crescere, propter, quod dicit Apostolus. *Crescentes in gratia Dei*, scilicet, sitis. Nam vt dicitur Eccl. 18. *Cùm consummauerit homo tunc incipiet*, respectu eius, quod restat ad valendum meritum augere. Virgo igitur MARIA etsi in sanctificatione sua fuerit ex vtero matris plena gratia, & in conceptu filij multò magis repleta, tanta, scilicet, quantæ erat capax pura creatura, non adeo, quòd non potuerit in ea crescere, dum erat viatrix. Hoc enim fuit priuilegium solius Christi, qui gratiam accepit ab initio suo infinitam, ita, scilicet, vt non posset in ea crescere. Et ideo quotidie magis, ac magis, B MARIA in illis exercebatur, vnde posset magis meritum augere, & Deo placere. Et ideo sacramenta sumebat, etsi eis non egeret, vt magis in gratia crescceret per effectum sacramentorum. Quã tùm ad secundùm principale de gratia sacramentali, quare, scilicet, non sunt hæc de ea scripta in Euangelio, vel actibus Apostolorum? Ad quod Albert. vbi supra, assignat sex rationes, sed tantùm tres ponentur. Primò, propter vanitatem nostram reprimendam. Secundò, propter claritatem patriæ appetendam. Tertiò, propter superfluitatem

Matt. 28

Apo vlt. Prou. 4.

Eccl. 18.

tem à scriptura remouendam. Pro primo dicitur in lib. Sap. *Sap. 13.* *Vani sunt omnes homines.* Cùm enim boni aliquid agimus, vanitate gloriæ ducti cupimus illud alijs innotescì, etiam si minimum sit illud, quod Christus prohibuit dicens: *Matt. 6.* *Cùm facis eleemosynam, noli tuba canere ante te.* Matth. 6. Virgo autem MARIA cùm esset excellentissimi meriti, & opera excellentissima plurima fecerit, vt ipsa sacramenta suscipiendo, & multa alia, noluit tamen ea exprimere, vel narrari facere, vt discamus occultare bona opera nostra quando non est necessarium. Sic & filius eius ea, quæ egit vsque ad annum tricesimum vitæ suæ, quæ vtique friuola non fuerunt, sed omnia magnifica, & excellentissima, nec ipse narrauit, nec ab Euangelistis exprimi voluit, vnde B. Gregor. in moral. De prædari desiderat, qui thesaurum, scilicet, bonorum operum publicè in manu portat. Et B. Bernard. Increpat Christi natiuitas se laudantes, & se ostentare cupientes. Vnde nocte, qua Christus nasci voluit, vbi sunt, qui tam impudenter gestiunt ostentare seipsos? Denique tacet Christus, & nunciat Angelus, & laudat multitudo cœlestis exercitus. *Prou. 27.* *Sileat ergo os tuum, & laudet te os alienum.* Pro secundi declaratione Plotinus Philosophus ait. Fugiendum est ad patriam, vbique patere omnia, non fugitur nisi à malo, & miseria. Locus, ad quem confugitur (vt illud euadatur) appetitur. Omnes homines natura scire desiderant, inquit Philosophus, & magna, sed nulla hic perfecta scientia. Et propterea voluit Dominus plura remanere dubia, & non aperta in via etiam circa diuinas scripturas, & circa alias facultates, vt mentes nostras alliciat ad concupiscendum perfectam cognitionem rerum in patria. Vnde in figuram. Exod. 12. de agno paschali dicitur. *Exod. 12.* *Non remanebit ex eo quidquam vsque mane, quod autem residuum fuerit igni comburetis.* vbi Gloss. Quod ex agno remanet comburi mandatur: quia quod de mysterio incarnationis eius penetrare, vel intelligere non possumus potestati Spiritus Sancti humiliter reseruemus, vt non superbè quis audeat, vel contemnere, vel denegare quod non intelligit, sed igni comburatur, id est, Spiritui Sancto relinquatur, donec omnia in futuro quilibet cognoscat, & hoc est inane. Nec tamẽ interim nostra deuotio sine exercitatione torpescat secundùm id, quod ante ibi dicitur, seruetur. *Caput*, inquit, *cum pedibus & intestinis vorabitis, nec remanebit aliquid de eo vsque mane* B. Gregor. Caput agni vorare est Deitatem eius fide percipere, pedes vorare est vestigia humanitatis eius amando imitari, vorare intestina est verborum Christi occulta, & mystica mandata auidè quærere, & intelligere, in quo verbo

A vorationis pigritia nostra reprehenditur, qui verba eius, atque mysteria, nec per nos requirimus, & dicta ab alijs inuiti audimus. Et subditur. Non remanebit ex eo quidquã vsque mane: quia eius dicta magna sunt executienda solicitudine, vt antequam veniat dies resurrectionis, in nocte præsentis vitæ omnia mandata eius soliciti penetremus. Tertia ratio, quare hæc non sunt scripta, est, vt remoueatur superfluitas à scriptura. Bernard. Si nec vnum folium de arbore, nec vnus de passeribus cadit super terram sine patre cœlesti, id est, eius ordinatione, nec ego de ore Euangelistæ superfluum defluere verbũ puto, præsertim de sacra historia. Dicit autem Philosophus, quòd qui vnũ dicit, quod B multa continet, plura dicit, vnde dicito, & pro consuetudine habeto, quòd Virgo MARIA fuit plena gratia. Gratiæ sacramentales, quę communiter fuerunt apud alios sanctos, explicitè hoc dicere de ea superfluũ videbatur cum nulla gratia puræ creaturæ apta vacua fuerit, vnde sicut B. August. de Beata MARIA ponit vnam regulam, scilicet, quod cùm de peccatis agitur, videlicet actualibus, nullam prorsus vult de ea haberi quæstionem, sed firmè teneri, quòd nullum commisit, ita dicit Albert. vbi supra, in bono tanquam pro regula, & principio per se noto de ipsa supponatur, quòd quidquid boni aliqua creatura pura fecerit, vel receperit, de hoc C expers non esse Beatam MARIAM non liceat dubitare, vt à nullo superetur illustriũ, vt dicit Ioan. Damasc. id est, sanctorum. His igitur de causis hoc non expressè scribitur. Quantùm ad tertium, scilicet, quid MARIA receperit ex sacramentis? videdum est, quòd baptismum receperit; creditur non ad purgationem peccati: quia nullum habebat, sicut nec etiam filius eius, sed in exemplum nostrum, equidem Christus ex ipso baptismo nihil gratiæ in se accepit, sed vim regenerationis aquis contulit. Beata autem MARIA non contulit aquis virtutem, sed ex ipso baptismo suscepit virtutem videlicet characteris impressionem, virtutũ exercitationem, D meritorum accumulationem. Vnde non baptismo Ioan. qui ad ista non valebat, sed baptismo Christi baptizata est, sicut etiam B. August. expressè hoc dicit de Apostolis, de consec. dist. 4. quando, licèt non inueniatur in Euangelio. Sacramentum confirmationis accepit secundùm Albert. vbi supra, ad ampliorem meritorum augmẽtationem, & perfectiorem virtutum exercitationem, & declarationem ad alterius characteris impressionem, vt per characterem baptismalem collocetur in numero Christicolarum distincta à Iudæis, & Gentilibus non consignatis, per charitatem confirmationis ponatur, immo Primiceria sit in numero militantiũ pro

Chri-

Christo. Et si non fuit ibi vnctio sensibilis, nō A defuit vnctio inuisibilis. Nam cū B. Thom. dicat in 4. quòd Apostoli fuerunt confirmati in die Pentecostes, misso eis Spiritu Sancto ad robur, vbi loco vnctionis visibilis fuit ignis in forma linguarum per quandam correspondentiam. Nam oleum est fomentum ignis, & lingua correspondet balsami odori. Beata autem MARIA fuit in receptione illa Spiritus Sancti cum Apostolis recipiens, vnde & chrismata cum eis. A Sacramento Altaris susceptо consecuta est Dominicæ Passionis rememorationem, deuotionis actualis exercitationem, contra corporalem absentiam filij consolationem. A Sacramento verò pœnitentiæ recepit gratiam in ex- B cellenti æquipollentia. Nam pro contritione habuit innocentiæ conuersationem. Pro confessione gratiarum actionem. Pro satisfactione supererogationem. Cùm autem sit triplex confessio, scilicet, accusatio peccatorum, recognitio incongruitatis, & ingratitudinis beneficiorum confessio. Et hæc vltima fuit propriè Beatæ MARIÆ confessio. Confitebatur autem secundùm Albertū quòd tantam gratiam accepit, quòd nunquam de condigno eam meruit, vel aliqua creatura promerere potuit, licèt de congruo meruerit. Hæc similia fatebatur Ioanni Euangelistæ, vt credi potest, Confessori suo. In extrema vnctione recepit com- C pletæ victoriæ præteritæ, & plenæ gloriæ significationem. Et loco remissionis venialium totius doloris mortis remissionem. Et pro infirmitatis alleuiatione, totius corporis glorificationem. Et quamuis Beata MARIA potuerit hoc sacramentum non suscipere, exempla per priuilegium, quod Dominus confert his, quos sine infirmitate, & mortis dolore dignatus est euocare, tamen videtur, quòd isti priuilegio suo abrenunciauerit, & sacramentum illud peccatoribus institutum humiliter susceperit, vt humilitate, quam, totam vitam tenuerat, egressum consummaret. In sacramento verò matrimonij cùm sit triplex bonum, omne istud reperitur D in coniugio MARIÆ. Vnde B. August. 27. quæst. 2. omne. Omne nuptiarum impletum est in parentibus Christi, scilicet, fides, proles, & sacramentum. Prolem recognoscimus Christum Dominum filium, scilicet, Virginis non Ioseph. Fidem: quia nullum adulterium. Sacramentum: quia nullum diuortium. Habuit autem Beata MARIA istam gratiam excellentiùs: quia mater tantæ prolis, & quia Mater, & Virgo. Nam vt ait B. August. Coniugia sanctiora sunt pari voto continentium. Sacramentum autem ordinis non habuit. Hoc enim secundùm exteriorem hominis repræsentationem præfert dignitatem. Interiùs autem secundùm veritatem pertinet ad humilem seruitutem. Vnde per oppositum statui Beatæ MARIÆ opponebatur, quæ interiùs habuit coram Deo dignitatem, exteriùs coram hominibus summam habuit humilitatem. Hoc ergo sacramentum Beata MARIA actualiter non recepit, & propter sui cōtrarietatem, & propter humilem cum alijs mulieribus conformitatem. Non enim sexus fœmineus est capax ordinis propter indignitatem, maiorem peccandi fragilitatem, & regiminis incongruitatem. Licèt autem Beatissima Virgo MARIA sacramentum non receperit, quidquid tamen, vel dignitatis, vel gratiæ in ipsis confertur, de hoc plena fuit. Confertur enim in eis septiformis gratia Spiritus Sancti, qua omnifaria plena fuit. Item cùm tria sint in sacramento ordinis, scilicet, dignitas ministerialis, potestas spiritualis, administratio executionis. Hæc autem tria Beata MARIA æquipollenter habuit, & excellenter. Ministri Ecclesiæ habent dignitatem beneficialem per characterem excellentiæ. Beatissima autem Virgo habet coronam Regni Ecclesiæ militantis, & triumphantis. Vnde & summus ministrorum Papa dicitur seruus seruorum Dei. Hæc autem est Regina, & Domina Angelorum, & Imperatrix totius mundi. Item in ministris est potestas spiritualis, temporalis delegata à Deo, & subdelegata, & vicaria. In ipsa enim est plenitudo potetatis cœlestis ex authoritate ordinaria. Item in ministris est executio ligandi, & soluendi per vsum clauium. In ipsa autem est dominandi legitima potestas ad ligandum, & soluendum per Imperium. Et sic quidquid est in ordinibus dignitatis, & gratiæ constat Beatæ MARIÆ minimè defuisse. Et ne videatur specialibus dignitatum, vel virtutum ordinibus caruisse, cum Ostiarijs habuit mundorum introductionem, & immundorum exclusionem. Cùm Exorcistis Dæmonum expulsionem. Cùm Lectoribus prophetiarum expositionem. Cùm Acolytis illuminationem. Cùm Subdiaconibus doctrinæ Apostolicæ ostensionē. Cùm Diaconibus Verbi diuini conseruationem. Et postea cum Euangelistis enarrationem. Cùm Sacerdotibus corporis Christi formationem, contractationem, & coniunctionem. Ipsa à culpis, & pœnis per filium suum nos absoluit. Habet & officia Episcoporum aliquo modo spiritualium, quoniam consecrat templa, & altaria, quæ ad eius honorem fiunt. Consecrat virgines, interiùs cōfirmando, & huiusmodi. Habet Beatissima Virgo cum Papa omnium Ecclesiarum solicitudinem, potestatis spiritualis plenitudinem, priuilegiatorum actuum vniuersitatem. Et sic patet, quòd fuit gratia plena.

De

De gratia virtuali Beatæ MARIÆ Virginis. Cap. 17.

AVE gratia plena, gratia videlicet virtuali. Quidam, vt Magister senten. in 3. dixerunt gratiam, & virtutem idem esse realiter, sed ratione differre, vt gratia dicatur in quantùm inducit ad operandum opera virtuosa. Sed Beatus Thomas in summa probat gratiam realiter distinctam à virtute, vt sicut à Sole procedunt multi radij diuersi ab eo, & ab anima fluunt multæ potentiæ realiter distinctæ ab ea, ita & virtutes omnes procedunt à gratia distinctæ ab ea realiter. Et ipsa quidem gratia, vt in subiecto est in anima. Virtutes verò in potentijs animæ ad B expediendum eas ad bene operandum, omnes igitur virtutes fluunt à gratia gratum faciente. Quam gratiam Virgo Beata habuit plenissimè, iuxta hoc. *Aue gratia plena*, ergo habuit omnes virtutes perfectissimè, vnde ipsa ait Eccles. 24. In me omnis spes vitæ, & virtutis. Et ideo transite ad me omnes, scilicet, pro eis virtutibus: quia ex me, id est, mei suffragio, & exemplo potestis sperare omnem virtutem. Virtutes autem omnes, vel sunt Theologicæ, vel Cardinales, vel eis annexæ. Et Theologicas numerat Apostolus 1. Corinth. 13. dicens. Nunc manent fides, spes, charitas, tria hæc, &c.

Eccl. 24.

§. I.

PRimò ergo videndum est de fide Beatæ MARIÆ, quòd eam habuerit per verba Elisabeth patet, dicētis ad eam. *Beata, quæ credidisti*, scilicet, verbis dictis tibi per Angelum ex parte Dei. Lucæ 1. Credere enim est actus fidei, qui est de non visis. Credidit enim se matrem Dei faciendam, sicut factum est, cùm ait. *Fiat mihi secundùm verbum tuum*. Lucæ 1. Quod vtique non vidit, nec oculo corporali, nec intellectuali clarè. Vidit vtique, & experta est, se concepisse non opere humano, & se peperisse paruulum cum virginitatis honore. Sed quòd ille puer filius eius conceptus, & natus esset Deus verus, non vidit, vt in patria, sed fide credidit, & cognouit sublimiori modo, & interiori gustu super omnes vnquam viatores, vnde fides sua fuit super omnem fidem. Vnde Beatus Bernard. super Missus est. Quis excepta fortasse illa, quæ sola hæc in se fœliciſsimè meruit experiri, intellectu capere, ratione discernere posit, qualiter splendor ille inaccessibilis virgineis se visceribus infuderit, & vt illa, quę inaccessibilis est accedere ad se ferre potuisset, de portiuncula eiusdem corporis cui se anima immediatè contemperauit reliquæ massæ vmbraculum fecerit, & fortè propter hoc maximè dictum fuerit obumbrauit, quia res nimirum erat in sacramento. Et quod sola per se Trinitas in sola, & cum sola Virgine voluit operari. Soli enim datum est nosse, cui soli datum est experiri. Dicatur ergo. *Virtus altissimi obumbrabit tibi*. Hoc est illum modum, quo de Spiritu Sancto concipies, ipsa Dei virtus, & Dei sapientia Christus sic in sui secretissimo Consilio obumbrando coniunget, & obumbrabit, quatenus, qui tantùm est patri notus sit, & tibi. Acsi Angelus respondeat virgini. Quid à me quæris quod in te experieris? Scies & fœliciter scies, sed illo Authore. Ego autem sum missus virginalem conceptum nunciare, non creare, nec potest doceri, nisi à donante, nec potest addisci nisi à susciepiente. Ex hac authoritate B. Bernardi dicit Albert. colligitur, quòd Beata Virgo de incarnatione, & de filio incarnato habuit cognitionem, quæ est supra fidem. Et videtur hoc intelligendum, quòd cognitio illa fuit supra fidem communem, seu omnium viatorum. Nam si clarè, vt in patria talis cognitio excluderet fidem, vel fortè etiam in ipso conceptu, vel partu sibi datum est ad horam, vt videret clarè mysterium huiusmodi, vt in patria, sicut Paulus vidit Deum in raptu, & pro illa hora fuisset fides, & visio. Sed post horam in se reuersus remansit in fide ablata visione. Vnde C & ipse dicit. Per fidem enim ambulamus, non per speculum. *Aue igitur gratia plena, &c.* Sed pro maiori horum declaratione sciendū, quòd visio facialis Dei, id est, per essentiam est id, in quo consistit principaliter nostra vera beatitudo, vt perfectio vltima, iuxta illud, quod Christus dixit Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum*. In hac summa veritas est, & summa bonitas, quæ sic reficit rationalem vim, quòd ex toto eam decorabit, & alliciet, vt nihil aliud quærat videre, & habere, nisi ipsum, aut propter ipsum. Et ideo erit ibi continuatio visionis. Item summum D delectabile, & concupiscibile sic sua suauitate perfundet, vt nihil aliud amet, aut quærat, nisi ipsum, aut propter ipsum. Et ideo ibi non erit fastidium. Item summè arduum summa sui immobilitate irascibile roborabit, & securabit, vt nihil tenere, aut tractare queat, nisi ipsum, aut propter ipsum, & ideo ibi non est fatigatio. Vnde B. August. in vlt. cap. de ciuit. Dei ait. Quæcunque ab hominibus honestè desiderantur, erit Deus finis omnium desideriorum nostrorum. Quem sine fine videbunt, sine fastidio amabunt, & sine fatigatione laudabunt, vnde Beatus August. Ad hoc, vt perueniat anima rationalis oportet, quòd habitibus intermedijs eleuetur. In qua eleuatione sunt

Lucæ 1.

Lucæ 1.

Ioan. 17.

gra-

gradus, & ordo, de quibus dicetur infra. A
Sed prius aduertendum est secundùm Albert. vbi supra, quòd ratio naturalis est cognoscitiua omnium sensibilium creaturarum, & intelligibilium ratione communitatis naturalis, quam habet cum omnibus sensibilibus, & intelligibilibus. De qua commu
Mar. vlt. nitate B. Gregor. in homil. super illud Marc. vlt. *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Quòd nomine omnis creaturæ intelligitur homo: quia commune aliquid habet cum omni creatura, scilicet, esse cum lapidibus, vegetari, seu viuere cum plantis, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis. Ipsa autẽ ratio, cùm sit naturaliter collatiua cognoscit creaturas signum aliquod esse, seu B
vestigium Dei, sicut artificium artificis. Et ex hoc ratio naturaliter est cognoscitiua creatoris, cuius creaturæ sunt vestigia, & signum. Et sic patet, quòd ratio humana habet in sua natura, quòd sit cognoscitiua creaturarum sensibilium, & intelligibilium, & creatoris earum. Et quòd habet desiderium ductiuum ad cognoscendum hæc, quæ dici potest ductus naturalis rationis, qui ex solis naturalibus bonis ducitur tanquam ex primis motibus ex parte ipsius. Similiter ex parte affectus sunt quædam aptudines naturales ad bonum, quas aliqui Philosophi appellabant seminaria virtutum, verbis mouetur anima rationalis naturali- C
ter ad bonum. Ipsa verò anima rationalis sic existens est receptiua habitus multiplicis, scilicet, artium, & scientiarum ex parte virtutis apprehensiuæ. Sed huiusmodi habitus non ducunt rationem vltra motus, vel terminos ei debitos secundùm aptitudinem naturalem, sed sunt facilitates, & directiones quædam ad cognoscendum ea, ad quæ naturali ductu se habet, & hæc sunt habitus acquisiti per ingenium, siue dati, siue infusi. Ex parte verò virtutis motiuæ est receptiua habitus consuetudinalis, qua non erigitur affectus supra ductum naturæ, vel supra, quã naturaliter ratio ducta dictat. Affectum verò sic se habentem cognouerunt Philoso- D
phi quidam non sufficere ad beatitudinem. Vnde Tullius: Sæpe diximus, & sæpe dicendum est naturaliter auidissimi, & appetentissimi; quia honesta sunt nobis innata virtutum seminaria, ita vt si pateremur, & anhelare licet ad beatitudinem, cùm diuino munere natura nosipsos perduceret, sed igniculos natura inditos sæpe retundimus, Ecce secundùm Tullium, quòd exigitur diuinum munus. Est ergo præter huiusmodi habitus anima rationalis susceptiua ignis fidei, quæ est donum fluens à Deo modo nobiliori, & vtiliori, quàm sit modus secundùm quem fluit à Deo natura, & bona naturalia. Huiusmodi autem gratia ducitur anima rationalis ad cognitionem talium, ad quę non poterat ratio ductu suo naturali adiuta arte, vel scientia, vel habitu consuetudinali. Cognita autem huiusmodi sunt Deus Trinus, & vnus. Et Verbum caro factũ, & huiusmodi, ad quæ non sufficiunt bona naturalia sine fide: quia ad hoc natura est parua, & statura pusilla, quæ figuratur. Lucæ 19. in Za- *Lucæ 19.*
cheo, qui cùm non posset videre Iesum, *ascendit in arborem sycomorum*, Glossa, deuotione, scilicet, ndei ad videndum Saluatorem. Et sic patet, quòd fides sursum trahit vltra ductum rationis. Et B. August. in 4. de Trinitate ait, quòd nonnulli mundi sapientes potuerunt aciem mentis vltra omnem
creaturam transferre, & lucem incommutabilis veritatis quantacunque ex parte contingere. Hoc autem videntes, & cognoscentes possunt habere delectationem, & sicut est delectatio in scientia: quia illa veritas eis apparet, vt lucens, & sic eam amant, & non apparet eis, vt purgans, scilicet, à vitijs, & erroribus. Sicut enim cognitio in eis lucis est naturalis ad illam primam veritatem, sic & amor est naturalis ad eam cognitam amandam. Cognitio autem ista naturalis de Deo tantùm, non est sufficiens ad salutem, nec amor ad eam cognitam naturalis, sed requiritur fides, quæ per dilectionem operatur. Et vtrumque, scilicet, fides etiam informis, & charitas est à Deo non à natura. Triplici- C
ter autem possunt distingui gradus, quibus ascenditur in Deum. Primò secundùm ordinem actuum naturalium in se, sicut docet B. Aug. in lib. de quantitate animæ, ponens primum gradum inter actus animæ vegetationem, quæ est nobis communis cum arbustie. Primus gradus videndi Deum. Secundus gradus est sensus, qui est nobis communis cum brutis. In tertio gradu ponit memoriam intelligibilem, quæ est communis doctis, & indoctis, bonis & malis. Quartus gradus est eleuare se supra se, & mundare oculum animæ ab omni terrenitate. Quintus est ipsam custodire, & firmare sani- D
tatem. Sextus est serenum, & respectum rectum in id, quod videndum est, dirigere. Septimus est non iam gradus, sed manßio, & visio ipsa veritatis. Idem eosdem gradus aliter nominat sic dicens. Ascendentibus nobis igitur sursum. Primus actus est, cùm dicitur animatio. Secundus sensus, tertius ars, quartus virtus, quintus tranquillitas, sextus ingressio, septimus contemplatio. Distinguuntur, & hi gradus secundùm actum potentiarum respectu obiectorum, vt primus fit visio in sensu secundùm imaginationem, hic vtique mundo mundique imagine vtitur, vt speculo. Secundus gradus est in imaginatione, hic non mundo, sed mundi imagine vtitur,

vt speculo. Tertius gradus est visio in imagine secundùm rationem, quando ratio magis quæritur, & cum admiratione inuenitur. Quartus in ratione secundùm imaginationē, quando per inuisibilium similitudines ad inuisibilia ratio subleuatur. Quintus in ratione secundùm rationē, quando ex aliquibus cognitis ad alia incognita ratiocinando ratio progreditur. Sextus supra rationem non præter rationem, quando per mentis subleuationem cernit quod naturæ metas transcendit, & ei, quod per aciē intelligētiæ cernitur, natura rerum acquiescit. Septimus est supra rationem, & hoc est speculo fidei, quę est substātia rerū sperādarū, argumentū non apparentium. Octauus est exstasis siue raptus, in quo Rachel, id est, ratio moritur, & Beniamin, id est, perfectio contemplationis generatur. Omnes hi gradus distinguuntur secundùm ordinem potentiarum, & actuum respectu obiectorum. Secundo modo sunt gradus in huiusmodi eleuatione animæ ad Deum secundùm maiorē habitum perfectionum gratuitorum, animam super posse naturæ magis, ac magis eleuantium, & Deo propinquiùs contingentium. Interquos primo gradu eleuant gratiæ sacramentales impedimentą culpæ, & pœnæ remouentes, & fomitem diminuentes, quæ animam trahunt deorsum. Secundo gradu sunt virtutes animam in esse gratuito perficientes per potentiam, & operationem in finem dirigentes. Tertio gradu sunt dona Spiritus Sancti animam per actus excellentiores gratuitos perficientes, & magis fini eam coniungentes. In quarto gradu sunt fructus animam secundùm possibilitatem viæ Deo coniunctam delectantes, & reficientes. Cum his quatuor gradibus à latere currunt beatitudines status perfectionis secundùm modum viæ cōplentes. Tertio modo est ordo in præ dicta eleuatione animæ ad Deum secundùm diuersitatem status subiecti, quod eleuat, & diuersitatem medij, per quod eleuatur. Diuersitas autem status subiecti quadruplex est. Eorum enim, qui eleuantur ad videndum Deum, alij sunt in statu viæ. Alij præter statum viæ. Alij super statum viæ, & iuxta statum patriæ. Alij in statu patriæ. Illi, qui eleuantur ad videndum Deum secundùm modum viæ, faciunt gradus quinque. Primus est videre Deum per vestigium in creaturis. Secundus per imaginem in anima. Tertius fide informi. Quartus fide formata. Quintus est contemplantium. Illi, qui vident prę ter statum viæ, vident per speculum in lumine, & faciunr quatuor gradus. Primus est visio prophetarum communis. Secundus est visio Moysi facie ad faciem, id est, valde familiaris, & assiduè vltra omnem modum prophetarum. Vnde de eo dicitur in lib.

A Numer. 12. cap. quòd loquebatur ei Deus *ore ad os*, non sicut in Prophetis, sed *sicut amicus cum amico suo*. Tertius est visio Ioannis in pectore Domini, de quo B. Augustt. dicit, quod transcendit omnem nebulam, qua omnis terra tegitur, & peruenit ad limpidum cœlum Deitatis claritatem. Et alibi idem ait, Deitatis potentiam limpidiùs contemplans, cum Domino ad cœlum volans, cœlestis sapientiæ haustum de Dominici pectoris fonte limpidiùs cæteris potauit. Quartus gradus est visio Adæ in statu innocentiæ, quæ fuit intellectualiter existens sine omni ænigmate, non tantùm culpæ, sed & pœnæ, & sine omni fomite, & in B natura non deteriorata per peccatum, & ideo est vltima in genere illo. Illi, qui vident supra modum viæ sunt, qui vident sine speculo in lumine. Et faciunt hi tres gradus. Primus est cognitio Adæ in sopore, de qua dicitur Genes. 2. *Misit Deus soporem in Adam*, Glossa. Exstasis illa in Adam ad hoc immissa est, vt mens Adæ intrans in sanctuarium Dei, nouissima intelligeret particeps Angelicæ Curiæ. Secundus gradus est raptus, sicut vidit Paulus, & Ioan. in Apocal. Et de hac visione dicit Glossa, quòd Apostolus vidit Deum in illa vita, qua videndus est in æternum. De visione Ioannis dicitur in Prologo super Apocal. Et sic visionem Pauli, & C Ioannis dicit Albert. ponimus in eodem gradu. Tertius gradus est cognitio Beatæ Virginis in via, quæ omnes prædictas cognitiones tribus gradibus supergreditur. Primum est eleuata puritas: quia excessit omnem viatorem. Secundum est medij eleuantis improportionabilis quantitas, videlicet gratiæ plenitudo, quæ in ea tanta fuit, quòd in pura creatura æqualis esse non potuit. Tertium est eleuantis charitas, scilicet, Dei, qui eam dilexit super omnem puram creaturam, & improportionabili charitate sibi eam sociauit. Et ideo hæc visio eius omnem visionem viæ excedit, & propinquissima fuit visioni patriæ, & tamen citra, quantùm ad actum. Illi autem, qui eleuantur secundùm statum patriæ, vident per speciem, D & faciunt tres gradus. Primus gradus est hominum anima, & corpore glorificatorum. De quo dicit B. Augustt. Hoc minimè dubitandum est, raptam hominis à carnis sensibus mentem, & etiam post mortem ipsa carne depurata Deū videre, sicut vidēt Angeli. Angeli enim vident Deū, ab omni corporali forma, & à corpore separati. Cognitio autem animæ glorificatæ propter vnionem animæ ad corpus est inferioris gradus. Et hoc intelligēdū est secūdū quod natura ordinatur ad naturā. Secūdùm enim esse gratiæ habēt se, sicut excedentia, & excessa. Secundus gradus est visio Angelorum: *Qui semper vident fa-*

Num. 12

Genes. 2.

faciem patris, qui in cœlis est, vt dicitur Matth. 18. Tertius gradus est visionis patriæ. Visio glorioſissimæ Virginis Matris Dei, quæ ſuper omnes puras creaturas limpidiſsimè, & improportionabiliter, & propinquiſsimè Deum contemplatur, & maieſtatem eius, vtpote exaltata ſuper omnes choros Angelorum. Et ideo ſuper tres Hierarchias exaltata, & ſupergreſſa in quarta Hierarchia à dextris, cum filio Dei, id eſt, in potioribus bonis gloriæ eſt collocata. Super omnes has viſiones eſt viſio Domini noſtri Ieſu Chriſti, quaſi quartus modus. Et in hac poſſunt tres gradus aſsignari. Primus eſt viſio Domini noſtri Ieſu Chriſti, quam habet anima eius per gratiam comprehenſionis, qua inter omnes comprehenſores perfectiſſimè videt Deum, & omnia ad ſuam, & ſuorum beatitudinem ſpectantia. Secundus gradus eſt per gratiam vnionis, qua adhuc excellentiùs cognoſcit anima Chriſti naturam diuinam ſibi vnitam, & omnia ad myſterium vnionis, & incarnationis ſpectantia. Vltima viſio Ieſu Chriſti eſt, quæ debetur ei ratione Deitatis, quæ eſt eadem, quæ eſt viſio totius Trinitatis, cuius reſpectu omnes præ dictæ viſiones ſunt quaſi imperfectæ, ſicut creatura reſpectu creatoris eſſentiæ, & huius reſpectu dicit Gregor. quòd eſſentia Dei à nullo plenè videbitur. Et Iſidor. dicit, quòd Trinitas ſibi ſoli nota eſt, & homini aſſumpto. Reuertendo igitur ad cognitionem Beatæ MARIÆ dicimus, quòd cognitio eius exceſsit omnem cognitionem, & modum cognoſcendi, quem habuit aliqua creatura in tribus gradibus, vt dictum eſt. Et præter hæc tripliciter etiam excellit omnem cognitionem omium viatorum, videlicet in perfectionis cognitione, in habitus poſſeſsione, & in modo cognoſcendi cum quiete, & ſine abſtractione, qualis eſt in raptu. Et quantùm ad primum perfectio cognitionis maior debetur ei ratione maioris eleuationis per habitus nobiliores, & excellentiores. Quantùm ad ſecundum in habitus poſſeſsione, nam talem habitum, & actum qualem habuit Paulus in raptu, qui fuit ad tempus, & poſt ſtatim non fuit; ſed habitus cum actu ceſſauit, talem inquam generis habitum, ſed perfectiorem Beata MARIA habuit: quia ſemper, & continuè habuit, quoniam ab eo quo primum Mater Dei facta eſt, & fuit, vſque dum idem habitus in glorioſam cognitionem ſecundum ſtatum patriæ profectus eſt, & ideo continuatio poſſeſsionis debebatur ei ratione maioris perfectionis, quæ huic vitæ ſuper omnes viatores funditus mortua fuit, propter, quod & vita eius cum Chriſto abſcondita in Deo ſemper, & Curiæ Angelicæ præſens intra ſanctuarium Dei habitauit. Quantùm ad tertium. Modus cognoſcendi eius non fuit per modum abſtractionis, exſtaſis, vel ſtuporis, vel etiam ſoporis, hæc enim contingunt propter excellentiam, & improportionabilitatem luminis ad intellectum illuminabilem, vt patet in lumine corporali in transfiguratione Domini, quando oſtendit diſcipulis claritatem ſimillimam claritati gloriæ. Dicitur enim, quòd Petrus, & qui cum eo erant *grauati erant ſomno, & viderè non poterant, & quòd ſtupor circumdederat eos*. Similiter in lumine ſpirituali. Vnde & Paulus excellentia viſionis ſtupefactus dixit. *Vtrum in corpore, & extra corpus neſcio, Deus ſcit*, Hunc ſtuporem Beatiſsima MARIA non habuit, cuius intellectus Dei formalior, & illi luci proportionabilior fuit. Vnde ſicut lux eadē, quæ eſt ægris oculis odioſa, ſanis autē amabilis, & ſicut per eandē lucem clari oculi perfectiùs vident, & ſine perturbatione. Egri autem minùs perfectè, & cum perturbatione. Ita lux ſpiritualis, quæ oculis Pauli fuit improportionata, & ideo raptum fecit, & cum ſtupore; ſed oculis Beatæ Virginis fuit proportionabilis ſine ſtupore, & cum delectatione. Et hoc debebatur ei ſuper Paulum ratione puritatis ſuper omnes viatores. Fuit ergo in Beata MARIA fidei habitus ſicut, & actus, qui eſt in raptu, poteſt eſſe cum habitu fidei, quādiu eſt aliquid de obſcuritate, & non ita plene depurata, ſicut in ſtatu comprehenſorum.

Lucæ 5.

2. Cor. 12.

§. II.

DE charitate Virginis MARIÆ dicitur in Cant. *Vulnerata charitate ego ſum*. Et Eccleſia canit. Vidiſtis eam plenam charitate, ſcilicet, quoad Deum, & dilectione quoad proximum. Exceſsit autem omnem creaturam in charitate proximi. *Ego diligentes me diligo*, ait diuina ſapientia. Prou. 8. Et qui magis diligit Deum, magis diligitur ab eo, ita tamen, quòd *prior ipſe dilexit nos*, vt ait Ioan. in Canon. Maximè autem ſuper omnes puras creaturas fuit ipſa dilecta à Deo. Quod patet ex eo: quia maximum donum ei largitus eſt Deus, vt ſcilicet, filium ſuum dilectiſſimum ſummum bonum ei communicaret, vt communis eſſet filius ſui in Deitate, cuius in humanitate vna, & eadem perſona Deus, & homo. Tria autem exiguntur ad hoc, vt charitas viatoris perficiatur, vt tranſeat in charitatem comprehenſoris in ſubiecto charitatis. Primum eſt depuratio. Secundum eſt ſui in ſe collectio. Tertium eſt eleuatio. Ad primum, ſcilicet, depurationem oportet, quòd fiat ſeparatio à contrarijs diſpoſitionibus in ſubiecto, quæ impediunt per contrarias diſpoſitiones charitatis perfectionem. Sunt autem tria, à quibus debent purgari, & ſegregari, ſcilicet, culpa, pœna, corpulentia. Per omnia iſta tria impeditur perfectio

Cant. 2.

Prou. 8.

2. Ioan. 4.

fectio charitatis in maioribus in statu isto, per secundum tantùm impediebãtur Patres in limbo, scilicet, propter pœnam originalis, propter tertium tantùm, id est, corpulentiam impediebatur Adam in Paradiso. Et de istis tribus impedimentis dicitur in lib. Sap. 9. *Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam.* Vbi corpus notat corpulentiam, corruptio culpam, aggrauatio pœnam. Nec obstat, quòd in Domino Iesu fuit fruitio, vbi tamen fuit corpulentia, & pœna: quia vnio ad diuinam naturam vicit, & abstulit hæc impedimenta. Secundum, quod exigitur ad charitatis perfectionem est sui in se collectio, per quod etiam tria ponuntur impedimenta. Anima enim secundùm quod quædam natura est, & forma corporis naturalis. Primò, ligatur ad corporalium imagines, & species, Secundò, obligatur ad diuersas corporis passiones. Tertiò, diuiditur in diuersas operationes. De primo dicit B. August. in lib. de Trin. Tanta est vis amoris, vt ea, quæ cum amore diu cogitauerit, & eis curæ glutino inhæserit, attrahit secum etiam cum se cogitãdo quodammodo reddit. Errat igitur cum se istis imaginibus tanto amore coniungit, vt etiam se esse aliquid huiusmodi existimet, & post hæc dicit, quòd fuerũt diuersi errores Philosophorum. Aliorum ponentium esse ignem. Aliorum athomos, & huiusmodi, & subiungit sic. Hic suboritur erroris dedecus, dum rerum sensitiuarum imagines secernere à se non potest, vt se solam videat. Cohæret enim ei mirabiliter glutino amoris, & hæc est eius immunditia; quoniam dum se solùm nititur cogitare, hoc se putat esse, sine quo se non potest cogitare. Hæc est ergo prima collectio ab imaginationibus corporalibus detractio. Secunda est deobligatio ad corporis passiones, vnde B. August. in lib. de anima, & spiritu ait. Quibusdã affectibus, & quadã amicitia anima corpori iũgitur, secundũ quã amicitiã nemo vnquã carnẽ suã habuit. Socia nãq; eius est, licèt eius societate prægrauetur. Ineffabili nãque conditione diligit illud, amat comitem suũ, & ideo libera esse nõ potest. Doloribus eius vehemẽter afficitur. Formidat, quæ mori nõ potest. Oculorum speculatione depascitur. Sonorum delectatur auditibus. Suauissimis iucundatur odoribus. Larga epulatione reficitur. Et licèt his rebus nullatenus vtatur, graui tamen mœrore afficitur, si ista subtrahantur. Tertium impedimentum est diuisio ad operationes varias, de quo dicit B. Aug. in lib. de spiritu, & anima, secundùm sui corporis effectus variis nuncupatur nominibus. Dicitur enim anima, dum vegetat. Spiritus, dum cõtemplatur. Sensus, dum sentit. Animus, dum sapit. Mẽs, dum intelligit. Ratio, dum discernit. Dum recordatur, memoria. Dum consentit, voluntas. Ab his ergo tribus colligitur anima in seipsam per corporaliũ imaginũ abstractionẽ, per passionũ corporaliũ cessationẽ, & per operationum vnionẽ. Et de vnione actuũ dicit B. Aug. Sensus vertetur in imaginationem, imaginatio in rationem, ratio in intellectum, intellectus in intelligentiam, intelligentia in Deum. De ista triplici collectione similiter, sed imaginationum actuum, & affectuũ dicit B. Aug. in lib. de quantitate animæ. Purgatur mens à peccati colluſione, ab errorum obtenebratione, à rerum phantasticarum imaginatione, à rerum naturalium fallaci proportione, à rerũ temporalium vana dilectione. Idem. Ab hoc ergo mundo reuertentes ad Deum, & quasi ab hinc sursum reuertentes, per nosmetipsos transire debemus ad Deum, hoc est intrare ad semetipsum. Et intrinsecùs penetrans seipsum transcendit, & istinc ad Deum ascendit. Ab huiusmodi ergo cor nostrum colligamus, & ad æterna gaudia reuocemus, vt aliquando radium cogitationis in lumine gratiæ figere valeamus, hæc est enim requies cordis nostri, cùm Deum suum contemplatur, & ipso sua contemplatione suauiter reficitur. Et dulce est illi semper, quod ad desiderandum, quod ad laudandum, quod ad amandum semper suaue inuenitur. Tertium, quod exigitur ad charitatis perfectionem, est eleuatio, quæ fit per tria, scilicet, à natura conante, à gratia subleuante, à Deo attrahente. Et de conamine naturæ dictum est, supra de Zacheo, qui statura pusillus erat. Et de subleuatione gratiæ, qui ascendit arborem sycomorum, quod designat gratiam sacramentalem, & virtutis. Sed quia non sufficit ad coniunctionem, quæ est in perfectione charitatis, nec conatus naturæ, nec subleuatio gratiæ sine diuinitatis attractione, ideo clamat sponsa. Cant. 1. *Trahe me post te.* Et Christus Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit illum.* Ad primum, scilicet, conatum naturæ disponunt antecedenter. Primò, miseriarum præsentium stimulatio. Secundò, propriæ defectibilitatis cognitio. Tertiò, summæ perfectionis naturalis appetitio. Ad secundam, scilicet, gratiæ subleuationem disponunt antecedentes inchoatiuè. Gratiæ sacramentales, sanando à malo culpæ, & pœnæ. Gratiæ virtutum, adijciendo, & ducendo in bonum progressiue. Dona quoque, & fructus. Dona ad excellentiores actus adiuuando, fructus laborantem reficiendo. Completiuè autem secundùm statum viæ, beatitudines: secundùm statum patriæ, dotes. Sed de ista attractione nota, quòd in naturalibus tantò maior est motus, quantò maior est appropinquatio ad suum vbi. Nec sola appropinquatio est causa augmen-

Sap. 9.

Cant. 1. Ioan. 6.

gmenti motus, ſed ſimilitudo, & conuenientia ad ſuum vbi. Vnde quanto magis lapis mouetur deorſum, tanto magis intenditur ſuus motus, & ſic ignis ad ſurſum. Sed in voluntarijs motus naturalis non ſufficit mutare ſitum ipſius virtutis ad ſuum vbi ſine ipſo vbi, & hoc eſt, quod in naturalibus eſt tantùm vbi, ita quòd non motor. Sed in voluntarijs ipſum vbi moror, & cooperator. Et ita id ad, quod motus eſt, & quod mouet per ipſum habet motus, quòd ſit appropinquationis terminus perfecta conformitas voluntatis diuinæ, & humanæ deiformis effectio. Ad hanc autem attractionem, appropinquationem, & conformitatem tria ſpiritualiter deponunt antecedenter in via, B ſcilicet, opera inſtructionis, vel ædificationis, opera patientiæ, vel paſsionis, opera excellentiæ ſuperogationis. De operibus inſtructionis dicit B. Auguſt. Lex eſt diuinæ prouidentiæ, vt nemo à ſuperioribus adiuuetur ad cognoſcendam, vel participandam gratiam, quem non ad eandem, quæ ponitur affectu non adiuuerunt, vnde & Ioan. 11. legitur de Caipha, quòd *cùm eſſet Pontifex anni illius, prophetauit.* In quo Dominus oſtendit, quod etiam in malis ratione prælationis dona tribuit ad vtilitatem aliorum. Et de Saule legitur, quòd poſt vnctionem introiuit in eum ſpiritus, & prophetauit. De operibus patientiæ, & paſsionis patet per C id, quod ait Apoſtolus 2. Corint. 12. *Virtus in infirmitate perficitur.* Et figuratur in Iob, qui poſt perfectam victoriam per patientiam omnia bona ſua recepit duplicata. De operibus ſupererogationis, ſcilicet, paupertate, caſtitate, & huiuſmodi dicit Chriſtus Matth. 19. Amen dico vobis, quòd nemo eſt, qui reliquerit agros, &c. qui non recipiet centies tantum in vita. Conſiſtit ergo iſta perfectio charitatis tranſeunti de ſtatu viæ ad ſtatum patriæ, in plena deputatione, in omnimoda collectione, in perfectiſsima eleuatione. Patet ergo, quòd perfectio charitatis de ſtatu viæ in ſtatum patriæ tranſmutandæ ſit ſine ſubſtantiali additione per D perfectionem ſui in ſe per actus extenſionem, per actus, & habitus melioris, & nobilitationem, & per ſummam cum ſummo bono coniunctionem. Et quia charitas ſola perfecta eſt, quæ eſt vinculum perfectionis. Aliæ autem virtutes habent aliquid de imperfectione, vt fides eſt de Deo, quod non videtur, & huiuſmodi. *Cùm autem venerit, quod perfectũ eſt*, ait Apoſtolus, id eſt, ſtatus patriæ, *euacuabitur, quod ex parte eſt.* Ideo neceſſe eſt, omnes alias virtutes euacuari, ſcilicet, ſecundùm vſum vitæ præſentis, vel actionibus ſopiri, ſolam autem charitatem dominari, & exercere omnes operationes. Et tunc implebitur illud. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* A Quod tunc implebitur, quando omnis actus ceſſabit naturalis quantum ad actum, & omnis alterius virtutis habitus erit ſopitus, quantùm ad actum, & anima in eſſe ſuo nobiliſsimo tota nobiliſsimo habitu implebitur, & nihil, niſi charitas in anima ad actum egredietur. Sicut ergo charitas Beatæ MARIÆ in ſtatu patriæ eſt maior charitate omnis puræ creaturæ, & quantùm ad ſubſtantiam, & quantùm ad actum, ita eadem charitas eius in ſtatu viæ maior fuit omni charitate puræ creaturæ quãtùm ad ſubſtantiam, non autem quantùm ad actum. Et ſic quantùm ad ſubſtantiam fuit charitas Beatæ MARIÆ maior charitate omnium Angelorum, ſed quantùm ad actum minor charitate minimi Angeli. Quod autem maior ſubſtantia minor eſt in actu, facit ſubiecti conditio, contrarij coniunctio, minor motoris attractio.

Ioan. 11.

2. Cor. 12

Matt. 19

1. Cor. 13

Matt. 22

§. III.

DE ſpe Beatæ MARIÆ dicendum eſt, quòd vtique eam habuit perfectiſsimè. Nam habuit, vt dictum eſt perfectiſsimam charitatem, quæ mater eſt omnium virtutum ſecundùm B. Ambroſ. vt qui eam habeat, & filias eius contineat, id eſt, alias virtutes, vnde & ſpem. Et cũ ſpes ſit certa expectatio futuræ beatitudinis ex meritis, & gratia proueniens, vt diffinit eam Magiſter in 3. ſenten. Alij ſancti, & ſanctæ, quia certitudinem ſcientiæ non habent de meritis ſuis, & gratia, ſed per coniecturas, ideo nec certam expectationem habent de ſua beatitudine, ſed conditionalem, ſcilicet, ſi habent gratiam, & merita. Sed Beata MARIA erat certa, gratia ſe eſſe plenam, vnde & certa de ſua beatificatione, quam expectabat. Et propter perfectam, & abundantem ſpem dicitur Eccl. 24. in perſona eius. *Ego mater pulchræ dilectionis, timoris, agnitionis, & ſanctæ ſpei:* quia non ſolùm iſta in ſe habuit in mente, & actus produxit, ſed in alijs procurat, vnde & dicitur Spes noſtra, ſcilicet, ad ſuffragandum, in omnibus auxilium procurandum, & Eccl. 24. dicit. *In me omnis ſpes vitæ.* Et in dicta authoritate notantur illæ tres virtutes. Charitas ibi, pulchræ dilectionis, ſcilicet, Dei, vnde procedit timor reuerentialis. Fides ibi, agnitionis. Per eam enim habetur cognitio de neceſſarijs ad ſalutem. Et ſanctæ ſpei, quod dicit, ad excludendum vanam ſpem. Sed obijci poſſet, quòd Beata MARIA, nec charitatem perfectam habuit, nec fidem, nec ſpem. Nam in fide videtur dubitaſſe. Et dubius in fide eſt infidelis, vt dicitur extra de hæreti. Cùm enim Angelus ei annunciaſſet conceptum filij Dei, interroganit, & dixit: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cogno-* Lucæ 1.

Eccl. 42.

sco. Quod simile videtur locutioni Zachariæ, cùm ibi ab Angelo nunciata fuisset conceptio futura Ioannis Baptistę, dixit ei: *Vnde hoc sciam, cum sim senex, & uxor sterilis?* In quibus verbis, quòd dubitauerit, & incredulus fuerit; patet ex eo, quòd dixit ei Angelus, scilicet, *pro eo quod non credidisti verbis meis*, eris tacens, & non poteris loqui, &c. Quæ mutitas fuit data in pœnam. Hoc idem videtur ex exemplo, quod subdidit Angelus MARIÆ, dicens: *Ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua.* Quasi dicat. Non habes dubitare de conceptu tuo: quia sicut conceptus Elisabeth est miraculosus, ita erit, & tuus, aliter tamen, quoniã illius ex sterili, sed de viro, tuus ex Virgine tãtùm ex Deo. Ad hoc respondetur per B. Bernard. quòd Beata MARIA in nullo dubitauit, quod declarauit Spiritus Sanctus, cùm dixit per os Elisabeth. Beata, quæ credidisti. Tunc enim dicitur Elisabeth repleta fuisse Spiritu Sancto quo reuelante cognouit, MARIAM Deum concepisse, quod erat occultum. Non ergo cùm dixit. *Quomodo fiet istud*, dubitauit quærens de facto, sed quæsiuit de modo. Et hoc est, quod ait B. Bernard. super Missus est. Non dubitauit de facto, sed modum, & ordinem quæsiuit. Non enim quærit, si fiet istud, sed quomodo, quasi dicat. Cùm sciat Dominus meus testis conscientiæ meæ votum ancillæ suæ esse non cognoscere virum, qua lege, quo ordine placebit sibi, vt fiat istud? Si oportuerit me frangere votum, vt pariam talem filium, & de filio; gaudeo, & doleo de proposito. Fiat tamen voluntas eius. Si autem concipiam Virgo, quod vtique impossibile non erit, si ei placuerit, tunc scio verè, quia respexit humilitatem ancillæ suæ, hæc B. Bernard. Vnde & Beda dicit, quòd illud: quo modo, sunt duæ dictiones distinctæ. Et quoniam virum non cognosco, id est, proposui me non cognoscituram virum carnaliter; emiserat enim votum virginitatis secundùm B. August. 27. quæst. 2. cap. Beata MARIA. Vel secundùm Albert. super Missus est. Non cognosco virum, vt personæ meæ dominatorem, operum rectorem, corporis corruptorem, à se obligatorem, prolis propagatorem, nunquam volo cognoscere aliqua cognitione, videndo, scilicet, aut intelligendo, vel diligendo. Quod autem Angelus ei nunciauit conceptum sterilis Elisabeth, vt dicit ibi quædam Glossa. Non quasi incredulam hortatur ad fidem, sed credenti quæ audierat, ampliora replicat miracula, vt quæ Deum paritura erat, Præcursorem quoque de anu sterili nasciturum cognosceret. Hinc & B. Bernard. vbi supra. Quid fuit necesse etiam huius sterilis virgini nunciare conceptum? Nunquid

A forte adhuc dubiam, & incredulam oraculo recentioris voluit confirmare miraculo? Absit. Sed ideo conceptus sterilis virgini nunciatur, vt dum miraculum miraculo additur, gaudium gaudio cumuletur. Porro necesse erat non modico lætitiæ, & amoris incendio inflammari, quæ filium paternæ dilectionis cum gaudio Spiritus Sancti mox erat conceptura. Vel etiam, vt audiens cognatam, id est, attinentem, vetulam, & grauidam, cogitet ipsa iuuencula de illius obsequio. Vnde postea eam visitans, & in partu seruiuit. Sunt & aliæ rationes, quę hic omittuntur. Secundò, quantùm ad dilectionem videtur, quòd non habuerit eam maximam.

B Nam dicit filius eius. *Maiorem hac dilectionẽ nemo habet, quàm, vt animam suam*, id est, vitam *ponat quis pro amicis suis*, scilicet, per martyrium. Sed Beata MARIA non recepit martyrium, sed morte naturali sine dolore mortua est, ergo, &c. Respondeo secundùm Albert. vbi supra. Non tantùm Beata MARIA quantùm ad actum interiorem, id est, dispositionem, & desiderium, sed etiam quantùm ad operis exhibitionem posuit animam suam pro proximis, immo animam filij sui, & ipsum filium, quẽ magis quam animam suam dilexit pro proximo. Et propriam animam sine necessitate passioni obtulit propria voluntate, & eam

C in passione filij crucifixit cum filio, vt plus quàm martyr fieret, secundùm omnes Doctores. Vnde & duas animas obtulit pro proximo, & effectum dilectionis ad proximum duplicauit, propter quod Simeon dixit: *Tuam ipsius animam gladius pertransibit*, scilicet, doloris. Lucæ 2. Et vt addamus aliquid simplicibus auribus vix credibile, ita proximum dilexit, quòd si defuisset, qui filium crucifixisset, ipsa pro salute humani generis consequenda, eum cum manibus suis in cruce posuisset. Tertiò de spe. non enim videtur habuisse spem. Nam vt ait Apostolus. *Quod habet, quis quid sperat?* quasi dicat spes est de re, quæ nondum habetur, vt

D de beatitudine, sed Elisabeth. Spiritu Sancto repleta dixit, eam esse Beatam, *Beata, quæ credidisti*, si ergo Beata erat, non beatitudinem sperare poterat, quam iam habebat. Ad quod responderetur, quòd vel Beatam dixit futuram, si loquamur de beatitudine gloriæ perfecta, vel si loquimur de beatitudine imperfecta, seu dispositiua, de qua Christus, *Beati pauperes spiritu*, &c. Sic verè tunc erat Beata, quia omnes illas beatitudines perfectissimè habebat. Et talis beatitudo non opponitur spei, sed manet cum ea.

Ioan. 15.

Lucæ 2.

Roman. 8

Lucæ 1.

Matt. 5.

(·?·)

§. IIII. *De*

§. IIII.

DE virtutibus Cardinalibus, de quibus Sap. 8. *Sobrietatem, & sapientiam docet, iustitiam, & virtutem, quibus nihil in vita hominibus est vtilius.* Sobrietas hic dicitur temperantia, sapientia, prudentia, virtus, fortitudo. Iustitia autem ponitur in suo vsitato vocabulo, docet ista diuina sapientia, cùm inhabitat mentem per gratiam suam. Et prima facie posset videri, quòd hæc non fuerunt in Virgine ex actibus earum virtutum. Nam dicit B. August. quòd prudentia est in præcauendis insidijs. Insidia est occultata deceptio, sed virgini non fuerunt occultæ fraudes Diaboli, nec ad eam accessit tentando. Iustitia est in puniendis malis in se, vel in alijs, sed Beata MARIA in se nullum peccatum habuit, ergo alibi dicitur mater misericordiæ, quæ non punit, sed remittit pœnas. Fortitudo in tolerandis molestijs, scilicet, impatientia. Temperantia in refrænandis illicitis concupiscentijs. Sed Beata MARIA non habuit aliquos motus concupiscentiæ illicitæ, & in omnibus requiem quæsiuit, nihil ratione sentiens molestum, vt in alijs accidit, ergo, &c. In contrarium est: quia Angelus dixit. Aue gratia plena. Sed ex gratijs est gratia virtutum, & potissimè inter morales sunt istæ, ergo Eccl. 24. & istas habuit, vnde ipsa ait Eccl. 24. *In me omnis spes vitæ, & virtutis. Transite ad me omnes*, scilicet, pro eis adipiscendis, *& à generationibus meis adimplemini*, id est, actibus virtutum à me procedentibus implemini, perfectè imitando. Sed sciendum, quòd cùm virtutes istæ sint sub quadruplici differentia secundùm diuersos status, vt ponit Plotinus Philosophus, & declarat Beatus Thom. in prima secundæ. Et primæ dicuntur politicæ, existentes in incipientibus, & proficientibus in virtute, quarum officium est in habentibus sustinere magnos, & multos impulsus tentationum à vitijs eis contrarijs, sed tamen superare, & passiones rationi subijcere. Secundæ dicuntur purgatoriæ, habitæ à perfectis viatoribus, quarum officium est quasi in quiete eas habere cum modica pugna contrariorum. Tertiæ dicuntur purgati animi, quæ propriè sunt in comprehensoribus. Et aliud officium habent, quàm in præsenti, vt prudentiæ sit eligere Deum vti summum bonum, & omnia in eum referre. Iustitiæ ei totaliter subijci, & voluntati eius conformari. Fortitudinis ei firmiter inhærere. Temperantiæ in ipso summè delectari, & non in alio Quartæ dicuntur exemplares, prout sunt in mente diuina. Habuit ergo Beata MARIA virtutes istas secundùm Albert. quasi per modum patriæ, vt purgati animi, non autem simpliciter, sed medio modo inter statum viatorum, & comprehensorum. Nam quantum ad actuum perfectionem habuit per modum patriæ sine aliqua pugna. Sed quantùm ad merendi conditionem habuit per modum viatorum. Si enim simpliciter habuisset ad modum comprehensorum, non ex illis actibus meruisset. Deriuando sermonem ad singulas, de prudentia eius canit Ecclesia. Quò progrederis Virgo prudentissima? Prudenter *conseruabat omnia verba hæc*, quæ de filio dicebantur paruulo, *conferens in corde suo.* Luc. 2. scilicet, cum his quæ scripta erant de eo, vt dicit Beda. Prudenter Diabolo occultabat suam virginitatem. Prudenter euasit persecutionem Herodis contra filium fugiens in Ægyptum cum eo. *Qui moderatur labia sua, prudentissimus est*, inquit, Salomon in Prouerb. Nulla autem pura creatura ita moderata est, nam pauca reperitur locuta, & valde rationabilia, & vtilia. Cùm Angelo breuiter, interrogando de modo eius, quod sibi nuntiauit. Et hoc intellecto, voluntati se totam subdendo. *Ecce*, inquit, *ancilla Domini, &c.* Cum filio, auxilium pro defectu vini postulando, cùm ait. *Vinum non habent*, & ministros ad obedientiam eius exhortando, cùm ait. *Quodcunque vobis dixerit facite.* Ioann. 2. Et iterum filio inuento in templo, ait. *Fili quid feciſti nobis sic, &c.* Lucæ 2. Diffusè autem cum Deo locuta est, quando canticum Deo gratias agendo edidit. *Magnificat anima mea, &c.* Iustitiæ partes integrales sunt facere bonum, & declinare à malo. Sed hæc sola declinauit ab omni macula peccati secundùm illud Cant. 4. *Macula non est in te*, & semper operata est bonum ad omnes. Partes iustitiæ potentiales sunt religio, obedientia, pietas, siue misericordia, gratitudo, & pœnitentia. Est autem religio comprehendens latriam, & duliam. Et latria quidem est honor soli Deo debitus, & exhibitus. Et consistit seruitus latriæ secundùm Albert. vbi supra, in tribus. In actu cordis, vt cognitio, & dilectio. In actu oris, vt laus, & oratio. In actu operis, vt genuflexio, adoratio, immolatio, & huiusmodi. Omnia hæc fuerunt in Beata Virgine in summo. Actibus enim interioribus virtutum excellit omnem creaturam puram. Angeli enim habent virtutes inamissibiles, sed non meritorias præmij essentialis. Viatores homines sancti habent virtutes meritorias, sed amissibiles. Beata autem MARIA habuit cum Angelis virtutes inamissibiles, cum sanctis viatoribus meritorias, & sic etiam excellentiùs cunctis habuit. Actus

latriæ in ore, scilicet, laus, & oratio excellentissimè fuit in ea, vt dicere valeret illud. *Psal. 33.* *Semper laus eius in ore meo.* Et oratio quidem sanctorum non innititur alicui iuri ex parte sui, sed tantùm misericordiæ ex parte Dei, oratio autem virginis innititur gratiæ Dei, iuri naturali, & iustitiæ Euangelij. Nam filius non tantùm tenetur audire matrem, sed & obedire, iuxta illud Apostoli, *Eph. 6.* *Filij obedite parentibus vestris*, quod etiam est de iure naturæ. Quod ipsa videtur innuere in modo orandi, non enim vsa est ob- *Ioan. 2.* secratione simplici, sed insinuatione, dicens, *Vinum non habent.* Ioan. 2. Dicit autem Hugo de Sancto Victore, quod nobilissima species orationis est insinuatio, exemplificans in dicto verbo. *Vinum non habent.* Et sic oratio eius erat nobilissimus modus orandi, tum quia habebat rationem iussionis, & imperij. Tum quia impossibile erat, eam non exaudiri iuxta illud, quod in figuram huius dixit Salomon matri suæ Bersabeæ cùm aliquid petere vellet. *Pete enim*, in- *3. Reg. 2.* quit, *mater mea, neque enim fas est, vt auertam faciem meam*, 4. Reg. 2. Actus exterior latriæ est in oblatione, & in templorum constructione, & sanctificatione; totum hoc Beata MARIA fecit in summo. Nam de corde, & corpore suo construxit templum Spiritui Sancto, in quo sanctificato Dei filius habitauit. Ipsa non solùm seipsam obtulit Deo in sacrificium per votum virginitatis, sed, & filium suum ex suis carne, & sanguine formatum spontaneo consensu in eius passione obtulit pro nobis omnibus Deo in odorem suauitatis. Dulia verò est honor debitus, & deditus creaturæ communiter propter aliquam excellentiam, vt potestatis, sapientiæ, & virtutis. Hyperdulia autem debetur excellentibus creaturis, vt virgini, & cruci. Et hyperduliam quidem habuit Beata MARIA in summo super omnes creaturas, nam maius est adorari, quàm adorare hyperdulia. Sed omnes alij sancti adorant Virginem hyperdulia. Ipsa autem adoratur ab omnibus hyperdulia, ergo omnes excellit in hyperdulia. Item actus duliæ habuit omnes excellenter; nulla enim digna persona, vel creatura potuit aliam creaturam tantùm honorare, quantùm dignissima creaturarum Mater Dei. Item cùm esset suprema, & dignissima omnium creaturarum, quam debebant omnes venerari, misericordiæ debitum fuit, non iustitiæ, vt alias creaturas honoraret. Item seruitus humillima fuit, qua inferiores se honoraret, quando, scilicet, ipsa proxima Deo per incorruptionem: quia incorruptio facit proximum Deo, purificationem pollutis matribus constitutam absque legis præcepto obseruauit, & filium cum oblationibus offerens sacerdotibus legalibus reuerentiam exhibuit. Et supra legem posita ipsa legi, & ministris obediuit pergens ad templum singulis annis in festiuitatibus præceptis in lege, & filium ducens duodennem. Quantùm ad opera misericordiæ, quæ debentur ex compassione proximorum, & subleuatione miseriæ, & propter hoc debitum dicuntur huiusmodi opera iustitiæ, ad quæ tenentur omnes pro loco, & tempore, vt patet in discussione in finali iudicio. *Esuriui, &c.* *Matt. 25* Matth. Huiusmodi opera misericordiæ Beata MARIA habuit in summo super omnes, operum autem misericordiæ alterum est altero maius, vel quod fit ex maiori charitate, vel quod fit magis digno indigenti, vel quod fit ex maiori effectu impenso, vel quod fit ex magis necessario; hæc omnia fuerunt in Beata MARIA in summo. Nam charitas ex qua fecit opera misericordiæ, excessit dilectionem omnium misericordiam facientium, maximè indigenti exhibuit; quia nemo inter viatores Christo pauperior fuit, digniissimo pauperi tribuit; quia homini Deo: magnum enim opus misericordiæ est, quod datur laico bono, maius quod datur clerico, maius religioso, maximũ si Episcopo, genti, & bono, maximè maximum si Papæ pauperi, sed super omnia pauperi Deo, qui, vt ait Apostolus: *Cùm sit diues in gloria* *2. Cor. 8.* *propter nos egenus factus est.* Maximum etiã effectum misericordiæ nobis impendit, quia nobis miseris, & captiuis, & mẽdicis dedit filium suum Deum. Captiuis in pretium, famelicis in viaticum, laborantibus in præmium, infirmis in medicamentum, & cum ipso dedit nobis Regnum cœlorum, & omne bonum. Cum illo enim omnia nobis donauit, non de superfluo, sed de necessariò opus misericordiæ fecit filio suo pauperculo, & peregrino de suis purissimis carnibus, & sanguinibus fecit, & tunicam corporis in gremio vteri sui hospitatus est, & de proprio corpore cibauit, & lac dedit. Pœnitia virtus, quæ est pars iustitiæ fuit perfectiùs in Beata MARIA, quàm alijs viatoribus, quod patet ex eo: quia omnibus alijs actus pœnitentiæ relinquit peccatum in esse vel fuisse. Est enim dolor de peccatis commissis, sed in Beata Virgine actus pœnitentiæ fuit sine præsentia, vel sine præcessione culpæ. Fuit enim in ea per modum patriæ. In Beatis enim est pœnitentia virtus, sicut, & aliæ omnes, sed ad alium actum, quã hic videlicet non dolor de commissis, sed detestatio peccati, sine velle peccare, & sic fuit in Beata MARIA secundùm Albert. De fortitudine eius potest intelligi illud, quod dicitur Prou. vlt. de muliere sapienti. Fortitudo, & decor indumentum eius, id est, fortitudo decora: quia scilicet, sine motu

per-

perturbationis alicuius, quod non fuit in sanctis, hac fuit induta semper, & ornata. Vnde Mater Dei effecta appropinquãs ad partũ magnanimiter aggressa est iter cũ spõso Ioseph in Bethelee per mõtana Iudææ, vt describeretur, & censum daret Præsidi pro Romano Imperio. Et cùm illic non reperissent hospitium, siue propter multitudinem concurrentium, siue propter paupertatem, non habens ad expendendum, secessit in diuersorium, vbi in media nocte in hyeme peperit filium suum, frigus cum eo constantissimè ferens, natum inde ad paucos dies magnificè exposuit paruulum pœnæ maximæ circuncisionis, non sine sui dolore immenso. Et postmodicum quæsitus paruulus ab Herode ad perdendum, secessit in Ægyptum ad terras idolatrantium, pluribus annis ibi demorata, & post mortem Herodis reuersa in Nazareth semper fiduciam habens in Domino, vt eriperet de inimicis. Secuta filium prædicantem, & miracula facientem. O quot opprobria, quot blasphemias, quot persecutiones, quot insidias ad capiendum eum illata, & facta patientissimè tulit! Demum *stabat iuxta Crucem Iesu Mater eius MARIA*, vt dicitur Ioan. 19. Cum maximo dolore cernens filium derisum, conspurum, flagellatum, spinis coronatum, à cunctis maledictũ, & reprobatum, in medio latronum collocatum, clauis affixum, aceto, & felle potatum in siti sua, lancea vulneratum. Stabat pœna mortis consternata, sed mente ad Deum erecta. Stabat nõ inclinata ad sensualitatem ex amore filij. Stabat non curuata ad appetendum vindictam crucifigentium, non eos maledicens, non odiens, non murmurans, nõ vociferans, nõ capillos euellens, vel faciem dilacerans, vt multæ faciunt in morte charissimorum. Stabat fortiter, & vsque ad finem perseueranter omnia sustinens propter dilectionem inde redimendi: quia *fortis est, vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio*, Cantic. 8. In temperantia denique singularissima fuit, propter quod ait Eccl. 24. *Quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris*, myrrha, quæ est amara, & præseruatiua à corruptione, significat temperantiam, quæ vtique amara est, displicibilis sensualitati, sed præseruatiua à corruptione multorum peccatorum. Et de abstinentia quidem, dicit beatus Ambrosius in libro de Virginibus, quòd frequenter ipsa ieiunabat, & cùm reficiendi necessitas cogeret, cibus ei obuius erat, qui mortem arceret, non qui delicias ministraret. Sola ipsa fuit, quæ nunquam metas in cibo, & potu excessit, nec vnquam cum nimia auiditate sumpsit. Quæ autem castior ea, quæ Filiũ Dei intacta genauit? In omnibus alijs viatoribus castitas est cum pugna contra fomitem, & cum casu, ad minus imprimente veniale, & cum possibilitate cadendi etiam in mortale, exceptis sanctificatis in vtero, & Apostolis Spiritu Sancto repletis, dicit Albertus, vbi supra. Sed in Beata MARIA fuit castitas sine pugna fomitis, & sine casu, & possibilitate cadendi in mortale, vel veniale, quinimmo castitas eius non solùm hominum viatorum, sed & Angelorum castitatem excellit. Est enim multiplicior, quia Angeli solùm eam habẽt in spiritu, non in corpore, quod nõ habent. Sed MARIA in spiritu, & corpore Virgo. Est & nobilior, & vtilior, quia Angelis est naturalis, vnde nec meritoria. In Beata MARIA est gratuita, & meritoria. Est tertiò glorioſior, quia in Angelis, quasi necessaria, & sine pugna. In MARIA voluntaria, & cum victoria. *O quàm ergo est pulchra casta generatio cum claritate!* Sap. 4. Nulla clarior ista. Vnde ad eius aspectũ, cũ esset pulcherrima omnium, etiam incontinentes non mouebantur ad concupiscentiam eius, sed ad continentiam incitabantur. De modestia parte temperantiæ, dicit Apostolus ad Philip. 4. *Modestia vestra, nota sit omnibus hominibus*, quæ consistit circa habitum, seu vestitum. Habitus autem secundùm Albertum, vbi supra, est triplex, scilicet, mundanorum vanus, qui prohibetur. De quo dicitur in canonica Petri de mulieribus, quarum *non sit exteriùs capillatura, aut circundatio auri, & argenti, & margaritæ, &c.* Vnde diues, *qui induebatur purpura, & byſſo* describitur sepultus in inferno, Lucæ 16. quia ad pompam, scilicet superbiam eis vtebatur. Est secundò habitus mediocritatis, qui pertinet ad modestiam, ad quam tenentur omnes etiam imperfecti. de quo Apostolus, 1. Timot. 2. *Mulieres in habitu ornato cum verecundia, & modestia ornantes se non intortis crinibus, aut veste pretiosa, scilicet, nimis, aut auro, aut argento, sed sicut decet mulieres, &c.* Est tertius habitus humilitatis, qui pertinet ad perfectos, qualis erat habitus Ioannis Baptistæ, scilicet de pilis Camellorum, vbi Gloss. Qui pœnitentiam prędicant, habitum pœnitentiæ portent, id est humilem, & deiectum. Et Chrisost. exponens illud, quod dicitur de veste Christi, *quòd erat incõsutilis, & desuper contexta per totum*. Dicit inconsutilis, id est, deformis, non quòd non haberet formam, sed quia habebat rudes futuras. *Et desuper contexta per totum*, exponit, id est, repetiata multum, vt vestes pauperum. In isto tamen tertio habitu humilitatis sunt gradus, quia scilicet & potest esse nimis humilis, id est, deiectus, & nimis deiectus, quã scilicet requirat status portantis, & mediocris. Et ad hoc facit, quod ait Hieronymus distinct. 40. §. 1. Nec affectatæ sordes, nec re-

Ioan. 19. *Cant.* 8. *Eccle.* 24. *Sap.* 4. *Phil.* 4. 1. *Pet.* 3. *Lucæ* 16. 1. *Tim.* 2. *Ioan.* 19. *Not. pro Francisc.*

requisitæ deliciæ, scilicet, in vestibus, quia laudem pariunt. Dicendum igitur, inquit Alb. quòd habitus B. MARIÆ fuit habitus humilitatis, mediocris tamé, & idē credimus de vestitu Domini Iesu, & Sanctorum. Et si quęratur, quomodo B. MARIA potuit excellere omnes alios in ista mediocritate humilis habitus, cū quocumque panno vsa fuerit, potuerint & aliæ illo vti, & indui? Respondet Albertus, quòd secundùm Philosophum circa particularia ars medium determinare nescit. Descendentem enim ad indiuidua Plato iubet quiescere. Singularia enim infinita sunt, nec eorum est disciplina. Sed in huiusmodi gratia potentior est arte. Dicimus ergo, quòd in hoc Beata MARIA alios excessit in cultu vestium, quòd super artem per vnctionem Spiritus sancti scivit mediocritatem super omnes in huiusmodi obseruare. De humilitate nunc tacemus, quæ tanta fuit, vt Deum de cœlis ad terram traxerit. Respexit humilitatem, &c. *Aue*, ergo *gratia plena*, scilicet virtutum.

A cum pugna, sed in Beatissima MARIA non fuit pugna ad vitia contraria donis: ergo non habuit. Respondeo, quod omnia habuit, sed quasi per modum patriæ, id est, sine pugna, & ad alios vsus, sed cum merito.

De gratia septem donorum, quæ fuit in Beata Virgine. Capit. 18.

AVe *gratia plena*, gratia, scilicet, donorum septem Spiritus sancti, quæ dicitur gratia septiformis, secundùm illud, quod canit Ecclesia. Tu septiformis munere. Et Zachar. ait 4. cap. *Exequabit gratiam gratiæ*, gratiam, scilicet, donorum, & gratiæ virtutum. Tantum enim quis habet de donorum perfectione, quantum de perfectione virtutum. Gratia autem donorum realiter differt à gratia sacramentali, & virtuali. Et ipsa etiam dona differunt abinuicem realiter, de quibus Esai. 11. dicitur. *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini*, sine quibus donis nullus saluatur. Et faciunt hominum de facili moueri ad opera excellentiora, quàm virtutes infusæ ex quodam impetu spiritus mouentis, vt feruentiùs, & perfectiùs agat, quæ omnia abundantissimè fecerunt in Beata MARIA. Et ideo *Aue gratia plena*, septiformi. Sed videtur, quòd in ea non fuerint. Nam dicit beatus Gregorius in moral. quòd sapientiæ opponitur insipientia. Intellectui hebetudo. Consilio temeritas. Fortitudini præcipitium. Timori remissio. Scientiæ ignorantia. Pietati crudelitas. Vel sic, sapientiæ luxuria, intellectui gula, consilio auaritia, fortitudini accidia, scientiæ ira, pietati inuidia, timori superbia. Ex quibus patet, quòd in viatoribus dona sunt cum permixtione ad contraria, &

Zach. 4.

Esai. 11.

§. I.

DEscendendo autem ad singula, sapientiā habuit in supremo gradu. Nam vt dicit Salomon. *Vbi humilitas, ibi & sapientia*, & Ptolemæus ait, quod inter sapientes ille sapientior, qui & humilior, sed B. MARIA humillima super omnes, & secundùm regulā datā à filio. Qui se humiliat exaltabitur, & quātòmagis humiliat, tātòmagis exaltatur. Sed B. MARIA exaltata fuit super choros Angelorū: ergo ipsa fuit humillima, vnde & sapientissima. Est autem sapientia, quidā gustus spiritualis primæ veritatis per modum bonitatis. Vnde sapientia secundùm nomen eius dicta à sapore, quasi sapidia scientia gustui mentis. In gustu autem tria considerantur. Primùm secundùm Philosophum, quia gustus est quidam tactus. Secundò in gustu est discretio gustabilium. Tertiò est ibi delectatio quædam ex coniunctione gustabilis rei cum gustante. Sic in gustu spirituali tria considerantur, immediata coniunctio, discretio, & delectatio. Sed in his excellit Beata MARIA omnes viatores, ergo & in sapientia. Nam quantùm ad primum in tactu spirituali, id est, in coniunctione immediata, quòd præcellat omnes, patet, quia illa coniunctio est per charitatem. Vnde vbi inseparabilior dilectio, & maior ibi, & propinquior, & indissolubilior, & immediatior est coniunctio. Item incorruptio facit proximum Deo, & in Virgine fuit summa incorruptio: ergo fuit magis coniunctio. Quo ad secundùm, scilicet, discretionem sciendum, quòd discretio gustātium fallitur duobus modis. Vno modo ex parte gustabilis propter saporum, & gustabilium commixtionem, vel ūmilationem. Alio modo propter gustatiui organi discursiuam infectionem. Quæ deceptio contingit non tantùm in re corruptibili, sed etiam in gustu spirituali. Ex parte quidem gustabilis, vt quando Angelus sathanæ transfiguravit se in Angelum lucis. Et quando naturalis affectio videtur esse, vel è conuerso, tunc & saporum commixtio, siue confusio generat confusionem in gustante. Ex parte autem gustatiui, vt gustus spiritualis est infectio contraria delectationi, vel ad minus fomitis corruptione, quæ sensum spiritualis delectationis impediunt, & saporem diminuunt, & discretionem peruertunt, vt dicant malum bonum, & bonum malum, ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem. Hic est enim animalis homo, vt dicit Apostolus, 1. Cor. 2. quia *non per-*

Prou. 11.

1. Cor. 2.

percipit quæ Dei sunt, nec discernit, cuius Deus venter est, & esse sub sentibus delicias computat. Fastidiens manna, quod descendit de cœlo, & murmurans pro peponibus, & allijs, & cæpis in Ægypto. Hæc autē deceptio, vel decipiendi potestas, licet maius, & minus est, in omni viatore, fomitis corruptione aliqua remanente. Et hæc deceptio, siue deceptionis possibilitas nullo modo fuit in Beata Virgine, quæ per omnia astutias diaboli non ignorauit, & semper malum reprobauit, & bonum sine errore elegit, & cuius palatum spirituale ab omni corruptione fomitis fuit purum, & sanum, spirituali dulcedine semper plenū. Nihil enim nisi Deum, & præter Deum gustauit. Vnde in gustu spirituali falli non potuit. Et sic quoad discretionem omnes excellit. Quoad tertium, scilicet delectationem, quæ reperitur in gustu spirituali, Beata MARIA omnes antecellit. Nam dicit beatus Gregorius in morali, quòd sapientia est donum reficiens mentem spe, & certitudine. Sed spes, & certitudo, quæ reperitur in Beata MARIA, & haberi potest in præsenti, maxima fuit super omnes viatores. Vnde sicut inter esurire iustitiam, quod est bonorum viatorum, & saturari ea, quod est comprehensorum, quasi medium est comedere, ita delectatio gustus spiritualis in Beata MARIA fit per modum comestionis. Ad quod facit quod dicitur in eius persona in Canticor. 5.

Cant. 5. *Comedi fauum cum melle meo*, vt fauus comestus sit delectatio ex contemplatione humanitatis Christi, mel ex cognitione Deitatis. Plena igitur fuit sapientiæ gratia, vt dicere valeret illud Sap. 7.

Sap. 7. *Venit in me spiritus sapientiæ.*

§. II.

AD donum intellectus pertinet quædam acuta, & penetratiua cognitio diuinorum. Vnde dicitur intelligere quasi intus legere, penetrare mente ad intima rerum diuinarum, vt mysteria scripturarum diuinarum audita, vel lecta. Creaturas spirituales, vt Angelos, & animas, & ipsum Deum ex ipsis rebus creatis per vestigium, vel imaginem, secundùm illud. *Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, &c.* ad Rom. 1. Sed non ratione naturali, vt Philosophi, sed lumine doni intellectus; hoc Beata MARIA pleniùs ceteris habuit. Quod sic probat Alb. vbi sup. Inter cognoscere creatū per creatū, & cognoscere increatum per creatū, vel è cōuerso creatū per increatum. Tria istorum reperiuntur diuidentium, & nihil est vacuum: ergo reperietur & quartum. Et puri quidem viatores habent primum, videntes, scilicet, creatum per creatum, id est, per fidem. Vnde Esai. 6. *Ea, quæ sub ipso erant, replebant templum*, Gloss. Gregorij. Cùm mens in contemplatione proficit, nō iam, quod ipse est, sed quod sub ipso est, conspicit. Deum enim nemo vidit vnquam. Et hæc est cognitio viatorum. Cōprehensores verò vident increatum per increatum, quia scilicet vident Deum per seipsum, vident etiam creatum per increatum creaturas, scilicet, in Deo, & per Deum, iuxta illud, 1. Corint. 13. *Tunc cognoscam, sicut & cognitus sum*, scilicet Deum, & omnia cognoscam in se, sicut & ipse me cognoscit in se. Ergo cùm vnum mediorum reperiatur inter extrema, reperietur & reliquū, videlicet videre increatum per creatum. Sed cognitio media pertinet ad statum medium. Status autem medius ad Beatissimam Virginem pertinet, quia supra puros viatores, & circa comprehensores. Fuit ergo cognitio Beatissimæ Virginis talis per donum intellectus, quòd cognoscebat lumen increatum, non quidem per speciem, sicut beati, nec etiam per imaginem, vt viatores, sed per lumen creatum. Et sic cognoscit increatum per creatum. Et illud lumen non erit mediū sicut per speculum, vel imaginem, vel vestigium, vel signum, prout est medium inter apprehensiuum, & signatum, sed sicut lumen solis est medium coniūgens visibile, & visum. Mirabilem autem cognitionem intellectus de Beata MARIA ponit Albertus, vbi supra per nouem conclusiones, quasi priuilegia. Harum prima est perfecta cognitio sine medio Dei Trinitatis, quam habuit in via per specialissimam gratiam. Secunda est perfecta cognitio mysterij Incarnationis, & hanc habuit per gratiam, & singularem experientiam. Tertia est cognitio suæ prædestinationis, quam habuit per reuelationem, & causam. Quarta est animæ suæ, & spirituum per species proprias cognitio, quam habuit dispositiuè per naturam, completiuè per gratiam. Et secundùm hanc vidit Angelos, animas, & dæmones. Quinta est perfecta cognitio omnium ad statum viæ pertinentium, quam habuit per gratiæ infusionem, & inspirationem. Et hæc comprehendit perfectam cognitionem scripturarum, operandorum, & contemplandorum. Sexta est cognitio circa se futurorū, quam habuit per reuelationem, & in speculo lectionum. Septimū est omnium ad statum patriæ pertinentium per cognitionem, quam habuit per contemplationis reuelationem. Octaua, est omnium creaturarum stantium cognitio, quam habuit per naturam, gratiam, & contemplationem. Nona est, quòd habuit, vt matutinam, & vespertinam cognitionem. Matutinam per gratiam. Vespertinam per naturam, & gratiam. Et sic repleuit eū, scilicet animū suum, spiritu intellectus.

1. Cor. 13

§. III.

DE dono consilij sciendum, quod consilium est inquisitio rationis de aliquo operabili à nobis. Et quia omnia debet homo facere cum ratione, ideo dicit Salomon
Prou. 13 *Omnia fac cum consilio*, scilicet, *rationis*. Et vbi non sufficit consilium suum propter dubia de illo operabili, dictat ratio, vt quærat consilia alio, scilicet, intelligentium, & rectorum in illa materia. Et ideo dicitur
Tob. 4. Tob. 4. *Consilium semper à sapiente inquire*. Verum quia sunt aliqua operabilia ad quæ non sufficit humana ratio edocere sufficienter, ideo ponitur donum consilij donum Spiritus sancti, quòd sic diffinit beatus Thom. in 3. senten. Quod est habitus quo B homo accipit, quod agendum est, quasi per certitudinem à Spiritu sancto edoctus supra humanam rationem. Vel sic secundùm beatum Thom. 2. 2. Consilium est donum, quo Spiritus sanctus nos dirigit in omnibus, quę ordinantur in finem vitæ æternæ, siue sint de necessitate salutis, siue non. Hoc dono, & gratia plena fuit Virgo Beata super omnes viatores. Quod sic probat Albertus, vbi supra. Cùm venerit ille Spiritus sanctus, docebit vos omnem veritatem, scilicet, de agendis ad salutem, sed Spiritus sanctus venit improportionabiliter in Beatã MARIAM magis, quàm in quemlibet viatorem purum, & in conceptu filij, & in die Pentecostes, cũ C esset cum Apostolis, quando venit in specie ignis: ergo in agendis maximè fuit edocta per donum consilij. Item secundùm Philosophum. Cuius est operari, eius est & operanda cognoscere. Et cuius est in omnibus, & præ omnibus benè operari, eius est & super omnes operando cognoscere, & benè discernere quod pertinet ad consilium. Sed Beata MARIA fuit perfectissima obseruatrix, & mandatorum, & consiliorum Dei super omnes; ergo habuit cognitionẽ consiliorum circa agenda per donum consilij. Fuit & amicissima, & familiarissima Domino super omnes, vnde & edocta de rebus secretissimis. Inter cætera Domini consilia sunt D paupertas, virginitas & obedientia, sed ista maximè obseruauit. Nam fuit pauperrima, ita quòd etsi aurum non paruum sibi fuerit oblatum à Magis adorantibus filium in gremio eius, inde ad paucos dies non habuit tãtum (ait beatus Bernardus) vt posset offerre agnum pro filio oblato ad Templum, sed obtulit sacrificium pauperum turtures, vel columbas. Prima fuit, quæ votum virginitatis emisit, & semper seruauit sine aliquo illicito motu. Obedientissima fuit, vt patet in sacrificio purificationis, ad quod non tenebatur in eundo in Bethleem. Et in Ierusalem ad Templum in festis, & huiusmodi.

A §. IIII.

DE dono fortitudinis. Dicit Psalmus 32. *Spiritu oris eius omnis virtus eorũ*, Psal. 32. id est, à Spiritu sancto procedente à filio, qui dicitur Dominios, quia per ipsum sunt intimata præcepta Dei in Euangelio. Omnis virtus, id est, fortitudo cœlorum, id est sanctorum. Etiam à Gentilibus fortitudo dicitur virtus à virilitate. Hoc dono, ac gratia fuit plena Beata MARIA super omnes. Hoc autem probat Albertus, vbi supra per istam rationem. Quicquid est fortius fortiore, est fortius infirmiore, sicut leo est fortior equo, vnde & multò magis fortior cane erit, qui minùs fortis est, quàm equus. Sed B. MARIA est fortior tribus fortioribus omni viatore: ergo, &c. Isti autem tres fortiores tribus fortioribus omni viatore sunt, Deus mors, & diabolus. Nam quantum ad primũ certum est Deum esse potentissimum omnium, Exod. 15. *Omnipotens nomen eius.* Exod. 15. Sed Deum quodammodo Beata MARIA superauit inquantum, scilicet, humilitas eius de cœlis traxit ad terras, & homini subiecit, scilicet Marri suæ. Vnde dicitur Prou. Prou. 31. vlt. *Mulierem fortem, quis inueniet?* quasi diceret paucissimi, & quasi nullus intelliget plenè virtutem Beatæ MARIÆ, quæ est ita fortis, quod *pretium eius*, valor, & virtus eius est *procul, & de vltimis finibus*, id est, talis, quòd vltimos fines in natura intellectuali coniunget adinuicem, scilicet Deum summum, & hominem infimum in vna persona Christi, eum concipiendo. Et sic fortitudo Beatæ MARIÆ rigorem diuinæ fortitudinis, & seuer tatis superauit. Vnde dicitur, Num. 23. *Cuius*, scilicet Dei, *fortitudo similis Rhinocerontis.* Num. 23. Cuius robur nullum animal domare potest. Sed virgini sibi occurrenti in gremio eius mansuescit, & captiuatur. Sic Deus, cui nemo resistere potest mitis effectus est, requiescens in Virgine MARIA. Secundum fortissimum est mors, quæ omnes creaturas mortales superat, & prosternit. *Quis est enim, qui viuet, & non videbit mortem?* Dicitur in Psalmo 88. certè nullus, quia nec proprio filio Dei humanato pepercit. Mors dominum seruo, mors sceptra ligonibus æquat. Dissimilem simili conditione trahit, inquit Poeta. Sed Beata MARIA fortior morte fuit. Sicut enim per fœminam Euam mors intrauit in mundum, ita per fœminam MARIAM destructa est mors, scilicet, per fructum vẽtris sui. Vnde dicere poterat illud Osee 13. *O mors ero mors tua.* Osee 13. Tertium potentissimum est diabolus, de quo Iob 41. ait: *Non est potestas* Iob 41. *similis super terram* iste est *fortis armatus, qui tenebat in pace atrium suum* Lucæ 11. Lucæ 11. scilicet mundum. Nullus audebat resistere tentationibus eius. Sed Beata MARIA su-

superauit eum. Dicitur enim in figurã eius, Genes. 3. *Ipsa conteret caput tuum*, scilicet
Genes. 3. serpentis antiqui. Et in quæstione proposita coram Dario Rege à tribus cubicularijs Regis dictum est, & probatum, *mulierem* esse fortiorem *vino*, scilicet, voluptatis cõcupiscentiæ, quæ omnes inebriat, & *Rege* diabolo, qui venit contra ciuitatem mundi, & valens cepit eam, vt dicitur Eccles. 9. *Et ap-*
Eccles. 9. *probata est sententia ab omnibus. Veritatem* tamen fortiorem dixit ipse Zorobabel, vt
2. Esdr. 3 habetur, 2. Esdræ 3. Et certum est, quòd veritas Christus fortior, & perfectior est Beata MARIA. Sed ipsa mulier Virgo post eum. Et cùm actus fortitudinis doni sit non solùm firmiter persistere in aduersis, & non recedere à regula rationis, sed etiam ap petere ipsa aduersa pati propter Deum. Itẽ actus huius fortitudinis est terrenas cupiditates, non solùm reprimere, sed etiam obliui sci penitus. Hoc autem non contingit in aliquo puro viatore, nisi in Virgine, in qua est extinctus omnino fomes peccati. Et ideo habuit hoc donum fortitudinis excellentiùs & pleniùs super omnes. Habuit eam ad modum patriæ, scilicet fortitudinem. Vnde *Aue gratia plena.*

§. V.

Esai. 5. DE dono scientiæ, dicitur Esai. 5. *Propterea ductus est populus meus captiuus, quia non habuit scientiam.* Et Ierem. 9.
Ierem. 9. *Qui gloriatur, in hoc glorietur scire, & nosse me.* Huius doni ponit Albertus, vbi supra, tres actus. Primus, de quo beatus Augustinus, dicit 14. de ciuit. Dei. Huius scientiæ tantùm illud tribuendum, in quo fides saluberrima, quæ ad veram ducit beatitudinem generatur, nutritur, roboratur, & defenditur. Scire quemadmodum hoc ipsum, & pijs opituletur, & ab impijs defẽdatur, est etiam ipsius scientiæ. Hunc actum habuit Beata MARIA super omnes, scilicet fidei defensionem, Ecclesia de illa testante. Cunctas Hæreses sola interemisti in vniuerso mundo. Secundus actus scientiæ huius est abstinere à malis, sciendo turpitudinem eorum. Vn
Iob 28. de Iob. *Abstinere à malo scientia.* Cognos-
Eccles. 1. cere etiam ipsum malum, & dolere, Eccl. 1. *Qui addit scientiam, addit & dolorem.* Sed nulla pura creatura abstinuit à malis omnibus etiam venialibus, attingens vsum rationis nisi ipsa, Cant. 4. *Macula non est in te.*
Cant. 4. Optimè enim sciebat, quàm turpe, quàm indecens sit peccare. Tertius actus est inter homines conuersari irreprehensibiliter iuxta
1. Pet. 2. illud, 1. Petr. 2. *Conuersationem inter gentes habentes bonam, vt in eo, quod detrectant de vobis, tamquam de malefactoribus per bona opera vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis.* In medio nationis prauæ, dono scientiæ ita conuersata est Beata MARIA super omnes innocenter, & ædificatoriè, quòd eius vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias. Nullum enim facien dorũ omisit, nil cauendorum commisit, nulli in suo malo communicauit, nulli bonum suum incommunicandum communicauit, ne mini malum exemplum in aliquo dedit, nullius opere iniquo scandalizata fuit. Vnde Beatus Ambrosius: habetis in ea exempla probitatis expressa, vt sciatis, quid vitare, quid eligere debeatis. Fuit & in ea donum scientiæ per modum patriæ, quod est scire Deum perfectè, & proximi gloriæ congaudere, quod tali modo nulli concessum est viatorum. Vnde *Aue gratia plena.*

§. VI.

DE dono pietatis. Pietas, ait Apostolus, 1. ad Timot. 4. *ad omnia valet, promissionem vitæ, quæ nunc est, habens, & futuræ.* Huius actus sunt tres, secundum Albertum. Primus est mouere ad opera misericordiæ. Secundus est Scripturæ non contradicere, siue intellectæ, siue non intellectæ. Tertius sancta honorare. Et in omnibus his Beata MARIA omnes viatores excellenter superauit. Nam quoad primum actum dicit beatus Augustinus. Legi, & relegi, & nunquam inueni hominem pium mala morte perijsse. Pium, id est misericordẽ, & eleemosynarium, quia scilicet opera misericordiæ disponunt eum ad gratiam, si non haberet, & non habendo moritur mala morte, quæ est mors æterna. Ideo dicit beatus Augustinus de ciuit. Dei libro 10. Pietas extenditur in Scripturis ad opera misericordiæ, quia ipse Deus in eis maximè commendat ea super sacrificia, iuxta illud Oseæ 6. & Matt. 9. *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Sed in hoc est differentia inter misericordiam, & pietatem, quia misericordia mouet ad subleuandum miseriam hominis in quantum proximus est. Sed pietas donum mouet ad impendendas eleemosynas homini, inquantum est imago Dei, & quia imago Dei est, quam veneratur in proximo. Sed pietas, quæ mouebat Beatam MARIAM ad opera misericordiæ, & compatiendum proximo erat non solùm, quia imago Dei, sed quasi Deus, ex quo Deus factus est homo. Improportionabiliter est pietas excellentiùs in ipsa Virgine, quàm in omnibus alijs. Vnde ad eã clamamus in antiphona. O clemẽs, ò pia, ò dulcis V. MARIA. Secũdus actus est non contradicere Scripturæ, siue intellectę, siue non intellectæ, sed humiliter assentire. Cùm enim legimus, vel audimus aliqua de Scripturis, quæ ratione intelligere non valemus, mens assueta rationibus, quasi incipit vacillare, quomodo illa se sic habeam

1. Tim. 4.

Oseæ 6. Matt. 9.

beam, vt Trinitatem in vnitate, & Dei Incarnationem in Christũ, Sacramento Altaris. Sed dono pietatis illustramur ad assentiendum illis simpliciter sine hæsitatione, & discussione, secundùm illud ad Titum 2. *Tim.* 2. *Sobriè, piè, & iustè, viuamus in hoc seculo expectantes beatam spem*. Nulla magis pia in assentiendo omnibus Scripturis, & Diuinis verbis, quàm Beata MARIA. Cùm enim Angelus sibi nuntiasset quod erat supra omnem rationem, subitò acquieuit dicens. *Lucæ* 1. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*. Tertius actus est honorare sancta. *Matt.* 5. Vnde & Iob ait. *Pietas est cultus Dei*. Et Gloss. super illud. *Beati mites*, dicit, qui pie quærunt, & honorant sancta scilicet loca, sancta tempora, sancta Sacramenta, sacra vasa, sacras personas; & reliquias, & huiusmodi. Virgo autem super omnes sancta honorauit omnia, Templum, festa, sacramenta, &c. Ipsa denique est, per quam omnes sancti & sanctæ sunt in cœlesti gloria honorati, & coronati, quia per filium eius benedictum omnes glorificantur, & honorantur. Vnde Apocalips. 4. *Seniores, & animalia quatuor mittunt coronas suas ad pedes sedentis* *Apoca* 4. *super thronum*, quia ad humanitatem Christi per pedes significatam, quam traxit de Beata MARIA, sciunt se gloria, & honore coronatos. *Aue* ergo *gratia plena*.

§. VII.

DE dono timoris. Per timorem Domini omnis declinat a malo. Cùm autem assignetur triplex timor bonus, scilicet, seruilis, castus, & reuerentialis, quia seruilis *timor non est in charitate*, vt dicit Ioann. in *1. Ioan.* 4 prima canonica, quamuis in se bonus sit, quia sicut seta filum, ita talis timor introducit charitatem, vt dicitur de pœnitentia distinctione 2. sicut seta per beatum Augustinum. Tamen quia principaliter aspicit pœnam, propter quam auertit à malo, & facit bonum, vnde non verè, & purè amat bonum. Ideo iste non fuit in Beata MARIA, sicut nec in sanctis, quia est sine gratia Dei, quantùm scilicet ad seruitutem, sed quantùm ad timiditatem fuit in Beata MARIA. Secundus timor scilicet castus, de quo Psalmus *Psal.* 18. 10. *Timor Domini castus*, secundùm aliam translationem, secundùm nostram, dicitur, *sanctus, permanet in seculum seculi*, non tamen ad illum vsum, vel actum, quo hic. Nã timor castus, qui est in electis, habet duos actus. Vnus est timere separari a dilecto, sicut honesta, & casta mulier timet virum, videlicet non facere aliquid, vnde separetur ab amore viri. Alius est reuereri, quem diligit. Quantùm igitur ad primum actum Beata MARIA non habuit timorem, quia

A cùm sciret per reuelationem, se non posse peccare, non poterat timere à Deo separari cùm separatio non sit à Deo, nisi per peccatum, iuxta illud Esai. 59. *Peccata vestra diuiserunt inter vos, & Deum vestrum*. Fuit ergo in Beata MARIA timor reuerentialis, qui est reuerens mixta cum dilectione subiectio. Hic est in beatis iuxta illud. Tremunt videntes Angeli versa vice mortalium. Sed ista est differentia, quia timor iste reuerentialis in Beata MARIA fuit meritorius, in sanctis non est meritorius. Talem autem timorem reuerentialem habuit Beata MARIA super omnes, quia ex charitate procedit, in qua excessit omnes sanctos. Et notan- *Lucæ* 1. B dum, quòd cùm dicitur Lucæ 1. Cùm audisset MARIA salutationem sibi factam ab Angelo, *turbata est in sermone eius*. Ista turbatio fuit quidam timor. Vnde dicit ibi Gloss. Ex verecũdia pauet. Et alia ibi Gloss. Trepidare virginum est, & ad omnes viri ingressus pauere, & omnes viri affatus vereri. Et beatus Bernardus, ibi, Angelus intuitus Virginem, & varias secum volucre cogitationes facillimè comprehendens, paulùm consolatur, dicens. *Ne timeas MARIA*, ostendens, & quasi declarans, illam turbationem fuisse timorem. Timor autem secundùm Ioannem Damascenum reperitur in verecundia, quæ est timor ex magna imaginatione, & in stupore, qui est timor C ex inconsueta imaginatione. Et erubescentia quidem, seu verecundia, seu pudor, quod idem est. Dicit Ioannes Damascenus, quòd est optima passio, & præcipuè in iuuenibus, & mulieribus, quia per hanc à multis malis se abstinent. Vnde Eccles. 26. *Eccl.* 26. *Gratia super gratiam mulier sancta, & pudorata*. Et de Beato Nicolao adolescentulo canitur. Pudore bono repletus Dei famulus Nicolaus, &c. Cùm ergo ista passio sit naturalis, & meritoria, *quia est confusio adducens gloriam*. Eccles. 4. Et Christus etiam *Eccles.* 4. eam habuit, quia assumpsit omnia, quæ sunt in natura nostra, nisi ignorantiam, & peccatum. Sed verecundia non est ignorantia, nec D. peccatum in se, vnde & eam assumpsit. Et ideo Psalmus 43. in eius persona. *Tota die* *Psal.* 43. *verecundia mea contra me est, quoniam propter te sustinui opprobrium*. Cùm ergo Beata MARIA nullius boni caruerit: ergo & hoc scilicet verecundiam, quæ in se bona est habuit. Non autem habuit erubescentiam, in quantum erubescentia dicitur timor de turpi, quia nil turpè, id est, vitiosum sciebat esse in se. Sed in quantum est timor de re magna, & consueta, qui magis propriè dici debet admiratio, vel stupor. Magna erat, & valdè magna, & inusitata tanta laudatio in salutatione. Vnde *& cogitabat qualis ista esset salutatio* conferẽs in mente Scripturas

su-

super his, & inde admirabatur, & pauens stupebat. Dicit ergo Albertus, vbi supra, quòd in sermone illo salutatorio, laudabilissimo, consolatorio, instructorio, acedibili, delectabili, vtili, honorabili, admirabili. In sermone, inquam eius, quem veritas misit, quia à veritate nunquam discessit, qui falli non potuit, nec fallere voluit. In isto sermone Beata MARIA fuit omnifariam mirata. In sensu per verecundiam virginalem de Angelica visione in virili specie. In ratione per timorē cautelę de deceptione. In intellectu per lapides admirationis de promissorum, & nunciatorum magnitudine in sermone. Et sic turbatio, & timor non est tantùm de malo, sed etiam de magno. De omnibus donis loquendo, dicit Albertus, quòd actus illorum donorum, quorum actus consistit in cognitione, & affectione, vt dona sapientiæ, intellectus, consilij, & scientiæ, habuit excellentiùs omni viatore, & medio modo inter statum viæ, & statum patriæ, ita quòd circa statum patriæ, quantùm ad actuum perfectionem, & super statum patriæ, quantùm ad merendi conditionem. Supra statum viæ, quantùm ad actuum perfectionem, & habituum meriti supergressionem. Donaverò in actione consistentia, vt fortitudo, pietas, & timor, habuit per modum patriæ, quantùm ad actuum perfectionem, sed secundùm statum viæ, quantùm ad merendi conditionem.

Quòd Beata MARIA habuit omnes gratias gratis datas. *Cap. 19.*

Ave gratia plena. Dictum est de gratia gratum faciente, distincta in sacramentalem, virtualem, & muneralem, seu donorum hucusque. Nunc de gratijs gratis datis, quibus etiam plena fuit Beata MARIA, secundùm Albertum, vbi supra. Huiusmodi gratiæ sunt communes bonis, & malis, & benè, & malè potest, quis eis vti. Vnde Augustinus 1. quæst. 1. Prophetauit. Prophetauit Saul, cùm esset malus, & sanctum Dauid persequeretur. Non ergo se iactent, qui fortè sine charitate sanctum Dei munus habent. Sed videāt qualem rationem reddituri sunt Deo, qui sanctis non sanctè vtuntur. Et in capit. teneamus, idem ait. Præter vnitatē, scilicet, charitatis etiam qui facit miracula, nihil est. Dantur enim huiusmodi gratiæ ad vtilitatem aliorum, secundùm illud Apo
1. *Cor.* 12 stoli 1. ad Corint. 12. Vnicuique datur manifestatio spiritus, id est, huius gratiæ gratis datæ ad vtilitatem, scilicet Ecclesiæ. Cedunt tamen ad vtilitatem propriam meriti, si quis eis benè vtatur. Et ostendit Apostolus esse nouem ista genera gratiarum gratis datarum, dicens. Diuisiones gratiarum sunt idem vero Deus, qui scilicet dat eas. Alij datur per spiritum sermo sapientiæ. Alij sermo scientiæ. Alij fides. Alij prophetia. Alij discretio spirituum. Alij operatio virtutum Alij gratia sanitatum. Alij genera linguarum. Alij interpretatio sermonum. Et ad bonum vsum earum hortatur Petrus in prima cano. dicens. *Vnusquisque prout accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, vt boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.* 1. *Petr.* 4

§. I.

EST ergo prima ex his gratijs, sermo sapiētiæ. *Ego*, inquit Dominus Iesus, *dabo vobis os, & sapientiam*, id est sermonem sapiētiæ, *cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij vestri*. Luc. 11. Quod *Luc.* 11. patuit in Protomartyre Stephano. Nam Doctores Iudæorum *non poterant resistere sapientiæ, & spiritui, qui loquebatur* per eu: vt scribitur Act. 7. Et constitit ista gratia in *Act.* 4. cognitione, & locutione alta, & profunda de diuinis, & substantijs separatis, habita nō per exercitium humanum, vt vacantes Metaphysicæ, & Theologiæ, sed à Deo infusa, prout habuerunt Apostoli, qui erant priùs piscatores idiotæ, sed misso Spiritu sancto per gratiam istam loquebantur magnalia Dei, vt stuperent omnes, etiam Rabbi eorum. Et hac gratia Ioannes eructauit illud *In principio erat Verbum*. Hoc inquit Hie- *Ioann.* 1. ronymus, doctus Plato nescivit. Hoc Demosthenes eloquens ignorauit, quod Ioannes piscator indoctus edocuit. Quibusdam tamen sanctis Doctoribus vltra sapientiam diuinorum ex eminenti ingenio, & laborioso studio acquisitam creditur, & ista gratia sapientiæ superaddita, vt Augustino, Ambrosio, Hieronymo, Gregorio Magno, Thomæ de Aquino. Hac gratia sapientiæ plena fuit Beata MARIA in contemplatione æternorum. Ipsa enim Beata MARIA, secundùm Albertum, videre potuit spiritum increatum per speciem propriam, ergo & quemlibet alium spiritum. Cùm enim dicat Beatus Gregorius de Beatis. Quid est, quòd non videant, qui videntem omnia vident, & ipsa videat videntem omnia? Igitur videt omnia, & Angelos, & animas separatas, & substantias rerum. Dicit enim Damascenus de Beata Virgine. A nullo illustrium vincitur, id est sanctorum, scilicet, in gratijs concessis, & spiritualibus bonis, sed Paulus in raptu scribitur vidisse dispositionem cœlestis Hierarchiæ, & B. Dionysio reuelasse, ergo & Beata MARIA vidit statum Angelorum, & triumphantis Ecclesiæ. Præterea Philosophus dicit, quòd intellectus cognoscit omnia propter seipsum agnoscendum.

Quic-

Quicquid autem est secundùm naturam cognoscitiuum alicuius, cognoscet illud, nisi impediatur. Illa autem impedimenta ad cognoscendum, secundùm beatum Augustinum, sunt phantasmata corporalium rerum per amorem conglutinata, quibus abstractis anima seipsam videt. Sed ab his anima Beatæ Virginis potuit se abstrahere, ergo potuit & seipsam videre per speciem propriã. Item Philosophus dicit, quòd omnino, & difficillimum est aliquam fidem accipere de anima. Et intelligitur de anima secundũ substãtiam suam. Operationes enim eius, & potentias suas, & accidentia eius non est difficillimum cognoscere. Si ergo cognoscere animã in se per suam speciem est de numero difficillimorum, ergo est & de numero cognoscibilium, ergo etiam secundùm Philosophum, qui non habet gratiam, possibile est animam cognoscere per speciem suam propriam, licèt difficulter. Sed ista difficultas amouetur per astractionẽ à phantasmatibus corporalibus. Et ista abstractio fuit completissima in contemplatione Beatę Virginis, ergo ipsa vidit animas, & spiritus in sua contemplatione, & substantias corporaliũ. Præterea intellectus per cognitionem creatorum venit in cognitionem primi principij, secundùm quod est causa omnium, & suscipit in se speciem intelligibilem ab ipso. Et intellectus iste acquisitus in anima omnia facit in animo, eo quòd dicitur intellectus agens vniuersaliter facere, non tamen completè habet huiusmodi intellectus agens, sed habet dispositionem quandam fluentem à prima causa, quæ dicitur lumen illuminans intellectum possibilem. Et si quæratur, cùm intellectus sit nobilissima pars animæ perfectissimè cognoscẽs, minus indigens exteriori adminiculo, quam aliæ partes animæ, quare indigeat huiusmodi lumine. Sensus autem, & phantasia minimè hoc indigeat. Dici oportet, quòd non indiget huiusmodi lumine ad cognoscendas species intelligibiles, quæ priùs sunt phantasmata, quia sic esset debilioris, & minoris potentiæ, quã sensus, & phantasmata. Sed indiget huiusmodi lumine ad cognoscendum talia, quæ sunt occulta naturæ, quæ non possunt apprehendi sensu, vel phantasia, cuiusmodi sunt substantiæ, quæ in rebus naturalibus sunt de rebus phantasmata facientibus. Ipsę verò phãtasmata minimè facere possunt. Et huiusmodi sunt substantiæ separatæ, vt Angeli, & animæ separatæ, pro quarum cognitione intellectus indiget tali lumine à primo principio infuso, & ad cognitionem ipsius primi principij. Et ad hoc verum est, quòd dictum est, quantùm ad cognitionem talium specierum, quia sicut facit lumen potentia colores actu colores, ita huiusmodi lumen impressum intellectui à primo principio facit huiusmodi species occultas potentia intelligibiles actu intelligibiles. Et ex his patet, quòd etiam phyticè procedendo, possibile est animam existentem in corpore spiritus, & spiritualia, & substantias corporalium videre, etiam sine præsentia gratiæ. Ergo multò fortiùs anima Beatæ Virginis eleuata, & abstracta plenitudine gratiæ. Hac sapientia gratia gratis data de diuinis magnificè locuta est componens canticum illud. *Magnificat anima mea Dominum.* Hac sapientia docuit Apostolos sapientissimos de multis mysterijs fidei, & secretis diuinis post Ascensionem filij. Et quid mirum, si sapiẽtissima omnium fuit, quæ fuit Mater Christi, qui est Dei virtus, & Dei sapientia, secundum Apostolum! Et multi sermones in libris sapientialibus, qui loquuntur de sapientia proprie, transumptiuè Ecclesia attribuit Beatæ MARIÆ, vt illud Eccles. 24. *In omnibus requiem quæsiui.* Et Prouerb. 8. *Dominus possedit me,* & multa alia. *Lucæ 1.* *Eccl. 24.* *Prou. 8.*

§. II.

DE gratia scientiæ. Postulat Psalm. 118. scientiam à Deo dicens. *Scientiam doce me.* Et ad quem finem, subdit, *vt discam iustificationes,* scilicet, facere ea, quæ habent iustificare obseruantia, scilicet, mandatorum, & operatio virtutum. Nam, vt dicit beatus Bernardus, sunt qui scire volunt, vt sciantur, & vanitas est, sunt qui scire volunt vt sciant, & curiositas est. Sunt qui scire volunt, vt lucrentur, & cupiditas est. Sunt qui scire volunt, vt ædificent se, vel alios, & charitas est. Consistit autem hæc scientia prout est gratia gratis data in hoc, quòd sciat quis eloqui de moribus, & naturalibus rebus, & artibus liberalibus, & mechanicis, prout expedit ad salutem animæ procurandum in proximis, & hoc non per studium humanum sed per infusionem Dei, & per modum passionis transeuntis habet talium cognitionem magis, quàm per modum habitus permanentis, quamuis etiam per habitum possit habere, 1. Corint. 1. *Gratia data est vobis in Christo Iesu, quia diuites facti estis in illo in omni verbo, & in omni scientia.* Hãc gratiam scientiæ habuerunt Apostoli docẽtes, & moralia, & etiam naturalia exempla ponentes, & sapientes mundi per rationes diuersarum scientiarum, cùm expediebat, ad dilationem fidei confundentes. Hæc à Deo infusa est Salomoni, non solùm ad iudicandum populum, sed etiam differendum de naturis, rerum de volucribus, piscibus, & animantibus terræ, de plantis *à cedro Libani vsque ad hyssopum* herbam minimam, vt patet 3. Reg. 4. Gratiam istam dicit Albertus habuisse Beatam MARIAM super alios. *In me,* *Psal. 118.* *2. Cor. 1.* *3. Reg. 4.*

Eccles. 44 *me*, enim, ait ipsa Eccle. 24. *omnis gratia*. Talis scientia dicitur per Apostolum gratia, ergo & ipsam habuit, vnde & Prouer. 9. dicitur. *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem.* Hæc domus secundùm Albertum, fuit Beata MARIA, septem colũnæ, septem artes liberales. Laudantur quippe plures sancti de huiusmodi scientia, vt beatus Dominicus, qui documentis artium eruditus satis transijt ad studium summæ veritatis, scilicet, sacræ Scripturæ, ad cuius intellectum valent, quã plurimùm tales scientiæ, vt patet distinct. 37. quibusdam. Similiter & beatus Gregorius, & Vincentius, & B. Catharina de huiusmodi peritia laudantur. Non autem debuit hæc materia laudis deesse & Beatæ MARIÆ. Et de grammatica, quòd eam scivit, patet ex hoc, quia super

Lucæ 2. illud. *MARIA cõseruabat omnia verba hæc, &c.* dicit Glossa: Legerat in diuersis prophetijs quæ cõferebat cum his, quæ in facto implebantur de filio. Sciebat ergo prophetias, quia legere, & non intelligere est negligere. Ad intelligendum autem huiusmodi necessaria est Grammatica. Et Damascenus dicit, quòd Beata MARIA nutriebatur in Templo, vbi virgines instruebantur. Propterea cùm Grammatica sit scientia rectè loquendi, & rectè scribendi, & in loquendo nunquam peccauerit, nec in scribendo, quod parum fecit, vt Epistolam responsalem destinatã ab ea Ignatio, sequitur, quòd Grammaticam vtilissimè scivit. Rhetoricã, quòd nõ ignorauerit eam, ostenditur ex hoc, quia secundùm B. August. Scriptura est plena coloribus Rhetoricis. Sed B. MARIA scivit perfectè sacrã Scripturã: ergo scivit, & illos colores pertinẽtes ad Rhetoricam, & sic eã scivit. Itẽ iura Ciuilia, & Canonica, quę scientia spectat ad aduocatos, & Iudices optimè scivit, quod patet per effectum. Sapientia enim aduocati, & eloquentia manifestatur ex tribus, scilicet, quòd obtineat apud iustum, & sapientem Iudicem. Secundò, contra aduersarium astutum, & sagacem. Tertiò, quòd in causa desperata. Sed Virgo MARIA aduocata nostra obtinuit contra sapientissimum, & iustum Iudicem Deum. Contra astutissimum aduersarium diabolum. In causa desperatissima inter Deum, & hominem, in qua nullus hominum loqui audebat, nec Moyses, qui dedit legem, nec Salomon sapientissimus scientiam optatam pro nobis reportauit nostræ liberationis, ergo & iura scivit. Logicam scivisse sic probatur per Albertum. Ipsa est vtilis ad scientiam sacræ Scripturæ, ad destructionem Hæresum, ad confirmationem fidei, ad reddendum rationem de ea: ergo ipsa est maximè necessaria Sanctis: ergo nec debuit deesse Beatæ MARIÆ, quæ cunctas Hæ-

A ses interemit in vniuerso mundo. Beatus Hieronymus etiam super Iob dicit, quòd liber iste continet propositiones, assumptiones, & conclusiones. Patet etiam in alijs libris sacræ Scripturæ, quòd ibi sunt diffinitiones, diuisiones, & conclusiones. Sunt & versus hexametri, vel pentametri, secundũ Hebræos, vt in Iob, & in Psalmis, & in Canticis, quod videtur esse in cantico per eam edito. Magnificat anima mea, &c. Ergo & Logicam, & Poeticam scivit, quia Scripturam in qua hæc habentur, plenè nouit. Et percurrendo per partes Logicæ, tentatiuam scivit in summo, quia nunquam in tentationes succubuit. Sophistica non cauit, quia omnes astutias diaboli cognouit, & omnia sophismata Diaboli patefecit. Dialecticam possedit, quia omnia problemata soluere scivit. Demonstratiuam peroptime scivit, quia nobilissimam propriam passionem de nobilissimo proprio subiecto per seipsam concluſit. Nobilissimum subiectum est prima, & summa bonitas. Nobilissima propria eius passio est misericordia, vnde in oratione. Deus, cui proprium est misereri. Hanc propriam passionem de hoc subiecto concluſit, quando per eam tamquam per medium summè bonus Deus in opere nostræ redemptionis in se summam misericordiam demonstrauit, quasi tali vteretur demonstratione. Quicumque aufert quodcumque malum auferibile, & cõfert omne bonum conferibile, ipse est summè misericors. Deus homo in nostra redemptione abstulit omne malum auferibile, & cõtulit omne bonum conferibile: ergo est summè misericors. Et hoc factum est per mediũ B. MARIÆ, de qua carnem assupsit, ex qua incarnatus hoc fecit. De Philosophia, seu Physica, cui & Medicina subalternatur, satis apparet, quòd multùm valet ad notitiam Scripturarum. Nam per diuersas proprietates lapidum, specierum lignorum, & animalium, & cæterarum rerum naturalium diuersæ figurantur intelligentiæ mysteriorum in sacra Scriptura. Vnde sine notitia proprietatum talium rerum nõ plenè potest haberi notitia Scripturarum. Sed Beata MARIA perfectè nouit Scripturas, vt dictũ est: ergo & naturas illarum rerum. Item nullus morbus, quantumcumque incurabilis videatur, est, quem non valeat curare, vt cæcitas & mors. Vnde ei canitur: Cæcos tu illumina, mortuos resuscita, da mœstis lætitiam. Eccles. 38. *Altissimus de terra creauit medicinam*, de terra, id est, de Virgine. De Mathematicis, quamuis dicat Philosophus, quòd in eis non est bonum, quia nec motus, nec operatio. Et quia in eis nulla videtur vtilitas, vel delectatio, quia de talibus cogitatio est mentis perfectæ

Eccle. 38.

ad creaturas inclinatio, & constanter delectationis, quæ in Deo est interruptio, & diminutio. Tamen quia, vt dicit beatus Hieronymus, Geometria, Arithmetica, & Musica habent in sua essentia veritatem dist. 38. si quis. Si quis artem nouerit Grammaticam, & veritas perficit intellectum, vt bonum eius. Et de Abraham dicitur, quòd erat peritus in astris, & Ægyptios docuit Astronomiam, & per eam ditatus est. Ideo & istas quantùm ad id, quod est vtile in eis, vt per illa deueniatur in notitiam Scripturarum, & creatoris, scire congruit. Et quantùm ad Musicam in lege veteri, & noua erant, & sunt cantores ordinati ad cultum Dei, & diuersa instrumenta ad pulsandum, & melodiam excitandam. Sed hoc pertinet ad Musicam: ergo & illius notitiam habuit, cùm excitetur affectus ad Deum per ista, vt patet in Heliseo, qui faciens psalterium adducere, & pulsare, excitata est mēs eius ad prophetiā. Propterea auditus filij Dei nobilissimus fuit, & sic ei conueniebat delectabilissima vox ad audiendum. Hæc autem vox Matris suæ delectabilissima ad audiendum, quia summè harmonica, quòd pertinet ad musicam, vnde in Cant. 2. ipse dicit. *Sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis.* *Canti. 2.*

Quantùm ad Astronomiam, dicitur Genes. 1. quòd *in principio creauit Deus cœlum & terram.* Vbi Doctores ponunt plures cœlos, & infrà: *Fecit luminaria duo magna*, scilicet, Solem, & Lunam, & stellas. *Et posuit ea in signa, tempora, dies, & annos*, & huiusmodi. Vnde videtur necessaria, vel saltem vtilis Astronomia ad notitiam Scripturarum. Quam quia Beata MARIA plenè habuit. Et ista videtur ei non defuisse. Quantùm tamē spectat ad salutem, minus cęteris videtur vtilis. Sed & multùm curiosa, & in aliquibus superstitiosa, & hæretica, credentibus, videlicet, astra dominari voluntati hominum. Vnde & beatus Ambrosius dicit, Qui his studet, curam animæ non habent, distinct. 38. legimùs 1. Quod autem vtilitatis est in ea, & valens ad notitiam Scripturarum, & Deum contemplandum, habuit Beata MARIA. De Arithmetica, quæ est circa numeros. Numeri ipsi in Scripturis continent magna mysteria, vt patet in binario, ternario, quaternario, senario, denario, & huiusmodi secundùm expositionem Doctorum, & computationes innorum, de vitis antiquorum, vbi notantur. Et sic videtur necessaria scientia Arithmeticæ, seu algorismi ad eius intellectum. Quod verùm est, sed modica pars, & facilis ad capiendum. Et quod de ea fuit expediens, habuit Beata MARIA non ad faciendas computationes ratiocinij mercatorum. Geometria, quæ est de mensuris, cùm in Scriptura fiat mentio de diuersis mensuris, & cubiti, & calami, rinciridis, modij, chori, in liquidis, chades, ephi, & huiusmodi, vtilis est ad notitiam eius, & inquantum huiusmodi habuit eam Beata MARIA. Quòd habuit scientiam Theologiæ in summo, patet. Dicit enim Psalmus 118. *A mandatis tuis intellexi.* Vbi Glossa Augustini. Impletio mandatorum auget intellectum, & cognitionem operanti. Sed Beata MARIA super omnes obseruauit, ergo super omnes intellexit. Item Ezech. 1. dicitur: *Cùm eleuarentur animalia de terra, eleuabantur pariter & rotæ iuxta ea.* Vbi exponit beatus Gregorius, quòd cùm eleuantur Doctores in vita, scilicet spirituali, honoratur, & exaltatur in eis scientia. Sed Beata MARIA fuit eleuatissima: ergo super omnes habuit scientiam Theologiæ, vnde & habuit aureolam doctorum, secundùm Doctos. Et figurata est in Arca, quæ habebat in se legem Dei. Præterea intelligere omnes sacras Scripturas videtur esse supra communem statum Sanctorum viatorum, & tamen inconueniens est ponere, quòd aliquid à Spiritu sancto sit dictum, quod à nullo fuerit intellectum, iuxta illud Esai. 55. *Verbum, quod egredietur de ore meo* (ait Dominus) *non reuertetur ad me vacuum.* Ex his infertur, quòd perfecta cognitio Scripturarum omnium secundùm intellectum ipsius Spiritus sancti loquentis per Scripturas, pertinet ad statum, qui est super statum omnium viatorum, hic autem est Beatæ MARIÆ, ergo ipsa sciuit Theologiam improportionabiliter vniuersis. De artibus mechanicis sciendum, quòd cùm natura non deficiat in necessarijs, nec abundet in superfluis, multò fortiùs hoc agit gratia, quæ potior est, quàm natura. Sed quædam artes mechanicæ erant Beatæ MARIÆ necessariæ, vt muliebres, quædam superfluæ, vt viriles: ergo primas habuit, non secundas, sicut est ars militiæ, mercatorum, lapicidarum, & huiusmodi. Inter muliebres autem artes, vt textura, aurifrigium, sutura, nere, & alia plura huiusmodi sint subtilia, ordinantur magis ad vanitatem, quàm necessitatem, non videtur, quòd Beata MARIA illis intenderit. De ea enim dicitur. *Optimam partem elegit sibi MARIA.* Lucæ 10. Vbi Gloss. Bona pars actiua. Melior contemplatiua. Optima mixta ex vtraque. Hanc elegit Beata MARIA. Ergo debuit habere opera actiua, quæ non repugnarent contemplationi. Hæc autem sunt opera grossa, quæ non requirunt multam attentionem cogitationis. Vnde de ea dicitur Prouerbiorum vlt. *Quæsiuit lanam, & linum, & operata est consilio manuum suarum. Et manum suam misit ad fortia*, scilicet, opera misericordiæ, *& digiti eius apprehenderunt fusum.* *Genes. 1.* *Psal. 118* *Ezech. 1.* *Esai. 55.* *Lucæ 10.* *Prou. 31*

Et

Et in legenda eius, dicitur, quòd certa hora deiv acabat operi texturę. Dignissimũ enim ad quod ordinantur mechanicæ, est vestimẽtum. Primò enim anima, secundò corpus, tertiò vestimentum. Et dignissimum omnium vestimentorum fuit tunica inconsutilis, quam fecit Beata MARIA filio. Et sic ars mechanica eius excusabat nobilissimum effectum, ergo excedebat alios in mechanicis. Pro conclusione omnium prędictorum, dicit Albertus, quòd Beata MARIA sufficienter perfecta fuit per habitum naturæ, & gratiæ in operationes exire, & finem consequi cuiuslibet scientiæ. Et hac scientia exiuit in actum, & operationem, quando, vbi, qualiter, & quantum ordinabatur sibi in sui beatitudinem, & aliorum salutem. Habuit etiam perfectam cognitionem omnium pertinentium ad suam beatitudinem, secundùm statum viæ pertinentium, & nullorum inutilium, & ad gratiam impertinentium. Vnde anima eius beatissima nulla in se habuit inutilia, vel impertinentia, sed per totum gratia plena fuit. Vnde omnia, quæ in ipsius anima fuerũt, vel naturalia, vel acquisita, sic erãt gratia informata, vel cum gratia coniũcta, cùm omnia iam essẽt gratuita. Vnde omnis scientia eius gratuita, omnis dilectio gratuita, omnis operatio gratuita, vt sine omni restrictione omnifariæ sit gratia plena.

§. III.

TErtia gratia gratis data est fides, quæ differt à fide prout est virtus Theologica, quia inquantum virtus Theologica fides est, qua assentitur his, quæ nõ videntur. Sed inquantum gratia gratis data, vt hìc, importat quandam mentis certitudinem vltra cõmunem modum, vel quandam constantiam ex fide, vel sermo de his, quæ sunt fidei. Et de constantia fidei certum est, quòd omnes superauit. Omnes defecerunt præ timore in fide, in passione, & ipsa semper firma permãsit. Vnde & de ea exponitur illud Eccl. 1. *Generatio præterit*, scilicet, à fide, *generatio adnenit* ad fidem veniens, *terra autem*, id est, Virgo MARIA, quæ nobis protulit fructũ ventris sui Iesum *in æternum stat* firma in fide. Ex eius quoque fide secutus est effectus improportionabilis fidei aliorũ. Vnde Saluator filius eius ait. *Si habueritis fidem, vt granum sinapis, dicetis monti huic Tollete, & mittete in mare, & obediet vobis*. Granum sinapis est tenax, paruum, & calidum, & significat fidẽ Beatæ MARIÆ, quæ fides fuit ita constans, certa, & humilis, & sine aliqua hæsitatione, quòd cùm ait. *Ecce ancilla Domini*, optans, & postulans, vt mons, qui est in vertice montium, tolleret se de cœlo, & mitteret se in mare huius mundi per Incarnationem ex ea, prout sibi Angelus nuntiauerat, subitò mons ipse sublimissimus obediuit, intrãs Virginis vterum. Certè nullius sancti, vel sanctæ fuit vnquam fides ita constans, & feruens, quòd istud petere auderet, vel impetraret. Non Abraham, qui tamen datur alijs in exemplum fidei. Qui, vt ait Apostolus ad Rom. 4. *Credidit in spem contra spem*. Credidit quidem in spem repromissionis sibi factæ ab Angelo de filio nascituro, contra spem, quam naturaliter habebat, scilicet, quòd non esset amodo ei nasciturus, cùm esset antiquus dierum, & vxor sterilis. Sed maior fuit fides B. MARIÆ, quæ credidit Angelo, quòd ex se Virgine nasceretur, non homo tantùm, sed filius Dei Altissimi. Magis enim est contra, vel potiùs supra naturam Virginem concipere permanens Virgo, & verum Deum & hominem, quàm concipere vetulam ex vetustissimo, & purum hominem Isaac. Ipsa de plurimis mysterijs fidei perdocuit primos Prædicatores fidei scilicet Apostolos. Et quòd huiusmodi gratia fidei possit esse sine gratia gratum faciente, patet per id, quod ait Apostolus, 1. Corinth. 13. *Si habuero fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, &c.* Et datur ibi exemplum de Alexandro Magno, qui ex fide orans procurauit montes Caspios insimul iungi, vt infrà eos claderentur Tribus quædam Iudæorum translatæ propter scelera eorum, quod & factum est.

Rom. 4.

1. Cor. 13.

§. IIII.

QVarta gratia est prophetia, scilicet, prædicere futura, vel occulta, præsentia, vel præterita nunciare, quæ via naturali sciri non possunt. Et quòd hæc gratia non solùm in bonis inueniatur, vt Dauid. Esaia, Ieremia, Ezechiele, Daniele, & alijs, sed etiam in malis hominibus, patet in Saule, Balaam hariolo, Et Caipha, qui *cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit*, vt dicit Euangelista Ioann. 11. Et hanc gratiam copiosè habuit Beata MARIA, vnde Glos. super illud Esai. 8. *Accessi ad Prophetissam*, id est Virginem MARIAM in illa figuratam. Et conceptum ex ea filium iussit vocari. *Accelera, spolia, detrahe, festina prædare*, quod nomen per effectum conuenit Christo concepto ex Prophetissa, scilicet, Beata MARIA, sed de Spiritu Sancto. Si Ioannes Baptista, dicitur Propheta, quia Christum digito demonstrauit occultum alijs, quantò magis dici debet Prophetissa, quæ eum generauit, & toti mundo occultum Deum visibilẽ ostendit? Ioannes dicitur Propheta non solùm, sed *plusquã Propheta*,

Ioan. 11.

Esai. 8.

quia de eo prophetatum est. Et quia parentes in sua natiuitate Prophetas quodammodo fecit, Matrem, videlicet, & Patrem, vt patet in Euangelio Lucæ 1. Multò magis dici debet plusquam Propheta Beata MARIA, quæ copiosissimè, & aperte per Prophetas est prænuntiata, à Patriarchis designata, & in multis generibus rerum figurata, vt in Arca, in virga, in vellere Gedeonis, & aliàs. Ipsa quoque videtur Ioannem constituisse Prophetam. Nam *vt audiuit salutationem MARIÆ Elisabeth, exultauit infans in vtero eius*, scilicet Ioannes Baptista. Vnde, nisi quia cognouit mysterium occultissimum omnibus & illud ostendit modo quo potuit, scilicet, exultando, adorando, & tunc primùm Ioannes factus est Propheta ex voce Beatæ MARIÆ, quinimmo etiam Mater repleta Spiritu sancto cognouit, & declarauit ipsam rem occultissimam cunctis clamans, vt omnes audirent. *Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini ad me?* Nonne Prophetissam se ostendit, cùm ait in cantico. *Beatam me dicent omnes generationes*, quæ tunc erat omnibus ignota, sed futurum erat pòst tempora, quod dixit? Sed & cùm ministris nuptiarum, deficiente vino, in quit. *Quodcumque vobis dixerit*, scilicet filius meus, *facite*. Ideo hoc dixit, quia præscia futuri miraculi, sciebat aquam in vinum conuertendam, *Aue*, igitur, *gratia plena*, prophetiæ.

Luc. 1.

Ioann. 2.

§. V.

QVinta gratia est gratia sanitatum, id est curare infirmos non medicina naturali, sed virtute diuina. Opere diabolico, vt fit incantationibus, & superstitionibus curare infirmos non pertinet ad gratiam istam, sed ad peccatum, vnde & prohibitum est 26. quæst. 4. igitur. Sed quòd mali extra gratiam gratum facientem faciant aliqua mirabilia, & sanèt infirmos virtute Dei, ostenditur ex eo, quod dixit veritas illa, quæ mentiri non potest, scilicet, quòd in die iudicij multi venient dicentes. *Nonne in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Domine aperi nobis. Et dicetur illis. Discedite à me operarij iniquitatis, quia scilicet fuerunt mali illa facientes. Sed ex hac Dei gratia Apostoli curabant infirmos ita copiosè, quòd ad vmbram Petri transeuntis per viam infirmi tacti eius vmbra sanabantur. Hac gratia copiosè fuit repleta Beata MARIA. Et licèt non legatur de aliquo sanato in vita eius tamen post mortem, quòd innumerabiles variis languoribus, & incurabilibus detentos ipsa curauerit, & curet, Ecclesiæ ad eius honorem construct̨ę satis docent, plenę imaginibus, ipsas sanitates prædicantibus. Et quod copiosius est, quia ipsa sanauit totum hominem in anima, scilicet, & corpore per fructum ventris sui. Vnde dicitur Eccle. 44. *Medicina omnium in festinatione nebulæ.* Nebula ista est caro Christi de terra virginali exorta, nullo peccati pondere prægrauata, vltra puritatem Angelorum elevata, calore Spiritus sancti formata. Ecce video Dei potentiam venientem, & nebulam, totam terram tegentem, &c. Et hac medicina nobis à Beata MARIA facta, & nobis proposita, totus mundus sanatus est virtualiter, vnde & Beatus Bernardus. De plenitudine eius omnes recipiũt, peccator gratiã, æger curationem, tristis consolationem.

Matt. 7.

Eccl. 44.

§. VI.

SExta gratia dicitur operatio virtutum, Gloss. id est, miraculorum, quæ sunt cõtra naturam, id est, contra solitum cursum naturæ. Et ista est differentia inter istam, & præcedentẽ, quia præcedens, videlicet gratia sanitatum, est circa ea, ad quæ se extendit etiam virtus naturalis, scilicet sanatio infirmitatum. Sed vbi per naturam fit sanatio mediantibus medicinis, & successiuè per gratiam diuinam fit & subitò. Sed operatio virtutum est circa ea, ad quę se non extendit potentia naturæ creatæ, vt illuminatio cœcorum, & resuscitatio mortuorum, solem in cœlo fixum stare, vel retrocedere. Omnium autem virtutum, & miraculorum maximum est Deus homo, seu Verbum caro de Virgine factum, vnde Ieremias 31. *Nouum creauit Dominus super terram. Fœmina circumdabit virum*. Ista fœmina est Beata MARIA, quæ circumdedit, non aliunde accepit nisi à Spiritu sancto corpore formato ex purissimis sanguinibus eius, & subitò perfectè organizato, anima tunc creata plena sapientia, & omni gratia, vnde & anima ei infusa, & diuinitati vnita est, & omnia simul, & in instanti. Nouum est illud super omnes nouitates. *Quis vnquam audiuit talia?* inquit, Esaias vltim. capit. Certè nullus, nec in præteritum, nec in futurum erit. Opus vtique huiusmodi gratiæ virtutum fuit, quod factum est sub Ezechia, quando scilicet, ad petitionem eius in signum suæ sanationis, & remissionis culpæ: *Sol reuersus est retro per decem lineas in horologio Achaz Regis*, vt habetur, 4. Regum 20. Sed opus virtutum fuit istud, quod fuit vmbra, & figura, quàm maius erit ipsa res, quã fuit figurata! Signũ enim fuit datum in sanationem, & remissionem peccati, non vnius, sed totius humani generis infirmi ad mortem, quod quando Sol iustitię Filius Altissimi retrocederet decem lineis, tunc sanaretur homo.

Ieremi. 31.

Esai. 66.

4. Reg. 20.

No-

Nouem lineę sunt nouem ordines Angelorũ rectiante Deum. Decima linea est humana natura. Reuersus est ergo quasi retro, quando paulominus ab Angelis minoratus, quia mortalis factus, formam serui accipiens, habitu est inuentus, vt homo. Et sic in decima linea. Horologium ad cuius decimam lineam reuersus est Sol, est Beata MARIA ex Rege Acham descendens, quæ in se habuit perfectionem omnium ordinum Angelorum, & hominum. O quantæ virtutis opus. Deus factus est homo, vt homo fieret Deus, cæcus illuminatus, mortuus suscitatus, infirmus sanatus per Virginem MARIAM. Cæcos quoque legimus eam illuminasse corporaliter. Nam, vt legitur, cùm quidam clericus ei valde deuotus, qui arte scribendi vitam suam sustentaret audiens, & legens pluries de pulchritudine, & excellentia Virginis, rogabat frequenter, vt semel ei se dignaretur ostendere. Cui reuelatum est, quòd tanta esset claritas eius, vt si videret, visum amitteret. Qui nimis affectuose hoc cupiens dixit, se non curare de amissione oculorum, dum semel mereretur eam aspicere. Cogitauit tamen in hoc sibi prouidere, ne amissione visus oporteret eum mendicare, scribere non valendo, statuens videlicet in mente sua, cùm ei appareret, vnum oculorum clausum tenere, & altero eam aspicere, vt saltem clausus oculus sibi remaneret illæsus. Cùm igitur super hoc anhelanti quadam vice Beata MARIA sibi cum magna gloria appareret, & ille clausum vnũ oculum tenere inciperet, tantam pulchritudinem, & magnificentiam in ea cum vno oculo aperto vidit, quòd non contentus vidisse vno oculo, nisi eam totis oculis vidisset, etiam si centum habuisset, aperuit subitò & alium, vt plenius contemplaretur. Qui subitò immensitate lucis vtroque oculo orbatus est. Nec tamen ex hoc cõtristatus sed mirabiliter cõsolatus ex huiusmodi visione rogauit tamẽ B. MARIAM, vt saltem vnum restitueret, vt ex Scriptura degere posset. Hac igitur fuit plena B. MARIA.

§. VII.

1. *Ioan.* 4. SEptima gratia est discretio spirituũ. *Nolite*, (inquit Ioan. in prima cant. sua) *omni spiritui credere, sed probate spiritus vtrum ex Deo sint. Nam & ipse sathanas transfigurat se in Angelum lucis*, vt adoretur, vt patet in coll. 2. Moysi per plura exempla. Et sæpè vitia se ingerunt, & virtutes esse simulantur, siue per instigationem diaboli, siue sensualitatis, siue mali hominis, vt decipiat. Sed per hanc gratiam discernuntur
1. *Cor.* 12. ista vera à falsis. Nam vt dicit Apostolus, 1. Corinth. 2. *Spiritualis omnia iudicat*, ideſt, discernit agenda à non agendis, & simulata à veris. Et quia Beata MARIA fuit spiritualis super omnes, habuit discretionem spiritu, sed & cùm beatus Antonius in spirituum videns totum mundum plenum laqueis se in vicẽ cõnexis exclamasset. O quis euadet illos laqueos? Responsum est ei. Sola humilitas. Beata Virgo MARIA super omnes viatores puros fuit, sine comparatione humilis. Ideo ipsa per gratiam istam discretionis spirituum omnes deceptiones euasit. Proprium est spiritus nequam tentare de superbia spirituales. Sed nunquam Beata MARIA habuit stimulum superbię. Sic Paulus Apostolus dicit, 2. Corinth. 2. *Non ignoramus astutias eius*, scilicet diaboli, cùm ipsa sit plus, quàm Paulus, multò magis ipsa non ignorauit, sed discreuit, & nunquam ab eo decepta fuit, vnde & salutata insolito modo *cogitabat, qualis esset ista salutatio*, mente reuoluens, quia aliquando per laudes homo decipitur. Et ideo cogitabat, & discernebat, ne forte deciperetur. Sed recognoscẽs veritatem intellexit nõ esse decipientẽ missum. Sed omnimodam veritatem explicantem. Vnde, *Aue gratia plena*, discretionis spirituum. 2. *Cor.* 2.

§. VIII.

OCtaua gratia est genus variarum linguarum. Loqui, scilicet, scire, & intelligere idiomata varia, quæ quidem non didicit per industriam, sed accepit a Deo per gratiam. Ideo Spiritus Sanctus in Pentecoste fuit datus in specie linguæ ignitæ, iuxta illud Actorum 2. *Apparuerunt illis dispartitæ linguæ tanquam ignis* ad innuendum, quòd acceperant donum linguarum, id est, loqui ad placitum suum in varijs idiomatibus Hebraico, Græco, Latino, Gallico, Theutonico, Italico, & huiusmodi. Et quia Beata MARIA fuit cum Apostolis orans, quando receperunt Spiritum sanctum, credendum est, quòd & hoc donum receperit cum eis. Quamuis non esset deputata à Deo ad discurrendum per mundum ad prædicandũ, sicut Apostoli, tamẽ vt nil boni spiritualis, & gratiæ ei subtrahatur, decebit eã hac non priuari, sic nec filius eius, quamuis non egeret habere donum linguarum, quia non prædicauit, nisi Iudæis, dicens. *Non sum missus, nisi ad oues Israel*, non tamen hoc caruit secundùm Beatum Thom. in summa. Nec frustra ipsum habuit, quamuis eo non sit vsus, sed ad excellentiam eius. Præterea ipsa Beata MARIA, etsi non prædicaret, verisimiliter tamen credendum est quamuis non scriptum sit, quòd multi ex conuersis ad fidem de diuersis nationibus, & linguis audientes Matrem Iesum Deum, & hominem post aduentum Spiritus Actor. 2. Matt. 15

Sancti accedebant ad eam visitandam, venerandam, & audiendam. Quibus cùm plena esset charitate, nec in loquela posset errare, loquebatur, consolabatur, respondebat, instruebat varijs idiomatibus, in quibus illi nutriti, & edocti erant. *Aue*, igitur, & *hac gratia plena.*

§. IX.

NOna gratia dicitur interpretatio sermonum, id est expositio Scripturarum, nó per exercitium habita ex lectionibus Doctorum exponentium, sed per infusionem Spiritus sancti, quam habuerunt Apostoli, vt patet in Petro ex Epistola sua. Hanc gratiam habuisse Beatam MARIAM patet ex hoc, quia dicitur Amos Propheta 3. c. *Nõ faciet Dominus verbum, quod non reuelet seruis*
Amos. 3. *suis.* Sed Beata MARIA super omnes fuit ancilla Domini, quin immo Mater Domini. Vnde multò magis credendum est, quòd ei reuelata fuerunt occulta mysteria Scripturarum. Habuit quoque & dignitatem Apostolatus. Nam etsi non fuit de numero 12. Apostolorum à Christo deputatorum ad prædicandum, instruendum, & regendum Ecclesiam Dei, fuit tamẽ magistra eorum, & ideo dicitur Luc. 2. quòd *MARIA conseruabat*
Lucæ 2. *omnia verba hæc*, vt scilicet tempore suo instrueret Apostolos & Euangelistas de multis, vt dicitur gestis in suo conceptu, & partu, & infantia Saluatoris, quæ illi non viderant. Præterea si Ioannes Baptista dicit. *Ego*
Ioann. 1. *sum vox clamantis in deserto.* Ioan. 1. quasi dicat: non tantùm prædico voce, sed totus sum vox exultationis, ita quòd omnia mea, vita, victus, vestitus, & locus prædicãt pœnitẽtiam. Ita B. Virginis omnia prędicant in nocẽtiam. Si Ioannes habet donum, & gratiam prędicationis, quia est vox clamãtis in deserto, multò magis Beata MARIA habet hoc donum Apostolatus, quia est vox clamãtis in cœlo. Proprietas Apostolorũ insinuata à Christo est *Vos estis lux mundi.* Mat. 5. Sed
Matt. 5. multò magis B. MARIA, cuius vita inclyta (vt canit Ecclesia) cunctas illustrat Ecclesias. Pauit etiam, & pascit Ecclesiam continuè benedicto fructu vteri sui, pane Angelorum in ipsa formato in sacro Altari nobis ministrato, vt pastor bonus. Concludit igitur Alb. vbi supra, quòd vniuersitatem gratiarum gratuitarum, & gratis datatum omnifariam habuit. Quamuis enim istæ gratiæ, præcipuè gratis datæ communiter dentur ad vtilitatem aliorum, & sui profectum, Beatæ tamen MARIÆ fuerunt collatæ, etsi nõ habuerit ministerium in Ecclesia, vt Apostoli, ad decorandum potentiam, ad nobilitãdam naturam, ad honorandum personã suã, & sic ad perfectionis & delectationis augmẽtu in materiam laudis, & omnium bonorũ spiritualiũ cõplemẽtum, iuxta illud Sap. 7. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* scilicet, sapientia diuina, quam alij concipiunt mentaliter, ipsa etiam corporaliter. Et ideo, *Aue gratia plena.*

De gratia priuilegiorum singularium Beatæ MARIÆ. Capit. 20.

Ave gratia plena. Hìc demum videndum est de gratijs singularibus, seu priuilegijs, quæ non reperiuntur in aliquo sanctorum. Quodlibet enim beneficium alteri collatum gratis, dici consueuit gratia, & tantò maior, quantò magis singularis. Vnde & Eccles. 27. dicitur: *Gratiam fidei tui serua ne obliuiscaris*, id est, beneficium. Et regula iuris in 6 Quod alicui gratiosè conceditur non debet ab alijs trahi in exemplum. Sunt autem 12. gratiæ, seu priuilegia propria Beatæ Virginis nemini communicata, quę designantur per 12. stellas coronæ mulieris, de qua dicitur Apoc. 12. *Mulier amicta Sole, & Luna*
sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim. *Apoc. 12.* Mulier hæc est Beata MARIA, vt dicit beatus Bernardus in sermone. Vbi de ea possunt notari tria ostendẽtia magnificentiã eius. Præmium sublimissimum, quia amicta Sole. Meritum excellentissimum, quia Luna sub pedibus eius. Priuilegium copiosissimum, quia in capite eius corona stellarum duodecim.

§. II.

DE præmio nota, quòd Sancti comparantur stellis, quarum vna est lucidior altera. Sic & sancti, vnus glorioſior altero. Et hoc est, quod ait Apostolus, 1. Cor. 15. *Sicut stella differt à stella in claritate, sic erit*
1. Cor. 15. *& resurrectio mortuorum*, quia erit, & manifestabitur cunctis vnus splendidior altero. Omnes tamen stellæ lumen recipiunt à Sole. Sic omnes sancti lumen gloriæ recipiunt à Christo, qui est Sol iustitiæ. *De plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro*
Ioann. 1. *gratia.* Ioan. 1. id est, gratiam consummatam gloriæ pro gratia gratum faciente in præsenti habita. Sed mulier ista Beata MARIA, quamuis & ipsa stella maris illustretur à sole, non tamen hìc dicitur illuminata à sole, sed vestita ipso sole, vt ostendatur præmium eius excellentissimum, vt sicut nihil propinquius, & coniunctius corpori, quàm vestitus eius, ita nihil propinquius gloriæ Christi, quã gloria, & prẽmiũ B. MARIÆ, & aptè, vt sicut ipsa vestiuit solem ipsum in mũdo Dei filium carne sua, secundùm illud,
Ezech. 32. Ezech. 32. *Solem nube tegam*, sic ipse eam in cœlo vestiat Sole excelsiuæ gloriæ, vt dicere

re de ea valeat illud. *Te mecum assumam, & regnabis mecum.* 3. Reg. 11

§. II.

MEritum excellentissimum innuitur, cũ subditur. *Luna sub pedibus eius.* Luna inquantum variabilis significat mundum, inquantum eclipsim sæpè patitur, significat defectum, inquantum lucens illuminata à sole, significat Ecclesiam. Et ex omnibus his significationibus ostenditur meritum Beatę MARIÆ. Nam inquantum significat mundum Luna propter suæ lucis varietatem, quia quandoque plena, quandoque media, quandoque vacua. Sic aliqui in mundo aliquando habent plenam prosperitatem, aliquando medio modo, aliquando ea nudati, secundùm hoc Luna fuit in mundo sub pedibus eius per contemptum perfectissimum mundi sub pedibus affectus erat, vt nihil esset, quòd mundanus violaret affectus, quod de nullo sanctorum dici potest. Inquantum significat defectum, sic Luna sub pedibus eius quia omnis defectus sub ea est, vt inquit beatus Hieronymus. Sola sine peccato actuali, etiam veniali, vt declarabitur. Nam cùm esset plena gratia, & veniale non sit, vbi gratia, id est, quod ab ea non procedit, sed præter eam. Si esset ibi veniale, ibi esset aliquid vacuum gratia, & sic non esset plena gratia. Vnde & beatus Augustinus. Cùm de peccatis agitur, nullam de ea prorsus volo haberi mentionem propter honorem Domini, cuius mater fuit. Inquantum significat Ecclesiam iuxta illud Prophetæ. *Eleuatus est, & Luna stetit in ordine suo*, id est, Ecclesia ordinata ab Apostolis post eleuationem Solis per ascensionem. Et secundùm hoc tantum fuit meritum Virginis, vt Ecclesia sit sub pedibus eius, sub protectione eius, & dominio. Vnde ipsa ait. Eccles. 24. *In Ierusalem potestas mea*, id est, in Ecclesia. Vnde Ecclesia ad ipsam orat. Sancta MARIA succurre miseris iuua pusillanimes, refoue flebelis, ora pro populo, interueni pro Clero, intercede pro deuoto fœmineo sexu, sentiant omnes tuum iuuamen, &c. Cùm enim nunquam peccaret, nec otiosa esset, sed semper operaretur cum maxima charitate, & in quolibet actu mereretur valde, & hoc ostenditur immensum meritum eius, vt ipso merito ex precibus Ecclesia protegatur ab ea, & sic plena gratia, vnde opus nostrum habet, quòd sit meritorium, & tantò plus, quantò cum maiori gratia. Aba. 3. Eccle. 23

§. III.

PRiuilegium copiosissimum eius nõ vnũ, sed multiplex ex eo, quòd dicitur in corona capitis eius habere duodecim stellas, quæ sunt duodecim priuilegia, seu gratiæ singularis eius excellentiæ, quæ corona dicitur. Et diuersimodè assignant ista duodecim, sed Albertus, vbi supra sic. Quia nunquam peccato maculatur. Quia nec peccare potuisse insinuatur. Quia in quolibet opere meruisse monstratur. Quia summa puritas in ea expressatur. Quia mater simul, & Virgo decantatur. Quia Mater Dei verè nuncupatur. Quia Virgo virginum esse dicatur. Quia mater omnium prædicatur. Quia porta cœli declaratur. Quia Regina misericordię laudatur. Quia passio Christi ei soli communicatur. Quia super omnes creaturas exaltatur.

§. IIII.

ET hæc sic declarat Albertus ibi. Quòd nunquam peccauerit patet ex illo verbo Cantic. 4. *Tota pulchra es*, scilicet, in anima, & corpore, *& macula*, scilicet peccati *non est*. Et si dicatur. Qui totum dicit, nihil excludit. Sed Iacob. 3. dicitur. *In multis offendimus omnes*. Et 1. Ioan. 1. scribitur. *Sanguis eius emundabit conscientias nostras ab omni peccato*, Gloss. ibi. Non tamen debemus putare, quãdiu viuimus, omnino posse à peccatis mundari, intelligitur quin in aliqua incidamus, saltem venialia. *Quis enim potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato?* inquit Salomon Pron. 20. Sed vt dicit regula iuris in 6. Generi per speciẽ derogatur. Per speciale enim priuilegiũ cõcessum Beatæ MARIÆ, quoad ipsam derogatur illi regulæ generali, quod *omnes peccauerunt*, Ad Rom. 3. Quod declarat beatus August. in lib. de natura, & gratia dicens. Si omnes sancti, & sanctæ dum hic viuerent, interrogati fuissent, vtrum peccatũ haberẽt? omnes vna voce respondissent id, quod Ioannes de se, & socijs dicit. Si dixerimus, quia peccatum nõ habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est, excepta S. Virgine MARIA. Inde scimus ei plus gratiæ fuisse collatum, ad vincendum ex omni parte peccatum, quæ concipere, & parere eum meruit, quem constat, nullum habuisse peccatum. Et igitur huiusmodi priuilegium soli ei collatum respectu omnium viatorum. Nam etsi Angeli boni nunquam peccauerunt, non computantur ipsi in numero viatorum. Quod autem dicit Chrisost. super illud Ioan. 2. *Quid mihi, & tibi est mulier?* quod aliquid humani passa est tunc Beata MARIA, quasi propter vanitatem voluerit Christũ inducere ad faciẽdum miraculũ & ideo Christus sic durè videtur sibi locutus. Concedit simpliciter Albertus primam partẽ, scilicet, quòd aliquid humani passa sit vt homo, scilicet, cõpatiẽs hominibus in defectu vini. Sed quòd aliquid passa sit, vel egerit vani, per omnia falsũ est & cõtra Aug. Vnde per excessũ locutus est Cryso. Vel fortè secũdũ opinionẽ astantiũ dixit, quasi illi hoc Cant. 4. Iacob. 3. 1. Ioan. 1. Prou. 20. Roma. 3.

æstimarent. Ideo autem non ponitur priuilegium eius, quòd fuit sine originali cõcepta, quia istud erat impossibile, nisi conciperetur de virgine, & sic Mater sua esset virgo. Et sic non esset priuilegium MARIÆ, quod esset simul Mater, & Virgo, vt dicetur, quia & mater sua hoc habuisset. Priuilegium ergo Christi solius fuit concipi sine originali.

§. V.

SEcundum priuilegium gratiæ singularis fuit impossibilitas peccandi in ea. Vnde beatus Bernardus in sermone de natiuitate. Ego puto, quòd copiosior gratia sanctificationis in ea descenderit, quàm in alijs in vtero sanctificatis, quæ totam vitam eius immunem ab omni peccato efficeret, quod nemini in natis mulierum credimus esse donatum. Tanta igitur gratia ei infusa est, quòd peccare non poterat. Sed cùm Damascenus dicat, quòd omne creabile est vertibile, secundùm esse, & secundùm electionem. Secundùm esse, vt corporalia, secundùm electionem, vt rationalia. Sed Beata Virgo fuit composita ex vtroque, ergo videtur fuisse vertibilis vtroque modo, vnde & ad peccatum. Insuper glorioſiùs habetur quod ex victoria habetur, quàm sine victoria. Sed vbi non est pugna, non dicitur esse victoria. In Beata autem MARIA fuit nulla pugna, fuit ergo & nulla victoria. In B. MARIA fuit summa gloria, ergo & victoria, ergo & pugna. Igitur videtur potuisse peccare. In laudem quoque sanctorum cantatur. Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit. Videtur ergo maximè & hoc ei conuenire, quæ est omni laudi dignissima. Sed secundùm rei veritatem ipsa sola inter viatores peccare non potuit. Inter posse enim peccare, & posse mereri, & non posse mereri medium est non posse peccare, & posse mereri. Sed primus status est comprehensorum, qui non possunt peccare, nec mereri. Secundus est viatorum communiter, qui possunt, & peccare & mereri. Medius ergo status conuenit Beatæ MARIÆ, quæ fuit simpliciter viatrix, & secundùm quid comprehensor, vnde ipsa potuit mereri, non peccare, quod pertinet ad statum medium. Sciendum tamen, secundum Albertum, quòd non peccare per se sequitur naturam inuertibilem. Et hoc modo Deus Trinitas dicitur non posse peccare. Beatus Hieronymus. Deus solus omnipotens dicitur, qui cùm omnia possit, peccare non potest, de pœna distinct. 2. cap. vltim. Secundo modo dicitur non posse peccare, quod habet vnionem personalem cum natura inuertibili. Et hoc modo Christus homo peccare non potuit. Vnde Damascenus dicit quod habet coniunctionem, vel conuersionẽ totalem ad naturam inuertibilem per medium, quod est de sui natura inseparabile, vt est habitus gloriæ. Et sic sancti in patria non possunt peccare. Psalmus 147. Confortauit, id est, roborauit seras portarum tuarum, scilicet, supernæ Ierusalem, vt nullus possit exire, scilicet, peccando. Quarto modo dicitur non posse peccare, quòd habet coniunctionem ad naturam inuertibilem per medium, quod etsi de sui natura in se quidem est separabile, sed tamen omnino est separatum à contrario repugnante, vel resistente, vel impediente, & propterea in suo summo in illo est inseparabile, vt est plenitudo gratiæ, quæ fuit in Beata MARIA. Et ex hoc peccare non potuit. Vnde & Bernardus de Ioseph dicit, quòd credebat potiùs Virginem posse parere, quàm MARIAM posse peccare. Et ex his patet responsio ad obiecta. Pugnam autem habuit etsi non abintra, extincto in ea fomite, tamen abextra per tribulationes, vnde & victoriam.

§. VI.

TErtium priuilegium est, in quolibet opere suo meruisse. Hortamur vos (ait Apostolus 2. Corinth. 6.) ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Dat Deus gratiam, vt operando secundùm eam, acquirat sibi merita vitæ æternæ. Qui igitur non operatur, cum potest, in vacuum, & frustra gratiam recipit. Quamuis autem sancti in multis, & per multa bona opera se exercuerint in gratia, nullus tamen fuit, qui semper in omni opere suo secutus fuerit instinctum gratiæ, vt sic semper meruerit in operibus suis. Sed hoc fuit priuilegium singularis gratiæ in Beata Virgine MARIA. Notandum igitur, secundùm Albertum, quòd Beata MARIA, quolibet motu liberi arbitrij ad agendum, vel patiendum merebatur. Vnde non merebatur motibus naturalibus inquantum naturalibus, vt oscitando, dirigendo, & huiusmodi, quia ibi non concurrit liberum arbitrium, sed merebatur motibus rationalibus gratia informatis, vnde & motibus liberi arbitrij gratuitis, vbi liberum arbitrium & gratia operabatur. Sed liberum arbitriũ, vt iumentum, gratia vt sessor, secundùm Anselmum. Vnde & Apostolus 1. Corinth. 15. *Non autem ego, sed gratia Dei mecum,* scilicet operatur. Et sic merebatur quolibet motu, quo contingit mereri in agendo. In passionibus autem inquantum ipsæ passiones ab extrinseco inferuntur, vt iniuriæ, vel necessariò contrahuntur ex natura, vt tristitia, timor, & huiusmodi, homo non meretur, sed inquantum voluntas rationalis informata gratia ab illa insufferentiam propria libertate inclinatur, sic meretur eis, iuxta

1. Cor. 15

2. *Thim.* 2 iuxta illud, 2. ad Tim. 2. Si sustinebimus & conregnabimus. Et sic Beata MARIA in actionibus, & passionibus ex libero arbitrio procedentibus, vel eo concurrente in eis semper merebatur. Et ad hoc facit triplex ratio. Prima est, quia secundùm Philosophum intellectus semper rectus est, nisi quando se immiscet phantasticis, & deducitur ab eis. Sed intellectus Beatæ MARIÆ nunquam se immiscuit phantasticis, vt deduceretur ab eis, & sic semper rectus fuit. Sed rectum dicitur, cuius medium non exit ab extremis, ergo semper mens eius in summum bonum, principium, & finem omnium. Secunda ratio. Vbicunque ratio non potest in discernendo errare, & voluntas nunquam potest eligere multa, sed elegit vltimum, & optimum. Sed vtrumque horum fuit in Beata MARIA. Lucæ 10. *MARIA optimam partem elegit*, scilicet vnum, quod est semper absolutè necessarium, scilicet, summum bonum, & sic semper meruit. Tertia ratio, dicit Apostolus, 1. Corinth. 10. *Siue manducatis, siue bibitis, siue quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Frustra hoc præciperetur, consuleretur, vel moneretur, si nullus obseruaret. Sed nullus aliorum viatorum hoc semper seruauit. Oportet ergo aliquem inuenire, qui hoc fecerit, aliàs frustra. Et ita fuit Beata MARIA. Vnde Odilio in sermone. Vnum pro certo scimus, quia omnis MARIÆ actio semper intenta fuit in Domino. Nec tamen ex hoc æquabitur ipsa Christo, qui improportionabili charitate hæc faciebat, & sine sui indigentia.

Luc. 10.

1. *Cor.* 10

§. VII.

QVartum priuilegium est puritas in ea in summo. Ad quod facit quod ait ei Angelus, scilicet, *Inuenisti gratiam apud Deum*, gratiam puritatis apud Deum, id est, summam post Deum. Dicit enim Anselm. quòd ea puritate decuit, vt niteret, qua maior sub Deo nequeat inueniri. Nam si maior in filio suo, hic est Deus. Et ad hoc facit quod dicitur Prouerb. 25. *Aufert rubiginem de argento, & egreditur vas purissimum.* Argentum pretiosius metallum cæteris post aurum significat Beatam MARIAM albam puritate, & pretiosiorem perfectione cunctis sanctis post Christum, de quo dicitur Cant. 5. *Caput eius aurum optimum.* Rubigo fuit peccatum originale, quo ablato per sanctificationem in vtero, est effecta vas purissimum. Christus quidem habuit puritatem, ita quòd nullo modo, nec vnquam habuit in se originale. Omnes baptizati, vel sanctificati in vtero habent puritatem ab originali, scilicet, in puritate liberati, quod quidem habuerunt quoad culpam, à qua mũdati habent adhuc originale quoad fomitem. Virgo autem MARIA habuit puritatem ab originali, non quia non contraxerit illud, sed mundata ita est, quòd nullo modo remanſit ea aliquiquid pœnæ eius, id est, fomes, immo extinctus fuit. Et sic maior est puritas eius post Deum hominem, quò, scilicet, ad contrahentes originale. Nam Angeli non contrahunt originale. Notandum tamen, quòd puritas secundùm Albertum non tantùm dicitur per recessum ab impuro, sed etiam per approximationem, & accessum ad summè purum. Pro cuius declaratione sciendum est, quòd puritas, vt videtur, sequitur naturam luminis, & luminosi, vt quod plus participat de natura lucis, plus habeat puritatis, vt summa lux, vel summè luminosum summè sit lucidum, & purum. Et vbi magis propriè, & verè est proprietas lucis, ibi etiã magis verè, & propriè est proprietas puritatis. Vnde cùm sit lux corporalis, & lux spiritualis, vt dicit B. August. super Genes. ad litteram, magis propriè dicitur lux spiritualis lux, quàm corporalis. Erit ergo, & puritas corporalis, & puritas spiritualis. Sed maior puritas corporalis est secundùm maiorem conuenientiam ad summam lucem corporalem. Et sic aqua purior est terra; & aer, quàm aqua; & ignis, quàm aer; firmamentum, quàm ignis, cœlum aqueum, quàm firmamẽtum; cœlum empyreum, quàm aqueũ. Et illud patet ad sensum. Similiter maior puritas spiritualis est secundùm maiorem conuenientiam ad summam lucem spiritualem, quæ Deus est: quia lux est in tenebris, in quo tenebræ non sunt vllæ. Secundùm hoc ergo purior erit anima sensibilis, quàm vegetatiua, rationalis, quàm sensibilis, Angelica, quàm rationalis humana secundùm naturam. Secundùm gratiam autem, quæ est quasi lumen creatum procedens à luce increata, vbi est maior participatio gratiæ, ibi maior appropinquatio ad primam lucem. Ergo vbi gratia in summo, ibi appropinquatio in summo, & puritas in summo. Sed in Beata MARIA respectu omnium creaturarum aliarum non vnitarum, fuit gratia in summo, ergo & appropinquatio, & inde puritas in summo. Itẽ Apostolus, ait 1. Thim. 1 *Charitas de corde puro*, scilicet, est. Vbi ergo maior charitas, ibi maior puritas. Sed charitas in Beata MARIA in summo, ergo & puritas in summo. Petrus etiam dicit in actibus Apostolorum 15. cap. *Fide purificans corda eorum.* Et loquitur de fide formata per charitatem. Sed Beata MARIA habuit fidem in summo, ergo & puritatem. Nec obstat huic conclusioni, quòd puritas Beatæ MARIÆ, etiam in statu viæ fuit maior omnium sub Deo. Vnde & Angelorum, & Beatorum, hoc, quòd sua puritas non plenè

1. *Thim.* 1

Actor. 1.

nè apprehenderet per speciem lucem increatam, vt Beati. Nam hoc ideo erat: quia maior lux gratiæ in subiecto passibili coniuncto corpori, & passibili, & grosso Beatæ MARIÆ, minùs immutat, & mouet actualiter, quàm maior lux gratiæ in subiecto impassibili, & glorioso. Et hoc apparet per exemplum à simili. Videmus, quòd quandoq; maior lux minùs illuminat, & minor lux magis illuminat per coniunctionem cum aere obscuro, vel claro. Vnde quandoque Luna tantùm illuminat in nocte, vel magis in aere sereno, quantùm, vel quàm Sol in aere obscuro, & obnubilato, & tamen improportionabiliter maior est lux Solis, quàm Lunæ. Sic & Beata MARIA, etsi non ita actualiter continuè videret Deum summam lucem per speciem, vt sancti propter obstantiam corporis passibilis sui, tamen habebat maiorem gratiæ habitum, & substantiam, quàm ipsi, vnde & magis proxima luci æternæ, & inde magis omnibus pura. Hæc igitur puritas, inquit Albert. nihil aliud est, quàm peccati originalis deletio, fomitis extinctio, gratuitarum perfectionum vltimatio. Et sic in Beata Virgine secundùm statum viæ fuit gratia Dei fortiùs, & magis, quàm in Angelis, quantùm, scilicet, ad substantiam, non quantùm ad actum, qui est operatio, & sic puritas in summo. Sed ad hanc puritatem summam quatuor gradibus ascendit. Primò enim purificata fuit per sanctificationem in vtero. Secundò in virtutum exercitatione. Tertiò in Spiritus Sancti superuentione. Quartò in filij conceptione. In primo est perfectio gratiarum sacramentalium. In secundo est perfectio virtutum. In tertio est perfectio donorum. In quarto est perfectio fructuum, & Beatitudinum. De prima dicitur Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea* libera, scilicet, ab originali. *Tota pulchra es* à mortali exempta. *Macula non est in te*, scilicet, venialis. De secundo in figuram eius dicitur de Esther, quòd erat formosa valde *incredibili pulchritudine, & omnium oculis gratiosa, & amabilis*. Formosa, scilicet, in opere per charitatem, quæ est forma virtutũ. Incredibili pulchritudine in corpore per virginitatis insolitam castitatem. Et omnium oculis gratiosa, per cordis humilitatem: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ*. Et de pulchritudine Sap. 4. O quàm pulchra est casta generatio cum claritate! &c. De tertiò Psalm. *Sanctificauit tabernaculum suum altissimus, Deus in medio eius non commouebitur*. Et Lucæ 1. *Spiritus Sanctus superueniet in te, &c.* De quarto Ezech. 43. *Maiestas Domini ingressa est templum ad viam portæ, quæ respicit ad Orientem*. Et postea sequitur. *Et repleta est gloria domus Domini*, ad Hebr. vlt. *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius, & inueniamus auxilium in tempore oportuno*. Et sic patet priuilegium quartum de puritate in summo.

Cant. 4.

Esther 2.

Lucæ 1.

Psal. 45.

Lucæ 1.

Ezech. 43

Heb. vlt.

§. VIII.

QVintum priuilegium gratiæ est: quia simul est Mater, & Virgo, vnde Hierem. *Inuenit populus gratiam in deserto*. Gratiam, scilicet, singularis maternitatis producentis eum, qui nobis attulit gratiam, & veritatem. In deserto, id est, Beata MARIA derelicta à peccato, derelicta in templo à parentibus, derelicta à quolibet viro, & incognita, per quam non transiuit homo, sed mater esset, & Virgo, mater inuiolata, mater incorrupta, mater intacta. *Quis vnquam audiuit talia*, inquit, Esai. vlt. cap. vt mater esset, & intacta generaret, quasi dicat nullus. Si quæritis, ait B. Ambros. naturæ ordinem. Fœmina mixta viro generare consueuit. Liquet autem, quòd præter naturæ ordinem sit Christus natus ex Virgine, de conse. dist. 2. reuera. Decuit autẽ, quòd talis mater esset, & Virgo, quod est ei priuilegium singulare. Homo enim est dignissima creaturarum, ergo generatio hominis est nobilissimus effectus generalis. Generatio autem nobilissimi cuiusdam hominis est effectus hominis spiritualis, sed nobilissimus effectus non est, nisi nobilissimæ substantiæ, iuxta illud Lucæ 6. *Ex fructu arbor cognoscitur*, ergo generatio nobilissimi hominis erit effectus nobilissimus nobilissimè, vel nobilissimi hominis generantis. Sed vnus est solus homo nobilissimus, scilicet, Christus, ergo vni soli conuenit esse matrem illius, ergo huiusmodi maternitas est priuilegium vnius solius. Item effectus huius generationis fuit perfectus in summo, ergo & generatio perfecta in summo. Sed perfectior est generatio, vbi vnus de vno, quàm ex duobus, ergo in ista generatione debuit esse vnus de vna, ergo illa fuit mater, & Virgo. Item ad perfectissimam generationem secundùm naturam sequitur perfectissima maternitas. Sed perfectior est maternitas cum incorruptione, quàm cum corruptione, ergo decuit, vt in tali generatione esset simul mater, & virgo, secundùm illud Esai. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*, scilicet, permanens Virgo. Item quidquid est in arte, exemplari diuino totum debet esse declaratum, & exemplatum in exemplo creato. Sed generatio est in diuinis, ergo aliquod exemplum debet habere in natura. Sed ibi vnus de vno pater de filio sine diuisione, corruptione, & commixtione, ergo & hìc in generatione Christi de vna sine corruptione, & commixtione, ergo ipsa mater, & Virgo. Priuilegium est igitur solummodo Beatæ MARIÆ, quòd sit mater, & Virgo. Nec sua maternitas, aut virginitas fuit indifferens, sicus

Hier. 31.

Esai. 66.

Lucæ 6.

Esai. 7.

sicut potest esse in alijs, sed vtrũque fuit meritoriũ. Eius enim perfectissima virginitas fuit perfectissima integritas cordis, & corporis ex radice summæ charitatis. Eiusque maternitas fuit sibi meritum: quia ipsa de congruo meruit fieri mater Dei, merito suæ fidei, spei, & charitatis, ac perfectissimæ humilitatis. Quòd si obijciatur istud priuilegium non sibi soli conuenire, sed Ecclesiæ, & plantæ. Nam dicitur Ecclesia mater, & Virgo. Et si dicatur, quòd mater, & Virgo, Ecclesia dicitur spiritualiter, non naturaliter. Tunc sic, maternitas, & virginitas spiritualis est perfectior, & nobilior maternitate, & virginitate corporali, ergo verius, & perfectius dicitur Ecclesia mater, & Virgo, quàm Beata MARIA. Respondeo, quòd Ecclesia nõ habet in omnibus membris integritatem carnis. Et in nullo habet integritatem carnis, & cordis cum summa fœcunditate spiritus, & corporis, excepta perfectissima virginitate, & fœcunditate Beatæ MARIÆ. Sed illam spiritualem fœcunditatem, & virginitatem, quam habet Ecclesia in alijs membris, habet in se, & in Beata MARIA excellentissimè communem cum alijs, & insuper istam priuilegiatam singularitatem. De plãtis dicit Philosophus, quòd est in eis sexus. Est enim planta masculina, & planta fœmina, & tamen planta generat plantam sine corruptione, & commixtione, ergo est ibi mater, & Virgo, & non solùm MARIA. Respondeo, quòd planta dici posset suo modo habere virginitatem, & fœcunditatem, seu maternitatem, si simul haberet, scilicet, simul virorem florum cum patre fructificationis, quod non contingit, vt dicere posset, flores mei fructus, sicut amygdalum, quę virginis matris figura fuit. Hoc etiam in figura notatur Genes. 25. vbi dicitur Abrahæ, *Genes.* 15. *In quarta generatione reuertentur huc*, scilicet, ad terram promissionis semini Abrahæ promissam. Quatuor sunt modi generationis humanæ secundùm Anselm. nec est inuenire alium modum. Primus fuit sine fœmina, & masculo, vt Adam factus à D. Secundus fuit sine fœmina ex viro, vt Eua ex costa Adæ. Tertius est ex muliere, & masculo, vt est communis omnium naturalis generatio. Restabat quartus modus, scilicet, ex fœmina sine viro. Et hoc est Virginis MARIÆ solùm, vnde mater, & Virgo, quod est singulare priuilegium. Et per hanc generationem quartam filij Abrahæ, id est, veri fideles reuertentur ad terram fluentem melle, & lacte promissam eis, id est, vitam æternam abundantem dulcedine dilectionis, & lacte puritatis.

§. IX.

SExtum priuilegium gratiæ est, quòd est mater Dei. Origen. super illud. *Cùm esset desponsata mater eius.* Matth. 1. mater vnigeniti Dei, mater Creatoris, & plasmatoris omnium, mater eius, qui est in cœlis sine matre, in terris sine patre. Et hoc est singularissimum omnium priuilegiorum eius. Figuratum Dan. 14. in Daniele existente *in lacu leonum*, cui missus est Abacuch ministerio Angeli de Iudæa in Babyloniam cum prandio bono, qui Abacuch intrauit, & exiuit ad Danielem clauso ostio, nec Daniel in aliquo fuit læsus à leonibus septem, qui deuorabant alios. Daniel enim, qui interpretatur causa Dei, castissimus, sapientissimus, contemplationi deditus, significat Virginem MARIAM totam virilem, nil fœmineum in moribus habentem, castissimam, sapientissimam, & contemplatiuam, quæ benè dicitur causa Dei: quia mater Dei. Mater enim est causa, & origo filij, cuius filius Deus est. Abacuch interpretatur luctator fortis, & significat Iesum, qui luctam gessit cum Diabolo non inanem. Hic cum prandio bono diuinitatis Angelos, & homines reficientis ad Danielem, id est, ad Virginem missus est, id est, incarnatus ex ea, Angelo nunciante. De Iudæa, quæ interpretatur confessio missus est in Babyloniam, quæ interpretatur confusio: quia de cœlo, vbi est confessio diuinæ laudis in mundum plenum confusione errorum, & peccatorum. Intrante autem, & egrediente Abacuch claustra non reserata fuerunt: quia aluus tumescit virginis, claustra pudoris permanent, etiam ipsum parienti. Leones septem, qui circumeunt quærentes, quem deuorent, vniuersitas sunt Dæmonum de septem vitijs capitalibus tentantes, qui in nullo potuerunt Virginem matrem lædere, sed alios deuorabant homines, & bestias, id est, Iudæos, & Gentiles. Vbi etiam notandũ secundùm Alber. quòd non potest intelligi maior gratia puræ creaturæ participari, quàm esse matrem Dei. Maior enim est, quàm filius adoptiuus per gratiam, vel Angelus, vel frater Dei. Et ratio primi est: quia inter matrem, & filium est coniunctio substantialis: inter patrem, & filium adoptiuum est participatio accidentalis, ergo maiùs est esse matrem Dei per naturam, quàm esse filium Dei per adoptionem: quia perfectior est coniunctio substantialis, quàm accidentalis. Præterea quod claudit alterum in se plus est, & magis eligendum, quàm illud, quod non claudit. Sed esse matrem Domini secundùm naturam claudit in se esse filium adoptiuum per gratiam necessariò: quia aliter non fieret mater, ergo plus est esse matrẽ, quàm filium adoptiuum. De Angelo sic probat, ad quod sequitur maius bonum, illud est plus eligendum. Sed ad esse matrem Dei sequitur maius bonum, quàm ad esse Angelum. Nam ex maternitate tali efficitur Domina

Matth. 1

Dan. 14.

mina omnium Angelorum. Etsi Angelus secundùm naturam sit nobilior, & perfectior homine, tamen secundùm gratiam, quæ potior est natura, potest esse perfectior, sicut est in Beata Matre Dei. De fratre sic probat. Causa in quantùm causa est dignior effectu in quantùm effectus. Dignius est ergo esse causam boni, quàm concausatum bono. Sed Mater Dei est causa, & origo Dei, secundũ illud, quod natum est. Frater autem Dei nõ est causa, & origo Dei, sed causatus ab eadem origine, ergo plus est esse Matrem Dei, quã fratrem Dei. In cuius etiam signũ est, quòd Dominus dedit præceptum de honorando patrem, & matrem, non autem de honorando fratres: quia quid maius est mater, quàm frater. Item cùm maius, & dignius sit esse patrem, quàm matrem, si aliqua pura creatura esset pater Dei secundùm humanitatem videretur tunc plus esse secundùm hominem patrem esse Dei, quàm Matrem Dei, ergo esse Matrem Dei non est maximum priuilegium, quod possit communicari puræ creaturæ. Ad hoc respondet Albert. quòd hoc esse non potest, & multa indecentia sequerentur. Dicit enim Philosophus, quòd masculus est, qui generat in alio. Ergo ille, qui esset pater Dei, aut generaret in alio, aut in seipso. Si in alio, ergo duæ essent, vnus generans in alio, & vnus, vel vna generans ab alio, seu altero, ergo ibi esset masculus, & fœmina. Si autem pater generaret in seipso, ergo nec esset masculus, nec esset pater. Item non esset ratio tunc, quare magis diceretur pater mater. Item cùm non sit in viro locus conceptionis, formationis, & nutritionis. Etsi fieret subita formatio, non esset generatio. Item cùm non sit ibi organum partus indifferens esset ratio virginitatis, & sic non esset filius virginis, nec esset pater, nec mater. Item sic esset exclusus sexus fœmineus ab incarnatione. Non enim incarnatum esset fœmina, nec incarnatus esset ex fœmina. Et sic, quod patet, maior gratia puræ creaturæ concedi non potest, quàm esse matrem Dei naturalem. Nam quod ait Christus Matth. 12. *Qui fecerit voluntatem patris mei*, scilicet, *ipse meus frater, soror, & mater est.* Intelligitur spiritualiter ista parentela, non naturaliter. Sed Beata MARIA fuit mater naturalis, vnde priuilegium singulare. Item, quòd fuerit nutrix Dei. Ipsum enim, vt canit Ecclesia sola Virgo lactabat vbere de cœlo pleno, non est per se priuilegium, sed pars priuilegij, quæ includitur in maternitate Dei. Ad integritatem enim maternitatis secundùm Albert. exigitur non tantùm materia prima corporis generandi, sed etiam alimentum nutriendi, quod tantùm aptum natum est ab alio accipi. Vnde quando est alia mater, alia nutrix, nutrix est quasi media mater, à qua aliquando puer multum contrahit à complexione influente, ergo ad perfectissimam maternitatem exigitur etiam ratio nutricis. Vnde cùm Beata MARIA fuerit perfectissima mater, fuit & nutrix, secundùm illud Luc. 11. *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti.* Et sic sub Matre Dei includitur nutrix Dei. *Matt. 12.* *Luc. 11.*

§. X.

SEptimum priuilegium est, quòd est Virgo virginum, sic canit Ecclesia in litanijs. Vbi notandum secundùm Albert. quòd per genitiuum notatur duplex habitudo, generalis, scilicet, & spiritualis. Ratione habitudinis, quam importat generaliter, notat originem. Dicitur enim genitiuus à generando quasi à prima sui generatione, à qua nomen accepit, & notat habitudinem gignentis ad genitum, vel è conuerso. Ratione spiritualis habitudinis notat excellentiæ significationem. Ratione igitur primi non conuenit Christo, vt dicatur Virgo virginum. Quia etsi excellit virginitatem matris, ipse tamen non fuit primus Virgo, qui genera uit alios virgines per imitationem. Sed Beata MARIA est mater omnium in virginitate: quia prima sine præcepto, consilio, vel exemplo glorioſum virginitatis munus Deo obtulit, & per votum virginitatis, vt dicit Auguſt. ab ea emiſſum 27. quæſt. 2. Beata MARIA, opprobrium virginitatis abſtulit: quia maledicta in lege dicebatur ſterilis, & eam in ſe conſecrauit, & ſic omnes virgines per imitationem ſui genuit, ergo ei ſoli conuenit, quòd ſit Virgo virginum, mater virginum, Ratione autem ſecundæ habitudinis, id eſt, in quantùm notat excellentiam per omnes virgines, ſicut roſa flos florum: quia excellit alios, & Rex regum Ieſus: quia excellit omnes Reges. Sic ei ſoli conuenit ita, quòd nulla alia poteſt dici Virgo virginum. Excellit autem omnes alios in fomitis extinctione, in puritate, & in fœcunditate: quia nulla Virgo fœcunda, niſi ipſa. Nec tamen ex l. 2 poteſt dici minùs continens: quia nunquam fuit tentata, ex eo, quòd Philoſophus dicit in Ethicis, quòd continens patitur, ſcilicet, impulſus tentationum, ſed non deducitur, id eſt, non vincitur ab eis. Nam hoc habet locum ſecundùm inſtinctum naturæ, vel communis gratiæ, ſecus per extinctionem fomitis, vt in Beata MARIA. Victoria enim, cùm ſit declaratio potentiæ ſuper aduerſarium magis, ac magis declarat potentiam, quando tanta eſt ſuper aduerſarium poteſtas, quòd non poteſt mouere bellum, vel inire conflictum, quàm cùm poſt ictus, & vulnera vincit inimicũ. Ex quo patet, quòd maior fuit virtus caſtitatis in Beata MARIA, quàm in qualibet alia Virgine, ita quòd

quòd etiam Angelos excellit in virginitate: quia illi à natura, hæc à gratia. Illa Angelorum castitas necessaria, hæc gratuita, & voluntaria. Illa in natura impassibili, hæc in natura fragili, & ideo vtilior, nobilior, & laudabilior. Quamuis autem propriè, & verè dicatur Virgo virginum, non tamen ita propriè dici potest Mater matrum: quia in virginitate conuenit cum alijs in integritate mentis, & corporis. Sed in maternitate non conuenit cum alijs matribus: quia illæ recipiunt conceptum ab alijs hominibus, hæc autem non ab alio, quàm à Deo, & ideo Virgo. Vnde Ecclesia. Rubum, quem viderat Moyses incombustum conseruatam agnouimus tuam laudabilem virginitatem. Rubus est natura humana, pungitiua per vitia. In hac apprehensus ignis diuinus: quia Deus noster ignis consumens est, quando, scilicet, Verbum Dei nostram naturam assumpsit de Virgine. Ignis tamen iste humanitati vnitus non abstulit virorem virginitatis in matre. A virore enim dicitur Virgo. Et sicut spina rosam, genuit Iudæa MARIAM. Figura habetur de rubo in Exod. 3. cap.

Exod. 3.

§. XI.

Prou. 8. OCtauum priuilegium Beatæ MARIÆ est, quòd mater est omnium. Vnde Prouerb. 8. Ipsa dicit, prout introducit Ecclesia sui laudem. *Cùm eo*, scilicet, Deo *eram cuncta componens*, scilicet, per recreationē, seu reformationem, quæ quasi deformata erāt, deformato homine per peccatum, propter quem omnia facta erant. Vnde B. Bernard. Meritò in te, ò Domina respiciunt oculi vniuersæ creaturæ, in qua, & ex qua benignissima manus Dei quidquid creauerat recreauit. Et sic dici potest mater omnium.

Sap. 7. Sap. 7. *Omnium mater est.* Nam cùm ipsa sit Mater Dei, & Deus est pater, & origo omnium. Quidquid enim per se est causa, & origo causæ, est per se origo, & causa causati. Sed mater per se est causa, & origo filij. Et filius per se origo, & causa omnium: *Quia*

Ioan. 1. *per ipsum omnia facta sunt.* Ioan. 1. scilicet, per Verbum filium Dei, ergo & ipsa per se est mater omniū. Et per maximè hominū est mater omnium genitura, & cura: quia vnum hominem genuit, per quem omnes recreauit, seu regenerauit. Et in illo filio suo nobis procurauit quidquid ad vitam præsentem, vel futuram nobis necessarium fuit. Hoc autem opus recreationis, propter quod dicitur mater omniū B. MARIA, Dominus secundùm quadruplex genus causarum ei communicauit, scilicet, efficientis, materialis, formalis, & finalis. Causa quidem efficiens nostræ recreationis, scilicet, in esse gratiæ generationis post Deum, sub Deo, & cum Deo: quia ipsa nobis illum genuit, qui nos omnes recreauit, seu regenerauit virtualiter per passionem suam virtutem gratiæ conferentem sacramentis. Et vt ipsum filiū suum gigneret suis virtutibus decongruo promeruit. Vnde Ansel. Nempè decuit, vt ea puritate, qua maior sub Deo nequeat intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus pater vnicum filium suum, quem corde suo æqualem sibi genitum tanquam seipsum diligebat, ita dare disponebat, vt naturaliter esset vnus, idemque communis Dei patris, & virginis filius. Et quam ipse filius sibi matrem spiritualiter eligebat, & de qua Spiritus Sanctus volebat, & operaturus erat, vt conciperetur ille de quo ipse procedebat, hæc Anselm. Et quod dicitur de patre æterno, ita & de matre eius temporali dici potest illud Roman. 8. Proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, scilicet, passum voluntate, & affectu. Et quomodo cum illo non nobis omnia donauit pertinentia ad recreationem nostram? Causa materialis fuit huius recreationis nostræ: quia Spiritus Sanctus de purissimis eius carnibus, & sanguinibus, consensu mediante carnem assumpsit, quod in corpus transformauit, per quod redemptio nostra, & recreatio facta fuit. Huius rei mirabilis figura fuit, quod habetur 2. Reg. 11. scilicet, quòd eo *tempore, quo solent Reges ad bella procedere*, scilicet, tempore veris. *Dauid surgens* à dormitione in meridie, *vidit de solario eius mulierem*, scilicet, Bersabeæ pulcherrimam *lauantem se, & amore tactus pulchritudinis eius misit nuncium, vt ei acquiesceret. Quæ assentiens concepit filium, & sanctificata est mulier ab immunditia sua.* Dauid interpretatus manu fortis, significat fortissimum, & omnipotentem Deum. Hic quasi à somno surrexit, quando disposuit incarnari. Nam priùs videbatur quasi dormire, dum generi humano non prouidebat de redemptione. Et in meridie, scilicet, caloris diuini amoris, surrexit ad operandum mysterium. Videns autem Bersabeæ, quæ interpretatur puteus septimus, vel puteus satietatis, id est, Virginem MARIAM pulcherrimam mente, & corpore, quæ est puteus aquarum viuentium gratiæ septiformis superabundans. Lauantem se, non à maculis, quæ nullæ erāt, sed scripturis insistentem, ac magis, & magis se purificantem per opera, scilicet, virtutum quotidie magis Deo se appropinquantem. Videns ergo hanc mulierem oculo approbationis, & miserationis, tactus pulchritudine tantarum virtutum, misso Angelo nuncio, vt assentiret in conceptum filij, ipsa assentiēte, concepit Saluatorem mundi. Et sanctificata est mulier ab immunditia sua, siue quia fomes, quæ erat in ea religatus, tunc in conceptu filij ex toto fuit extinctus, siue & meliùs

2. Reg. 11.

liùs, quia libera fuit, & immunis ab immun
ditia, quæ accidit in conceptu filiorum nul-
lo modo eam habendo, sed de purissimis san
guinibus suis concipiendo. Nec inconue-
niens est, vt vitiosè gestum, scilicet, adulte-
rium Dauid significet sanctissimum myste-
rium, vt dicit B. Gregor. in Moralibus, licet
aliter ipse exponat. Nam & Deus de malis
elicit bona. Et hoc fortè est, quod dicit B.
Ambros. de facto isto Dauid, quod non fuit
improbitatis æstus, scilicet, tantùm, sed vm-
bra mysterij, de pœnit. dist. 4. illud, scili-
cet, incarnationis, licèt ibi Glossa, aliter ex-
ponat. Sic igitur causa materialis, quia de
puris sanguinibus, & purissimis eius factus
est recreator noster Iesus. Causa formalis
est Beata MARIA nostræ recreationis: quia
omnibus suæ Deiformissimæ conuersatio-
nis speculum, & exemplum est reuersionis à
tenebris, & directionis, & conuersionis ad
intuitum primæ lucis, vt in figuram eius di-
ctum sit Iudith. 11. *Non est mulier talis su-*
per vniuersam terram in aspectu, & pulchri
tudine, & sensu verborum. In aspectu, scili-
cet, conuersationis in opere. In pulchritudi-
ne castitatis in corpore. In sensu verborum,
in interioribus verbis, & puritate cogitatio-
nis in corde. Vnde & Ambros. Habetis in ea
probitatis exempla expressa. Primus discen
di ardor nobilitas est Magistri, Quid nobi-
lius ea, quam elegit splendor gloriæ, &c.
Causa finalis est nostræ recreationis: quia to
tum opus redemptionis post Deum in ipsius
gloriam, & honorem ordinatum fuit, vnde
Apoc. 4. Apoc. 4. *Seniores* deponunt *coronas suas ante pedes agni*, recognoscentes se omnes coro
natos humilitate, & humanitate Christi,
quam assumpsit de Virgine. *Ecce enim ex*
hoc (ait ipsa) *Beatam me dicent omnes genera*
tiones: quia scilicet, respexit humilitatem
ancillæ suæ, de me incarnando. Omnes ergo
immo omnia cùm sint recreata, & renouata
per eam, matrem eam debent reputare, &
eam super omnia, & super omnes puras crea-
turas venerari. Et hoc est priuilegium,
quod nulli alij conuenit, scilicet, quòd sit
mater omnium.

§. XII.

NOnum priuilegium est, quòd est porta
cœli. Beatus August. in sermone in per-
sona Virginis ait. Porta facta sum cœli. Ia-
nua facta sum filio Dei, illa facta sum *porta*
Ezech. 44 quam vidit in visione Ezechiel Propheta.
Dicitur autem Beata MARIA porta: quia
cùm proprietas portæ sit importare, & ex-
portare, id est, medium, per quod res ab ex-
tra adintra ciuitatem, vel domũ portantur,
& etiam medium, per quod res, quæ sunt in-
tus in ciuitate, vel domo, adextra portãtur,
ita per Beatam MARIAM exiuit de cœlis
ad nos quidquid vnquam gratiæ creatum
venit in mundum, vnde & dicitur mater gra
tiæ, & mater misericordiæ. Et de ea po-
test intelligi illud Sap. 7. *Omnium bonorum* Sap. 7.
mater est. Et venerunt mihi omnia bona pa-
riter cum illa, scilicet, Virgine, potest dicere
mundus. Secundò, quidquid boni, id est, om
nis, qui de terris intrauit in cœlum, vt san-
cti omnes per ipsam, vt portam, seu medium
intrauit. Et ideo fœlix cœli porta: quia om-
nes importat in cœlos per benedictum fru-
ctum filium suum. Vnde in Hymno canit Ec
clesia. Virgo fœlix, cœli porta. Et infra. Vi
tam præsta puram, iter para tutum, vt viden
tes Iesum, semper collætemur. Tertiò, dici-
tur cœli porta, id est, cœlestis porta: quia ip-
sa sapientia increata Dei filius tanquã aquę-
ductus intrauit, & exiuit per eam vestitus
carne nostra, semper tamen clausa, id est, vir
ginitate non violata. Vnde de ea in figura di
citur Ezech. 44. *Porta hæc semper clausa* Ezech. 44
erit, quam, scilicet, in illo mirabili ædificio
vidit, & *Princeps ingreditur per eam*, scili-
cet, Dominus Deus, & *clausa erit*, & *nul-*
lus ingredietur per eam, scilicet, homo: quia
Virgo ante partum, in partu, & post partũ.
Sicut sydus, & radium profert sine sui vio-
latione, & radius per fenestram vitream clau
sam intrat sine sui apertione. Ita & Virgo
Beata MARIA Dei filium sine virginitatis
amissione. Dicuntur, & sancti aliquando
portæ cœli, & hoc in quantùm per eorum
suffragium, vel vitæ exemplum nos impor-
tant in cœlum. Vnde & Ioan. in Apoc. 21. Apoc. 21.
vidit in cœlo 12. *portas*, scilicet, 12. Apósto
los, vel perfectos omnes: qui nos præ cæteris
meritis, & exemplis important in cœlum.
Sed & hoc modo multò magis potest dici
porta cœli Beata MARIA propter maius
eius, & perfectius suffragium, & vitæ exem-
plum. Item crux dicitur porta cœli: quia per
meritum passionis intratur in cœlum, de
qua potest intelligi illud Matth. 7. *O quàm* Matth. 7.
angusta est porta, & arcta via, quæ ducit ad
viam! scilicet, cœlestem, angusta nimis fuit
crux Christo, & via nobis arcta per imita-
tionem. Et quia nulli ita fuit communicata
magnitudo passionis Christi sicut matri,
ideo & meritum eius ad cœlum inducit.
Christus etiam dicit: *Ego sum ostium, si quis*
per me introierit, saluabitur. Ioan. 10 quia Ioan. 10.
ipse efficienter, vt causa principalis nos in-
troducit in cœlum, scilicet, per fidem suæ
incarnationis de Virgine implicitam, vel ex-
plicitam. Vnde B. August. Ista fides sana est,
qua credimus nullum hominem, siue maio-
ris, siue minoris ætatis liberari à contagio
mortis, & obligatione peccati, quod primò
natura contraxit, nisi per vnum Deum, & ho
minem mediatorem Iesum Christum. Et B.
Gregor. super Ezech. dicit, quòd omnes ele-
cti, qui fuerunt, & qui sunt in Ecclesia in
me-

mediatorem Christum Iesum crediderunt, & credunt. Et sic huius fides introducit in cœlum mediatore nato de Virgine. Et iste est primus articulus fidei de mediatore nato de Virgine. Et talis fides, viua tamen incarnati de Virgine propriè nos importat in cœlum. Vnde in figuram in templo erant duo ostia, quæ simul claudebantur, & aperiebantur. Et istæ duæ portæ in templo Ecclesiæ sunt Christus, & Beata MARIA. Nulli autem hoc conuenit sanctorum. Ideo priuilegium singulare.

§. XIII.

DEcimum priuilegium Beatæ MARIÆ est: quia Regina dicitur misericordiæ secundùm illud, quod cantatur in Antiphona. Salue Regina mater misericordiæ. B. Bern. Omnibus sinũ misericordiæ suæ aperit. Idẽ Sileat misericordiam tuam Virgo MARIA, quicunque te inuocans in necessitatibus, auxilium tuum sibi senserit defuisse. Et sciendum, quòd secundùm Albert. vbi supra conuenientiùs dicitur Regina misericordiæ, quã gratiæ Regina, vel gloriæ, vel iustitiæ multiplici ratione. Et prima ratio est: quia plus comprehendit, & ad amplius se extendit Regnum misericordiæ, quàm Regnum gratiæ, gloriæ, vel iustitiæ, quod probatur eò quia gratia, gloria, & iustitia per se tantùm dicunt collationem boni, & ablationem mali, vt peccati, & huiusmodi. Sed misericordia se extẽdit etiam ad id, vbi non est collatio boni gratiæ, vel ablatio peccati: quia ad eos, qui sunt in inferno. Ibi enim erga damnatos non est collatio boni gratiæ, vel ablatio peccati, seu mali culpæ, & tamen est ibi misericordia, etsi non liberans, tamen minùs, quàm merentur puniens. Merentur enim ad nihilũ redigi, qui tamen conseruantur in esse naturæ, vt dicere valeant illud Thren. 4. *Misericordiæ eius, quòd non sumus consumpti.* Thren. 3. Ab ampliori autem, & maiori potentia dignitas maior est, & denominatio. Ergo à summa, & maiori dignitate debet dici Beata MARIA Regina misericordiæ, quàm gloriæ, gratiæ, vel iustitiæ. Item secundò, Gloria tantũ est in cœlo, non in terra, non in inferno, non in purgatorio. Gratia est tantùm in mundo, nec quoad omnes: quia non in malis hominibus. Et in purgatorio quoad omnes, non autem quoad infernum, vel limbum puerorum, vbi nulla gratia gratum faciens. Sed misericordia etiam in cœlo, id est, mira suauitas, rigans corda, secundùm illud. *Domine in cœlo misericordia tua* Psal. 35. remunerans, scilicet, vltra condignum. Est & in terra miserias remouens peccatorum. Psalm. 32. *Misericordia Domini plena est terra*: quia ipsa plena est miseria. Est & in purgatorio per suffragia. Vnde hanc postulant dicentes. *Miseremini mei, miseremini* Psal. 32.

A *mei saltem vos amici mei.* Iob 19. Est in inferno, & limbo per conseruationem sui esse. Iob 19. Psalm. *Numquid obliuiscetur misereri Deus* quo ad paruulos, qui gaudebunt viuere non purgati ab originali? *Aut continebit in ira sua*, id est, seuera cruciatione *misericordias suas*, quando, scilicet, non conseruet eos in esse? Ergo maximum Regnum est Regnum misericordiæ. Et ideo maxima Regina dici debet Regina misericordiæ. Tertiò probatur sic. Quidquid est superius superiori, est superius inferiori. Sed misericordia Dei est *super omnia opera eius*, vt habetur in Psalm. Psal. 144. In operibus autem Dei includuntur gratia, gloria, & iustitia, & multa alia. Regnum ergo misericordiæ est super omnia, ergo Re- B gina misericordiæ determinat potentiam super omnia. Sed illa propriè conuenit Beatæ MARIÆ, vt potentissima Domina, vnde & verè Regina misericordiæ. Item cùm ipsa sit super patrimonium, & proprietatem filij sui Iesu Christi Regina. Proprietas autem filij sui est misericordia, vt patet in oratione Ecclesiæ. Deus, cui proprium est misereri semper, & parcere. Pater etiam est Deus misericordiarum, & Deus totius consolationis, ergo & ipsa propriè Regina misericordiæ. Quartò, cùm dicitur Regina misericordię, obliquus ille, scilicet, misericordiæ, aut constituitur transitiuè, aut intransitiuè. Si C transitiuè, verè & propriè dicitur Regina misericordiæ: quia ipsa est causa totius misericordiæ continens totam misericordiam, & releuans omnem miseriam. Hanc postulabat Dauid dicens. Psalm. 84. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam.* Et subdit modum. *Salutare tuum da nobis*, id est, Iesum, qui datus est nobis ex Virgine MARIA. Si constituitur intransitiuè, sensus est. Regina misericordiæ, id est, quæ est misericordia ipsa. Quod enim dicitur in abstracto de aliquo maximè commendatur, vt de iusto, quòd est ipsa iustitia, de misericorde, quòd est ipsa misericordia. In huius figura legitur Esther 2. quòd *Esther Regina*, quę interpretatur humilis, dicta est etiam *Edissa*, quæ interpre- D tatur misericordia. Et Esai. 16. dicitur: *Præparabit in misericordia solium eius.* Solium est in loco proprio Regni, ergo misericordia est proprius locus Regni Christi. Sed illius Regni dicitur Rex, & Regina, ergo propriè Beata MARIA est Regina misericordiæ. Quintò, sic probatur. Dionysius in lib. de diui. nom. dicit: Regnum est omnis finis & ornatus, & legis ordinis distributio, sed hæc omnia propriè conueniunt misericordiæ, ergo ei propriè conuenit ratio Regni. Finis distributio secundùm iustitiam est: quia exules facit Reges. Ornatus: quia deformissimos peccatores facit, Angelos pulcherrimos. Legis: quia dat charitatem, & Psal. 84. Esther 2. Esai. 16.

pro

pro illa Regnum. Ordinis: quia vnus super Angelos, homines super cœlos. Habet ergo misericordia proprietates Regni. Propriè ergo ipsa est Regnum. Cuius Regni potissime Beata MARIA est Regina. Propriè igitur dicitur Regina Misericordiæ, & magis, quàm Imperatrix misericordię: quia hoc nomen Imperator, est magis nomen timoris, & rigoris. Regina autem est magis nomen prouidentiæ, & æquitatis. Vnde nec Deus in scripturis dicitur Imperator, sed Rex. Item magis dicitur Regina misericordiæ, quàm Regina Reginarum, vel Domina Dominarum, vel Dea Dearum. Hæc enim omnia important magis dignitatem, & excellentiam respectu superiorum, & inferiorum. Si enim diceretur Dea Dearum, non videretur Dea, vel Regina super Dæmones, vel peccatores. Dicitur enim conuenientiùs Regina misericordiæ, quàm potentiæ, vel sapientiæ: quia in misericordia intelligitur potentia, & sapientia, sed non conuertitur. Misericordia enim claudit in se illa tria, potentiam, & sapientiam, & iustitiam. Nec etiã ita propriè diceretur Regina pacis, & dilectionis: quia pax, & dilectio non est vniuersaliter in omnibus Regni sui: quia non in malis.

§. XIIII.

VNdecimum priuilegium est, quòd fuit ei passio Christi communicata. Vnde Symeon Lucæ 2. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*, siue passionis, vt communiter exponitur. Vnde & Damasc. dicit, quòd dolores partus fuerant ei reseruati in passione filij. Vel gladius Verbi Dei, id est, fides fixa in corde de crucifixo filio, quòd Deus erat. Omnes alij, & aliæ amiserunt tunc fidem de sua diuinitate, quoniam omnes discipuli tũc fugerunt eo relicto, non solùm corpore, sed & fide. Et ipsa Maria Magdalena, quæ plus visa est diligere, etiam non credidit Deum, & propterea Christus resurgens, cùm ei apparuit, dixit. *Noli me tangere: quia nondum ascendi ad patrem meum.* Ioan. 21. scilicet, in corde tuo, id est, non credis me esse æqualem patri. Pro huius maiori declaratione dicit Albert. vbi supra, quòd hoc priuilegium, quod dicitur communicatio passionis duo importat, scilicet, fidem crucifixi Dei, & hominis. Et per se passionem ex compassione patientis. Et fuit quadruplex diuersitas respectu Dominicæ Passionis. Quidam enim nec habebant fidem Christi, nec compassionem, sicut infideles insultantes, blasphemantes, irridentes, & Dæmones. Quidam habuerunt compassionem, sed non fidem, scilicet, quòd Deus esset, qui patiebatur, sicut Apostoli, quibus Christus dixerat. *Omnes scandalum patiemini in me nocte ista, &c.* Matth. 26. Scandalum eorum fuit: quia receſſerunt à fide suæ diuinitatis, quam priùs confessi fuerant. Et mulieres illæ, quibus ait. *Filiæ Hierusalem nolite flere super me, &c.* Lucæ 23. Quidam habuerunt fidem, vel cognitionem, sed non compassionem, vt Angeli, & alij extra statum viæ positi, vt qui in limbo patrum, & latro, qui fidem quidem habuit suæ Deitatis, sed non compassionem per se, & hoc: quia circundatus ipse sua passione. Sola autem Beatissima Virgo fuit, quæ simul habuit fidem, & compassionem crucifixi Dei, & hominis, & ex compassione patientis per se passionem. Et sic sola fuit, cui datum est per priuilegium communicatio passionis. Cui filius, vt dare posset præmium voluit communicare meritum passionis, & vt ipsam faceret participem beneficij redemptionis, quatenus sicut fuit adiutrix redemptionis per compassionem, ita fieret mater omnium per recreationem. Et sicut totus mundus obligatur Deo per suam passionem, ita, & Dominę omnium per eius compassionem. Vnde & Glossa super illud Esai. 63. *Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum.* Torcular, id est, tormenta passionis. Et alia Glossa. Nec Angelus, nec Archangelus, nec alius cœlestis spiritus. Denique humani generis nullus Gentilis, vel Iudæus, solus repugnat, & superat. Sed notandum, quòd dicit de gentibus non est vir mecum, excludit enim viros, non mulieres: quia mulier illa Beata MARIA, quæ stabat iuxta crucem, secum fuit ad patiendum ex compassione. Et sicut dicimus de Domino Iesu, quòd habuit summum dolorem in passione, & summum gaudium, dolorem quidem secundùm sensitiuam, gaudiũ secundùm intellectiuam: quia vt dicit Damasc. Vnicuique, scilicet, potentiæ permittebatur agere, quæque propria. Ita de Matre Domini, quòd tunc habuit summam compassionem, & congratulationem. Compassionem quidem existentem in natura simul, & in ratione, vt in natura. Congratulationem verò in ratione, vt tatione. Et intelligantur hæc verba, vt in materia Dominicæ Passionis. Vel dicatur, quòd summum tristabile in tali genere est accipere dupliciter. Vno modo, vt contrarium summè appetitui, & sic infert summum dolorem. Alio modo, prout est via, & medium ad summum delectabile, & sic infert summum gaudium. Sic anima B. Virginis apprehendit mortem filij, vt summè contrarium appetitui, & sic summum ei intulit dolorem. Alio modo, vt in remedium redemptionis humani generis. Et sic intulit ei maximum gaudium, & delectationem. Et possunt hæc simul esse: quia vnum est materia ad alterum. Vel secundùm alterum modum via in alterum via est in ipsum. Et quòd fuerit in ea summus dolor.

Luc. 2.

Ioan. 21.

Matt. 26

Lucæ 23.

Esai. 63.

pro-

probatur sic. Omnis enim dolor ex amore creatur. Est autem triplex amor, scilicet, naturalis, acquisitus, & gratuitus. Naturalis fuit in summo: quia quantò natura nobilior, tantò habet nobiliores affectiones, & operationes. Ipsa autem habuit naturam nobilissimam, vnde & amorem naturalem summè. Item amor acquisitus fuit in ea in summo. Nam omnes causæ accidentales, quæ inducunt matrem ad diligendum filium, fuerunt in ea in summo. Nunquam enim filius aliquis tantùm dilexit matrem, tantùm honorauit, tantùm pro ea sustinuit, tantum ei dedit, sicut Christus pro matre, & sic de alijs causis accidentalibus amoris acquisiti. Ergo in ea amor fuit in summo. Item amor gratuitus. Nunquam enim aliquis habuit tantam charitatem ad filium, sicut ipsa ad Iesum, ergo & hic in summo. Si ergo hi tres habitus amoris, scilicet, naturalis, acquisiti, & gratuiti eliciant vnum actum amoris, erit ille in summo. Illa ergo erit dilectio intensissima. Et dolor ex amore huiusmodi erit intensissimus, sicut enim summè diligit vitã in dilecto, ita & summè dolet de morte dilecti. Summum ergo dolorem habuit in passione Christi. Et quia summè diligebat Deum, & proximum, & per passionem sperabatur honor Dei, & summa salus proximi sequebatur, inde habebat summum gaudium.

A

B

C

§. XV.

DVodecimum priuilegium, & vltimum est, quòd est exaltata super omnem puram creaturam in quarta Hierarchia. Sic enim canit Ecclesia. Exaltata es sancta Dei Genitrix super choros Angelorum. Quod sic probat Albertus. Omnes chori Angelorum sunt de aliqua Hierarchia. Sed ipsa exaltata est super choros Angelorum, ergo ipsa est super omnem Hierarchiam. Secunda ratio. Plus distat Beata Virgo à Seraphim in dignitate, & gloria, quàm Seraphim à Cherubim. Sed per excellentiam dignitatis ordinatur Seraphim super Cherubim vno ordine, ergo & Beata MARIA erit super Seraphim vno ordine, ergo super Hierarchiam Angelorum. Item plus improportionabiliter differt Dominus à seruo, quàm seruus à seruo. *Omnes Angeli sunt administratorij spiritus*, id est, serui, dicit Apostolus ad Hebr. 1. Hebr. 1. Beata MARIA est Domina Angelorum. Seraphim ergo se habet ad Cherubim, vt seruus ad seruum, Beata MARIA, vt Domina ad seruos. Ergo improportionabiliter est super Seraphim, qui est vltimus ordo in suprema Hierarchia, vnde super omnem Hierarchiam exaltata. Tertiò status gloriæ est elevatus super statum innocentiæ, ergo in corporibus, & animabus.

D

Sed si homo non peccasset, aliquis assumptus fuisset ad ordinem Seraphim. Nam cùm ex hominibus essent reparandæ ruinæ Angelorum, & secundùm aliquos Doctores (quos sequi videtur Beatus Thom.) ceciderint ex omni ordine aliqui, vnde de Seraphim, de quo dicitur fuisse Lucifer, ergo aliquis modò debet elevari super Seraphim, & hæc est Beata MARIA. Vnde in figuram dicitur 3. Reg. 2. quòd *positus est thronus matris tuæ ta thronum Regis*. Constat autem, quòd thronus veri Salomonis, scilicet, Christi, est improportionabiliter super Seraphim, ergo & thronus Matris. Et ad hoc faciunt authoritates sanctorum. Hinc Beatus Aug. De te ô Virgo MARIA, quid dicam pauper ingenio, cùm quidquid dixero minor laus est, quàm tua dignitas mereatur. Si cœlum appellem, altior es, si matrem gentium dicam, excedis, si formam Dei appellem, digna existis, si Dominam Angelorum vocem, per omnia comprobaris. Si Domina Angelorum est, ergò super omnes Angelos exaltata. Item B. Hier. in sermone de Assumptione. Hæc est dies pulchra, in qua meruit exaltari super choros Angelorum, & peruenire vltra, quàm humanitatis nostræ licitum sit naturæ. Vbi non substantia tollitur, sed gloriæ magnitudo demonstratur. Vbi Christus pro nobis introiuit Pontifex in æternum. Idem. Hæc est, dies in qua vsque ad throni celsitudinem Mater, & Virgo processit, atque in Regni solio sublimata post Christum glorioſa resedit. Beata itaque non temere super choros Angelorum exaltata deuotissimè prædicatur, & creditur, quòd Saluator omnium per se quantùm datur intelligi totus festiuus occurrerit, & cum gaudio eam secum in throno collocauerit. Item sicut in corporalibus, ità in spiritualibus nihil est vacuum. Sed inter Deum, & creaturam medium est creatura vnita Deo. Similiter inter esse creaturam puram, & esse creaturam vnitam, medium est creatura, de qua sumitur, quòd nascitur, & vnitur. Et hæc est ergo inter creaturas, & filium medium, scilicet, Beata MARIA. Ergo ei debetur medius status, vnde & super omnes Angelos. Christus etiam dicit per regula. *Qui se humiliat exaltabitur*. Matth. 23. Et quantò quis se magis humiliat, magis à Deo exaltabitur, saltem in Regno beato. Propter, quod dicit sapiens. *Quantò maior es, tantò te magis humilia in omnibus, & inuenies gratiam.* Vnde Christus, qui se super omnes humiliauit seipsum vsque ad mortem crucis, immo, & descendendo ad inferiores partes terræ, propter quod, & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomẽ. Sed post eum Beata MARIA super omnes

3. Reg. 2.

Matt. 23.

humilis fuit, & ideo debuit super omnes exaltari. Vnde ipsa ait. *Quasi cedrus exaltata sum in libano*, quæ arbor altior est omnibus. Sed quia de huiusmodi exaltatione pleniùs dicitur in Sermone de Assumptione, ideo alia dimittuntur. Ex dictis patet quomodo Beata MARIA fuit plena gratia quadrupliciter. Primò, quia omnes gratias generales, & speciales omnium creaturarum habuit in summo. Secundò, quia illas gratias habuit, à quibus omnis creatura vacua fuit. Tertio, quia sua gratia tanta fuit, quòd pura creatura maioris gratiæ capax non fuit. Quartò, quia etiam increatam, id est, Deum in se totam continuit. Et sic per omnem modum gratia plena fuit.

Ecel. 24.

Dominus Deus fuit cum MARIA quinque modis. Cap. 21.

DOminus tecum, Dominus, scilicet, Deus. Vbi primò sciendum, quòd secundùm Magistrum sententiarum, Deus dicitur esse in omnibus rebus creatis tripliciter, scilicet, per essentiam, præsentiam, & potentiam. Et in sanctis suis, quarto modo, scilicet, per inhabitantem gratiam, vel hìc inchoatam, vel in futuro consummatam. Omnibus his modis erat Dominus Deus in Beata MARIA perfectiùs, quàm in cæteris omnibus. Dicitur enim Deus esse in creaturis per essentiam in quantùm per suum continuum influxum conseruat creata in esse. vnde Gregor. Omnia in nihilum redirent, nisi ea manus omnipotentis sustentaret. Et sic exponit Chrysostomus illud Ioan. 1. *Sine ipso*, scilicet, gubernante *factum est nihil*, id est, quod factum est, nihil est. Quantò autē aliqua creatura, vel in specie, vel in indiuiduo habet perfectius esse, tātò magis potest aliquomodo dici Deus, ibi magis inesse per essentiam, vnde magis in homine, quàm in brutis. Et quia Beatæ MARIÆ dedit nobilissimum esse: quia optimè formata, & complexionata super omnes, ideo *Dominus tecum*. Per præsentiam dicitur Deus in omnibus esse: quia nouit omnia intima creaturæ. *Omnia nuda, & aperta sunt oculis eius*. Hebr. 4. Sed in Beata Virgine fuit per præsentiam, non solùm quia ipse vidit omnia secreta eius, affectus, & cogitatus oculo cognitionis, sed & oculo approbationis omnes actus eius interiores, & exteriores, vt sanctissimos approbauit. Per potentiam dicitur esse in rebus: quia omnibus dat virtutem operandi. Vnde Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere*. Et quia virtutem dedit operandi Beatæ MARIÆ perfectius, quàm alteri puræ creaturæ, ideo & perfectiùs, quàm in alijs *Dominus tecum*,

Ioan. 1.

Hebr. 4.

Ioan. 15.

A Per gratiam est in sanctis 1. Ioan. 4 *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*. Sed certè nullus potest æquari Beatæ MARIÆ in charitate. Cantic. 1. *Introduxit me Rex in cellam vinariam*, scilicet, gratiæ suæ abundantissimæ, *& ordinauit in me charitatem*. Sed vltra dictos modos essendi fuit modo inaudito à seculis stupendissimo, scilicet, per præsentiam corporalem, quando Verbum caro factum est, & de qua nisi de Virgine MARIA ait Beatus Bernardus. Et secundùm hoc exponitur *Dominus tecum*, scilicet, citò erit incarnandus. Si dicatur, quòd secundùm Philosophum, sermones inquirendi, & faciendi sunt secundùm materiam, quæ tractatur. Vnde in materia amoris non debet poni nomen timoris, secundùm illud Malach. 1. *Si ego Dominus, vbi est timor meus?* Cùm ergo tractaretur materia summi amoris, scilicet, incarnatio Filij Dei, non videtur, quòd debuerit dicere Dominus tecum, sed potius pax vobis, vel tecum, sicut & filius eius salutabat, quos diligebat. Sed hoc non obstante dicit Albertus, vbi supra, quòd in ista salutatione in eo, quod dicitur Dominus tecum, duo intenduntur. Vnum, vt persona mittentis propriè exprimatur. Alterum, vt liberum arbitrium Beatissimæ Virginis ad credendum, & assentiendum inclinetur. Ista autem duo perfectissimè, & proprijssimè exprimit hoc nomen Dominus, quod à potentia imponitur, scilicet, à dominando. Vnde Beatus Ambrosius, quòd Dominus nomen est potentiæ, & quando absolutè dicitur soli Deo appropriatur. Alij verò Domini dicuntur respectu seruî illius, vel illius, seu alicuius loci determinati. Ipse absolutè dicitur Dominus: quia est Dominus omnium. Esther. 3. *Dominus vniuersorum tu es*, quod solius Dei Trinitatis est proprium, qui est persona mittens in hac salutatione. Et sic persona mittens propriè nominatur. Per idem autem, & liberum arbitrium Beatissimæ Virginis inclinabatur: quia ad consentiendum in mirabilia maximè disponit fides de omnipotentia: quia credit, & aduertit Deum omnia facere posse. Acquiescit ipsum posse, & naturæ, & naturis imperare. Vnde cùm hoc omnium nouorum nouissimum nuncietur Beatæ Virgini, ad credendum, congruentissimè ponitur hoc nomen Dominus, quod absolutè positum est omnipotentiæ demonstratiuum. Quia verò liberum arbitrium Beatæ Virginis etiam per se erat facilè ad credendum paratum, non indiguit exprimi cum insinuatione omnipotentiæ, vt diceretur Dominus omnipotēs. Vel cum terrore, vt Dñs exercituū. Sed sufficit leuis eius annunciatio, & quasi

1. Ioan. 4

Cant. 1.

Malac. 1.

Esther 3.

si obscura expressio potentiæ, qualis per hoc nomen Dominus importatur. Dicit ergo *Dominus tecum*, quasi dicatur ei apertè. Nihil credas tibi impossibile, quæ scis te Dominum in socium habere. Sed dic confidenter, omnia possum in eo, qui mecum est. Si enim aliqui duo vnum officium debeant operari, quid impedit si vnus est debilis, cum alter sit adeo fortis, vt per se effectum illum possit inducere isto etiam non iuuante? Et ex his patet responsio ad obiectum, scilicet: quia Dominus hîc ponitur ad notandum potentiam faciendi, non timorem, vel tremorem.

§. I.

SEcundò, sciendum, quòd cùm Dominus tecum dicitur, associatio denotatur. Associatio autem cùm sit in aliquo secundùm Albertum, notari hic potest triplex associatio, quæ reperitur in rebus, & Domini cum Beata MARIA in mysterio vitæ, videlicet. Associatio in essendo. Associatio in patiendo. Associatio in agendo. Associatio in essendo duplex esse potest, scilicet, absolutè, & respectiuè. Si absolutè, est hæc in substantiali, quali, & quantò. Associatio in substantiali est identitas. In quali est similitudo. In quanto est æqualitas. Fuit ergo associatio Domini, & Beatæ MARIÆ in substantiali esse, vna scilicet, humanitate: quia verus homo de homine, id est, Virgine vera. Vnde in Genes. 37. *Caro enim, & frater noster est*, ad Philip. 2. *Habitu inuentus, vt homo*. Fuit etiam similitudo in voluntate: quia nihil volebat, nisi quod Deus vellet. Fuit æqualitas quoque potentiæ in genere. Ipsa enim Regina eius Regni, cuius ipse est Rex, vnde de ea canitur. Aue Regina cœlorum. Vel inter ipsos, scilicet, Beatam Virginem, & Dominum filium potest notari identitas in natura. Similitudo in forma, & figura. Æqualitas in virtute naturali, vel in potentia. Si autem est communio, seu associatio in esse respectiuè, hoc est vel duorum ad inuicem, & hæc est in summo inter Dominum filium, & matrem: quia hæc mater, & hic filius eius. Aut hæc communio, vel associatio est duorum ad vnum, hæc triplex est: quia vel secundùm tempus, vel secundùm locum, vel secundùm situm, & habitum. Associatio Domini, & Beatæ MARIÆ secundùm tempus reperitur triplex. Fuit enim tempus propriæ humiliationis, & in hoc tempore fuit Dominus Filius, cùm Matre sua; vt in tempore *purificationis*, quando *obtulit filium* in templo. Luc. 2. Nam in illo humiliauit se Mater in sacrificio purificationis, quæ non egebat ea, cùm esset summè pura, non ex homine concipiens. Humiliauit se Filius, cum ea in templo oblatus, & redemptus pecunia. Fuit & tempus persecutionis in passione, scilicet, in qua associata est ei: *quia stabat iuxta crucem Mater eius*. Ioan. 19. Fuit tertiò tempus consolationis, vt in resurrectione, in qua primò (vt ait Beatus Ambrosius) apparuit sibi. Et ideo non accessit cum mulieribus ad monumentum, quæ in morte eum detineri putabant: quia vt ait Beatus Bernardus. Certè expectabat eum resurgentem videre, & inde consolari. In his ergo temporibus Dominus secum. Quantùm ad associationem in loco. Sciendum, quòd triplex consideratur locus: quia alius naturalis, alius pœnalis, alius dignitatis. In his omnibus Dominus secum. Naturalis quidè locus fuit vterus Virginis, in quo fuit Filius mensibus nouem. Matth. 1. *Inuenta est in vtero habens*, scilicet, Iesum. Locus pœnalis fuit exilium, quando, scilicet, propter timorem Herodis, ne occideret Filium paruulum, sicut tot millia innocentum, vt peruenirent ad ipsum, fugit cum filio in Ægyptum ibi exulans per septennium, iuxta id quod prædixerat Isai. 19. *Ecce ascendet Dominus in Ægyptum super nubem leuem*, scilicet, Virginem, quæ onera coniugij ignorauit, ac etiam pondera peccati. Locus dignitatis est cœlum empyreum de quo canit Ecclesia. Ascendit Christus in cœlum, & præparauit suæ castissimæ matri locum in quo post ipsum glorioſa resedit super omnes exaltata. In omnibus his locis fuit secùm. Fuit tertiò secundùm situm cum ea omni modo. Nam in vtero manens cum iacente iacebat, cum sedente sedebat, cum stante stabat. Secundùm habitum etiã fuit, cum ipsa Beatissima MARIA eadem carne induit Deum, qua ipsa erat induta, iuxtà illud ad Philip. 2. *Habitu inuentus, vt homo*. Et Psalm. 92. *Dominus regnauit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem*, scilicet, humanitatem decoratissimam, & potentissimam ad expugnandos hostes, quam vestem fecit ei Mater sua. Secunda associatio cum Domino Filio fuit in patiendo. Est autem triplex compassio, seu sociatio in patiendo, naturalis, vt Mater Filio. Vnde Agar ancilla videns Filium suum Ismaelem siti mori, ex compassione, quasi non valens eum videre mori: *dimisit eum*. Sed Dominus prouidit, Beatissima MARIA ait Thren. 1. *Attendite omnes, qui transitis per viam, si est dolor, sicut dolor meus*, ex compassione ad Filium in cruce pendentem. Sed & ipse Filius cõpatiens Matri, quam sciebat summè dolere, ait Matri suæ;

Genes. 37

Philip. 2

Luc. 2.

Ioan. 19.

Matth. 1.

Isai. 19.

Philip. 2.

Psal. 92.

Genes. 21

Thren. 1.

suæ. *Ecce filius tuus.* Secunda est passio accidentalis, vt compatitur seruus Domino, sicut compatiebantur serui Dauid, cùm filius persequebatur eum, exeuntes ciuitatem cum eo lugentes. Et sic Beata MARIA compassa est filio, vt fidelissima ancilla Domino cùm sequebatur eum in prædicatis, in quibus calumniabatur, subsannabatur, & maledicebatur. Tertia est passio essentialis, vt membrum delicatissimum suo membro compatiatur. 1. Corint. 12. *Si patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra.* Et præcipuè capite languente, omnia membra dolent. Et quia filius eius erat pars eius, & membrum præcipuum spirituale eius, cùm ipse sit caput Ecclesiæ. Ideo & ipsa cum eo passa est. Luc. 2. ait Simeon. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Et in his omnibus fuit consociatio eius in patiendo. In agendo tria sunt genera hominum, quæ sibi communicant in agendo, scilicet, contrahentes, generantes, & adiuuantes. Et ipsa Beatissima Virgo communicauit cum Domino, & associauit se in contractu matrimonij hominis, & Dei. Psalm. 18. *Et ipse tanquam sponsus* Ecclesiæ *procedens de thalamo suo*, scilicet, vteri Virginalis. *A summo cœlo egressio eius.* Associauit se in generatione filij: Spiritus enim Sanctus superuenit in ea, vt de purissimis sanguinibus eius formaret corpus filij, cùm dixit: *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundùm verbum tuum.* In adiutorium generis humani saluandi, in cuius figuram dixit Dominus Genes. 2. *Non est bonum, hominem esse solum. Faciamus ei adiutorium simile sibi.* Et formauit Euam, quæ dicta est mater omnium viuentium. Sed magis propriè potuisset dici mater mortuorum: quia filios suos ipsa occidit. Sed Beatissima MARIA verè mater est spiritualiter viuentium Et sic Beata MARIA communicauit Domino in omni eo, quo contingit aliquid alicui communicare. Et ideo in omni modo. *Dominus tecum.* Dominus omnium per creationem generaliter. Dominus hominum per creationem spiritualiter. Dominus tuus per immediatam superpositionem Christi hominis per vnionem. Tecum ergo Dominus per essentiam, præsentiam, potentiam, per inhabitantem gratiam, & corporalem præsentiam.

Ioan. 19.

1. Cor. 12

Lucæ 2.

Psal. 18.

Lucæ 1.

Genes. 2.

§. II.

DOminus tecum, Dominus Pater (inquit Athan. in Symbolo) Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus. Et tamè non tres Domini, sed vnus est Dominus. Tota enim Trinitas, scilicet, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus operata est mysteriũ incarnationis, scilicet, formando illud corpus ex Virgine, animam Christi subitò creando ex nihilo, & vnionem illam humanitatis suæ cum Deitate efficiendo, & gratiam, & sapientiam, quasi infinitam ei infundendo. Inseparabilia enim sunt opera Trinitatis, de conse. dist. 4. omnes, scilicet, ab extra, licet solus filius, non Pater, non Spiritus Sanctus vnitus sit nostræ humanitati in vna persona. Et ponit Anselm. exemplum de vna veste, quam facerent in scindendo, suendo tres personæ, & tamen vna sola ex illa veste se induit. In cuius figuram legitur Ionæ 2. quòd *Rex Niniue descendit de solio, & indutus est sacco ad placanaum iram Dei contra Niniuem*, id est, mundum subuertendum propter scelera sua. Sic Dei filius Rex Regum descendit de cœlesti solio, & indutus est sacco nostræ mortalitatis, in quo erat thesaurus sanguinis eius, cuius pretio mundus periturus, reconciliatus est Deo. Hinc & Beatus Bernard. super Missus est. Pater, inquit, tecum, qui filium suum facit, & tuum. Filius tecum, qui ad condendum in te mirabile sacramentum, miro modo, & sibi fecerat sacrarium, & tibi seruat genitale signaculum. Spiritus Sanctus tecum, qui cum patre, & filio tuum sanctificat vterum. Et quia Patri attribuitur potentia, Filio sapientia, Spiritui Sancto bonitas, & beneuolentia. Ideo primò. Dominus Pater tecum, exercens summam potentiam. Dominus Filius tecum, ostendens eximiam sapientiam. Dominus Spiritus Sanctus tecum, exhibens nimiam beneuolentiam. Quantùm ad primum: quia Patri attribuitur potentia, & hoc opus incarnacionis fuit summæ omnipotentiæ; Ideo dico Patrem exercuisse summam potentiam. *Fecit*, inquit ipsa Beatissima MARIA, *mihi magna, qui potens est.* Coniuncta quippè sunt in hoc opere tria maximè distantia, scilicet, Deus & limus, vt ait Beatus Bernard. id est, homo, qui de limo secundùm corpus factus est. Mater, & Virgo, quæ communiter sunt contraria simul posita. Paries quidem filium, & virginitatis non patieris detrimentum, cantatur de Beatissima MARIA. Fides est cor humanum. Cor humanum communiter non assentit, id est, intellectus, nisi his, quæ ratione probantur. Sed supra omnem rationem hoc est, quòd Deus factus est homo ex Virgine natus, & tamen totus mundus hoc mysterium credidit, & confessus est. Et vt dicit B. Aug. In his, quæ supernaturaliter, & miraculosè fiunt, tota ratio facti est potentia facientis. Nam ratio deficit, mens non capit humana tantum mysterium. Vnde sapientissimus Salomon Prouerb. penult. sic ait.

Ioann. 2.

Prou. 30.

ait. *Tria sunt mihi difficilia ad cognoscendum, & quartum penitus ignoro*, scilicet, *viam aquilæ in cœlo, viam nauis in medio maris, viam colubri super terram, & viam viri in adolescentia sua.* Secundum Hebræos, vt dicit Nicol. de Lyra. Vbi nota quatuor mysteria magnæ potentiæ, & difficilia ad intelligendum. Via aquilæ in cœlo est ascensio Christi in cœlum, qui sua virtute ascendit. Via nauis in mari fuit operatio christi in passione, in qua summè dolebat secundùm sensitiuam, & summè gaudebat secundùm intellectiuam. Via colubri super terram fuit resurrectio eius de sepulchro. Ipse enim assimilauit se serpenti dicens Ioan. 3 *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, &c.* Quartum autem, quod dicit se penitus ignorare est via viri, id est, quomodo Christus perfectus, & ideo vir omni virtute fuit in adolescentia, id est, in Virgine MARIA. Dominus filius tecum, ostendens suam sapientiam in hoc mysterio. Psal. 103. *Omnia in sapientia fecisti.* Cùm enim ipse sit sapientia patris 1 Corint. 2. *Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam*, non nisi sapientissimè opus proprium suæ personæ ageret. Et quia sapientis est ordinare secundùm Philosophum ordinem summum seruauit in ista sua incarnatione ex Virgine. Venit enim, vt medicus ad curandum infirmitatem nostram. Tolle morbos, tolle vulnera, nulla causa veniendi medico, ait Augustin. sic enim Christus ait. Non est opus valentibus medico, sed malè habentibus. Sapientis autem medici est dare medicinam tempore, quo prosit infirmo. Vnde non immediatè post infirmitatem contractam per peccatum incarnationis medicinam exhibuit: quia minùs fuisset vtilis. Putasset enim homo, quòd infirmitas sua leuis fuisset, & ideo cito curata, vnde & minùs gratus Deo fuisset tanti beneficij, & ex ipsa tam celeri sanatione recidiuum passus esset. Non enim tempore legis naturalis, vel etiam legis Mosaicæ venit, vt conuinceretur superbus homo, qui multùm pronus est attribuere bona virtuti suæ, non Dei. Primò de ignorantia, & postea etiam de impotentia. Nam tempore legis naturæ in tantam cæcitatem lapsus est homo, vt elementa, & creaturas adoraret pro Deo omnibus pene idolatriæ deditis, excepta familia Abrahæ, & de peccatis nefandis Sodomiæ non facerent sibi conscientiam, vt patet in *Sodomitis*. Genes. 19. Tantæ igitur ignorantiæ prouidens Deus legem populo suo valdè multiplicato per Moysen dedit, vt de veri Dei cultu instrueretur, & de peccatis vitandis. Sed quia lex illa adiutorium non præstabat ad implendum quod videbat, sed tantùm docebat agenda. Ideo nullus plenè eam seruare poterat ex virtute sua, propter quod conuictus homo de sua ignorantia, & debilitate coactus est clamare, & postulare aduentum medici, qui talem medicinam institueret, seu componeret, quæ adiuuaret implere quod præciperet. Et hæc sunt sacramenta habentia virtutem ex passione Christi, quæ medicinæ dicuntur contentiuæ gratiæ, Augustin. super Ioannem. Quantùm est in medico sanare venit ægrotum, id est, hominem quemlibet, ipse se interimit, qui præcepta medici seruare non vult. Non autem differre voluit istum aduentum suum vsque in finem, ne homo diu expectans, & postulans remedium cõtra suam infirmitatem demum desperasset de sua salute. Et quia paucis profecisset, scilicet, tantùm illis, qui in fine fuissent reperti. Hæc diffusè Beatus Thom. in 3. part. quæst. 1. Ad sapientiam etiam medici pertinet non solùm tempus congruum seruare, sed & modum, id est, per conuenientia remedia; Contraria enim contrarijs curantur; Infirmitates ex frigiditate prouenientes, per calida. Infirmitas in homine contracta erat ex tumore superbiæ. Et ideo sapientia Dei patris curare eam voluit per humilia contraria superbiæ. Vnde Apostolus ad Philip. 2. *Cùm in forma Dei esset*, id est, verus Deus, *semetipsum exinanuit*, scilicet *formam serui accipiens, humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Et istam humiliationem inchoauit in vtero matris: quia in prima sui subita formatione inuentus est minor omnibus paruulis. Augustin. Erubescat homo fieri superbus, postquam humiliatus est Dominus. Talem, & Matrem elegit Beatam MARIAM, quam ex omnibus humillimam cognouit. Et eius humilitas traxit eum de cœlo, vt ait Bernard. Immo ipsa dicens: *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* Et hoc est, quod dicitur Cantic. 1. *Cùm esset Rex Dominus omnium in accubitu suo*, id est, in requie sua, quasi dormire videretur, & non curare de salute humana, omnes enim ad inferos descendebant, *nardus mea dedit odorem suum.* Nardus est herba parua, sed multùm medicinalis. Et significat Beatam Virginem humilem, quæ permaximè dedit odorem suæ humilitatis, quando totam se Deo committens, & subijciens, ait. *Ecce ancilla Domini, &c.* Qui odor vsque ad cœlum ascendit, & in cœlo accumbentem, quasi euigilare fecit, & vtero suo quiescere. Et sic Dominus tecum, scilicet, erit in te quiescens. Spiritus Sanctus tecum, benevolentiam summam exhibẽs. *Spiritus Sanctus superueniet in te.* Luc. excitãs dilectionẽ tuã

Ioan. 3. Pſal. 103 1. Cor. 2. Philip. 2. Luc. 1. Cant. 1. Luc. 1.

in maiorem feruorem. Necesse enim erat (ait Beatus Bernard.) non modico amoris incendio præueniri, quæ mox conceptura erat Dei filium. Hæc ille. Et ex hoc etiam mundo ostendetur Dei amor, & benevolentia. *Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Ioan. 3. Vt esset etiam vnigenitus matris MARIÆ, Augustin. Quæ maior causa veniendi Deo, nisi, vt ostenderet nobis dilectionem suam, vt si amare pigebat, remeare non pigeat? Vnde, & ipse dicebat per Hierem. 31. *In charitate perpetua dilexi te, propterea attraxi te miserans.* Id est traxi te ad me, suscipiens mortalitatem tuam. Amor autem, & benevolentia attribuitur Spiritui Sancto, propter quod dicit B. Gregor. Ipse Spiritus Sanctus amor est. Et hæc est ratio, quare dicitur Christus conceptus de Spiritu Sancto: *Quod enim in ea natum est*, id est, conceptum, *ac Spiritu Sancto est*, ait Angelus Ioseph de sponsa sua Beata MARIA Matth. 1. Non quia de materia Spiritus Sancti, seu substantia eius facta sit illa humanitas Christi, sed quòd Spiritus Sanctus solus operatus sit incarnationem illam. Sed vt dicit Magist. senten. in 3. quia merè ex amore, & liberalitate Dei factum est, vt Deus vniretur homini, non ex meritis nostris, & amor dicitur Spiritus Sanctus. Et hoc est, quod ait Apostolus ad Titum 2. *Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit.* Vnde & Sol materialis per zodiacum discurrens ex signo leonis, quando est perferuentissimus calor eius super terram, intrat in signum Virginis, ad innuendum, quòd Sol iustitiæ Deus noster ex tempore veteris testamenti, quando Deus, vt leo rugiens, erat Deus vltionũ, puniẽs terribiliter peccatores, vt patet per exẽpla inscripturis, ex feruentissimo amoris calore intrans in vterum Virginis totus factus est benignus, suauis, & humanus. Vnde & fructus tunc matureſcunt, & suaues fiunt. Concluditur ergo Dominus tecum, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, Amen.

Ioan. 3. Hier. 31. Matt. 1. Titum 2.

Dominus Deus fuit cum MARIA ad corpus Christi formandum, & ad prolem exaltandum, & ad ipsam magnificandum. Cap. 22.

DOminus tecum, Dominus nomen est potestatis, ait Beatus Ambros. Et quia Dominus facturus erat in ea pertinentia ad maximam potestatem, ideo ait. *Dominus tecum*, scilicet, erit. Magna potentia Dei solius, & ab hominibus honoratur. Et Iob 5 dicitur. *Facit*, scilicet, Deus *magna, & inscrutabilia, & mirabilia absque numero.* Magnum fuit creare cœlum, & terram ex nihilo. Magnum in diluuio saluare in arca homines, & de omni genere animalium. Magnum liberare populum de Ægypto tantis mirabilibus. Magnum conducere populum illum in tanto numero per desertum 40. annis de cœlo manna præstito. Magnum omnes gentes cum regibus suis de terra promissionis per Iosue exterminare. Et omissis alijs innumeris veteris testamenti exemplis, magnum fuit Christum cæcos illuminare, Dæmones effugare, infirmos sanare mortuos suscitare. Sed omnia ista magnalia excedit mysterium incarnationis, & infinitæ potentiæ, quod Angelus nunciat dicens. Dominus tecum erit. Et hoc triplicitèr. Dominus tecum, ad se incarnandum. Dominus tecum ad prolem vitæ exaltandum. Dominus tecum ad te magnificandum.

Iob 5.

§. I.

DOminus tecum erit citò ad carnem de te sumendum. *Ecce enim concipies, & paries filium, qui vocabitur altissimi filius.* Lucæ 1. Quod immediatè fuit impletum Virgo respondit. *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundùm Verbum tuum.* Tunc Verbum caro factum est, id est, homo de Virgine MARIA. Et vt dicit Leo Papa in sermone. Quod dixit Isai. 54. *Generationem eius quis enarrabit?* Non solùm de generatione æterna ex patre hoc intelligitur, sed etiam ex matre temporali generatione, & per maximè quomodo sit vnitum Verbum huiusmodi: quia nullus viator capere potest. Sed aliqua dicemus solùm quoad conceptum illius corporis Iesu ex Virgine, quæ tamen non sunt prædicanda quoad aliqua propter carnalem populum, qui purè nescit ista considerare. Damascenus sic ait. Et patris beneplacito, & cooperatione Spiritus Sancti tribuit creatori creari, & plasmatori plasmari, & filio Dei, & Deo incarnari, & humanari ex castis, & non coinquinatis eius carnibus, & sanguinibus. Pro horum declaratione dicit Albert. vbi supra secundùm Philosophiam naturalem ad conseruationem indiuidui, & saluationem speciei, ponuntur quatuor digestiones. Prima fit in ore, quod probant ex eo, quòd aliquã operationem, & effectum plus habet res masticata, quàm non masticata. Secunda fit à stomacho, vbi segregatur subtile à grosso, & constat, quòd adhuc neutrum est pars corporis. Tertia fit ex epate, vbi fit vlterior segregatio puri ab impuro, & constat, quòd adhuc neutrum est initiũ corporis, vel pars corporis.

Luc. 1. Isai. 54.

ris. Quarta fit in membris, vbi transmittitur magis purum. Et illud ad membra transmissum facit tria. Primum est, quòd nutrit, & saluat substantiam suscipientis, restaurando deperditum continuæ defectionis, quæ ex calore naturali est, agente in suam materiam. Secundum est quòd eandem substantiam etiam augmentat, & deducit vsque ad debitam quantitatem, si est circa. Tertium est, quòd his duabus actionibus superfluum transmittit ad viam generationis, & sic semen est superfluitas quartę digestionis. Modò queritur de illo superfluo. Aut de illo tantùm fit decisio, vel non tantùm de illo. Si tantùm de illo, illud nunquam fuit generantis, nec pars corporis: quia in fine quartę digestionis, primò vel conuertitur in corpus, si est necessarium, vel trãsmittitur generatiuè si est superfluum. Ergo si tantùm de illo fit propagatio, non erit essentialis propagatio: quia nec anima de anima, nec corpus de corpore. Item nunquam superfluum illud vnitum fuit massæ corruptæ, ex cuius coniunctione contrahitur originale, ergo ille, qui generatur non habebit originale. Item secundùm hoc nihil esset in Christo: quia secundùm esse nunquam fuisset, Adam ergo non descendisset ab eo secundùm corpulentam substantiam, quod est contra Beatum August. Item si dicatur ab ipso Adam descendisse, non quòd aliquid sui fuerit in eo secundùm esse, sed tantùm secundùm originem animæ vegetabilis, & nutritiua, quæ est potentia in semine, ergo potiùs dicetur descendisse à prima planta, vel à primo animali, in quo primam originem habuit anima nutritiua, & vegetabilis. Propterea cùm anima vegetabilis sensitiua vna sit substantia cum rationali in homine, & illa nullam ab Adam habuit originem, secundùm animam vegetatiuam, & nutritiuam nullo modo dicetur Dominus descendisse ab Adam. Et si diceretur, quòd in semine est virtus animæ vegetabilis, & non in anima, hoc nihil est. Virtus enim non est sine substantia, cuius est virtus. Vnde ergo facta fuerit ista conceptio. Dicimus cum Damasc. quòd non tantùm de sanguine, & de sanguinibus, & carnibus Beatissimæ Virginis facta est. Et dicimus, quòd duplex est humiditas sui sanguinis in corpore. Vna nutrimentalis, quæ venit à cibo, & adhuc non est corpus, vel pars corporis, sed adhuc potest, vel vniri, vel pars fieri, vel transmitti ad generationem alterius corporis. Præter hanc est ibi humiditas substantialis, quæ est actualiter in omnibus membris, & est pars essentialis corporis, vel generantibus cõiuncta, vel per nutrimentũ in corpus conuersa, & illi vnita. Et ex his vtrisque fit decisio, vel propagatio. Et hoc est, quod subtiliter tangit probans in lib. de anima dicens,

A quòd est generationis factiuum. Et hoc duobus modis. Vno modo: quia ex superfluitate in vltima digestione fit pars seminis, & rei generatæ. Alio modo: quia per alimentum suscipiunt completam quantitatem, tunc & substantiatiuam, vt non possit ex ipsis decidere essentialiorem, & veriorem partem seminis rei generatæ, aliàs si nutrimentum esset tantùm materia seminis, & non effectiuum, non benè diceretur factiuum, quod dicit potentiam actiuantem. Nunc autem est nutrimentum, & materia seminis quantùm ad maiorem partem ipsius seminis, & est causa efficiens, & conferens membris complementum ad decidendum de se partem essentialiorem, & veriorem. Et idem tangit Damasc. dicendo in vno loco, ex sanguinibus, & non ex sanguine. Et in alio loco dicit expressè, ex purissimis sanguinibus, & carnibus. Et Ioan. 1. dicitur in plurali. *Qui non ex sanguinibus* in plurali, *neque ex voluntate carnis* in singulari. Item sciendum secundùm Albert. vbi supra, quòd fuit ista conceptio per modum generationis, non per modum creationis. Nec Damasc. dicit creans, quamuis Magister sententiarum dicat hoc. Sed dicit Damasc. quòd non seminaliter, sed conditiuè per Spiritum Sanctum. Et alia translatio habet creabiliter, quasi diceret, quamuis non sit purè creatio, est tamen ibi proprietas, & similitudo creationis: quia videlicet facta fuit subitò, & immediatè à Deo, qui non indiget materia. Quamuis enim Damasc. dicat, quòd Spiritus Sanctus descendit in eam, dans ei virtutem susceptiuam simul, & generatiuam, non est intelligendum, quòd illa virtus Beatæ MARIÆ fuerit causa immediata illius conceptus, sed causa mediata. Non enim à virtute creata potuit hoc esse immediatè, sed à virtute increata Dei, quod probatur: quia coniungere ea, quæ sunt infinitæ distantiæ, est potentiæ infinitæ. Eiusdem autem virtutis est operari conceptionem, & vnionem: quia simul fuit in vno. Sed in ista vnione sunt Deus, & homo, qui sunt infinitæ distantiæ, ergo hoc fuit à virtute infinita, nec virtutis creatæ. Nulla enim creatura est infinita virtute. Signanter autem dixit Angelus: *Ecce concipies in vtero*, nec est superfluum in vtero ponere: quia videtur, quòd conceptus non fiat, nisi in vtero, quamuis enim vterus sit locus conceptionis; tamen est differentia inter concipere in vtero, & concipere in vterum: quia omnes mulieres concipiunt in vterũ, recipientes à viro semen in vterũ. Sola autem B. MARIA concepit in vtero, non homine, sed Spiritu Sancto in ea conceptum operãte, secundùm illud Hier. 31. *Nouum faciet Dominus super terram. Fœmina circundabit virum.* Quod secundùm Dionys. est nouissimum om-

Ioan. 1

Hier. 31

omnium nouitatum. Item in ipso conceptu non habuit Beata MARIA delectationem cum libidine, vt habent communiter mulieres. Vnde Angelus docens modum, ait. *Virtus altissimi obumbrabit tibi*, id est, refrigerium præstabit tibi in eo conceptu, vt calorem libidinis non sentias, sicut vmbra refrigerium præstat contra calorem. Habuit tamen summam delectationem spiritualem, & gaudium, quale intelligi non posset à nobis. Sed & delectationem naturalem habuit tunc in summo. Nam conceptio ista fuit similis illi, quæ fuisset in statu innocentiæ quã tùm ad immunitatem peccati, & libidinis. Sed illa fuisset cum maiori delectatione, quàm sit modò, quę est cum libidine, ergo & illa fuit cum maxima delectatione naturali sine aliquo peccato. Item natura nobilior nobiliores habet operationes, & delectationes. Sed natura non corrupta nobilior est natura corrupta, vt nunc, ergo maior est, & nobibior eius delectatio. Huiusmodi autẽ fuit conceptus MARIÆ: quia non natura corrupta in ea, ergo, &c. Stetit autem in vtero virginis secundùm B. August. 4. de Trinitate mensibus nouem, & diebus sex. Et si dicatur, quòd videtur, quòd dies 46. steterit in vtero Virginis vltra debitum. Et ratio est: quia in alijs pueris in isto spatio dierum, scilicet, quadraginta, vel quadraginta sex secundùm alios paulatim proficitur, & organizatur corpus paruuli in omnibus lineamentis suis, & tunc formato anima de nihilo creata corpori, infunditur. Sed corpus Iesu in subito, cùm dixit B. MARIA. *Fiat mihi secundùm Verbum tuum*, in instanti fuit de purissimis sanguinibus virginis corpus perfectum, completum, & organizatum, & anima tunc creata infusa, & simul Deitati vnita. Non tamen superfluxerunt illi dies in manendo in vtero virginis. Sed infra illos, vt dicit Magist. senten. in 3. corpusculum illud purissimum super omnia corpora paruulorum in vtero existentium deuenit ad notabilem quantitatem, & solitam communiter. Et sic fuit in vtero cclxxvj. diebus. Hæ sunt trigintanouem hebdomadæ, & duo dies. Et congruentissimum, & pretiosissimum tempus est, quo secundùm ordinem naturæ non errantis, neque deficientis partum congruit esse in vtero post animæ infusionem. Nec debuit Dominus concipi perfectione corporali, quæ esset contra modum humanæ natiuitatis, sed perfectione spirituali. Primò, autem homini Adæ de terra terreno congruebat perfectio corporalis. Secundo, verò Adæ cœlesti congruebat in illo suo principio perfectio spiritualis, quæ intelligitur per virum, dum dicitur in illa authoritate. *Fœmina circundabit virum*. Concepit ergo Beata MARIA cum summa spiritus delectatione, & etiam cum summa delectatione naturali. Sed naturalis fuit ibi materialis, spiritualis fuit formalis, sicut ipsa conceptio fuit Spiritu Sancto operante tantùm, & natura operationem suscipiente. Quamuis autem post conceptionem matres habeant grauedinem, & *laborem* in portando prolem in vtero (prout dicit Tobias filio suo. Tob. 4.) Beata tamen MARIA nullam grauedinem sensit: quia concepit secundùm statum innocentiæ, id est, sine peccato originali in prole. Vnde sicut in illo statu innocentiæ non erat grauamen in matre portante fœtum, ita nec Beata MARIA habuit grauamen. Sicut corpus proprium non grauat proprie, sic naturaliter corpus matris, & filij in vtero eius, quasi vnum corpus naturaliter non grauat. Item quamuis dissolutio, seu diuisio continui sit dolor, hoc est, quando fit istud à principio extra agentem per violentiam, quod non fuit in Virgine. Fuit etiam talis dolor partus datus in pœnam matribus concipientibus cum libidine. Quod quia nõ fuit in Virgine, ideo, vt canit Ecclesia. Nesciens mater Virgo virum peperit sine dolore Saluatorem seculorum. Propterea Beata MARIA ante partum tantùm reficiebatur secundùm intellectum, & tactùm, intelligendo, & sentiendo in se habere gaudium Paradisi Dominum Iesum, sed post partum reficiebatur de eo secundùm omnem sensum, & intellectum videns paruulum, quem nouerat Deum, audiens vagientem, quasi gustans cùm oscularetur, adorans præsentẽ, palpans, & amplexans. Et ideo auctum est gaudium, & delectatio in partu. Item quamuis corpus grossum non possit transire per aliud corpus nisi diuidendo, hoc est secundùm naturam, tamen quia partus Virginis MARIÆ fuit miraculosus, sicut conceptus, ideo exiuit in mundum per *portam clausam*, vt prophetauit Ezech. saluo signaculo virginali, Virgo ante partum, & Virgo post partum. Sola etiam Virgo lactabat vbere de cœlo pleno, non per alium modum, qui accidit in matribus. Quòd Dominus fuit cum Beata Virgine per exaltationem prolis.

Tob. 4.

Ezec. 44.

§. II.

Dominus tecum, secundò, ad prolem de te exaltandum, quod declarat exprimens, qualis erat nasciturus ex ea. *Vocabis inquit nomen eius Iesum, erit enim magnus, &c.* Hoc nomen Iesus, quod secundùm B. Bernard. est mel in ore, melos in aure, iubilus in corde, fuit ab æterno prædestinatum rem nominis Deum præstando. Roman. 1. *Qui* scilicet, Iesus *factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem, qui prædestinatus est filius Dei*. Fuit à Propheta prænuntiatum per longa ante tempora. Abac. 3. *Ego* (ait) *in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu*

Rom. 1.

Abac. 3.

Iesu meo. Ab Angelo intimatum MARIÆ, & Ioseph: vt hìc, & Matth. 1. *Apparuit Angelus Domini Ioseph, dicens. Noli timere, &c. Vocabis nomen eius Iesum*, à MARIA imperatum, & à Ioseph executioni mandatum. Matt. 1. Lucæ 2. *vt circuncideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus*. Hoc autem est nomen proprium eius, & quia nomina imponuntur rebus à proprietatibus earum. Causam huius nominis impositionis expressit Angelus, dicit. *Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum*. Vnde Iesus Hebraicè, Latinè Saluator interpretatur. Quamuis autem saluare à culpa remittendo eam, sit commune tribus personis, quia inseparabilia sunt opera Trinitatis ab extra, tamen redemptio per passionem propria est filij incarnati, qui solus est incarnatus. Et secundùm hanc filius solus sanguine suo saluum fecit populum suum à peccatis eorum. Vnde ipse solus dicitur Iesus, id est, Saluator. Item quamuis vnum proprium nõ possit esse plurium, tamen vnius possunt esse plura propria, vt risibile, disciplinabile, & susceptibile hominis. Vnde cùm Verbum incarnatum habeat plures proprietates sibi soli conuenientes, & nulli alij personæ, potest à qualibet earum denominari. Vnde plura nomina, quæ dicuntur de eo, vt Esaias 7. *Vocabitur nomen eius Emanuel*. Et vocabitur admirabilis, consiliarius, fortis, &c. conueniunt ei ratione diuersarum proprietatum, & à qualibet earum potest denominari. Cùm vnumquodque ab vltimo, & optimo præcipuè habeat denominari. Finis autem est vltimum, in vnoquoque debet vnumquodque proprijssimè à fine denominari. Et cùm finis Incarnationis sit saluatio humani generis per Verbum incarnatum. Vbi Filius Dei incarnatur, rectè vocatus est Iesus potiùs, quàm alio nomine. Similiter quamuis mirabilitas, & fortitudo, & consilium communia sint diuinis personis, tamen mirabilitas conceptus, & natiuitatis de Virgine, fortitudo in morte, consiliatio in doctrina, verbo & exemplo solùm conueniunt Iesu, sicut propria est ei Incarnatio. Vnde hac ratione non conueniunt prædicta nomina Trinitati, sed Verbo incarnato. De istis duobus coniunctis: Iesus Christus, dicit Albertus, quòd nominant vnum personam à duabus naturis, quæ inuenta est secundùm humanitatem, Saluator secundùm diuinitatem humanitati connexam. Quantùm autem incarnatum ex Virgine Dominus exaltauerit, ostendit Apostolus ad Philip. 2. dicens: *Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, &c.* Et hoc Angelus Gabriel exposuit subdens, postquàm dixit Virgini. *Vocabis nomen eius Iesum*. Erit enim magnus, &c. quorum exposito sequitur, de magnitudine prolis concipiendæ à Virgine, id est, Iesu. Erit inquit magnus. Et primo locutio ista videtur incongrua. Nam cùm magnitudo sit duplex, scilicet molis, seu quantitatis materialis, & virtutis. Et de magnitudine corporali non sit intelligenda locutio, quia illa est indifferens, vnde Samueli dictum fuit de vno ex germanis Dauid. *Ne respicias vultum eius, nec altitudinem staturæ eius, quia abieci eum*, 1. Reg. 16. Ergo de magnitudine virtutis. Sed cùm qui nunciatur, concipiendus sit Deus, Deo autem nihil accrescat, nulla virtus per incarnationem. Quicquid enim potest homo, potest Deus, & plus: ergo quicquid potest modò, potuit & priùs, quomodo igitur factus magnus? Vnde & beatus Bernardus. Quare erit, & non potius est magnus qui semper æqualiter est magnus, & non habet, quo crescat, vt quasi maior post conceptum futurus sit, quàm ante sit? quinimmo potius paruus videbatur nunciandus, secundùm illud Esai. 9. *Paruulus natus est nobis*. Vnde & beatus Bernardus. Non laudatur Dominus magnus, & laudabilis valde, sed & paruus Dominus, & amabilis valde. Propter quod etiam dicit Psalmus 8. *Minuisti eum paulò minùs ab Angelis*. Quod Apostolus ad Hebr. 2. exponit de Verbo incarnato. Ad hoc respondet Albertus, vbi supra Dominus in Incarnatione factus est magnus & paruus, quia Deus, & homo. Magnus inquantum Deus; paruus inquantum homo. Ergo vna, & eadem persona est magnificata & paruificata. Quòd autem persona diuina sit magnificata, hoc habet ratione humanitatis, quia, scilicet ipsa humanitas Deo coniuncta est magnificata & exaltata. Nam diuina natura non habet, quo crescat, cùm infinita sit. Paruificata autem, & exinanita dicitur diuina persona ratione diuinitatis, non ex diminutione diuinæ naturæ in aliquo, quę minui non potest, sed cum inferiori vnitione. Sicut & magnificatio non est naturæ extra metam propriam eleuatio, sed cum summa natura personalis coniunctio. Et sic erit magnus. Primò, altissima nobilitate. Secundò, excellentissima dignitate. Tertiò immensissima potestate. Quartò, copiosissima vtilitate. Quintò, diffusissima famositate. Sextò, inauditissima nouitate. His sex modis erit magnus.

Esai. 7. Philip. 2. 1. Reg. 16. Esai. 9. Psalm. 8.

§. III.

DE nobilitate eius dicitur Prouerb. vlt. *Nobilis in portis vir eius*, scilicet, Ecclesiæ, cuius sponsus est Iesus *quando sederit cum Senatoribus terræ*, Et Lucæ 19. in parabola. *Nobilis quidam abijt in regionem longinquam, accipere sibi Regnum & reuerti*. Hic vtique magnus. Nam Psalm. 47. de

Prou. 31. Lucæ 19. Psal. 47.

de eo *Magnus Dominus, & laudabilis nimis & magni, &c.* Et quis magnus, sicut Deus noster, Iob 11. *Altior cœlo est, profundior inferno, latior mari, & longior terra, mensura eius*, scilicet spiritualis, videlicet in potestatis sublimitate. In sapientiæ limpiditate. In charitatis viscerositate. In permanentiæ æternitate. Bernardus, Plane magnus, quia tam magnus, quàm altissimus. Altissimus enim pater eius est: quàm altus autem pater sit, non potuit inæqualem sibi gignere filium. Fecit vtique Angelorum magnum, sed non quantus est ipse, & fieri non potuit altissimus, quod sibi ipsi vsurpare voluit dicens. *Similis ero Altissimo.* Solum autem vnigenitum, quem non fecit, sed genuit omnipotēs omnipotētē, Altissimus Altissimum, coæternus coæternum, ipsum sibi per omnia comparari, nec rapinam æstimat, nec iniuriam. Vnde & Angelus, postquam magnus dixit, subdidit. *Filius Altissimi vocabitur.* Ecce nobilitas altissima expressa. Quamuis autem dicatur in libro Eccles. 4. *Eris filius Altissimi obediens*, scilicet mandatis Dei. Aliter tamen, quàm iste. Nam sancti viri, & obedientes diuinis mandatis sunt filij per adoptionem, secundùm illud Apostoli ad Galat. 4. *Misit Deus filium suum natum ex muliere, &c.* vt adoptionem filiorū reciperemus. Hic autem filius Altissimi per æternam generationem. *Vocabitur*, ait, *Altissimi filius.* Aliter, quàm alij. Nam alij vocantur nominis illius impositione. Hic autem, & nominis, & rei, & diuinæ naturæ per operum declarationem. *Vocabitur Altissimi filius*, æterna nominatione. Psalmus 2. *Dominus dixit ad me filius meus es tu, ego hodie*, id est, æternaliter, *genui te.* Scripturæ attestatione. Ioannis prophetatione. Operum probatione. Patris æterni declaratione. Columbæ ostensione. Petri cōfessione, & dæmonum suspitione. Doctrinæ singularitate, quia *nunquam sic locutus est homo* dixerunt Iudæi, missi ad capiendum eum. Ioan. 7. Facile est de his auctoritates Scripturæ habere ob breuitatem dimissas. *Vocabitur*, ergo ab hominibus ex prædictis *Altissimi filius.* Vnigenitus in esse naturę. Primogenitus in donis gratiæ. Summus in esse gloriæ. Vnus erit in essentia cum patre. Erit à patre æterna generatione. Vnum principium in communi inspiratione.

Iob 11. Esai. 14. Eccles. 4. Galat. 4. Psalm. 2. Ioann. 7.

§. IIII.

DE excellentissima dignitate, ait per eos Dauid Psalm. 2. *Ego constitutus sum Rex ab eo.* Et Apocalip. 19. dicitur, quòd habet scriptum Dei filius in fœmore suo, id est, humanitate, *Rex Regum, & Dominus dominantium.* Quod etiam ostensum fuit in visione Nabuchodonosor in lapide illo excisō à monte, *sine manibus*, qui percutiens statuam illam signantem quatuor Monarchias mundi ex quatuor partibus eius diuersæ materiæ confectam, ad nihilum rediget, *& factus est mons magnus* dominans omnibus, vt habetur in Daniele. Vnde & Angelus subdidit. *Dabit illi Dominus sedē Dauid patris eius*, id est, dignitatem regiam. Sed potest meritò dubitari, de quo Regno loquatur, videlicet spirituali, seu temporali? De temporali non videtur intelligendum, cùm ipse dixerit: *Regnum meum non est de hoc mundo*, Ioan. 18. Vnde cùm turbæ post miraculum factum, satiando *quinque millia hominum ex quinque panibus*, voluissent eum facere *Regem*, aufugit, Ioan. 6. Sed nec de spirituali, quo, scilicet, regnat per gratiam in Ecclesia, quia inquantum homo non confert gratiam. Inquantum Deus semper habuit tale Regnum spirituale, & sic ei non fuit datum, quod habebat. Sed respondetur, quòd Christus Regnum temporale, & spirituale recepit in sua Incarnatione. Nam etiam inquantum homo datum fuit ei dominium totius mundi. Sed non eo vsus pauperrimè degens, vt nos suo exemplo induceret ad contemptum mundi. Beatus Augustinus, Omnia terrena contempsit homo Christus, vt cōtemnenda esse demonstraret, & exemplificat per particularia. Et isto modo Regnum eius nō fuit de hoc mūdo. Regnū spirituale inquātū homo habuit, inquātū caput est Ecclesiæ merito passionis nobis gratiam procurans, & exemplo Ecclesiam regens, & verbō, propter quod ait Pilato. *Tu dicis: Rex sum ego. Ego in hoc natus sum, vt testimoniū* prehibeam veritati. Ioan. 18. Vnde Gloss. superdicto verbo. *Dabit ei Dominus sedem Dauid, &c.* dicit: In præsenti vita corda inhabitans, scilicet, per gratiam, regnabit ad gloriam vocans, vt regnemus cum eo in patria. Hinc & Leo Papa in sermone. Agnosce ò Christiane dignitatem tuam, & diuinæ cōsors factus naturæ noli in veterem vilitatem degeneri conuersatione redire. Memēto cuius capitis, cuius corporis sis membrū. Reminiscere, quia erutus de potestate tenebrarum translatus es in Dei lumen, & Regnum. Non solùm autem hominum, sed & Rex est, & Dominus Angelorum. Vnde Matth. 4 dicitur. *Accesserunt Angeli, & ministrabant ei*, vt scilicet Domino suo. Et ad Hebr. 1. *Cum introducit primogenitum*, scilicet Christum, *in orbem terrarum, dicit. Adorent eum omnes Angeli eius.* Et in hymmo. Tremunt videntes Angeli versa vice mortalium, culpat caro, purgat caro, scilicet Christi, regnat Deus, Dei caro. Et iterum ad Heb. 1. *Sed & ad dexterā mateſtatis in excelsis*, scilicet Christus, *tantò melior An-*

Dan. 4. Ioan. 18. Ioann. 6. 1. Cor. 13. Ioan. 18. Matt. 4. Hebr. 1.

Psalm. 2. Apoc. 19.

Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit. Cum igitur Deus nominetur, & sit, & Deus sit Rex Angelorum, ergo & Christus est Rex Angelorum. Sed pro huius pleniori declaratione sciendum secundùm Albertum, vbi supra, quòd de Domino Iesu Christo possumus loqui secundũ quatuor modos. Primò, de ipsa hypostasi seu persona diuina, scilicet Filio Dei. Secundò, de natura, id est, persona ipsa ratione diuinæ naturæ, quæ est in ea. Tertiò, de persona ratione humanæ naturæ assumptæ, scilicet secundùm quod est in vnione cum diuina. Et his tribus modis Christus est superior omni Angelo, & Rex Angelorum. Quartò, modo secundùm quod in se est ipsa humana natura circumscripta diuinitate, & sic est inferior Angelo secundùm illud. *Minuisti eũ paulò minus ab Angelis*. Quod verum est, secundùm naturam, seu perfectionem naturalem, nam natura intellectualis superior est rationali, sed secundùm gratiam infusam animæ eius, & gloriam maior est omni Angelo sine comparatione, vnde & sedere dicitur *à dextris Dei*. Matth. vltim. in potiori gloria super omnes homines, & Angelos.

Psalm. 8.

Mat. vlt.

§. V.

De immensa eius potestate, Psalmus 70. *Quis Deus magnus, sicut Deus noster,* noster, scilicet, frater effectus per Incarnationem, *tu es Deus, qui facis mirabilia, notam fecisti in populis virtutem*, id est potentiam tuam. *Potestatem habeo ponendi animam*, scilicet per mortem, & *potestatem habeo iteram sumendi eam*, ait ipse Ioan. 10. scilicet propria virtute resurgendo. Dicit beatus Augustinus, maius esse iustificare peccatorem, quod fit remittendo peccata, quã creare cœlum, & terram, quod est immensæ potentiæ. Nam per creationem res producitur ad esse naturæ, sed per iustificationem ad esse gratiæ. Potior autem est gratia, quã natura, ait beatus Ambrosius. *Filius autem hominis habet potestatem in terra remittendi peccata*, ait ipse Matth. 9. Immo vt ait Augustinus de conse. distinct. 4. nemo. Nemo tollit peccata mundi, nisi Christus, qui est Agnus Dei, tollens peccata mundi, sua deitate affectiuè, sua humanitate meritorie. De diabolo Dominus dicit ad Iob penult. *Non est potestas similis ei super terram*. Sed Dominus Iesus fortis, & potens in prælio eum superauit magnitudine potentiæ suæ. Cùm fortis potentia naturali armatus malitia experimentali custodiret *atrium suum*, scilicet mundi, *in pace omnia possidebat*, vt dicitur Lucæ 11. Tyrannice sibi vsurpato, dominio non reperiebatur, qui ei resisteret ex defectu virtutis in humano genere. Sed *superueniens fortior eo*, pugnans cum ipso manu inermi, & affixa cruci debellauit, inquit beatus Augustinus, aereas potestates, *& vniuersa arma* eius, in quibus confidebat *abstulit*, scilicet, malitias detegens verbo, & exemplo *& spolia eius diripuit*. animas captiuas ab eo liberando. Sed & hanc suam magnam potestatem discipulis communicans ait. *Ecce dedi vobis potestatem super omnia Dæmonia, &c.* Lucæ 9. *Data est mihi*, inquit, *omnis potestas in cœlo, & in terra*, Matth. vltim. Quæ quidem potestas secundùm Magistrum in 3. sentent. sibi collata est à principio suæ conceptionis. Sed resurgenti asserit sibi collatã, quia tunc fuit hoc manifestatum. Nam sicut ipse fuerat potens *in opere* miraculorum, *& sermone coram Deo, & omni populo*. Lucæ 24. Ita concessit Apostolis, vt in nomine eius dæmonia ejicerent. Linguis nouis verba exprimerent. Serpentes tollerent, venena propellerent, infirmos à varijs languoribus curarent cæcos illuminarent, mortuos suscitarent, confortati potentia virtutis eius. In cœlo data est omnis potestas, quia his, qui credunt in nomine eius, *dedit potestatem filios Dei fieri*, Ioan. 1. *Et potestas eius, potestas æterna*, vt dicitur Daniel. 9. Recte ergo dicitur ei danda sedes Dauid, qui interpretatur fortis robore. Et figuratur Regnum Christi super Ecclesiam militantem per Regnum Dauid, quia huius regnum Ecclesiæ est in bello contra vitia, & in effusione sanguinis: & castigatione corporis, & crucifixione carnis à vitijs: sicut & regnum Dauid fuit cum bellis, & laboribus. Sedes ergo Dauid est ei danda, scilicet, spiritualis Regni sacerdotij magisterij, iudicij, conuiuij. Et dicitur sedes ista Dauid, vt dicit Albertus propter carnis propagationem, quia ab eo descendit. Propter diuinam electionem. *Elegi hominem, secundùm cor meum*, ait Dominus de Dauid: propter humilem exaltationem. Ex paruo assumptus est in Regnum humilis valde. Vnde ait. *Vilior fiam plus, quàm factus sum, & humilis ero in oculis meis*, dixit, ipse Michol. 2. Reg. 6. Propter hostium deuictionem, quia plurimos hostium subiecit. Propter sanguinis effusionem multos occidens, præcipue Goliath. Propter diuini cultus augmentationẽ, vt patet, 1. Paralip. 1. Propter spiritualem promissionem. Psalmus 131. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*. Propter virtutum similitudinem, & charitatis magnitudinem.

Ioann. 10

Matth. 9

Iob 41.

Lucæ 11.

Psal. 70.

Ioann. 1.

Dan. 9.

1. Reg. 13

2. Reg. 6.

1. Par 1.

Psal. 131

§. VI.

De vtilitate maxima eius dicitur in libro Sapientiæ. *Magna sunt iudicia tua, Domine, & inenarrabilia verba tua.* Magnificasti

ap. 7. S

casti populum tuum, & honorasti. Verè magnus Dominus, & magna misericordia eius, qui dat donum æquale sibi, inquit, beatus Augustinus, Deus enim factus est homo, vt homo fieret Deus. Vnde Petrus in Canonica Epistola, *Maxima, & pretiosa donauit nobis Deus, vt simus diuinæ naturæ consortes.* Quis maior honor esse potest, quæ maior vtilitas? Vnde Leo Papa in sermone. Rediit in honorem suum ab antiquis contagijs purgata natura, mors morte destruitur, & natiuitas natiuitate reparatur. Quisquis igitur piè, & fideliter Christiano nomine gloriaris, reconciliationis huius gratiam iusto perpende iudicio. Tibi enim quondam abiecto, tibi per exilia longa morienti, tibi in cinerem, & in puluerem dissoluto, cui iam non erat spes vlla viuendi, per Incarnationem verbi potestas data est, vt de longinquo ad tuum reuertaris auctorem, cognoscas parentem, liber efficiaris ex seruo, de extraneo promouearis in filium, vt qui ex corruptibili carne natus es, ex Dei spiritu renascaris, & obtineas per gratiam quod non habebas per naturam, & malè conscientię absolutus reatu, cœlestia Regna suscipias si voluntatem Dei facias diuino fultus auxilio. Hæc ille, & ideo Isai. 9. ait: *Paruulus natus est nobis filius datus est nobis* Et Angelus ad Pastores. Luc. 2. *Natus est vobis Saluator, qui est Christus Dominus*, id est, ad vestri vtilitatem. Vnde beatus Bernardus. Magnificetur à nobis paruulus, & magnus Dominus, quos vt faceret magnos, factus est paruus. *Paruulus* (inquit Isai.) *natus est nobis*, non Angelis, qui cùm magnum haberent, paruum non requirebant. Nobis ergo natus, nobis datus, quia & nobis necessarius. Et ideo de nobis nato, vel dato faciamus id, ad quod datus est nobis, vtamur nostro ad nostram vtilitatem, & de Saluatore salutem operemur. Hæc Beatus Bernardus, tunc autem salutem consequemur, si vitam eius imitamur. Nam vt ait beatus Augustinus in sermone. Homo sequendus non erat, qui videri poterat, Deus sequendus erat, qui videri non poterat, vt ergo homini exhiberetur, qui ab homine, videretur, quem homo imitaretur, Deus factus est homo, qui omnia benè fecit. Vnde & Angelus dixit. *Regnabit in domo Iacob in æternum.* Quod quidem de domo materiali Iacob intelligi non potest, quia illa non manet in æternum, sed de domo spirituali, secundùm interpretationem nominis. Interpretatur enim Iacob supplantatio. In illa ergo domo, id est mente regnat Iesus per gratiam, perducens inde ad gloriam, qui diabolum supplantat, id est, superat mundum & carnem cum concupiscentijs suis. Qui vt Iacob patienter sufferri iram fratris, vitat scandala proximi. Simplex est, & domi conscientiæ secum manens, qui patriam, & parentes ad voluntatem patris, scilicet Dei deserit, qui vt aduena peregrinatus in terra vigilans die, ac nocte, æstu vritur & gelu super gregem suorum subditorum, vel saltem sensuum, & cogitationum suarũ, ne aliqua occidatur à lupo infernali, qui ditatus virtutibus, & multiplicatus in filijs bonorum operum, ex Lya actiuè, & Rachel contemplatiuè. Demum disponente Deo ad patriam supernam regreditur, in luctu Angelum vincens, malum tamen, qui scilicet præliatur in fine nobiscum. Vnde nomen mutat Israel, quod interpretatur videns Deum scilicet per gloriam. *Regnabit in domo Iacob,* miseris miserando, malos extirpando, bonos exaltando, omnibus imperando, hostes subiugando, curias celebrando, iura promulgando, Regna dilatando. Hæ sunt conditiones magni Regis, quas habuit, & in vtilitatẽ nostram exercuit Rex Iesus, quoniam Deus magnus Dominus.

2. Petr. 1

Isai. 9.

Lucæ 2.

§. VII.

DE diffusissima famositate. Magnus erit: Prius dicebatur à Psalm. 75 *In Israel magnum nomen eius*, scilicet, veri Dei. Nam alijs nationibus etiam Romanis, in quibus erat Monarchia, declinantibus ad idolatriã, paruum, & penè nullum habebatur nomen veri Dei, cùm multos colerent Deos. Sed post Verbi Incarnationem impletum est quod Malachiæ 1. pronunciatum est, scilicet. *A solis ortu vsque ad occasum magnum nomen meum in gentibus*, id est magna fama vbique diffusa, de magnitudine veri Dei incarnati. Quod etiam signatum fuit in principio suæ natiuitatis, venientibus ex oriente tribus Regibus magnis in sapientia, & ideo Magis dictis, adorare recenter natum, ex muneribus ostendentibus veram fidem diuinitatis eius ex thure, mortalitatis assumptæ ex myrrha, Regiæ dignitatis naturaliter, & spiritualiter ex auro, ad innuendum, quòd ex tribus mundi partibus Asia, Africa, & Europa venturi essent ad veram fidem eius Reges, & sapientes cum populis suis, quia non soli venerunt. Et in occidente, die suæ natiuitatis ostenso paruulo circa spheram solis in gremio puellæ, à Sibylla Octauiano Monarchæ mundi, qui reuerentiam ei exhibuit, & sacrificium, vt narrãt Historiæ. *Magnus ergo Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius*, scilicet, famæ, *non est finis.* Nam per longum & latum totius terræ, & profundum inferni, & altitudinem cœli, diffusa est fama infinitæ bonitatis, & perfectionis eius. Beatus Hieronymus, Gallia, & Britannia, & Africa, & Persis, Oriens, & India vnum Christum adorant, vnam sequũtur regulam veritatis. Distinct. 93. legimus.

Psal. 75.

Mala. 1.

Psal. 47.

Licèt

Licèt nũc multæ ex his nationes recesserint A à veritate fidei, & vnitate Ecclesiæ, vt India & Africa, Oriens, & Persis. In huius figurã legitur 3. Reg. 10. cap. *Quia magnificatus est Rex Salomõ super omnes Reges terræ, & omnis terra desiderabat videre vultũ eius.* 3. Reg. 10
B. Ber. verè magnificatus est, quia magnificauit eum Dominus in cõspectu Regũ, vt adorent eum omnes Reges terræ, omnes gentes seruiant ei. In se quidem nihil factus est maior, quia adeo maximus erat, vt crescere non posset. Sed factus est magnus in mentibus hominum, & opinione, & laude, qui priùs nullus putabatur. Vnde & Regina Saba audita fama eius gloriæ, & sapientiæ, quæ designat Gentilitatem, veniens ad eum videndum, cernens magnificẽtiam eius, & Curiæ suæ: adeo stupuit, vt vix in ea remaneret halitus. Dixitque ei. *Maior est gloria, &c.* Vicisti famam virtutibus tuis. Beati serui tui, qui stant coram te, &c. Et Regnum Salomonis figurat Regnum Ecclesiæ triumphantis, in quo regnat Christus cum sanctis, & in sanctis in gloria, in superna Ierusalem, quæ interpretatur visio pacis. Vbi est perfecta pax, in qua Regnat rex pacificus Salomon. Nam regnauit multo tempore in maxima pace, & gloria, sicut Regnum Dauid, quod fuit in bellis, significat Regnum spirituale Ecclesiæ militantis, sed de superno Regno veri Salomonis dicitur Isai. 32. *Sedebit populus in pulchritudine pacis in requie opulenta.* Isai. 32.
C Et de hoc simpliciter intelligitur quod ait Angelus: *Regni eius non erit finis.* Nã Regni, quo regnat in Ecclesia militanti, est vtique finis, quando scilicet finietur mundus, tunc non erit amplius Ecclesia militans, sed triumphans efficietur. Et finis non erit talis Regni, in quo Christus regnat cum Sanctis, & Sancti cum eo.

§. VIII.

Ierem. 31 SVmma nouitate erit magnus. Ierem. 31. *Nouum enim faciet Dominus super terram, fœmina circundabit virum.* Et Dionysius dicit, quòd hoc est omnium nouorum nouissimum. Magnus inquam erit, D ait Albertus, secundùm omnem modum.
Ierem. 32 Ierem. 32. *Magnus Deus consilio, & incomprehensibilis cogitatu.* Magnus secundùm
Psal. 47. substantiam, quia Deus magnus. Psalm. 47. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri.* Magnus secundùm quantitatem, quia omnipotens nomen eius, &
Exod. 25. ideo *gloriosè magnificatus est.* Exod. 25. Magnus etiam secundùm qualitatem, quia summè bonus. Psalmus 146. *Magnus Dominus*
Psa. 146. *& magna virtus eius*, scilicet bonitatis. Magnus secundùm relationem, quia filius Altissimi Dei, 2. Reg. 7 *Ego ero ei in patrem,*
2 Reg. 7. *& ipse mihi in filium.* Magnus secundùm quando, quia æternus. Eccles. 1. *Fons sapiẽtiæ verbum Dei in excelsis.* Eccl. 1.
Magnus secundùm vbi, quia vbique, beatus Augustinus: Deus vbique est non locis, sed actionibus, Psalmus 138. *quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam:* Magnus secundùm situm, Psal. 138
quia, vt ait Isai. 45. *Cœlum mihi sedes est, terra scabellum pedum meorum.* Et sedet super Cherubin, & volat super pennas ventorum. Sedet quoque ad dexteram patris, & interpellat pro nobis. Magnus secundùm habitum, quia vestimenta eius sunt alba super niuem, & qualia non potest facere fullo super terram. *Fortitudo, & decor indumentum eius*, Prouerb. vlt. Magnus secundùm Isai. 45. Prou. vl.
B actionem, *quia in principio creauit Deus cœlum, & terram*, Genes. 1. id est filium genuit, in quo omnia creauit, & recreauit, & glorificauit. Ipse opera fecit, quę nemo alius fecerat, quæ testimonium perhibent de eo, Genes. 1.
quòd filius Dei sit. Magnus passione. *Vidimus enim eum*, (Dicitur Esai 53.) *nouissimum virum, & virum dolorum.* Qui pas- Isai. 53.
sus est pro peccatis nostris, beatus Bernardus. Et tu quidem Virgo paruulum pariens, paruulum nutriẽs, paruulum lactans. Sed videns paruulum, magnum cogita, & infra. Ecce paruulus in medio statuitur. O paruulus paruulus desideratur. O verè paruulus, sed malitia, nõ sapientia. Studeamus effici sicut paruulus iste. Discamus ab ipso, quia mitis
C est, & humilis corde, ne magnus videlicet Deus factus sit, sine causa homo paruulus, & sic paruulus est, & magnus, leo, & agnus, leo de tribu Iuda, & Agnus qui tollit peccata mundi. Dominus ergo tecum ad magnificandum filium ex vtero tuo.

§. IX.

QVantùm ad tertium principale, Dominus tecum, ad te Virginem Matrem magnificandum. Et hoc ipsa expressit in Cantico suo, dicens. *Fecit mihi Dominus magna, qui potens est.* Immo magna, quia Dominus fortis, & potens est. Et vt notat Dominus Ioannes, Dominici super Magnificat indicto versu. Duodecim magna dicuntur in Scriptura, quæ Dominus fecit in MARIA, signata per duodecim stellas, quæ habebat in capite mulier amicta sole, Apocalips. 12. Apoc. 12.
Primò, fecit magnum Patriarcham vehementer affectum. Secundò, fecit magnum Prophetam à Domino dilectum. Tertiò, fecit magnum Monarcham diuinitus effectũ. Quartò, fecit magnam fœminam venerandam. Quintò, fecit magnam creaturam inhabitandam. Sextò, fecit magnam veritatem imitandam. Septimò, fecit magnum obiectũ realis bonitatis. Octauò, fecit magnum subiectum diuinæ claritatis. Nonò, fecit magnum conceptum æternalis vnitatis. Decimò,

mò, fecit magnam auem altiùs scandentem. Vndecimò, fecit magnam ædem sanctiùs habentem. Duodecimò, fecit magnam vocem latiùs currentem. Hæc omnia fecit in MARIA magna. Et ideo aptissimè dicitur, *Dominus tecum*, ad te tam magnificandum. Quantùm ad primum fecit Dominus Abraham magnum Patriarcham, de quo *Genes.* 15 scribitur in Genes. 15. quòd ibat proficiens, atque succrescens donec vehementer magnus effectus est, cuique dixerat Dominus, cuius figuram tenebat in sua persona. *Ego sum merces tua magna nimis*, magnus vtique possessiuè, magnus expectatiuè, magnus cui facta est repromissio magna, vidisti magnum factum sub vmbra, &c. Intuere hoc factum illi, cui Dominus fecit magna in re certa, & luce præclara. Abraham Patriarcha, quasi Patrum Arca. Quoniam ex eo Patres prodierunt in mundum. Ecce plusquam Abraham in MARIA, ex qua nati sunt spiritualiter omnes Patres etiam Abraham, scilicet in fide filij. Et potens fuit Deus suscitare filios Abrahæ spirituales de lapidibus istis Gentilibus, vt dicit Baptista. Abraham concha Patrum, MARIA concha Dei. Abraham pro mercede Deum expectat, iam illa eum habebat. Quam pulchrè Abraham dictus est succrescens, id est, ex subiectione crescens, vel successiuè crescens. Quis dubitat in veteri testamento Abraham significare Patrem cœlestem, qui vnus in natura cum filio se subdidit in filio vni puellæ, qui paruus erat in orbe terrarum? Sed magnificatus est per mundum vniuersum, vt à solis ortu vsque ad occasum laudabile nomen eius. Secundò, fecit Dominus Moysen Prophetã magnum. Sic enim de eo habet Scriptura. *Exod.* 11 *Fuitque Moyses vir magnus valde in terra Ægypti*. Ergo à maiori maximus fuit in terra viuentium. Præludebat hic Christo, qui factus est in MARIA. In Ægyptum venit, quando mundum intrauit, areolam repe rit aromatum, scilicet MARIAM, quæ irrigabatur, sicut Paradisus deliciarum, qui intrauit, vt pascatur ibi, & lilia colligat. In hac areola factus est, & genitus ille Prophe- *Lucæ* 7. ta magnus de quo clamabat turba. *Propheta magnus surrexit in nobis*, Lucæ 7. Hoc fecit Dominus magnum in MARIA. Quod vtique verè ma num æstimauit Elisabeth, quòd esset à Matre Domini salutata. Vnde *Lucæ* 1. exclamauit. *Vndè hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me*. Ad hanc autem venit Deus, non tribus mensibus apud eam mansurus, sed nouem, immo in æternum. Venit nõ visurus, sed videndus. Non transiturus, sed mansurus, non vt cognatus, sed vt filius, & Dominus Deus meus. Non solùm illuminaturus, sed Prophetissam facturus. Cùm ex hoc beatam medicent omnes generationes,

A nec mirum. Si enim ad vocem MARIÆ Elisabeth prophetauit, & paruulus Ioannes in vtero eius exultauit, factus Propheta, quantò magis ipsa dici debet Prophetissa Prophetas faciens? Fecitque Dominus Monarcham magnũ Dauid, vnde de eo dicitur. *Fecitq; tibi nomẽ grande iuxta nomẽ magno* 2. *Reg.* 7. *rum*, scilicet Principum, *qui sunt in terra*. Quæ tamen magnitudo terræ est instar puncti. Sed mundus talis nuncupat magnos, quia vestigia gerunt magni Dei, qui est Rex Regum, & Dominus dominantium. Ecce capacissima Virgo dicit. *Fecit mihi Dominus magna*, dedit enim sibi, non vt ancillæ, vel nutrici, vel doctrici, sed vt dilectæ Ma- B tri dominium vniuersorum, cuius Regni nõ erit finis. Ad cuius aspectum Angeli tremũt cœli non capiunt, elementa pauent, veneratur omnis mundus, inferna substinere nequeunt. Hic factus est in MARIA, & inde MARIA Imperatrix, & Monarcha mundi. Fecit Deus quartò cuidam, quod esset magna fœmina, scilicet: *Sunamitis* illa coniugata, eò maior quò *cœnaculum in domo sua* 4. *Reg.* 4. meruit ædificare, in quo susciperet Heliseũ, qui interpretatur Deus Saluator meus. Sed Dominæ nostræ MARIÆ fecit Dominus, non solùm, vt esset magna fœmina, sed & maxima Virgo. In cuius vteri sancti cœnaculo reciperetur Helisæus, id est, Saluator C Deus meus non figuratè, sed expressè, vt saluum faceret populum suum à peccatis eorum. Nam super defunctum genus humanum expandit se, & facta sunt organa hominis membra diuina, discurrens hincinde per Iudeã, Samariã, & Galilæã, calefacit verbis, exemplis, & miraculis, atq; oscitans septies toties protestans, quòd esset Propheta promissus in lege, tandem collocatus in lecto crucis, surrexit, qui erat mortuus, & cœpit loqui dicens. *Verè filius Dei erat iste*, ac resti *Mat.* 27. tutus est matri suæ, quæ stabat iuxta Crucem, hoc munus expectãs, hoc reputauit sibi, quàm magnum, vnde dicere potuit. Fecit mihi Dominus magna, filium reddens viuum. Quintum magnum, quod fecit Deus D est terra, & cœlum, & in eo luminaria magna 2. Es. 4. Magna est terra, excelsũ cœlũ, velox 2. *Esdr.* 4. cursus Solis. Et magnificus, qui fecit ista, scilicet Deus. Terra est Beatissima Virgo, quoad corpus terrenum humile, & fructiferum. Cœlum ipsa quoad animam totam cœ lestem plenam claritate, & syderibus virtutum. De his cœlo, & terra dicit Dominus, Isai. 45. *Cœlum mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorum*. *Isai.* 45. In anima enim eius propter maximam puritatem requieuit Deus. Et in corpore eius terreo fuit scabellum, vbi steterunt pedes eius, id est humanitas assumpta in ventre eius. Ibi & Sol maximus? Sol iustitiæ Christus Deus noster. Et

quem

quem cœli capere non poterant, suo gremio continuit. Et quem totus non capit orbis, in sua se clausit viscera factus homo. *Fecit mihi magna, qui, &c.* Sextum magnum est veritas. Vnde tres cubicularij, qui mouerant quæstionem, quid esset omnibus fortius? Cùm vnus dixisset, vinũ, alter, Rex, tertius, scilicet, Zorobabel dixit mulierem omnibus prædictis fortiorem. Sed erat, & quartum adhuc fortius. *Magna est veritas, & fortior omnibus.* Et hoc declarans per ratio nem, assenserunt omnes, Rex cum Principibus suis, dicentes. *Magna est veritas, & præ valet*, 2. Esdr. 4. Mulier magna, & fortis est
2. Esd. 4. Beata MARIA, ob cuius amorem, & deuotionem multi se exponunt laboribus mortis. Multi, qui rapiunt, ei, id est, Ecclesijs eius, & imagini offerunt. Ipsa procurat vestes virtutum hominibus, ipsa gignit Reges spirituales, & vineas colentes, scilicet, Prælatos merito sui, & exemplo. Tamẽ fortior est ipsa, & maior veritas Christus, qui ait.
Ioan. 14. *Ego sum veritas. Sed veritas*, (ait Psal. 84.)
Psal. 84. *de terra orta est*, ideſt, de Virgine, & *iustitia* exinde, id est, iustificatio *de cœlo prospexit.* Septimum est magnum obiectum, scilicet, anima iustificata, & timorata Roman. 8.
Romã. 8. *Quos iustificauit, hos & magnificauit*, di-
Iud. 16. cente sancta Iudith. *Qui timent te, magni erunt apud te.* Hæc autem Virgo Beatissima humillima, cum qua timor filialis contraxerat fœdus, ita vt cum Angelo sibi loquente turbaretur in eius sermone, id est, metueret, antequam Angelus ei dixisset, Ne timeas MARIA, &c. fuerat à tota Trinitate præscita simplici scientia, & prædesti nata electionis notitia conformis futura incarnati magni verbi pluſquam omnis alia creatura, cùm sit filius eius imago Patris in cœlis, & Matris in terris, religionis proprietatem in vtroque conseruans. Hæc fuit à patre vocata per Angelum in sponsam, vt Rebecca per Eliezer procuratorem Abrahæ in coniugium Isaac. A Spiritu sancto sanctificata ab omni titillatione possibili, quantum cumque minima. A filio suo magnificata, sic vt altior diceretur omni ante finito. Hæc est ab Angelo venerata, desiderata à Patriarchis, à Prophetis prænunciata, quæsita à Regibus, à Sacerdotibus figurata, exaltata ab Apostolis, Martyribus admirãda, lux Cõfessoribus, à Virginibus imitanda, & inuocanda à cunctis nationibus, quæ sub cœlo sunt, proculdubio cecinisset, fecit me magnam, nisi astitisset humilitas profundissimã & diuinas laudes narrat non suas dicens. *Fecit mihi Dominus magna.* Octauum magnum, scilicet, subiectum vocat Scriptura diuina, circa quod principaliùs versatur intentio sua ad hoc volentes discipulos vocat, & ait. *Audite me, quia de rebus magnis*
A *locutura sum*, Prouerb. 8. Tres sunt res per- *Prou. 8.*
sonale magnæ, de quibus proponat omnem sermonem. Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt. Sed particulariter tres res magnæ dicuntur caro, Spiritus, & Verbum, quæ sunt vnus homo. Erga quẽ ficut & finem specialiùs eloquia diuina versantur. Est enim Christus Deus, & homo finis omni credenti, & scribenti ad salutem. Cui omes turbæ præcedentes, & sequentes noui Testamenti, & veteris clamãt Hosanna. Nec non viginti quatuor Seniores, qui sunt omnium librorum veteris Testamenti Scriptores certi capitum coronans eorum ad hu iusmodi agni pedes apponunt, sicut ille de
B se cuncta scripta fuisse testatur, cùm ait: *Con* *Ioann. 1*
summatum est, & Gloss. quam fecit post suam Resurrectionem, cùm aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas, dicens. *Quoniam oportet impleri omnia, quæ scripta sunt de* *Luc. vlt.*
me in lege, & Prophetis, & Psalm. Luc. vlt. Verùm quantò facta sunt potiora verbis, vel Scripturis, tantò sunt maiora ostensa in MARIA, quàm in Scriptura per Deum. Nam Scripturæ dedit, vt Christum loquatur. MARIÆ contulit, vt per eam Christus pandatur. Ibi eum multiplex tegit figura hic vestit eum MARIÆ caro pura, ibi pronunciatur, hic ostenditur. Ibi latet in mortua charta, hic patet in carne monstrata. Ibi
C dicta sunt magna, hic facta sunt magna, *quia* *fecit mihi* (inquit) *Dominus magna, qui potens est.* Nouum est magnus conceptus, & noster profectus pietatis increatæ, qui dicitur misericordia sua, quia secundùm magnitudinem suam, sic misericordia eius, cum ipso est, *magna enim est misericordia Dei solius,* *Eccles. 18.*
dicit Ecclesiasticus: Hæc ita lata est, quòd misericordia Domini plena est terra, ita longa, quòd vniuersæ Domini viæ misericordia & veritas, ita profunda, quòd ad infernum adest, Propheta Abachuch 3. *Cum* *Abach. 3.*
iratus fueris, misericordiæ recordaberis. Ita sublimis, quòd in cœlo Domine misericordia eius super omnia opera eius. Ita domesti
D ca, quòd complet viscera eius, Lucæ 1. *Per* *Lucæ 1.*
viscera misericordiæ Dei nostri, &c. Ita multiplicabilis, quòd *misericordia eius à progenie in progenies*, Lucæ 1. Ita durabilis, quòd *Luc 16*
misericordias Domini in æternum cantabo. Hanc nedum magnam, sed & maximam fecit in Virgine pia, vt meritò nominetur Mater misericordiæ & Regina eius. Vnde in antiphona Salue Regina misericordiæ. Hanc qui petit sine ipsa duce, sine pennis, seu alis tentat volare. Si mirantur Iudæi montani laudantes Deum, quia Deus magnificauit misericordiam suam cum Elisabeth, partum sterili tribuendo, quantò debent laudibus dignis Deum efferre Christiani, qui Virgini tantæ talem ministrauit cõceptum, & partũ

no-

nonum præsentibus præteritis, & futuris recordatus misericordiæ suæ, sicque fecit sibi magna. Magnam autem, scilicet, *Aquilam* Christo sub figura Regis cuiusdam, licèt mali Ezechiel Propheta Ioannem Euangelistam demonstrat, cui fuit tam altè volandi data potestas, vt de medio cedri medullam eius cum frondibus suis, quæ significat mediam in Trinitate personâ, cum frondibus verborum suorum, quæ sunt ad sanitatem gentium, & portauit *in vrbem negotiatorum*, id est, credentium, dicens. *In principio erat Verbũ, & Verbum erat apud Deum, &c.* vsque *Verbum caro factum est, &c.* Ecce primò volauit maxima auis Virgo, & non continuit, alas quousque perueniret apud Deum. *Inuenisti enim gratiam* (ait Angelus) *apud Deum.* Ipsa Virgo parauit viam Ioanni, portas aperuit, reseruit arcana. Quid si dixero, Virginem fuisse Ioannis doctricem, vt per hanc diuinitatis notitiam fœcundata inferior præfata, discipulus Christi, & filius recõmendatus MARIÆ peruenerit ad illud scire supremum? Mater fuit facta Ioannis testimonio filij sui; matris est docere filium, filij est auscultare matrem. Et quia noluit, quòd mater sua publicè prædicaret omnium mulierum norma futura, quibus prædicare non licet, dedit MARIÆ, vt Ioannes filius eius edoctus ab ea per orbem postea Verbum disseminaret diuinum. Et quia Deus est, qui operatur intus in docẽdo, siue sit Angelica, siue lingua humana. Ideo per hoc intelligitur, quin ipse Ioannes vt Aquila grandis tulerit medullam cedri potans de sacro diuini pectoris fonte. Fecit ergo Dominus Aquilam grandem magnarum alarum Ioannnem, sed MARIAM maiorem, quæ eum edocuit. Fecit ergo Dominus magna. Vndecimum magnum ponit Aggæus Propheta, scilicet domum Dei, dicẽs. *Magna erit gloria domus istius nouissimæ plus, quàm primæ, dicit Dominus exercituum.* Quod dictum de materiali domo id est templo, intelligi non potest, cùm lõgè inferior fuerit gloria, & magnificentia illius templi materialis in Ierusalem post Aggæum, vsque ad vltimam desolationem, & destructionem eius per Romanos, quàm fuerit ante tempora Salomonis, & aliorum Regum. Hinc est, quòd exorans vnus de ædificatoribus primis narrat, fleuisse Seniores, qui viderant gloriam magnam domus prioris, videntes verè infœlicitatem sequentis dictæ domus. Hæc ergo gloria magna domus per Prophetam demonstrata, de alia domo clariùs exponatur, scilicet, Virgine gloriosa, de qua canit Ecclesia. Domus pudici pectoris templum repente fit Dei. Hæc ergo domus Domini ex partum lapidibus constructa, polita, & picturata virtutibus,

Ezech. 17. *Ioann.* 1.

Agge. 2.

cooperta per totum auro charitatis, tantò glorioſior est domo, seu templo Salomonis quantò filius inhabitator eius est plus, quàm Salomon, tantò glorioſior est, quanto eius caro pura est dignior petra dura, tantò glorioſior, quantò anima eius excellentior, quàm fuerint sanctorum sancta, tantò glorioſior, quantò diuina natura præsens est potior propitiatorio, tantò glorioſior, quantò Angeli comprehensores sunt meliores, quàm illius ministri viatores, tantò glorioſior, quantò victima figurata, scilicet, Iesus gratior est figura, scilicet vitulæ concremate, quæ magna Virgo recepit in vtero. Dicetur ergo illud Baruch. 4. *O Israel, quã magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius.* Magnus & immensus meritis gratia, & gloria. Dicat ergo Virgo Beata. *Fecit mihi Dominus magna, qui potens est, &c.* Duodecimum, sæpè iermo diuinus nomini magnum adiungit, vt dicat etiam Psal. 75. *In Israel magnum nomen eius*, primò, deinde prædicata Catholica fide addat per Malach. 1. cap. *Magnum nomen meum in gentibus.* Triplici autem modo dicitur magnum. Magnum, id est, pretiosum, magnum, quasi virtuosum, & magnum, id est, famosum. Magnũ pretiosum, quia incommunicatum mira includens, sicut nomen Adonai non indicatum Patribus, vel nomen Tetragramma ton immensa sacramenta, & diuinas perfectiones includens. Hoc modo dicitur magnum nomen MARIÆ. Et dimissis quatuor interpretationibus iam vulgaribus notis, hoc nomen scribitur Hebraicè, quinque literis, sicut Latinè, & quid significent, habes supra in sermone, de nomine MARIÆ. Sed per alium modum nunc ostendemus, quàm sit magnum, id est, pretiosum nomen istud MARIA, ex interpretatione videlicet quinque literarum, quibus componitur istud nomen MARIA secundùm Hebraicũ alphabetum. Prima ergo litera huius nominis MARIA est M, quæ apud Hebræos dicitur Mem. Sed ista litera M, apud Hebræos peritos duplicatur, dicitur enim Mem, & Men. Et Men nũquã ponitur in principio alicuius dictionis, nec in medio, nisi in isto nomine MARIA, quia de vna tantùm verificatur apud eos, quibus omnia in figuram contingebant, quoniam illam figurabat, quæ nec similem visa est, nec habere sequentem. Est autem differentia apud Hebræos inter Mem, & Men, quia primũ est apertum superiùs & clausum inferiùs. Secundùm è contrario est clausum superiùs, & apertùm inferius. Vide, quàm subtilissimè Spiritus sanctus dixit Virginem MARIAM incognitam futuram viro prole tamen fœcundandam de cœlo, & sic apertam Deo, clausam viro, quod nulli tamen alteri foret ascriben-

Bar. 4.

Psal. 75.

Malac. 1.

bendum, cùm nullum aliud nomen cũ Men, litera tali sumat initiũ. Si verũ aliorum nomina terminantur per Men, nimirum quia omnes beati futuri sunt virgines corpore, quia scilicet ibi neque nubent, neque nubentur. Interpretatur autem Men, secundùm Ambr. super Beati immaculati, viscera, vel ex ipsis, in quo tam dignitas, quàm charitas MARIÆ ostenditur. Dignitas quippè, quoniam in visceribus eius fuit aliquando realis habitatio Christi, vt dicatur Templum Dei, Sacrarium Spiritus sancti. Charitas vero actiuè, & passiuè ostenditur in ea. Actiuè quidem, quia pietatis viscera gerit ad singulos, intercedens pro omnibus. Charitas passiuè, scilicet quòd fuerit ab omnibus desiderata, & amata, ostendit alia interpretatio supradicta, scilicet ex ipsis, quia videlicet ex parentibus ipsis est expectata, commendata, & progenita viscerosè. A, quæ est secunda litera in nomine MARIA, apud Hebræos dicitur Aleph. & interpretatur Aleph doctrina, in quo eius vtilitas prædicatur. Est enim omnium viuentium sub Deo rationabiliter doctrina salutaris, & speculum directiuum totius humanæ. Tertia litera est R, quam Hebræus dicit Res, & interpretatur caput, in quo denotatur ipsius capacitatis immensitas glorioſa. Caput enim omnium Deus, Caput nostrũ est Christus, proles eius. Caput enim est quodammodo nostræ salutis, quæ caput nutriés salutare, caput antiqui serpentis cõtriuit. Capit omnes spiritus intelligentiæ, quæ mater est sapientiæ. Capit omnes gradus gloriæ, quæ Regina est viæ simul, & patriæ. Capit omnes modos indulgentiæ, quæ caput est misericordiæ. Quartum elementum, seu litera est I, quæ est minima figura apud eos, & dicitur Ioth, & interpretatur confessio, seu scientia. Vbi coloratur Virginis humilitas profunda, & virtuosa, quę nihil sibi attribuit, sed omnia confitetur à Domino accepisse. De quinta litera, scilicet, A, iam dictum est. Ex his etiam quinque literis Hebraicis simul, & Latinis eliciendo numeros significatos per eas, secundùm Latinos, & Hebræos, Verbi gratia. Prima litera, scilicet, M, significat apud nos mille, apud Hebræos 40. simul coniungendo numeros istos, & surgunt in numero duorum millium, & centum. Et à promissione facta primo Abrahæ, quod in semine eius,

Galat. 3. *benedicentur omnes gentes terræ, quod est Christus*, vt ait Apostolus ad Galat. 3. quia MARIA Mater Christi, & Abraham seminaliter descendit vsque ad natiuitatem eius fluxerunt anni duo millia centum, & non vltra, vt notat præfatus Ioannes Dominici, qui etiam declarat, quomodo iste numerus colligitur ex dictis literis MARIA, per singulos descendendo, cuius est totus iste sermo de duodecim magnis rebus super Magnificat, versũ. Quia fecit mihi magna. Exceptis his, quæ habentur in quinto magno. Quod etiam nomen MARIÆ sit virtuosum contra pericula, & mala, & famosum per omnia, patet ex dictis, supra.

De quadruplici Benedictione Beatæ Virginis. Capit. 23.

B*Enedicta tu in mulieribus*. Et primò occurrit dubium, quia aut istud addit ad id, quod prius dictum est, *gratia plena*, aut nihil addit. Si addat, ergo id, quod addit aliquid est: ergo illa gratia, cui additur, plena non fuit, & sic Angelus non videtur verum dixisse, cùm ait, *gratia plena*. Si nil addit, quin ibi contineatur, ergo superfluè dicitur. Item natura eadem est in ea, & alijs mulieribus: ergo si alias excedit, hoc est in gratia. Sed hoc continet, cùm ait, *gratia plena*. Ad quod dici posset, quòd non frustra hoc dicitur. Nam cùm dicitur, *gratia plena*, præcipuè intelligitur de gratijs datis à Deo. In eò, quòd dicitur, *benedicta tu in mulieribus*, notantur quædam, quæ pertinent etiam ad gratiam humanam, scilicet, laudari, & benedici ab hominibus. Comprehendit etiam ista benedictio omnium aliorum benedictionem, sine dubio secundùm Albertum. Quid enim magni, aut miri si habuit benedictionem omnium gentium, quæ benedictiones omnium Angelorum habuit, & gratias? Et dicit Damascenus. A nullo illustrium vincitur, id est sanctorum, & sanctarum excellentium, sed omnes ipsa superat, & excellit. Pro cuius declaratione, secundùm Albertum sciendum est, quòd quadruplex est ratio benedictionis. Prima benedictio est maledicti euacuatio. Secunda est fœcunditatis ampliatio. Tertia est singularis gratiæ collatio. Quarta est congratulantium gratiæ collaudatio. De prima Psalmus 84. *Benedixisti Domine terram tuam*, id est, humanam naturam, excludendo, & euacuando maledictum culpæ illatum à Deo, cùm ait Genes. 3. *Maledicta terra in opere tuo*, De secundo habetur Genes. 2. *Benedixit eis, dicens. Crescite, & multiplicamini, & replete terram*. De tertia, scilicet, benedictione gratiæ singularis, dicitur Genes. 12. *Benedixit Dominus Abrahæ*, & Psalmus 113. *Benedixisti omnibus, qui timent Dominum*. De quarta dicitur Matth. 21. quòd *pueri Hebræorum clamabant, & laudabant*, cum magno gaudio Christo Iesu. *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Secundùm omnem modum benedictionis fuit benedicta Virgo MARIA in mulieribus, id est super omnes mulieres, vt Ly tu, notet excellentiam super alias.

Psal. 84. *Genes. 3.* *Genes. 2.* *Genes. 12.* *Psal. 113.* *Matt. 21.*

§. I.

DE prima benedictione, qua scilicet euacuatur maledictum. Sciẽdum, quòd hęc est triplex secundùm quod triplex maledictum excluditur. Vnde Hieron. Totum maledictum, quod intulerat Eua, abstulit benedictio MARIÆ. Est enim maledictum naturæ. Est maledictum culpæ. Est maledictũ pœnæ. Nam vt ait Ambr. Pudor est fœminis nuptiarum præmia non habere, id est filios. Ideo maledictum naturæ est opprobrium sterilitatis, quibus hæc sola est causa nubendi, 32.q.2.cap.1. Propter quod Fenenna exprobrat Annæ eò quòd sterilis esset, & maledicta dicebatur sterilis, quæ fructum non faciebat secundùm legem. Hanc maledictionem B abstulit Beata MARIA, quæ virginitatem sterilem in mundo nobilitauit, & exaltauit, ac dedicauit in se virginitatem, vt rem excellentem, & à Deo benedictam, quæ si non replet terram, vt nuptiæ replet paradisum tamen. Maledictum culpæ est triplex, scilicet, libido impregnantis. Vnde B. Hieron. super Matth. dicit, & habetur 32.q.2. connubia. Connubia legitima carent quidem peccato, non tamen tempore illo, quo coniugales actus geruntur, pręsẽtia Spiritus sancti datur, etsi Propheta esse videatur, qui officio generationis obsequitur, hæc ille, & hoc propter libidinem, id est delectationem inordinatam illam, qua ratio absorbetur secundùm C Philosophum. Fœditas concipientis. Iob 13

Iob 13. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* Peccatum nascentis, Psal. 50

Psal. 50. *In peccatis concepit me mater mea*, B. Aug. in li. de fide ad Petrum de conse. dist. 4. firmissimè. Firmissimè crede, & nullatenus dubites omnem hominem, qui per concubitum viri, & mulieris concipitur, cum peccato originali nasci, impietati obnoxium mortique subiectum. Ab hac triplici maledictione fuit excluſus conceptus MARIÆ, Et *ratio* est, quia non fuit similis alijs. Non enim ex humano semine, sed mysti cospiramine Verbum Dei factum est caro de Virgine MARIA. Vnde impręgnãs fuit Spiritus sanctus D quia ipse operatus est illam vnionem. Concipiẽs fuit Virgo. Isai. 7. *Ecce Virgo concipiet*

Isai. 7. scilicet permanens Virgo. Et conceptus est

Matth. 1. Deus, Mat. 1. *Vocabitur nomẽ eius Emanuel, quod est interpretatum nobiscũ Deus*. Deus autem peccare non potest, nec in eum cadit peccatum. Maledictum pœnæ est triplex, scilicet damni, virginitatem perdendo, quæ scilicet recuperari non potest, cui præmium speciale conceditur, nec aliter mulier concipere potest, vel parere. Secũdum maledictũ pœnæ est laboris in portãdo fœtu, subijcitur enim multis passionibus mulier in portando in vtero prolem. Vnde & Tobias dixit filio

Tob. 4. suo 4.c. *Memor esse debes, quãta pericula ju-*

A *stinuit propter te*, scilicet mater, *in vtero suo te portans*. Tertium est dolor in partu, Gen. 3. *In dolore paries filios*. Sed ab ista triplici *Genes.* 3. maledictione euacuata est, & liberata B. MARIA. Nam vt Ecclesia canit: nesciens mater Virgo virum peperit sine dolore Saluatorẽ seculorum. Et hic nec virginitatem amisit, nec dolorem, sed summum gaudium in partu habuit, secundùm illud Isai. 35. *Germinans germinabit*, id est pariet, *lætabunda, & laudans*. Nec vllum laborem sensit in portando sicut nec in beatitudine dolor reperitur. Et *beatus venter, qui te portauit*, exclamauit quædam mulier de turba ad Christum. Luc. 11. Aptè igitur dicitur: *Benedicta tu in mu* *Lucæ* 11. *lieribus*, quia per tuam benedictionem exclusa est à te omnis maledictio mulierum.

§. II.

SEcunda benedictio est fœcunditatis ampliatio, seu superexaltatio, & hæc potest esse triplex. Primò ex parte agentis. Secũdò ex parte generati. Tertiò ex parte gignẽtis. Quęlibet istarũ est triplex. Et quãtũ ad primum. Agẽs in ista cõceptione fuit Deus pater, ibi exercẽs suam potẽtiam, Deus filius ostẽdẽs suã sapiẽtiã, Spiritus sanctus exhibẽs summã benevolẽtiã, prout supra declaratũ est in precedẽti sermone. Exaltata vtiq; esset super omnẽ generationẽ, & ampliata illa generatio, in quasolũ pater esset agẽs. Sed plus exaltata, & magnificata, vbi & filius & Spiritus sanctus etiã operatus est. Ex parte autẽ generati tripliciter est ampliata generatio ista. Nam conceptus est vir perfectus in naturalibus, non enim vt alij concepti in vtero matris distulit per tempora ad habendum vsum rationis. Alij pueri per plures annos manẽt, antequam intelligant, vel loqui possunt, vnde & infantes dicuntur. Sed subitò Christus conceptus habuit completum vsum rationis, & memoriam tenacissimam, intelligentiam acutissimam, & voluntatem promptissimam ad omne bonum, loqui perfectissimè potuisset, si voluisset. Secundò est ampliata, & magnificata ista generatio, quia conceptus est vir sanctus gratia, & virtutibus perfectus. Anima nostra nascitur, vt tabula rasa, in qua nihil pictum est, nullus enim in ea habitus virtutis, vel scientiæ, sed in tempore cum multo labore acquiruntur virtutes, & scientiæ, vel infunduntur à Deo. Non sic Christus conceptus non sic, sed quando Verbum caro factum est, idest homo de Virgine MARIA, in istãti anima illa repleta fuit omni gratia, virtute, & sciẽtia, imò & gloria, vnde viator, & cõprehẽsor. Viator quãtũ ad passibilitatẽ, & actũ moriẽdi nõ pro se, sed pro nobis. Comprehẽsor limpidiùs contemplans gloriam Dei, quã quicũque in patria sine comparatione. Tertiò, adhuc magis exaltata est super omnes

nes generatio ista. Conceptus est summus Deus. Isai. 45. *Verè tu es Deus, absconditus*, scilicet in carne nostra. Sic igitur exaltatur super omnes generationes mulierum generatio MARIÆ, & ideo *benedicta tu, &c.* Ex parte gignentis, scilicet, Virginis est superexaltata fœcunditas eius super alias mulieres, quia Virgo concepit, Virgo peperit, Virgo lactauit Deum pariter, & hominem. Incuius figuram est signum datum *Gedeoni* de victoria habenda contra inimicos populi Dei, videlicet, vt *vellus* poneretur in area per noctem, & de mane reperiretur vellus plenum rore, *area* autem arida, & sicca per totum. Vellus autem est pellis animalis motui, & signat nostram mortalem humanitatem. Istud in nocte vitæ præsentis positum in area vteri virginalis, reperitur plenum rore cœlesti, scilicet, Deitatis vnitæ cum ea, quem rorem optabat, Isai. 45. dicens. *Rorate cœli desuper, &c.* Area tamen, id est, corpus Virginis remansit arida, quia non humectata alicuius semine, sed Virgo in partu, Virgo in conceptu, Virgo in lactatione, vnde canit Eccles. Sola Virgo lactabat, scilicet Dominum Iesum Christum, vbere de cœlo pleno, non alio modo. Illud autem vellus plenum rore expressum in torcular crucis impleuit conchan Ecclesiæ rore cœlestis gratiæ, per quam habitat in nobis. Et hoc mysterium est signum confortans nos ad habendam victoriam de inimicis infernalibus, qui infestant populum Dei: ergo *benedicta tu, &c.*

Isai. 45. *Iudith.6.* *Isai.*45.

§. III.

TErtia benedictio est singularis gratiæ, non solùm gratum facientis, & gratis datæ, sed excellentiæ cuiusdam super alios. Et hoc tripliciter. Primò, quòd est caput, & principium fœminarum. Secundò, quòd est mater omnium. Tertiò, quòd est Domina vniuersorum. Quantùm ad primum dicitur Beata MARIA caput, & principium fœminarum, quia quicquid boni fuit in fœminis, ipsa habuit, & in summo gradu, & aliquod bonum habuit, quòd nulla alia habuit. Triplex autem bonum reperitur in fœminis. Bonum virginitatis, bonum coniugalitatis, & bonum viduitatis. Beda, bona est castitas coniugalis, melior continentia vidualis, optima integritas virginalis. Etiam virginitate est triplex bonum. Carnis incorruptio, nullius viri subiectio, Angelica conuersatio. De primo dicitur Sap. 6. *Carnis incorruptio facit proximum Deo*, & ratio est, quia secundùm Gregorium, in homilia. Tantò vnusquisque à superno amore disiungitur, quantò in infimis delectatur. Vnde & per contrarium, tantò vnusquisque Deo magis approximatur, & coniungitur, quantò magis à delectationibus terrenis abstrahitur, & quia per virginitatem abstrahitur homo à maximis delectationibus, ideo magis approximatur, & coniungitur Deo. Vnde & Sibyllæ, etsi Gentiles propter virginitatem credimus eis collatum spiritum prophetiæ. Sed Beata MARIA in hoc omnes virgines excessit, quia nullum stimulum carnis sensit, nec cogitationem turpem admisit, sed in summa puritate etiam Angelos superauit. Secundum bonum virginum est, quia nulli viro virgo subijcitur. Cuæ enim coniugatæ cum omnibus alijs fœminis coniugatis dictum est. *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*, Gen. 3. & B. Aug. dicit 33. q. 5. noluit, quòd Dominus statuit cõiugatas esse, quasi famulas virorum, scilicet, in dispositione domus, & familiæ. Sed virgines liberæ sunt ab huiusmodi seruitute, 1. Corinth. 7. *Quæ virgo est, cogitat, quæ Dei sunt, quomodo placeat Deo, vt sit sancta mente, & corpore.* Vnde & libera est à seruitute viri. Beata autem MARIA non solùm viro subditamon fuit, etsi Ioseph virum haberet, sed Domina eius, & ipse seruus eius, sciebat enim, & testis erat suæ virginitatis, vnde & maternitatis Domini, quinimmo ipse Rex Regum, & Dominus dominantium Iesus filius eius, ipse *erat subditus ei*, vt scribitur Lucæ 2. & Apoc. 19. Tertium bonum in virginibus est Angelica conuersatio. Omne enim simile appetit sibi simile. Angeli sunt virgines, & ideo delectantur conuersari cum virginibus, vnde Hieronymus, Angelis semper cognata est virginitas in carne enim præter carnem viuere Angelicum est, non humanum. Et Angelus apparens Ioanni virgini, ostendit ei illa mirabilia, quæ scribit in Apoc. Et Gabriel Danieli castissimo duplicem aduentum Saluatoris manifestauit. Sed nulla vnquam pura creatura ita familiariter conuersata est cum Angelo, sicut Beata MARIA. Non enim solùm ea vice, quando Incarnationem nunciauit, sed frequentissimè. Benedicta ergo tu in mulieribus virginibus, id est, præ cunctis, & super cunctas virgines propter prædicta. In coniugatis reperitur triplex bonum, scilicet fides, proles & Sacramentum, vt ait beatus Augustinus. Et in omnibus his tribus excessit Beata MARIA coniugata omnes coniugatas. Et fides quidem intelligitur, vt alter alteri seruet fidelitatem, nõ cõmiscendi se cum altero, vel altera. Sed Beata MARIA non solùm cum altero se non commiscuit, sed nec cum sponso suo Ioseph de cõmuni consensu virginitatis votũ emiserunt, & vterque in virginitate permãsit, vt dicit beatus Augustinus 27. quæst. 2. B. MARIA. Tãtò cõiugiũ est sãctius quãtò, castius

*Sap.*6. *Genes.* 3. 1. *Cor.*7. *Lucæ* 2. *Apoc.* 19. *Dan.*8.

nec ideo Ioseph voluit *dimittere eam*, vt Matthæus Euangelista dicit capit. 1. cùm videret eam prægnantem, quia eam suspectam haberet de adulterio, sed vt dicit Bernardus, reputabat se indignum, cum tam sancta manere, quoniam cùm sciret eam plenam omni honestate, & modestia, & sanctitate, æstimauit eam non de viro, sed à Spiritu sancto impręgnatam. Bonum prolis sequitur ex coniugio, & propter hoc est institutum matrimonium, non hoc bonum defecit Beata MARIA, sed cõtra omnes coniugatas est cum virginitatis honore gaudium matris habens. Vnde nec primam similem visa est, nec habere sequentem. Proles autem coniugatarum est pura creatura & peccator, sed proles Virginis est Deus, & homo sanctissimus. Tantum ergo distat inter prolem huius Virginis, & prolem coniugatarum, quantum inter Deum, & hominem. Tertium bonum in coniugatis est Sacramentum. Vnde Apostolus Eph. 5. *Hoc autem dico magnum Sacramentum in Christo, & Ecclesia.* Significat enim coniunctionem Christi cum Ecclesia, quoad consensum mutuum voluntatis expressum per verba coniunctionem Christi cum Ecclesia, id est, bonis fidelibus per dilectionem Quo autem ad coniunctionem corporum per copulam significat coniunctionem Dei cum nostra humanitate in vna persona, & sic indissolubilis est talis coniunctio. Nunquam enim separata est Deitas ab humanitate post quam eam sibi vniuit. Hinc est, quòd matrimonium consummatum per copulam, nunquam dissolui potest, vt correspondeat signum signato. Hoc autem Sacramentum impletum est in vtero virginali, in quo facta est talis vnio, & permaximè bonum istud coniugatorũ reperitur in Virgine. In viduis autem reperitur triplex bonum, scilicet, libertas contemplationis. Vnde de Anna Prophetissa vidua dicitur Lucæ 2. quòd Templum frequentabat *Deo seruiens in orationibus die, ac nocte*. Secundum bonum est carnis maceratio. Nam vt ait Apostolus, 1. ad Timot. 4. *Vidua in delicijs viuens, mortua est.* Vnde & sancta Iudith vidua ieiunijs insistebat continuis. Tertium est exercitium in operibus pietatis, & misericordiæ, vt ostendit Apostolus in dicto capitulo. Et vidua illa Sarepta na Heliam de cibo necessario pauit. Hæc omnia sine comparatione fuerunt in Beata MARIA, nam ieiunia non solùm in lege mandata seruabat, sed & secundùm beatum Ambrosium alia addebat, tota dedita erat orationi, & contemplationi Christum mendicum & pauperem de sua paupertate nutriuit. Quòd autem Mater sit omnium, & Domina patet, quia Mater est eius, qui omnia creauit, & qui nos redemit sua passione. Benè ergo dicitis. *Benedicta tu in mulieribus*, quoad gratiam specialem super omnes.

Matth. 1

Eph. 5.

Luc. 2.

1. *Tim.* 4.

§. IIII.

QVarta benedictio dicitur congratulatio laudantium, de qua in Cantico triũ puerorum, qui orabant in camino ignis. Daniel. 3. *Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate, &c.* Hæc triplex est in Beata MARIA super omnes mulieres. Collaudatæ quippe sunt aliquæ mulieres ex virtutibus suis, & benedictæ ab hominibus, vt Iudith, & aliquæ aliæ, sed nulla eatenus, vt MARIA. Collaudatur enim ab Angelis, ab hominibus, & ab omnibus corporalibus rebus. Ab Angelis quidem, vt hic. *Benedicta tu in mulieribus*, & meritò, quia genuit Angelorum restauratorem, conciuium suorum Redemptorem. Restaurauit enim filius suus, reddendo per æquipollentiam deperditum, multiplicando numerum, & augmentando superadditum, scilicet, quartam Hierarchiam, in qua ipse cum Matre sua super omnem Hierarchiam, per quem laudant Angeli, atque Archangeli, &c. in præfatione maiestatem Dei, & assumpta ipsa Beata MARIA, laudantes Angeli benedicunt Deum. Laudant homines, & benedicunt Beatam MARIAM per Elisabeth dicentes Lucæ 2. *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui*, qui fructus ventris sui factus est hominibus, *sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio.* 1. Corinth. 1. Sapientia, scilicet, in docendo. Iustitia in virtuosè, & perfectissimè conuersando, ostendens, quomodo iusti efficiamur per eius imitationem. Sanctificatio sacramenta instituendo, quæ nos sanctificant. Redemptio per passionem à diabolo, cuius captiui eramus in redimendo. Laudant quoque omnia corpora Beatam MARIAM, quia ea immutauit, causaliter innouando. *Ecce ego creo cœlos nouos, & terram nouam*, ait filius eius in Apocalip. 21. ac etiam nobilitando, & omnia quodammodo in Christi corpore vniendo, quia corpus ipsa ei dedit, quod cum omnibus corporalibus aliquo modo conuenit & excedit. Et ideo quia istis de causis benedicta est in mulieribus, super omnes mulieres benedicta, & puras creaturas, sicut dicimus de Domino. *Benedicite omnia opera Domini Domino*, ita dicere possumus B. MARIÆ.

Benedicite omnia opera Dominæ omnium.

Dan. 3.

Luca 2.

1. *Cor.* 1.

Apoc. 21.

Dan. 3.

De

De benedictione Beatæ MARIÆ Virginis apud omnem generationem. Capit. 24.

A

B*Enedicta tu in mulieribus*. Altiùs, & copiosiùs istam vltimam benedictionem laudationis, & magnificationis reassumendo. Tu, inquit, existens in numero mulierum, quoad sexum non virorum, simpliciter es benedicta, omnem continens in te benedictionem Sanctorum. Quamuis autem collatio temporalis fœlicitatis etiam dicatur benedictio quædam. Vnde & Isaac dixit Esau filio suo benedictionem postulanti temporalium, quàm spiritualium: *In pinguedine terræ erit benedictio tua*. Genes. 27. Et Sathan ad Dominum de Iob, ait: *Operibus manuum eius benedixisti*, quod quasi declarans ait. Possessio eius creuit in terra. Tamen potior benedictio sine comparatione est operatiò, vel collatio beatitudinis veræ dispositiuè, vel completiuè, quæ omnia bona comprehendit: vnde Apostolus ad Eph. 1. *Benedictus Deus, qui benedixit nos omni benedictione in cœlestibus*, & Dominus dicit in finali Iudicio. *Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum vobis paratum*. Matth. 25. Ideo benedicti, quia bona opera egistis, quibus paratum est Regnum beatum. Hanc benedictionem beatitudinis in præsenti & futuro, super omnes possidet Beatissima MARIA, & hoc ipsa exprimit in Cantico suo dicens: *Beatam me dicent omnes generationes*. Et Salomon Prouerb. vlt. *Surrexerunt filiæ*, scilicet, per imitationem eius animæ sanctæ, *& beatissimam prædicauerunt*, & sic omnes generationes benedicunt Beatam MARIAM collaudantes de bonis ei collatis. Est autem triplex generatio naturæ intellectiuæ. Prima generatio æternalis. Secunda generatio Angelicalis. Tertia generatio humanalis. Harum proprium est benedicere.

Genes. 26 *Iob* 1.

B

Eph. 1.

Mat. 25.

Lucæ 2. *Prou.* 31

C

§. I.

Psal. 109 *Isai.* 53.

DE æternali dicit Deus Pater ad Filium, per Psalmum 109. *Ante Luciferum genui te*, de qua Isai. 53. cap. *Generationem eius, quis enarrabit*, scilicet æternam, quasi diceret nullus. Ipse igitur Deus postquam cuncta creauit per verbum suum, & cum Spiritu sancto, benedixit Beatissimæ MARIÆ in figuram, & Beatam dixit, quando benedixit diei septimo, in qua *requieuit ab omni opere, quod patrarat*. Genes. 1. Est autem ista benedictio operum consummatio, à peccatis vacatio, æternæ requiei præfiguratio, quæ omnia plenè reperiuntur in Beata MARIA. Fuit enim in Beata MARIA perfecta operum consummatio, quando omnia creata in vno homine vniuntur cum creatore, & primum fit vltimum, & vltimum fit primum: non enim est perfectio motus, vel operis, nisi in circulo. Est secundo ibi, id est, in Virgine vera à peccatis cessatio. In eius enim voluntate peccatum nullum fuit, nec esse potuit. Tertiò requies etiam huius non fuit futuræ requiei signum tantùm, sed etiam causa. Si ergo septima dies est benedicta propter Sabbatum Dei, id est, cessationem ab operibus, & tamen excellentior est Sabbatismus recreationis, qua scilicet requiescens in Virgine mundum recreauit Sabbato creationis: ergo & benedictio maior. In omnibus enim requiem quæsiuit, & in ipsa sola inuenit, in qua inuenit omnia quæcumque quæsiuit. Vnde, *& in tabernaculo eius requieuit*. Eccles. 24. Postquam autè ipse æternaliter genitus de Virgine natus, conuersatus est in mundo, semel prædicans mulieri exclamanti, & dicenti. *Beatus venter, qui te portauit, & cætera*. Subdit ipse: *quinimmo, beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*, quasi diceret, non solùm illa, quæ me portauit, Beata est, sed omnes, qui audiunt verbum Dei, & obseruant, & implent opere illud. Et quia ipse perfectiùs audiuit, & obseruauit omnia mandata Domini, & consilia, ideo Beatissima, & benedicta præ cunctis *benedicta*, ergo, *tu in mulieribus*. Primus Sermo Christi ad Discipulos erudiendos fuit Verbum de Beatitudinibus, de quibus Matthæi 5. Quæ beatitudines octo sunt perfecti actus virtutum, disponentes ad supernam, & æternam beatitudinem. Ad quos actus exercendos Christus exhortatus est in diuersis locis Euangelij, si quis inquirere velit, quæ omnia verba Beata MARIA perfectissimè impleuit, vt docet per singulos Albertus, vbi supra. Et prima quidem est. *Beati pauperes spiritu*, vbi Glossa, pauperes spiritu sunt, quia non necessitas, sed fides, & deuotio, beatos fecit, vt contemptis omnibus Domino viuant. Importat ergo abdicationem rerum. Hæc autem abdicatio fuit in summo in Beata MARIA. Nam hæc abdicatio fit duobus modis, scilicet, per rerum subiectionem, vel per rerum omnimodam abiectionem. Sed magna est paupertas per rerum subiectionem, maior per rerum abiectionem, maxima autem, quæ est ex vtrisque compossita, de qua dicit Apostolus 2. Corinth. 6. *Nihil habentes, & omnia possidentes*. Hoc autem non potuit esse nisi in B. MARIA omnimodè, & perfectè,

Genes. 1.

Eccle. 24

Lucæ 11.

Matt. 5.

D

& propriè. Omnes alij si res abiecerunt, non retinuerunt, & si retinuerunt, non abiecerunt, quia tantùm procuratores, & fructuarij, & non Domini fuerunt. Beata autem Mater Dei Virgo existens, & Regina cœli ius, & dominium, & vsufructum possessionis habeat in rebus filij sui. Vnde & bene potuit relinquere, & omnia possidere; relinquere quantùm ad vsum, & fructum; possidere, quantùm ad proprietatem, & ius Domini, & sic Beatissima Virgo potuit habere perfectissimã paupertatem. Item in rerum abiectione est ordo, & gradus. Et ponit Albertus nouem gradus paupertatis in hominibus. Primus gradus paupertatis est dare superflua personæ: prout persona sonat indignitatem. Secundus est dare superflua, non solùm personæ, sed & super-
Luc. 11. flua naturæ. Lucæ 11. *Quod superest, date eleemosynam*, Gloss. præter victum, & vestitum. Tertius gradus est dare non solùm superflua, sed necessaria, Gloss. dicit etiam valde necessaria cum proximis diuidamus. Quartus est omnia necessaria, & superflua simul dare, sed semetipsum retinere, id est, non propter Deum, quod & Philosophi fecerunt, vt dicit Hieronymus de Socrate, 12. quæst. 2. gloria. Quintus est omnia da-
Matt. 19 re, & semetipsum addere, secundùm illud Matth. 19 *Si vis perfectius esse, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & sequere me*, scilicet, te dando. Sextus est omnia dare, & semetipsum relinquere, & vltra hoc laborare manibus, vt tribuat necessitatem patienti, vt fecit Paulus, qui
1. *Cor.* 4. *laborabat manibus suis*, vt ipse dicit ad Corinthios, vt sibi, & sociis subueniret. Septimus est omnia dare etiam seipsum, & spiritu, & corpore laborare, vt piscat proximum spirituali cibo. Qui gradus est melior priori, quia melius est reficere animam semper victuram (ait Beatus Gregorius,) quàm corpus morituram. Octauum autem ponit esse in Beatissima Virgine perfectiorem cæteris, qui est relinquere omnia, & seipsum, & de substantia corporis sui accipere, & ad refectionem animarum proximis dare. Hoc enim fecit sola Beatissima MARIA, quæ de purissimis carnibus, & sanguinibus suis viaticum nobis confecit. Panem viuum, qui de cœlo descendit, qui est verè vita, quem qui religiosè manducauerit, mortem non gustabit in æternum, hunc toti mundo mendico ipsa dedit. Nonus gradus perfectissimus est filij sui Iesu, qui est omnia dare corpus, & animam propriam, & diuinitatem habens vnitam proximis dare in cibum animæ, sub specie tamen aliena, & hoc fuit opus summæ misericordiæ, & summum paupertatis Domini Iesu in via. Nec attenditur perfectio paupertatis penes propinquationem ad summum defectum rerum, sed pœnes deuotionem, voluntatem, & personæ dignitatem. Si enim æquè parum habent miles, & rusticus, pauperior diceretur miles, quàm rusticus, immo quod rustico diuitiæ, militi paupertas, & quod militi diuitiæ, Principi est paupertas. Ergo cùm Beatissima Virgo MARIA præcelluerit omnes dignitate, quia Regina cœli, Mater Domini, & omnium, in æquali paupertate omnes excelleret. Ergo benedicta tu es, & beata in paupertate spiritus. Quantùm ad secundam beatitudinem dispositiuam, dicit Glossa super illud. *Beati mites.* Matth. 5 Mites sunt, qui malis moribus dominantur, & alia Glossa. Mitis seu mansuetus est, qui nec irritat, nec irritatur, nec nocet, nec nocere cogitat. Ad hanc hortatur Iesus Christus exemplo sui, dicens Matth. 11. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*, hæc in excellentia habuit Beata MARIA super omnes. Nam perfectum dominium habuit, quoniam malis moribus dominabatur sine pugna interiori. omnium autem aliorum dominium huius mundi fuit cum pugna. Similiter nullum hominem irritauit, nulli nocere cogitauit, sed omnibus prodesse studuit. Discurre per totam seriem Euangelij, & nunquam inuenies, (ait beatus Bernardus,) verbum durum, & asperum egressum de ore eius. Omnia Beata Virgo æquanimiter aduersa sustinuit excellentissimè, quod facit mitis secundùm Glossã, & ideo mitissima. Vnde canit Ecclesia in Hymno. Virgo singularis inter omnes mitis, nos culpis solutos mites fac, & castos. Non obstat, quòd dicitur de Moyse, Numer. 12. *Erat Moyses mitissimus hominum super terram.* In superlatiuo gradu, quia intelligitur de illis, qui tunc erant super terram, non de Virgine. Quantùm ad tertium de beatitudine luctus, secundùm illud. *Beati, qui lugent.* Ad ostendendum, quod nec ista ei defuit, sed alios excessit, sicut & in alijs. Nota quòd ait beatus Augustinus 28 quæst. 1. iam vero. Ea sunt in nostris officijs gratiora, scilicet, quæ cùm liceret nobis non impendere, dilectionis tamen causa impendimus, & hoc sicut quoad homines, ita quoad Deum. Sed Beata MARIA non erat debitrix ad lugendum pro peccatis, quia nullum in se habuit, lugebat tamen ex dilectione peccata populorum, & quando, vt ait Beatus Gregorius. Stabat Mater dolorosa, iuxta crucem lachrymosa dum pendebat filius. Non minùs lugebat peccata crucifigentium, quàm afflictionem filij. Vnde sicut in cruce orauit, vt ait Apostolus ad Hebr. 5. *Cum lachrymis* *Matt.* 5. *Matt.* 11 *Num.* 12 *Hebr.* 5.

&

& clamore valido, scilicet, pro peccatis humani generis relaxandis, ita & Mater eius Beata MARIA fontes fecit lachrymarum de suis pudicissimis oculis, vt ait Anselmus, id est, illa passione, quam sustinere nouerat pro peccatis hominum, & pro incolatu præsentis miseriæ, quare non magis lugebat, quàm Dauid dicens. *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes, die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus?* & permaximè post Ascensionem filij. Vnde ob consolationem sui, secundùm Beatum Hieronymum, visitabat loca sæpè, vbi filius aliquid magni egerat. Verè ergo benedicta tu in mulieribus, & beata beatitudinis luctu. De quarta, scilicet, Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam. Nulla pura creatura magis desiderauit iustitiam bonorum operum in se, & in toto humano genere, sicut Beatissima MARIA. Esurire est opera iustitiæ difficiliora feruenter appetere. Sitire est opera iustitiæ communiora, & faciliora desiderare, sicut laboriosiùs, & tardiùs comeditur, quam bibitur. *Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient*, ait diuina sapientia, Eccles. 24. Et quia magis sibi incorporauit diuinam sapientiam, & gratiam, quàm aliquis, vel aliqua, ideo magis esuriuit, & sitiuit iustitiam bonorum operum. Esurire quippè propriè est viatorum, & sitire. Saturari, & inebriari est comprehensorum, vt ostendit Psalmus 35. *Satiabor, & cætera, & inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, &c.* Inter esurire autem, & satiari est medium, scilicet comedere. Sed cùm nihil sit vacuum, & illa sint extrema, extat & medium; medium autem pertinet ad statum medium. Ille autem status est status Beatæ Virginis. Habebit ergo Beata MARIA istam beatitudinem, citra comprehensores, & vltra viatores. De quinta beatitudine, videlicet. *Beati misericordes*, in qua excellit sine comparatione omnes. Quod patet ex hoc, quia dicitur ipsa, & prædicatur Mater misericordiæ, quod nulli alij propriè conuenit. Dicuntur autem aliqui viri misericordiæ, qui omnes habent comparationem ad misericordiam per modum originis essentialis, & per modum Matris. Conuenientia autem essentialis improportionabiliter excedit modum inhærentiæ per modum accidentis. Vnde vniuersos excellit misericordia. Item quicquid est causa causati. Beatissima autem Virgo est causa filij, filius autem est causa totius boni, & omnis misericordiæ: ergo, & Mater est causa totius misericordiæ, quod alij non conuenit. Item illud, quod æquè propriè, & principaliter habet duas naturas inconfusas, æquè propriè habet proprietates duarum naturarum. Vnde & istæ æquè propriè sunt. Christus est Deus, Christus est homo, ergo & hæc. Christus natus est à Deo. Christus natus est ab homine, ergo etiam & sic. Christus est à Deo, Christus est ab homine. Sed Christus omnes operationes attribuit patri, à quo ipse est: ergo & Matri, à qua ipse est, attribuentur operationes eius, quæ conueniunt ei ratione humanæ naturæ, sicut & Patri operationes, quæ conueniunt diuinæ naturæ. Sed secundùm humanam naturam Christus exhibuit nobis officium summæ misericordiæ in passione: ergo Beatissimæ Virgini attribuuntur effectus summæ misericordiæ, quod etiam patet in modo loquendi Ecclesiæ. Hodie mortè, quam fœmina intulit, fœmina fugauit, & quos damnauit, saluauit ipsa. Benedicta ergo tu in misericordia. De sexta, scilicet, *Beati mundo corde*: dicit Glossa. Mundi corde sunt, quos conscientia non arguit peccatorum, seu qui sibi nihil conscius est, sed hoc fuit potissimè, immo singulariter in Beata MARIA: ergo permaximè fuit mundo corde. Item actus fidei purificat, secundùm illud Petri in actibus. Fide purificans corda eorum. Sed Beatissima MARIA habuit fidem perfectiorem cunctis: ergo & puritatem, quæ mundi causa est. Item secundùm Dionysium tres sunt actus Hierachiæ, purgare, illuminare, & perficere, & sunt ordinati, vt magis purgatus sit, magis illuminatus, & magis perfectus. Sed Beatissima MARIA fuit maximè perfecta, & illuminata: ergo & maximè purgata, & munda. De septima, scilicet, *Beati pacifici*: dicit Glossa. Pacifici sunt, qui omnes motus animi rationi subijciunt, quia his nihil repugnat, similes Patri suo, qui est summa quies. Sed hoc fuit in summo in Beata Virgine. Item alia Glossa. Dum lex carnis repugnat legi mentis, non modò alteri, sed nec nobis pacifici esse possumus. Sed in Beata MARIA caro non rebellauit aduersùs spiritum: ergo ipsa maximè pacifica. Item si pacifici dicuntur, qui faciunt pacem inter alios, quod & fecit filius Dei, pacem faciens his, qui propè, & his, qui longè erant, medium vniuersale per quod fuit facta pax inter Deum, & homines, fuit Beata Virgo mediatrix, & reconciliatrix omnium: ergo & ipsa in summo pacifica. Benedicta: ergo tu in pace. De octaua, qua dicitur: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.* Dicit Albertus, quòd non intelligitur de quacumque persecutione, sed de ea, quæ est per Martyrium. Sed videtur, quòd hanc non habuit, quia Martyrium non habuit. Doctores tamen dicunt, ipsam consecutam fuisse aureo-

Psal. 41.

Eccles. 24

Psal. 31.

aureolam Martyrij in persecutione mortis filij. Beatus Bernardus. Longè plus quàm Martyrem censemus, in qua passionis sensum compassionis superauit affectus. Ioannes Damascenus etiam appellat eam Martyrem in passione filij. Probatur autem sic. Dationi animæ debetur aureola Martyrij, ergo dationi preciosissimæ animæ, & dilectissimæ debetur pretiosissima aureola Martyrij. Sed Beatissima Virgo MARIA dedit pretiosissimam, & dilectissimam animam: ergo habebit preciosissimam aureolam. Medium probatur, dedit enim dilectissimam animam, id est, vitam filij. Ipsa enim in infinitum plus dilexit animam, id est, vitam filij, quàm beatus Petrus animam, id est, vitam sui ipsius. Quòd dedit preciosissimam, patet, quia datio huius animæ, id est, vitæ filij fuit precium totius mundi, & redimibilis creaturæ, & sic dedit animam in infinitum plus dilectam: ergo & habet pretiosissimam aureolam Martyrij. Item dolor causatur ex amore, vt quantùm quis plus aliquid amet, tantò plus doleat de amissione eius. Dolor autem sanctorum in Martyrijs eorum causabatur à natura propter separationem animæ à corpore. Dolor autem Beatæ MARIÆ à natura, & gratia, sed maior etiam à gratia. Sed fortior, & perfectior est causatus à gratia, quàm à natura: ergo improportionabiliter maior fuit dolor eius in passione filij, quàm Martyris cuiusquam in sua passione: ergo & potissima in hac persecutionis beatitudine. Et sic patet, quòd generatio æterna, id est, filius dicet eam Beatam, quia audiuit verbum suum, & seruauit verba sua, scilicet, de istis octo beatitudinibus, quas perfectissimè habuit super omnes, & sic *beatam me dicent*: & benedictam benedictione optima *omnes generationes*. vnde *benedicta tu in mulieribus*.

§. II.

Genes. 1. DE generatione Angelica potest exponi illud Genes. 1. *Istæ sunt generationes cœli, & terræ*, & dicitur ibi generatio creatio à Deo, & generatio cœli est creatio Angelorum. Sic beatus Augustinus, super Ge-

Genes. 1. nesim, ad literã exponit illud. *In principio creauit Deus cœlum, & terram*, cœlum, id est, Angelicam naturam. Hæc autem generatio cœli, id est, Angeli creati beatificant, laudant, & benedicunt multipliciter Virginem glorioſissimam, & Gabriel pro omnibus Angelis laudans, inquit, Aue gratia plena, cùm sibi nunciauit conceptum filij Dei, ad partum verò eius postquam Angelus cum magna luce apparens nunciauit pastoribus cum magno gaudio Natiuitatem filij Virginis, facta est cum ipso multitudo militiæ cœlestis, id est, Angelorum canentium. *Gloria in Altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, Luc. 2. quasi dicat, gloria paratur in cœlis propter Deum natum ex Virgine MARIA, & pax reconciliationis cum eo, hominibus, scilicet, habentibus bonam voluntatem. In Assumptione verò eius, cum ascēdit ad cœlum, gaudent Angeli, canit Ecclesia, & laudantes benedicunt Deum, & admirantes de tam excellenti gloria dicunt. *Quæ est ista, quæ ascendit*, scilicet in cœlum, *de deserto* mundi, scilicet, huius derelicto, & priuato bonis virtutum, vbi sunt bestiæ syluestres dæmonum, & malorum hominum, *delicijs affluens*, id est, omni suauitate, & perfectione virtutum, *innixa super dilectum suum*, scilicet filium, id est, coniuncta cum eo omnium transcendens Hierarchiam nostram. Tempore quoque Beati Gregorij Magni, cùm ipse in processione, progrediens per vrbem cum omni Clero, & populo ad rogandum Deum pro cessatione seuissimæ pestis, quæ Romam inuaserat, deferri faceret quandam tabulam, vbi depicta erat imago Beatæ MARIÆ pro vexillo ante processionem, visi sunt Angeli circa figuram Beatæ Virginis canentes in Laudem eius. Regina cœli lætare alleluia, quia quem meruisti portare alleluia, resurrexit, sicut dixit alleluia. Cui addidit beatus Gregorius. Ora pro nobis Deum alleluia. Quod interpretatur laudate Dominum. *Surrexerunt ergo filiæ Sion, & beatissimam dixerunt, Reginæ, & concubinæ laudauerunt eam*, vt dicitur, Canticorum 6. Filiæ Sion sunt substantiæ separatæ, id est Angeli, qui dicuntur filiæ, non propter sexum, sed propter intelligentiam. Filiæ autem Sion propter claram speculationem, & continuam diuinorum. Sion interpretatur speculatio, & ad hoc sunt creati. Surrexerunt autem ad venerandum eam, quam intuentur super se, quam ibi vocant vnam columbam suam electam genitricis suæ, quia sola fuit tota cum Dei voluntate vnita. Columba sine felle peccati dealbata, niue candidior meritorum, splendoribus Spiritus Sancti fœcundata, muneribus electa, & præelecta ex omnibus genitricis suæ, id est, Synagogæ, ex qua nata est. Reginæ autem sunt animæ sanctæ, quæ ratione benè hìc se, & alios rexerunt. Concubinæ autem sunt animæ reproborum, quæ cùm non habeant Deum in sponsum, generant filios illegitimos, scilicet malorum operum, quibus non debetur hæreditas superna, & hi etiam reprobi laudant Beatam Virginem, vt dicetur in §. sequen. Sed filiæ Sion, id est, Angeli magis laudant: quia eam magis speculantur, & perfectiones eius. Vnde in superlatiuo gradu Beatissimam dicunt, & sic Beatam

Lucæ 2. *Cantic. 8* *Cant. 6.*

tam me dicent omnes generationes, etiam Angelorum. *Benedicta ergo tu in mulieribus* à generatione omni Angelica.

§. III.

Eccles. 1. DE generatione humanali dicit Salomon Eccles. 1. *Generatio præterit*, scilicet, hominum per mortem, & *generatio aduenit*, scilicet, per natiuitatem aliorum hominum, *terra autem in æternum stat*, quam inhabitant. Et Matth. 1. *Liber generationis Iesu Christi. Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Iacob, &c.* Hæc autem est triplex. Generatio praua reproborum. Generatio recta electorum. Generatio inclyta Doctorum. Et omnes hæ Beatam dicunt, & benè dicunt de ea, vnde aptissimè *Benedicta tu in mulieribus.* De prima dicit Christus Matth. 15. *Generatio praua, & adultera signum quærit.* Et Moyses in Canticis. *Generatio enim peruersa est, & infideles filij.* Deuter. 32. Infideles enim filij Dei tantùm per creationem, dicunt Beatam Virginem, & benedictam, benedicentes de ea. Licèt adultera sit talis generatio, à Deo verò recedens, vt Iudæi, Gentiles, Græci, & Latini, Saracæni, Turcæ, Armeni, Indiani, Georgiani, Nestoriani, Hæretici. Schismatici, & mali Christiani benedicunt eam. Iosephus maximus Historiographus Hebræorum benè dicit de ea. Multi conuersi ex Iudaismo ex miraculis Virginis Beatam dixerunt, dum legunt in Synagogis suis mirabilia, quæ scripturæ, & palam, & in figuram dicunt de ea, velint, vel nolint, benedicunt. Et cùm in fine conuertentur ad vesperam, circumibunt ciuitatem Ecclesiæ ad veritatem fidei recipiendam, plenè Beatam dicent eam omnes illæ generationes. *Non enim præteribit generatio hæc* (ait Iesus Luc. 21.) *donec omnia fiant.* Saracæni, & Turcæ benedicunt Virginem adorantes eam in templis suis, & thurificantes, & nomen eius in tali reuerentia est, quòd blasphemantes eam graui pœna multantur. Fatentur enim Christum de ipsa Virgine natum, cœlum viuum ascendisse, non mortuum fuisse, & demum in fine mundi mundum iudicaturum, vt patet in Alchorano lege eorum. De Latinis Gentibus Virgil. Iam redit & Virgo, redeunt Saturnia Regna. Iam noua progenies cœlo demittitur alto. Natæ meæ vires mea magna potentia solus. Et te si qua manent sceleris vestigia nostri. Irrita perpetua soluent formidine terras. Quamuis autem Beatus Hieron. dicit Virgilium non hæc intendisse dicere de Christo, tamen possibile est etiam, quòd sicut Caiphas prophetauit de salute mundi per mortem vnius, scilicet, Christi, non hoc intendens, nec intelligens, ita & Virgilius de Christo, & Matre eius benedixerit, vt sentit Beatus August. Ouidius quoque Poeta in lib. de vetula ait. O Virgo fœlix Virgo, Virgo signata per stellas. Quis mihi tantùm det viuere, vt dignus possim laudum tuarum ferre præconia. Nam nisi tu fores Deus non sumeret carnem, ex te hic Deus omnipotens. Non tamen creditur Ouidius illum librum fecisse, sed aliquis infidelis Ouidio intitulans. Ex Græcis fuerunt communiter Sibyllæ. Vnde & Lactan. ponit earum verba de Christo in Græco, & postea in Latino, hæ laudant Beatam MARIAM. Scismatici, & hæretici etsi in multis errent, vel quia diuisi ab vnitate Ecclesiæ, vel quia malè sentiunt de aliquibus articulis, venerantur benedictam, & Beatam dicunt Virginem gloriosam, exceptis illis, qui asserunt ipsam habuisse alios filios ex Ioseph, quod blasphemum est, & hæreticum dicere. Sed & mali Christiani modo suo benedicunt Virginem. Nam & homicidæ, adulteri, incestuosi, blasphemi, proditores, & omni vitiorum spurcitia infecti, aliqui venerantur, & benedicunt Beatam MARIAM, ieiunantes in honorem eius Sabbatis, & per totum annum diem Annunciationis, vel vigilias festiuitatum eius in pane, & aqua. Et multi videntur magis Beatam Virginem in veneratione habere, quàm Christum filium eius magis ex simplicitate moti, quàm scientia. Sed quia honor matris in filium redundat, patientiam habet huius simplicitatis. Ecclesiæ plurimæ dispersæ per orbem terrarum ad honorem Beatæ MARIÆ dedicatæ plenæ imaginibus, ostendunt deuotionem eximiam stipendiariorum, & hominum peditorum ad Beatam MARIAM, cui se recommendantes cum votis gratias innumeras percipiunt beneficiorum, ac euasionis ex maximis periculis. Generationes ergo reproborum Beatam eam dicunt, & benedicunt. Secunda generatio est rectorum, & electorum, de qua in Psalm. 111. *Generatio rectorum benedicetur.* Et in alio. Hæc est generatio querentium Dominum. Sap. 4. *O quã pulchra est casta generatio cum charitate!* vel cum claritate. Hæc generatio comprehendit Ecclesiam cum omnibus bonis fidelibus. Hi mirabiliter quantùm possunt, etsi non quantùm merentur, venerantur Beatam MARIAM, & benedicunt. Vnde Ecclesia statuit dici in diuino officio, & horas canonicas dictim ad honorem eius sicut ad honorem Dei officium illud, & ita sunt in præcepto, quoad obligatos. Addit quoque Ecclesia omnibus Sabbatis, cũ vacãt, eam in Missis, vel officio toto honorari solemniter, & cum sequentijs, & sicut honoratur Dominus filius in Dominicali officio ob suam resurrectionem, ita & ipsa honoratur Domina Mater in Sabbato, quia illa die, scilicet, Sabbati

Psal. 111.
Psal. 23.
Sap. 4.

bati mortuo filio, & fide extincta de eius diuinitate in omnibus discipulis, & alijs, sola vera cognitio suæ diuinitatis in ea requieuit illa die. Nam sequenti die recuperarunt plures. Statuit insuper Ecclesia singulis diebus pulsari ter campanas Ecclesiarum de sero, & iterum de mane. Ad quid nisi, vt honoretur Beata MARIA, & laudetur ex salutatione Angelica? Generatio hæc electorum Ecclesiæ benedicetur, & Beatissimam dicunt Virginem hanc ex multitudine Ecclesiarum dedicatarum sub titulo eius per totum orbem. Quæ ciuitas, quod castrum, quę villa est, quæ non habet Ecclesiam, & solemniorem in eius nomine fabricatam? Certè nec in honorem aliquorum sanctorum reperiuntur in tanto numero. Sed & in ipsis Ecclesijs, vel domibus priuatis nō deficit alicubi imago Beatissimæ MARIÆ benedictæ. Et vbi in Ecclesijs in parte inferiori earum, quasi in sancta penitur imago crucifixi, tanquam candelabrum ad illuminandum, & incitandum ad sui imitationem. In parte superiori, seu sacrario, quasi in sancta sanctorum in loco propitiatorij, scilicet, tabulæ Altaris communiter ponitur figura Beatissimæ MARIÆ cum filio in vlnis, vt ab ipsa speremus propitiationem à peccatis nostris apud filium suum. Hoc autem salubriter institutum est, vt dum Sacerdos Diuina Sacramenta pertractat, MARIAM intuens penset qualis fuit, cui creditum est solo verbo Verbum carnem efficere. Et qualis debet esse Sacerdos, qui debet ex verbo suo (vel potius Christi à se prolato) corpus Christi, & sanguinem efficere ex substantia panis, & vini. Et exemplo suæ humilitatis, & puritatis discat puram gerere mentem, & humilem, ac mediatricem ponat pro se ad interpellandum ad dignè, & fideliter ministrandum tantum Sacramentum. Fiunt processiones annuatim ad honorem Saluatoris in Ascensione, & die palmarum in Ecclesia, & similiter bina vice ad honorem Beatæ MARIÆ, scilicet, in die Purificationis per correspondentiam ad diem in ramis palmarum. Nam sicut tunc portantur rami oliuæ cum palmis in signum victoriæ Christi de morte per resurrectionem, ostendentes etiam nos victoriam de vitijs per pœnitentiam ad vitam gratiæ resurrexisse, ita in die Purificationis candelas accensas gestamus in manibus lumen ardentissimæ charitatis virginis designantes, & eam viuam in nostris operibus habere protestantes. Secunda autem vice processio fit in Assumptione Beatæ MARIÆ, quando tota cœlestis Curia cum Filio suo Domino Saluatore obuiam venit ad associandum in cœlum in thronum suum. Hanc quoque Beatam prædicant, & benedicunt omnes sermocinantes, & prædicantes

A Christicolis exordium pro gratia impetranda à salutatione Angelica facientes. Demū octo sunt solemnitates particulariter Deo sub tali festo sacratæ, scilicet, Natiuitatis Domini, Circuncisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, Trinitatis, Pentecostes, & Corporis Christi. Et totidem sunt celebritates Virgini sanctissimæ dedicatæ, festum Sanctificationis in vtero, quod quidam dicunt Conceptionis, festum Natiuitatis suæ, in qua nata est sancta, festum Annunciationis, quando Deus ex ea factus est homo, vnde maximum, in quo facta est Mater Dei, & Regina cœlorum, & Angelorum, magis tamen dies illa denominatur ab ea
B communiter, vt dicatur dies Annunciationis, quàm Incarnationis: festū Visitationis, quādo, scilicet, visitauit, concepto Deo, Elisabeth, & Ioannes tunc sanctificatus fuit, & Propheta institutus, quod festum instituit Vrbanus Papa circa annos Domini M. cccLxxxv. Festum Purificationis, quando, scilicet, quadragesima die natiuitatis filij obtulit eum in templo iuxta mandatum legis, offerens sacrificium pro eo, & eum redimens, quod dicitur MARIA Candelaria. Festum Assumptionis, quando in cœlum ascendit. Festum Niuis, quod institutum fuit à Liberio Papa, vt habetur in historia ex quodam miraculo, quod contigit Romæ.
C Nam cùm quidam ciuis prædiues non habens prolem cogitaret, quomodo substātiam suam expenderet ad honorem Dei Genitricis, cui deuotissimus erat, mente pertractans de ædificando Ecclesiam ad sui honorem, Beatissima Virgo sibi locum designauit in quo construeret templum sibi per signum talo, vbi, scilicet, nix esset densa in illa parte construeret, cùm tamen tunc esset de mense Augusti, in quo nullibi apparet nix, vel descendit, cùm sit intensus calor super terram, scilicet, 5. Augusti. Et hoc signo Papa Liberius construxit ibi templum, quod Sancta Maria Maior nuncupatur, vna ex quatuor principalibus Vrbis Ecclesijs. Dispensatiuè
D autem hoc disponit diuina sapientia, vt tali die Niuis agatur Festum Beati Dominici Patris nostri, qui filius singularis adoptiuus fuit ipsius. Nam naturalis dictus est Dominus, ipse autem adoptiuus Dominicus, cui ob eximiam puritatem habitum dedit album, vt niuem, desuper tamen nigram cappam, designātem humilitatem, nec enim vna sine altera esse valet. Ipsa à filio suo tribus lanceis contra mundum vibrante propter tria vitia, scilicet, auaritiam, superbiam, & luxuriam, ad destructionem se parante indulgentiam impetrauit, & dilationem pœnitentiæ, offerens se missuram ipsum filium Dominicum cum alio sibi adiuncto Francisco, scilicet, qui cum filijs suis mundum ad pœ-

nitentiam reducerent. Octauum, & vltimum festum eius est, quod antiquitus dicebatur sanctæ MARIÆ ad martyres, quod festum celebratur certa die in sancta Maria rotunda. Sed postea à Bonifacio Papa aucta est solemnitas, vt vbi prius fiebat solum Romæ ad honorem sanctæ Mariæ, & omnium martyrum, postea institutum est, vt celebraretur ad honorem omnium sanctorum vbique terrarum 1. die Nouembris, & ita seruatur. In qua solemnitate ipsa est præcipuè omnium sanctorum honorata.

§. IIII.

TErtia generatio est sanctorum Doctorum. De qua Apostolus 1. ad Corint. 4. *In Christo Iesu ego vos genui per Euangelium.* Generare igitur dicuntur Doctores, & Prædicatores Ecclesiæ, & Prælati, eos quos sua doctrina trahunt ad benè operandum. Et primò ponemus Doctores, seu Authores Sacræ Scripturæ. De hac sub figura Ruth Moabitide, ex qua nata est Virgo MARIA. *Benedicta es tu filia à Domino.* Ruth. 4. inquit Booz. In libro quoque Iudith. Ipsa quoque interficiens Holofernem sæuissimum tyrannum, & inimicum populi Dei, figurauit Beatissimam Virginem castissimam, pulcherrimam peremptricem Diaboli. Quæ propter hoc benedicta fuit, & collaudata multipliciter, vnde Ozias Princeps populi Israel dixit ad eam. *Benedicta es tu filia à Domino Deo excelso præ omnibus, mulieribus super terram. Benedictus sit Dominus, qui te direxit in abscissione capitis Principis inimicorum nostrorum: quia nomen tuum ita magnificatum est, vt non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerunt virtutis tuæ.* Iudith 13. Et immediatè, supra dicitur, quòd vniuersi adorauerunt Dominum dicentes ad eam. Benedixit te Deus in virtute sua: quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros. Achior quoque ex Gentili factus Iudæus ad eam dixit. *Benedicta tu à Domino Deo tuo. quoniam in omni gente, quæ audierit nomẽ tuũ, magnificabitur Deus Israel super te.* Et in cap. 15. dicitur, quòd Ioachim Pontifex Summus de Ierusalem venit Bethuliam ad videndum eam cum Presbyteris suis vniuersis, & benedixerunt illam omnes vna voce dicentes: *Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri: quia fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum, & ideo eris benedicta in æternum.* Quòd omnia hæc perfectiùs sint impleta in MARIA figurata, quàm Iudith figura, de se patet. Omissis autem alijs prophetijs, & figuris solùm nunc tangatur id, quod dixit Isai. 11. cap *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini*, quod exponens Ecclesia in officio ait. Virgo Dei Genitrix virga est, flos filius eius. Et super hunc florem requiescet spiritus almus. Signanter autem dicit florem non de virga ascendere, sed de radice eius, ad tollendum errorem eorum, qui dixerunt Christum corpus attulisse de cœlo, vnde & cœlestes, vel secundùm Manichæos Hæreticos, corpus habuisse fantasticum, non verum, propterea dicit florem, id est, Christum ascendisse, & ortum fuisse de Iesse, qui fuit pater Dauid, ad ostendendum, quòd secundùm corpulentam substantiam assumptam processerat à Iesse, non ex aere, vel materia cœlesti: sed ex substantia corporis virginis gloriosæ, quæ Virgo per propagationem carnalem descendit à Iesse. Ascendit iste flos campi terrestris semper proficiendo non in se: quia super eum requieuerat spiritus almus ab initio suæ conceptionis cum plenitudine summæ gratiæ, & veritatis, sed ascendit merendo pro nobis quousque ascendit crucem inclusiuè, qui postea resurgens refloruit in carne sua, & ascendens in cœlum factus est flos campi cœlestis. Dicitur autem Virgo MARIA Virga: quia semper recta fuit, nunquam inclinata ad terrena, sed semper erecta ad cœlum. Hæc Virga est multipliciter benedicta in figuris sacræ paginæ. Virga Ioseph, cuius fastigium adorauit Iacob moriens, MARIAM designat, quam debet reuereri quilibet moriens, vt ab ea tueatur. Ipsa enim est virga, de qua Isai. 30. cecinit. *Pauebat Assur*, id est, Diabolus *Virga percussus suffragij*, scilicet, virginalis. Hæc est virga Moysi, quæ versa in serpentem summæ prudentiæ, in mysterio incarnationis filij sui, & instructionis Apostolorũ deuorauit serpentes Magorũ, id est, confutauit sapiẽtiã sapientum huius mundi, & prudentiam prudentum reprobauit, ac hæreses cunctas interemit. Synagoga autem significata per Moysen, quæ priùs ab ea fugit, vt à re horribili, demum in finem resumet, & reuertetur in virgam, cognoscens illud Psalm. 27. *Virga tua*, scilicet, Virgo MARIA, *& baculus tuus*, scilicet, crucis filij eius: *Ipsa me consolata sunt*, hac virga plurima miracula gesta sunt, hæc virga extensa super mare rubrum huius sæculi peccatis rubricati, submergit Ægyptios Dæmones, & Hebræos, id est, electos lætos educit. Hac virga percussa petra, cor, scilicet, durum, & abstinatum precibus, & meritis eius aquas lachrymarum affluenter emittit. O quàm pulchrè ostenditur virgam fuisse Aaron, quæ arida in tabernaculo Domini posita cum alijs virgis sola inuenta est viruisse, floruisse, & fructum fecisse. Descendens enim ipsa non solùm ex tribu Regali, sed Sacerdotali, dedicata ab infantia in templo Domini cum alijs Virginibus ipsa arida, id est, Virgine permanente, non hume-

Corint. 4

Ruth. 4.

Iudit. 13.

Isai. 11.

Isai. 30.

Psal. 27.

mectata humano semine viruit. Virtutem generandi à Spiritu Sancto suscepit, floruit Christum concipiendo, fructum fecit benedictum ventris sui, ipsum parturiendo. Hæc vt miraculum præcipuum reponitur in sacrario diuino. Hæc est Virga Regis Assueri, qui interpretatur beatitudo, qua extensa super illum, qui ingrediebatur ad eum saluus erat, & qui non tangebatur ab ea, occidendus eijciebatur. Accedentes enim ad Deum oratione, vel in morte, tot sunt demerita nostra, quòd nisi interueniant preces Virginis reprobantur, vt præsumptuosæ orationes nostræ, & rei mortis iudicamur, nisi ipsa subueniat. Mandauit quoque Dominus Iesus primis Prælatis, & Prædicatoribus discipulis suis in via portare virgã, scilicet, spem suffragij Virginis gloriosæ. Et breuiter alia omittendo, vt in libro sapientiæ. *Benedictum lignum*, scilicet, huius virgæ *per quod fit iustitia*. Imitando enim iusti efficimur, & sicut sequendo virgam ligneã recte scribimus, & alia agimus, ita recta opera facimus imitando vestigia eius. Iustitia etiam per eam facta est virga, quia ab iniusto possessore Diabolo detenti iustè per filium eius liberati sumus. Sancti quoque Doctores Ecclesiæ stupentes satiari non valent collaudare, benedicere, & prædicare hanc Virginem gloriosissimam, quæ virginitatis gloria permanente huic mundo lumen æternum effudit Iesum Christum Dominum nostrum. Beata es MARIA (inquit, vt puto Gregorius) quæ Dominum portasti creatorem mundi, genuisti eum, qui te fecit, & in æternum permanes Virgo. Benedicta, & venerabilis es Virgo MARIA, quæ sine tactu pudoris inuenta es Mater Saluatoris. Beatus Bernar. super illud. *In plenitudine sanctorum detentio mea*, ait: Meritò in plenitudine eius erat detentio sua, cui nec fides defuit Patriarcharum, nec spiritus Prophetarum, nec zelus Apostolorum, nec constantia Martyrum, nec sobrietas Confessorum, nec castitas Virginum, nec fœcunditas coniugatorum, nec puritas Angelorum. Idem. De plenitudine eius, id est bonorum Virginis MARIÆ recipiũt vniuersi, æger curationem, tristis consolationem, captiuus redemptionem, peccator veniam, iustus gratiam, Angeli lætitiam, tota Trinitas gloriam, denique Filius Dei carnis substantiam. Beatus Hieron. in sermone de Assumptione MARIÆ. Talibus decebat Virginem oppignorari muneribus, vt plena esset gratia, quæ cœlis dedit gloriam, terris Deũ, pacemque refudit, finem vitijs, vitæ originem, moribus disciplinam. Beatus August. De te ò Virgo MARIA, quid dicam pauper ingenio, cùm quidquid dicam minor est laus tua, quàm mereatur dignitas tua? Si cœlum appellem, altiores. Si matrem gentium dicam, excellis. Si formam Dei appellem, digna existis. Si Dominam Angelorum vocem, per omnia comprobaris.

Sap. 14.

Eccles. 24

De triplici fructu benedictæ MARIÆ Virginis. Cap. 25.

Benedictus fructus ventris tui. Hæc verba apposuit Ecclesia in salutatione Angelica, quæ fuerunt Elisabeth. Quando enim Beata MARIA concepto filio eam visitauit, exclamauit ipsa Elisabeth, repleta Spiritu Sancto dicens: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Ideo autem Angelus non dixit illud, scilicet, benedictus fructus ventris tui: quia nondum fructus ventris fuerat, salutauit, sed ipsum, quasi pro missum in hoc dixit: *Benedicta tu in mulieribus*, fructum comprehendat. Ecclesia autem, vt iam exhibitum, & maximè Beatæ MARIÆ Virginis commendatiuum hoc apposuit. Ponitur autem coniũctio copulatiua, scilicet, & benedictus, &c. Quæ continet finem ad Angelicam salutationem, & adiectionem ad personam filij pertinentem. Et vt notet inter benedictionem filij, & matris aliquam distinctionem, ipsa enim benedicta est propter benedictionem fructus. Vnde sua benedictio descendit à benedictione filij. Et hoc est, quod B. Bern. ait. Nõ ideo benedictus fructus vẽtris tui, quia tu benedicta, sed ideo benedicta: quia benedictus fructus vẽtris tui, quoniam ille in benedictionibus te præuenit. Signanter autẽ dixit potiùs fructus ventris, quàm filius tuus, quia filius est quid cõmune ad spiritualem, & carnalem generationem, fructus autem plus determinat carnalem, & maximè cum hac determinatione ventris, qui est locus generationis carnalis propter quod etiam dixit non corporis, sed ventris, vt veritas generationis magis exprimeretur. Habuit autem iste fructus ventris Beatæ MARIÆ, id est, Dominus Iesus omnes dignitates suæ matris, vel in se, vel in æquipollenti excellentissimo congruenti. Habuit bonum coniugale: quia sponsus vniuersalis Ecclesiæ. Item virgo fuit, & pater, qui verbo veritatis nos genuit, ex aqua quoque, & Spiritu Sancto, ex Matre Ecclesia omnes fideles regenerauit. Itẽ sicut ipsa Mater Dei, ita ipse filius Dei, & plus est esse filium Dei, quàm Matrem Dei. Concedendum insuper, quòd ipsa à fructu ventris sui, id est filio in omnibus priuilegijs excellitur. Nec in hoc laus matris diminuitur, sed exaltatur in eo, quòd nõ tantùm filium genuit sibi æqualem, sed in infinitum meliorem, quod etiam ex hac parte quodammodo infinitam insinuat matris bonitatem. *Omnis enim arbor ex fructu cognoscitur suo*, vt etiam dicitur Matth. 7. Infinita ergo bonitas fructus, quæ est

Lucæ 1.

Matt. 7.

est in Iesu, quodammodo insinuat infinitam bonitatem arboris producentis MARIÆ. Hæc omnia Albert. Sed ad dilatandum materiam dici potest, quòd triplex est fructus ventris MARIÆ benedictus. Est fructus naturalis ventris sui corporalis, benedictus per diuinam vnionem. Est fructus virtualis ventris sui mentalis, benedictus propter summam perfectionem. Est fructus spiritualis ventris sui exemplaris, benedictus propter
Eccl. 24. sanctam imitationem. Hæc possunt notari in illa authoritate, Eccl. 24. *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris, & flores mei fructus honoris, & honestatis.* Primus fructus ibi notatur, fructificaui suauitatem odoris, scilicet, Christum, qui est ipsa veritas
B afficiens intellectiuam. Secundus ibi, flores mei fructus honoris, & honestatis. Tertius verò ibi. Ego quasi vitis, &c. Vt patebit.

§. I.

DE primo fructu dixit Deus, promittendo Dauid: *De fructu ventris tui ponam*
Psal. 131 *super sedem tuam*, scilicet, ad regnandum in Ecclesia militanti, & triumphanti. Signanter autem dicit, de fructu ventris tui, non lumborum tuorum. In conceptione enim hominis deciditur semen à lumbis patris, & materia conceptus à ventre matris. Sed quia Christus non ex virili semine, sed solùm ex purissimo sanguine sanctissimæ Virginis est
C conceptus: ideo dicit, de fructu ventris tui, id est, de fructu naturali, scilicet, filio ventris, scilicet, solius Virginis MARIÆ, qui tuus dicitur: quia ex te descendet ex progenie tua, hic regnabit in æternum. Benedictus autem est iste fructus ventris virginalis omni benedictione, quæ excogitari potest. *Ipse* (ait Apostolus) *super omnia, & in omnibus benedictus.* Est enim Deus (secundùm Anselmum) quo melius excogitari non potest. Item bonum dicitur aliquid propter aliquid bonum, quod habet. Sed quidquid boni est in creaturis, est in Deo, & perfectius, & causa omnium bonorum: quia iuxta illud Ia-
Iacob. 1. cob. 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum*, ergo omnis benedictio, & ratio benedictionis reperitur in eo. Vt enim dicit Damasc. siue secundùm bonitatem, siue
D secundùm virtutem, siue secundùm sapientiam, siue secundùm tempus, siue secundùm locum deficiat à perfectione, Deus non est.
Tob. 13. *Confitere ergo Deo*, id est, lauda in bonis, & *benedic Deum seculorum*, dicitur Tobiæ 13. *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso*
Rom. 11. *sunt omnia*, scilicet, bona, Roman. 11. Item quidquid boni est in creaturis est, in homine, vnde dicitur minor mundus, & omnis creatura secundùm Beatum Gregor. in homil. Sed quidquid boni est, vel esse potest in homine, est in Christo Iesu; maius esse non po-
A test, quàm vniri Deo in vnitate personæ, quod in Christo. Nam Deus, & homo vnus est Christus, sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, id est, vna persona, ait Beatus Athanasius. Item proprietates, seu perfectiones, quæ sunt in inferioribus, sunt excellentiùs in superioribus, vt ostendit Dionysius in cœlestibus Hierarchijs. Sed Dominus Iesus superior est omni Hierarchia, &
Virgine in superna gloria. Ad Philip. 2. ait *Philip. 2.*
Apostolus. *Donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Et ad Hebr. 1. cap. *Cùm introducit primogenitum in orbem terrarum, dicit* *Hebr. 1.*
B *adorent eum omnes Angeli Dei.* Item 2. Esdræ 4. dicitur *Veritas magna est, & fortior* *2. Esdr. 4*
præ omnibus. Omnis terra veritatem inuocat, cœlum etiam ipsam benedicit, & omnia opera mouentur, & tremunt eam, & non est cum ea quidquam iniquum, & inualescit, viuit, & obtinet in sæcula sæculorum. Benedictus ergo Deus veritatis, id est, qui est veritas. *Ego sum veritas*, ait Christus Ioan. 14. *Ioan. 14.*
cap. *Et veritas de terra orta est*, id est, Vir- *Psal. 84.*
gine humillima firmissima, & fructuosissima. Benedictus ergo fructus ventris tui Iesus, & multò magis, quàm ipsa Virgo benedicta. Vnde in omnibus duodecim priuilegijs, quibus Beata MARIA excedit omnes
C creaturas, ipse Iesus eam excedit. Nam primum est, quòd Beata MARIA nunquam peccauit. Sed filius eius, nec peccauit, nec originale contraxit, vt ipsa. Beatus Bernardus. O bone Iesu peccatum non commisisti, nec contraxisti, est enim tibi pater ab æterno. Sed Deus est, in quem peccatum cadere non potest. Est & mater tibi ex tempore. Sed Virgo est, corruptelam parere non potuit incorruptio. Secũdùm priuilegium est, quòd peccare nõ potuit. Sed hoc, quia fomes, qui trahitur ex peccato originali religatus, vel extinctus fuit, vt in actum non exiret. Sed Iesus, quia sine originali cõceptus, ideo nec fomite infectus. Vnde vt ait Damasce-
D nus. Impeccabilis erat Dominus Iesus. Tertium priuilegium est, quòd in omni actu liberi arbitrij ipsa semper meruit, non tamen vsum liberi arbitrij concepta, vel mox nata habuit, etsi citiùs cæteris. Sed Dominus eius ab initio suæ conceptionis vsum liberi arbitrij habuit. Vnde dicit Hieremias. *Fœmina circundabit virum*, id est, in vtero habebit hominem perfectum omni sensu, & vsu liberi arbitrij, & ex tunc cœpit mereri in quolibet actu interiori, non pro se, qui non egebat, sed pro nobis. Quartum priuilegium est puritas in summo, sed receptiuam habuit, Iesus autem datiuam. Vnde ipsa pura in summo ad modum aeris à Sole depurati. Ipse autem ad modum Solis depurantis. *Candor*

enim

enim est lucis æternæ, speculum sine macula,
Sap. 7. *& imago bonitatis.* Sapien. 7. Quintum priuilegium est: quia ipsa est Virgo Virginum, ipse autem filius Virginis. Vnde canit Ecclesia. Sancta MARIA Virgo Virginum mater, & filia Regis Regum omnium, id est, Iesu. Sed plus est esse filium Virginis, quã Virginem matrem per imitationem Virginum. Sextum est, quòd ipsa est mater, & Virgo per generationem. Ipse verò fuit, & est Virgo pater, per creationem. Nobilior autem est creatio, quàm generatio, & actus
Isai. 7. creatoris, quàm actus creaturæ. Isai. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel*, quod interpretatur nobiscum Deus, vt dixit Angelus. In principio autem creauit Deus cœlum, & terram, vnde & pater omnium dicitur. Septimum priuilegium est: quia ipsa est mater omnium. Sed ipse est pater omnium, etiam per gubernationem, & curam. Sapien. 6. *Ipsi*
Sap. 6. *enim est cura de omnibus.* Est autem pater hic curæ, plus autem est esse patrem, quàm matrem, ipsa autem genuit facto, ipse verbo, plus autem est, & primæ generationi similius generare verbo, quàm facto. Octauum priuilegium est, quoniam ipsa nullius habuit ignorantiam eorum, scilicet, quæ decuit scire. Iesus autem omnium habuit scientiam. *In ipso enim sunt* (secundùm Apostolum) *omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei.* Nonum priuilegium est, quòd est porta
Ioan. 10. cœli. Ipse autem est *ostium*, vt dicitur Ioan. 10. in quo est porta. Decimum, quòd habuit communicationem passionis Christi per compassionem suam, sed ipse sustinuit ipsam
Isai. 53. passionem. Isai. 53. *Verè dolores nostros ipse*
Psal. 17. *tulit.* Et Psalm. 17. *Dolores inferni circumdederunt me.* Vndecimum, quòd ipsa super omnes choros exaltata. Ipse autem habet nomen, quod est super omne nomen, scilicet, vt vocetur, & sit Deus exaltatus super omnia. Duodecimum, quòd ipsa est Regina misericordiæ, ipse autem pater misericordiarum 2. Corint. 1. *Benedictus Deus pater mi-*
2. Cor. 1. *sericordiarum, & Deus totius consolationis.* Patet ergo, quia benedictus fructus ventris MARIÆ Iesus magis, quàm ipsa.

§. II.

NOtandum quòd, non dicitur determinatè cuius respectu fructus iste MARIÆ sit benedictus. Et ratio est: quia simpliciter, & absolutè est benedictus omnimodo, & in omnibus, vt declarabitur, & ideo per nihil specificum coarctari potuit. Benedictio quoque MARIÆ non restringuitur ad mulieres tantùm: quia dicitur benedicta in mulieribus, sed causa, & origo omnis benedictionis demonstratur. Possumus ergo loqui secundùm Albertum de ista benedictione fructus MARIÆ, id est, Iesu secundùm triplicem viam. Primò, quantùm ad significationem. Secundò, quantùm ad suppositionem. Tertiò, quantùm ad substantiam, & omnem sui partem. Quantùm ad primum, scilicet, significationem, sciendum, quòd ista benedictio habet tria significata, quorum omnium ratio saluatur in ista beatitudine, qua dicitur. *Benedictus fructus ventris tui.* Nam vt dictum est supra. Prima est benedictio maledicti euacuatio. Secunda est benedictio omnis boni possessio. Tertia est benedictio congratulantium laudatio, & quælibet harum est triplex. Est enim triplex maledicti euacuatio. Incidit enim per peccatum triplex maledictum. Primum est fomitis punctio, id est, inclinatio habitualis ad malum, & delectabilia carni, quæ in actũ progreditur, cùm quis incipit habere vsum liberi arbitrij. De
Rom. 7. quo Apostolus ad Roman. 7. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ*, id est, dictamini rationis, & captiuum me ducentem in legem peccati, scilicet, saltem quoad motus vitiorum, qui sunt venialia. Sed benedictus fructus ventris tui, scilicet, Iesus: quia exclusus omnino ab omni fomite, & mali inclinatione 1. Petr. 2.
1. Petr. 2. *Peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* Quin immo agnus fuit, qui abstulit peccata mundi. Et vt dicit Beatus Augustinus de consecr. dist. 4. nemo. Nemo tollit peccata mundi, nisi Christus, qui est agnus Dei tollens peccata mundi. Secundum maledictum inductum per peccatum est labor inueniendæ veritatis. Vnde Sapien. 9. dicitur:
Sap. 9. *Difficilè æstimamus quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt cum labore inuenimus, quæ autem in cœlis sunt, quis inuestigabit?* Vnde omnes Philosophi in multis erraverunt circa naturalia. Sed & circa moralia, & salutem propriam, vt dicitur Eccles.
Eccl. 9. 9. *Nemo scit vtrum odio, vel amore*, scilicet, Dei *sit dignus*, & hoc, quia ignorat, si opera sua etsi videantur bona, sint verè bona, & meritoria, fructus autem ventris Beatæ MARIÆ fuit benedictus, quia nullam ignorantiam habuit, sed omnem scientiam. Omnia enim, quæ fuerunt, sunt, vel erunt in actu, omnia scruit anima Christi. ad Hebr. 4. *Om-*
Hebr. 4. *nia nuda, & aperta sunt oculis eius.* Tertiũ maledictum est necessitas incinerationis. Genes. 3. *Puluis es, & in puluerem reuerteris.*
Genes. 3. Eccles. 10 Propterea ad humiliandum hominem dicit Eccles. 1. *Quid superbis terra, & cinis?* Sed fructus MARIÆ ab hoc exclusus est secundùm illud, quod ait Psalm. 15. in persona
Psal. 15. eius. *Non derelinques animam meam in inferno*, quò descendit mortuus, *nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*, scilicet, corporis. Secunda significatio benedictionis est omnis boni possessio, secundùm illud dictum Abrahæ. *Benedicam tibi, & magnifi-*
Genes. 12 *cabo*

cabo nomen tuum, quo ad temporalia, & naturalia, *eriſque benedictus* quoad ſpiritualia, & gratuita, & *in te benedicentur omnes gentes* quoad diuinalia: quia per Chriſtum fructum MARIÆ, quæ deſcendit ex Abraham Deum, & hominem, recipiunt homines benedictionem gloriæ. Fructus autem hic MARIÆ benedictus eſt omnis boni poſſeſſione tripliciter. Primò, quia habuit Chriſtus bonitatem humanæ naturæ in ſummo. Vnde Damaſc. dicit, quòd aſſumpſit Dei filius primitias humanæ maſſæ, id eſt, humanitatem in ea puritate, quæ fuit in Adam in ſtatu innocentiæ. Et propterea dicitur Iſai. *Iſai. 7.* 7. cap. quòd Emanuel partus ex Virgine *butyrum, & mel comedet, vt ſciat reprobare malum*, id eſt, non ſumere malum peccati, *& eligere bonum* gratiæ. Dicitur autem comediſſe, id eſt, ſibi vniſſe, ſicut quod comeditur incorporatur, & vnitur comedenti, butyrum, quod eſt pinguedo lactis, id eſt, innocentiam, & mel dulce, id eſt, ſapientiam. Secundum bonum, quod in ſe habuit Chriſtus eſt bonum diuinæ naturæ in ſummo: quia *Col. 2.* fuit verus Deus. Vnde Apoſtolus. *In quo*, ſcilicet, Chriſto *inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter*, & Actuũ 10. *Pertran- *Act. 10.* *ſiuit Ieſus benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à Diabolo: quoniam Deus erat in illo.* Nemo enim poteſt expellere Diabolum ab homine peccatore, niſi Deus remittendo peccata. Creaturæ, & ſancti habent bonitatem accidentaliter, ſed Ieſus, quia Deus verus, habebat bonitatem eſſentialiter, quo modo *nemo bonus niſi ſolus Deus*, ſcilicet, eſſen- *Lucæ 15.* tialiter, ait ipſe Lucæ 5. Tertium bonum huius benedictionis eſt bonitas vnionis naturæ diuinæ cum humana, Leo Papa in ſermone. Salua igitur vtriuſque proprietate naturæ, & in vnam coeunte perſonam, ſuſcipitur à maieſtate humilitas, a virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas, vt quod noſtris remedijs congruebat, mori poſſet ex vno, & reſurgere haberet ex altero. Et propter iſtud bonum vnionis dixit Zacharias *Luc. 1.* laudans Deum. *Benedictus Dominus Deus Iſrael, quia viſitauit*, ſcilicet, per hanc vnionem, & inde *fecit redemptionem plebis ſuæ.* Tertia ſignificatio benedictionis eſt congra- *Tob. 12.* tulantium laudatio, de qua Raphael ad Tobiam, & filium ait. *Benedicite Deum cœli, & coram omnibus viuentibus confitemini illi: quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam.* Et hæc eſt triplex, ſcilicet, Angelorum, hominum, & rerum corporalium. Angeli laudant, & benedicunt fructum ventris Beatæ MARIÆ: quia per ipſum reſtauratus eſt numerus diminutus eorum. Vnde Eccleſia canit. Per quem, ſcilicet, Chriſtum, maieſtatem tuam laudant Angeli, adorant dominationes, tremunt poteſtates, cœli cœlorumque virtutes, ac Beata Seraphim. Benedicite ergo Dominum omnes Angeli eius. Per maximè homines benedicere, & laudare debent Ieſum: quia factus eſt eorum frater, eorum ductor, eorum redemptor. *Neque enim* (vt ait Petrus Apoſtolus in Actibus Apoſtolorũ) *Actor. 4.* *eſt aliud nomen datum ſub cœlo, in quo oporteat nos ſaluos fieri*, quam ſcilicet, per Ieſum Chriſtum, & ideo qui præibant, & qui ſequebantur, clamabant filio Dauid dicentes: *O ſanna*, id eſt, obſecro ſalua nos, *benedictus, qui venit in nomine Domine, O ſanna in excelſis.* Matth. 21. Qui præibant, ſignificant Pa- *Matt. 21* tres veteris teſtamenti, qui ſequuntur, Patres noui, & omnes debent benedicere congratulando de ſaluatione facta per Chriſtum. Tertiò etiam alia corporalia habent congratulari, & laudare modo ſuo de fructu ventris MARIÆ: quia aliquo modo vnita ſunt cum ſuo creatore, in quantùm Deus factus eſt homo, qui participat cum omnibus corporibus in quantùm, & ipſe corpus habet, & ipſe omnia demum renouabit, & meliorabit, & ideo, *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate, & ſuperexaltate eum, &c. Benedi-* *Dan. 3.* *cite cœli Domino, benedicite aquæ omnes, quæ ſuper cœlos ſunt, &c.* Benedictus ergo fructus ventris tui ſecundùm triplicem ſignificationem benedictionis.

§. III.

QVantùm ad ſuppoſitionem, in quantùm, ſcilicet, ſupponit pro Chriſto hoc, quod dicitur. *Benedictus fructus ventris tui*, habet tria, & pro omnibus illis redditur locutio vera. Eſt enim benedictus fructus iſte triplici benedictione, ſcilicet, Benedictione naturæ. Benedictione gratiæ. Benedictione gloriæ. Et quolibet iſtorum eſt triplex. Benedictio naturæ in eo fuit triplex. Habuit enim corpus benedictum, animam benedictam, & Deitate benedictam. Corpus eius fuit benedictum, quoad materiam: quia non ex materia corrupta, ſed ex puriſsimis ſanguinibus Virginis fuit conceptum. Sap. 6. *Ad corpus* *Sap. 8.* *incoinquinatum acceſſi.* Fuit benedictum in armonia: quia optimè proportionatum, cum omnimoda proportione humorum, adeo quòd non incurriſſet aliquam infirmitatem, ſi diù vixiſſet, & morte violenta, ſcilicet, crucis non fuiſſet occiſus, ſed ſenio deficiſſet. Ex quo cùm non eſſet debitor mortis: quia non per carnalem propagationem ex viro conceptus, voluntariè tamen ſuſcepit mortale corpus. Benedictum fuit illud corpus in forma, & pulchritudine. Pſal. 44. *Pſal. 44.* *Speciouſus forma præ filijs hominum propterea benedixit te Deus in æternum.* Habuit enim congruentem quantitatem. Nam etſi in conceptione: quia ſubitò fuit perfectiſsimè organizatum corpus illud, & diſtinctum ab omnibus ſuis lineamentis, paruiſsimum

fuit

fuit super omnes conceptos in vtero, tamen spatio quadraginta dierum, vel quadraginta sex, vt dicunt Physici, quibus corpus conceptum paulatim completur, & organizatur in membris suis, peruenit ad debitam, & communem quantitatem. Similiter in figura, & colore fuit speciosissimum, vt ostenditur ex quadam Epistola, quam scripsit quidam Gentilis. Tiberio tunc Imperanti in partibus Iudeæ, moram trahens pro parte Romanorum, hic in ea declarat effigies eius, & formam, prout oculis suis viderat. Animam quoque habuit benedictam, iuxta illud Sap. 8. *Sortitus sum animam bonam*, fuit itaque benedicta anima illa à Deo tunc creata: quia infusa corpori sine peccato, sine fomite, sine ignorantia fuit. Fuit benedicta: quia intelligentiam habuit acutissimam, omnia tunc intelligens, memoriam tenacissimam, voluntatem ad omne bonum sine difficultate promptissimam. Species omnium rerum fuerunt in mente eius inditæ, seu concreatæ, sicut dicitur de Adam. Fuit ergo benedicta anima illa omnium naturarum naturali cognitione, virtutum politicarum perfectione, suprema naturali Dei dilectione, vt meritò dici possit de ea illud. *Præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis*: quia ante natiuitatem ista habuit anima eius. Habuit & benedictam Deitatem in se, vnde Psalm. 143. *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas, &c.* Deus meus dicitur: quia per Deitatem vnitam naturæ nostræ, factus est noster. Homo autem factus, & conuersatus in terra docuit exemplo suo nos pugnare manibus nostris, id est, operibus contra inimicos spirituales mundi fallentis, quem contempsit, carnis inficientis, quam ieiunijs, & abstinentia afflixit, Diaboli suadentis, quem documentis scripturæ superauit in deserto. Benedicta ergo sit sancta Trinitas, atque indiuisa vnitas. Trinitas ista sancta est, quæ in Iesu habetur. Nam sancta caro, sancta anima, sancta Deitas, & in ea indiuisa vnitas, scilicet, in persona: quia vna persona Deus, & homo, non duæ personæ, nec duo suppositi, sed vnum, confitebimur ergo ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam. Benedictio secunda, scilicet, gratiæ fuit in fructu ventris MARIÆ. Et hæc triplex, nam habuit cum patre gratiam increatam, cum matre gratiam creatam, præter vtrumque gratiam coniunctam. Habuit enim à Patre gratiam increatam, scilicet, quòd sit Deus. Vnde ipse ait Ioan. 7. *Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me patris*, quasi dicat secundùm Beatum Augustinum super Ioannem. Ego, qui dicor sapientia, & verbum, non habeo esse à meipso, sed à Patre, qui hanc gratiam dedit mihi, vt sim Deus. Habet etiam ab eo, quòd sit filius Dei.

A Psalm. 2. *Dominus dixit ad me filius meus es tu.* Leo Papa. Verbum enim Dei, Deus filius Dei, vt liberaret hominem ab æterna morte, factus est homo, & tanto fœdere vtrã que conseruit, vt nec inferiorem consumeret glorificatio, nec superiorem diminueret assumptio. Habet demum à patre, quòd sit spirator Spiritus Sancti. *Mittam*, inquit, ipse *vobis à patre spiritum veritatis.* Ioan. 16. id est, mittam Spiritum Sanctum à me procedentem. Sed quòd à me procedat, & vobis mittam, hoc habeo à patre. Vnde & cum instituit Sacramentum, in quo se totum dimisit nobis, eleuatis oculis in cœlum ad patrem benedixit, quasi totum quod est, recog-
B noscens à patre habere. Cum matre triplicem gratiam habuit, creatam videlicet: quia omnem gratiam, & gratis datam, & gratum facientem, & singulariter priuilegiatam habuit, vt sicut ipsa dicitur gratia plena, ita & fructus ventris eius, Verbum scilicet, caro factum plenum gratiæ dicatur, excellentiùs tamen in ipso, vt supra dictum est. Secundò, quia omnem gratiam dedit, sicut enim de plenitudine eius, scilicet, Virginis recipiunt vniuersi, vt ait Beatus Bernardus, sic *de plenitudine* Christi *nos omnes accepimus gratiam*, vt ait Ioan. 1. perfectiùs tamen per Christum. Tertiò dedit vltra id
C quod habuit. Dat enim remissionem peccatorum, quam remissionem in se non habuit, nec filius, nec mater: quia nullum peccatum filius habuit, mater nullum actuale, dat tamen aliter filius, aliter mater, filius efficienter, vt Deus, meritoriè, vt homo, Mater suffragio orationis suæ impetrando remissionem peccatoribus pœnitentibus. Congruè ergo Elisabeth ait. *Benedicta tu in mulieribus*, & ita benedictus fructus ventris tui Iesus, qui tecum gratiam habet. Ex coniunctione præter vtrumque, scilicet, Deitatis cum humanitatis coniunctione habuit triplicem gratiam. Vna, quòd fuit filius plurium. Nam mater eius habuit patrem, & matrem, scilicet, Ioachim, & Annam. Sed non Deum
D habuit patrem, sed hominem, vt dictum est Ioachim. Pater verò Christi non habuit patrem, nec matrem, nec Deum, nec hominem. Ipse verò habuit patrẽ, & matrem, & Deum patrem, & hominem matrem. Secundò, ex ipsa coniunctione Dei cum homine habet, quòd sit redemptor. *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam*, id est, vitam *redemptionem pro multis.* Matth. 20. cap. & quomodo declarat Princeps Apostolorum. Petrus in 1. canonica dicens: *Non enim corruptibilibus auro, & argento redempti estis de vana vestra conuersatione, sed pretioso sanguine agni immaculati.* Quod præmium sanguinis fuit infiniti valoris ad nos redimendum propter diuini-

Psal. 20. Sap. 8. Psalm. 2. Ioan. 16. Ioan. 1. Psal. 143 Ioan. 7. Matt. 20 1. Petr. 1

uinitatem ei vnitam, & in quantùm est redemptor, & sponsus animarum 2. Corint. 11. *Despondi enim vos vni viro Virginem castam* integritate, scilicet, fidei, & dilectionis *exhibere Christo*. Est & Sacerdos fidelium, siue Pontifex, ad Hebr. 9. *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, &c. introiuit semel in sancta æterna redemptione inuenta*. Iudex quoque viuorum, & mortuorum. Ioan. 5. *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio*, in quantùm ipse solus in humanitatem, quam sumpsit, cunctis apparebit. Tertiò ex huiusmodi coniunctione habet, quòd sit beatitudo omnium. Ioan. 10. *Ingredietur*, scilicet, quilibet Beatus, *& egredietur, & pascua inueniet*. Ingredietur ad Deitatem Christi contemplandam. Egredietur ad humanitatem speculandam, ex vtroque fruitionis refectionem beatæ inueniet, & ideo *Benedic anima mea Dominum, &c. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, & sanat omnes infirmitates tuas* Deus homo per Sacramenta ab eo instituta, *qui redimit de interitu vitam tuam*, in quantùm redemptor, *& coronat te* in quantùm beatificat. Benedictio quoque gloriæ, qua benedictus est fructus ventris MARIÆ, est triplex. Habuit enim gloriam comprehensoris, gloriam Redemptoris, & gloriam Creatoris. Gloriam habuit comprehensoris, dum fuit viator, quod nulla creatura habuit. Nam in mundo quilibet sanctus est solùm viator, in alio tantùm comprehensor. Christus autem simul in mundo viator in quantùm mortalis, & merebatur. Comprehensor, quia clarè intuebatur animam eius diuinitatem cui erat vnita, vt nunc. Et summam auream habuit super omnes aureolas, & præmia accidentalia omnia in summo, vt apèrte intelligatur de illo. *Dilectus Deo, & hominibus, cuius memoria in benedictione est, similem illum fecit in gloria Sanctorum*. Eccles. 45. scilicet, dum hìc etiam vixit. Habuit, & gloriam Redemptoris, in quantùm ipse hominum liberator, Dæmonum superator, & naturæ humanæ exaltator. Et ideo Psalm. 114. *Per singulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum, &c.* Tertia, quæ est gloria creatoris, ostenditur in misericordia, in sanctis, in iustitia, in damnatis, in magnificentia, in cœlis, & elementis. Vnde te cœlorum militia laudat, adorat, prædicat, triplexque mundi machina benedicit per secula. Et ideo benedictus fructus ventris tui.

2. Cor. 11

Hebr. 9.

Ioann. 5.

Ioan. 10.

Psal. 102

Eccl. 45.

Psal. 114.

§. IIII.

TErtiò potest considerari ista benedictio fructus ventris Beatæ MARIÆ quantùm ad substantiam, & partes eius integrales, & hoc tripliciter. Primò, quantùm ad principium, & causam. Secundò, quantùm ad essentiam. Tertiò, quantùm ad efficientiam. Si ergo consideretur iste fructus in quantùm est benedictus tripliciter secundùm triplicem sui originem, habet originem iste fructus benedictam Trinitatem, quæ operata est hoc mysterium incarnationis. Vnde benedicta sit sancta Trinitas creatrix, & gubernatrix omnium. Habet originem fructus iste quantùm ad suam Deitatem per generationem benedictum Patrem 2. Corint. 1. *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum*. Habet originem quantùm ad assumptam humanitatem benedictam Matrem per natiuitatem in vtero. Vnde Elisabeth aptissimè ait ei visitanti ipsam. *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui, & vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me?* Lucæ 1. Quantùm ad essentiam benedictus est fructus ventris MARIÆ tripliciter. Benedictus fructus ventris tui. Ait beatus Bernard. benedictus in odore, benedictus in sapore, benedictus in specie, vel decore. Odore suo implet cognoscitiuam. Vnde in Canticis. *In odore vnguentorum tuorum currimus*, id est, gratiarum. Nam in odore eius reuiuiscunt mortui. Quem sentiens Isaac, ait in figuram eius filio suo Iacob, de quo descendit. *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni*, scilicet, gratiarum, & bonorum, *cui benedixit Deus*. Genes. 27. In sapore quoque benedictus fructus hic reficiens affectiuam, vt summum, & dulcissimum bonum. Cant. 2. *Fructus eius dulcis gutturi meo*, ait anima deuota hoc degustans. Psalm. 33. *Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus, beatus vir, qui sperat in eo*, & multò magis, qui hoc in patria gustat. Adde ad saporem valorem. Valet enim contra omne malum in medicamentum, in cibum habentem omne delectamentum, in pretium comparans omne bonum. Benedictus est iste fructus in specie, vel decore. Psal. 44. *Speciosus forma præ filijs hominum, propterea benedixit te Deus in æternum*. Petrus. *In quem desiderant Angeli prospicere*. Quantùm ad efficientiam est benedictus fructus ventris MARIÆ, actiuam, & passiuam Actiuam quidē: quia benedixit nos benedictione tēporali, benedictione spirituali gratiæ, & benedictione supernaturali gloriæ.

2. Cor. 1.

Lucæ 1.

Cant. 1.

Genes. 27

Cant. 2.

Psal. 33.

Psal. 44.

Psal. 66. Vnde Psalm. 66. ter dicit. *Benedicat nos Deus, Deus noster, & benedicat nos Deus.* Et signanter dicit Deus noster, vt notet istum fructum ventris MARIÆ: quia per hoc est factus noster Deus singulari modo: quia ex ea carnem nostram assumpsit. Quantùm ad benedictionem passiuam, id est, quia fecit nos benedicere, vt sic per eum recipiamus virtutem eum benedicendi, id est, laudandi. Tripliciter hoc accidit. Facit enim nos benedicere corde, iuxta illud. *Benedic anima mea Dominum, & omnia interiora mea nomini sancto eius.* Ore, secundùm illud. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* Et Petrus in canon. *Nulli malum pro malo reddentes, aut maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicentes.* Opere, Psalm. 133. *Ecce nunc benedicite Dominum omnes serui Domini*, scilicet, benè operando, & sic coneludendo primum fructum, scilicet, naturalem ventris materialis MARIÆ vtique benedictus omnimodo fuit. Et Virgo, vt vitis fructificauit suauitatem odoris, scilicet, Dominum Iesum, qui vt ait ipse sapiens Eccles. 24 *sicut cinnamomum, & balsamum aromatizans odorem dedit, & quasi myrrha electa dedit suauitatem odoris.*

Psal. 102
Psal. 33.
1. Petr. 3
Psal. 133
Eccl. 24.

De duodecim fructibus spiritus, qui fuerunt in MARIA. Capitulum 26.

BEnedictus fructus ventris tui. Est alius fructus virtualis MARIÆ, de quo Dominus. Posui vos, scilicet, in mundo, vt eatis, & fructum afferatis, scilicet, bonorum operum. *Omnis enim arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur*, scilicet, per mortem, *& in ignem mittetur*, scilicet, æternum. Matth. 7. Fructus iste bonus procedit ex ventre bonæ mentis. Mens enim ideo dicitur venter animæ: quia in ea continentur cogitationes, & affectiones ex apprehensis à sensibus, quasi ex cibis comestis: quæ mens occulta est cum suis cogitationibus, & affectionibus, sicut venter, & contenta in eo. Isti autem fructus ventris Beatæ MARIÆ sunt benedicti propter summam eorum perfectionem, & propterea dicit. Eccles. 24. vt inductum est, supra. *Flores mei fructus honoris, & honestatis.* Flores sunt inchoationes fructuum, vbi ergo in alijs sanctis virtutes sunt quasi flores, id est, imperfectæ, & incompletæ respectu virtutum patriæ, in ea fuerunt isti flores fructus: quia virtutes habuit, quasi ad modum patriæ aliquo modo, vt ostensum est, supra, cùm ageretur de gratia virtuali eius. Et ista bona opera sunt fructus, quibus debetur verus honor, & in quibus est vera honestas, ad quod insinuandum cantatur de ea, quod scribitur in Canticis. *Emissiones tuæ Paradisus cum pomorum fructibus.* Emissiones dicuntur operationes ex ventre mentis procedentes, istæ fuerunt Paradisus, quasi similes operibus eorum, qui sunt in Paradiso adeo perfectæ fuerunt. Poma, quæ sunt rotunda, sunt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: quia sicut pomum est rotundum, & figura rotunda est capacissima, & non inuenitur ibi principium, vel finis, ita æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus sine principio, & sine fine vnus Deus, omnia continens, quibus diuinis personis aliquando fruebatur, & ideo cùm dicitur, cum pomorum fructibus. Et ad se inuocandum ad huiusmodi fructus producendos aiebat. Eccles. 24. *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me*, id est, amatis, *& à generationibus meis implemini*, id est, operibus virtuosis, quæ generatæ, & productæ sunt à ventre mentis meæ, sicut fructus ab arbore, & sicut filij à ventre matris. Implemini ait, scilicet, copiosè ea agendo, & quia ipsa sola implent, & reficiunt animam. Nam opera mala esurientem, & vacuum reddunt, vnde, & fructus dicuntur opera virtuosa, vt dicit Glos. Beati Ambros. quia mentem reficiunt syncera delectatione. Sed inter cætera opera virtuosa permaximè delectant animam illa duodecim, quæ enumerat Apostolus ad Galat. 5. quæ appellat fructus spiritus, dicens. *Fructus spiritus sunt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* Hi, scilicet, fructus fuerunt fructus ventris mentalis MARIÆ valde suaues. Et ideo subdit. *Spiritus enim meus super mel dulcis*, id est, isti fructus spiritus mei, Dulcia autem communiter alliciunt appetitum. Sunt enim dulcia amica naturæ, & ideo inuitat ad huiusmodi, sui exemplo dicens. *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, &c.*

Cant. 4.
Eccl. 24.
Galat. 5.
Eccl. 24.

§. I.

QVòd isti fructus spiritus fuerunt in MARIA, declaratur. Primus itaque fructus spiritus ventris MARIÆ mentalis dicitur charitas, quæ hìc non importat virtutem, de qua dictum est, supra tit. 5. cap. 21. sed actum eius. Hic fructus charitatis est, quæ de terra ad cœlum euocat, & sic ad ipsum pertinet à terrenis separatio, & ad cœlum eleuatio. Sed Beata MARIA fuit omnino à terrenis eleuata: quia nec pul-

pulus venialis adhæsit pedibus affectuum eius, quod nulli sanctorum contigit. Fuit etiam eleuata ad cœlum super omnes in contemplatione, & cognitione, & affectione diuinorum. Vnde dicit Eccles. 24. *Ego quasi cedrus exaltata sum in libano.* Libanus, qui interpretatur candidatio, signat Ecclesiam militantem, & triumphantem, candidam puritate. Sicut ergo cedrus in libano est altior omni arbore, ita Beata Virgo magis eleuata erga Deum in Ecclesia, & dilectione. Præterea in Psalm. 23. sit triplex quæstio. Prima est, *quis ascendet in montem Domini?* Secunda, *quis stabit in loco sancto eius?* Tertia est, *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet, &c.* Difficile siquidem, & perfectum est ascendere. Difficilius, & perfectius stare. Difficillimum, & perfectissimum est habitare, & quiescere. Ascendere pertinet ad Apostolos, qui sunt maiores de Ecclesia, sed non pertinuit ad eos habitare, sed descendere. In figuram huius Angeli *ascendebant, & descendebant* per scalam, quam vidit Iacob. Genes. 28. Vnde & Apostolus, *qui raptus fuit ad tertium cœlum* postea descendebat ad disponendum *cubilia infirmorum*, vt patet. 1. Corint. 7. Ad perfectiorem ergo statum, quàm Apostolorum pertinet ascendere, & stare. Hi autem videntur esse comprehensores, qui ascendentes in cœlum, stant fixi in actuali dilectione diuinorum: non tamen videntur quiescere, in quantùm appetunt corpora eorum cum ipsis animabus glorificari, quod nondum impletur. Virgo autem Beatissima semper ascendens de virtute in virtutem, & stans in habituali dilectione perfectiùs, quàm sancti in patria, etiam habitando quiescit, anima, & corpore glorificato. Et ideo dilectus meus mihi, & ego illi modo excellentissimo. Secundus fructus dicitur gaudium, quod importat delectationem in creatura rationali. Et vt ait Beatus Bernardus. Illud est verum gaudium, quod non de creatura, sed de creatore concipitur, cuius comparatione omne dulce amarum, omne pulchrum fœdum, omne, quod delectare potest, modestum, vnde Psam. 97. *Viderunt omnes fines terræ*, scilicet, per fidem, *salutare Dei nostri, Iubilate Deo omnis terra*, vbi dicit Gloss. quòd visio Saluatoris est causa iubilationis. Et secundùm B. Greg. in moral. iubilatio importat quoddam gaudium intensum, quod occultari non valet, & exprimi non potest. Si autem ad partum Virginis gaudet chorus cœlestium, & Angeli canunt Deo, mysterium, cernentes. Et Magi gauisi sunt gaudio magno valdè, reuidentes stellam, quæ eos ad puerum, & matrem eius perduxit, quantò magis iubilatione sunt repleti, videntes eum? Nulla autem lingua fari posset, nec intellectus capere gaudia perfectissima Virginis, quæ percepit in conceptu filij in partu, in lactando eum, in portando eum in gremio, in collocando, & in conuersando cum eo. *Exultauit* (ait in Cantico Luc. 1.) *spiritus meus in Deo salutari meo*, id est, extra saltauit, supra se, saltauit præ gaudio, quiescendo in Deo salutari. Item cùm dicitur à Christo. *Gaudete, & exultate: quia nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Lucæ 10. Gaudium, hoc est de præsentiarum iustitia, & prædestinatione æterna. Si gaudium generatur ex hoc, quòd quis est prædestinatus filius Dei per adoptionem, & secundùm præsentem iustitiam multò magis habet gaudere, quòd sit prædestinata, vt sit mater Dei, & habeat omnem perfectissimam iusticiam, prout fuit Virgo MARIA. Tertius fructus est pax. Pax secundùm Beatum Augustinum 19. de ciuit. Dei, ab omnibus optatur, sed à paucis vera pax inuenitur: quia non quæritur vbi est. Cecinerunt Angeli, nato Domino ex Virgine: In terra pacem esse hominibus bonæ voluntatis; non est bona voluntas illa, in qua est peccatum, & ideo *non est pax impijs*, vt dicit Dominus per Isaiam. Sed *in pace in id ipsum, dormiam, & requiescam*, ait Psal. 4. Cùm homo dormit, sopitus est à vitijs, & perturbationibus passionum, & requiescit in id ipsum, id est, Deum, qui semper est idem ipsum: quia immutabilis conformans se voluntati suæ, tunc est in vera pace, vt dicit Beatus Augustinus in libro confessionum. Omnia alia sunt aspera, & tu solus Deus es requies, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. *In omnibus requiem quæsiui*, ait Beatissima MARIA semper subdita voluntati Dei, & semper habens non solùm bonam, sed optimam voluntatem, & ideo fructum pacis habuit, mundus, caro, dæmonia diuersa mouent prælia, & conturbant pacem nostram. Sed mundus pacem eius turbare non potuit: quia paupercula spiritu. Diabolus pacem eius perturbare non potuit: quia humillima. Caro non concupiuit aduersùs spiritum: quia fomes in ea extinctus fuit, & quia omne simile appetit suum simile, ipse, qui est pax nostra in ipsa, pace plenissima requieuit in tabernaculo suo, secundùm illud Psal. 75. *In pace factus est locus eius* Quartus fructus est patientia. *Patientia opus perfectum habet*, ait Iacobus in Canon. c. 1. cùm scilicet, quis propter aduersa contingentia non contristatur, sed æquo animo ferat. Ad hoc valent exempla sanctorum, qui etsi iusti, multa

multa passi, sed patientissimè. Sicut Tobias, qui nec est contristatus, quòd plaga cæcitatis venerit super eum, cùm tamen operibus insisteret pietatis. *Iob* 1. Sic Iob amissa omni substantia, familia, & sanitate corporis, *in omnibus his non peccauit, nec stultum aliquid contra Deum locutus est*, & vt ait illa sancta vidua Iudith. *Iudit.* 8. *Omnes, qui Deo placuerunt, ab initio per multas tribulationes transierunt fideles. Qui verò tentationes non susceperunt cum timore Domini, & impatientiam suam, & improperium murmurationis suæ contra Dominum protulerunt, exterminati sunt ab exterminatore.* Iudith 8. Virgo autem Beatissima non caruit aduersis, sicut nec filius eius. Sed nato paruulo, inde ad paucos dies quæsito ad occisionem, oportuit fugere in Ægyptum, & ibi manere per septemnium inter idolatras, & alienigenas, & duodemnis cùm remansisset in templo, ipsa non percipiente, per triduum quæsiuit non sine dolore, sed sine ira, & tristitia rationem absorbente, vel obfuscante. Similiter in persecutionibus filij patientissima fuit. Vnde dicitur de ea. *Cant.* 8. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Lilium, vel rosa non amittit suam pulchritudinem, vel odorem inter spinas, sic nec ipsa odorem patientiæ inter tribulationes. Quintus est longanimitas. Hæc secundùm Gloss. in expectatione boni non deficere, sed refici, quando quis habet tolerare aliquem dolorem, vel laborem ad breue tempus, vel expectare habet aliquod magnum bonum, sed citò recipiendum, æquo animo conatur sufferre propter breuitatem temporis eius. Sed quando in huiusmodi videt, se diù permansurum in labore, vel consequendo bono, multùm solet attędiari, & fatigari, & aliquando deficere ex diuturnitate eius. Sed longanimitas retinet hominem, ne attędiet, sed perseuerans maneat, & si non ita citò, sed diù labor maneat, & bonum illud expectatum proueniat, & reficit mentem quadam certitudine præmij. Vnde Apostolus 2. Co- *1. Cor.* 6. rint. 6. *Exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros in longanimitate.* Per multos annos fuit Beata MARIA in laboribus mundi, & expectatione gloriæ, videlicet circa sexaginta annos secundùm communiorem opinionem semper magis feruens, & auida ad omne bonum opus. Sextus est bonitas, Hæc secundùm Gloss. dulcedo amici est, sed secundùm Philosophum dulce est, quod amaro impermixtum, dulcius, quod amaro impermixtius, dulcissimum, quod amaro impermixtissimum. Sed animus Beatis- *Sap.* 8. simæ MARIÆ fuit omni amaro impermixtissimus. Vnde Sap. 8. dicitur. *Non*

A *habet amaritudinem conuersatio illius*, scilicet sapientiæ, sed cum ea nulla creatura pura conuersata est intimius, & perfectius, ergo ipsa habuit summam animi dulcedinem. Vnde & cantamus ei. Oclemens. O pia. O dulcis Virgo MARIA. Vnde & bonitatis huius fructum habuit. Psalm. 30. *Psal.* 30. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.* Sed Beata MARIA super omnes timuit Deum timore sancto, ergo & maximam dulcedinem animi habuit. Præterea bonum est suijpsius diffusiuum secundùm Dionysium, & hoc pertinet ad istam bonitatem velle bonum aliorum, & suum communicare. B Sed Beata MARIA summum bonum suum communicauit, scilicet, filium offerendo primò in templo, postea in patibulo, vnde maximè habuit dulcem fructum bonitatis. Septimus est benignitas. Hæc secundùm Gloss. est largitas rerum. Vnde & dicitur benignitas, quasi bona igneitas, bonus ignis est, qui calefacit etiam à longè. Qui ergo beneficia exhibet non solùm amicis, sed etiam inimicis, ille est benignus. Vnde Apostolus ad Roman. 12. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, &c. Hoc enim faciens congeres carbones ignis super caput eius*, id est, super mentem ad inflammandum eum ad amorem tuum ex talibus operibus ignitis. C *Apparuit enim* (ait idem Apostolus ad Titum 2. cap.) *benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei.* Adeo enim nobis benignus apparuit, vt omnia sua largiretur, & pro crucifixoribus exoraret. Sed eius mater ipsum imitata, aurum sibi oblatum à Magis, citò pauperibus largiter erogauit. 1. Corint. 13. cap. *Apostolus* ait. *1. Cor.* 13. *Charitas benigna est*, & quantò maior charitas, tantò maior benignitas. Sed charitas Beatæ MARIÆ omnes excessit, vt dictum est, ergo & benignitas. Octauus est mansuetudo, hæc secundùm Gloss. est tractabilitas. Vnde mansuetus quasi manu suetus, qui scilicet, permittit se tractari sine D iracundo, & ista est differentia inter patientiam, & mansuetudinem, quæ similis videtur: quia patientia moderatur, & regulat passionem tristitiæ, quæ insurgit ex aliqua molestia, ne nimis contristetur. Sed mansuetudo refrenat passionem iræ, ne frangatur, & contra rationem aliquid agat, vnde Gloss. dicit, quòd mansuetudo est contra iram. Eccles. 3. *Eccles.* 3. *Fili in mansuetudine perfice opera tua, & super hominum gloriam diligeris.* Qui ergo minus habet de ira, magis habet de mansuetudine. Sed Beatissima MARIA fuit sine aliqua ira, ergo fuit mansuetissima. Nec obstat, quòd dicitur Luc. *Luc.* 1. 1. scilicet, quòd *cũ audisset salutationẽ Angelicam*

licam turbata est in sermone eius. Nam illa turbatio non fuit iræ, sed admirationis, vt dictum fuit supra. Præterea dicitur tractabilis. Tractabilis autem est, qui est omnibus conformis, & conformabilis, scilicet, in eo, quod non est malum. Et tractabilis est, qui est omnibus omnia. Vel secundùm generalia singulorum, vt Paulus, qui factus est *Iudais sicut Iudæus, & his, qui sine lege erant*, id est. Gentilibus *tanquam sine lege esset*, &c. Vel secundùm singula generum, & iste est simpliciter omnibus omnia, & sic fuit beatissima MARIA, vnde tractabilis, & mansueta in summo. Bernardus Quid ad MARIAM trepidat accedere humana fragilitas, nihil enim asperum in ea reperies, nihil austerum, tota suauis est, omnibus misericordiæ suæ sinum aperit, & sic omnibus omnia facta, vnde & summè mansueta. Nonus fructus est fides, hæc secundùm Gloss. ibi est inuisibilium certitudo. Incenditur autem ex certitudine delectatio triplicitèr. Primò, per scibilium pluralitatem, vt si delectatio est in sciendo, quàtò plura scit, tantò maiorem quis habet delectationem. Secundò, per nobilitatem, & melioritatem scitorum, vt si delectatio est in sciendo naturalia inferiora, multò maior delectatio est in sciendo altiora, vt Trinitatem, Deitatem, beatitudinem propriam, & huiusmodi: quia nobiliora sunt ista omnibus inferioribus, & imperfecta cognitio horum magis delectat, quàm perfecta cognitio inferiorum secũdùm Philosophum. Tertiò, per modum sciendi perfectiorem, vt si sciatur per reuelationem à Deo, maior sequetur delectatio, quàm si per acquisitionem humanam. Sed Beatissima Virgo semper habuit maiorem certitudinem secundùm omnem istum triplicem modum, & sic habuit maiorem fidem cæteris, & ex ea maiorem delectationem. Differt ergo fides prout est fructus à fide prout est virtus Theologica: quia scilicet, vltra communem assensum ad credibilia, prout est fructus importat quandam certitudinem de eis, non tamen eo modo, quo in patria: potest etiam hìc fides dici fidelitas ad promissa, quæ etiam fuit per maximè in Virgine MARIA. Decimus fructus est modestia, hæc secundùm Gloss. in dictis, & in factis consistit, vt scilicet, ita moderentur, vt non fiat excessus, vel defectus, & præcipuè quoad victum, & habitum, & gestus exteriores. In virtutibus politicis dicit Albert. vbi supra. Virtus est medietas duorum extremorum. Vnde in his modus est circa medium. Bernard. tene medium, si non vis perdere modum. In Theologicis autem tantò maior est virtus, quantò maior est eleuatio, & extensio ad consecutionem finis. Nam tantò maior est fides, quantò magis eleuat

A potentiam ad credendum, & tantò maior spes, quantò magis eleuatur mens ad sperandum. Et modus in delectatione est sine modò diligere secundùm Bernard. Si ergo modestia est tenere modum, modestissimum erit in summo tenere modum in summo, summus autem modus in via est eleuare potentiam ad perfectissimum actum, qui potest esse in statu viæ. Hoc autem fuit summè in Beatissima Virgine. Item in alijs viatoribus modestia est cohibitio, & restrictio appetitionum inordinatarum à concupiscentijs surgentium, & fructus modestiæ est refectio spiritualis, & delectatio de huiusmodi cohibitione, & restrictione, vnde est quasi
B delectatio pugnatorum post victoriam. Sed modestia Beatæ Virginis non est de restrictione appetituum inordinatorum, qui in ea non poterant esse, sed perfecta subiectio sensualitatis ad spiritum, & ideo fructus modestiæ in ea non est in coercitione inordinatorum appetituum, sed delectatio super eo, quòd dicti motus inordinati non insunt, nec esse possunt. Et sic sua refectio in modestia est per modum innocentiæ, in alijs per modum pœnitentiæ. Sed status innocentiæ præcellit secundùm dignitatem statum pœnitentiæ, & in delectatione spirituali, ergo maximè modesta. Vndecimus fructus est continentia, secundùm Gloss. hæc est abstinere à
C placitis bonis, & intelligitur de placitis secundùm sensum. Non enim est bonum virtutis abstinuisse à bonis placitis secundùm intellectum. Illa enim sunt bona, & secundùm virtutem appetenda. A bonis autem sensibus delectabilibus est abstinendum. Summè verò delectabile secundùm sensum est actus generationis. Et ideo ab hoc abstinere est maximum virtutis. Quod potest esse tribus modis: quia per abstinentiam ab huiusmodi perfectam, vt in coniugatis, vt scilicet, ab alijs abstineant extra se. Aut abstinentiã perfectiorem, vt in viduis. Aut perfectissimam, vt in virginibus. Hoc autem fuit in Beatissima Virgine in summo, & ideo perfectè
D continens. Præterea virtus est circa arduum, & difficile. Sed maximè arduum, & difficilè videtur esse abstinere ab actu generationis naturæ corruptibilitate, præcipuè circa illam partem. Vnde Salom. *Non possum esse continens, nisi tu dederis mihi*, inquit, ad *Deum*, & hoc scire donum Dei est, vbi ergo est illa abstinentia in summo, ibi & continentia in summo, sed hoc in Virgine MARIA, ergo, &c. Præterea augmentat virtutem continentiæ abstinere, non solùm à rebus bonis, & licitis, sed etiam debitis, & quantò magis debitis, tantò maior continentia abstinere ab illis. Sed Beata Virgo abstinuit ab honoribus sibi debitis super

omnes. Vnde Elisabeth visitauit, & prima salutauit, vt minor, quæ tamen erat maxima: quia Mater Dei effecta, vnde ab alijs abstinuit, ergo, &c. Duodecimus est castitas, hæc secundùm Glos. est recte vti licitis. Apostolus. *Siue manducetis, siue bibatis, vel aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Omnes ergo actiones humanæ sunt referibiles ad Deum. Ille ergo perfectus in summo erit, qui omnes actus suos in Deum referet, & huiusmodi sic referre est vti. Vnde Magister sen. in 1. dist. 1. dicit, quòd vti est id quod in vsum venerit, referre ad id, quo fruendum est, scilicet, Deo, qui solus fruendus est. Sicut autem contingit referre differenter, ita contingit, vt differenter; nam viatores contingit referre in Deum omnia eos dico, qui sunt boni habitualiter. Sed Beata MARIA omnia semper actualiter referebat in Deum. Odilio Cluniacen. Vnum pro certo scimus, quòd omnis MARIÆ actio semper intenta fuit in Domino. Quòd autem nullus viator omnia semper retulerit in Deum patet, quia nullus potuit se abstinere ab omni veniali, & pro tunc non actualiter illud referebat in Deum, in quo peccabat etiam venialiter. Ipsa ergo sola semper vsa est licitis, ideo castissima fuit, ab eo saltem cauendum est, quod dicit Beatus Augustinus. Nihil peius, quàm vti fruendis, & frui vtendis. Vtitur fruendis, qui Deo seruit propter temporalia. Fruitur vtendis, qui finem vltimum ponit in creatura, & hoc propriè non est vti, sed abuti. Ex prædictis patet, quomodo fructus honoris, & honestatis produxit venter mentalis Virginis gloriosæ, fructus, scilicet, duodecim spiritus figuratos per duodecim filios Iacob, quibus benedictionem dedit ipse significans Deum. Et ideo benedictus fructus ventris tui.

§. II.

EST & alius ventris affectionalis viscerosæ compassionis fructus eius in conceptu zelus honoris diuini, & salus animarum. In parturiendo labor, & dolor pro huius exe
Galat. 4. cutione, scilicet, salutis aliorum. Vnde Apostolus. *Filioli, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis.* Hanc affectionem super omnes habuit Beatissima MARIA ad Dei honorem, & hominum salutem. Vnde & mater omnium dicitur, quos, scilicet, concepit per affectum dilectionis, & peperit per labores, & dolores in passione filij. Vnde mulier illa habens in capite coronam 12. stellarum, quod expositũ est, supra, de Virgine MARIA, & eius 12. singularibus gratijs, & priuilegijs, exponitur à Beato Bernardo, & Alberto, desi-
Apoc. 12. gnare Virginem MARIAM. Et ibi dicitur Apoc. 12. *Quòd habebat in vtero, & clamabat, vt pareret, & cruciabatur.* Draco autem ante mulierem stabat, vt deuoraret partum eius, sed non potuit. Nam cùm pareret masculum, subito *raptus est puer ante tronum Dei.* Concepit, vt dictum est, affectu eximio omnes electos Dei, signatos per masculum propter vnitatem eorum, & virilitatem. Clamauit desiderijs, & suspirijs, orationibus, & meritis, vt pareret, ita quod omnes veros fideles Diabolus Draco quærit quem deuorat. Sed electi cùm moriuntur, tunc nascuntur in cœlis, & statuuntur ante thronum diuinæ Maiestatis in gloria. Et draco vacuus, & confusus remanet. Vnde & viti assimilatur, cùm dicit. *Ego quasi vitis fructificaui*, similis enim fuit illo suo dicenti. *Ego sum vitis, & vos palmites*, scilicet, Apostoli, & cæteri fideles. *Qui manet in me*, scilicet, vnitus, *hic fert fructum multum* bonorum operum, producitur palmes à vite, vt filius producitur à patre. Vnde & ipse Iesus dicitur pater noster in Hymno. Præsta pater pijssime, patrique compar vnice, sic mater eius, vt vitis producit palmites sibi hærentes per deuotionem, vt mater omnium per imitationem. Et notandum, quòd sicut nulla arbor producit speciosiorem fructum vitæ, ita nulla est ita procliuis ad terram ex se, nisi per aliam eleuetur, sicut vitis. Nulla est ita turpis, & deiecta in trunco, vt ipsa ad designandum, quòd humilitas, quæ facit hominem procliuem ad terram ex vera sui recognitione, & deiectum, & vilem in conspectu aliorum secundùm apparentiam exteriorem, & ex se non ascendentem ad altum honorum, & digniratum, nisi ab alio eleuetur, produxit pretiosissimum fructum, scilicet, Dominum nostrum Iesum Christum, fructum copiosissimum perfectorum operum, fructum procurationis salutis hominum: *quia respexit humilitatem* (ait ipsa) *ancillæ suæ.* His fructibus electorum, quorum Beata MARIA dicitur vitis, & mater, datur benedictio à Domino, dum dicitur in Psalm. 113. *Benedixit omnibus, qui timent Dominum*, & demũ dicetur eis. *Venite benedicti patris mei, percipite Regnum vobis paratum.* Mat. 25. Benedictus ergo, & fructus iste ventris affectionalis Beatæ MARIÆ. Sciendum etiam secundùm Albertum, quòd in ista salutatione annunciatur Beatissimæ Virgini perfectissima beatitudo, & per ipsam, & in ipsa toti humano generi. Perfectio autem beatitudinis considerari potest, vel quantùm ad substantiam, vel quantùm ad causam, vel quantùm ad efficientiam. Si quantùm ad substantiam, vel est à malo exclusio, & hoc notatur in *Aue*, vel est ad bonum inductio, & hoc comprehenditur in *gratia plena*. Si attendatur quantùm ad causam, sic dicitur

Eccl. 24. Ioan. 15

Lucæ 1.

Psal. 113.

Domi-

Dominus tecum. Si quantùm ad efficiẽtiam, vel hæc est mediata, & sic est, *benedicta tu in mulieribus*, vel ex causa immediata, & sic est *benedictus fructus ventris tui.*

De Visitatione Beatæ MARIÆ facta Elisabeth. Cap. 27.

EXurgens MARIA abijt in montana Iudeæ cum festinatione. Lucæ 1. In sacra scriptura dicitur quis exurgere tripliciter. Primò enim dicitur exurgere quis à somno culpæ. Aliquando dicitur exurgere pœnitens in spe veniæ. Tertio modo dicitur exurgere ad profectum gratiæ. Peccatori enim dicitur quod ait Apostolus Eph. 5. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* In peccatis permanens dicitur dormire: quia sicut in somno dormiẽs nil meritorij operis agit, quia vsus liberi arbitrij est ligatus, ita peccator in tali statu, quòd opus agat de genere bonorum, nihil meretur ad vitam æternam valens. Et sicut dormienti in somnis videtur sibi aliquando habere multas diuitias, & delitias, & in eis gaudere, sed euigilans se illis vacuum videt, & quasi illusum, vnde contristatur. Ita peccatori videtur ista bona mundi tenere, & possidere, & dum sperat se in eis permanere in morte, quasi euigilat, & tunc cernit illa fallacia fuisse, & transitoria, & eis carere, seu ea dimittere per mortem afligitur, & nimis dolet. Psalm. 75. *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Cùm autem peccator reuertitur ad pœnitentiam, dicitur sedere per humiliationem sui. Nam & de more loquendi est, cũ quis humiliatur, dicitur positus ad sedendum. Vnde Christus per Psalm. 138. humiliationem suæ passionis vocat sessionem, dum ait. *Tu cognouisti sessionem meam,* id est, approbasti, & gratam habuisti humiliationem meam. Tali igitur humiliato in pœnitentia, vnde & sedenti dicitur, vt surgat, scilicet sperando veniam peccatorum, & adiutorium gratiæ ad benè agendum. Nam vt ait Beatus Ambrosius de pœniten. distin. 1. nemo 2. Nemo dignè potest agere pœnitentiam, nisi qui sperauerit veniam. Talibus igitur pœnitentibus dicit Psalm. 126. *Surgite, postquam sederitis, qui manducatis panem doloris,* id est, vos, qui pascimini dolore, & lachrymis compunctionis, *postquam sederitis*, id est, humiliaueritis vos, *surgite* ad spem veniæ. Proficientibus quoque, & perfectis dicitur. Surgite, & ite, quia non habetis hic requiem, dicit Propheta. Surgite affectu ad patriam supernam, contemplando, & desiderando superna, & ad ipsa festinando, & isto modo loquitur Spiritus Sanctus animæ à Deo dilectæ. *Surge propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. Iam enim hyems transijt, imber abijt, & recessit flores apparuerunt in terra nostra, &c.* Vt surgat, dicitur ad contemplationem, & amorem supernorum, & perfectionem virtutum. Amicam vocat animam propter charitatem, quæ est amicitia vera Dei cum homine, columba mea propter simplicitatem: quia columba fel malitiæ non habet, formosa mea propter morum honestatem, propera ait: quia nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia, id est, non permittit tardare ad benè operãdum. Et subdit rationem aptitudinis ad istum processum ad superna: quia iam transijt hyems frigida peccatorum, quæ deleta sunt. Imber abundans passionum, & tentationum recessit, non ita frequenter molestant, flores sanctorum desideriorum manifestantur in terra viuentium. Tempus putationis aduenit, scilicet, resecandi superflua, &c. Et isto tertio modo surrexit MARIA, cùm dicitur. *Exurgens MARIA abijt cum festinatione in montana Iudeæ.* Sunt autem tria montana, quæ transiuit MARIA. Primus mons veræ humilitatis. Secundus mons fraternæ charitatis. Tertius mons supernæ contemplationis iucunditatis.

Luc. 1.

Psal. 75.

Psal. 138

Psal. 126

Cant. 2.

§. I.

QVantùm ad primum, id est, de vera humilitate potest exponi illud Genes. 19. dictum Loth. *In monte saluum te fac.* Nam vt ait Gratian. de pœn. dist. 1. §. taciturnitas. Sine humilitate nemini potest esse salus. Dicitur autem humilitas, & vallis, & mons diuersis respectibus. Nam vallis dicitur, quæ est in imo: quia per eam habetur vera cognitio propriæ vilitatis, quoniam puluis, & cinis infructuosus. Est enim humilitas (ait Beatus Bernardus) virtus qua homo verissima suijpsius cognitione sibi vilescit. Et secundùm hoc dicit. Psalm. Emittis, scilicet, tu Deus fontes, videlicet gratiarum in conuallibus, id est, mentibus humilium. Mons verò dicitur humilitas in quantùm per eam eleuatur mens ad cognitionem Dei, & aliarum virtutum, & demum exaltatur in cœlũ: quia, *qui se humiliat, exaltabitur*, ait Dominus Iesus Mat. 23. Et secundùm hoc Ansel. in lib. de similitudinibus vocat eam, & assimilat monti, ad quem ascenditur septem gradibus, de quibus habes, supra in cap. de humilitate. Sed vt breuiùs loquamur, Gloss. super illud Matth. 3. *Sic decet nos implere omnem iustitiam*, dicit, id est, perfectissimam humilitatem, cuius gradus sunt tres, scilicet, subijcere se superiori, quod est necessarium ad salutem. Secundus subijcere se æquali, quod est humanum, & quietum. Tertius subijcere se inferiori,

Gen. 19.

Matt. 23

Matt. 13

riori, quod est exemplum perfectissimum, sicut fecit Iesus petens, & suscipiens baptismum à Ioanne Baptista, Rex à milite, Dominus à seruo, sanctificator à sanctificato, & postea etiam lauans pedes discipulorum. Per hunc montem exurgens MARIA abijt in montana Iudeæ, quæ interpretatur confessio: quia per hanc homo nihil sibi attribuit, & totum Deum esse confitetur, quando visitauit Elisabeth, humiliauit se inferiori, pergens Regina ad vassallam, Domina ad ancillam, Mater Domini Dei ad matrem seruuli, quod intelligens Elisabeth visitata, & à Spiritus Sancto edocta ait. Vnde hoc mihi, vt Mater Domini mei veniat ad me? quasi dicat, non est hoc decens, sed potius, quòd ego venirem ad te, Dominam meam, & Matrem Domini mei Et non solùm iuit, sed & prior salutauit, & non solùm salutauit, sed cum ea tribus mensibus stetit, vt in partu tunc futuro ei seruiret. Et quis vnquam audiuit talia, vt Regina maximi Domini grauida pergat ad seruam suam administrandum ei in partu eius? Vnde exemplo eius debent homines etiam inferioribus suis humiliari, & seruire aliquando.

A

B

§. II.

SEcundus est mons charitatis, qua quis confitetur Deum, & ideo mons Iudeæ summè bonum, & sibi munificentissimum. Hic est mons *in quo beneplacitum est Deo habitare in eo. Etenim Dominus habitabit in finem*, in Psalm. 67. *Nos enim sumus* (ait Apostolus) *in quos fines seculorum deuenerunt.* Et in isto seculi fine propter nimiam charitatem, qua dilexit nos Deus, *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Et de monte exiuit lex Euangelica, vt prædixerat Isaias, quæ est lex charitatis, Christo cum Apostolis recumbente cum discipulis suis in monte Sion, & dicente: *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem* Et ad hanc, vt ad finem reducit lex Decalogi data in monte Synai, vt mons altissimus ipsa charitas eleuans nos super Cherubim, & Seraphim, & cum Deo vniens Habet enim amor vim vnitiuam, inquit, Dionys. quod & ipsum nomen insinuat. Charitas dicitur, quasi chara vnitas, nec aliqua vnitas creaturæ est charior ea, nec pretiosior. Habet & iste mons gradus suos quibus ascenditur ad summum eius. Primus est incipientium, quorum officium est tentationibus resistere viriliter, ac à criminalibus abstinere. Secundus proficientium, quorum exercitium est non solũ vitia euitare, sed ascensiones in corde suo disponere in valle lachrymarum huius vitæ, vt in statu virtutum in quo est, non quiescere, sed in anteriora se extendere, & perfectoria opera Nam secundùm Beatum Bernardum in via Dei non progredi est regredi. In cuius figura illa animalia de quibus loquitur Ezechiel in prima sua visione, sanctos designantia (vt exponit Beatus Gregorius) dicit, *quòd cum ambularent, non reuertebantur, sed vnum quodque ante faciem suam gradiebatur.* Ezech. 1. Tertius gradus est Deo inhærere feruentissimo amore, vt cum Psalmista 41. dicat. *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus, &c.* Et cum Apostolo Philip. 1. *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* Et ne videatur proximum non curare, cum eodem ad Roman. 9 dicere. *Optabam ego anathema esse à Christo pro fratribus meis* Quod tamen sanè intelligendum est. Non enim optabat separari à charitate Christi propter salutem proximorum. Anathema enim separationem importat: quia hoc fuisset contra ordinem charitatis, sed optabat, & opere agebat, vt ad tempus separaretur à consolationibus, & quasi fruitione Christi ex dulcibus contemplationibus eius, eas dimittendo frequenter, vt conuersioni, & saluti animarum insisteret prædicando, & discurrendo. De ipsius gradibus charitatis dicit Beatus Augustinus de pœnit. dist. 2. si quis Charitas, cum fuerit nata, nutritur, cùm fuerit nutrita, roboratur, cùm fuerit roborata perficitur, cùm fuerit perfecta, quid dicit: *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.* De his gradibus habes in tit. de charitate. Per montem istum exurgens MARIA abijt visitando Elisabeth, vt mutuis affatibus adinuicem consolarentur, vt à verecundiæ pœna Elisabeth subleuaret. Erubescebat enim, vt dicit Euangelista se grauidam reperiri in senectute, & carnalibus actibus operam dedisse, & ideo occultabat se. Et confortata ex verbis Beatæ Virginis, quæ priùs verecundabatur esse grauida, postea in Domino gloriabatur se Prophetam edidisse. Venit, vt & de bonis, & donis collatis sibi à Domino, vt ei reuelatis fœcunditatis suæ ei congauderet. Venit, vt filius suus Ioannes in vtero sanctificaretur, & iam filij sui Iesu Christi Propheta institueretur, & ipsa prophetissa efficeretur. Nam post Elisabeth per spiritum prophetiæ ostendit sibi nomen quod erat omnibus occultum, scilicet, Virginem Dei Matrem effectam. De filij sui profectu ait. *Vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in vtero meo.* Creditur tunc Ioannem, qui sex menses habebat, in vtero matris acceleratum obtinuisse vsum liberi arbitrij, iuxta illud Ecclesiæ. Acceleratur ratio in paruulo nondum nato instinctu sacri pneumatis, & tunc sanctificatum fuisse, purgatum, scilicet, ab originali, & Dei gratia repletum, vt prædixerat patri Archangelus

C

D

Ezech. 1.

Psal. 41.

Philip. 1.

Rom. 9.

Philip. 1.

Psal. 67.

Ioan. 1.

Ioan. 13.

in

in templo Dei, & cognouisse Saluatoris sui in vtero Virginis existentis aduentum, & ideo exultauit modo nobis ignoto in vtero. Et quod voce non poterat, nondum natus opere exultationis, vt Propheta Christum demonstrauit.

§. III.

TErtius mons est contemplationis, in qua reperitur maxima iucunditas, de quo
Isai. 25. Dominus per Isaiam 25. *Et facit Dominus in monte hoc*, scilicet contemplationis diuinorum, *conuiuium pinguium, conuiuium medullatorum*, idest refectionem spiritualem plenam iucunditate, & delectatione. Et figuratur mons iste per montem Thabor, ad cuius summitatem ducens Iesus Petrum, Iacobum, & Ioannem, *transfiguratus est ante eos*,
Mat. 17. ostendens aliqualiter gloriam suam. Ex cuius visionis suauitate inebriatus Petrus ait. *Domine bonum est nos hic esse*. Ad huiusmodi ascensum oportet ducere Petrum, qui interpretatur discalciatus. Iacobum, qui interpretatur supplantatus, & Ioannem, in quo est gratia, interpretatus, id est, mundi contemptum diaboli tentationem, & carnis castimoniam gratiosam. Et hanc contemplationem ascendit mens humana vsque ad exercitium patriæ supernæ,
Isai. 51. de qua Isaias 51. *Gaudium, & lætitia inuenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis.* Per hunc montem contemplationis trãsiuit Beata Virgo, in qua est confessio laudis diuinæ, & gratiarum actionis, & summum gaudium, quando postquam intrans domum Zachariæ salutabat Elisabeth, ipsa quoque Elisabeth repleta Spiritu sancto cũ filio ipsam Matrem Domini cognoscens mirabiliter collaudauit. Vnde in altissimam contemplationem diuinorum ascendens, & summo gaudio repleta, Canticum canticorum intonuit dicens. *Magnificat anima*
Luca 1. *mea Dominum*, &c. Vbi magnitudinem diuinę maiestatis contemplans exultauit in Domino. Vbi sciendum, vt notat per totum Dominus Ioannes Dominici, Cardin. super Magnificat, circa principium. Causa materialis gaudij est vox laudis ex lætitia cordis proueniens, vt dicit Isidorus in libro Etymo. Et notandum, quòd canticorum quædam sunt obumbratica, quædam figurata, quædam iubilata. Prima sunt omnia cantica veteris testamenti, quia *omnia in figuram*
1. *Cor.* 10 *contingebant illis*, 1. Corinth. 10. Secunda sunt omnia cantica noui testamenti, quia nunc nox præcessit, dies autem appropinquauit. Sunt autem non solùm figurata per cantica veteris testamenti, sed etiam ista cantica, quodammodo figurant cantica vitæ æternæ. Est enim secundùm Dionysium status noui testamenti medium inter statum veteris testamenti, qui erat solum figuratiuus, & statum patriæ, vbi nihil figuræ, sed omnia in luce clarescunt. Nam in nouo testamento & exhibetur res figurata per vetus testamentum, & est etiam figuratiua eorum, quæ sunt in patria. Tertia autem cantica sunt ea, quæ cantantur in vita æterna, de quibus scribitur in Apocalip. quòd cantabant Sancti *canti-* *Apoc.* 5. *cum nouum ante sedem Dei, & Ag.* 1. Item canticorum alia sunt cantica solum, alia sunt cantica canticorum, & in veteri testamento notum est. In nouo cantica tria sunt, scilicet, *Benedictus*, & *Nunc dimittis*, tertium est, *Gloria in excelsis*, quod est Cantiscum canticorum. *Luca* 1. Et cantica quidem sunt de victorijs, sed Cantica canticorum de præmijs. Cantica veteris testamenti subordinantur Canticis noui testamenti figuraliter, quod intuẽti satis lucide patet. Nam omnia illa cantica composita sunt pro gratiarum actione, aut ex hostium prostratione, sicut *Cantemus Domino gloriosè*, &c. Exod. 15 *Exod.* 15 & quædam alia, aut pro quadam liberatione, vt illud Ezechi. *Ego dixi in dimidio*, &c. Isai. 38. Aut pro donorum receptione, vt *Isai.* 38. illud Annæ *Exultauit cor meum in Domino* *1. Reg.* 2. &c. 1. Reg. 2. Et quia vera victoria patuit Domino duce nato, ideo eius milites Angelicecinerunt, *Gloria in excelsis Deo*. Impetrata autem libertate sui, & populi Zacharias cecinit. *Benedictus Dominus Deus Israel.* Cùm autem Simeon donum maximum in vlnis suscepit, & ipse canticum cecinit: *Nũc dimittis*. Cantica autem canticorum Salomonis subordinantur huic Cantico canticorum virginis, scilicet: *Magnificat*. Et vt docet egregius Origen. super Cantica canticorum, non statim à principio sunt cantata Cantica canticorum, sed priùs Ægypto calcata, & mari rubro transmisso, hosteque prostrato cantatum est: *Cantemus Domino gloriosè*, &c. Sed nondum ventum est ad Canticum canticorum. Notandum igitur, quòd sicut illa Cantica canticorum Salomonis sex famosa cantica præcesserunt sex gradus significantia, quibus ad Cantica canticorum mens potest ascendere humana. Sic sex actus famosos huic Cantico canticorum Virginis scripta circa virginem almam describit Euãgelista, vt euidẽter eluceat, quòd illa isti, vt vmbra deseruiunt. Præcessit primò Canticum Moysi, Exod. 15. *Cantemus Domino*, *Exod.* 15. &c. significans libertatem peccatorum, id est à peccatis. Secundò Canticum populi Israel. *Ascendit puteus*, &c. Num. 21. Et *Num.* 21 notat largitatem gratiarum, vel donorum. Tertiò Canticum Deboræ. *Qui sponte obtulistis animas vestras*, &c. Iudith 5. Et insi- *Iudith.* 5. nuat obedientiam subditorum. Quartò Cãticum aliud Moysi illud. *Audite cœli, quæ loquor*, Deut. 32. & demonstrat instructionem *Deu.* 32. di-

diuinorũ eloquiorũ. Quintò Cãticum Annæ illud, *Exultauit cor meum*, & figurat vbertatem gratuitorum Sextò Canticum quodlibet Dauid in Psalmi, quod figurat venustatem, & varietatem dulcium sonorum, id est, gaudiorũ mẽtiũ. Post quod sequitur, Cãticũ canticorum Salomonis. Ergo Virginem sacram describit Euangelista cantatricem à vitijs denudatam, primò dicens *Aue*, id est, sine væ gratijs fœcũdatam, cùm subdit *gratia plena*, Dei solius imperio subingatam, cùm subinfert, *Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*, quasi dicat, mulieres cæteræ sub viri potestate sunt, tu soli Domino, qui est tecum, diuinis eloquijs illustratam, quãdo cogitabat, qualis esset ista salutatio, rumi nans Scripturas, & iterum quærens, quomodo fiet istud tãti filij delicijs imprægnatam, quia inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto, modulatis gaudijs prædotatam, cùm intrans domum Zachariæ, & salutans Elisabeth, auditis ab ea laudibus suis totũ à Deo recognoscẽs, & ad montem contemplationis, & diuinę laudis ascendẽs, ait. *Magnificat anima mea Dominum*. Et aduerte fideliter, quia quicquid in illis obumbratis Canticis canticorum petitur, aut factum esse describitur, totum hic lucidè habitum insinuatur. Nam ibi petitur osculum. *Osculetur me* inquit, *osculo*, *&c.* Hìc habetur coniunctio, scilicet diuinæ naturæ, cum humana. Ibi postulabatur tractio. *Trahe me*, inquit, &c. Hìc habetur discursio: nam MARIA pergit cum filio in vtero ad Elisabeth. Ibi quæritur locus pastus, & accubitus, hìc habetur cubans in aluo pastus alimentis Virginis. Ibi videbatur longè saliens in montibus, hic festinãter in montana ducitur realiter. Ibi quærebatur in lectulo, & non reperiebatur, hìc clauditur in corpusculo, & prædicatur mater. Ibi vocabatur dilectus, vt descendat, hic humanatur, vt se ostendat. Ibi conuersio eius ad humanam naturam sperabatur, vt iam facta denominatur. Ibi natus factus petebatur ad oscula, & amplexus, hìc incarnatus alitur vt pariatur, & detur omnibus eius desiderãtibus amplexus. Et sic lege omnia Cantica canticorum Salomonis, & quod ibi reperis obumbratum, in virgine videbis sub carne reuelatum. Et quia dicebatur, quòd hoc pretiosum Canticum canticorum, scilicet, Magnificat, subordinatur Canticis vitæ æternæ. Sciendum, quòd primus gradus & summus beatitudinis est visio ipsa diuinitatis, ex qua tamquam ex fonte omnis alius gradus beatitudinis accidentaliter dematuatur, vt noster sanctus Doctor in 4. sent. distinct. 49. In qua visione super extrema anima rapta mox magnificat Deum, vt primus versus insinuat. Et quia tanti boni visio sine immẽso gaudio esse non potest, statim exultat spiritus *in Deo salutari* suo, vt dicit secundus versus. In hoc autem lumine, & gaudio anima seipsam cognoscit, & videt se illa tanta gloria indignam, & sic fatetur se humilem ancillam, vt tertius versus sonat. Hinc comparat præmia, præmiatum ad præmiantem. Et addit: *Quia fecit mihi magna*, mihi indigno magna præmia, & præmians potens est, vt habetur in quarto versu. Inde verò perspicit non ex meritis humilitatis, sed ex mera misericordia omnes beatos beatitudinem consecutos, & dicit in quinto versu. *Et misericordia eius à progenie in progenies*, *&c.* Postmodum de ipsa improportionata proportione, scilicet, præmij, & præmiatæ animæ differens, cùm anima habeat vltra id, quod de sui natura consequi potest, fatetur id euenire ex mera Dei potẽtia, dicens in sexto versu. *Fecit potentiam in brachio suo.* Sed ipsa potentissima manu intuetur æquissimã iustitiam malos meritò punientem, & dicit. *Dispersit superbos mente cordis sui.* Et quoniam non est parua portio illius summæ felicitatis, societas beatorum repleta ad super abundantiam, & inebriata ab vbertate domus Dei ipsos intuetur, & ait in versu septimo. *Esurientes impleuit bonis*, *&c.* Quoniam verò ista esuries non est in patria, sed fuit in via, ibi intuetur promissiones factas sub dupliei testamento, testante, Psalm. 47. *Sicut audimus, sic vidimus*. Exultaque in tali prospectu, iuxta illud Cant. 1. *Exultabimus, & lætabimur in te memores vberum tuorum*, id est, testamentorum. Et sicut sunt duo testamenta, sic submittit duos versus, scilicet, *Suscepit Israel puerum suum*, *& sicut locutus est* pro nouo testamento. Sicque igitur Canticum canticorum istud, scilicet, Magnificat, omnia cantica continet paradisi, vbi effectualiter sine cessatione cantatur canticum nouum, Magnificat, secundùm illud Psalmi 149. *Cantate Domino canticum nouum, laus eius in Ecclesia sanctorum.* Quod canticum dicitur nouum nouitate vniuersitatis, quia factum à matre omnium & Domina illud Magnificat. Nouitate potestatis, quia nunquam visa est tanta potestas. *Nouum faciet Dominus super terram*, *&c.* Nouitate iucunditatis, nullum canticum cantatur in Ecclesia tanta iucunditate, & solemnitate, sicut Magnificat. Si ergo exurgens MARIA ab omnibus terrenis abijt in montana confessionis diuinæ, hoc enim interpretatur Iudæa, vt dictum est, in cœlestibus iucundissimè contemplans diuina.

Et in hoc monte iucundo contemplationis sita ait. *Magnificat anima*, *&c.* Hæc omnia Ioannes Dominici.

1. Reg. 2.

Cant. 1.

Psal. 47.

Cant. 1.

Psal. 148.

De

De Cantico Beatæ MARIÆ Virginis, in quo aliqua dicuntur magna tripliciter. Cap. 28.

Magnificat anima mea Dominum, &c. Beatissima MARIA ex principio huius Cantici allicit animos omnium, vt audire inclinentur, quæ cantat, præmittens, *Magnificat*, id est, magna Dei prædicat. Sic & sapientia cunctos ad se congregare cupiens de summis excelsisque virtutibus, inquit, Prouerb. 8. *O viri ad vos clamito. Vox mea ad filios hominum*, & sequitur, *quoniam de rebus magnis locutura sum.* Vbi est breuiter notandum, quòd aliqua dicuntur magna tripliciter. Primò priuatione, & hæc sunt expulsiua. Secundò æstimatione, & hæc sunt dubitatiua. Tertiò vera perfectione, & hæc sũt attractiua. Magna priuatione sunt vitia, & peccata. Vnde 2. Esdr. 7. dicitur: *Sumus in magno peccato vsque in diem hanc.* Et dicũtur magna peccata, quia priuant magnis bonis, scilicet, gratia Dei, & gloria. Et horum magna spiritu diabolico cantica componunt Poetæ, Comœdias, Tragœdias, & Satyras obscænas, quorum mundus hodie est plenus, & quæ sunt de se fugitiua, videntur allectiua, cùm hodie vulgus à veritate aures auertant Scripturarum, & ad fabulas conuertantur, quibus potest inuehi illud Christi. Ioan. 8. Ioan. 8. *Propterea vos non auditis magnalia Dei, quia ex Deo non estis. Sed ex patre diabolo.* Magna æstimatione dicuntur diuitiæ, & huiusmodi temporalia de quibus Prouer. Prou. 25 15. dicitur: *Thesauri magni, & insatiabiles*, quæ tamen in rei veritate modica sunt, Eccles. 1 & quasi nihil: Eccles. 1. *Omnia vanitas*, & horum vsus malus multa bona aufert, quia difficile est, immo impossibile diuitem intrare *in regnum cœlorum*, Matt. 19. Matt. 19. Intelligendo de illis diuitibus, qui ponunt finem in eis, & abutuntur eis. Sed bonus vsus eorum magna bona acquirit, iuxta illud Luc. 16. *Facite vobis amicos de mãmona iniquitatis.* Horum cantica componũt auaritiæ dediti, quæ est idolorum seruitus. Horum scholæ sunt plenæ, ita vt dicatur per Ieremiam Prophetam. Ierem. 6. *A maiori vsque ad minorem.* A Sacerdote vsque ad Leuitam, *omnes auaritiæ student*, sed fallaces eas appellat Saluator, quia promittunt lætitiam, & parant tristitiam. Veræ autem res magnæ sunt, quia magnis conceduntur. Hæ res sunt magnæ, maiores, & maximæ. Magnæ res sunt virtutes, & dona, quæ hic habentur. Maiores sunt virtutes, quæ habentur in patria. Maximæ verò Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Maximę, dico personę, De rebus magnis, & maioribus dicit Apostolus 1. Corinth. 13. 1. Cor. 13 *Nunc manent fides, spes, charitas, tria hæc. Maior autem horum est charitas.* Ecce, quòd charitas est maior illis, ergo & fides, & spes magnę res sunt, quia omne comparatiuum præsupponit suum positiuum. Charitas autem, quæ ibi describitur, quæ nunquam excedit est charitas patriæ, & hæc maior dicitur, scilicet, virtutibus, quæ habentur in via. Deus autem est maximus, & habetur ipse à nobis per gratiam, vel gloriam est maximum donum: vnde Apostolus Petrus Epistola 2. c. 1. ait. *Vocauit nos propria virtute, per quam maxima, & pretiosa nobis donauit promissa, vt per hæc efficiamur diuinæ naturæ consortes*: quia ergo inserta est mentibus hominum veri, summique boni cupiditas, vt ait Boe. de Phisica consol. Bonũ cognitum mentem trahit. Magnum bonum, magnè trahit, maius bonum magis trahit, sed maximum bonum, maximè trahit. Vt ergo Virgo sancta ad scholas suas omnes traheret, dimissis peccatis, & fabulis spretis mundanis tradere promittit de maximis delitijs, & ait *Magnificat anima mea Dominum*, Psalm. 108. *Magnificabo eum nimis in ore meo.* Et in alio Psalm. 70. *Repleatur os meum laude, vt cãtem totâ die magnitudinem tuam.* In quo versu primo tria possunt considerari circa illud Canticum canticorum. Primò, causa materialis aliàs subiectiua, Magnificat. Secundò, causa actualis, & effectiua, anima mea. Tertiò, causa finalis, & obiectiua, Dominum.

2. Esd. 7.

Proue. 8.

2. Petr. 1

Psa. 108.

Psal. 70.

§. I.

Quantùm ad primum materia huius cãtici est tradere magnalia Dei, vnde dicit, *Magnificat*. Vnde notandum, quòd sicut omnium rerum constantium determinata est magnitudo, & quantitas, teste Philosopho in 3. & 4. Phisicorum, sic omnis creatæ naturæ est determinata potentia, cùm solius Dei dicatur potentia infinita. Cùm igitur humanus intellectus dicatur, & sit aliqua creatura, nulli dubium est, quin eius potentia sit finita, & limitata, ita vt supra se ascendere non possit, nisi diuino lumine superiori ductus, dicente Psalm. 35. *In lumine tuo videbimus lumen.* Tria autem sunt, quæ intellectui nostro obijci possunt. Primò, vilia, & mechanica. Secundò, media, & Physica. Tertiò, præmia, & Theologica. Et per vsum quidem, & occupationem mechanicorum, vt est textoria, & cementaria, & huiusmodi virtus intellectiua hebetatur, vt experientia notum est. Vnde & dicuntur mechanicæ artes à mechor mecharis, secũdùm Albertum, quia intellectus, quasi mechatur, & degenerat à sua nobilitate, cùm magis sit inclinatus ad naturalia, & digniora. Vnde qui diutius se dederunt huiusmodi mechanicis, etiam subtilibus, & ingeniosis, vt picturæ, sculpturę, & huiusmodi speculatiuis, magis inepti sunt. Media verò, id est, ipsorum naturaliũ con-

Isai. 7.

consideratio, & iugis speculatio magis iuuat intellectuam, quia versatur circa proprium obiectum, quod est veritas abstracta à materia: Sed istorum naturalium speculatio est duplex. Vna est, quæ consistit in ipsis rebus, qualis vocatur scientia naturalis, quæ speculatur cursus stellarum, herbarum vires, naturas animalium, & huiusmodi. Et hæc est imperfecta, & minus virtuosũ reddit intellectũ Secunda est, quæ rerum fines, & causas inuestigat pro posse, scilicet, à quo res ipsæ sunt, & ad qué finem vltimum factæ sunt, & qué repræsentant, præloquuntur. Et ista est vera philosophia naturalis secundùm descriptionem etiam ipsius Philosophi 1. physicorum in principio, ad quam tamen speculationem ipse non deuenit, propter quod vocatur Metaphysica, vel Theologia: licet propriè sit naturalis, quia *inuisibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciũtur. Sempiterna quoque virtus, ac diuinitas*, ad Romanos 1. Quia via, nullo alio lumine illustrati antiqui Philosophi venerunt in cognitionem ipsius Dei, vt ostendit diuus Augustinus, in 8. de Ciuit. Dei. Et hinc est quòd Deum esse dicitur per se notum, neque contineri sub articulis fidei, quia in lumine naturali demonstratur Deum esse, vt optimè probat Doctor noster sanctus Tho. de Aquino, in primo contra Gentiles. Hæc speculatio iuuat intellectum non parum, dicente, Psalm. 118. *Mirabilia testimonia tua &c.* Sed aliqua, & tertia obijciuntur intellectui, quæ voco præmia, & Theologica, sub quo membro intelligo omnia, quæ naturali lumine intelligi non possunt, vt est æterna fœlicitas, quam *nec oculus vidit, nec auris audiuit, &c.* Simplicia æterna Trinitas personarum. *Iudicia Dei, quæ incomprehensibilia sunt*, vt dicit Apostolus. Mysterium Incarnationis, & alia huiusmodi, quæ fidei tãtùm subduntur, & hæc sunt, quæ maximè intellectum perficiũt, intantum vt dicat Spiritus sanctus per os Isai 7. *Nisi credideritis non intelligetis*. Hæc sunt, quæ summo studio, & vigilantia attendenda sunt, & audiẽda. Et de his cantrix nostra perfectè loqui, & docere promittit, dicẽs. *Magnificat anima mea Dominum*, quasi diceret, Dominũ dictura, & doctura est anima mea. Hæc sunt illa magna, quibus premi metuebat ille sapientissimus Iob dicens cap. 23. *Nolo, multa fortitudine contendat mecum, neque magnitudini suæ mole me premat. Est magnus in fortitudine, & iudicio, & iustitia, & enarrari non potest*: ait idem cap. 39. Et tamen tantam audaciam tribuit ei Spiritus sanctus, vt hæc Virgo parunla puella audeat enarrare, & magnificare, & spretis mechanicis vilibus, & naturalibus medijs insistit Theologis summis. Sed nec mirum, Virgo sancta, si magna loqueris de Deo, *quia iam magnus in medio tui sanctus Israel*. Isai. 12. Sed hæc pars, qua dicit magnificare se Dominum, est admiratiua, & disputabilis. Nam scimus, quòd *magnus Dominus, & laudabilis nimis & magnitudinis eius non est finis*: Vnde dicitur Eccles. 43. *Terribilis Dominus, & magnus vehementer, & mirabilis potentia eius, glorificantes eum, & exaltate illum, quantum potestis, superualebit adhuc, & admirabilis magnificentia eius*. Ex quibus verbis videtur, quòd nec magnificari possit, nec vt magnus est, enarrari. Vnde ergo Virgo sancta se Dominum magnificare tam audacter profitetur, cùm ipsa potiùs videatur minoraſſe, quia quem cœli capere non poterãt in suo corpusculo comprehendit. Pro quo sciendum, quòd est triplex magnitudo. Prima intensiua, & virtualis. Secunda extensiua temporum, & localis. Tertia diutisiua, & corporalis. De prima magnitudine dicitur in Psalm. 146. *Magnus Dominus, & magna virtus eius*, & secundùm hanc Dominus dicitur infinitus, quia infinita essentia, infinita bonitas, infinita sapientia, infinita charitas, & quicquid benè dici potest de Deo, cum infinito dici debet, nec tamen illud etiã quicquid sit exprimitur. Et quia infinito nihil addi potest, Deus sic essentialiter magnificari non potest. Et ad istum sensum prædicta verba Eccles. dicuntur, tamen istæ virtutes Dei diminutæ apprehendebantur à paucis, quas Virgo præfata magnificentiùs expressit, si quis verba eius diligenter attendit. Et immo etiam isto modo aliqualiter dicitur: *Magnificat anima mea Dominum*. Secundò, dicitur aliqua magnitudo extensiua loco, vel tempore, sicut dicitur tempus magnum, annus, mensis, vel dies, & hoc, scilicet, quia per magnum spatium temporis durat. Et locus dicitur magnus, quia multum spatium occupat, vt in Psalm. 103. *Hoc mare magnum, & spatiosum*. In hac duplici magnitudine dicere potest Virgo sancta illud *Magnificat*. Nam iam venerat magnitudo temporis, & omnia temporanea, & sub tempore, lausque diuina in terris sub magno silentio latebãt. Vt enim ait deuotus beatus Bernardus, in quodam sermone de Aduentu. Angelus non loquebatur amplius homini, Patriarcha defecerat, deerat Prophe ta, Sacerdos auaritiæ studebat, Dux non inueniebatur, quando venit Dominus intantum, vt diabolus auderet Domino dicere, *omnia Regna* mundi esse sua, Matth. 4. Et ipse Dei filius cùm iam prædicare cœpisset, ait se non habere, *vbi caput suum reclinaret*, erat enim Dominus non solùm paruulus, sed fere nullus in conspectu, & conuentu huiusmodi, quia defecerat laus eius, quasi totaliter laudabantur idola, nõ verus Deus. Hãc verò,

Romã. 1.

Psal. 118.

1. *Cor.* 2.

Isai. 7.

Iob 23.

Iob 39.

Isai. 12.

Psal. 144 *Eccles.* 43.

Psal. 1

Psal. 106

Matth. 4

Matth. 8

verò, quasi extinctam alma Virgo resuscitãs primò sub nouo testamento cantico, & vocali laude Dei sic magnificat Dominũ, quasi dicat. Magnificate Dominum in æternum, vt quilibet amplius dicat, semper laus eius in ore meo. Magnificat etiam localiter. Nã olim notus in Iudæa Deus, in Israel magnũ nomen eius. Sola enim Synagoga in terris diuinas laudes vtcumque decantabat. In alijs enim regionibus mundi idola, & dæmones colebantur, & ipsa laudibus efferebãtur. At vbi per eos Virginis diuina laus insonuit, cœpit per alia loca diuulgari, & cõmunicari in eius figura, nõ in sua ciuitate, secundùm peregrina in montanis existens laudare cœpit, & peregrinari, quia magnificentia eius peregrinari debebat, & extra Iudæam effundi. Laus enim eius ab extremis terræ. Tertio modo magnitudo est sensitiua, & corporalis, sicut dicitur magnus homo, qui est magnæ staturæ, & huiusmodi. A seculo nõ est auditum, neque intellectum, quòd Dominus isto modo potuit magnificari, & tamen Dominus Deus factus est paruus, *sine manibus* humani seminis *abscissus*, & demum *creuit in montem magnum*, Dan. 2. Dic ergo Virgo benedicta, factor meus factus est paruulus, filius meus clausus est in visceribus meis. Crescit, & magnificatur, & magnus efficitur alimentis meis nutritus. Cùm magnifico, id est magnum facio, donec per partum requiescat in vlnis meis, tunc etiam illum pascens lacte pectoris mei faciam illum magnum, donec magnus vir sit aptus ad magnum sacrificium verum. Ergo intellige post multa. *Magnificat anima mea Dominum, &c.*

Dan. 2.

§. II.

SEcunda causa huius cantici, scilicet, actualis, & effectiua notatur, cùm dicitur, *anima mea*, vbi canticum illud describitur. Primò, suauitate dulcis armoniæ. Secundò, serenitate lucis Theologiæ. Tertiò, integritate nudatæ theoriæ. Et per hæc omnia trahit ad auiditatem talis melodiæ. Ad sentiẽdum tamen, quod dictum est, excitandæ sunt, & aperiendæ aures cordis, & non corporis tantùm, vt enim ait Beatus Gregorius in homilia super illud, Lucæ 8. *Si quis habet aures audiendi audiat.* Sunt aliæ aures, quàm corporales quibus anima vtitur. Vbi ergo anima loquitur, animæ exigitur auditus, quia tales potentiæ requiruntur, qualia sunt obiecta capienda: *Omne enim simile ad suum simile inclinatur* Eccles. 13. Et impossibile est non corpus corpore moueri, vt dicitur in libro sex principiorum. Volens igitur alma ista cantatrix docere, quibus auribus opus sit ad percipiendum quod dicitur, dixit causam instrumentaliter agentẽ huius cantici fore animam, vt anima se paret ad id, quod naturali etiam voce exprimitur, quia ex abũdantia cordis os loquitur. Hinc est, quòd plerumque huius cantus suauitas non percipitur, quia ad Deum audiendum, & intelligẽdum solæ corporeæ aures aperiuntur, & interiores clauduntur. Audi ergo ò anima, quia anima loquitur. *Magnificat*, inquit, *anima mea Dominum*, non solum corpus, & lingua sed anima, & lingua eius, & hinc suauitas exprimitur, quod est præmium. Ad cuius enidẽ tiam præmittendum, quòd armonia triplici organo cantatur, scilicet materiali, vocali, & mentali. Materiale organum est tuba, lyra, cithara, & huiusmodi mortua, & insensibilia. Vocale autem organum est ipsa lingua cum pertinentijs suis, quibus vocalis cãtus formatur. Sed spirituale organum est ipsa mens inflammata, & irradiata. De qua Apostolus. *Psallam spiritu, psallam, & mẽte.* Inter hæc autem dulcis est armonia instrumentalis, dulcior vocalis, dulcissima mentalis. De primis duabus, Eccles. 40. *Tibia, & psalterium dulcem faciunt melodiam & super vtramque lingua suauis*, & hoc patet manifestè. Nam instrumenta musicalia, quæ dulciora sunt, vt organum, psalterium, cithara, tibia, & huiusmodi, tunc suauiùs sonare dicuntur, cùm vocali melodiæ magis appropinquare videntur, vnde etiam in commendationem huius consueuit dici, videtur quod loquatur. De iubilo autem cordis, & mentali melodia, dicitur Eccles. 30. *Non est census super censum salutis, & non est oblectatio super cordis gaudium.* Quis ergo erit tantæ sufficientiæ, vt valeat explicare, vel percipere, quantæ melodiæ est cãticum quod instrumentaliter Virginis sanctæ anima cantat? Cosidera, si vales, qualis sit cithara, qualis & cantici materia. Nam & bonus cantor, si voce rauca vtatur, malè cantat, & bonus citharœda fracto instrumento malè citharizat, nec etiam sufficit vox pulchra, & instrumentum nobile, si auctor artis sit imperitus. Ad hoc etiam datis peritia artis, & instrumentorum cõpositione perfecta, vbi materia sit displicibilis, de suauitate citharizãtium, vel cãtãtium aliquid subtrahit. In isto autem cantico citharœda est Spiritus sanctus, qui etiam in omni instrumento inepto, & vili suauiter sonat. Tetigit enim puerum citharœdam Dauid, & psalmistam fecit. Tetigit & puerum iuniorem Danielem, & Iudicem senum constituit. Pastorem armentorum Amos, & Prophetam constituit. Piscatorem Petrum, & Principem Apostolorum ordinauit. Telonearium, & publicanum Matthæũ, & Apostolum, & Euangelistam creauit. Persecutorem fidelium Saulum, & in Prædicatorem gentium Paulum conuertit. Qualiter autem cãtabit, & armonizabit Spiritus san-

Lucæ 8.

Eccles. 13

1. Cor. 14

Eccles. 40

Eccles. 30

sanctus, vbi instrumentum est anima Virginis Sanctissimæ. Sicut enim mortua charta resonare non potest perfectè quod viua vox exprimit, dicente beato Hieronymo ad Paulinum. Habet nescio quid latentis energiæ viuæ vocis actus, & in aures Discipuli exauctoris voce transfusa fortiùs sonat. Exemplum subdit de Eschino. Sic & omnes corporei actus etiam ad hoc in vnum simul collecti non possunt peruenire ad hoc, vt perfectè exprimere valeant quod ipsa spiritualis anima altè cognoscit. Hinc est, quòd Paulus loqui no potuit quod in paradiso anima sua cognoscit. Hoc ergo nobilissimo instrumẽto, quod est anima nõ qualiscũq; sed B. Virginis vtitur Spiritus sanctus ad canẽdũ quod dicitur. *Magnificat anima mea Dominum, &c.* Adde his duobus nobilissimo cithareda, & suauissimo, & optimo instrumento pretiosam, & delectabilem materiam, quia hìc canuntur magnalia diuinæ laudis, & tũc quamuis à longè auribus animæ percipies suauitatẽ huius Cantici: Magnificat anima mea Dominum, &c. Secundò, cùm dicitur anima mea, ostenditur serenitas, & profunditas Theologicæ veritatis, & in hoc cantico contenta, vt dicit beatus Augustinus. Diuina lux, quæ purissima est, non nisi à puris oculis potest intueri. Vnde & Saluator, Matth. 5 *Matt. 5.* *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Quod demonstrari potest tam ratione, quàm experientia exemplari. Ratione quidem, quia vnumquodque recipitur per modum recipientis. Lux ergo, quæ est Deus, *Ioann. 1.* *quia erat lux vera,* Ioan. 1. Non recipitur lux nisi à luce, vel anima luce illustrata. Lux autem animæ est ipsa puritas, sicut tenebræ eius est peccatum, propter quod dicitur Ioã. *Ioann. 1.* 1. *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam nõ comprehenderunt.* Et hoc tota die ad sensum patet. Quanti enim quotidie audiunt vocem Verbi Dei, & tamen eam non apprehẽdũt, quia sunt in tenebris peccatorum? & qui minus his tenebris peccatorum participant, magis à luce veritatis Verbi Dei mouentur. Propter quod quasi satis notum est, quod soli boni audientes meliores efficiuntur propter Verbum Dei, mali autem etsi audiunt, aure corporis audiunt, & in suis malitijs perseuerant. Patet idem exemplo: est enim & quodlibet corpus aliud quantò purius, & tersius, tantò magis solis radios recipit, & tantò clariùs in oppositum corpus per reuerberationem resplendet. Hinc est, quòd & Dominus maiorem lucem veritatis illis tribuit, qui puriores fuerunt, vt etiam Sybillis Paganis, merito virginitatis spiritum prophetiæ mirabiliter tribueret, vt dicit Beatus Hieronymus, contra Iouinianum. Et Ioannes purior cæteris altiùs in diuinam cõ- *Ioann. 1.* templationem ascẽdit, dicens illud, *In principio erat Verbum, &c.* Hæc igitur increata sapientia, quæ in animas sanctas se transfert, *& amicos Dei, & Prophetas constituit,* vt dicitur Sap. 7. quantùm irradiauerit animæ *Sap. 7.* purissimæ Virginis, in qua etiam personaliter habitabat, humani sensus non est exprimere. Et dum exprimi non potest, euidentissimè deducitur, quòd hæc nitidissima Virgo lucidè nouit diuina magnalia, quæ exprimit voce anima eius dicens. *Magnificat anima mea Dominum,* taliter, scilicet, vt dicat audacter. *Confitebor Domino nimis in ore meo, in medio multorum laudabo eum,* Psal. *Psal. 108* 108. nimis, inquit, non respectu Magnificat, sed respectu audientium, qui magna capere nequeunt. Tertiò verò in eò, quòd dicit, anima mea, ostendit integritatem theoricæ cõtemplationis, quasi diceret, non solùm anima, quæ contemplationem exprimit, sed anima mea, anima talis, anima tanta, anima libera. Vbi est attendendum, quòd nullus potest dicere, anima mea propriè, nisi qui totaliter habet animam liberam ab omni seruitute, quæ triplex est, à qua oportet esse immunem, vt sit anima sua. Prima seruitus criminis, seu vitiorum. Secunda seruitus sanguinis, seu propinquorum. Tertia seruitus mercedis, seu terrenorum. De prima expressè dicitur Iob 8. *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* Sed peccatum sicut triplex est, ita *Iob 8.* & seruitus eius triplex. Est enim peccatum mortale, quod perfectè facit hominem seruum peccati, & diaboli perfectè, id est, completè, iuxta illud, 2. Petr. 2. *A quo quis victus est, e i seruus addictus est.* Et vt dicit beatus Augustinus, tot dominorum, quot vitiorũ, & hoc maximè impedit anima, ne possit in via Deo vacare. Per originale autem peccatum sensus hominis, & cuncta cogitatio eius *prona sunt ad malum ab adolescentia sua,* vt dicitur Genes. 6. Nec liberatur anima ab impedimento talis seruitutis pugnæ carnis cõtra spiritum. Vnde nõ potest ita liberè volare ad Deum per contemplationem & vacare diuinis, nec aliquo Sacramento Circumcisionis, vel baptismatis, vel alterius liberatur à tali seruitute, licèt subleuet plus & minùs, sed semper remanet pugna carnis, quæ animam captiuam ducit sub lege peccati secundùm inclinationem, etsi non dominetur omnino. Veniale autem tepefacit animam, & pigriorem reddit ad ascendendum in Deum, feruorem tollens spiritus. Secunda seruitus, quæ est propinquorum, etiam animam aliqualiter tenet captiuam, ne in Deum totaliter vadat, sicut patet de illo, qui Christum sequi cupiebat, sed tamen retinebatur, ne eum sequeretur dicẽs. *Permitte me prius sepelire patrem meum, & sequar te,* Matth. *Matth. 8* 8. Contra quem defectum, scilicet, nimiæ affectionis ad parentes, venit Dominus mittere

tere gladiũ separationis, dicẽs. *Veni separare filium aduersùs patrem, & filiam aduersùs*
Matt. 10 *matrem suam, &c.* Matth. 10. Et hoc ideo, quia caro, & sanguis Regnum Dei non possidebunt secundum Apostolum, vnde & beatus Ambrosius. Hęc est vera sacerdotis fuga abdicatio domesticorum, & quædam alienatio charissimorũ, vt suis se abneget qui Deo seruire gliscit. 12. q. 1. cui portio. Tertia seruitus, quæ est mundialium rerum, spinis suis solicitudinum animam ligatam tenet, ne liberè Deo seruire valeat, vt patet de illo, qui domino seruire cupiebat perfectè, habens multas possessiones, cui cũ dominus interroganti, quid sibi deesset ad perfectionẽ, diceret: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & sequere me*, retrocessit, tristis discedens ab eo, quia
Matth. 19 multas habebat possessiones, Mat. 19. Necesse est ergo, animam, quæ vult intelligere magnalia Dei, & in conspectu eius solius sẽper meditari, a iugo cuiuslibet harum seruitutum esse exutam, & liberatam. In cuius figurã dixit dominus Abrahæ, Gene. 12. *Egre-*
Genes. 12 *dere de terra tua*, idest de mũdanis cupiditatibus tuis, *& de cognatione tua*, id est de amicis, & de attinentibus, *& de domo patris tui*, idest de vitijs, & criminibus, per quæ quis efficitur filius diaboli, & de domo, idest familia eius, iuxta illud Ioan. 8. *Vos ex patre dia-*
Ioan. 8. *bolo estis, & desideria patris vestri vultis facere*, & *veni in terram, quam monstrauero tibi*, terram, scilicet, contemplationis, & suauis perfectionis. Hinc est quòd dominus volens ostendere viam perfectæ contemplationis, assumpsit *Petrum* discalceatum contra amorem terrenorum, *Iacobum* supplantantem fratrẽ contra amorem propinquorum. *Ioannem* gratiam contra nequitiam peccatorum, quæ sunt ei contraria, *duxit in montem*, contra cupiditatem vallis mundialis, *excelsum*, contra iniquitatẽ profundi infernalis, *seorsum*, contra vinculum propinquorum, seu affectionis parẽtalis, & ibi *trãsfigu-*
Matt. 17 *ratus ante eos*, ostendit gloriam suam Matth. 17 Talis potest dici filius Dei renatus nõ ex sanguinibus iniquitatum, neque ex voluntate carnis necessitatum amicorum, neque ex voluntate viri, mundi vanitatum. Et talis potest dicere anima mea, &c. Cùm autem nullius creaturæ puræ anima sit, quæ, nõ
1. Ioan. 1 fuerit subiugata peccato, *quia si dixerimus, quoniam peccatum nõ habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*, vt dicit Ioan. in canonica, excepta sancta Virgine, vt ait B. Aug. Et parentum amorẽ oblita est segregata ab eis in sua infantia, & Deo totaliter mancipata, vt historia natiuitatis eius docet, & ab omni terrena cupiditate elongata. In cuius signum est, quia magnum thesaurum auri sibi a Magis impẽsi pauperibus A per Ioseph dispensatum, ita paupercula remãsit, vt inde ad paucos dies, scilicet, in die purificationis agnum emere non posset, ad offerendum in sacrificium, sed obtulit sacrificium pauperum, scilicet, *par turturum, aut duos pullos columbarum*, Lucæ 2. Restat *Lucæ* 2. vt talis Virgo ab omni iugo seruitutis excussa totam animam suam possideret, & dicere sola potuerit, *anima mea*, & tota cecinerit vsque in finem, nos autem id facere non valemus nedum vnum integrum canticum, sed nec vnum festinatum Pater noster, vt habemus exemplum in legenda beati Bernardi, quin aut iugum peccati, aut cura rei familiaris, aut repræsentatio alicuius amici, vel B propinqui mentem intercidat, & aut multum, aut parum reuocet. Ab his autem omnibus Beata Virgo totaliter semota fuit. Nec te moueat, quòd trium generum peccatorum dixi iugo non teneri, quasi in originali non videatur esse concepta, quia etsi in eo concepta, tamen ab ipso totaliter liberata non sicut cæteri, sed specialiùs, quia in ea non solùm fomes peccati fuit ligatus, sed penitus extinctus, qui in nobis, nec ligatus, nec extinctus est, sed aliqualiter minoratus per sacramenta. Si ergo in hac vita vis vnam animam totaliter iubilantem, & contemplantem cæteris omissis experiri, hanc mente auscultа intonantem, & dicentem: *Magnificat* C *anima mea Dominum*, quia meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.

§. III.

TErtiò tangebatur causa finalis, & obiectiua cùm ait, *Dominum*, Et ex hoc ostẽditur, quòd virgo fuit. Primò formosa patẽter veneranda. Secundò laus eius gratiosa frequenter decantanda. Tertiò est Deitatis gloriosa solerter adoranda. Quantùm ad primum notandum, quòd sicut dicitur Eccles. *Eccle. vl.* vlt. *Faciendi plures libros nullus est finis*, Ratio, quia hominum genus famam desiderans, quæ ex omnibus maximè ex libris acquiritur naturaliter loquendo principaliter D circa librorũ cõpositionẽ dedit operã efficacẽ, & quę nõ valuerũt cõponere, fieri fecerũt & eos aut suo nomine dedicari, aut de suis factis egregijs cõponi, & reintegrari, sicut etiã historiæ infidelium plurimæ narrant, & Valerius Maximus etiam in capitulo de cupiditate gloriæ dicit. Nam quia progenies deficit sæpius, & aliquando terminatur ad ignominiam, congregatæ diuitiæ, ædificia pomposa, fortia bella, parta sceptra, & huiusmodi, in quibus famosa quęsita, & consistere deputata citius euanescunt, nisi librorum tenaci memorię sint mandata. Hac via mundi homines vani gloriam assequi cupientes aliqui studuerunt circa collectionem magnorum librorum, vt Origenes, qui quadraginta mil-

millia librorum edidit, aut suo nomine asseri A
pſit, ſicut narrat Seneca. Alij tractauerunt facta egregia magnorum adhuc viuentiũ, vt ipſi fauorem libris pręſtarent, ſicut mendax Virgilius. Alij laborauerunt tractare materias delectabiles, & obſcęnas, vt vani poetæ. Alij ſubtilia etiam diſputando, libros collegerunt, vt Philoſophi. Alij vtilia, & apta lucris, vt Iuriſtæ. Alij vtilia animæ, vt Theologi, & huiuſmodi. Tamen omnes errauerunt ab vtero, quęrentes in his famam. Nam teſte Hieronymo. Fama, vt vmbra fugit ſequẽtes, & inſequitur fugientes. Vnde talium nomen eſt in malum, qui vocauerunt nomina ſua in terrenis ſuis. Qui autem gloriam Dei quærit à Deo, gloriatur etiam mundo impe B
dire volẽte, vt patet in Ioãne Euangeliſta, & B. Gregorio Papa. Hæc igitur debet eſſe recta intentio ſcriptorum, & omnium aliorũ qualitercunque operãtium, magnificare, ſcilicet Deum, & nomen ſanctum eius, omni propria vtilitate, delectatione, & fama poſtpoſita. Et quò purius os laudantis tenditur in Deum, eò glorioſius fama glorioſa in laudatione reſultat. Pſaltes ergo glorioſa Beata MARIA præcisè Dei laudes canere ſtudet, & hic omnis eius finis, & intentio. Et ideo dicit: *Magnificat anima mea dominum* Et nota, quòd non dicit Deum, nõ ſponſum, non patrem, non filium, quamuis quodlibet horum dicere potuerit verè, ſed tantùm dicit: dominum, vt omnivia proprias laudes C
fugeret, & diuinis tantũ intenderet. Si enim dixiſſet Deum, ſuam humilitatem tacuiſſet, quod fieri non poterat, cùm ea vſque ad redundantiam plena eſſet, & omni verbo, actu geſtuque ſe humilem, id eſt, vilem prędicaret pro poſſe. Qui enim dicit Deum ſui dicẽtis, nullam conditionem exprimit, cùm Deus nõ dicatur relatiuè. Si dixiſſet ſponſum, multùm ſe laudaſſet, ſi dixiſſet patrem, vel filiũ æquæ laudis eſſet. Sed vbi dicit Dominum, eſt relatiuum ad ſeruum, & ancillã. Et hoc nomen ſeruus, & ancilla eſt nomen vilitatis, quamuis ſit ſumma ingenuitas, in qua ſeruitus Chriſti comprobatur, cui ſeruire regnare eſt, ſeruans verbum Angelo dictum. *Ecce*, ſcilicet *ancilla Domini*. Dominum dixit: *Magnificat anima mea Dominum*. Et ex his duobus redditur famoſa, quia tantùm laudes Domini cecinit, & quia ſuæ humilitati ſemper ſtuduit. Propter primum illud canticum MARIÆ omni die infallibiliter cantatur, & hora multùm apta, ſcilicet, in veſperis, & modo multùm grato, & ſolemni magis, quã omnia cantica Eccleſię, & ſic non ſolùm Beata Virgo famoſa ex cantico, ſed etiam ipſum canticum famoſius cæteris. Secundò ex eo, quòd dicit Dominum, iſta laus redditur gratioſa, & frequenter decãranda. Ad magnam enim laudẽ quatuor requiruntur, ſcilicet, vt ſit à magno laudãte, magno modo, de magnis factis, & de magnis perſonis. Et hic nõ dico magna niſi virtuoſa. Nã vt dicitur in Pſ. 49. *Peccatori dicit Deus, quare tu enarras iuſtitias meas, &c.* quia vt dicitur Eccleſ. 15. *Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris*. Hinc & Seneca; ſit tibi tam turpe laudari à turpibus, quàm ſi laudaris ob turpia. Secũdò etiã magna laus magno modo debet pronunciari, iuxta illud Pſalm. 91. *Bonum eſt confiteri Domino, & pſallere nomini tuo Altiſſime, &c.* Et illud. *Laudate Dominum de cœlis*, cum ſequentibus. Tertiò debet eſſe magna laus de magnis factis. Vnde etiam ſcientiæ ſæculares, quæ diſtinguuntur penes ſubiecta, habent inter ſe gradus nobilitatis ſuæ, vt illa dicatur nobilior ſubiecto. Et propter hoc Theologia dicitur nobiliſſima, & maxima ſcientia, quia eſt de nobiliſſimis dictis, & factis, & de nobiliſſimo ſubiecto, quod eſt Deus, vt docet ſanctus Doctor noſter, in 1. parte quæſt. 1. Quartò magna debet eſſe laus de magnis perſonis. Ex his quatuor redditur magnificum iſtud canticum. Nam laudans eſt magna, ſcilicet, *anima* Virginis talis, & tanta. Modus eſt nobiliſſimus, *quia exultauit ſpiritus meus, &c.* ait. De magnis factis, quæ hic narrantur, vt patet in proceſſu cantici. Reſtabat ergo, vt à quarto magna laus diceretur, vt tota eſſet magna. Et hoc fit cùm ait, *Dominum*. Prudenter enim, & antonomaſticè ait, *Dominum*, abſolutè dicit & non Dominum talem, quia non loquitur de Domino alicuius Angeli, aut portionis mũdi, ſicut fecerũt omnes Tragici, Comici, & Hiſtoriographi, ſed de Domino vniuerſali. Eſther. 13. *Dominus vniuerſorum tu es, & in ditione tua cuncta ſunt poſita.* ait Mardochæus ad Deum loquens. Sed dicis ex his dictis benè ſequitur, quòd iſta laus prępona tur omnibus Scripturis mundialibus, ſed nõ diuinis, quia ſicut iſta de Domino, ita & tota Scriptura de Domino loquitur. Ad quod reſpondeo, quòd non ſine ſpeciali cauſa, & rationali vſus Eccleſiæ inoleuit magis reuereri vnam partem Scripturæ ſacræ, quàm aliam. Nam non propter finem, nec propter auctorem, nec propter materiam particularem, ſed propter modum, & finem particularem, ad quem ordinati ſunt, quia pſalmi & cantica licèt habeant eundem finem, qui eſt Dominus Deus, tamen facta ſunt ad hunc finem particularem, vt iucundetur mens in Deum ex eis, & aſcendat. Et ſic adhuc inter iſta eſt aliqua differentia reuerentialis: nam ad pſalmum & cantica ſederis alternatim à choris, exceptis quibuſdam, vt Laudate Dominum, & huiuſmodi, vt cùm ibi inuitentur omnes creaturæ ad laudandum Deum, & nos etiam reuerentiùs aſſurgamus. In nouo Teſtamento cùm legitur

Pſal. 4.
Eccleſ. 15
Pſal. 91.
Pſa. 150.
Eſth. 14.

de

de Epistolis, vel alijs locis Epistolarum se-
detur, cùm de Euangelio, recti stamus, quod
etiam de consecr. distinct. 1. Apostolicis do-
cetur. Et in nouo Testamento sunt cantica
in quibus etiam sit differentia reuerentia-
lis, non à causa agenti principali, quæ est Spi-
ritus sanctus, nec ex causa materiali, vel fi-
nali, sed ex causa instrumentali. Tria au-
tem sunt, quę præferũt scripta scriptis. Tem
pus, scilicet, in quo adinuentæ sunt, forma
tradendi, & dignitas personæ tradentis. Re-
spectu primi istud canticum præponitur om
nibus scripturis veteris Testamenti. Respe-
ctu secundi præponitur omnibus Epistolis
actibus, & prophetijs noui Testamenti. Re-
spectu tertij præponitur omnibus scriptis
in Euangelijs, exceptis his, quæ ex ore Chri
sti emanauerunt, quia nulla persona post
Christum dignior reperitur, & ideo hoc re-
quentandum. Tertio dicebatur, quòd ex
hoc, quòd dicit Dominum, reddit ipsum
glorioſum, & adorandum. Et iste est finis
principaliter intentus in isto cantico. Teste
*Psal.*110. enim Psalm. 110. *Initium sapientiæ ti-
mor Domini.* Initium omnis boni, & ordi-
natæ operationis est timor Domini. Cùm
ergo iste terminus, Dominus, includat timo
*Malac.*1. rem, iuxta illud Malach. 1. *Si ego Dominus,
vbi est timor meus?* Vt mentem ad timorem
Dei, & reuerentium excitaret, ait, *Domi-
num.* Vbi diligenter annotandum, quòd tria
sunt, quæ faciunt principaliter aliquem Do
minum glorioſum, & honoratum, quę etiam
continentur in Etymologia huius nominis
Dominus. Et hæc sunt: Primò largitio be-
neficiorum, & sic dicitur Dominus, quasi
Dominus. Secundò liberatio oppressorum,
& sic dicitur do manus, quasi Dominus. Ter
tio debellatio inimicorum, & sic dicitur
Dominus quasi dominãs. Dimitto quartam
Etymologiæ significationem, quę est potiùs
seruorum, & Tyrannorum, quàm Dominо-
rum, & est modernorum, scilicet, deprædа-
tio subditorum. Et dicitur Dominus secun
dùm hoc, quasi do minus, immo do mul-
tum, & cuncta surripio. Primò igitur di-
citur Dominus quis effici glorioſus pro do
norum largitione, & hic est dilectus, & re-
ueritus, vt dicitur de Rege Assuero, qui vt
ostenderet magnitudinem Imperij sui, *fe-
cit grande conuiuium cunctis principibus*
*Esther.*1. *suis*, &c. Esther. 1 cap. Et ista beneficia
sunt triplicia. Primum affluentia entitatis
temporalis. Secundum clementia pieta-
tis paternalis. Tertium iustitia æquitatis
iudicialis. Primum fecit magnum Salo-
3.*Reg.*10 monem, patet hoc 3. Regum 10. Cùm *de-
dit munera magna Reginæ Sabæ.* Secun-
dum fecit magnum Dauid, vt patet in 1. &
1.*Reg.*2. 2. Regum, & præcipuè de clementia, qua
vsus est erga *Saulem* inimicum suum, & er-

A ga filium *Absalonem*, qui coniurauerat con-
tra ipsum. Tertium fecit magnum *Salomo-
nem*, & præcipuè in iudicio duarum mere-
trictum contendentium de filio viuo, cu-
ius esset illarum, 3. Regum 3. Nostra ergo 3.*Reg.*3.
Virgo psaltes, vt ostendat in conspectu no-
stro glorioſum, quem canit dulciter, ait,
Dominum, & demum exprimit quomodo
dat omnibus affluenter, & non impropere-
rat, dicens. *Esurientes impleuit bonis*, &
prius de se. *Respexit humilitatem ancillæ
suæ*, & *fecit mihi magna*. Deinde addit,
quomodo omnibus dimittit clementer. Et
quantùm in se est, neminem damnat, & di-
cit. *Et misericordia eius à progenie in pro-*
B *genies timentibus eum*. Tertiò quomodo
iudicat omnes æqualiter, & nullius perso-
nam acceptat, & dicit. *Deposuit potentes
de sede*, & *exaltauit humiles*. Secundum
quod reddit Dominum glorioſum, est libe-
ratio oppressorum, sicut patet de Iudicibus
Israel, qui magni fuerunt in suo populo, vt
Domini, & rectores, vt Gedeon, & Sanson,
& alij de quibus in libro Iudith; per totum,
quia liberauerunt populum à magna op-
pressione, & sic etiam Saul in principio Re-
gni sui, quod optimè fecit Iesus Christus
liberando, & *sanando omnes oppressos à*
diabolo, vt ait Petrus in cantic. 1. Act. 10. *Act.*10.
quia Deus erat in illo, & ideo dicit Domi-
num, quasi dans manum ad adiuuandum.
C Tertium quod facit Dominum glorioſum
est debellatio inimicorum. Et hoc fecit Iu-
dam Machabæum, cum Simone, & Iona-
tha glorioſos Dominos in illo populo, quia
frequenter debellauerunt inimicos popu-
li Israel. Et hoc egisse Dominum osten dit
dicens. *Fecit potentiam in brachio suo*, &
cætera. Et dicit Dominum, quasi domi-
nans hostibus.

De secundo versu dicti Cantici, & de multiplici gaudio, & varia acceptione spiritus. Cap. 39.

D EXultauit *spiritus meus in Deo salutari
meo*. Sciendum, quòd Spiritus sancti præ
sentia largitur menti claritatem, & lumen
visionis, teste Saluatore, qui ait Ioan. 16. *Cũ* *Ioan.*16.
*venerit ille spiritus veritatis, ipse docebit
vos omnem veritatem*. Quia ergo Spiritus
sanctus mirabiliter requieuit in MARIA,
dicente sibi Angelo, *Spiritus sanctus super* *Lucæ*1.
ueniet in te: nulli dubium, quin clarè viderit
quæ Dei sunt. Ex tali autẽ intuitione sequi-
tur gaudium, vnde & primus fructus spiri-
tus dicitur *charitas*, secundus *gaudium*, ad
Galat. 5. cap. Charitas, quæ est vnio hominis *Galat.* 5.
& Dei, maximè post verba Angeli descendit
in MARIAM, cum qua essentialiter erat

Filius Dei carne indutus. Et quia proportionatur gaudium charitati, ex qua prodijt, sicut illa charitas MARIÆ fuit ineffabilis, ita & illud gaudium inæstimabile creditur. Et hoc insinuat, cùm dicit. *Exultauit spiritus meus.* Vbi tria tanguntur. Lumen clarioris, & iucundioris intuitionis Christi, ibi: *Exultauit*. Flumẽ ardentioris deuotionis, ibi, *spiritus meus*. Culmen altioris, & subtilioris contemplationis, ibi, in *Deo salutari meo*.

§. I.

QVantùm ad primum sciendum est, quòd vltra illud gaudium pessimum de quo dicitur Prouer. 2. de iniquis. *Lætantur, cũ male fecerit, & exultant in rebus pessimis.* Cuius finis est, quod ipse ait. *Extrema gaudij luctus occupat*. Et vt dicitur in Apoc. 18. *quantùm se exaltauit, & in delicijs fuit tantùm date ei tormentum, & luctum.* Est triplex gaudium, seu exultatio. Gaudiũ de inferiori entitate, & deceptiuum. Gaudium de æquali bonitate, & lætificatiuũ. Gaudiũ de superiori Deitate, & excessiuũ. Gaudium primum est de rebus inferioribus, vt diuitijs, honoribus, conuiuijs, & huiusmodi. His autem inferioribus creaturis anima gaudẽte, impropriè dicitur gaudium, & de tali gaudio dixit Thobias Angelo. *Quale mihi gaudium, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video?* quasi dicat. Gaudere non possum, quia careo medio gaudij veri, quod est muniri lumine cœli, quo anima mea veritatẽ cognoscit. Et clariùs de hoc falso gaudio dicitur Eccles. 2. *Risum reputaui errorem, & gaudio*, id est tẽporaliter gaudẽti, dixi: *Cur frustra deciperis?* Anima, quæ sic gaudet, nõ exultat, sed descendit, & inferna petit, secundùm illud Iob. *Gaudẽt ad sonitum buccinæ, & in puncto ad inferna descendunt*. Secundum gaudium est, quando de proportionata & quasi æquali bonitate existit, vt quãdo anima gaudet de salute proximi, & de libertate sui vera, de virtutibus acquisitis, & bonis operibus, & huiusmodi. Et de hoc gaudio, quod est lætitia animæ, tenens eam in gradu suo virtuali, sæpius habetur in Scriptura, vt ad Rom. 12. cap. *Spe gaudentes*. Et Esdræ. *Gaudium Domini fortitudo vestra*. Sicut enim tristitia debilitat vires, ita gaudium, seu delectatio adauget. Vnde & delectatio, secundùm Philosophum perficit opus, & multò magis delectatio, quæ idem est, quod gaudium si fit spirituale, fortificat mentem magis, quã delectatio mundialis. Tale tamẽ gaudium non est descensus, neque ascensus, scilicet, supra se, vnde & dicere non valet exulto, id est, extra terminos suos saltare. Tertium ergo gaudium est de fœlicitate superna, vel de Deo, aut de his, quæ sunt supra capacitatem hominis. Et hæc leuant animã supra se, & tali gaudio eam lætificant, vt dicere possit exultare, id est, extra terminos suos fieri, de quo gaudio ait Christus Discipulis, Matth. 5. *Gaudete in illa hora*, id est, *cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint propter me, & exultate. Ecce enim merces vestra multa est in cœlis.* Quod obseruans Beatus Vincentius ad Datianum, ait, minantem ei maiores cruciatus inferre. O venenosa diaboli lingua, tormenta tua non timeo, sed quantò te magis iratum video, & per hoc dispositum ad maiores pœnas inferendas, eò amplius exulto. Nolo gloriam meam minùs, &c. Et quia de tali re, quæ est æterna, & incomprehensibilis, fuit gaudium Beatæ MARIÆ, idcirco signanter dixit: *Exultauit spiritus meus.* Sed noscere oportet, quòd ista tertia exultatio habet tres gradus, videlicet. Infimam, & solitariam. Mediam, & corpoream. Optimam, & subitaneam. Prima exultatio est quando anima eleuatur supernaturaliter ad aliquid videndum mirificum, non tamen cum multa vehementia, ita quòd sola anima rapitur ad gaudendum, corpore tamen omnino immoto à terminis suis. Et tale fuit gaudium, & exultatio Annæ Matris Samuelis dicentis. *Exultauit cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo meo*, vbi cor ponitur pro anima, & cornu pro intellectiua potentia, prophetizans, & eleuata tunc ad cognoscendum, quæ dixit in illo cantico, 1. Reg. 2. Secunda exultatio est vehementior, vbi anima altiùs rapitur, & diutiùs immoratur, non tamen ab officio vitali abstrahitur. Et tunc anima secum etiam corpus rapit, vel localiter subleuat, & in altum sustollit, quemadmodum & Paulus raptus ad tertium cœlum de se dixit, 2. Corinth. 12. *Siue in corpore, siue extra corpus nescio.* Quali modo rapiebatur ali quando corpus nostri sancti Doctoris Thomæ, & præcipuè vt legitur, quando ei dictum fuit à Crucifixo. Benè scripsisti de me Thoma. Nam tunc fuit visus eleuatus à terra non parum, & talis raptus est ad quandam dulcedinem insuetam, quam videtur innuere expertus Dauid, vt ait, Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Taliter etiam rapiebatur & Patriarcha Dominicus sæpe, & multi sanctorum. Tertia exultatio est vehementissima, quæ, sicut maior est, ita & subiectum magis dispositum reperit, atque fit de maximis subiectis, & rapit quasi in instanti, ita vt non valeat trahere sursum corpus, nec ei aliquam dulcedinem infundere, sed potiùs, quãdam pœnã similem ei, quæ fit in morte propter separationem animæ à corpore, cùm anima pro tunc desinat exercere actus vi-

Proue. 2. *Apoc. 5.* *Tob. 5.* *Eccles. 2.* *Iob 21.* *Rom. 12.* *2. Esdr. 8* *Matth. 5.* *1. Reg. 2.* *3. Cor. 12*

vitales in ipso corpore. Et si vis altiùs de hoc raptu informari, lege Doctorem sanctum in quæstionibus de veritate, quasi de raptu, artic. 1. 2. & 3. Et talis fuit raptus Virginis gloriosæ. Vnde anima eius exultauit, & saltauit extra se, & terminos suos. Et hinc puto ipsam in præterito fuisse locutam, vbi dicit *exultauit*. Non enim potuisset ore proferre, exultat spiritus meus, quia taliter exultabat, vt corpus nihil agere posset, ergo nec loqui. Sed iam ad officia corporis reuersa dixit. *Magnificat, & cætera. Et exultauit*. Istud autem potest euidenter ostendi, & in fide demonstrari. Ex tribus enim simul iunctis causatur raptus vehementissimus, videlicet. Primò ex puritate subiecti videntis. Secundò ex immensitate obiecti rapientis. Tertiò ex claritate luminis ostendentis. Ista sunt nota de se. Nam quò mens purior eò ad videndum Deum aptior, quia *Beati mundo corde, quoniam ipsi* *Matt. 5.* *Deum videbunt*. Et adde, quòd adhuc mens redditur habilior, quò rapta fuerit, vel illustrata à Deo frequentiùs propter habitum acquisitum ex assiduis actibus, sicut docet Doctor sanctus Thomas, vbi supra, quasi de prophetia. Ista tamen per se non sufficiunt. Nam in via mens, & visionibus assueta non semper videt, nisi quando Deus vult sibi demonstrare, sicut docet Beatus Hieronymus ad Damasum Papam, de *Isaac* *Gene. 18.* decepto, Genes. 17. qui voluit benedicere vni, & tamen benedixit alteri. Et de Heliseo, qui dixit de Sunamite ad Gyezi. *Dimitte eam, quia anima eius in amaritudine* *4 Reg. 4.* *est, & Dominus celauit ad me*, 4. Regum 4. Et de Virgine Beatissima, quæ *triduo* quæ- *Lucæ 2.* siuit filium nescions, vbi esset, Lucæ 2. Et ideo additur secundùm quod requiritur, scilicet, quòd obiectum se repræsentet tali mente, & quò obiectum est nobiliùs, eò fortiùs trahit, non tamen simpliciter, quia possibile, quòd Deus, qui est summũ ens, repræsentet se menti purissimæ sub aliquo modo infirmiori, vt per somnium, vel aliquid in imaginatione creatum, & tunc non fortè raperet. Et ideo additur tertium, scilicet, ipsa clara ostensio, & quantò clarior est, tantò exultationis raptus sit vehementior. Cùm igitur constet irrefragabiliter, quòd nulla mens creata in hac vita fuerit purior mente Virginis, & tractet de magnis Dei, quo nulla est res altior. Si modus videndi est alijs altior, nulli dubium esse potest, quin eius exultationis raptus fuerit omnibus alijs vehementior. Ponit exinde præfatus Ioannes Domin. Cardin. diuersa genera visionum Prophetalium, de quibus beatus Thom. agit 2. 2. quæst. de prophetia, quæ omitto, sed ibi potest videri. Et subdit, quòd his omnibus inspectis cõsideretur, quòd hæc Virgo sancta obumbrata erat paterno lumine repleta iam æternæ sapientiæ nouo numine, & Spiritus sancti fœcũdata radiorũ culmine, quæque dicit se magna præcinere, & exultasse, nulla surgit ambiguitas, quin ipsa viderit modo nobilissimo, & fortè adhuc altiori omnibus prædictis nobis ignoto. Sicut enim fecit eã matrem sui, ita etiam specialiter præ cęteris fecit vatem sui, vt absolutè, & antomastícè intelligatur, quòd dicitur *Exultauit*.

§. II.

SEcũdò notatur fulmẽ ardẽtioris, & feruẽtioris exultationis, cũ dicit *spiritus meus* esse B. Aug. Inuita diligere possumus, incognita nequaquę. Quod de se patet satis, cũ voluntas ipsa cęca sit, & sine lumine intellectũ agere nõ valeat, propter quod sẽper fertur super cognitũ, aut apparẽter, aut existẽter. Mouetur autẽ voluntas allectiuè ab obiecto apprehẽto sub ratione boni, & quãtò videtur melius, tãtò mouetur vehemẽtiùs, & rapitur. Et quia voluntas potẽtia passiua nõ est infinita, potest cogi, aut necessitari ab obiecto sibi demõstrato sub ratione infinitiboni, quod satis videtur. Si enim obiectũ visum sub duplici gradũ bonitatis aliter trahit ipsã voluntatem ad amãdũ, quàm visum sub simplici gradu bonitatis, & magis sub triplici gradu, quã sub duplici, & sic deinceps: ergo si ostẽdatur aliquod bonum ei, vt infinitum, rapit & trahit ipsam, vt non possit ipsam non velle amare. Et totaliter amant beati, videntes Deum clarè, vt stante libertate arbitrij ipsi non possint non amare, sicut etiam in via homo non potest suum bonum non velle in generali, licèt hoc, vel illud refutet deceptus. Hæc est enim confirmatio quædam in gloria, scilicet, clara visio summi boni, & illius visionis continua conseruatio, qualem puto fuisse in Virgine gloriosa, vnde nascitur perfectus amor, & feruor spiritus. Et sic credo hic expressum Spiritum sanctum pro feruore æstuante, & dirigente omnes actus suos in Deum, & debitum finem. Est autem scidũ, quòd in sacra Scriptura spiritus capitur multis modis, & potest verificari, immo de facto verificatur illud. *Exultauit spiritus meus*. De quolibet spiritu, qui dici potest spiritus Virginis sanctæ. Spiritus namque malus, qui inuadebat Saul, & qui fuit aliquãdo *spiritus mendax in ore omnium Pro-* *3. Reg. 22* *phetarũ*, vt habetur in 3. li. Reg. 22. Nõ fuit spiritus Virginis, cuius ipsa cõtriuit caput, & nullã in eã habuit potestatẽ. Similiter spiritus, qui significat vẽrũ, & figurat superbiã, vel vanã gloriã, non fuit spiritus MARIÆ, de quo potest intelligi illud Matth. 5. *Beati* *Matth. 5* *pauperes spiritu*, ideſt, qui habẽt modicũ de

elationis vento, non dixit, qui non habet spiritum, quia omnes habet aliquid de ipso, sed beati, qui habent parum, vt non superentur ab eo. Sola Mater Virgo cùm nihil de eo habuit, & ideo iste spiritus, id est, ventus superbiæ non fuit spiritus MARIÆ. Sed est alius multiplex spiritus MARIÆ. Spiritus flatus, & aerealis. Spiritus Angelicus supernaturalis. Spiritus animæ rationalis. Spiritus cœtus congregationis spiritualis. Spiritus feruoris metalis. Spiritus vitalis naturalis. Spiritus Deitatis æternalis Quilibet horum potest dici spiritus MARIÆ diuersis respectibus, qui dicitur exultasse. Spiritus ergo aliquando sumitur pro flatu hominis, iuxta illud. *Insprauit in faciem eius*, scilicet, Adæ *Spiraculum vitæ*. Gen. 2. id est, spiritum, seu flatum, sicut ipse incarnatus, & resuscitatus insufflauit in discipulos, dicens. *Accipite Spiritum sanctum*. Pro aere etiam quo respiramus, sumitur spiritus, iuxta illud Psal. 118 Psal. 118. *Os meum aperui, & attraxi spiritum*. Iste ergo spiritus MARIÆ, scilicet, flatus exultauit in Deo, qui totus ad gloriã Dei diffusus pandit magnalia sua. Spiritus etiam inquantum aer dicitur, qui suus dici potest, inquantum non solum aer, sed & totus mundus factus est suus, cùm mater Dei sit & per consequens Domina omnium. Aer ergo iste ingrediens per os Virginis ad suum Creatorem, qui eius latebat in ventre, modo suo exultabat, quia magnificat purificatus, atque radijs diuinitatis impletus dulciſsimè resonabat. Vnde *exultauit spiritus meus*, in me gauisus est, in Deo exultat. Secundò spiritus dicitur Angelus, Psal. 103. *Qui facis Angelos tuos spiritus*. Hic spiritus sustulit Ezechielem *inter cœlum & terram*, & locutus est in Prophetis, siue ad Prophetas, & Moysi in monte, cùm legem recepit. Horum habet quilibet proprium spiritum, id est Angelum ad sui custodiam deputatum secundùm Magistrum in 2. sen. post B. Hieronym. Hæc ergo psaltes glorioſa habuit, & ipta spiritũ suum supremum in ordine Angelorum, qui fortasis, nec ante, nec postea datus est alicui ad custodiam, sed soli Virgini huic ab initio reseruatus. Sicut enim sola fuit mater vnigeniti, & in gratuitis vniuersis mirabiliter singularis, sic etiam sanè dici potest, custodiam sibi singularem datã fuisse. Si enim habuit singulariſsimum sponsum ad seruitium, electiſsimum Apostolum ad obsequiũ, quare non creditur habuisse nobiliſsimum spiritum ad auxilium? Spiritus enim huius ordinis, qui dicitur Angelorum, tot sunt specie, quot & numero, cùm quilibet faciat speciem suam, & specificata perfectione differat ab altero. Hic igitur spiritus Angelicus datus sibi ad custodiam prius exultauerat de obedientia, humilitate, & virtutibus alijs ineffabilibus Virginis almæ. At vbi verbũ eius est carne vestitum, *exultauit in Deo salutari*, id est, Iesu MARIÆ Filio, quia deputabatur ad custodiam, siue potiùs ad obsequium Domini Dei sui, cùm & Angelus matris sit, & Angelus puerorum, donec natus sit, & tunc accipit Angelum proprium, sicut fructus ab arbore matre præcisus, secundùm beatum Thomam, in 1. parte. Tu Lector considera, quia explicare non possum, quantò gaudio exultabat spiritus ille, qui primò vidit Deum incarnatum, qui fuit primus Spiritus sancti minister ad illud inefabile opus, qui primus corpusculum illud aut formauit, aut formanti astitit, qui primus inuisibiles cunas Deo parauit, qui primus cibum de matre in os diuinum expressit, qui sicut astitit visioni in cœlo coram patre, sic assistebat in terris filio incarnato, qui primus illud vidit desideratum commercium. Stabat totus festiuus Angelus Gabriel extra, & suspensus expectabat Virginis assensum, vt Deo mittenti citò referat responsum, & vbi eam audiuit dicentem. *Ecce ancilla Domini, fiat secũdum verbum tuum*, tota pernicitate curiam lætificaturus cœlestem, reuolauit ad cœlum de futuro iucundum. Sed iste MARIÆ spiritus certus de præsenti pro tota Hierarchia cœlica exultabat. Exultabat namque hic optimus spiritus MARIÆ, quoniam videbat ipsam Christi Matrem effectam, & tanto filio dignam. Si enim *gaudium est in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente*, quantò magis super vno peccatore iustificato? Vtique magis gaudet Angelicus chorus de iustis, quàm de peccatoribus reuertentibus ad pœnitentiam, cùm ipsorum gaudium iustiſsimum in bono reali fundetur, & quis dubitat iustiorem esse, qui nunquam peccauit, & iustus est quàm qui peccauit, & ad pœnitentiam reuersus est cęteris paribus? quod dicitur, cùm peccator reuersus feruentiùs Deo seruit, quam innocens, qui non peccauit. Nec obstat illa sententia Saluatoris, Lucæ 15. *Gaudium est Angelis super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonagintanouem iustis, qui non indigent pœnitentia*. Nã si eius verba diligenter pensentur, nil aliud voluit dicere, nisi quòd maius gaudiũ est de natura humana reuersa, seu reinuenta, quàm de natura Angelica, quæ núquã perijt, ideo & redijt. Nam gaudium humanæ naturæ est in carne, & spiritu, sed gaudium Angelorum non est, niſi in spiritu, quid enim voluit significare per ouem perditã, nisi genus humanum, quod requisiuit, & assumpsit ad vnitatem suppositi, de quo est tantum gaudium, quantum non est de nonagintanouem

Genes. 2.

Iom. 20.

Psal. 103.

Ezech. 4.

Lucæ 15.

Lucæ 15.

relictis in deserto, quæ pro Angelica natura ponuntur. Peteret namque curiosus scrutator maiestatis diuinæ. Cur si Dominus sic cœlum reparare volebat, quare non potuit id facere de portione Angelica, quæ non perierat, cùm sit nobilior creatura, quàm de terrestri homine graui? Huic verbo sapiẽtia patris respondet, quòd reparari debuit cœlum de maiori gaudio, nõ minori siue ad maius gaudiũ, nõ ad minus. Sed maius gaudiũ resultat de humana natura reparata, quã Angelica. Et hoc, tum quia gaudium est duplex vt præfertur, scilicet, in spiritu, & carne: tum quia maior est numerus saluandorũ hominum, quàm sit omnium spirituum ferè sine comparatione, tum quia gaudiũ de Christo excedit gaudium, quod habet Angelus de aliqua creatura. In hac igitur super iustissima, & lucidissima matre exultabat spiritus eius Angelus proprius, sed non nisi in Deo Iesu, à quo omnes illæ virtutes, vt radij æternales emanabant in Virgine. Tertiò dicitur spiritus anima, de quo dicitur Eccles. 3. *Quis scit si spiritus* (id est anima,) *filiorum Adam ascendat sursus.* Et cap. vlt. dicitur. *Reuertatur puluis,* (id est corpus,) *in terram suam, & spiritus ad Deum, qui dedit illum,* (id est anima,) & iste spiritus MARIÆ, id est anima exultauit. Et esset sensus quòd spiritus, id est anima, qui magnificabat Deum, quoad cæteros etiam exultat, quoad seipsum. Ita sicut dilatatur Deus, id est, magnus ostenditur per os Virginis in corda audientium eius magnificationem, sic & crescit in ipso spiritu, vel anima sua per maiorem inhærentiam, & capacitatem, & dilectionem eius. Ad cuius notitiam aduertendum est, quòd tanta est anima quantus eius effectus, sicut pro parte de anima Benedicti recitat. B. Gregor. 3. dial. cũ vidit animam S. Germani paradisum ascendere. Si enim granum millij tantùm diligis, instar grani millij animæ capacitatem coarctas. Et sic cogita de quolibet à te amato, quodcumque sit illud, si est creatum, anima non exultat, id est non supra se saltat, sed deficit, siue contrahitur infra se. Est enim anima rationalis in capacitate omni creatura capacior, cùm nil possit eam replere præter infinitum bonum. Vnde sicut Salomon dicit Eccl. 5. quòd auarus *non impletur pecunia,* ita accidit de quacumque re creata. Sed *adimplebis me lætitia cum vultu tuo,* scilicet Deus, ait Psal. 51. Si ergo soli Deo inhæret spiritus noster amãdo, dilatatur cũ Deo, atque semper extenditur per altum latum, profundum, & longum, sicut optat Apostolus pro his, pro quibus orat dicens *Possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum.* Quia verò talis anima sic disposita, vt est anima, siue spiritus magnę MARIÆ, innixa est super dilectum, vestigia nõ relinquẽs vel ima Deitatis, quæ summa sunt. Sed dixi ima, quia inde ascendere cœpit versùs altiora semper procedit, & finem non assequitur, cũ nullus sit finis, ideo continuè fallit * crescit, ascendit, dilatatur, & saltat super se, quod est exultare, sicut virgula fumi de aromatibus myrrhę, & thuris, vt de ipsa sub figura cecinit optimè Salomõ in Cãt. Ecce sub tali exẽplo loquendo, quòd *virgula fumi* ex aromatico igne procedens incipit digitalis, & pedalis efficitur, & crescit in cubitum, in calamum transit, semper crescit, carbones imos non deserens, nõ tantùm extenditur in lõgum versùs cœlum, sed si paruo flatu agitatur, dilatatur à dextris ante, & retro, & in se etiam magis spissatur, tunc totaliter exultat, & saltat vndique magis diffusa, sicut est moris saltantium. Hoc autem cupio plenius exprimere, ne fœminalis capacitas, quasi cœcuitens in alpidẽ offensionis impingat. Imaginare ergo Deum, vt sphæram infinitam spiritualem, nõ corporalem, manifestum est quòd centrum eius est vbique, & nõ minus sua circunferentia. Nam si sphera est infinita, vbique est cẽtrum eius, & in qualibet parte spatij clausi à tali circunferentia est cẽtrũ assignare, necnõ totum spatium, si totum est signabile est pro cẽtro deputandũ. Hic enim habes in vno circulo æqualia tria, quorum vnum aliud non excedit, scilicet, circumferentia, quæ nusquam est, spatium quidem ex quolibet creatum est, sed non exclusum, & centrum, quod vbique est. Pone ergo MARIÆ spiritum in centro hoc, sicut in centro suo, iam erat Verbum incarnatum. Vndique videt spatium infinitum sibi restare, & illud fore concupiscibile, pratum amœnum floribus, pulchrũ aspectu, gustu suaue, salutiferũ tactũ, quid restat ei nisi, quòd se extendat ad læuam iudiciorum iustorum, ad dexteram sanctificationum sanctorum? Retro ad quæ fecit miranda. Ante ad quæ spectet optanda. Infra ad ea, quæ sunt humilitatis immensę. Sursum ad eam, quæ sunt iucunditatis supernæ, & introeat intra secreta bonitatis diuinæ, & incomprehensibilis maiestatis. Ex quibus partibus integret cãticum nouum, quod cœpit dicens. *Magnificat, &c. Et exultauit spiritus meus.* Et cũ quæratur, cùm secundùm ista nulla sit differentia inter animam, & spiritum, nisi vocalis, quia spiritus est anima, cur in primo versu dixit anima, hic spiritus? Non est dicendum, quòd hoc sit factum pro ornatu locutionis, cùm Spiritus sanctus, qui loquebatur per os Virginis, non attendat ad vocẽ, seu pulchrum vocale, sed ad rẽ exemplarem, & sinonymis non vtatur. Re-

Eccles. 3.
Eccle. vl.
Eccles. 5.
Psal. 15.
Eph. 3.
* forte psallit.
Cantic. 3.

spondeo, puto dicendum, quòd substantialis forma relatiuè dicitur anima, & absolutè spiritus. Dicitur autem anima, quia animat corpus, & animum præstat, quod non facit nisi in coniuncto, sed spiritus est non coniuncta, atque separata anima ipsa. Quia verò illa magnificatio fieri habet, dum est coniuncta, & non cùm est separata, & in contemplatione forti anima rapitur à tali coniunctione, saltem quantum ad sensum actualis informationis, rectè debuit anima hic spiritus nuncupari. Et ideo vt capta vehementissimè ait. *Exultauit spiritus meus*, Quartò sumitur spiritus pro cœtu, seu caterua amicorum, sicut dixit Christus in Cruce. *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*. Lucæ 23. id est, omnes, qui mihi per fidem sunt adhæsuri, & charitatem. *Qui enim adhæret Deo vnus spiritus est cum eo*, ait Apostolus 1. Corinth. 6. Et alibi. *Vnum corpus, & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ.* Vidit ergo nostra cantatrix in extasi posita multos futuros suos deuotos saluandos. Quot enim anima sua ab inferioribus claustris eripuit? Quot de peccatorum voragine eius potentia liberauit? Quot à mundialibus curis eius oratio pretiosa segregat? Quis enumeraret, aut mortuos resuscitatos, aut ereptos à morte, à fama pristina destitutos, vel infinitis miserijs præseruatos? Hos non immeritò dicit spiritum suum non attribuens hoc suis meritis, sed bonitati diuinæ. Et ideo dixit. *Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo*. Quintò dicitur spiritus feruor mentis de quo Apostolis. *Spiritum nolite extinguere*. Et ad Romanos 12. *Spiritu feruentes, Domino seruientes*, id est spiritum, qui est feruor. De hoc etiam intelligitur illud, Genes. 6. *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est*, spiritus inquam, id est, feruor iustitiæ, qui producit effectus similes hominum iræ. In Deo metaphoricè ira Dei spiritus eius, cùm propriè dici debeat feruor iustitiæ. Hic feruor siue spiritus qui distinguitur ab anima increata, sicut actus ab agente, cuius est actus. Hic spiritus exultat, & crescit ex quatuor. Primò quidem ex meritis. Sicut enim gratia crescit ex gratia, quia gratia cõsequẽs est gratia antecedẽs ad aliam, quæ ipsam sequitur, nisi in vacuum recipiatur, vt circa finem primæ secundæ probat sanctus Doctor. Sic charitas perficitur per gradus suos, & finis præteriti gradus est principium futuri, quousque perfectè habeatur in patria. Secundò crescit iste charitatis feruor, qui & spiritus cognitione boni, cùm quodlibet bonum tantùm ametur, quantùm cognoscitur. Tertiò augetur hic spiritus ex vehementiori radicatione in subiecto, in quo est, & hic fortiùs rapit medullitus interiora eius. Quartò suscipit incrementum ex remotione cuiuscumque contrarij, quoniam tunc suos effectus liberiùs agit, & velociùs mouet, & inflammat mentem suam, in qua est. Et ex his concordari possunt disputantes de augmento charitatis, si delectet inuentio veritatis magis, quàm contẽtio, & impugnatio, & iurgia contentionis rabiosæ. Nã primo modo augetur charitas materialiter. Secundò modo effectiuè. Tertio modo formaliter. Quarto modo ex fine. Vnde & quasi finaliter dici potest perfectè hoc ordine exultasse spiritum MARIÆ theotocos pandendo, cùm dicit. *Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo*. Nam quia magnificauit anima mea Dominum, acquisiuit spiritus meus nouum gaudium, seu gradum charitatis, & supra se exultauit, hinc altiùs eleuatus in Deo clariùs de Deo sentiens sublimiùs inflammatus est, & ideo exprimitur *in Deo*. Demum sic inhæsit iste spiritus, sicut amor salutis, qui naturaliter mentibus hominum est insertus. Est enim hic amor salus animæ, & præcipuus beatitudinis effectus, sicut visio cuiusdam fœlicitatis est causa propter hoc dixit *in salutari* Deo, id est Iesu, quia salus est omnium saluandorum. Tandem manifestat quartam causam prædictæ exultationis, cùm subdit *meo*. Nihil aliud reputãs suum prẽter ista duo, scilicet, animam, & Deum. Animam inquam, quia nulli subdebatur, nisi Deo, cui seruire regnare est. Deum verò, quoniam mirabiliter, & singulariter sibi datus est, & in se iam obtinebat. Ideo hunc versum præueniens citharedа Domini, figuras etiam agens, sed non tãtùm, quantùm ista Mater Domini non fuit ausus dicere, meo. Ait enim in Psalm. 9. qui intitulatur pro occultis filij. *Exultauit cor meum in salutari meo*. Plus enim est exultare spiritu, quàm exultare corde. Nemo enim potest exultare spiritu, qui prius non exultauerit corde, cùm spiritus sit effectus volitiuę, siue actus, quem volitiua nõ agit, nisi intellectu exultante, qui hic significatur in corde. Potest autem exultare cor, nõ exultante spiritu, sicut & intellectus intelligere volũtate renitẽte. Istud expressit salutare MARIÆ, Samaritanæ, cũ dixit. Si scires donum Dei, & quis est qui dixit tibi. *Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo.* Ioannis 4. Ecce potuit cognoscere Trinitatem in dono, & eo cuius est donum, atque filium, cum quo nescia loquebatur, & tamen forsitan petiuisset. Exultauit corpore infans in gaudio adhuc obtrusus in vtero matris. Exultauit cor, & caro Prophetæ. Sed exul-

Lucæ 23. *1. Cor. 6.* *Ephes. 4.* *1. Tes. 5.* *Rom. 12.* *Genes. 6.* *Psalm. 9* *Ioann. 4.*

exultauit spiritus perfectæ MARIÆ. Mul A
ta adhuc restabāt huiusmodi, vt totus exul-
taret, quòd oriatur, & crescat, necesse est, &
salutare MARIÆ lymphis perfundat. Et
tunc cùm iordane exultabit, paterna voce
audita, & Spiritu sancto viso in specie cor-
porali. Aliquid restabat dicendum ad plenè
salutandum. Hinc in alio Psalmo dicebat.
Psal. 12. *Exultabit cor meum in salutari tuo, cantabo, & psalmū dicā Domino.* Nondū cāto, sed
cātabo. Nondū valeo talē psalmū cōponere
omino, sed psalmū dicā in V. MARIA de
carne mea futura, cui mihi dederit, cùm di-
xerit de præterito. Exultauit spiritus meus
in Deo salutari meo. Similem actum recitat
Lucas Euangelista de filio Virginis, cuius B
Lucæ 10. omne opus fuit perfectum, dicens. *In illa ho*
ra exultauit Iesus in Spiritu sancto, &c. Sex
tò dicitur subtilissimus sanguis hominis in
quo est vita, qui dicitur spiritus naturalis ho
minis, de quo non insulsè creditur locutus
1. *Tim.* 5. Apostolus 1 ad Tim. 5. *Integer spiritus, cor*
pus, & anima seruetur in diem Christi. Hic
igitur spiritus secundùm traditionem natu-
ralem est corpus tenuissimum ex subtilibus
sanguinibus generatum, quasi quoddam me
dium inter corpus, & animam cum vtroque
habens aliquam conuenientiam, vt ista duo
maximè inter se disparata ligētur invnū, siue
vt anima meliùs operetur in corpore per ta-
lē spiritū. Huiusmodi autem spiritus diuidi C
tur in triplicem, si benè recolo me legisse.
Primus est in corde, & vocatur vitalis, in
quo specialiùs animæ sedes constituitur. Se-
cundus est in cerebro, & dicitur sensibilis,
quia ad corporis sensus vires animæ defert,
vt sua propria obstacula capiantur, & cogni
tiuè moueantur ab eis. Tertius vocatur mo-
tiuus, in epate manens, cuius ministerio
membra corporis proprium motum exer-
cent. Et quia ad aures non transit in homi-
ne, solus homo aures immobiles habet, licèt
viderim Florentiæ puerum aures mouere,
de quo etiam mihi sui narrauerunt, quòd ri-
serit, quando natus est in mundo. Ex his po-
test deduci septem posse fore exultationes D
in homine. Vna est, quando sola caro exul-
tat, & hæc est stolidorum mente captorum,
& fatuorum, quorum læsa sunt organa spiri
tuum, seu spiritus ipsi, & maximè organum
spiritus sensitiui, sic exultant sæpe, phrene-
tici enim exultant. Secunda est, quando so-
lus spiritus exultat, & hæc est multorum
somniantium gaudere putantium, & lætari
de inuentione, vel consecutione rei desidera-
tæ, nec non & multorum vigilantium,
quorum corpora languent, & interiora exul
tant de rebus animæ non proportionalis,
quinimmo plerumque contrarijs, sicut læ-
tari de prostratione hostium. Tertia est, quā
do anima tantùm exultat, & hæc est abstra-

ctorum à sensibus diuinis iubilantium, quæ
fuit in raptu Pauli, & nonnullorum Prophe-
tarum non percipientium læta, nisi mente.
Quarta est carnis, & spiritus, & hæc quàm
plurimorum vanorum choreizantium, &
psallentium ex lætitia corporali, quorum
risus Eccles. 2. *reputauit errorem, & gau-* *Eccles.* 2.
dio, id est gaudenti dixit. *Cur frustra decī-*
peris? Quinta est carnis, & animæ, & hæc
malorum ad mala assuetorum, quæ exultant
in rebus pessimis. Sexta est carnis, & spiri-
tus, & animæ simul, & est perfectorum in
via, eritque omnium electorum post Resur-
rectionem in patria. Nàm anima non exul-
tat, nisi de bono sibi conuenienti, & mul-
tùm proportionato, cui tunc assentit caro,
& spiritus. Cui iam absorpta mors erit in vi
ctoria. De qua cecinit Psalm. 41. *Sitiuit in* *Psal.* 41.
te anima mea, quàm multipliciter tibi caro
mea. Hanc autem non puto possibilem in via
secundùm legem ordinatam: nisi ad horam
tantùm, cum caro sit passionibus subdita,
& non tuta, sentiatque dolores, & doleat.
Septima est, cùm sine carne exultat anima,
& spiritus simul, & hæc est magis continua
in via in perfectis, etiam si ad horam exul-
tatio spiritus videatur intermitti, cùm scili-
cet quis coniunctus cum Deo de infirmitate
fraterna infirmatur, & vritur de scandalis
aliorum cum Paulo, qui tamen dicit, psal-
lam mente, psallam & spiritu. Hoc modo
exultare quæsiuit Helisæus, cùm quæsiuit
per psaltem adduci, quo præsente sensit
manum Domini super se, etiam corpore ta-
bescente, huius rei causa adiunctus est in
Ecclesia organorum pulsatio, & concen-
tuum melodiorum, quia *præuenerunt Prin* *Psal.* 67.
cipes, scilicet Angelici, *coniuncti psallen-*
tibus in medio iuuencularum tympanistria-
rum, sed hoc addo, quia hodie horum fit
magnus abusus, propter quod dicit Hiero-
nymus super illud Apostoli ad Ephes. 5. *Eph.* 5.
capit. *Cantantes, & psallentes in cordibus*
vestris Domino. Audiant hæc adolescen-
tuli. Audiant hi, quibus in Ecclesia psal-
lendi est officium, Deo non voce, scilicet
tantùm, sed corde cantandum, nec in tra-
gædiarum modum guttur, & fauces medi-
camine sunt liniendæ, vt in Ecclesia thea-
trales moduli audiantur, & cantica, di. 92.
cantantes. Sed redeundo ad propositum, pu-
to, ait Ioan. Dom. mox post conceptum ver-
bum sibi donare non solùm exultasse hoc
septimo modo, sed & sexto, qui est perfecto-
rum, quod satis percipi potest ex serie Euan-
gelica. Narrat enim Euangelista, ipsam sta-
tim post discessum Angeli, quòd abijt MA-
RIA in montana cum festinatione, mon-
tes petit, quia salit, quia carne exultat,
festinat, quia currit, & saltat, & psallit.
Choream solam ducit inuisibiliter Angelo-

rum, serpente suppeditato. In cuius figura MARIA soror, Aaron Pharaone submerso choream duxit in tympano, procinens canti eum illud. Cãtemus Domino, gloriosè enim magnificatus est, &c. quod expressit MARIA Mater Domini primò dicens. *Magnificat, &c.* exinde. *Et exultauit spiritus meus*, non quidem in organo, vel alio sono, vt Hæliseus, sed *in Deo salutari meo*. Verùm quia hæc exultatio non fuit magis in ea perfecta, filio concepto, cùm tota esset plena Deo obumbrato Patre, & filio, & Spiritu sancto ad eam fœcundandam. Sed quorsum tangam MARIÆ exhortationis exortum accipere natum, cùm fuerit Deus ipse essentialiter præsens. Illa namque MARIÆ caro patris præsentia fuit obumbrata, ne in decisione sanguinis, vnde formandum erat corpus Christi nascendi, corporalem voluptatem sentiret. Quod cum Dominum corrupta natura non nouit, quod patet in deciso semine in somnis de castissimis vtriusque sexus corporibus, Spiritus sancti præsentia sanguinis illius portionem abscidit, corpusque formauit, ipse verò filius præsentialiter carne ipsius corporis formata, realiter habitauit. Et cur non dicam de Matre, quod dicit Apostolus de filio, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis, & corporaliter: vtroque ergo modo, sed incomparabiliter oritur hæc MARIÆ exultatio ab anima, sed familiariter, sed mirabiliter. Nam ab infantia fuit Beatæ MARIÆ familiaris exultatio spiritus repleta Spiritu sancto, à carne autem nouiter, & ineffabiliter, quoniam non organo, aut psalterio aures demulcẽte, sed Deo carnem incomprehensibiliter commouente, hæc omnia altiora pandit, cùm subbit, in Deo salutari meo, quod pertinet ad tertiam partẽ principalem immiscẽdo eũ secunda, quasi dicat. Alij exultant laudãtes Deum in tympano, scilicet, abstinentiæ. Alij in choro vnitatis, & concordantiæ. Alij in chordis mortificationis interioris. Alij in organo contemplationis, & huiusmodi. Ego verò exulto *in Deo salutari meo*. Et vigilanter attende verba MARIÆ de præterito tanquam de actu consummato dicentis. *Exultauit*. *Spiritus* vitalis in *Deo*. Spiritus sensibilis in *Deo salutari*. Spiritus motiuus *in Deo salutari meo*. *Exultauit*, scilicet primus *in Deo* Patre. *Exultauit*, scilicet secundus *in Deo salutari, &c.* *Exultauit*, scilicet tertius, *in Deo salutari meo*. In corde enim se Pater locauit, quod est fons sanguinis, & sedes animæ, in cerebro refulget filius, vbi est radius luminis; in epate, quod cogit amare, vt dicit Guillelmus, requieuit spiritus auctor sancti muneris; per primum crescit vita gloriosa, per secundum dicitur lux luminosa, per tertium crescit charitas virtuosa. Exultat enim spiritus inquantum vitalis oblitus corporis, subuectus tantùm ad curam animæ, vt sit in Deo omnis vita eius. Et sic viuo ego, iam non ego, viuit autem in me Deus. Exultauit spiritus sensitiuus, quia in cunctis rebus videbo Deum salutare meum per visum rerum creatarum. Namque ad diuinam pulchritudinem contemplandam ascendendo per auditum ipsius suauitate intueor per odoratum fragrantiam sentio, per gustum percipio dulcedinem mirabilem sui, per tactum Dei mei quietem totaliter consolantem, iam clausæ sunt portæ, & fenestræ corporis, nec per eas leuissima potest intrare vanitas, quia in rebus, vt præfertur, nisi Deum non sentio. Et aperti sunt in me oculi, quia etiam erant aperti in Adam ante peccatum, & totaliter effossi, qui post peccatum sunt apti, sicut scriptum est, quia aperti sunt oculi amborum. *Exultauit spiritus meus* motiuus ad dilatandum, & magnificandum diuinam gloriam. Miraris fortassis, quòd Virgo pudica solitudinis amica, in penetralibus templi nutrita, tanta honestate prædita, vt neminẽ virorum cognoscat, cuius intuitus ad videndam paternam faciem nunquam fuerunt eleuati, quæque soli Deo in abscondito consueuit ministrare, facta sit peregrina, siue viatrix, & ad domum pergit Zachariæ, & ibi *mansit mensibus tribus.* Lucæ 1. Lucæ 1. non tanquam eam delectaret ædes aliena, aut pudicitiæ fræno soluto in publico amet exire. Sed hãc tuam admirationẽ soluit, dicẽs. *Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo*, qui dirigit gressus meos in semitis suis, vt non moueantur vestigia mea. Ipse ducit, & reducit, & quiescit, & mouetur in me, cuius sum plena, nec aliter moueor in motum, quã in naui existens, sedet quidem vel iacet, & ducitur à spiritu concitato, quò per se ire non posset: ergo *quam pulchri sunt gressus tui filia Principis*, dicitur Cant. 7. in canticis, mater Dei, sponsa, sacrarium Spiritus sancti, virtutum Arca, baiula mundi, benedicta in seculis. Septimò & vltimò dicitur Spiritus ipse Deus. Ioan. 4. *Spiritus est Deus*, & sicut Deus Pater, Filius Deus, Deus Spiritus sanctus, nõ tres Dij, sed vnus Deus, Spiritus Pater, Spiritus Filius, Spiritus sanctus Spiritus, & hi tres vnus Spiritus. Nescio, quare non possit dici Deus Trinitas, spiritus MARIÆ non principatiuè, sed possessiuè, sicut dicitur Deus rationalis creaturæ, iuxta illam communem hominum vocem. *Deus Deus meus ad te de luce vigilo*, præsertim cùm Verbum Dei sit realiter filius eius, secũdũ carnẽ ab ipso procedẽs pater fit mirabili modo spõsus eius, & ipse Spiritus sãctus artifex eius. Exultauit ergo Spiritus meus, id est Pater, & Filius, & Spiritus sãctus, Ioann. 1.

in

in Deo salutari meo, qui est filius vnigenitus in cœlis sine matre, in terris filius virginis sine patre. Quòd pater, qui spiritus est, exultet in filio, attestatur ipse apertè dicens. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè com-*
Matth. 3 *placui.* Matth. 3. Tuncque spiritum exultasse in verbo ostendit in columbæ specie in baptismo, & nubis lucidissimæ in transfiguratione incidens super ipsum. Cur autem verbum non exultet in se, non video cùm sit subiectum exultationis Dei. Necnon capit mens, quod obscurè sentit à longè nimis, nec illam caliginem exprimere valet. Quis enim tantæ profunditatis existat in via, vt capiat, vel etiam ex parte, cùm pater, & filius, & spiritus almus sint vna lex, vna sapientia, vnum lumen, vna notitia infinita distincta in personis, indiuisa in essentia? Ipse tamen filius est propriè verbum, de quo pater vniuersa creat, & de cuius fonte loquitur spiritus eius, qui solus est sapientia patris, & Spiritus Sancti, necnon, & suijpsius, sicut verbum nostri intellectus est solùm notitia intellectiuæ potentiæ, & volitiuæ in quo, videbimus lumen sine quo non potest pater intelligi, nec spiritus eius, quoniam Deus non esset, si non actualiter intelligeret, in hoc enim omnis turba beatorum exultat, cùm sit lux, *& lucerna*, quæ vitam supernam
Apoc. 21. illustrat sola, quemadmodum Ioan. in Apoc. testatur. Hic filius solus est idea perfecta omnium rerum increatarum, & etiam Creatarum. Huic singularissimè canunt Prouerbia, cantica, & sapientia Salomonis, & liber Iesu filii Sirach, propter quam nescio irrefragabilem veritatem præteriti Patres in Spiritu Sancto cantari mandauerunt Patri æterno à nobis, dum sumus in via. Per quem Christum maiestatem tuam laudant Angeli, adorant dominationes, &c. Sic igitur creator, & creaturæ exultant in Deo salutari meo, qui latet inclusus essentialiter inviscer ibus meis omnis exultatio est in me. Quid ergo miraris si curro, & salto, si canto, & iubilo, si omnem mundum festiuis vocibus pulso? In me Pater per omnipotentiã, Verbum per sapientiam, Spiritus Sanctus per infinitam charitatem, exultant in me omnes Angeli, qui non cessant filio meo cantare. Modulatis vocibus iubilant in me omnes Patriarchæ, & Prophetæ, qui voluerunt videre, quod habeo, & non viderunt, cùm Abraham, qui desiderauit videre diẽ meum, vidit figuratiuè, & gauisus est miranda lætitia. Exultat ergo tota MARIA de Deo cum tota Trinitate dicens: *Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo* Si autem tibi videtur difficile Deum exultare, qui immobilis manens dat cuncta moueri, verum, id est, simul cum omnia gaudia delectationes, & festa syncera, qui pro modulo tuæ capacitatis comprehendere vales, & respectiuè ad diuinam exultationem scias, illa luctus fore, atque mœrores, & tamen, nisi per vocabula nostra dici non potest. Hæc autem à longè videns dicis. Exulta Deus: quia exultationes numeras inter gaudia tua, & tamen, quæ sit exultatio talis, nõ capis, ac si spiritu tuo exultare sentires, gustaresque id, quod non licet homini loqui. Quia ergo vsum nescis diuinorum terminorum, non nosti terminos tuos, illis vtaris necesse est. Dices ergo ineffabile exultauit: quia te facit. Est enim vnus spiritus tecum, illo autem exultante tu exultas, & quia tuã exultationem percipis, qui mobilis es, illum pronuntias exultare, qui tamen non mouetur. Exultat ergo Deus spiritus meus: quia exultare facit spiritum meum in se Deo salutari meo. Et sic intelligitur illud Apostoli. *Ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*: quia nos postulantes facit gementes, sed quia Virgo non habuit, vnde gemeret, tota lætabunda ait. *Exultauit spi-* *Roman. 8*
ritus meus in Deo salutari meo.

De concordia Cantici Magnificat cum oratione Dominica: scilicet, Pater noster, in quo continetur materia vnius Quadragesimæ. Cap. 30.

DIligenter autem aduertè, quòd Beata Virgo magnificans Dominum in Canti co isto, & exultans in eo multum ordinate docet Dominum magnificare, & laudare in oratione, sicut & filius eius iam prædicator existens docuit orantis, & exultantis mentes ordinari, vbi orationẽ expressit d cés, *Pater*
noster, &c. Et hoc dicit *Magnificat*. Secun- *Matt. 6.*
dò debet confidenter instare ad obtinẽdum: quia *Pater noster* est, & hoc dicit *exultauit*, & non te moueat quod dixit, scilicet, *in Deo salutari meo*: quia taliter erat suum, quòd non erat alterius: quia de substantia eius corpus suum. Tertiò debet humiliter incipere ad descendendum: quia ipse *est in cœlis*, & illa in terris. Vnde hæc ait. Quia *respexit humilitatem ancillæ, &c.* Quartò debet nomen Domini sanctificare: quia *sanctificetur nomen tuum*. Et hæc dicit. *Quia fecit mihi magna, & sanctum nomen eius.* Quintò debet Regnum Dei postulare, quod non potest, nisi diuina misericordia fieri. Vnde *adueniat Regnum tuum*. Et hæc subiungit. *Et misericordia eius, &c.* Sextò diuinæ voluntati se debet conformare, quæ eius potentiæ æquipoller. Omnia enim quæcumque voluit, fecit. *Vnde fiat voluntas tua, &c.* Et hæc ait *Fecit potentiam in brachio suo.* Septimò debet diuinam iustitiam esurire. Beati enim, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam. Et hic est *panis quotidia-*

nus

nus. Hinc canit ista, *Deposuit potentes de sede, &c.* Octauo debet peccatorum veniam esurire, qui est satietas mentis, & gloria, hæc enim est gloria nostra testimonium conscientiæ nostræ, vnde subditur. *Dimitte nobis, &c.* Et ista Psaltes ait. *Esurientes implevit bonis.* Nonò debet immunitates tẽtationum hic sentire dicens. *Et ne nos inducas, &c.* A quibus liberamur, si Domino iungamur, iuxta illud Iob. *Pone me iuxta te.* Et hoc est, quòd cantatrix nostra dicit. *Suscepit Israel, &c.* Decimò debet omnium malorum libertatem exquirere. Et hæc est fœlicitas, quam promisit Dominus Abrahæ, & semini eius in secula. *Sed libera nos à malo*, finitur oratio Dominicalis, Amen. Ioannes Dominici.

Iob 17.

A

B

§. I.

ET quia ostensa est correspondentia orationis Dominicalis ad istud Cãticum Magnificat, incidenter ponentur solùm puncta tangendo quomodo talis oratio Dominicalis docet nos, & recta de Deo sentire, & iusta ab eo, & nobis necessaria postulare. Et per totam vnam Quadragesimam prædicare materias eius, quasi summam Theologiæ, quò præcipuè ad agenda pro salute nostra, & valdè etiam necessaria sciri à quocumque. Nam cùm primò dicitur *Pater*, loquendo ad Deum, aduertendum, quòd Deus Pater est creatione, prouisione, seu gubernatione. Et hic de prouidentia Dei, & hæreditatis suæ collatione. His tribus modis dicitur Pater, & prima die Quadragesimæ *dicitur Pater vester in abstonato, &c.* Cùm subditur, *noster*, insinuatur mysterium incarnationis: quia factus noster frater, & amicus, magister, & præuius, sanator, & medicus. Vnde secunda die in Euangelio dicitur. *Ego veniam, & curabo eum.* Tertio modo notatur perfectio Dei, ibi. *Qui es*, hoc est nomen Dei principale. Ego sum, qui sum, vbi includitur immutabilitas, æternitas, & bonitas eius infinita. Et in Euangelio. *Pater vester cœlestis perfectus est*, & præcipuè, quantũ est bonus etiam ad inimicos, in quo est imitandus. Quartò manifestatur eius potestas: quia *in cœlis* est. In cœlis materialibus ad influentiam dandum. In cœlis intellectualibus, id est, Angelis ad ordinandum. In cœlis doctrinalibus scripturæ sacræ ad illuminandum. Et in Euangelio. *Confidite, &c.* Vel meliùs. *Erat nauis* Ecclesiæ *in medio maris*, scilicet, in mundo.

Matt. 6.

Matth. 8.

Matth. 5.

Matt. 8.

C

D

§. II.

QVintò incipiunt petitiones. Et quia magis debet quilibet diligere Deum, quàm seipsum, ideo primò postulatur, quod ad Dei honorem pertinet, scilicet, vt glorificetur, & sanctꝰ habeatur, ab omnibus *sanctificetur nomen tuum*, id est, sanctum habeatur ab omnibus nomẽ Patris nostri Iesu Christi. Est ergo nomen eius triplex, scilicet, Emanuel, id est, Deus nobiscum, Christus, vnde nominantur Christiani, & Iesus. Sanctificetur igitur nomen patris nostri cœlestis, quod à nobis fit cùm non recipimus in vacuum gratiam prout admonet Apostolus in Epistola 2. Corinth. 6. *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Est triplex gratia. Prima est generalis, id est, omne beneficium, & bonum, quod habemus, & ista est gratia Dei: quia à Deo omnia habemus. Secunda gratia est spiritualis, quæ scilicet, non datur omnibus, sed specialiter Christianis, bonis tamen, quæ dicitur gratia gratum faciens; hanc habemus à Christo, qui est causa exemplaris nostræ gratiæ, vnde nominamur Christiani à Christo. Et Christus interpretatur inunctus, scilicet, vnctione gratiæ. Tertia est gratia finalis, quæ producit ad gloriam; hanc habemus à Iesu, qui interpretatur Saluator: quia merito suæ passionis nos saluauit, & aperuit ianuam supernæ gloriæ. *Sanctificetur nomen tuum*, ergo quod fit, cùm non in vacuum gratia Dei recipitur, sed recognoscitur à Deo omne beneficium, cum gratiarum actione gratia exercetur ad augmentationem, & per seuerando per gratiam finalem peruenitur ad salutem, & glorificationem, & sic sanctificatur nomen Dei Christi, & Iesu.

2. *Cor.* 2.

§. III.

SEcunda petitio est, *adueniat Regnum tuum.* Præcipuè Regnũ Dei est vita æterna, sed ad hoc peruenitri non potest, nisi per aliud Regnum Dei, quo scilicet, Deus regnat in nobis. Vnde Saluator Matth. 6. *Quærite primùm Regnum Dei*, id est, ante omnia, vel primum, & præcipuum, quod est vita æterna, ad quam petijt latro bonus in cruce admitti, dicens. *Memento mei Domine dum veneris in Regnum tuum*, quod vtique Christus exaudiuit, dicens. *Hodie mecũ eris in Paradiso.* Luc. 24. Et subdit Saluator ipse aliud supradictum, *quærite, &c.* Et iustitiam eius, id est, Regnum virtutum: quia aliter illud præcipuum supernum non posset haberi, iustitia autem: quia ait Philosophus in lib. Ethi. est omnis virtus. Vnde Apostolus ad Rom. *Regnum Dei non est esca, nec potus, sed iustitia, pax, & gaudium in Spiritu Sancto*, ex virtutibus enim comprehensis in iustitia sequitur pax maxima, & gaudium verum in mente. Sicut enim non peruenitur ad cœlum empyreum, vbi manifestatur gloria sanctorum, nisi transactis nouem cœlis, scilicet, cœlo Lunæ, cœlo Mercurij, cœlo Veneris, cœlo Solis, cœlo Martis, cœlo Iouis, cœlo Saturni, cœlo stellifero, seu firmamento, cœlo aqueo, seu crystallino secundùm Theologos, quod est primum mobile. Nam

Matth. 6.

Lucæ 24.

Rom. 14

quod

quod sequitur decimum, scilicet, empyreum firmum est, & nunquam mouetur, sicut & sancti firmati sunt in gloria. Alij autem cœli mouentur nouem. Sicut & virtutes omnes in nobis viatoribus mouentur per diuersos actus, & per augmentationem, & generationem, & corruptionem earum in hominibus. Sunt ergo tres cœli virtutes morales, temperantia, iustitia, prout virtus specialis, non generalis, & fortitudo. Tres alij cœlorum virtualium sunt virtutes intellectuales, scilicet, prudentia, sapientia, & scientia. Tres alij sunt virtutes Theologicæ, scilicet, fides, spes, & charitas, quæ propinquiores nos Deo faciunt. Et post has virtutes in fine aduenit Regnum Dei in nobis, ita scilicet, quòd nos peruenimus ad ipsum, sed priùs oportet, vt veniat in nobis Regnum istarum virtutum. Et quia nullam virtutem à nobis habere valemus, nisi à Deo, ideo docet nos eas petere pro nobis, & proximis nostris cùm docet nos orare, dicendo. *Adueniat Regnum tuũ.* In quolibet cœlo firmabimus nos per vnam diem, de illo loquendo. Et incipiendo ab vltimo, scilicet, cœlo Lunæ significante temperantiam. Ad hanc inducit nos Ecclesia Quadragesimali sua obseruatione, proponens Domini nostri exemplum: quia dicit Euangelium hodiernum. Matth. 4. *Ductus est Iesus in desertum.* Desertum est locus continentiæ, & austeritatis. Per istam ergo virtutem temperantiæ deseruntur delectationes venereorum, primò per castitatem, secundò deseruntur inordinationes ciborum per sobrietatem, tertiò deseruntur elationes vestimentorum per modestialitatem. Communiter in deserto ista seruantur, quæ in summa perfectione Christus seruauit, vt meritò dictum sit, *ductus est Iesus in desertum*, scilicet, temperantiæ. De his habes copiosè supra in tractatu de virtutibus, de qualibet harum ibi vide, & sume, quæ oportet breuiter. Secundùm cœlum est iustitia, quæ secundũ Philosophum est duplex, scilicet, distributiua, & cõmutatiua. Et distributiua pro isto sermone, ad quẽ pertinet distribuere honores, & præmia bonis, dolores, & supplicia malis. Et discernere operationes, & causarum merita diligenter sine personarum acceptione. Et hìc de conditionibus iudicum, & rectorum, quas debent habere, quas omnes optime seruabit iudex noster, & Dominus omnium in finali iudicio. Et quæ corrumpunt iudicium, quæ ibi esse non poterunt, &c. Vide in 3. part. de materia iudicum in cap. 1. Et sume prout placet, adducendo ad finale iudicium. Thema enim de Euangelio est. Iusti in vitam æternam, scilicet, ibunt. Tertium cœlum, seu pars huius cœli tertij, quod dicitur Mercurij cœlum, qui secundùm Gentiles dicitur Deus mercatorum, est iustitia commutatiua, in qua quotidie se habent exercere, in diuersis contractibus emptionis, & venditionis, permutationis, & mutuationis, vbi fiunt multæ fraudes, quæ sunt contra iustitiam commutatiuam. In quidditate, in qualitate, & quãtitate, siue numeri, siue mensuræ, ponderis, siue pretij, siue recompensationis, vt cum vult duas pro vna, vt in vsuris, de quo Euang. Omnes eijcit Christus, scilicet, de templo *vẽdentes, & ementes, &c.* De his in 2. part. in tit. 1. Quartum cœlũ est virtus fortitudinis, & hæc consistit in debita aggressione arduorum, in cõstanti toleratione aduersorum, & in finali perseueratione laboriosorum, & Euangelium est *Filius hominis erit in corde terræ, scilicet*, in lapide, qui significat fortitudinẽ *tribus diebus, & tribus noctibus*, id est, in his tribus dictis in die prosperitatis, & in nocte aduersitatis, vide de his, supra de virtutibus. Deinde sequitur de alijs tribus cœlis, id est, virtutibus intellectualibus, scilicet, prudentia, quæ est triplex, scilicet. Ethica quo ad seipsum benè agendum. Oeconomica quo ad familiam suam, & Politica quoad ciuitatem suam. Et Euangelium dicit. *Veritas liberabit vos*, scilicet, à peccato: veritas, scilicet, prudentiæ, quæ est recta ratio agibilium. Deinde de scientia, vt scilicet, cognoscat se quo ad animæ nobilitatem, quoad corporis vilitatem, & quoad cõditionem suam. Et in Euang. *Surge* ad animæ nobilitatem contemplandam. *Tolle grabatum tuum*, quoad corpus, &c. *Ambula* sciendo lectum, vel stratum tuum. De sapientia cognitionis diuinorum per contemplationem in Euangelio. *Duxit Iesus discipulos in montem excelsum.* De hoc supra, de dono sapientiæ. Tres alij cœli sunt virtutes Theologicæ, & de fide in Euangelio de Chananea. *Magna est fides tua*, vide de fide. De spe ex Epistola. De charitate, feria 2. in Euang. *Ego de supernis sum*, vbi est perfectissima charitas, vide supra de charitate.

Matt. 4.

Matt. 21

Luca 11.

Ioann. 8.

Ioann. 5.

Matt. 17.

Matt. 15.

Ioan. 8.

§. IIII.

IN tertia petitione dicitur. *Fiat voluntas tua, &c.* Et hæc triplex secundùm illud Apostoli ad Roman. 12. *Voluntas Dei bona benè placens, & perfecta.* Bona quidem est in vitatione prohibitorum, benè placens in obseruatione præceptorũ, perfecta in adimpletione consiliorum. Primò dicatur de præceptis negatiuis, vt est primum, & secundũ legis Decalogi, & respiciunt Deum. Et per primum prohibetur omnis superstitio, qua non rectè colitur Deus, vide in 2. parte de superstitionibus. Per secundum prohibetur periurium, & blasphemia, de quibus ibi in suis capitulis. Sequentia respiciunt proximum, vt scilicet, non offendatur in persona pro-

Roman. 12

propria. *Non occides.* Non in coniuncta. *Non mœchaberis.* Non in substantia. *Non furtum facies.* Non in fama. *Non loqueris falsum testimonium*, vbi de mendacio. De quibus habes in 2. parte in cap. propriis. Vltima præcepta negatiua respiciunt subiectum proprium quò, scilicet, ad desideria mala. *Non concupisces rem proximi tui, &c.* Præcepta affirmatiua sunt duo, scilicet, de sanctificatione Sabbati, de obseruatione festorum, secundum deveneratione parentum, & hoc, scilicet, reuerendo, obediendo, & subueniendo. Voluntas Dei perfecta est in obseruatione consiliorum, scilicet, obedientiæ, castitatis, & paupertatis, de quorum horum vnus sermo, nisi quòd de consilijs tribus vnus sufficit. Et de vltimis duobus præceptis, scilicet. *Non concupisces, &c.* Etiam vnus expediet materiam. Si quis vult aliquã tulum fantasia laborare, sine difficultate themata ex Euangelijs occurrentibus de die in diem congruentia ad materiam inueniet. Sed sine hoc potest continuari materia, & postea Euangelia exponere, nec multùm refert.

Exod. 20

§. V.

IN quarta petitione *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Est autem septuplex panis spiritualis, quibus nobis datur gratia ad faciendum voluntatẽ Dei, quæ est, vt virtuosè viuamus, signata per septẽ panes quibus Christus satiabat turbas in deserto. Et quidã ex his dantur nobis in ingressu, vt baptismus, & confirmatio. Quidam in progressu, vt Eucharistia ad confortandum. Pœnitentia ad medicandum. Matrimonium ad multiplicandum naturaliter. Ordo ad multiplicandum spiritualiter, scilicet, per administrationem Sacramentorum, & instructionem populorum, quæ ad ornatum pertinẽt. Extrema vnctio datur nobis in egressu, scilicet, de mundo. Et de istis tribus potest fieri vnus sermo, scilicet, baptismo, confirmatione, & extrema vnctione, declarando præcipuè de effectibus eorum, & necessitate sumendi. De Eucharistia, & de excellentia ipsius Sacramenti, & vtilitate. Nam de præparatione digna in cœna Domini dicetur. De pœnitentia tres sermones, vnus de contritione, secundus de confessione, tertius de satisfactione, & præcipuè quoad restitutionem faciendam. De ordinis Sacramento vnus sermo. Et ibi quomodo oporteat eos reuereri etiam si sint mali. Et de potestate eorum in Sacramentorum confectione, vt Eucharistiæ, quantumcumque essent mali. In absolutione peccatorum, clauetamen non errante, & ideo docti quæri debent. In excommunicatione per Episcopos faciendã, quantùm nocet, & quantùm debet obseruari. De Sacramento matrimonij vnus sermo, & ibi de aliquibus impedimentis, contra quæ sæpe fit ex ignorantia, & de illis, quæ dirimunt. De actu coniugali, prout videtur necessarium, semper tamen omni honestate verborum seruata, & non necessaria. Et de diligentia habenda in contrahendo, & causa. De Sacramentis autem habes diffusè in 3. par. in materia Sacramentorum.

§. VI.

IN quinta petitione dicitur. *Dimitte nobis debita nostra.* Triplex autem debitum contranimus cum Deo. Primum est peccatum originale, quod ex parentibus contrahimus, hoc nos constituit debitores priuationis diuinæ visionis, propter quam fœlicitamur, sed per baptismum deletur, seu soluitur. Secundum est peccatum actuale mortale, per quod efficimur debitores gehennę, & per pœnitentiam veram soluitur. Tertium est veniale, quod facit nos debitores pœnæ temporalis hic, vel in purgatorio, & multipliciter illud soluitur. Sed quia præcipuum debitum est mortale, ideo de his præcipuè agendum, quæ reducuntur ad illa tria, de quibus Ioan. in Canõ. sua ait. *Omne quod est in mundo*, id est, in mundanis peccatoribus, *aut est concupiscentia carnis*, aut *concupiscentia oculorum*, *aut superbia vitæ.* Sed vt apertiùs dicatur ista sunt septem, quæ capitalia dicuntur: quia capita sunt, & præcipua multorum aliorum, quæ à se oriuntur, scilicet, superbia, quæ secundùm aliquos includit inanem gloriam. Auaritia, luxuria, inuidia, gula, ira, accidia. Vnde versus datur, qui ista septem continet in isto nomine. Saligia cuius litteræ sunt principia nominũ dictorum vitiorum. Versus. Vt tibi sit vita semper saligia vita. Beatus Gregorius, tamen in moralibus, ponit inanem gloriam vnum ex septem capitalibus, & superbiam Reginam, & matrem omnium istorum septem, quem sequitur Beatus Thom. 2. 2. Ad quod videtur facere, quod ait Salomon Eccles. 11. *Da partes septem necnon, & octo*, id est octauam, vt scilicet, soluas integraliter ista debita, si incurristi per pœnitentiam. De quolibet ergo sit vnus sermo, prout occurrit Euangelio, & pœnitendo roga Deum, vt dimittat: quia sine ipso factum est nihil in pœnitentia. De his habes diffusè in 2. parte diuersis titulis, & capitulis, vbi vide, vel in 2. 2. Et secundùm ordinem assignatum Dominica in Ramis Palmarum de superbia contraria humilitati, quam Christus ostendit in eo, quod dicitur. *Ecce Rex tuus, &c.* In Euangelio, vel in Epistola. *Humiliauit semetipsum, &c.*

1. Ioan. 2.

Eccles. 11.

Matt. 21. Phil. 2.

§. VII. In

§. VII.

IN sexta petitione dicitur. *Et ne nos inducas in tentationem.* Vbi notandum, quòd triplex est tentator, secundùm Apostolũ ad Ephes. *Non solum est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, &c.* Et in sequẽtia. Mũdus, caro, Dæmonia, diuersa mouent prælia. De tentatione ergo mundi, & suis vanitatibus 2. feria, vbi dicitur in Euangel. nunc iudicium est mundi, materiam habes in secunda parte in tit. de luxuria, in cap. de amore, huius seculi. De tentatione Diaboli feria 3. *Simon, ecce Sathanas expetiuit vos, &c.* Vel melius *vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.* De tentatione carnis, & passionibus sentitiuæ partis, quæ sunt multæ in Epistola, *verè dolores nostros ipse portauit.* Vel *cœpit Iesus tædere, & pauere, & mœstus esse*, quæ passiones sunt feria 5. de tentatione, qua tentantur homines circa communionem. Aliqui vt non plene credãt. Alij vt non ad ipsam accedant. Alij vt indigne eam sumant, vnde in Epistola. *Probet autem seipsum homo*, scilicet, circa huiusmodi. Et ibi de debita præparatione ad Sacramentum Eucharistiæ sumendum.

Eph. 6. *Lucæ 22.* *Matt. 26* *Isai. 53.* *Mar. 14.* *1. Cor. 11.*

§. VIII.

SEptima petitio est. *Sed libera nos à malo.* Hodie hoc petit genus humanum à Christo pendente in cruce. Vbi petit liberari à triplici malo, quod sustinebat, scilicet, ignorantiæ. Sed ad hoc liberat verbo suæ doctrinæ in cruce, per septem verba sacratissima quorum vnum est de dilectione inimicorum. Orat enim pro eis. *Pater dimitte illis, quia nesciunt, &c.* Ignorant enim homines hanc veritatem, scilicet, debere parcere inimicis. Et sic considera de alijs diuersa monita. Secundò à malo culpæ, quæ sicut sunt septem, ita septies effudit sanguinem ad liberandum ab huiusmodi culpis, in circumcisione, in horto, in flagellis, in coronatione de spinis, in effusione sanguinis de manibus, item de pedibus, & demum de latere lancea transfixo. A malo pœnæ multiplicis, vt gehennæ, & mortis corporalis, & aliàs à quibus demum liberat merito suæ passionis. Sabbato Sancto, cùm anima eius esset in limbo, animæ illæ, quæ ibi erant, dicunt libera nos à malo, scilicet, illarum tenebrarum, quas ibi patiebantur. Vbi dicendum est de diuersis locis inferni. In die Resurrectionis petens humanum genus liberari per suam resurrectionem à malis, ostendit per exemplum in sua resurrectione, quomodo liberabitur demum ab hominibus malis, illis, qui Christo erunt vniti per gratiam, si hæc habebunt spiritualiter dotes corporis sui glorificati, scilicet, charitatem prudentiæ, agilitatem obedientiæ, seu iustitiæ, subtilitatem temperantiæ, impassibilitatem constantiæ. Et per dotes animæ à malis animæ, quæ hic patitur, & de dotibus corporis. Vnde de gloria animarum, & corporum beatorum dic vt placet, & de Christi resurrectione per quam ab his omnibus malis liberamur. Vnde concluditur, Amen. Quod est affirmatiuum eius, quod dictum est.

Lucæ 23.

De partu Beatissimæ Virginis. *Cap. 31.*

PEperit filium suum primogenitum. Lucæ 2. In ipso autem partu ne omnino esset occultus, stella magis in Oriente. Sibylla Octauiano in Occidente Imperatori, Angelus in Iudæa, quæ dicitur in meditullio mundi apparens cum maxima claritate, & splendore, pastoribus manifestauit istam sanctissimam natiuitatem, dicens. *Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Saluator.* Et cùm ipsa multitudo militiæ cœlestis exultans cœpit canere. *Gloria in altissimis Deo.* Lucæ 2. Si ergo tantùm lætatur sublimitas Angelorum, multò magis iucundari, & festiuare debet humilitas hominum, ita per hoc sublimata: quia natus est principaliter nobis. *Non enim* (vt ait Apostolus ad Hebr. 1.) *Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit* de Virgine natus, quæ peperit filium suum primogenitum. Et ad hoc exhortatur Leo Papa in serm. dicens. Saluator noster, dilectissimi, hodie natus est, gaudeamus, neque enim fas est locum esse tristitiæ, vbi natalis est vitæ. Nemo ab huius diei alacritate secernitur, vna cunctis lætitiæ communis est ratio. Exultet iustus: quia appropinquat ad palmam, animetur Gentilis: quia vocatur ad vitam, gaudeat peccator: quia inuitatur ad veniam. Verbum enim Dei, Deus Filius Dei ad liberandum hominem ab æterna morte factus est homo. Hæc ille. Ecce causa lætitiæ. Certè si aliqua ciuitate obsessa à pessimis inimicis, homines illius fame, & siti deficientes omnes in procinctu essent, vt traderentur in ore gladij ad mortem, quidam aduenies liberaret, quis ibi esset, qui non summè gauderet, & solemnia ageret? Ciuitas huius mundi obsessa, etsi possessa erat à Diabolo, & Angelis eius, deficiebant homines fame veritatis, & siti bonitatis. Cùm hinc migrabant, ad mortem æternam descendebant. Venit de cœlo Rex ille magnus, factus paruus, & liberauit mundum virtualiter, & causaliter per sapientiam suam. Venit ad nos quando peperit Beata MARIA filium suum vnigenitũ. Ipse est Rex fortis, & potens in prælio contra antiquum hostem, & ideo gratulari omnes oportet, non in mundo, sed in Deo, non in corpore, ipsum ornando, & vitiosè delectando,

Lucæ 2. *Lucæ 2.* *Hebr. 1.*

ctando, sed in spiritu, & animo, qui liberatus est Huius figuram præcessit, quando tempore Ezechiæ Regis Iuda obsessa erat ciuitas Regalis Hierusalem ab immensa multitudine exercitus Sennacherib Regis Assyriorum, & ita coarctata, quòd homines eius timentes eam capi, in multa amaritudine, anxietate, & lachrymis residebant. Sed media nocte Angelus descendens de cœlo liberauit eam, occisis centum octoginta tribus millibus de exercitu Sennacherib, propter quod confusus, & deuictus reuersus est vacuus in terram suam. Populus autem liberatus multis diebus festiuauit, gratias agens Deo, expletus multis diuitijs de spolijs inimicorũ. Quam historiam licet obscurè, videtur tangere, & figuram Isai. 9, vbi ait. *Populus gentium, qui ambulat in tenebris, vidit lucem magnam, & sedentibus in vmbra mortis*, id est, in timore, & tristitia, *lux orta est eis*, scilicet, Angelus illuminans, prosternens inimicos, & ex liberatione lætificans eos, & quasi figuram exponens, & illuminationem, & liberationem ostendens, paulò post subdit. *Paruulus enim natus est nobis*, scilicet, Iesus. Et de magnificentia eius dicit. *Vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus*, loco quorum nominum, 70 posuerunt Magni consilij Angelus. Hic est, qui media nocte nascens venit ad nos, prosternens virtualiter Dæmones inimicos nostros. Et de cœlo vteri virginalis venit, cùm scilicet, Beata MARIA peperit Filium suum vnigenitum. In quibus tria possunt notari, & considerari. Primò, fœcunditas gaudiosa, ibi. Peperit. Secundò, virginitas generosa, ibi, filium suum. Tertiò, vtilitas amorosa, ibi, vnigenitum.

Isai. 9.

§. I.

QVantùm ad primum sciendum, quòd quia in veteri testamento multiplicabatur cultus diuinus per carnalẽ propagationem: quia solùm illi de populo Iudæorum colebant verum Deum, alijs nationibus idolatriæ deditis, ideo vacabant illi patres, & mulieres generationi filiorũ, vt ipsis multiplicatis multiplicaretur cultus diuinus, scilicet, à multis exercitatus. Et sterilitas tunc erat in opprobrium etiam virginitatis, quasi res infructuosa, fœcunditas in commendationem, & gloriam. Vnde Beatus Hieron. contra Iouinianum. Quis ignoret sub altera, vel alta Dei dispensatione, omnes retro sanctos eiusdem fuisse meriti, cuius nunc sunt Christiani? Quomodo Abraham placuit Deo in coniugio, ita nunc Deo placent in castitate. Seruiuit ille legi, & tempori suæ, seruiamus, & nos legi, & tempori nostro, in quos fines seculorum deuenerunt, 34. quæst. 4. quis ignoret. Verum illa fœcunditas mulierum erat cum dolore maximo. Vnde dictum fuit, & datum à Deo in punitionem, & maledictionem propter transgressionẽ Dominici præcepti primæ matri Euæ in persona omnium matrum. In dolore paries filios, qui dolor procedit ex aperitione meatuum, & illorum locorum, ex quibus egreditur puer de vtero matris. Sed ab ista maledictione fuit exclusa Beatissima MARIA, & opprobrio sterilitatis. Peperit enim, nesciens Mater Virgo virum sine dolore Saluatorem seculorum. Sicut enim Christus corpus suum resuscitatus traxit de sepulchro, ipso remanente clauso, & signato sigillo summi Sacerdotis, sic exiuit nascens de vtero Virginis saluo signaculo virginali, vnde nullum dolorem sensit, sed summum gaudium. Isai. 35 de ea dicitur. *Exultabit solitudo*, id est, Virgo, non viro comuncta, *germinans germinabit lætabunda, & laudans*, id est, pariet, sicut germinat terra, vel arbor absque aperitione, ita Beata Virgo sine violatione cum magna lætitia dixit ipse Iesus natus cùm exhortaretur discipulos suos ad tolerantiam passionum. *Mulier, cùm parit tristitiam habet: quia venit hora eius*, scilicet, partus, & doloris. *Sed cùm peperit*, scilicet, masculum, *iam non meminit præssuræ, propter gaudium: quia natus est homo in mundum.* Ita enim gaudet ex partu masculi: quia sperat inde gloriam, & vtilitatem sibi, & domui cõsequendã. Quantũ igitur gaudiũ habuit Beata MARIA, quæ nullam mixturam habuit doloris in partu suo, vt habent mulieres, & sciret Deum se peperisse, & hominem ad sui gloriam, & honorem, & mundi totius saluationem? Sed ò Virgo Beatissima etsi propter impuritatem nostram indigni sumus te alloqui præ magnitudine dignitatis, & sanctitatis tuæ, tu enim inclyta benignitate tua dignare nobis edissere, vnde gaudium tibi in partu isto, cùm sola inueniaris cum vetulo sponso tuo Ioseph non in domo à frigore, & ventis protecta, sed in pandochio vndique tenebroso, & magis animalibus, quàm hominibus apto. Non conformata à societate mulierum te visitantium, vt consueuit, sed ab omnibus fœminis segregata. Non in lecto quiescens, sed in terra, vel lapide duro. Non tibi ignis deseruiens, sed frigus intensum medię noctis. Non pannis calidis te, vel puerum, aut sericis cooperiens, sed modicis, & vilibus pannis eum inuoluit, ac fœno cooperuit. Nec ibi cibi solemnes, & delicati parati, quibus indigent mulieres in partu. Non confectiones, non vina pretiosa. Vnde ergo tibi gaudium, & delectatio in tanta paupertate, & austeritate? Credo responderet, si præsens existeret. Gaudium experior, & suauitatem, quæ declarari non posset. Illud est enim verum gaudium, quod non de creatura, sed de creatore concipitur.

Ioan. 16.

Cuius

Cuius comparatione omne pulchrum fœdum, omne dulce amarum, omne, quod delectari poteſt, moleſtum, vt ait Beatus Bernard. Quomodo enim nõ gaudebo ſummè in Domino, *& exultabo in Deo Ieſu meo*, ex meo vtero nato, Abraham à longe vidit hoc myſterium in figura cùm tres vidit, & vnum adorauit, *vidit, & gauiſus eſt.* Ioan. 8. Et ego, in quo iſta tria vnita ſunt, Deꝰ, animus, & corpus in vna perſona in vtero meo ſine lætitia permanebo. Certè cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum ex me genitum. Qui cùm ſit fons, & origo omnis bonitatis, omnis dulcedinis, & ſuauitatis, cuius odore reuiuiſcunt mortui, cuius aſpectu lætificantur Angeli, cuius iuſſu mouentur cœli, ſuperabundo gaudio, ipſum incarnatum aſpiciendo. Non egeo conſolatione humana, quæ diuina perfruor, non ſocietate mulierum, cùm adſit exercitus Angelorum canentium, Gloria in excelſis Deo. Non cibum, & potum affecto, cùm ante me panem, qui de cœlo deſcendit, viuum habeam, omne delectamentum in ſe continentem, & omnem ſaporem ſuauitatis. Probat Albert. vbi ſupra, iſtud gaudium fuiſſe maximum multipliciter. Nam ſi in conceptione ipſius habuit magnum gaudium valde, multò magis in parturitione. De conceptione patet, quòd multam lætitiam habuit. Nam gaudium oritur ex bono cùm, ſcilicet, concupitum poſſidetur, iuxta illud Iob 3. *Quaſi effodientes theſaurum, gaudentque vehementer, cùm inuenerint ſepulchrum*, & hoc quia ſperant ibi inuenire theſaurum, quod cupiunt. Antiqui enim in ſepulchris Dominorum cum eis ponebant theſauros, & quantò maius bonum, tantò maius gaudium ſequitur, cùm habetur. Ex ſummo igitur vniuerſali bono habito maximum gaudium ſequitur in habente. Sed in ipſa conceptione Deus pater dedit Virgini filium ſuum, & cum illo nobis omnia bona donauit, ergo ſummum gaudium habuit. Verùm in ipſa conceptione ipſum gaudium, ſeu delectationem videbat, & experiebatur viſione intellectuali, in natiuitate autem ſenſuali, & intellectuali, vnde in conceptione tãtùm reficiebatur intellectus, in natiuitate autem intellectus, & ſenſus, vnde maius gaudium. Nam ſimilius gaudio patriæ, vbi oculus corporis reficietur in Chriſti humanitate, & oculus animæ in eius diuinitate, ſecundùm illud. *Ingredietur*, & *egredietur, & paſcua inuenietur.* Ioan. 10. Meliori autem, & honorabiliori filius eſt melius, & honorabilius. Ergo maius gaudium Beatæ MARIÆ in natiuitate filij fuit, quàm in conceptione. Secunda ratio eſt: quia bonum additum bono facit maius bonum, ergo magis illud, cùm ſit duplicatum, cauſat dilectionem, & conſequenter delectationem, & gaudium in natiuitate, ſeu partu Beatæ MARIÆ gaudium fuit duplicatum. De Beato quoque Ioan. Baptiſt. dictum eſt per Angelum patri. *Multi in natiuitate eius gaudebunt*: quia cõmuniter maius gaudiũ eſt de partu, quã de conceptu creaturæ. Tertiò Beata MARIA vbi priùs gaudebat ſe Virginem concepiſſe, pariendo gauiſa eſt ſe Virginem peperiſſe, quod aliud magnum miraculum fuit, & ſe Virginem puerum ſuum lactare ipſum regem Angelorum, ſola Virgo lactabat vbere de cœlo pleno, canit Eccleſia. Cùm autem gaudium ſit de bono recepto, recipiens ergo maius bonum, maior ei extat cauſa gaudij. Et quamuis in aſſumptione eius in cœlum, Chriſto ei obuiam veniente, & Angelorum ordinibus, & ſanctorum agminibus comitantibus, maximum gaudium habuerit: quia illud fuit gaudium Beatæ, & continuæ fruitionis, quod nullam ſecum compatitur triſtitiam, laborem, vel neceſsitatem, quod nondum in vita perceperat, vnde & tunc gaudium plenũ, quod potiſsimè Chriſtus docuit poſtulare dicens. *Petite, & accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum.* Ioan. 16. Vtique maius fuit illud in aſſumptione actualiter omni gaudio vitæ. Sed gaudium in conceptione, & natiuitate fuit maius illo cauſaliter. Nam quòd facta fuerat Mater Dei, quod fuit ſine corruptione, & natiuitate, fuit cauſa tantæ exultationis, tantæ gloriæ, & tantæ gratiæ ſibi collatæ: quia electa erat, vt eſſet Mater Dei. Cùm ergo hora partus adueniſſet circa mediam noctem, ſolaque cum Ioſeph in diuerſorio eſſet in contemplatione ſuſpenſa, gaudio ſupernæ patrię repleta, vidit ante ſe paruulum vagientem ex ſuo vtero proceſsiſſe in terram iacere, ſubitò, vt pie credi, & dici poteſt, genuflectitur ante eum, dicens. Salue mi dilecte fili. Adoro te Deum meum, qui dignatus es pro ſalute mea, & omnium hominum hanc vallem lachrymarum intrare, oſculatur faciem eius dicens. O facies plena omnium gratiarum, in quam deſiderant Angeli proſpicere. Manus oſculatur, dicens. O manus Beatiſsimæ quot infirmos eſtis ſanaturæ quot mirabilia operaturæ. Oſculatur, & pedes dicens. O ſanctiſsimi pedes, quantùm diſcurretis per varias ciuitates, & caſtra ad docendum, & laborandum pro conuerſione peccatorum! Et quia paruulus ipſe primam vocem emiſit, ſimilem alijs foris, plorãs, mater pia non ignorans ipſum moleſtiam frigoris ſentire, pati enim, venerat pro nobis, panniculos de capite ſuo aſſumit, & inuoluit eum, & vt anhelitu bouis, & aſini aliqualiter calefiat, in medio eorum in præſepio ponit. Non ſeciditur Ioſeph à gaudio iſto, & appropinquare non audens, præ lætitia lachrymas fundit Deum humanatum pro ſaluatione omnium

Abac. 3. *Ioann. 8.* *Iob 3.* *Ioan. 10.* *Lucæ 1.* *Ioann. 16.*

ita

ita humiliter natum pro iucunditate exultat, & se capere non potest, benedicens, & laudans Deum.

§. II.

QVantùm ad secundùm dico, quòd notatur virginitas generosa, vel gloriosa in eo, quòd dicitur: filium suum. Nulla mater dicere posset cum veritate filium, quem parturit, esse ex toto suum. Nam cùm quælibet alia concipiat ex viro, vterque ibi partem habet. Mater enim est principium passiuum in filio materiã administrans. Pater verò est principiũ actiuũ, & quasi formã materia tribuẽs, vnde principaliùs operatur, & ideo magis est patris, quã matris, & magis quis tenetur patri, quã matri, cæteris paribus. Sed sola Beata MARIA peperit filium ex toto suum: quia non fuit principium actiuum ex parte viri, cùm nullus ibi pater, nec Ioseph, nec alius, sed totum illud corpus Iesu erat de purissima carne, seu sanguinibus Beatæ MARIÆ, hoc prædixerat Isaias dicens. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel*, quod interpretatur nobiscum Deus: quia scilicet, Deus & homo. Concipiet, inquit, & pariet permanens Virgo. Non enim signum, seu mirum, quòd Dominus ibi permittit se dare hominibus, quòd priùs existens, & ex viro coniuncta conciperet, & pareret, cùm commune sit omnibus, sed signum mirabile, & supra omnem naturam, & morem, vt Virgo esset, & intacta generaret, & pareret. Sicut enim (vt ait Orige.) Abachuc intrauit ad Danielem in lacũ leonum, defetens ei prandium bonum, & exiuit non apertis ostijs, sed clausis, sic Beata MARIA saluis clausstris pudoris concepit, & peperit filium suum primogenitum, hoc omnis canit Ecclesia in sequentia. Angelus consilij natus est ex Virgine, Sol de stella. Sol occasum nescies, stella semper rutilans, semper clara. Sicut sydus radium, profert Virgo filium pari forma. Neque sydus radio, neque mater filio sit corrupta. Et vt subditur. Si non suis vatibus (id est Prophetis) credat, vel Gentilibus (scilicet Iudæa incredula) Sibyllinis versibus hæc prædicta. Sibyllæ enim, quæ fuerunt paganæ quibus ob meritum, & excellentiam virginitatis datus est à Deo, secundùm Beatum Hieronymũ, spiritus prophetiæ, de hac Virgine longè ante, & partu eius prænunciauerunt. Sibylla Tyburtina sic ait de Christo. Nascetur in Bethleem Christus, & annunciabitur in Nazareth regente tauro pacifico fundatore O fœlix illa mater cuius vbera illum lactabunt. Sibylla Erithræa multa de eius passione, &c. Refert Beatus Thom. 2. 2. quæst. quòd in sepulchro cuiusdam Gentilis, qui longè ante tempus incarnationis obierat, ex terra effossa edu-

Isai. 7.

A B C D

cto cadauere, reperta est ad caput eius lamina aurea hanc scripturam continens: Christus nascetur de Virgine MARIA, & credo in eum. O Sol iterum me videbis Constantini, & Hyrenem temporibus, quod ideo dictum est: quia temporibus illius Constantini, non Magni, sed alterius Imperatoris, & Hyrenem matris eius, qui post multos annos à Constantino Magno Imperium tenuerunt, repertum est illud sepulchrum. Patet, & hoc per miraculum maximum, quòd Romæ euenit. Nam (vt ait Innocen. III. vir vtique maximæ authoritatis, & sanctitatis) cum Romani toti orbi dominarẽtur, & pax vbique regnaret, fecerunt Romani ipsi quod dam templum notabile, vbi statuam posuerunt Romuli primi vrbis ædificatoris, quem in Deum colebant. Vocaruntque illud templum pacis. Scisciti quoque sunt per idolum Apollinis quantùm templum illud duraturum esset. Qui eis responsum dedit, scilicet, Diabolus per eum, vsque quo Virgo pareret, & Virgo permaneret. Et quia visum est eis impossibile Virginem parere (quod verum est secundùm communem cursum naturæ) scribi, vel sculpi fecerunt in valuis eius, templum pacis æternum, æstimantes nunquam euenire posse, quòd pareret Virgo. Sed nocte, qua natus est Christus, templum illud funditus corruit: quia scilicet, Virgo peperit tunc filium suum primogenitũ. *Cum enim* (vt refert Luc. 1. in Euang.) *exijsset edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis*, scilicet, Octauiano. Et vt diligentiùs fieret, ordinatum erat, vt quilibet se describere faceret in sua ciuitate originali, in ipsa sui descriptione soluebat certam monetam pro censu, vt subditus Romano Imperio. Itaque Beata MARIA cùm esset vicina partui, nec huic mandato astringeretur: quia mater iam effecta Regis omnium, tamen, vt exemplum præberet omnibus obedientiæ, & reuerentiæ maioribus, & præsidentibus, etiam secularibus, & discolis, cùm ille Octauianus infidelis esset, secundùm illud Petri in can. *Subditi estote Dominis vestris, non solùm bonis, & modestis, sed etiam discolis*, ascendit ipsa Beata Mater Dei de Nazareth, quæ erat in Prouincia Galileæ, in Bethleem, quæ erat in Prouincia Iuda, cum Ioseph sponso suo, & asella pro sarcinulis suis, & aliquando pro sponsa sua, cùm fessa esset, posset ibi sedere, boué fortè vendendo pro solutione census Romani. Sed illæ mulieres bonæ, quæ erant vicinæ habitationi Virginis in Nazareth, vt piè meditatur, & notat Dom. Ioan. Dom. in quodam serm. videntes Beatam MARIAM grauidam, licèt crederent ex Ioseph concepisse, expectabant cum magno desiderio præsentes esse in partu eius. Erat enim tan-

Lucæ 1.

1. Petr. 2.

ta

tà pulchritudo eius, & honestas, & sanctitas, & affabilitas, & sapientia, quòd videbatur, quasi vna fruitio conuersari cum ea, propter quod vicinæ eius valde affectabant esse cum ea, & loqui secum, sed ipsa se totam Deo reseruans amabat solitudinem. Rarissimè ad ostium domus se reperiebat, minùs ad fenestras aspiciebat, sed in templo, & domo conuersatio eius cum hominibus, quasi nũquam loquens, nisi ex ardua necessitate, cum Angelis autem, & Deo frequẽtissimè in oratione, & contemplatione confabulabatur. Poterãt ergo illæ vicinæ dicere inter se. Veniet pro certo, veniet dies partus eius, tunc indigebit nostro adiutorio, vocari nos faciet ad iuuandum. Intrabimus domum eius, & habebimus copiam conuersandi cum ea. O quàm erit gratiosus fructus, tam sanctæ, tam pulchræ, tam honestæ, iuuenculæ! Ita humilis est, & amorosa, ita pura, quòd dare ad lactandum filium suum alteri non patietur. Ipsa ex suis vberibus lactabit, ipsa pannis inuoluet, ipsa in vlnis suis tenebit. Sed cùm tenebit eum in gremio, vel brachijs suis, nos aliquando piè, & reuerẽter auferemus de manibus suis, & ducemus in domos nostras, vt non reddamus, & sic cogetur intrare domos nostras, vt reddamus ei paruulum suum, quod non facimus, nisi aliquantulum immoretur nobiscũ, & alloquatur, & ita non erit aliena, & separata à nobis. Nesciebant istæ diuinum mysterium, quòd Dei Mater esset, non hominis puri, & concepti ex Ioseph. Instante ergo tempore partus recedentes de Nazareth pergunt in Bethleem. Applicantes autem illuc tardè, vt piè prosequitur B. Vircen. in quodam ser. natiu. vadit ad aliquod hospitium, vt ibi recipiatur. Sed hospes cernẽs illum vilibus indutus, & pauperẽ arbitratus, dicit ei. Non possum bone senex vos hospitari: quia plures nobiles expecto isto sero, pergit ad aliud hospitium, vt recipiatur. Interrogat ille, Domine, quot equitaturas, & famulos habetis? Respondit nullas, sed asellum, & bouem, & vxorem meam. At ille. Istud non est pro vobis, sed pro habentibus multam pecuniam ad expẽdendũ, hospitale est pro pauperibus, illud quæratis. Vadit ad aliud hospitium, dicit illi patronus. O senex miser, quomodo nõ erubuisti ducere in vxorẽ tam delicatam iuuenculã? vade aliò, quia hìc nõ poteris manere. Et sic pauperculus Ioseph nesciebat quò iret, & præcipuè dolebat de B. Virgine, quam sciebat Matrẽ Domini ab hominibus cunctis venerandam, & nouerat esse teneram Virginis verecundiam. Sed confortabat eum B. Virgo, dicens. Non est abbreuiata manus Domini. Eamus ad aliquen locum remotum à tumultu hominũ, vt possimus quietiùs Deo vacare, & ipse, cui est cura de omnibus, prouidebit nobis. Quærentes ergo inuenerũt quodA dam diuersorium, id est, quendam locum ad quem refugiebant homines cum iumentis tempore pluuiarum quandam grottam, vel tugurium, ibique contulerunt se ad pernoctãdum, & circa mediam noctem ibi peperit filium suum, gaudium matris habens cum virginitatis honore, nec prima similem visa est, nec habere sequentem. Et quod dicitur in libro de infantia Saluatoris, de obstetricibus B. MARIÆ, scilicet, quòd ibi fuerũt Zebel, & Salome seruientes ipsi, apocryphum est, vt patet dist. 25. sancta Romana, immo Hieron. cõtrarium expressè dicit, scilicet, quòd nulla obstetrix ibi nulla mulier seruiẽs, sed quæ ipsa parturiuit, suum filium de terra leuauit. B Ipsa prima, quæ votum virginitatis emisit cum sponso suo, & perfectissimè impleuit primiceria facta virginum omnium.

§. III.

QVantùm ad tertium, scilicet, de vtilitate huius partus virginei, hoc notatur, cũ dicitur, primogenitum. Eo autem modo dicitur primogenitus matris virginis, quo in diuinis primogenitus patris. Ego, ait sapientia quæ Dei Patris filius est, ex ore altissimi prouidi, ex ore cordis, seu mentis paternæ, vt Verbum bonũ, & primogenita ante omnem creaturam. Non quòd secundò genuerit aliã sapientiam, vel creaturam de substantia sua, vt filiũ, sed quia nullam ante, vel postea, sed C vnigenitã, iuxta illud Ioan. 1. *Vidimus gloriã eius, gloriam quasi vnigeniti à patre*, & ly quasi non est nota similitudinis, sed expressio veritatis, & sic primogenitus Virginis Matris Christus. Sed quia nullus ante, nec postea vnde, & vnigenitus matris. Nam qui primò nascitur ex matre, primogenitus dicitur, etiam si nullum alium postea generet, & vnigenitus. Hinc sumpsit occasionem sui erroris Heluidius perfidus Hæreticus, & temerarius blasphemator Virginis, asserens Virginem post Christũ habuisse alios filios ex Ioseph, vel alio viro, quorũ primus fuit Christus, & ideo dicitur primogenitus. Probat hoc etiam ex eo, quòd in Euangelio narrantur aliqui fratres Christi, vt dicitur Ioan. 7. D *Neq; enim fratres eius credebant in eum*, & illud Matth. 12. dixit ei quidam prædicanti. *Ecce mater tua, & fratres tui stant foris quærentes loqui tecum*, dicens hos fuisse germanos Christi, & filios Virginis. Sed Beatus Hieronymus scripsit vnum librum contra eum, reprobans huiusmodi errorem, & falsitatem. Nam, vt iam dictum est, primogenitus dicitur non solùm, quia alij post geniti, secũdus, tertius, & huiusmodi, sed etiam: quia nemo ante illum genitus esset, si nullus postea ab illo patre, vel matre generetur, & talis magis propriè, & strictè dicitur vnigenitus. Vnde cùm dicitur in Psal. 104. *Qui percussit primogenita Ægypti*, intelligitur Psal. 104

etiam de illis, qui erãt vniti parentibus suis. Et sic Dominus in veteri lege ait. *In die* qua *occidit omne primogenitũ Ægypti, sanctifica mihi omne primogenitũ Israel*, ad significandum moraliter, quòd quando mortificantur principia vitiorum, firmantur radices virtutum. Quod dicit de fratribus Domini facilè ostenditur error eius. Nam in scripturis dicitur frater multiplicer, & non solùm germanus, vel ex vna, & eadem matre genitus, sed & consobrini dicuntur fratres secundùm vulgare vsitatum. Et sic Christus habuit fratres, scilicet, Iacobum Maiorem, & Ioannem natos ex Maria Salome sorore Virginis MARIÆ ex eadem, scilicet, matre Anna natæ. Et similiter Simonem, & Thadeum, & Iacobum Minorem ex alia sorore virginis natos, scilicet, Maria Iacobi. Aliquando etiam fratres dicuntur aliter consanguinei, sicut Abraham dixit Loth nepotem suum fratrem. *Ne quæso sit iurgium inter me, & te, fratres enim sumus.* Genes. 12. & Saram neptem vocauit sororem. Christus etiam discipulos suos fratres appellauit, quando resuscitatus dixit Magdalenæ. *Vade ad fratres meos, &c.* Ioan. 21. cap. Quinimmo respectu vnius patris cœlestis omnibus communis ipse ait. *Omnes vos fratres estis.* Matth. 23. Nullum igitur filium Beata MARIA habuit, nisi Dominum IESVM, quæ Virgo semper mansit ante partum, in partu, & post partum. Dicitur etiam Christus primogenitus non solùm naturali natiuitate, sed etiã spirituali, qua ex Deo nati sunt per gratiam Dei electi. *Omne, quod natum est ex Deo*, scilicet per gratiam ad esse spirituale proueniens *vincit mundum*, id est, vitia mundi. Vnde in Apoc. de Christo dicitur, quòd est *primogenitus mortuorum, & Princeps Regum terræ*, id est, primus resurgens ad vitam immortalem ex mortalibus, & Princeps, id est, primus, & præcipuus sanctorum, qui se virtuosè regunt, & etiam dominium habens super omnes Dominos, & Reges, de quo etiam dicit Apostolus ad Roman. 8. *Quos præscisuit, hos & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse*, scilicet, Christus *primogenitus in multis fratribus.* Ipse enim est caput Ecclesiæ ex quo influit omnis vita, sensus, & motus spiritualis in membra eius, id est, fidelium, de plenitudine enim eius nos omnes accepimus. Vnde ad ostendendam huius primogeniti excellentium, & primogenituræ, dixit in figuram ille antiquus dierum Isaac. Genes. 27. qui caligatis oculis videre non poterat cum Iacob, vt primogenitum benedixit, de quo Christus descendit, &c. *Ece odor filij mei, sicut odor agri pleni* omni, scilicet, odoramento virtutum. *Det tibi Deus*, scilicet, pater *de rore cœli*, id est, diuinitatem, cui vniatur, vel quoad humanitatem rore gratiæ in abundantia, vt ex te omnibus alijs profluat, *& de pinguedine terræ abundantiam.* Pinguedo terræ, id est, humanæ naturæ est innocentia, & iustitia originalis, in qua primò fuit homo positus, quæ postea amissa in solo Christo fuit; abundantiam quoque ei dedit *frumenti* doctrinæ, & sapientiæ, *vini* feruoris, & beneuolentiæ, *olei* pietatis, & clementiæ. *Seruiant tibi populi*, scilicet, gentium, quod impletum cernimus: quia Gentilium populos conuersos ad fidem videmus Christo seruire. *Et adorent te Tribus*, scilicet, Iudæorum quoad illos, qui crediderunt in Christum. *Esto Dominus fratrũ tuorum*, id est, omnium hominum, quorum per assumptionem nostræ humanitatis factus est frater. *Caro enim nostra, & frater noster est* dicitur in figura Genes. *Et filij matris tuæ*, scilicet, Synagogæ, de qua natus est, id est, Iudei, *incuruentur ante te*, quod erit in fine mundi, quando conuertentur ad vesperam, & famem Verbi Dei patientur, vt canes, & circumibunt ciuitatem Ecclesiæ, quærentes in eam introduci per fidem, & Sacramenta. *Qui benedixerit tibi, benedictionibus impleatur, & qui maledixerit tibi, maledictionibus repleatur.* Benedixit Christo, qui corde credit in Christum, vt debet. Iste dicit benè de Christo. Benedicit ore, qui verbis fatetur veritatem fidei, qui Deum laudat, & orat, qui confitetur peccata sua, sperans à Christo indulgentiam. Benedicit opere, qui imitatur eum in operibus suis, vt enim dicit Beatus Augustinus in sermone. Homo sequendus non erat, qui videri poterat, Deus sequendus erat, qui videri non poterat. Vt ergo homini exhiberetur, qui ab homine videretur, quem homo imitaretur, Deus factus est homo, & primogenitus MARIÆ. Nam post eum naturalem omnes spiritualiter sumus filij Beatæ MARIÆ, ita vt quem peperit filium suum primogenitum omnes sequamur post eum opera eius. Pauperrimus natus est, vt tu paupertatem diligas, saltem affectu, & patienter feras effectu. In austeritate natus est in medio hyemis, in medio noctis, inuolutus modicis pannis, in præsepio, in medio asini, & bouis, cum magna humilitate natus est Deus immensus factus paruulus æternus temporalis, paruoque lacte pastus est, per quem, nec ales esurit, non in Regali ciuitate, sed paruula Bethleem, in diuersorio, non in domo natus, & solùm vilibus pastoribus manifestatus. Omnia ista clamant humilitatem, mundi contemptum, corporis austeritatem. Qui ergo benedicit istum primogenitum sic imitãdo, iste benedictioni bus dulcedinis præuenitur gratiæ, & omniũ vir-

Num. 3.
Genes. 12
Ioan. 21.
Matt. 23
1. *Ioan.* 5.
Apoc. 1.
Roman. 8
Genes. 27
Genes. 37

virtutum, & gloriæ demũ. Ecce vtilitas huius sacratissimi partus Virginis. Econtra maledicit, qui male sentit de Christo, vt Iudæus Paganus, & Hæreticus. Maledicit, qui blasphemat Christum, & matrem eius, vel impatiens murmurat in aduersitatibus, vel æstimat sibi veniam daturum, permanentem in peccatis, in hoc dicens eum iniustum. Maledicit qui verbis confitetur se nosse Deum, factis autem negat, diuitias per fas, & nefas congregando, inordinatè retinendo, & amando. Maledicit, qui super alios superbè se erigit, ambit honores, dignitates quærit, gloriam de suis operibus ab hominibus expetit, Maledicit, qui pompaticè incedit, splendidè, & crapulosè viuit, luxurijs insistit, fruitur mundo. Sed his maledictionibus impletur peccatorum, angustiarum, tribulationũ, & demum infernorum.

In Epiphania Domini, in qua inuenta est Virgo Mater cum filio à Magis. Cap. 32.

Matt. 2. VIdentes *stellam gauisi sunt gaudio magno valde.* Matth. 2. Quid fuerit ista stella, & quis viderit B. August. in serm. de Epiph. ostẽdit dicẽs. Vidit Magus, obstupuit Astrologus. Erubescat hic stultitia Mathematicorum, qui dicunt Christum sub constellatione seu fato esse natum, neque de alio, qui nascitur, qui hoc credit, rectè credit. Ista nõ fecit Christum mirabiliter viuere, sed Christus eam fecit mirabiliter apparere. Quid fuit hæc stella, quæ nunquam priùs apparuit, nec postea visa est, nisi quædam lingua cœli, quæ enarraret gloriam Dei? Hæc B. Aug. Primò ergo dicit: Magi fuerunt, qui eam viderunt, id est, magni Astrologi. Et qui assueti erant aspicere ad cursum stellarum, ideo videntes nouam stellam inusitatam obstupuerunt. Secundò damnat errorem Mathematicorum asserentium Christum natum sub cõstellatione illius stellæ, & similiter quemlibet hominem nasci sub fato, seu constellatione aliqua, ex qua necessitatur ad agendum, quæ facit, quod falsum est, & hæreticum. Equidem ars, seu scientia Agrologiæ habet in sua scientia veritatem, sicut aliæ scientiæ. Et licèt sit multùm speculatiua, & delectabilis, est tamen multùm fallax quoad iudicia, quæ dantur ex ea, & multum temporis exponitur in ea. Ita vt Beatus August. dicat 26. quæst. 3. §. hinc etiam, quòd nihil valent ad salutem Astrologia, & huiusmodi, sed in errorem mittunt, & qui his studẽt, curam animæ non habent. Fallax autem est tripliciter. Primò quidem, quia cum per multa media, & numerum punctorum oporteat transire ad eliciendam aliquam conclusionem de effectibus corporum cœlestium, si in vno puncto deficit, totum subruit, quod iudicatum est. Secundò, quia cum causæ primæ, quæ Deus est, subsint omnes causæ secũdariæ, inter quas stellæ, seu corpora cœlestia, & plus possit influere causa prima in effectus causæ secundæ, quã ipsa causa secunda, vt dicitur in lib. de causis, contingere potest, quod etsi secundùm causas naturales secundarias sit sequendus aliquis effectus, puta infectio aeris, inundatio aquarum, siccitas terræ, & huiusmodi, suspendere potest ipsa causa prima Deus talem influxum ad illum effectum producendum, quod & aliquando facit, & tunc talia non sequuntur. Et è conuerso Deus talia inducit ob peccata hominum, qui tamen non erunt in causis secundarijs, & constellationibus, vt patet de diluuio, quod Deus immisit præter causas naturales tempore Noe, & de peste inficiente aerem, & plurimos occidente tempore Dauid, quæ ex toto cessauit post triduum. Et de infirmitate Ezechiæ Regis Iuda, qui secundùm causas secundarias debebat mori, siue naturales, siue demerita sua, & tamen prima effectum illum euenire non permisit. Et ideo iudiciũ Astrologorum etsi in se non deficeret, tamen Deo operante contrarium fallere potest. Tertiò, quia si in naturalibus non deficeret, vel falleret iudicium eorum, tamẽ in his, quæ pendent ex arbitrio, & voluntate hominum frequenter fallit. Et ratio est, quia etsi corpora cœlestia stellarum influant in corpora inferiora, vnde & insensitiuam, quæ affixa est organis corporeis, & propter hoc etiam inclinant ad mala, tamen voluntas libera remanet ad resistendum talibus inclinationibus malis. Vnde Ptolemeus maximus Astrologus ait. Vir sapiens dominabitur astris. Et B. August. in 5. de ciuit. Dei ait. Non vsquequaque absurdè dici potest ad quasdam differentias corporum afflatus quosdam valere sydereos, non autem animi voluntates syderum positionibus subdi. Demum dicit idem Aug. in authoritate supradicta, quòd hæc stella, quæ nouiter fuit à Christo creata, & post officium suum in materiam præiacentem, resoluta fuit tanquam quædam lingua, quæ narraret gloriam Dei nati in mentibus Magorum, vnde eam videntes, quam ad tempus amiserant, *gauisi sunt gaudio magno, valde.* Vbi notãdũ, quòd triplicem stellam isti viderunt, scilicet, cum inuenerunt puerum cum MARIA Matre eius, & procidentes adoranerunt. Prima est stella diuinalis, ad quam gauisi sunt: quia inuenerunt puerum. Secunda est Virginalis, ad quam gauisi sunt gaudio magno, ibi cum MARIA matre eius. Tertia est stella fidei salutaris, ad quam gauisi sunt gaudio magno valde, vnde procidentes adorauerunt eum.

A

§. I.

PRima igitur stella, quam viderunt, fuit Christus, quam viderunt cùm inuenerunt puerum Iesum. Quod autem Iesus dicatur stella, apertè ostenditur Apocal. vlt. vbi ipse ait. *Ego Iesus stella splendida, & matutina.* Hanc videntes non mirum si gauisi sunt: quia in eo causa omnis gaudij, & veræ delectationis. Psalm. 15. *Replebis me lætitia cum vultu tuo.* Ex hac stella ad nos extenditur radius synceræ veritatis. Ex secunda oritur radius misericordiæ, & bonitatis. Ex tertia stella innuitur radius perfectæ pietatis. Quantùm ad primam *surge* (ait Esai. 9. cap.) *& illuminare Hierusalem*, id est, fidelis anima: *quia venit lumen tuum*, quæ priùs tenebrosa eras, & nesciens veritatem. *Ego* (ait ipsa stella Ioan. 18. matutina Iesus) *in hoc natus sum, vt testimonium perhibeam veritati.* Ecce cæcitas mundi, & error contrarius veritati: quia beatum dixerunt homines populum, cui hæc sunt, temporalia bona in abundantia, vt diuitiæ, honores, deliciæ, voluptates, & huiusmodi, tanquam in his consistat vera fœlicitas. Sed certè si sic esset, Christus errasset, qui cùm potuisset his omnibus abundare, & sine peccato, contraria elegit, incipiens ab ista sua natiuitate. Verùm cùm Christus sit veritas, & errare non possit, dicere oportet, quòd tu erras non ista contemnendo, vt ipse fecit, & cœlestia quærendo. Omnia terrena contempsit homo Christus, vt contemnenda esse monstraret, ait Beatus Augustinus. Amantur diuitiæ, & adeo vt contemnantur Dei præcepta. Pauper esse voluit in sua natiuitate pannis paucis, & vilibus mater inuoluit. Appetuntur honores, & gloria, in loco vili nascitur omnibus occultus, delectationes corporis auidissimè procurantur etiam in honestissimè, Iesus autem Virgo purissimus delectatur in lapide duro, scilicet, præsepis, dum vult succurrere mundo, ait Beatus Augustinus. Et si honorem, & gloriam non quærens recepit à Magis, paulò post maximam persecutionem ab Herode sustinuit, ita vt nocte oporteret matrem virginē cum paruulo fugere, & per septemnium Ægypti exilia pati, ne occideretur. Surge ergo Hierusalem, ò anima, & ad istum radium veritatis, scilicet, mundi contemptum proficiscere, & tunc videbis, & affluesdelitijs virtutum, & gaudijs, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum in die incarnati amoris, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, rerum, scilicet, huius seculi ad te cognoscendum, & Deum, & mare seculi obliuiscendum.

Apo. vlt.

Psal. 15.

Isai. 40.

Ioan. 18.

B

C

D

§. II.

SEcunda stella, scilicet, virginalis est Beata MARIA, de qua longe ante prænuntiauit Balaham Propheta dicens. Num. 24. *Orietur stella ex Iacob*, id est, Virgo MARIA ex illo Patriarcha, & populo Iudæorum ab eo originem habenti. Et qualis sit illa stella, seu cui similis, declarat Ecclesia ad eius venerationem sæpè decantans. Aue maris stella. Stella autem maris vulgariter dicitur la tramontana, quæ ideo maris stella dicitur: quia dirigit nauigantes per mare aspicientes ad eam, & sine ductu eius de facili homines submergerentur. Hanc stellam non materialem in cœlis, sed virginalem in terris viderunt Magi, quando inuenerunt puerum non solùm, sed cum MARIA Matre eius, vnde *gauisi sunt gaudio magno* viso puero, gauisi sunt, & visa matre, additum est eis gaudium, vt magnum esset. Erat enim quædam fruitio videre iuuenculam speciosissimam, honestissimam, sapientissimam cum paruulo filio suo, vt piè credi potest, etsi Euangelista non dicat, verbis mellifluis sapientia plenis illis Magis gratias egisse. Ex hac autem stella radius ad nos diffunditur misericordiæ, & bonitatis. Bonum (vt dicit Dionys.) est suipsius diffusiuum, & communicatiuum, & quia ipsa super omnes puras creaturas bona, ideo bonitatem suæ misericordiæ, & beneficiorum ad nos effundit. Vnde & aurum sibi oblatum à Magis non modicum, prout decebat eorum Regiam maiestatem, non sibi reseruauit in posterum, sed vt dicit deuotus Beatus Bernardus pauperibus per Ioseph dispersit. Ad hanc igitur stellam oportet aspicere, & effectum bonitatis eius, & misericordiæ humiliter implorare. Vnde Fulbertus in sermone. Oportet omnes Christicolas per mare huius seculi nauigantes attendere ad stellam maris, scilicet, MARIAM, hoc si quis egerit non iactabitur vanæ gloriæ vento, nec tribulationum scopulis allidetur, nec scyllea voluptatum voragine absorbebitur, sed ad portum salutis tutus perueniet. Ipsa enim humillima, ipsa patiens, ipsa Virgo purissima, vt imitemur eius vestigia, & percipiamus eius misericordiæ suffragia. Dicitur enim Eccles. 24. *Quasi oliua speciosa in campis.* Fructus oliuæ oleum est, misericordiam significans. Ad hunc ergo fructum bonum colligendum ex ea omnes accedere possunt. Et ideo in campis dicitur loco omnibus patenti. Bern. in serm. Quis misericordiæ tuæ, ô benedicta longitudinem, latitudinem, sublimitatē, & profundum, queat inuestigare? Nā longitudo eius vsque in nouissimum diem vacantibus eam iubue-

Num. 24

Eccles. 24

subuenit vniuersis. Latitudo eius replet orbem terrarum, vt tua misericordia plena sit omnis terra. Sic & sublimitas eius ciuitatis supernæ inuenit restaurationem, & profundum eius sedentibus in tenebris, & in vmbra mortis obtinuit redemptionem. Per te cœlũ repletum est, infernus euacuatus, instauratæ ruinæ supernæ Hierusalẽ, espectantibus miseris vita perdita data. Quis iustus, vel peccator ad hanc stellã aspexit deuotè inuocãs, ad quem oculos suos misericordes non conuerterit. Ipsa Leoni Papæ manum restituit, quam sibi absciderat, eò quòd cõmunionem populo ministrans, & inter alios mulieri cuidam, cùm manũ oleulata de more fuisset, stimulum carnis vehementè persensit, propter, quod ex zelo seuerus in se vltor extitit. Ipsa quendã militem de faucibus Diaboli extraxit, & vxoré à periculo liberauit. Nam cùm talis ex diuite pauper effectus propter suam prodigalitatem Diabolo se tradidisset, si ei diuitias conferret, ac etiam vxorẽ suam virgini deuotissimã hoc Diabolo postulanti ad certum locum desertum determinatũ ducere promisisset, docuit Diabolus locum in domo eiusdem, quo effosso thesaurũ inueniret, quod & factum est. Tempore igitur statuto miles ille volẽs adimplere promissum, vxorem secum duxit equester sub specie alicuius pietatis. In via autem inuenientibus quãdam Ecclesiam, cùm vxor cæpisset timere, rogauit virũ, vt sinere re, equum descendet intrans Ecclesiam, vt aliquã breuem orationẽ faceret. Quod cũ obtinuisset, ingressa est in oratione ipsa obdormiuit. Et B. MARIA eius effigiem sumens, egressa est ad militem illum foris expectantẽ, quæ equum ascendẽs cum eo æstimans vxorem suã esse, prosecutus est inter, & ad locum veniens destinatũ, vocauit apertè Diabolum. At ille subitò apparens, visa Virgine totus furibundus, & fremens in militem, cæpit eum contumelijs aggredi, quòd fallax esset, & proditor: quia nõ vxorem duxisset, sed maximã inimicam, scilicet, Domini matrẽ. Ad quod ille quasi stupidus factus obmutuit. Beata autẽ MARIA eum terribiliter increpans, quòd sibi deuotis nocere tentaret, in abyssum abire præcepit, illumque militem, vt de suo excessu pœniteret, admonuit, & ad illam Ecclesiam in quam intrauit vxor ad orandum rediens, ibi eam inueniret. Quo facto, reuersi domum sanctam duxerunt vitam.

§. III.

Eccl. 43. TErtia stella est fides, de qua potest exponi illud Eccl. 43. *Species cœli*, id est, viri cœlestis est gloria stellarum, id est, claritas *Psal. 146.* virtutũ, Psal. 146. *Qui* scilicet, Deus *numerat multitudinem stellarum*, id est, virtutũ, *& eis nomina vocat*, inter quas prima dicitur fides, hanc videntes Magi in corde suo gauisi sunt, non solùm *gauuto magno*, sed & *valde*. Nam nisi fidem diuinitatis habuissent ex visione pueri, vel matris eius, parum gauisi fuissent. Sed propter fidem credentes Deũ esse, & summum bonum, gauisi sunt valde. Et propter istam veram fidem *procidentes adorauerunt eum*. Non enim adoratur, nisi Deus. Deut. 6. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies, &c.* Adorabis cultu interiori recognoscendo eum, vt principium, & finem tui, & omniũ, & illi soli seruies cultu exteriori, vt Domino summo, eius præcepta seruando. Cognouerunt igitur isti per veram fidem hunc esse Deum, & propterea adorauerunt. Vnde Chrysost. in homil. Videamus quid gloriosum Magi videntes in puero gauisi sunt. Nunquid viderunt palatium marmoribus splendidum? Nunquid matrem eius diademate coronatam, aut in lecto aureo recumbentem. Nunquid puerum auro inuolutum? Nunquid Reginam diuersis populis personantem? Non. Sed quid? Pandochium vtique tenebrosum, & sordidum, & magis animalibus, quàm hominibus aptum. Matrem eius vix tunicam vnam habentem non ad ornatum corporis, sed ad tegumentum proficientem, & qualem poterat habere carpentarij vxor peregre constituta. Viderunt, & puerum pannis sordidissimis inuolutum, in præsepio sordidiori positum. Si terrenum ergo Regem quærentes veniissent, magis confundendi erant, quàm gauisuri. Nũc autem quia cœlestem quærebant, etsi nihil Regale videbant in eo, solius tamen stellæ testimonio contenti erant. Oculi eorum contemptibilem aspicere non poterãt: quia spiritus in corde eorum eum terribilem demonstrabat. Putasne adorassent infantem, nisi intellexissent adorationis honorem, nisi aliquod diuinum credidissent in eo? Ergo non pueritiæ honorem dederunt, sed diuinitati eius omnia intelligenti. Hæc Chrysost. Ex hac stella fidei processit radius perfectæ pietatis, prout scilicet, pietas est Dei cultus, vt dicit Iob. Quam pietatem ex muneribus ostenderunt. Ex munere auri venerantes in eo personam Regiam. In thure diuinam. In myrrha mortalem naturam eius assumptam. Vel etiam quasi protestantes eum authorem totius sapientiæ, etsi puer esset, vt dicit Gratian. dist. 36. scilicet, naturalis rationalis, & mortalis, à quo suam sapientiam habuissent, vnde & Magi dicit. Ab his discamus offerre Deo integram fidem nostram non in parte. Qui enim credit Christum non esse Deum, sed creaturam, vt Arrius, vel Iudæus, aut Paganus, hic non offert thus, quod Deo offertur. Qui non credit eum fuisse verum hominem, sed fantasti-

Deut. 6.

cum, vt dicit Manichæus, nec fuisse mortuũ, vt Saracenus, & Turca, hic non offert myrrham mortalitatem significantem. Qui non credit, Christum etiam vt hominem no fuisse, & esse Dominum, & Regem omnium, & dominium habere rerum, & proprietatem, vt Fratricelli asserunt falsum, non offerunt aurum. Qui dicunt Deum non habere prouidentiam omnium, vt Dominum vniuersorũ, & sapientissimũ, non offerunt aurum. Qui nõ habent amaritudinẽ pœnitentiæ peccatorũ suorum, nec mortificant passiones suas, sed eas sequuntur, hi nõ offerunt myrrham. Qui deuotas orationes, & preces ad Deum non dirigunt, hi in thure deficiunt. Imitandi igitur isti Magi sunt, & ad radium pietatis ex fide eorum adoremus Christum cum vera fide, & opere dilectionis, deuotionis, & mortificationis.

In Purificatione Beatæ MARIÆ, & de multiplici lumine. Cap. 33.

Lucæ 2. P*Arasti ante faciem omnium populorum lumen.* Luc. 2. Quia primus Angelus, & primus homo lumen gratiæ amiserunt propter superbiam suam lumen volentes rapere diuinæ gloriæ, pijssimus Deus hominem, qui in tenebris sedebat huius mundi, & lumen cœli videre non poterat, vt dixit Tob. Raphaeli *Tob. 5.* Angelo. Tob. 5. decernens illuminate, & viã ducentem ad lumen gloriæ verbo, & exẽplo ostendere, lumen Verbum, scilicet, diuinũ de lumine Patre genitũ, missit in mundũ, & quasi humiliatum carne humana, secundũ illud, *Ezeq. 32.* quod promiserat per Ezechielẽ Prophetam dicentem. *Solem nube tegam*, illud Deitatem Verbũ nube humanitatis. Qui & humilitatẽ docuit dicens. *Discite à me, quia mitis sum, Matt. 11 & humilis corde.* Mat. 11. Et hodie facto in se ostendit. Nã in tẽplo est præsentatus ipse, qui suos electos facit sibi templum. Quinque sicli tanquã seruus est redemptus, qui Dominus extat vniuersorũ, pro eo sacrificium est oblatum, vt peccator expiandus oblatione, qui cunctorũ peccata purgauit, à matre virgine, vt paruulus, & infirmus est deportatus, qui immensus omnia portat, & sustentat verbo virtutis suæ. Vnde & B. Ambr. in ser. Offer. B. MARIA Virgo tanquam legẽ obseruans in templo, quem edidisti, vt non omnibus, sed paucis reueletur. Quis est quẽ genuisti? O quã paruus! O quã magnus est, quẽ genuisti, paruus in humanitate, magnus in diuinitate, paruus in Regno Iudæorum, magnus in Regno gentium. Quis putas nobis posset indicare inter huiusmodi obsequia animi tui sensum, cũ hinc cerneres ex te natum tantillum infantem, illinc attenderes Deum immensum, hinc creatum illinc creatorem, hinc infirmum, illinc fortissimum, hinc alendum, illinc alentem, hinc non loquentem, illinc Angelos docentem. Quis (inquam) tui pectoris arcana reuelare valeat, quibus modis cogitatum ad vtraque flectebas, cùm vnum eundemque Dei, atque hominis filium manibus tenens, hinc adorares vt Dominum, illinc osculareris, vt paruulum? Quis ad tam ineffabile miraculum non obstupescat, quis non pene elinguis fiat? Tenet puella suum, & omnium creatorem, nutrit suum, & omnium nutritorem, portat ad templum suum, & omnium rectorem. O admirandum spectaculum, ad quod non solùm humana, verùm etiam Angelica stupescit natura, hæc ille. Lumen igitur ante faciem omnium paratum ad producendum, ad lumen gloriæ, est humilitas vera secundũ illud. Humilem spiritu susc ipit gloria, & ideo benè dicitur parasti ante faciem omnium populorum lumen. Vbi notandum triplex lumen nobis paratum hodie. Lumen solare prolis generosæ. Lumen lunare virginis fœcundosæ. Lumen syderale senectutis virtuosæ. Et sic proponitur lumen ante faciem omnium primæ, mediæ, & vltimæ ætatis; nam pueris proponitur puer Iesus oblatus, iuuenibus Virgo iuuencula offerens, senibus antiquis dierum Simeon oblatũ suscipiens, quolibet tamen horũ omnes habet illuminare mẽtes.

§. 1.

PRimò igitur lumen solare, seu Solis est Iesus, non quidem Solis materialis, sed Solis spiritualis, de quo Malach. 4. *Vobis timentibus nomẽ Domini orietur Sol iustitiæ.* *Malac. 4.* Sol iustitiæ Christus Deus noster canit Ecclesia. Lumen istius, scilicet, Solis paratum vtique est *ante faciem omnium populorum.* Sicut autem Sol materialis habet inter cæteras triplicem proprietatem, ita & Sol spiritualis Christus Deus noster spiritualiter erga nos homines. Prima habet enim in radio illuminationem. Secunda tenet in medio situationem. Tertia exhibet in imo calefactionem. Dicitur enim Eccl. 42. *Sol illuminans per omnia respexit, & gloria Domini plenum est opus eius.* *Eccles. 42* Cùm enim de mane oritur, extendit radios suos quacitissimèab oriente vsque ad occidentem, & cuncta illuminat. Sic Sol iustitię Christus erat lux vera, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundũ.* Ioan. 1. Lumine fidei, & gratiæ suæ. Et hoc *Ioan. 1.* quia nullus aliunde illuminatur, vel illuminari potest, nisi ab eo, & sic est ibi distributio accommoda, ibi omnem, vt de illuminatis intelligitur. Nam etsi multi fuerint, vel sint Philosophi magni in scientia, & moribus, nullus vnquam habuit verum lumen Dei, lumen fidei, lumen gratiæ, nisi in Christo, & per Christum. Apostolus ad Roman. 3. *Iustificati gratia ipsius ex fide.* Et *Roman. 3* hoc non ex nobis, donum enim Dei est. Processum autem istius illuminationis, scilicet,

mundi

mundi in ſuo ortu, Sol iſte oſtendit. Nam primò illuminati ſunt paſtores ad eum cognoſcendum, deinde Magi, demum hodie ſenes Simeon, & Anna acceperunt, ad ſignificandum, vt dicit Beatus Thom. in 3. part. quæſt. 36. quòd primò Sol iſte Chriſtus illuminauerit populum Iudæorum, de quo populo fuerunt paſtores, quibus Angelus apparens cum magna claritate manifeſtauit natum mundi Saluatorem Chriſtum in Bethleem. Quò ſtatim euntes cognouerunt de verbo hoc, quod dictum fuerat illis. Primi enim conuerſi ad fidem, & gratiam Chriſti fuerunt Apoſtoli, & alij diſcipuli. Et poſt aduentum Spiritus Sancti multa millia prædicatione Apoſtolorũ, qui communiter fuerunt ſimplices homines, non Scribæ, aut Phariſæi, aut Principes Sacerdotum, quorum pauciſſimi conuerſi ſunt. Iudæis autem reliquis permanentibus in perfidia, & perſequentibus Apoſtolos, & omnes Chriſticolas, Apoſtoli tranſierunt ad Gentes. Vnde Apoſtolus Paulus, & Barnabas, cùm Iudæi concitaſſent ſeditionem contra eos, vt expellerentur de quodam loco, dixerunt. *Vobis oportebat primùm loqui Verbum Dei, ſed quoniam illud repellitis, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes.* Actor. 13. Quæ vbique terrarum diſperſæ prædicantibus eis diſcipulis, Chriſti conuerſæ ſunt ad fidem, quorum primitiæ fuerunt Magi Gentiles, qui die natiuitatis 13. ad Chriſtum natum peruenientes, procidentes adorauerunt eum, vt verum Deum. Et hi Magi magni erant in potentia, quia Reges, & in ſapientiæ, quia Aſtrologi, quoniam non ſolùm ſimplices, & plæbei, ſed magni Principes, & Reges, & Imperatores, ac Philoſophi Gentilium conuerſi ſunt ad fidem, & illuminati gratia Chriſti. Demum circa finem mundi mortuo Antichriſto, quem Iudæi recipient in ſuum Meſſiam, videntes ſe errraſſe, & in cæcitate fuiſſe, conuertentur ad Chriſtum, & illuminabuntur fide, & gratia eius, ſecundùm quod prædixit Pſalm. 58. dicens. *Conuertentur ad veſperam*, ſcilicet, mundi finem. Et Iſai. 10. quod allegat Apoſtolus ad Roman. 9. *Si fuerit numerus filiorum Iſrael quaſi arena maris, reliquiæ ſaluæ fient*, ſcilicet, qui in fine erunt mundi conuer ad Chriſtum. Et hi ſignificantur in iſtis antiquis Simeone, & Anna, qui hodie illuminati ſunt ad cognoſcendum paruulum Ieſum eſſe Chriſtum. Illuminat etiam Sol iſte Chriſtus omnem hominem mundi, vel quantùm in ſe eſt. Nam omnibus proponit mandata ſua, omnibus notam facit fidem ſuam: quia in omnem terram exiuit ſonus eorum, omnibus ſe præparantibus, & facientibus quod in ſe eſt, paratus eſt dare lumen gratiæ ſuæ. Sed quòd pauci illuminantur gratia eius, hoc eſt ex defectu hominum ponentium diuerſa obſtacula peccatorum. Sic etiam radius ſolaris vbique illuminat, ſed ſi claudis feneſtras, & omnia ſpiracula domus, vtique non eam illuminabit, ſed tenebroſa manebit, & hoc eſt ex defectu tuo, qui claudis aditus eius, non ex defectu ſolis. Paratũ igitur ante faciem omnium populorum lumen, & ideo aperi potentias animæ, quæ ſunt feneſtræ, & portę eius, & illuminaberis. Apoſtolis. *Surge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* Secundo, Sol materialis habet ſtatum tuum in medio, ſcilicet, planetarum. Nam vt dicunt naturales infra ſe habent tres planetas, ſcilicet, Lunam, Mercurium, & Venerem. Supra ſe habet alios tres, ſcilicet, Martem, Iouem, & Saturnum, cunctos tamẽ illuminat. Sic Sol iuſtitiæ Chriſtus mediator eſt Dei, & hominũ, vt ait Apoſtolus, ſupra ſe habens tres Hierarchias Angelorum, infra eos enim eſt ratione mortalitatis aſſumptæ, quam ipſi non habent, nam gratia, & gloria ſuper omnes eſt. Infra ſe habet tres ſtatus Eccleſiæ, ſcilicet, coniugatos continentes, & virgines, qui longè ſunt infra ſe meritis, & perfectione virtutum. Omnes tamen illuminantur gratia ſua, qui ſcilicet, in cœlo manent, id eſt, conuerſatione cœleſti bonorum morum, ſecundùm illud Apoſtoli ad Phil 3. *Noſtra conuerſatio in cœlis eſt.* Qui autem ſunt extra hos ſtatus, vt incontinentes, à Chriſto non illuminantur. Sicut autem medium participat de extremis, ita & extrema de medio. Participat Chriſtus cum Angelis ſummam puritatem, cum hominibus participauit pœnalitatem, quam in ſuo ortu inchoauit, vnde dicit. *Primam vocem emiſit ſimilem aliis ſœris plorans*, & nos igitur debemus participare de conditionibus eius, vt auſteritates ſumamus pœnitentiæ à pueritia incipiendo. Nam quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem teſta diù, ac innocentiam, & puritatem ad templum ducendo pueros ad diuina, ſicut & Chriſtus hodie ad templum eſt ductus. Tertiò Sol generat calorem, non quòd ipſe ſit calidus, vel frigidus: quia ab his qualitatibus eſt alienus, ſed radio reuerberando terram, inde ex illa reuerberatione generatur calor in terra, & aere vicino. Vnde dixerunt filij Iſrael 1. Reg. 11. *Cùm incaluerit Sol, erit vobis ſalus.* Sic iſte Sol iuſtitiæ Chriſtus hodie in templo præſentatus calefecit ſenes illos Simeonem, & Annam amore diuino, vt amplexaretur puerum, & ſe pace iam peteret dimitti, & reſolui à vinculis corporis. Quod & prænuntiãs Malachias ait, cap. 3. *Statim veniet ad templum ſanctum ſuum dominator, quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti, quem vos vultis. Et quis ſtabit ad videndum eum? Ipſe enim quaſi ignis conflans*, ſcilicet, omnes, qui ad eum appropinquant.

A B C D

Actor. 13

Pſal. 58. Iſai. 10. Roman. 9

Eph. 5.

Phil. 3.

Sap. 7.

1. Reg. 11.

Malac. 3.

§. II.

SEcundum lumen est lunare, id est, Lunæ. Fecit enim Deus luminare minus, *vt*
Genes. 1. *præesset nocti*, id est, Lunam. Genes. 1. Hæc est spiritualiter. Beata MARIA, de qua dicitur Cant. 5. *Ista progreditur, vt aurora con-*
Cant. 5. *surgens, pulchra, vt Luna*, illuminans viatores, qui sunt in nocte huius mundi tenebrosi. Et vt refert B. August. super Psalm. Alij dicunt Lunam à se habere lumen suum, alij verò non à se, sed à Sole. Et hinc est, quòd cùm Sol respicit eam, ex directo existens, scilicet, in occasu, & ipsa in Oriente apparet plena tota luminosa. Sed cùm non ita directè apparet non tota, sed corniculata. Ista igitur Luna lumen suum gratiæ vtique à Sole
Lucæ 1. iustitiæ recepit, vt ipsa ait Lucæ 1. *Fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius.* Et quia vicinior est nobis Luna, quã alij planetæ, ideo magis, & sensibiliùs in istis inferioribus influit, & operatur, sicut apparet in infirmis grauiter, in sumendis medicinis, in arboribus incidendis, & huiusmodi, sic ista Luna virginalis plus in nobis influit, & operatur merito, & vitæ suæ exemplo, quam alij sancti. Sed præcipuè in tribus. In actu obedientiæ. In opere beneficentiæ. In facto reuerentiæ. Quantùm ad obedientiam multùm ad hanc inducit exemplum suum hodie. Nam cùm esset à Deo mandatum in lege, quòd pariens masculũ in capite 40. dierum, accederet ad templum ad efferendum sacrificium purificationis, quæ videlicet mu
Leuit. 12 lier concepisset ex viro, vt patet Leuit. 12. Cùm ergo Beata MARIA non ex virili semine, sed mystico spiramine, id est, opere Spiritus Sancti conceperit Christum, nõ erat obligata tali præcepto legis obedire. Et tamen, vt exemplum obedientiæ nobis daret, obseruare ad plenũ voluit. Quantò enim quis maior est authoritate, & melior in sanctitate, tantò magis debet leges iustas seruare, etiam si esset exemptus propter exemplum aliorũ, vnde Isid. dist. 9. cap. 2. Iustum est Principem obtemperare legibus suis, tunc enim ab omnibus existimet leges suas seruandas, quando primus eis reuerentiam præbet, scilicet, seruando. Et licèt hoc mulieres communiter adhuc obseruent, vt scilicet, post 40. dies à partu maris, vel fœminę ab accessu Ecclesiæ abstineant, non quia in lege Mosaica cærimoniale mandatum, cùm hoc esset iudaizare, & mortiferum, sed propter humilitatem: quia in peccato concepit, & vt gratias agat de filio sibi dato, & euasione periculi, tamen si qua non ex arrogantia, sed humiliter accedit ad Ecclesiam post partum, quã citissimè, non peccat, vnde Gregor. dist. 5. cap. 2. ait. Si mulier eadem hora, qua genuerit, gratias Deo actura, intrare Ecclesiam voluerit, nullo peccati põdere grauatur, si etiã
A seruare vult morem Ecclesiæ suæ in differendo 40. diebus non offendit, extra de purific. post partum cap. 1. Secundus influxus huius Lunæ virginalis per exemplum suum in inferiora, est opus beneficentiæ; nam bonum, quod habebat summum filium suum adhoram communicauit Simeoni in vlnis suis prout desiderauit. Insuper cùm non agnum in sacrificium obtulisset, sed par turturum, aut duos pullos columbarum, quod erat sacrificium pauperum, qui non habebant ad emendũ agnum, cùm paucis diebus ante Magi adorãtes paruulum obtulissent ei aurum,
& non modicũ: quia diuites, & Reges erant, nec decebat magnos parua donare, posset me
B ritò quis admirari, & quærere, quid de illo auro fecisset? Sed respondet B. Bernar. quòd quia liberalis erat, & misericors, benefaciens omnibus, quem citissimè illud pauperibus per Ioseph erogauit, parum, & nihil sibi reseruans, in quo ipsam debemus imitari, temporalia, & spiritualia nostra alijs communicando proximis, vt hortatur Princeps Apostolorum in Epistola sua dicẽs. Vnusquisque prout accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes. Et Paulus ad Hebr. 13. beneficentiæ, & communionis nolite obliuisci. Reuerens quoque fuit, & in templo eius ministris ad ipsum tempore debito accedens, & sacerdotibus etiam malis se præsentabat. Et
C quod lex imperauerat, vota, & sacrificium offerebat eisdem. Intelligens ministros Ecclesiæ, etsi mali sint, non esse contemnendos in sacramentis, & officijs eorum. Spiritualis enim virtus Sacramenti inquit. B. August. vt lux purissima ab illuminandis excipitur, & per immundos transiens non coinquinatur 1. quæst. 1. si fuerit.

§. III.

TErtium est lumen stellare, & istud est conuersatio sancta senis Simeonis. Sancti enim viri in scripturis dicuntur stellæ, vnde Eccl. 43. *Species cœli gloria stellarũ* Cor. 15. *Eccl.* 43. *Stella differt à stella in claritate*, id est, sanctus à sancto in merito, & præmio. Parauit 1. *Cor.* 2.
D igitur Dominus, & aliud lumen ante faciem omnium populorum, scilicet, sanctũ Simeonem, vt si propter lippitudinẽ oculorum nostrorum aspicere non possumus in Solis, & Lunę lumen, eorum perfectionem imitando, vel saltem ad istum sanctum sanem attendamus lumen conuersationis eius sequendo. Ex ipso enim triplex splendor emanat, prout de eo facer Euangelista enarrat. *Ecce homo erat in Hierusalem, cui nomen Simeon, vir iustus, & timoratus, expectans redemptionẽ Israel.* Vbi tria de eo notantur, scilicet, quòd. Iustitiam exercebat ad proximum: quia iustus. Timorem tenebat ad seipsum: quia timoratus. Fiduciam habebat ad Deum: quia expectans, &c. Iu-

stitia

stitia propriè est ad alterum, & ad proximum. Et (vt ait Philosophus) mirabiles splendores sunt in ea. Neque hesperus, neque Lucifer est ita clarius. Et iustitiam, quidam distributiuam exercere tenentur rectores, secundùm illud Sap. 1. *Diligite iustitiam, qui iudicatis terram*, vt honores distribuantur, & officia, & beneficia secundùm merita hominum, non secundùm acceptionem personarum, id est, respectu parentelæ, vel amicitiæ. Pœnæ, & supplicia inferantur malis, secundùm qualitatem culparum, non secundùm preces, & munera. Iustitiam commutatiuam exercere debent homines in contractibus, vt emendo, vendendo, locando, mutuando, & huiusmodi, ita vt nulli fiat iniuria, dolus, vel fraus in cõuersando. Non offendatur proximus per contumelias, detractiones, vsurpationes, rixas, & huiusmodi. Iustè iudica proximo tuo, ait Dominus, sed vt ait Psalm. 61. *Mendaces filij hominum in statheris* iudiciorum, & commutationum, *vt decipiant*, ipsi de vanitate, id est, falsitate procedens, *in idipsum*, ipsi incidunt vt decipiantur. Iustus erat iste Simeon ad omnem proximum suum. Timor custodit hominem in seipso. Nam per timorem Domini, vnusquisque *declinat à malo*, ait Sapiens. Et nisi tenueris te instanter in timore Domini, citò subuertetur domus tua, scilicet, conscientiæ, in peccata ruendo. *Quis non timebit te, ò Rex gentium*, ait Hieremias, scilicet considerãdo potentiam tuam, memorando iudicia tua, quibus mundum disponis, punitiones, & flagella, quæ in peccatores immittis. Debet tamen amor iste esse filialis, non seruilis, quo cauetur, ne Deus offendatur, ne virtus amittatur. Nam vt ait Horatius. Oderunt peccare boni virtutis amore. Oderunt peccare mali formidine pœnæ. Talis erat timor huius sancti Simeonis. Cuius ratio est, quia vt dicit Euangelistã, Spiritus sanctus erat in eo. Timor verò seruilis non est cum Spiritu sancto, sed solùm timor filialis. Fiduciam oportet habere ad Deum. Ierem. 17. *Benedictus vir, qui confidit in Domino, erit Dominus fiducia eius, & erit tamquam lignum, quod ad humorem mittit radices*. Confidere debet quilibet in Domino, quòd non deficiet ei in necessarijs saluti animæ, nec etiam in necessarijs corporis, si expediat saluti animę eius. Quòd enim multis deficiant necessaria vitæ corporalis, hoc ideo est, quia non habent fiduciam in Domino, vt debent, vel quia non expedit saluti animæ, quod etsi non intelligimus, quia infirmi, ipse tamen cognoscit, quia medicus sapientissimus, & pijssimus. Fiduciam habere debemus in verbis Domini, quia *fidelis Dominus in omnibus verbis suis*, ait Psal. 144. omnia promissa adimplens. Promiserat Deus per Prophetas suos missurum filium suum, qui mundum de seruitute diabolica liberaret. Quod intelligentes sancti viri multùm anxiè expectabant huiusmodi consolationem futuram, inter quos fuit iste sanctus Simeon, vnde dicit beatus Ambrosius, dicebat quotidie in orationibus suis. Putas ne videbo, putas ne durabo? ò si me inueniat hìc illius natiuitas, per quẽ oculi cordis reuelabuntur, fœlicem me æstimabo, nec vltra viuere mihi curæ est illo viso, quem expecto ad mei, & populi consolationem. Frequẽter, vt imaginari potest, corde, & ore dicebat. *Mitte illam*, scilicet, diuinam sapientiam, *de cœlis sanctis tuis, & de sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit*, scilicet, incarnata sapientia, *vt mecum laboret*. Æstuans ergo hoc desiderio *responsum accepit à Spiritu sancto* reuelante, *non visurum se mortem, nisi priùs videret Christum Domini*, vt dicit Euangelista. Et in hoc fiduciã habens, & nihil dubitans, sed expectans consolationem, non solùm suam, sed populi sui & honorem diuini cultus dilatandi. *Cùm inducerent puerum Iesum parentes eius in Templum*, id est, portibus Templi, Virgo Batissima in vlnis eum gestans, cognouit in spiritu, quòd hic infans erat, qui expectabatur ad consolandum, & saluandum genus humanum. Et accepit eum in vlnas suas à Virgine Sanctissima, eumq; ei ad horam in manibus dimittendo. Qui repletus sancto feruore cantare cœpit. *Nunc dimittis Domine seruum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum*. Et nobis quoque, si cum isto Simeone iustitiam habeamus, timorem, & reuerentiam, dabitur Christus etiam manibus operum, non solùm in ore per verbum. In cuius repræsentationem dantur hodie fidelibus cunctis candelæ benedictæ accensæ. Candela huiusmodi significat Christum, in quo est cera carnis sine commixtione genita, sicut & apis producit ceram faciens, est lychnus albus, & leuis animę purissimæ ab omni peccati onere liberæ est; & ignis Deitatis, *Deus noster ignis consumẽs est*. ait Moyses Deuter. 4. Cùm igitur Christi fidem habemus in manibus operum, secũdùm illam conuersando, verè Christum tenemus, & cum Simeone dicere poterimus. *Nunc dimittis Domine seruum tuum in pace*, mundum deserendo, *quia parasti ante faciem omnium populorum, lumẽ* glorię post gratiam.

Sap. 1.

Psal. 61.

Prou. 16

Ierem. 10.

Ierem. 17

Psal. 144

Sap 9.

Deute. 4.

In Purificatione Beatæ MARIÆ, Sermo alius de ratione numeri, variatione Purificationis, & de interpretatione nominis. Cap. 34.

IMpleti sunt dies purgationis MARIÆ, Lucæ 2. Dicit Isid. dist. 9. c. 2. Iustum est

Lucæ 2.

Prin-

Principem obtemperare legibus suis. Tunc enim iura sua ab omnibus obseruanda existimet, quando primus ipse eis reuerentiam præbet, scilicet, obseruando in se. Decretalis etiam dicit, quòd quisque iuris in alterũ statuit, ipse debeat eo vti. Cùm Sapientis dicat auctoritas. Patere legem, quam tuipse tuleris, extra de const. cùm omnes. Sicut egit Saul, cùm esset Rex, & bonus, occidere volẽs filium *Ionathan*, quia transgressus fuerat mandatum suum factum sub *pœna mortis*, 1. *Reg.* 13 1. Reg. 13. Sic & Caleuchus Paganus, qui cùm statuisset legem, vt adulterium committens oculis priuaretur, deprehensum filium cùm populus pro eo rogaret, vt sibi parceret à dicta pœna, & populum in parte exaudiret, & legem seruauit, vnum oculum eruens filio, alterum sibi. *Nũ sic impij, non sic*, scilicet agunt, *Psalm.* 1. *sed tanquam puluis* leuis, *quem proijcit ventus à facie terræ*, ita vento elationis, vel passionis, vel precũ alteriùs hinc inde mouentur à stabilitate legum contra eas agentes. Christus autem, quia legem venerat non *soluere, sed adimplere*, vt ipse ait, *Matth.* 5. Matth. 5. legem, quam ipse Deus statuerat in veteri lege de purificatione mulieris post partum, voluit & in se præsentato in Templo, & in Matre se purificante adimplere. De qua dicitur: *impleti sũt, &c.* Vbi tria notantur. Determinationis numeri ratio. Impleti sunt dies. Purificationis variatio. purgationis. Nominis positi interpretatio, MARIÆ.

§. I.

ET primùm est ratio, quare ille numerus, scilicet, 40. dictum determinatus fuit instítutus ad purificationem parientis masculum, sicut enim fuit mandatum in lege, *Leuit.* 12 Leuit. 12. quòd mulier, quæ ex viro peperisset masculum in capite 40. dierum accederet ad Templum, deferens filium ad offerendum sacrificium purificationis pro se, & filio, numerum autem istum non expressit Euangelista, quia retulit se ad legem, quam allegat. Assignatur autem triplex ratio determinationis huius numeri, scilicet Historica, Tropologica, Allegorica. Ratio ergo literalis est, quia anima infũditur corpori in capite 40. dierum à prima sua cõceptione quoad masculos: & in illis diebus 40. paulatim organizatur corpus per omnia sua lineamenta, & ipso corpore perfecto infunditur anima tunc de nouo & de nihilo, id est non ex aliquo præexistenti creata, sicut primò perficitur domus: & postea inhabitatur. Quia ergo tunc cùm infunditur anima, inficitur immediatè, & maculatur peccato originali propter coniunctionem ad corpus conceptum in carnali concupiscentia, conueniens fuit, quod sicut 40. die à prima natiuitate, id est, conceptione in vtero anima ingrediens corpus, vt Templum materiale inficitur, ita 40. die à natiuitate secunda, id est, ex vtero in Templum materiale ingrediens, expiaretur magis sanctificaretur sacrificijs illis, quamuis per circumcisionem Hebræis purgaretur originale, sicut & baptizati etsi per baptismum à peccatis mundentur omnino, tamen & postea inungitur in vertice ad maiorem sanctificationem. Secunda ratio est Tropologica, seu moralis. Significatur enim per hoc, quòd sicut puer introducebatur in Templum materiale Dei in capite 40. dierum, ab ingressu in mundum manifestè, ita anima ingreditur Templum spirituale Ecclesiæ militantis, & postea triumphantis. De quo Psal. *Psal.* 137. 137. *Adorabo ad Templum sanctum tuum in timore tuo.* Et iterum. *In Templo eius omnes dicent gloriam* post. 40. dies spirituales. *Psal.* 28. Hic enim numerus resultat ex quatuor denarijs numeris. Decem enim ducta per quatuor faciunt 40. & numerus denarius significat decalogum, quaternarius quatuor Euãgelia. Post obseruãtia igitur decẽ præceptorum cum fide viua quatuor Euangeliorum ingreditur quis, & reperitur in Templo Ecclesiæ militantis Christo incorporatus, & non ante, & postea in Templo gloriæ triumphantis. Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi* *Matt.* 19. *serua mandata Dei*, vt nec vnum deficiat, quia qui totam legem seruauerit, offendat autem in vno, *factus est omnium reus*, Iac. 2 *Iacob.* 2. Illud solùm est sufficiens ad damnationem, & excludendum eum de Templo Ecclesiæ. Ita dicit beatus Hieronymus de pœna dist. 1. Ecclesia. Qui est aliqua sorde peccati pollutus, de Ecclesia dici non potest. Tertia ratio est Allegorica, videlicet, quia sicut 40. generatione ab Abraham in genealogia, quam describit Matthæus in principio sui Euangelij Dei filius intrauit in vterum Virginis Templum virginale, de quo canit Ecclesia. Templum Domini, sacrarium Spiritus sancti, ita 40. die voluit induci hodie in Templum Domini materiale figuratiuum Virginalis, & vt etiam ostendatur, quòd pueri, citò debent ad Templum Ecclesiarum duci, vt se assuefaciant deuotioni, & cultui fidei.

§. II.

SEcundò sciendum in eò, quòd dicitur purgationis, quòd multiplex est purgatio, aliqua licita, aliqua illicita. Purgatio vulgaris. Purgatio legalis. Purgatio spiritualis. Purgatio vulgaris dicitur, cùm quis suspectus de aliquo crimine vult probare innocentiam suam per aliquod experimentum, non secundùm naturam, neque secundùm Catholicam Scripturam, sed per modum superstitiosum, puta, cùm quis infamatur de homicidio, vel adulterio, vel furto perpetrato, offert se ad ostendendam innocentiam suam tan-

tangere ferrum ignitum, vel bibere aquam feruentem, sine læsione, vel suscipit sponte duellum, & huiusmodi. Hæc omnino est prohibita, quia pertinet ad vitium tentandi Deũ cùm quærat effectum miraculosum in ea re, quæ secundùm iura aliter probari possit, & debet, faciens contra illud precæptum. *Deute. 6.* *Non tentabis Dominum Deum tuum*. Hoc ergo prohibetur à iure canonico, vt habetur 2. quæst. 3. per totum & de purgatione vulgari per totum. Vnde legitur de Henrico Imperatore, quòd quia vxorem suam sanctam mulierem suspectam habuit de adulterio, cum quodam milite, voluit hanc purgationem facere, ita vt nudis pedibus super ignitos vomeres incederet, ideo in morte anxiatus, & punitus est. Purgatio legalis est, quæ in lege mandatur. Et in lege quidem Canonica indicitur, cùm scilicet, quis Clericus infamatur de aliquo crimine apud personas graues, & non ab inimicis, & leuibus personis, nec sufficienter probato crimine, sed semiplenè, tunc indicitur ei purgatio, vt scilicet, ipse iuret se innocentem in illo crimine, & alij compurgatores personæ honestæ iurent credere se illum verum dicere. Quotus debeat esse numerus compurgatorum, arbitrio iudicis relinquitur, vt habetur, 2. quæst. 3. in Gloss. summaria. In lege autem veteri, quo ad mulierem parturientem masculum, vt de alijs nunc teneamus, sic faciebat, quia vt dictum est, *mulier, quæ concepto fœtu* masculum peperisset in illo populo Iudæorum in capite 40. dierum pergens ad Templum offerebat sacrificium animalis, & per illud dicebatur purificari, scilicet ab illa irregularitate in partu contracta, qua prohibebatur, vt immunda ad Templum accedere. Et licèt Beata MARIA non ad illud teneretur, quia non ex viro conceperat, sed ex opere Spiritus Sancti, tamen ad dandum nobis exemplum humilitatis, voluit purificari, vt cęteræ mulieres, vnde beatus Bernardus. Verè Beata MARIA opus non habes purificatione, sed numquid filius tuus egebat circumcisione? esto ergo & tu, sicut vna ex mulieribus, sicut & ipse est, vt vnus ex illis paruulis. Tertia purgatio est spiritualis, & ista necessaria est nobis, vt anima sit purgata à vitijs, non solùm operum exteriorum, sed etiam interiorum cogitationum, & affectionum, Iacob. 4. *Emundate manus peccatores, & purificate corda vestra duplices animo*. Prouerb. 25. *Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum*. Rubigo est peccatum, vt dicit beatus Thomas 2. 2. Pura dicitur aliqua res, quando non est mixta, seu coniuncta cum alia re se ignobiliori, & imperfectiori, sicut vinum dicitur impurum cùm miscetur aqua, aurum, cùm miscetur argento, sed cùm miscetur cum re pretiosiori non dicitur impurum, sed magis purum, sicut si misceatur vinum cum maluatico, non dicitur vinum impurum, sed maluaticum impurum. Si includatur lapis pretiosus in anulo aureo, non dicetur aurum impurum, & sic de alijs. Ad propositum omnia terrena sunt minùs pretiosa anima humana, quinimmo ipsi cœli, planetæ, & quæcumque corpora virtutes gratia Angeli, & multò magis ipse Deus, sunt pretiosiora, & perfectiora anima; miscetur autem anima, & coniũgitur quodammodo his per cogitationem, affectũ mentis. Cùm ergo anima cogitatum suũ, & affectum inordinatum ponit in his, tunc anima efficitur impura, & immunda. Cùm verò cogitat quæ Dei sunt, & afficitur ad ipsas virtutes, & alia spiritualia, tunc efficitur purior, & perfectior. Aufer ergo rubiginem peccatorum cogitationum malarum, & affectionum, & erit anima tua vas purissimum contentiuum liquoris gratiæ diuinæ. Hanc summè habuit Beata MARIA, quia ea puritate enituit, vt ait Anselmus, qua maior sub Deo nequeat inueniri. Nunc ergo purgationis impleti sunt dies, id est, gradus perfectionis non sunt emundati ab originali, & fomite eius, sicut Angeli dicuntur purgari.

§. III.

QVantùm ad tertium sciendum, quòd nomen MARIA vno modo interpretatur illuminatrix, vt alia pro nunc dimittamus. Vnde ei cantamus. Solue vincla reis profer lumen cæcis. Tripliciter autem illuminat. Corporaliter, Causaliter. Exemplariter. Siquidem multos priuatos lumine corporali illuminauit. Legitur de ea, quòd cùm quidam pauperculus, sed deuotus Virginis habitans iuxta domos Iudæorum Romæ, & sæpe cantaret de ea ad confusionem Iudęorum illud officij hodierni. Gabrielem Archangelum credimus diuinitus te esse affatum, vterum tuum de Spiritu sancto credimus impregnatum, erubescat infelix Iudæus, qui dicit Christum ex semine Ioseph esse natum. Ipsi Iudæi hãc insultationem nimis ægrè ferentes procurarunt illum oculis priuari. Qui nihilominus propter hoc visu priuatus non omittebat illud decantare. Et in hac die cũ hoc ageret, à Virgine illuminatus est, & visum corporalẽ recepit. Idẽ patet de alio, qui cùm optasset, & frequenter à Domino hoc postulasset videre semel Virginem MARIAM, cùm pluries in officio legeret de ea, quia Clericus erat. Tota pulchra es, & huiusmodi, & sibi ab Angelo fuisset intimatum, quòd si videret eam, ex nimio splendore eius cæcaretur, dixit ille se non curare de hoc, dummodo eam videret. Cogitabat tamen ille cautè, vt cùm sibi appareret, vnum oculum solùm aperiret ad eam videndum,

alium

alium clauderet, ne visum eius amitteret. Cùm ergo semel sibi oranti appareret, ponés manum ad vnum oculum, ne aperiret. Cùm cœpisset alio aspicere, tanta claritate, & consolatione perfusus est, quòd vt plenius aspiceret, remouens manum, & alium aperiret. Cæcus ergo factus non est contristatus præ dulcedine mentis, quam expertus est, deprecatus est tamen Virginem, vt saltem sibi vnũ restitueret, cuius auxilio victum sibi acquirere posset, quia scriptor erat. Sed Beata Virgo vt misericordissima, non solùm vnum, sed ambos restituit, & illuminauit. Secundò illuminat causaliter, & ista est melior. Ex ipsa enim ortus est Sol iustitiæ Christus

Ioann. 1. Deus noster, *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, Ioann. 1. Ipsa tenebras Hæresum abstulit, illuminando veritatẽ, vnde canit Ecclesia. Gaude V. MARIA, cunctas hæreses sola interemisti in vniuerso mundo. Prima hæresis de Christo est, quod non fuerit Deus, vt dicunt falsi Iudæi, & quidam hæretici, in quam inciderunt Apostoli, & omnes eius discipuli in passione, putantes fuisse purum hominem. Sola autem Virgo stabat iuxta Crucem, stabat recta fide eius Deitate. Aliqui Hæretici dixerunt contra humanitatem eius, asserentes eũ non verum hominem. Sed & hoc destruxit habendo experientiam certam de eius humanitate, docuit, illuminauit Apostolos de multis mysterijs post aduentum Spiritus sancti, qui postea mundum illuminauerunt veritate fidei. Illuminat frequenter procurando reis lumen gratiæ, & iustis conseruationem, & augmentum eius. Illuminat exemplariter, eius enim vita inclita, & conuersatio cunctas illustrat Ecclesias, (canit Ecclesia,) vnde & hodie dantur candelæ benedictæ accensæ in manibus fidelium. Candela tamen huiusmodi significat Virginem MARIAM, quia sicut in candela est cæra mollis, & ductilis, significans humilitatem, & lychnus albus significans puritatem, & lumen ardẽs, innuẽs charitatem, ita ipsa in summo habuit ista perfectissimè, in quibus eam debemus imitari in operibus nostris. Et ideo in manibus dantur, quæ opera designant. Non ergo sufficit eam in capsa memoriæ habere sicut fit communiter, recordando de sanctitate eius, & laudando mirabilia eius. Sed oportet in manibus operum tenere, imitando, & cætera.

De Purificatione, & quomodo quis debeat se offerre Deo, quantum ad principium, medium, & finem. Cap. 35.

Lucæ 2. *TVlerunt eum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino*. Lucæ 2. Propheta Dauid loquendo de sacrificio, quod quilibet debet

A facere de seipso Deo ostenso in oblatione facta in hac die Purificationis, sic ait Psal. 26. *Circumiui, & immolaui in tabernaculo eius hostiam vociferationis, cantabo, & psalmum dicam Domino*. Et videtur mihi, quòd velit dicere, quomodo debet quilibet cum Domino Iesu se offerre Deo glorioso, quantùm, scilicet, ad principium, medium, & finem. Et quantum ad principium, ait, *Circũibo*. Quantùm ad medium, ait, *immolabo in tabernaculo eius hostiam vociferationis*. Quantùm ad finis terminum, *cantabo, & psalmum dicam Domino*. Psal. 26.

§. I.

B QVantùm igitur ad primum, vbi dicit, *circumibo*, est notandum, quòd ad offerendum debite se Deo oportet circumire per omnes vias gratas. Ob cuius repræsentationem fit processio hodie cum candelis benedictis in manu delatis ad gloriam Dei. Hortatur Apostolus, 1. Corinth. 7. omnes dicit. *Vnusquisque ambulet hac vacatione, qua vocatus est*, & si clarum esset ibi, quòd Deus te vocaret ad istum, vel illum statum, non oporteret te circumire, sed subitò exequi vocationem eius. Sed quia Deus vult nos tenere in vera humilitate, & filiali timore solicitudine nostræ salutis, sæpius vocat tali modo, quòd vult nos quærere, & inuestigare, quæ sit vocatio nostra Deo magis grata. Et hoc est, quod dicit, *circumiui*. Et quãuis per seipsum Christus vocauerit Saulum, ac ita quodammodo violenter, quòd ei sit dictum. *Durum est tibi contra stimulum calcitrare*, tamen eum misit ad Ananiam simplicem virum. Vocauit & Centurionem Cornelium, & nihilominus ad Petrum misit, dicens. *Hic tibi dicet, quid te oporteat facere*. Sæpe ex tædio vitæ, vel ex indignatione, mandatorum tibi impositorum, vel honoris appetitu libertatis, aut rerum abundantia, & huiusmodi, tu teipsum vocas ad alium statum, qui tibi videtur melior, quàm ille in quo es, & in seipso sic erit, quòd tibi minus sit vtilis, tamen tu non cognoscis. Aliquando te vocabit Angelus Sathanas, transfigurans se in Angelum lucis, vt non perseueres in diuina vocatione tibi facta. Aliquando vocabit amor sensitiuus, & tibi videtur spiritualis. Et omnes hæ vocationes sub specie boni factæ similes erunt his, quæ à Domino procedunt. Ergo ne decipiaris, sume in manu candelam rationis. Sed sit benedicta, id est exuta sensualitate, & tota spiritualis. Accensa debet esse ista candela doctrinæ sacræ, & fac tres circumitus, seu processiones cum tribus pausationibus. Primus circumitus est considerare diligenter, vnde procedit talis motus ad mutandum status, & si est associatus talis motus ab aliqua supradictarum im-

1. Cor. 7.

Acto. 9.

Acto. 10.

imperfectionum, nam si sic esset, talis vocatio sit tibi suspecta. Secundus circumitus est examinare, quis sit verus seruus Dei, cui te committas regendum, qui separatus sit ab amore sui, attendés ad gloriam Dei, humilis, non præsumptuosus. Et hoc quærere oportet cum magno tortio accéso, & oculis benè apertis, quia non reperitur fallacior mercantia, quàm *homo, cuius cor est inscrutabile,* *Ierem. 9.* secundùm Ierem. 9. Sæpe intus lupus rapax ab extra ouis mitis. Ad inueniendum igitur talem hominem perfectum accende lumen Christi, & respice, ne te decipiat color, habitus, aut affectus proprius, non partialis inter ordinem, & ordinem, professionem domesticam, & syluestrem. Et quando talem Dei seruum inueneris, illum consule, & suam doctrinam, seu consilium exequaris, secundùm illud Tob. 4. *Consilium semper â sapiente inquire.* Sapientiæ, scilicet in materia agendorum. Tertius circumitus est cogitare omnia tua motiua circa hoc, quòd ex his magis cedat ad gloriam Dei, salutem tui, & ædificationem proximi. Frequenter vnus status est melior altero in se, & quod ad diuinum honorem contrarium exittit. Contemplatiua sublimior est actiua, & tamen Marthæ mandatur actiuæ intendere, non contemplatiuæ. Melior societas inuenitur in vno ordine, quàm in altero, & tamen volendo animam tuam saluare in minus bono, in quo facta est professio, ne alijs detur scandalum, remanere debes in tuo. Ecce professionem facimus isto mane, ad docendum fideles facere istos tres circumitus, vt benè prouideas tibi ad faciendum de te bonum sacrificium. Et hoc est principium.

Tob. 1.

§. II.

MEdium obseruandum circa tale sacrificium, est totum se tradere, & subijcere diuinæ voluntati, nil sui reseruando sibi, vt dicit Psalm. 25. *Immolabo in tabernaculo* *al. 25.* *eius hostiam vociferationis.* Tabernaculum diuinum, in quo seruatur omnis res sacra, est ipsa Dei voluntas, quæ se cundùm quod probat diuus August. contra Faustum, est forma, via, & regula omnis perfectionis. Et tanta est creatura bona, & perfecta, quantò cum illa se conformat. De isto capacissimo tabernaculo loqui intendebat sanctus ille Mardochæus, quando orando dicebat. *In ditione tua Domine cuncta posita sunt, & non* *Esth. 13.* *est qui tuæ possit resistere voluntati.* Esther 13. In ista voluntate Dei offertur sacrificium figuratum per illud, quod offerebatur in Ierusalem, in quo quotidie totus Christus præsentatur, vt sonant verba proposita, scilicet. *Tulerunt illũ in Ierusalẽ.* Ierusalé enim interpretatur visio pacis, & qui se conformat volũtati diuinę, semper pacem tractat, pacem videt, secundùm illud Psalm. 84 *Audiam, quid loquatur in Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam.* Immolare est totum ardere, & dare se hostiam Deo sanctam viuentem Deo placentem in obsequium rationabile Dei, & si tu aliquam partem de te reseruasti, quæ non consumatur in igne diuini amoris, pax nõ duraret, nec opus bonum inchoatum, & non vociferares in diuino conspectu. *Scis, quòd modicum fermentum totam massam corrumpit,* (ait Apostolus,) & parum carnis in corpore putridum, nisi abscindatur, totum corpus corrumpit, huius rei experientiam vides in Iuda proditore, & omnium Religiosorum, & religiosarum simulatoribus, qui etsi cum deuotione statum Religionis assumpserunt, quia totum se Deo non dederunt, totum amiserunt. Qui autem Deo tribuit totam voluntatem totus semper ad Deum vociferat, ab eo directus, & lætificatus, & ista est hostia vociferationis, seu clamoris, & apta tali vocabulo *vociferationis.* Psalmus vtitur, quia talis voluntas tota in Deum immersa gustat dulcedines mirabiles, & conuersa in maximum stuporem nescit quid loquatur, sed ex admiratione stridet, & vociferat. Sic dicebat Psal. 34. de eodem sacrificio *omnia ossa mea dicent, Domine quis similis tibi.* Vides totum hodie declaratum per exemplum, quando Mater amantissima Virgo MARIA posuit totum Christum in vlnis antiqui Sacerdotis Simeonis; hic enim subito vociferatus est cum altis stridoribus stupore repletus. *Nunc dimittis, &c.* Anna etiam Prophetissa clamauit, & quid, nescimus, nisi quòd annuncia bat mirabilia. Et quando audis, quòd clamabat vetustus dierum, & veterana, intellige figuratum, quòd ex tali completo sacrificio obstupescit, & mutatur totus spiritus, & etiam caro, totus Adam in Simeon conuertitur, tota Eua Anna efficitur.

Psal. 84. *Galat. 5.* *Psal. 34.*

§. III.

SEquitur de fine sacrificij, vbi dicitur. *Cantabo, & psalmum dicam Domino.* In qua parte ostenditur, hominem in sacrificium Deo oblatum semper debere cantare in id, quod ei acciderit, non solùm patientiam seruando in aduersis, sed etiam iucundãdo in illis, sicut ait Apostolus de se. *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi.* De quo enim quis tantũ gaudere debet, quãtũ de aduersitate? prosperitas cõmuniter transit, & vanè hominem lætificare facit, mundum diligere, & superbia leuari, vnde ad inferos conducunt, & ideo de eis contristandum & lugendum, sed aduersitas facit humilium corda reuerti ad Deum, mundum decipientem agnoscere, & viam ad patriam præparare. Et cùm loquitur

2. Cor. 12.

tur de ipsis tribulationibus semper lætandum, & cantandum cum affectu dicendo, *Cantabo*. Ad hoc hortabatur Iacobus Apostolus in Epistola sua cap. 1. dicens. *Omne gaudium existimate fratres, cùm in tentationes varias incideritis*. Ostendit autem hic Psalmus, quòd homo Deo sacrificaturus debet mentē cum eo vnitā tenere semper; & dicere: *psalmum dicam Domino*. Dicere Deo psalmum, est mentem in illam dulcedinem subleuare, sicut Scriptura narrat de Helisæo Propheta. Offerre sacrificium Deo nihil aliud est, quàm omnes corporales sensus mortificare, quibus mortuis oportet, quòd anima cum summo Deo coniūgatur, & in ipso continuè iubilet, quantùm ipse Deus operatur in eo, vt dicere valeat cum Apostolo. *Nostra conuersatio in cœlis est*. De his duabus vltimis particulis formam nobis præbet sanctus Simeon, qui se Deo sacrificans Christum dulciter recepit invlnis, cecinit de morte corporali, quia vicinam aspiciebat, & dixit. *Nunc dimittis, &c.* Et subleuauit mentem, ad intuendum intus, quod alibi erat absconditum, dicendo. *Quia viderunt oculi mei*. Ecce igitur quomodo Dominus IESVS ad faciendum de se sacrificium erat delatus ad Templum à Matre Virgine MARIA, & Ioseph, vt formam nobis præberet, vt simile peragamus. Vbi dicūt verba primò proposita Euangelij. *Tulerunt illum*. In quibus quidem verbis pro ampliori declaratione nostrę perfectionis notabimus septem partes. Prima est, vnde mouetur ista processio. Secunda per quem deferatur talis oblatio. Tertia quid est ista donatio. Quarta, quò dirigitur talis congregatio. Quinta, cui datur talis benedictio. Sexta huius præsentationis associatio. Septima, quæ inde sequitur remuneratio. Ad primam respondetur, quòd à Bethleem tulerunt. Ad secundam, quòd MARIA, & Ioseph tulerunt. Ad tertiam, quòd Deum & hominem Christum tulerunt. Ad quartam, quòd ad Templum Ierusalem obtulerunt. Ad quintam, quòd ad Simeonem Sacerdotem tulerunt. Ad sextam, quòd cum duabus turturibus, vel pari columbarum tulerunt. Ad septimam, quòd festum maximum Simeon, & Anna fecerunt.

Iacob. 1.

Philip. 3

A B C D

§. IIII.

QVantùm ad primum, quicumque de se vult facere cum IESV sacrificium, primò recedat à Bethleem, id est, cura carnis, quia vt dicit Apostolus. *Si secundùm carnem vixeritis moriemini*, scilicet, vita spirituali. Quamuis antiqui Doctores dicant, quòd Bethleem interpretatur domus panis, Moderni tamen interpretantur domum carnis. Et ideo discedas à Bethleem, sicut fecit Dominus IESVS non corporaliter, sed spiritualiter, scilicet, à cura carnis, & solicitudinis vitæ corporalis, de crastino non cogitando, sed sperando in eo, qui pascit aues cœli, & vestit flores campi. Non dico, ne labores, sed cum Christo dico, ne ita soliciteris circa curam corporis, vt omittas aliquam vocationem Dei, aut actum ad gloriam Dei pertinentem. Si cogitasset populus Dei Israel de quo viuemus in deserto, de quo vestiemur, nunquam egressi essent de Ægypto, nunquam ad terram promissionis deuenissent, & postquam fuerunt inde egressi sub spe diuini auxilij, quando cogitauerunt comedere carnes, & hitientes, de aqua trepidauerunt, ira Dei descendit super eos, & mortui in deserto, non consecuti optatum finem terræ promissionis. Ista est prima via, & regula, quam debet seruare, qui vult benè Deo sacrificare. Quicumque autem cogitat priùs de vita corporis, quàm de vita animæ in suo progressu vtique non prosperabitur. Et de hoc experientiam vides in multis, qui videtur inchoasse bonum facere, sicut canere retro redeunt. Cernis gloriosam Virginem MARIAM paruulam puellam recessisse à parentibus, qui communiter habent tantam curam de corpusculo, vt non ieiunet, non vigilet, non multùm oret, quòd filios suos inertes, & desides efficiunt. Et quia sic Beata Virgo recessit à consanguineis ponendo totam suam spem in dulcissimo filio suo, ciba ta, vestita, custodita, directa ab Angelo sancto, qui de ea curam habebat specialē loco cuius Ioseph successit, & postea filius eius, qui recessurus è mundo per passionem loco sui reliquit Ioannem, qui curam haberet tantæ puritatis, & matris ita perfectæ. O quantum est vtile se totum iactare Domino, & ob eius dilectionem nil de se curare, huic Angeli attendunt, sancti adiuuant, Deus solicitè curat, seruiunt puri Ioannes.

Roma. 4.

§. V.

SEcunda responsio, scilicet, qui deferant oblationem, id est, qualis intentio debet mouere creaturam ad se Deo sacrificandum Circa quòd dicit Euangelista, quòd parentes sui paruulum Christum tulerunt. Secundùm autem veritatem Grammaticæ parentes non intelliguntur, nisi pater & mater, qui talis partus post Deum sunt prima causa. Vbi nota, quòd tres parentes habuit ille benedictus filius oblatus. Et primus æternus fuit pater suæ diuinitatis. Secunda fuit sua veneranda mater eius humanitatis. Tertius Ioseph, & hoc solùm secundùm opinionem communem non secundùm veritatem, quia principium non dedit, nec diuinitati, nec humanitati eius. Spiritus sanctus talis humanitatis fabricator pater dici non potest, quia de substantia sua nil posuit, nec quo ad di-

diuinitatem totam ab æterno procedentem
à patre, nec quoad humanitatem totam ge-
nitam solùm à gloriosa matre. Et sicut figu
lus pater non dicitur vasorum, quæ facit, ita
non dicitur Spiritus sanctus pater Christi,
quamuis ex purissimis sanguinibus Virginis
corpus fabricauerit Templum diuinitatis,
sicut dicit Magister, in 3. senten. Quando er
go audis dicere, quòd parentes sui tulerunt
IESVM in Ierusalem, intellige per parentes
patrem Domini, matrem MARIAM, &
Ioseph nutritium. Et quando dico patrem
(cùm opera Trinitatis sint indiuisa, & to-
tum simul faciant, quod est extra se, vt do-
cet beatus Augustinus,) intellige cum Pa-
tre Filium, & Spiritum sanctum. Dic ergo
quòd quinque personæ tulerunt sacrificium
istud. Pater, Filius, & Spiritus sanctus, MA-
RIA, & Ioseph. Hìc tibi dimitto multas de-
uotas contemplationes. Et prima, quomodo
æternus Pater est summus Sacerdos, qui de
eo, quod ipse est, sibi ipsi sacrificium faciat.
Secunda, quòd filius, qui se portat, & de se
facit sacrificiũ ei, qui est ipse. Tertia, quòd
Spiritus sanctus inuisibiliter ardet, non so-
lùm ligna huius sacrificij, scilicet MA-
RIAM, Ioseph, Simeonem, & Annam mi-
nistrans, sed etiam ignem, vnde ipse est ig-
nis, qui ipsemet est, quia Spiritus sanctus du
cit verbum ad Templum, à quo ipse æterna-
liter procedit. Quarta, quòd portatrix ma-
gis fertur à Christo delato, quàm portat
ipsa. Istarum, & aliarum explicationem me-
ditationum ob breuitatem omitto, pro nunc
sufficit, quòd quinque nomina debent duce-
re ad tale sacrificium, & si aliquod horũ de
ficit, mutatio status tui sit tibi suspecta. Pa-
ter igitur Deus dirigat te in viam suam per
spem constantem, & non permittat tibi oc-
currere cogitationes retrahentes à bono pro
posito, scilicet, non volendi perseuerare ex
debilitate, vel ex paupertate, aut ex solicitu-
dine, vel tentatione, aut alijs motiuis retra-
hentibus mentem à benefaciendo. Verbum
filius te dirigat per sua sancta consilia, qui lu
cernam accendit, lumen, scilicet, ad reuela-
tionem gentium, ne possis errare, ita quòd si
incitaris ad apprehendendum alium statum
in quo non es, respice in doctrinam Verbi, si
hoc tibi consulit & potes facere, aliter non,
Spiritus sanctus dirigat te purificando, quia
te non mouebit prius quàm tibi inspiret no-
titiam cum dolore tuorum defectuũ: & prius
te purgabit, quã moueas passum tuorum af-
fectuum, & si perpendis cum peccatis tuis
ascendere in altum statum, secundùm appa-
rentiam exteriorem, noueris te duci ab an-
tiquo serpente ad inficiendum locum, quò
pergis. Oportet etiam, vt te dirigat, & ferat
pura Virgo MARIA, id est, pura intentio,
& non maculata, aut mixta, tu scis, quòd vas
purum dicitur, quando non est ibi aliquid,
nisi illud, sine quo esse non potest, id est, vas
vacuum quolibet liquore, vel re solida libe-
rum à muscæ oliuæ siccitate sine rubigine, &
omni alia immunditia, quamuis plenum es-
set aere, quia natura vacuum non sustinet.
Ita dico, quòd mens pura est directa à MA-
RIA, quando nullus respectus te ducit, nec
tui, nec alterius, nisi tantùm gloria Dei. Et
ne decipiaris à te ipso in istis motibus, seu
respectibus, additur Ioseph ad deferendum
tale sacrificium, qui interpretatur augmen-
tum, vt ex hoc intelligas, quia quamuis tibi
videretur portari à quatuor primis deferen-
tibus, debes cõsiderare, quòd status, quò va-
dis, si assumere intendis, est superior, & perfe
ctior illo, vnde recedis, quilibet potest regu
lariter debito modo ascendere, & augeri,
sed non descendere, vel minui. Totum cogi-
ta exemplo gloriosæ Virginis, quæ, cùm ad-
monita esset ab Angelo de mutando statu
suo, egredi, scilicet, Templi solitudinem, &
venire ad humanam conuersationem, vsque
ad habitandum cum humano sponso, cogita
bat, & cogitando paueſcebat in verbis An-
geli, quæ interrogando, *quomodo fiet istud*, *Lucæ 1.*
id est, cum virginitatem proposuerit serua
re, quod ostendit, cùm ait, *quoniam virum*
non cognosco, qui quidem maior gradus est
perfectior, quàm filios generare secundùm
cursum naturalem. Sed tunc certificata ab
ipso Angelo, quòd ad talem statum dirige-
bat Pater æternus, obumbrãdo, Verbum in-
carnando, Spiritus sanctus fœcundando,
Ioseph in virginitate eam conseruando, as-
sentit Virgo, seipsam offerendo, & dixit. Ec
ce ancilla Domini, fiat mihi, &c.

§. VI.

REspondeo ad tertiam inquisitionem, sci
licet, quòd oblatus in sacrificium, & de
latus est Deus, & homo IESVS Christus,
vbi declaratur, qualis debeat esse, qui seipsũ
vult Deo offerre in sacrificium, vt scilicet ef
ficiatur Christus, & Christus factus de te Deo
qui iã est datus Deo, ei, qui erat natus Deus,
& hodie defertur Deo, qui erat Deus. Quis
non obstupescat in tantis mirabilibus, & ta-
men fiunt hæc propter doctrinam nostram.
Igitur oblatus Deo efficiaris humilis, vt
Christus, pauper cum Christo, patiens, vt
Christus, indutus charitate Christi, orna te
cum charitate Christi, forma te cum beni-
gnitate. Et sic consequenter per similitudi-
nem factus Christus eris debitum sacrificiũ
Deo oblatũ. Tale sacrificiũ de se fecit MA-
RIA, & inter creaturas nunquam apparuit
tanta humilitas, sicut in ea, quæ se ancillam
vocat Mater à Deo electa. Et ita cogita de
alijs virtutibus suis, quas ob breuitatem di-
mitto. Cogita similitudinem carnis, com-
mu-

munitatem vestium, ciborum, & conuersationis, & pro certo teneas, quòd vbicumque Christus erat, siue magnus, siue paruus, ibi erat sua dilecta Mater. Nam extra suam præsentiam viuere non valebat. Si Virgo pura erat in nuptijs, hoc ideo quia Christus ibi erat. Si verecundissima Virgo, & contemplationis magistra cum magno tumultu perrexit ad Crucem, hoc ideo quia Christus illuc profectus est, multò magis semper ambulauit vbi orabat, vbi docebat, vbi prædicabat, vbi miracula faciebat IESVS. Et ita tota transformata in Christum odoriferum sacrificium de se Deo obtulit.

§. VII.

QVantùm ad quartam inquisitionem docetur in quo loco tale sacrificiũ facere debes de te, vel filijs, scilicet, quia ad Templum Ierusalem, id est, ad domum visionis pacis, sic enim interpretatur Ierusalem. O cum quanto dolore intuenda est ista infœlix ciuitas vocata fœlix? In qua est amplum Templum Herculis superbi. Ad quod accedens ad sacrificeandum quilibet cum ambitione status, & appetitu magistratuum non hoc merendo sed contrarium. Hic est Templum bellicosi Martis, & quilibet in communi ab extra, vel particulari ab intra de se ei offert sacrificium continuatum per annos plurimos. Templo inhonesti Iouis raptoris non sacrificat, nisi qui non valet. Templum Veneris omnes venerantur, & ad Templum Semiramidis multæ gẽtes currunt. Templum gulosi Bachi nunquam reperitur vacuum. Templum auari Midæ à maiori, vsque ad minorem, à Sacerdote vsque ad Leuitam, omnes sacrificium offerunt. Templum verò Christi vacuum reperitur, & non inuenitur, qui velit se in eo præsentare, vel filios suos tamquam iam in præteritũ ibi se præsentauit conuertit illud Templum vanorum, ac fallacium Deorum. O munde immunde nutritor omnium vitiorum sectator omnis generationis malorum, & solùm Deum exilio tradis, sed certè docet te Christus, & Mater eius offerre te, & tuos in sacrificio inquantum vales Dei Templo Ierusalem, vbi pax videtur pax seruatur, pax tenetur cum Deo suo, ita referunt beatus Hieronymus, & Ambrosius, Beatissimam Virginem fecisse post passionẽ, & ascẽsionem filij sui dilecti, discurrebat visitando omnia loca, vbi fuerat IESVS conuersatus, & ibi meditabatur sacra beneficia per ipsam facta humano generi, & à memoria horum non recedebat.

§. VIII.

AD quintam inquisitionem, scilicet, per cuius manus fieri debet hoc sacrificium & respondetur, quòd per manus Simeonis, qui interpretatur obediens. Istud sacrificiũ multùm continuauit Dominus IESVS, qui comedebat in domo Simonis Petri, Simonis Pharisæi, Simonis Leprosi in Bethania, id est, in domo obedientiæ, id est, in domo Matthæi, qui interpretatur donatus alteri, scilicet deditus, & sibi abnegatus, intrauit, & in domum diuitis, scilicet, Zachęi ad ostendendum quod verbis dixerat, Matth. 24. *Omnia quæcumque dixerint, vobis facite, & seruate*, id est, in rebus licitis, scilicet boni Prælati, & etiam si praui essent, sed *secundùm opera eorum*, scilicet mala, *nolite facere*. Verum qui potest inueniri bonum Simeonem antiquum, iustum, & timoratum expectantẽ populi salutem magis, quàm sui, in quo habitet Spiritus sanctus, & habeat diuinum lumen, illum sequatur, & alios dimittat. Talem describit Lucas Euangelista, antiquum Simeonem in sacro Euangelio hodierno. Elige Simeonem in Patrem tuum spiritualem, qui sit obediens superioribus suis, quia malè potest alteri præcipere, qui benè non didicit obedire. Tolle Simeonem antiquum practicum, & expertum iam sanguine mortuum ne fetor oriri valeat ex cõuersatione. Quære Simeonem iustum à peccatis mundum & liberum, ne per malum exemplum, vel doctrinam ad illa te inducat. Accipe Simeonem timoratum, humilem, qui in seipso non confidat, nec præsumat, qui plenus charitate, non sui amator, ne te liniat temporalibus, sed sit amator Dei, & salutis proximi, qui te defendat à malo. Reperi Simeonem plenum Spiritu sancto, sacra Scriptura eruditum, & sana doctrina, qui sit multæ orationis, in qua respondet Spiritus sanctus. Per tales manus sacrificauit Virgo gloriosa se totam summo Deo, quia paruula parentibus obedinit, puella antiquo sacerdoti Templi Angelo sancto, 14. vel 15. annorum cum esset, habitauit. Exinde cum vetulo virgine Ioseph in Ægyptum pergens cum eo, & inde rediens cum filio suo multo tempore. Demum antiqua facta 48. annorum mansionem habuit cum Ioanne virgine puro, quem sibi in Cruce Christus loco sui in filium assignauit.

Mat. 23

§. IX.

QVantùm ad sextam, scilicet, cum qua sõcietate fieri debet tale sacrificium, & dicit Euangelista, quòd *obtulerunt pro eo* vnum *par turturum, aut duos pullos columbarum*, ad quę additi sunt quinque sicli, quibus primogenitus redimebatur, per quos intelliguntur quinque sensus corporis, qui debent offerri in sacrificium, vt tota anima tua Domini sit, quamuis Euangelista de siclis non loquatur. Sed neque declarat, si dati sunt turtures, vel columbæ, certum tamen

quia

quia alterum eorum. Sed neque hoc vacat à mysterio. Ideo enim Spiritus sanctus voluit Euangelistam hoc scribere distinctiuè ad doctrinam nostri, quia aliquibus conuenit turtures offerre, alijs verò columbas, nec omnes offerre turtures, nec omnes columbas. Aliqui sunt, qui se Deo volunt offerre in sacrificium, & remanere in vita actiua, & habitu laicali. Alij verò perfectiùs se offerre, intrando, & reperiendo se in statu regulari. Primi sesum deferant par turturum, vnum par importat vnitatem, & fidelitatem. Tu ergo, qui in laico statu vis te Deo sacrificare, serua ista quatuor, vnitatem, vt non quæras, vel sequaris sectas, diuisiones, partialitates, & huiusmodi. Serua charitatem, dãdo eleemosynas, prout Tobias filium suum docuit, dicẽs: *Si multum tibi fuerit abundanter tribue, si parum, & illud libenter impartiri stude*, Tob. 4. Serua castitatem, sicut & ipse Tobias docuit filium suum dicit: *Attende tibi ab omni fornicatione, & præter vxorem tuam non patiaris crimen scire*. De quo etiam dicitur, quòd celebrabat nuptias cum vxore in timore Domini. Serua fidem legendo, vel audiendo diuina officia prædicationum, verba illa credendo, & obseruando. Qui verò in statu religioso se Deo tradunt, offerre debẽt pullos columbarum, id est, duas columbas, Binarius numerus est principium diuisionis, ad innuendum, quòd tales debent esse diuisi, id est separati à mundanis. Sed inter se debent esse quasi vnum par, id est, simul vniti, & sine diuisione. Columbarum pulli sunt calidi, sed casti, quia adhuc non sunt columbæ modicæ castitatis, sed pulli, ad innuendum, quia Religiosi debent esse calidi, id est, feruentes in diuino amore, sed puri, & mundi à carnalitate. Columbarum pulli non volant discurrendo, sed clausi manent in nidis suis. Sic & Religiosi non debent discurrere vagi per Ciuitates, & villas, nisi in necessitate, quæ non habet legem, sed clausi debent esse in cellis, vel castris suis. Columbæ, quæ plorant loco cantus significant vitam religiosam plenam esse debere pœnitentia, & qui, vt ait Hieronymus se, & mundum lugeant, & Domini semper pauidi præstolentur aduentum. Et maximè lugere debent pro peccatis eorum, qui eleemosynis eorum nutriunt. Columbæ, quæ nunquam quiescunt super cadauer, significant, quòd Religiosi debent contemnere pecuniam, & omne inclinans ad peccatum. Columbæ habitantes in cauernis petræ. *Petra erat Christus*, inquit Apostolus, significant quòd vita talium debet esse confixa cum Christo in Cruce, & quantùm fieri potest contemplatiua. Columbæ residẽt super culmina aquarum, vt videant, si accipiter, vel alia auis rapax volat super eos, vt capiat, à quo fugiant, significant quòd debemus moram facere iuxta aquas Scripturarum, eas meditando, vt valeamus cognoscere, & vitare insidias dæmonum in aere habitantium. Columbæ habent collum variatum depictum, & totum refulgens, designant, quòd vita Religiosorum debet esse speculum aliorum, & lux mundi, videndo eorum bona opera, verbis & factis glorificent patrem cœlestem, & cauere ab his, quæ habent speciem mali tollatur omnis suspitio. Omnes istas proprietates de facili in Virgine MARIA reperies per excellentiam.

Tob. 4.

1. *Cor.* 10

§. X.

AD septimam, & vltimam respondetur, quòd ex prædictis sequitur festum solemne, scilicet, lætitia Simeonis, quia cantat. *Nunc dimittis*. Lumen intellectus, qui dicit: *Lumen ad reuelationem, & cætera*. Occursus Annæ, & stupor mentis, hoc est dicere, quòd ex eis sequitur. Læta obedientia, prompta humilitas, deuota, & integra, & lumen sapientiæ veræ adhuc, quia Anna interpretatur gratia. Dico quòd ita viuendo currit, & abundat gratia infusa à Deo cum tot reuelationibus, & illuminationibus, quòd tota mens suspensa manet, & in stuporem vertitur, & cum Christo, & Matre sua se reperit in æterna gloria, Amen.

Quomodo gladius pertransijt animam Virginis Beatissimæ MARIÆ, vt prædixit Simeon.

Cap. 36.

TVam ipsius animam pertransibit gladius Luc. 2. Multiplex reperitur gladius in Scripturis. Est enim gladius materialis, de quo Dominus ait Petro. *Omnis, qui accepit gladium, gladio peribit*. Matth. 26. Dicitur accipere gladium, qui propria auctoritate, seu voluntate non Dei, vel legis auctoritate occidit, vel percutit aliquem, hic accipit gladium, quia vsurpat sibi potestatem hoc faciendi. Nam qui Deo iubente occidit, & percutit, vt populus Dei sub Moyse & Iosue, & postea sub Iudicibus, & Regibus multos populorum Chananæorum, & aliorum occiderunt. Ille non dicitur accipere gladium, sed sibi dato à Deo vti, & ideo licitè. Et similiter Iudex, qui occidit reum non accipit, nec vsurpat gladium, sed eo sibi à lege dato, si habet legitimã potestatẽ, vtitur

Luc. 2.

Matt. 26.

Rom. 13. vnde *non sine causa gladiũ portat*, ait Apostolus, id est, ante se portare facit, scilicet, vindictam malefactorum. Qui verò accipit vsurpando, gladio peribit, quia à Iudice punietur, vel saltem gladio diuinæ iustitiæ, nil inultum patientis, & de gladio isto non loquitur Simeon ad Virginem, quia, vt dicit, Beatus Ambrosius. Nulla Historia docet MARIAM de hac gladij nece migrasse, morte violenta, sed naturali, & præsertim cùm non anima, sed corpus gladio transuerberetur. Est alius gladius criminalis, de quo Psalmus 143. orat erui, dicens. *De gladio maligno erue me*. Iste est gladius odij detractionis, malæ persuasionis ad peccandum, de quo Beatus Augustinus. Si fratri tuo male persuades, occidis, vnde Psalmus 57. *Lingua eorum gladius acutus*, de pœnit. distinct. 1. noli, & clemens. Qui odit, & qui detrahit, & qui occidit pariter homicida est, de pœnit. distinct. 1. homicidiorum. Occisor corpus occidit gladio materiali, detractor occidit famam, per quam quis viuit in memorijs hominum gladio detractionis. Odiens occidit animam suam gladio vindicatiuæ affectionis, licèt autem iste gladius criminalis per animam transeat, & plurimorum, non tamen, vnquam per animam Beatæ MARIÆ, quia sola peccatum non fecit. Ergo de isto non intelligit Simeon dicens. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*. Est alius gladius spiritualis, hic figuratus est per gladium, quo percussit. Elazarus Elephantem habentem super se castrum armatorum, & occidit, sicque populum Dei liberauit, ipse tamen sub eo oppressus, quia Christus gladio spirituali verbi suæ doctrinæ, ac dolore suæ passionis, & virtute suæ dilectionis mundum occidit prostratis agminibus dæmonum armatorum malitia bellantium, sicque mortuus populum Dei liberauit. De isto igitur intelligitur dictum Simeonis. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*. Sed hic est tripartitus. Est enim gladius doloris internalis. Est gladius sermonis diuinalis. Est gladius amoris virtualis. De quolibet istorum potest istud verè, & apertè intelligi dictum Beatæ MARIÆ à Simeone. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.*

Psal. 143

Psal. 57.

§. I.

DE primo gladio, scilicet, doloris satis vsitata locutio est, cùm quis habet magnum dolorem ex aliquo malo nouo, dicitur gladius pertransiuit cor eius, etsi corpus non vulneretur, vel lædatur. De hoc etiam, ait Psalmus 104. *In seruum venundatus est Ioseph, humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertransijt animam eius*, id est, *gladius*: cùm incidisset in magnas tribulationes, quia venditus à fratribus in Ægyptum delatus, emptus à Putifare Principe militiæ Regis Pharaonis, falsò accusatus ab vxore sui patroni de adulterio, quia noluerit sibi assentiri in malum incarceratus, & vinculatus fuit propter quæ ferrum, id est, gladius doloris pertransijt animam eius. Et iste gladius doloris passionis ipsius filij pertransiuit animam suam. Vel sic, tuam animam, quæ est quasi ipsius propter intensum amorem pertransibit gladius doloris. Tunc enim, scilicet, in passione filij reseruati sunt dolores partus, vt dicit Ioannes Damascenus, id est, quos aliæ mulieres sustinent in partu. Sed nec aliqua mulier habuit, vnquam tantum dolorem in partu, nec aliquis martyr tantum dolorem sensit in suis tormentis, quantum experta est Beata MARIA in passione dilectissimi filij. Non Petrus in crucifixione sui. Non Laurentius in craticula combustus. Non Blasius pectinibus ferreis dilaceratus. Non Iacobus per singula membra intercisus, nec alius. Vnde dicit Beatus Hieronymus. Plusquam Martyr fuit, & aureolam martyrij super omnes clariorem recepit. Ratio immensitatis huius doloris eius hinc trahitur. Dolor fundat in amore, quantò enim quis plus amat aliquam rem, vel personam, tantò magis dolet de eius amissione, vel læsione, quod patet per experientiam rerum magistram. Magis enim quis dolet de amissione mille florenorum, quàm de centum, vtpote, quia magis diligit, plus dolet de morte filij, quàm de amissione substantiæ, & præcipuè cum est bonus & vtilis sibi. Sed Beata Virgo MARIA naturaliter valde diligebat Christum filium suum; tum quia vnicum. Certum est enim, quòd pater, vel mater plus dolet de morte filij, cùm vnum tantùm habet, quàm si multos haberet, tum quia totum assumptum corpus erat ex se, Patrem, ibi non habebat, vt quia patrem non habuit terrenum, & ideo strictiùs amabat, & de amissione magis dolebat, tum quia innocens, & optimus filius erat, & tamen morte acerbissima, & ignominiosa inter latrones condemnatus erat, & ideo pertransiuit gladius doloris animam eius. Erat in ea, & amor amicitiæ, qui fundatur in bono honesto, vt quantò quis sapientior, & perfectior fuerit, tantò magis debeat amari, & de eius absentia, vel morte doleri. Vnde, & Patriarcha Iacob de morte, quam æstimauit filio suo Ioseph euenisse, valdè doluit propter bonitatem eius, adeo vt cæteri filij congregati ad consolandum eum, vix lenirent dolorem

Psal. 104

A

B

C

D

eius

eius. Sed Dominus noster IESVS Christus erat optimus omnium hominum, & Angelorum, sapientissimus sibi, & alijs vtilissimus. Vnde in passione eius animam eius pertransiuit gladius doloris. Erat in ea amor charitatis maximæ, quæ Deum respicit, præcipuè dolere facit de offensa Dei, & perditione proximi. Cùm ergo cerneret, & sciret populum illum grauissimè Deum offendere, quia directè in Deum peccabant, contumeliando corpus illud Deitati vnitum, & hinc consideraret populum Iudæorum, ex quo nata erat, damnationem propter perfidiam incursurum, videret etiam Apostolos omnes à Deo propter peccatum recessisse, valde dolebat. Et sic animam pertransiuit gladius. Sed forte aliquis dicet, sciebat Beata MARIA, quòd Deus Pater volebat eum pati illam passionem. Et ipse filius propter hoc in mundum venerat, & hoc optabat. Indeque ex ea sequebatur redemptio mundi, & salus populi, & gloria Dei. Cùm ergo esset conformis voluntati Dei, & summè ipsa optaret salutem mundi, vnde ipsa tristari poterat, vel dolere, cum tantùm bonum indesequebatur? Ad quod respondeo, quòd eo modo gladius doloris pertransiuit animam Virginis, quo & animam filij sui, qui dixerat pauloante. *Tristis est anima mea* Matt. 26 *vsque ad mortem*, Matth. 26. Est enim in nobis duplex anima, vel magis propriè loquendo duplex pars, seu potentia animæ, scilicet, intellectiua, & sensitiua. Secundùm potentiam intellectiuam Christus in passione summè gaudebat, quia Deitate fruebatur, vt nunc. Sed secundùm potentiam sensitiuam dicebat, quod sentiebat illud Psalm. 87. Psal. 87. *Repleta est malis anima mea*, id est, doloribus adeo, *quòd vita mea in inferno appropinquauit*. Sic & Beata MARIA secundùm voluntatem rationalem volebat filium suum pati, sciens Deum, sic ordinasse, & salutem humani generis consequendam, & hinc non dolebat, sed quieta manebat, sed secundùm sensualitatem summè dolebat, rationibus prædictis, quia vt dicit Beatus Hieronymus, Licèt in spiritu esset, tamen dum in carne vixit carnis mouebatur sensibus. Et secundùm sensitiuam dicere poterat illud. Flecte ramos arbor alta, scilicet, Crucis, & cætera. Sic ergo ipsius animam pertransiuit gladius doloris. Ex quibus valde nobis attendendum est, quòd si voluit Deus, Beatam MARIAM Matrem Domini innocentissimam, & sanctissimam tantùm dolorem pati, & persecutionem, non debemus nos ab huiusmodi eximi velle; vnde Dominus per Ierem. cap. Ierem. 49 49. ait. *Ecce quibus non erat iudicium, calicem vt biberent bibentes biberunt, & tu si nocens eris, non eris innocens, sed bibens bibes calicem*. Et Baruch. 4. *Delicati mei* Baruc. 4. *delicijs spiritualibus virtutum, ambulauerunt vias asperas*, oportet te ergo multa pati.

§. II.

QVantùm ad secundùm, quòd gladius significet aliquando verbum Dei, ostendit Apostolus, dicens Ephes. 6. *Gladium spiritus assumite, quod est verbum Dei*, & ad Ephes. 6. Hebræos 4. *Viuus est sermo Dei, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ, & spiritus, &c.* Et de hoc gladio videtur exponere, Hebr. 4. Beatus Ambrosius hoc dictum. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*, inquit. Ostendit Simeon in hoc prudentiam MARIÆ non ignaram esse mysterij, pertransiuit ergo gladius, verbum Dei animam MARIÆ intellectiuam, quia intellexit verbum, quod dixerat Simeon, scilicet, quomodo filius eius positus erat in ruinam populi Iudæorum, & resurrectionem Gentilium conuertendorum ad fidem, & in signum, cui contradiceretur à multis, quoad veritatem mysterij incarnationis, scilicet, Gentilibus, Iudæis, & Hæreticis, quoad imitationem à multis, scilicet, omnibus malis Christianis. Omnia autem Christi mysteria, natiuitatis, Christi conuersationis, passionis, & resurrectionis fuerunt prænunciata à Prophetis, & figurata. Et cùm Beata MARIA legisset, & audisset Scripturas, & successiuè videret singula impleri, sic gladius verbi Dei pertransibat animam eius intellectiuam, acutissimè, & perfectissimè intelligendo. Vnde in isto Euangelio, dicit Euangelista, quòd *MARIA conseruabat omnia verba hæc*, scilicet, eorum, quæ fiebant circa Christum *conferens in corde suo*. Quod exponit Venerabilis Beda, quia, scilicet, habuit menti Scripturas sacras, & conferebat quæ scripta erant cum his, quæ fiebant, verbi gratia, vt descendamus ad particularia. Cùm Beatissima Virgo de Spiritu sancto concepit filium, quando dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum, &c.* Conferens verbum Isaiæ 7. illud *Ecce Virgo concipiet* Isai. 7. *& pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel*, Isaiæ 7. potuit dicere intra se. Ecce modò impleta est dicta Prophetia. Et rememorans, quòd Abraham, qui interpretatur Pater excelsus, misit procuratorem suum Eleazer ad accipiendam sponsam, non de terra promissionis, sed ad regionem longinquam, & ab eo dimissam filio suo Isaac, quod & fecit, Rebeccam, videlicet, puellam pulcherrimam, quã inuenit ad fon-

fontem aquarum, quę demum requisita huic assensit. Genes. 24. Conferens hoc cum eo, quod Gabriel missus à Patre excelso, non in terram promissionis, id est, cœlum ad procurandam sponsam, cui vniretur in vnitate personæ filius eius vnicus ex Sara, sed in mundum remotum à cœlo, & quasi à Deo derelictum propter idolatriam, & alia vitia, quibus plenus erat mundus, vt scilicet, vniretur naturæ humanæ in mundo existenti, non Angelicæ in cœlo permanenti, inueniens ipsam MARIAM pulcherrimam anima, & corpore ad aquas Scripturæ legentem, tunc meditantem, vel orantem, Angelus ipse salutans, & colloquium habens cum ea, super hoc demum ipsa consentiente desponsata est in ea humana natura, & Dei Filio vnita, & summè ab eo dilecta, intellexit figuram illam impletam. Et sic gladius pertransiuit animam eius intelligendo. Cùm autem audito conceptu Elisabeth, instigata à Spiritu sancto pergeret, ad visitandum Elisabeth, per montana Iudeæ transiens, conferens in corde suo, quod ait Salomon in Canticis 2. *Ecce dilectus meus venit saliens in montibus, transiliens colles, similis est dilectus meus capreæ hinnuloque ceruorum. En ipse stat post parietem nostrum respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. En dilectus meus loquitur mihi.* Poterat dicere in corde suo, modò impletum est illud. Nam dilectus filius meus, quem iam concepi, venit in me saliens in montibus, quos ascendo, & collibus, excedens omnem, scilicet, perfectionem montium sublimium Angelorum, ac etiam collium sanctorum virorum. Similis est dilectus meus filius summè à me amatus capreæ, quæ facit magnos saltus, quia descendit de cœlo in vterum, postea in Præsepium, exinde in Crucem ascendet, post in Limbum descendet, ac super terram resurgens, ascendet, & postea in cœlum. Similis est hinnulo ceruorũ, id est, ceruulino, qui, scilicet, delectatur humano aspectu, & *delitiæ meæ*, ait, ipse per Salomonem, esse *cum filijs hominum*, paruulus est per humilitatem. Stat autem post parietem absconsus, scilicet, in humanitate, respiciens per fenestras, id est, per Angelos natiuitatem eius, & alia mysteria nunciantes, vt eius virtutem, & Maiestatem videre possemus per cancellos, id est, homines hoc etiam manifestantes, vt ipsum videndo, cognoscere possemus. En dilectus meus loquitur mihi, cùm scilicet, salutauit Elisabeth. Tunc exultauit infans Ioannes in vtero Elisabeth, & sanctificatus est Ioannes Baptista ad verbum Verbi, quod pronunciatum est per os Virginis. Nascens autem Ioannes Baptista, ipse & de vtero matris egrediens, vt communiter dicitur, leuatus est de terra à Beata Virgine. Et conferens tunc Beata MARIA cum eo, quod dixit Malachiæ 3. capit. *Ecce ego mitto Angelum meum*. Hic est puer ille Ioannes Baptista Angelicam vitam seruaturus, qui parabit viam ante faciem meam. Hic erit de quo Isaias 40. ait: *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri, omnis vallis exaltabitur, & omnis mons, & colles humiliabitur, & erunt praua, & cætera.* Parit Beata Virgo Christum, & conferens in corde suo, dicit, nunc impletum, quod longè ante prædixit Isaias 9. capit. *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis. Et vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis.* Et locum partus sui considerans, confert in corde suo cum eo, quod prænunciauit Michæas Propheta capitul. 5. *Tu Bethleem terra Iuda paruulus vicus es in millibus Iuda; ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israel.* Et egressus eius, scilicet, quoad diuinitatem sicut ab initio à diebus æternitatis. Nec intelligi potest de Dauid Rege, qui fuit Bethleemita, quia iam multo tempore ante mortuus erat. Sed loquitur de isto paruulo meo, qui reget populum electorum suorum. Audiens autem Beata MARIA Angelos canentes in cœlo. *Gloria in Altissimis Deo*, confert in corde suo dicens: Nunc impletur prophetia Dauid dicentis: *Cœli enarrant gloriam Dei*, id est Angeli, *& opera manuum eius*, id est, paruulum istum factum virtute Dei *annuntiat firmamentum*, id est cœlum nouam stellam emittens, *dies diei*, id est, Propheta illuminatus à Deo Michæas. Mago inquirenti illuminato à Christo *eructat Verbum* testimonium Christi nati, *& nox nocti*, id est Princeps Sacerdotum, & Scribæ obscuri infidelitate Herodi *indicat scientiam*, loci huius natiuitatis. Videnſque paruulum vagientem, & plorantem ait. Ecce quod dicit sapiens, Sapien. 7. in persona eius loquens. *Primam vocem emisit similem alijs foris plorans*. Venit octaua die ad Circumcisionem pueri, & conferens in corde suo, ait, dolens de pœna paruuli, cum Ioseph sponso suo, nunc impletur figura eius, quod dixit Sephora vxor Moysi, cùm circuncidit filium suum, *Sponsus sanguinum tu mihi es*, dolens de effusione sanguinis filij. Cùm autem tredecima die à natiuitate filij veniſſent Reges Magi, id est, magni Astrologi ad adorandum ipsum natum, & ipsum venerati sunt, cum muneribus auro,

Genes. 24

Cantic. 2

Prou. 8.

Malac 3.

Isai. 40.

Isai. 9.

Mich. 5.

Psal. 18.

Sap. 7.

Exod. 4.

auro, thure, & myrrha, conferens in corde suo factum illud cum Scriptura sacra, dicere poterat. Modò adimpleta est Scriptura Dauid dicentis: *Reges Tharsis, & insulæ munera offeret Reges Arabum, & Saba dona adducent*, quæ munera in parte etiam declarauit Isai. 40. dicens: *Omnes de Saba venient aurum, & thus deferentes, & laudem Domino annuntiantes. Omne pecus Cedar congregabitur tibi, arietes Nabaioth ministrabunt tibi. Offerentur super*, &c. ex ipsis muneribus ostendentes Maiestatem eius. Cùm vero 40. die obtulit puerum in Templo recolens quod scriptum est Malachiæ 3. scilicet: *Statim veniet ad Templum sanctum suum dominator, quem vos quæritis, & Angelus Testamenti*, scilicet noui institutor, *quem vos vultis*, vos scilicet iusti affectatis, vt Simeon, & Anna, & similes. *Et quis stabit ad videndum eum? Ipse enim, quasi ignis* inflammans ad amorem, eum cognoscentes, vt illum Simeonem dicere poterat, conferens Scripturam ipsam cum eo, quod fiebat, nunc impletur prophetia illa. Inde ad paucos dies cùm ex admonitione Angelica ipsa, cum paruulo IESV, & Ioseph fugiens persecutionem Herodis descenderet in Ægyptum, vt ibi maneret ad tempus, in cuius ingressu corruerunt idola Ægypti. Audiens hoc conferebat in corde suo hoc cum eo, quod prædixit Isai. 9. *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem*, scilicet, Virginē, quæ leuis fuit, quia ab omni onere peccati libera, ascendit, quia tenebat puerum in brachijs, *& descendet in Ægyptum* fugiens persecutionem Herodis *& commouebuntur idola Ægypti*, scilicet, in terram corruentia, in signum, quia debebat idolatria de mundo cessare descendente Domino per prædicationem Apostolorum in mundum. Et cùm ibi maneret, & percepisset magnam stragem, quam fecit Herodes paruulorum, vt illum occideret puerum dicere potuit hoc conferens in corde suo. Ecce impleta prophetia Iere. 31. dicentes. *Vox in Rhama audita est ploratus, & vlulatus multus. Rachel plorans filios suos noluit consolari, quia non sunt*. Post septennium mortuo Herode, Angelo nunciante reducens puerum de Ægypto, & pergens ad habitandum Nazareth conferens, hæc in corde suo dicere poterat. Modò impletum est, quod ait Dominus, *ex Ægypto vocaui filium meum*. Et quod alius dixit, *quoniam Nazareus vocabitur*. Duodennem factum cum duxisset ad Templum, post triduum quæsitum eum inuenisset in medio Doctorum, dicere potuit illud Esdræ: *In excelso throno vidi sedere virum, quem adorat multitudo Angelorum dicentium. Ecce cuius imperium in æternum permanet*. Trigenarius factus cùm accessit ad baptismum Ioannis. Piè imaginari potest hoc sibi à filio, vel Angelo reuelatum, & dicere poterat conferens in corde suo, nunc impletum est illud Psalm. 28. *Vox Domini super aquas Iordanis* Domini IESV ad Ioannem Baptistam; vt eum baptizaret, quod cùm fieret Deus Maiestatis intonuit paternæ. *Hic est filius meus dilectus*, &c. Dominus Spiritus sanctus in specie columbæ super aquas multas ad sanctificandum **eas** pro baptismo. Et sic de alijs mysterijs dici posset.

Psal. 71. Isai. 40. Malac. 3 Isai. 9. Ierem. 31 Osea. 11. Matt. 2.

§. III.

DE tertio gladio, scilicet, dilectionis dicit Psalm. 44. *Accingere gladio tuo*, scilicet, charitatis *super femur tuum*, id est, in humanitate tua illam ostendens *potentissime*, scilicet Domine. Et Iudith 9. capit. ad Dominum orans ait. *Fac Domine, vt gladio proprio*, scilicet, dilectionis *superbia eius conteratur*. Vnde quasi exponens subdit dicens, *& percute cum labijs* charitatis meæ, scilicet, ad salutem populi mei pertransiuit gladius iste animam Virginis, quia super omnes dilexit, vnde Cant. 2. ait: *Intro duxit me Rex in cellaria sua, ordinauit in me charitatem, fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*, &c.

Psal. 44. Iudith 9. Cantic. 2

Quomodo inuenit MARIA filium IESVM duodennem in Templo, & de triplici irrogatione Beatæ Virginis. Capit. 37.

FIli quid feci sti nobis sic! Lucę 2. Damasus Papa ex verbis Scripturæ sic ait, Ante quàm scruteris, non reprehendas, intellige priùs, & tunc increpa. Antequam reprehendas, priùs audias, 11. quæst. 4. eorum. Contingit aliquando, quòd videns aliquis, vel audiens aliquem defectum apparenter alterius, non benè informatus de veritate, reprehendit talis durè & contumeliatur, vt punitur. Sed cùm discussa causa, percipit illum innoxium, remanet confusus, & ille grauatus iniustè ab eo, sicut accidit de patrono Ioseph, qui quia nimis credulus fuit verbis suæ vxoris iniquè accusantis eum de turpitudine adulterij intentati mendaciter, non examinato negotio durè tractauit eum carceri deputando iniustæ. Genes. 39. Non sic fecit Beata MARIA, sed inuentum filium, quem cum dolore quæsierat, ait. *Fili quid feci sti nobis sic?* non reprehendit, non clamat, non blasphemat, sed causam huius rei interrogat. Ex quibus verbis potest formari triplex interrogatio, circa ipsum factum. *Quid feci sti nobis sic*, vt scilicet,

Luc. 2. Genes. 39

à propinquorum consortio te absentares? *Quid feci sti nobis sic*, vt in Ierosolimam Templo latitares? *Quia feci sti nobis sic*, vt in Doctorum medio te locares? Ad quæ tria filius, vt sapientissimus vnica sententia plenè respondit, dicens, *quia in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse.*

§. I.

PRo declaratione primi quæsiti, & suæ responsionis sciendum, quòd mandauerat Dominus in veteri lege, vt in tribus solemnitatibus Iudæorum omnes de illo populo, qui commodè poterant, pergerent Ierusalé ad Templum Domini, ad agendum gratias Deo de beneficijs præcipuis collatis patribus eorum, scilicet, in festo Phasc, seu Azymorum, in festo Pentecostes, & in festo tabernaculorum. Vt ergo obedirent parentes Christi, scilicet, vera Mater naturalis Beata Virgo MARIA, & Ioseph pater putatiuus non naturalis, sic dicit Euangelista, *vt putabatur, filius Ioseph*, Lucæ 3. ibat ad Templum. In qua autem harum solemnitatum non declarat Euangelista. Pergentes autem secum duxerunt puerum IESVM nolentes tantùm thesaurum alijs commendare, & vt exemplum daretur parentibus filios secum ducere ad Ecclesias, sed cùm propter honestatem de more esset, vt mulieres separatæ à viris manerent in Templo, id est, in porticibus Templi. Nam in Templum propriè sumptum soli Sacerdotes introibant, pueri manebant cum altero parentum patre, vel matre. Credendum est autem, quòd Beata MARIA tantum thesaurum penes se voluit residere. Cùm autem ibi manendo non curiositati vacaret, & vanitati, vt hodie fit, sed orationi, & contemplationi mente ad cœlestia fixa, puer IESVS absentauit se à Matre, ea non percipiente. Quærit ergo Beatissima Mater, eo reperto. *Fili quid feci sti nobis sic*, vt te à nobis absentares, quæ est ratio? Cui respondit, *quia in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse* pater meus, (vt nosti) Deus est, tu autem mater carnis meæ. Et cùm oporteat me esse, id est, exerceri in his, quæ sunt patris cœlestis, immo decuit, vt me absentarem à te, & Ioseph patre putatiuo, ad ostendendum, quòd non aptè potest quis se tradere spiritualibus, & totaliter Deo vacare, nisi absentando se à parentibus, & propinquis, quoniam ait Psalmus 36. *Pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me* totaliter, scilicet, in suum. Parentes enim sunt parentes carnis, ex substantia sua generant corpus, scilicet, pater, & mater. Vnde Adam dixit, *Erunt duo in carne vna*, Genes. 2. id est, ad generandum vnam carnem, seu corpus, scilicet, pater, & mater. Pater autem, id est, creator spiritus, seu animæ humanæ Deus est, qui creat animam organizato corpore, & creando infundit, non enim sunt ex traducе animæ, sicut & corpora; vtrumque notat Apostolus ad Hebræos 12. dicens: *Patres carnis nostræ habuimus, qui nos erudierunt, obtemperabamus eis, quantò magis patri spirituum*, id est animarum, *& viuemus*? quia igitur parentes sunt carnis, ea quæ sunt carnis, quærunt filijs suis, vt sit pulcher, sit fortis corpore, diues honoratus in mundo, filios habeat, vxorem ducat, cum eis maneat, mundo placeat, quæ mundi sunt, cogitet, abstinentias fugiat, ieiunia non seruet, iniurias non sustineat, infirmitates, & tormenta, & mortem per sortilegia, & alia illicita vitet. Pater autem spiritus Deus vult animam exerceri in diuinis, & spiritualibus, & vt hoc implere perfectiùs valeat, ea quæ sunt carnis, respuere debet, & parentes carnis, ne impediatur in huiusmodi, derelinquat, quia igitur nouerat Christus propinquos impedire frequenter salutem, vel perfectum salutis filiorum, ideo subtraxit se ad tempus à matre, & Ioseph patre putatiuo, non quòd in aliquo impediretur, vel posset impediri ab eis in opere perfectorũ operum, sed ad ostendendum quod communiter accidit in alijs parentibus, quia impediunt profectum salutes quærentis in eis quæ sunt carnis, vnde non potest esse, id est, exerceri in his, quæ sunt patris, & non quæ sunt spiritus, id est, animæ. Propterea dicitur: Matth. 10. *Inimici hominis domestici eius*, & Beatus Ambrosius. Hæc est vera fuga, scilicet, seculi, quædam abdicatio domesticorum, id est, parentum, & alienatio charissimorum, vt suis se abneget, qui Deo seruire gliscit, quæst. 1. cui portio. Cùm autem perpendunt parentes carnis filios velle à se recedere, deserendo seculum, Religionem sanctam ingrediẽdo, multipliciter dissuadent, & contradicunt, ne carnem deserant, dicentes se in seculo posse saluari, & Deo seruire, & parentibus debere obedire, non contristare ne maledicantur ab eis, maioriſque laudis, & meriti esse, quia maioris laboris in seculo tentationibus, vtpotè frequentioribus resistere, quàm in claustro sibi ipsi otio vacare, crudelitatem quoque fore parentes derelinquere. Quibus dicendum est à filijs. *In his, quæ patris mei (cœlestis) sunt, oportet me esse*, id est, exerceri operibus spiritualibus, ad quæ vocat inspirando. Nam etsi in seculo posset quis multa bona facere, Dei præcepta seruare, quis est hic, qui potuit transgredi, & non est transgressus? qui post aurum non abijt? vtique

Lucæ 3.

Psal. 36.

Genes. 2.

Hebr. 12.

Mat. 10.

laudis

laudantibus eum, fecit enim mirabilia in vita sua. Gregorius Magnus aliquando in adolescentia sua fuit illius opinionis, cùm esset nobilissimus ex Senatorio genere Romano, ditissimus, & doctissimus Philosophus, æstimans se Deo posse perfectè seruire in habitu laicali; sed perpendens occupationes seculi succrescere, & parum Deo vacare, omnia deserens Deo, in Religione se tradidit. Non est hoc magnanimitatis, & fortitudinis ingerere se periculis animæ, quæ quis declinando potest euitare, sed temeritatis, & audaciæ, sicut velle habitare cum draconibus, & serpentibus ad bellandum contra eos vbi quis potest eos declinare. Obediendum est parentibus, sed magis Deo, à quo omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur, cui inspirat ad ea, quæ sunt eius voluntatis perfectæ. Maledictiones autem parentum, quæ ingerunt filijs propter huiusmodi Deus conuertit in benedictiones; nec propter scandalum eorum est tantum bonum prætermittendum, quia est scandalum Pharisæorum, & pusillorum, vnde non curandum, secundùm doctrinam Christi. Sed quis est in seculo ita potens, diues, honoratus, qui non quærat adhuc magis statum suum mundialem augere, quantò magis in statu spirituali debet quærere augeri? Hæreticum autem esset dicere, vel credere statum Religionis, & contemptum mundi non esse in se maioris meriti, & perfectionis, quàm etiam in seculo laudabiliter viuere, quia hoc esset contra doctrinam Christi hoc suadentis, nec est crudelitas ista parentes deserere propter Deum, sed magna pietas. Vnde Beatus Hieronymus in Epistola. Licèt in limine senex iaceat pater, scilicet, domus ad retinendum filium, ne recedat ab eo, & ex collo pendeat nepos, ac Mater vbera quibus te lactauit ostendat, per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem, & siccis oculis ad vexillum Crucis euola. Summum genus pietatis est in hoc esse crudelem. Vnde & cuidam volenti Christum sequi, sed priùs expectare sepulturam patris, Christus ait. *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos*, tu autem vadas relinquens patrem tuum, & annuntia Verbum Dei, Matth. 8. Et aduertendum, quòd subtraxit se Christus à parentibus, cùm esset duodemnis, cum, scilicet, communiter incipit in alijs pueris apparere scintilla vsus rationis, cùm concupiscentia incipit excitari & titillare hominem ad malum, vt scilicet, tunc qui vult esse in his, quæ sunt Patris spiritus, & totum se tradere Deo, parentes, & mundum deserat, non expectans senectutem, vel iuuentutem, postquam fuerit seculi oblectamenta expertus. *Bonum est viro* (dicit Hieronymus,) *si portauerit iugum ab adolescentia sua*, scilicet, consilia Christi adimplendo. Vnde & Dominus Deus communiter quos elegit ad opera sua magnifica agenda, vocauit in pueritia, vel adolescentia. Samuel Propheta Domini singularis, & Iudex populi antiqui in pueritia fuit Domino dedicatus. Dauid adolescentulus in Regem Domino iubente inunctus, & eius citharœda, & psaltes ad prosternendum superbum gigantem Goliath assumptus. Ioannes Baptista, & Præcursor Domini antra deserti teneris sub annis puerilibus ciuium turmas, ac parentes fugiens petijt, ne leui saltem macularet vitam famine posset. Euangelistam Ioannem, quem spiritu sapientiæ, & intellectus præ cæteris impleuit, ad eructandum verbum suum in adolescentia vocauit, vt patrem, & retia deseret Beatũ Nicolaum Sanctissimum Dominicum, Franciscum, Bernardum, Petrum Martyrem, Thomam in pueritia, vel adolescentia ad mundi contemptum, & propinquos relinquendos inspirauit. Discant ergo adolescentes inspirati ad dimittendum parentes propter obsequium Dei, cùm dicunt eis. *Fili quid fecisti*, vel quid facis sic? id est, cur ita nos deseras, respondendo eis cum Christo. *Quia in his, quæ patris mei sunt*, scilicet cœlestis, *oportet me esse*, id est, diuinæ inspirationi assentire, & vt possim expeditus diuinis intendere, oportet me vos deserere. Sic & ipsa Dei Mater in infantia Templo est oblata, & ibi secundùm Ioannem Damascenum enutrita relictis parentibus, & propinquis, ac domo parentum, & tota tradita diuinis obsequijs.

Matt. 8.

Tren. 3.

§. II.

PRO declaratione secundæ quæstionis, & responsionis considerandum est, quòd Beata Virgo in Templo moram trahens nõ aspiciebat hincinde homines, vt faciunt vanæ mulieres, & viri iuuenes, nec ad ornamenta Templi curiosè, nec confabulabatur cum alijs, vt multi faciunt, cùm tamen Christus dicat. *Domus mea, domus orationis vocabitur*. Et immo, *nolite facere domum Patris mei domum negociationis*, ait Iudæis Ioan. 2. Sed vacabat in Templo orationi, meditationi, fortè mente reuoluendo diuina beneficia facta, & conferenda populo Dei, quæ repræsentabantur in illis præcipuis solennitatibus. Nam in festo Paschæ quod interpretatur transitus, repræsentabatur beneficium illud, quòd transiens Dominus per Ægyptum, occidit omnia primogenita Ægyptiorum, sine morte alicuius, quæ erant in domibus Hebræorum in quorum superliminaribus factum fuerat sanguine Agni signum Thau, id est, Crucis, per quod flagellum cogentibus Ægyptijs, ne peiora flagella paterentur, si reti-

Ioann. 2.

nerent eos, populus ille transiuit de Ægypto, & quia propter festinantiam non potuerant fermentare panem, pastam secum portauerunt, & illam coctam comederunt, immo in signum huius azymas comedebant in illo festo, quod erat de mense Martij, vel Aprilis, pro illo autem non habemus festum Resurrectionis illo tempore, quo Deo gratias agere debemus, & longè ampliores per matus beneficium nobis collatum, quia videlicet filius iste Beatæ Virginis Dominus Iesus perfectæ ætatis transiuit de hoc mundo ad patrem, de mortalitate ad immortalitatem resurgens, & occisis virtualiter primo genitis Ægyptiorum, id est, vitijs capitalibus mundi per passionem, populus Dei liber à morte per signum Crucis creditæ exiuit de tenebris peccatorum, dirigens se ad terram promissionis supernæ gloriæ. In secunda solēnitate, scilicet Pentecostes, quæ distabat à festo azimorū per 40. dies Domi num laudabant de beneficio eis dato, scilicet, legis Decalogi, siue legis Mosaicæ in Monte Sinai, pro quo nos festum agimus Pentecostes, pro excellentiori dono collato populo Dei in monte Sion, scilicet, legis non timoris vt illa, sed amoris, & gratiæ noui testamenti infusa Apostolis per Spiritum sanctum, secundùm illud Isai. 2. *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem*, quia ibi inchoauit prædicatio Apostolorum Tertium festum vocabatur Scenophegia, seu tabernaculorū in quo beneficium colebant, quod Deus in deserto 40. annis habitare fecit tabernaculis itinerantes per illud, pastos manna cœlesti, protectos ab inimicis, *nec erat*, vt ait Psalmus, *in tribubus eorum infirmus*, loco cuius agimus dedicationes Ecclesiæ, scilicet gloriam triumphantis repræsentantes. In qua in tabernaculis gloriæ sancti habitantes, scilicet corporum glorificatorum in fine, manna cœlestis fruitionis pascuntur, liberi ab inimicis, & ab omnibus miserijs corporis. Demum ad se reuersa cùm non videret filium iuxta se, imaginata est, quòd accessisset ad Ioseph. Recedens ergo inde cùm in certo loco ei obuiasse, & cùm non videret eum cum Ioseph, æstimarunt eum esse cum alijs consanguineis suis, & venientes iter diei, id est, vna dieta, eum quæsitum inter propinquos, & notos non reperientes dolere cœperunt, vnde reuersi sunt in Ierusalem ad eum requirendum. Timentes, ne fortè captus fuisset ab Archelao filio Herodis, cùm à Patre suo recenter natus fuisset quæsitus ad mortem, sed post triduum inuenerunt eum in Templo, & dicente ei Matre. *Fili quid fecisti nobis, sic* respondit, *quia in his, quæ Patris, & cætera.* Templum materiale illud, id est, domus Patris mei, oportet autem, id est, decet me

Isai. 2.

Psal. 77.

A esse, & manere in domo patris mei cuius sum filius magis, quàm in alio loco, significat Templum istud sanctam Ecclesiam, in qua oportet me esse continuè per gratiam aliàs sustentari non valeret. Hic fiunt opera Patris, opera sancta, & virtuosa, vnde resurgens ait ipse. *Ecce ego vobiscum sum*, scilicet in Ecclesia, *omnibus diebus*. Templum Ecclesiæ militantis transit in triumphantem. Psalmus, *Dominus in Templo sancto suo, Dominus in cœlo sedes eius*, & hoc etiam, & permaximè est domus Patris, & ibi oportet me esse ad coronandum eos. Cùm igitur Christus inueniatur in Templo materiali, non in theatro, non in domo, non in prætorio, si ipsum volumus inuenire Templum materiale, id est, Ecclesiam debemus frequentare. Ibi enim inuenitur Christus, id est, Saluator ad saluandum. Cùm enim Ecclesia sit locus deputatus ad orationem, magis homo se recolligit ad orandum, & deuotiùs, quàm in illis locis, ad quod etiam vnus exemplo alterius excitatur. Licèt autem Deus sit vbique ad exaudiendum, tamen tantò citiùs, & efficaciùs, & vtiliùs exaudit, quantò deuotiùs, & à pluribus inuocatur, & inde salus procuratur. Et virtute etiam consecrationis Ecclesiæ reprimitur malitia Dæmonum, ne tantū valeant infestare fantasijs vanis exorantes, ibi etiam cōmuniter administrātur sacramēta per quę homines iustificantur, & saluantur, & immo in his, quæ Patris mei sunt locis oportet me esse. Inuenitur IESVS in Templo Ecclesiæ militantis, & multò perfectiùs, quia per fidem viuam, vnde ad Ephes. 3. *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris.* Cùm enim Christus sit *caput Ecclesiæ*, (vt ait Apostolus,) & veri fideles membra eius oportet Christum esse in hoc Templo, aliàs membra mortua essent separata à capite. Et quia nullus Paganus, Iudæus, vel Hæreticus est, vel esse potest in Templo huius Ecclesiæ, cùm non habeat fidem, immo Christus in eis non est, sed diabolus, vnde Augustinus. Quia extra Ecclesiam est diabolus, sicut in Ecclesia Christus, per hoc quasi diabolo tradītur, qui ab Ecclesiastica communione remouetur, 11. quæst. 3. omnis. Certum est, quòd omnes infideles sunt extra Ecclesiasticam communionem, quinimmo & fideles, qui non rectè viuunt, sed Dei, & Ecclesiæ præcepta transgrediuntur, secundùm meritum non sunt in Ecclesia Dei, vnde nec Christus in eis. Vnde beatus Hieronymus, Ecclesia Dei est non habens maculam, scilicet peccati, neque rugam, scilicet, duplicitatis, vel erroris. Et immo quisquis est aliqua sorde peccati pollutus, scilicet, mortalis, de Ecclesia dici non potest, nec Christo subiectus, de pœnit. dist. 1. ex tua. Extra Ecclesiam

Mat. 28.

Psal. 10.

Ephes. 3. & 5.

eleſiam autem exiſtentibus, ſcilicet, per fidem ſine operibus, quæ mortua eſt, non poteſt eſſe ſalus, ſed perditio, & damnatio, ſicut in figuram omnes, qui reperti ſunt extrà arcam tempore Noe, diluuio perierunt. Igitur ſummopere laborandum eſt, vt in templo Eccleſiæ quilibet ſit, non ſolùm numero, ſed & merito, & ibi ſolùm fiunt opera patris, id eſt, verè virtuoſa, & meritoria, vnde, & ſalus: *quia in his, quæ ſunt patris mei oportet me eſſe*, ait Chriſtus. Quod ſi quis amiſerit IESVM, qui non amittitur quoad gratiam, niſi per peccatum mortale requirat cum dolore cum MARIA, & poſt triduum, & non ante, ſcilicet, contritionis, confeſsionis, & ſatisfactionis, ſaltem in propoſito, quoad ſecundum, & tertium inueniet recuperando gratiam amiſſam, ex quo templo aſcenditur ad templum cœleſte ſancta ſanctorum, vbi Chriſtum oportet eſſe, vt ſui electi non ſolùm ſua diuinitate, ſed & humanitate perfruantur perpetuò.

A

B

§. III.

PRO declaratione tertiæ quæſtionis, & reſponſionis aduertendum, quòd quærentes MARIA, & Ioſeph IESVM, cùm intraſſent templum, id eſt, porticum templi, inuenerunt eum ibi, non vbicunque, ſed in loco excellentiori, ſed in medio Doctorum, non quidem otioſum, vel puerilia tractantem, ſed audientem, & interrogantem illos. Interrogans ergo MARIA, quid feciſti nobis ſic, id eſt, cur? Reſpondet: quia in his, quæ patris mei ſunt, oportet me, eſſe. Siquidem quæ ſcripta ſunt in lege, prophetijs, & Pſalmis patris mei, id eſt, à patre meo dictata, & reuelata ſunt, & quia obſcura ſunt *tenebroſæ* (inquit Pſalm. 17.) *aquæ in nubibus aeris*, id eſt, valde obſcura aquæ doctrinæ in prophetijs. Et quia nullus poteſt interpretari obſcuritatem legis, & prophetarum meliùs, & aptiùs, quàm poteſt exponere filius, ideo in his *quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe*, id eſt, ſcripturis ſacris exponendis. Vbi nota, quòd inuenerunt in medio Doctorum. Hi erant Doctores ſacræ ſcripturæ, non Philoſophiæ, vel aliarum ſcientiarum, in medio inuenerunt Doctorum, id eſt, in conſonantia, & concordia earum, non in falſa expoſitione. *Ego* (ait diuina ſapientia) *in altiſſimis habito*, ſcilicet, doctrinis, *& eruditis interſum cogitationibus*, nulla altior doctrina ſacra ſcriptura, quæ de diuinis perfectiùs, & vtiliùs loquitur cunctis ſcientijs, hoc de moribus apertiùs inſtruit, tenebras errorum depellit, vitia repellere facit, vnde Zephirinus Papa. Sicut ſtellas non extinguit nox, ita mentes fidelium inhærentes ſacræ ſcripturæ firmamento non obſcurat mundana iniquitas, diſt. 38. & Hieron. Ama ſtudia ſcripturarum, & carnis vitia non amabis. Inuenerunt autem ipſum audientem, & interrogantem, & prudenter reſpondentem, dicit Euang. vbi innuitur ei⁹ humilitas in eo, quòd audiebat. Prouerb. 1. *Audiens ſapiens ſapientior erit*, ſed in ſapientia creſcere non poterat: quia habebat ſcientiam diuinam omnia ſcientem, non ſolùm, quæ fuerunt, ſunt, & erunt, ſed etiam, quæ Deus facere poteſt, quæ nunquam faciet. Habebat anima ſua ſcientiam beatorum perfectiùs omnibus. Nam ſciebat ex ea omnia, quæ facta ſunt, & quæ fiunt, & erunt. Habebat ſcientiam inditam, ſeu infuſam per ſpecies inditas rerum mẽti, ſicut habent animæ, cùm exeũt de corpore, & Adam cùm fuit creatus, & Angeli; habebat, & ſcientiam experimentalem, quam ex his, quæ paſſus eſt, didicit. Vnde quod ait Euangel. quia Chriſtus creſcebat ſapientia, intelligitur quoad oſtenſionem coram hominibus, non quoad habitum: quia ſcilicet quantò magis creſcebat ætate, tantò maiorem ſapientiam oſtendebat in conuerſatione ſua. Cùm ergo eſſet ſapientiſsimus, audiebat Doctores, & interrogabat, quaſi vellet addiſcere, docens nos in hoc humilitatem, vt non recuſemus audire alios etiam minimos. Ne erubeſcamus interrogare, quæ ignoramus, iuxta illud. *Interroga patres tuos, & annunciabunt tibi maiores tuos, & dicent tibi.* Qui enim quærit, inuenit. Et quantum quis debet eſſe ſolicitus, & ſtudioſus ad interrogandum, & quærendum ſcientiam, oſtendit Beatus Hieron. in Epiſtola ad Paulinum exemplo antiquorum Platonis, & aliorum, Pauli Apoſtoli euntis ad conferendum cum Apoſtolis: Eunuchi interrogantis à Philippo, & alijs vt habes in Prologo Bibliæ. Quid autem interrogaret non eſt ſcriptum, ſed piè credi poteſt, quòd interrogaret de ſcripturis pertinentibus ad aduentum Meſsiæ. Et cùm Doctores diuerſa dicerent, & non verè, reſpondebat prudenter, oſtendens non ſic poſſe intelligi propter rationes repugnãtes, quas adducebat, vtpote exemplum de Prophetia Iacob. Geneſ. 49. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, &c.* Et de Iſai. 9. *Paruulus natus eſt nobis.* Et de Daniele, quoad ſeptuaginta hebdomadas, & huiuſmodi, in quibus à Iudæis variæ expoſitiones dantur, ſed non veræ, vt habes in hiſtoria.

C

D

Pſal. 17.

Prou. 8.

Prou. 1.

Deut. 7.

Geneſ. 49.

Iſai. 9.

De Virgine, cùm fuit in nuptijs quæ ſignificant nuptias ſpirituales inter Deum, & Eccleſiam. Cap. 38.

ERAT ibi Mater IESV. Ioan. 2. ſcilicet, Nuptiæ illę (vt communiter dicitur) fuere Ioannis Euang. qui nepos erat Virginis gloriosæ ex parte matris. Nam mater ipſius Ioannis, & Iacobi Maioris, quæ dicta eſt

Ioan. 2.

Maria

Maria Salome nupta Zebedeo, ex quo genuit ipsos Ioannem, & Iacobum, soror fuit Virginis gloriosæ. Et ideo, vt consanguinea vocata fuit ad nuptias nepotis, ac filius eius cum discipulis. Quæ etiã Mater Domini, & Regina cœlorum, vt humilis non fuit dedignata nuptijs pauperculi piscatoris adeo pauperis, vt vinum deficeret in ipsis nuptijs. Cui tamen defectui prouideri obtinuit à filio eius benedicto, vt verè misericors compassa verecundiæ inopum. Et præsentia in super sua, & filij non reprobant, sed approbant statum coniugatorum in timore Domini nuptias celebrantium, vt legitur de sancto Tobia, & vxore eius. Et præferens statum virginalem, vel vidualem copulæ coniugali, vt maioris meriti. Nam matrimoniũ contractum de præsenti non consummauit, sed relicta vxore, viso miraculo conuersionis aquæ in vinum, seculum deserens Christi discipulatum assumpsit, & Virgo in æuum permansit. Significant autem hæ nuptiæ spirituales nuptias celebratas inter Deum, & Ecclesiam in generali, vel Deum, & quamlibet animam in particulari. Et in omnibus *erat ibi Mater IESV*. Beata Virgo MARIA. Quantùm ad nuptias Ecclesiæ notandum est, quòd sponsus earum est Dei filius, de quo Ioan. 3. Euang. aiebat. *Qui habet sponsam, sponsus est.* Sponsa Ecclesia. Vnde Propheta in persona eius. *Tanquam sponsam ornauit me corona.* Hæ factæ sunt in Chana Galileæ. Chana interpretatur zelus. Galilæa verò transmigratio. Et zelo, id est, intenso amore filij Dei ad Ecclesiam, factæ sunt istæ nuptiæ inter Christum, & Ecclesiam. Et hinc fit transmigratio de tenebris errorum ad lucem veritatis, de vitijs ad virtutes, de morte ad vitam gratiæ, & gloriæ. Thalamus harum nuptiarum fuit vterus Virginis, in quo coniuncta est natura diuina humanæ. Ps. 18. Ipse, scilicet, Christus *tanquã sponsus procedẽs de thalamo, suo.* Et sic erat mater IESV ibi, vt principalis. Ipse autem IESVS sponsus vocatur cum discipulis eius, id est, inuocatur in auxilium ab ipsa Ecclesia, vt foueret, subueniat, mira faciat in ea. Ad quod etiam operatur mater eius apud eum intercedens ad prouidendum defectui nostro. Sex autem hydriæ aquæ secundùm Bedam sunt mundi ætates, in quibus est aqua sapientiæ salutaris, quæ continent in se mysterio nuptias istas, seu sacram incarnationis sub verbis historialibus. Quæ quidem secundùm litteram ad modum aquæ habet mentem, & refrigerare, & lauare à sordibus malorum morum. Sed Christo adueniente pœnitentialiter ad ipsas nuptias, id est, Dei filio incarnato, aquã mutauit in vinum, cùm aperuit discipulis sensum per Spiritum Sanctum, vt intelligerent scripturas. Est igitur

Isai. 61. *Ioan. 3.* *Psal. 18.*

A vinum sensus spiritualis, qui elicitur ex littera, seu historijs scripturæ, qui sensus vtique magis lætificat, magis calefacit mentes fidelium, quam sensus litteralis, immo sensus litteralis malè intellectus multos fecit inflare, vt Iudæos præsumentes de sua iustitia, alios infrigidare omnino, vt hæreticos calore charitatis priuatos. Et ex hoc signo multum glorificatus est Christus declaratus hominibus, quo hoc mysterium ab antiquis fuerat prophetatum. Et erat Mater IESV ibi in illis, scilicet, figuris designata. Capiunt quoque hydriæ singulæ *metretas binas, vel ternas*: quia electi, qui fuerunt in illis temporibus, seu ætatibus, habuerunt ad

B mensuram certam fidem Trinitatis viuam implicitè, vel explicitè, vel geminam dilectionem, scilicet, Dei & proximi, quæ sine fide esse non potest, fuit hoc initiatum matrimonium in Patriarchis, & Prophetis, facta eis promissione ratificatum in incarnatione, consummatum in gloria. Apoc. 19. *Beati, qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt.* *Apoc. 19.*

§. I.

C EST ergo prima hydria prima ætas. Et in hac, vt aqua est historia quando Adam soporato formata est Eua sponsa eius ex osse de latere suo, vnde euigilans ab extasi ait. *Hoc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Genes. 2. Littera hæc quantum ad historiam multùm ædificat, consolatur, *Genes. 2.* & mundat. Nam ostendit matrimonium (& si quid carnale) tamen institutum à Deo. Et quia vxor facta est nõ de pede viri, neque de capite, sed de latere, non debere à viro vxorem vilem, & ancillam teneri: quia non de pede, nec permittere eam sibi dominari: quia non de capite, sed vt sociam: quia de eo facta, viro subijci, fidemque coniugij alter alteri seruare: quia in singulari homo, & vxori adhærebit, & ad hunc finem adhærere, id

D est, coniugio vti, vt filios habeant. Et hoc est quod dicit. Erunt duo in carne vna, scilicet, ad procreandum vnum corpus, scilicet, filij. Sed cùm accipimus sensum spiritualem hic latentem, melius sapit, & lætificat mentem. Nam Adam soporatus significat Christum Adam secundum in cruce morientem, de cuius latere formata est vxor, id est, Ecclesia figuratiuè, quando, scilicet, percusso lancea latere exiuit sanguis, & aqua, quæ significant duo præcipua sacramenta, id est, aquam baptismi, qui est primum sacramentorum, & maximæ efficaciæ super alia, & Eucharistiam, quod est quasi vltimum sacramentorum, & maximum in esse. Et ex his, & gratia eorum Ecclesia est quasi formata. Ex osse autem facta est mulier, & pro osse in viro appolita est

caro;

caro: quia Ecclesia habet fortitudinem ex Christo, & Christus quasi infirmitatem habet, scilicet, mortalitatis ex Ecclesia, id est, propter Ecclesiam. Reliquit propter hanc sibi coniungendam Dei filius patrem in cœlis, in quātum humanitate factus est minor; matrem in terris, quia Synagogam de qua natus est, & adhæsit vxori Ecclesiæ. Vel inquit patrem, & matrem: quia non habuit in cœlis matrem, nec in terris patrem, fuerunt duo in carne vna, id est, duæ res, duæ naturæ, scilicet, diuina, & humana in vna persona, seu vno homine. Nam caro sumitur pro homine, vt ibi. Videbit omnis caro salutare Dei. Et erat ibi Mater IESV: quia in Paradiso terrestri hoc factum est, qui designabat Beatam MARIAM. Vnde canit de ea Ecclesia. Emissiones tuæ, id est, cogitationes, affectus, actiones à te procedentes Paradisus. Ecce quasi aqua conuersa in vinum dulciùs sapiens.

§. II.

SEcunda hydria, secunda ætas incipiens à Noe vsque ad Abraham, huius hydriæ aqua est historia, quæ habetur Genes. 6. scili-
Genes. 6. cet, quòd *Noe fabricauit arcam*, in qua conseruauit tres filios, & omnia genera animalium, & postea vineam plantans inebriatus est vino, discoopertusque derisus ab vno, & ab alijs duobus reuerenter coopertus. Multùm mundificat aqua huius litteræ, dum diligenter aduertitur, quòd propter peccata præcipuè carnis diluuium Dominus immisit super terram, vt discat quilibet se ab his cauere, abstinereque se à nimietate vini, ne inebrietur, & derideatur. Docentur & filij, ne irrideant parentes in suis defectibus, ne incurrant maledictionem eorum, vt Cham, sed reuerenter se habeant, vt benedictionem accipiant, vt Sem, & Iaphet. Sed mutatur hæc aqua in vinum, cùm exponitur allegoricè. Noe enim Christus, qui arcam fabricauit Ecclesiam, in qua tres filij saluantur, id est, tres status timentium Deum, qui filij sunt adoptione, scilicet, coniugati, Prælati, & continentes, multa quoque genera bestiarum ibi saluantur, qui scilicet, aliquo tempore fuerunt bestiales, sed postea conuersi saluantur in ea: omnes autem, qui sunt extra Ecclesiã, scilicet, fidei, vel charitatis, diluuio infernali pereunt, vt docet Greg. 34. quæstione infra: quia ex sola. Ipse autem Noe plantauit vineam, scilicet, Ecclesiam, cuius fructu, scilicet, dilectionis quasi ebrius factus, nudus stetit in cruce, vnde populi Iudæorum signantur per Cham, qui irrisit, alij duo filij, scilicet, per creationem sicut, & primus reuerenter se habuerunt, & cum magno honore habuerunt ignominiam eius passionis, vnde, & benedicuntur, scilicet, Græci, & Latini. *Erat quoque ibi Mater IESV* in figuram cùm ait Dominus. *Arcum meum ponam in nubibus cœli. Cùmque obduxero nubibus cœlum*, quasi turbatus propter peccata hominum, volens iterum diluuium immittere igne, vel alio flagello mundum percutere, *apparebit arcus meus in nubibus*. Arcus iste, qui naturaliter causatur in aere ex reuerberatione radij solaris in nubem roridam, est Beata MARIA, quæ causata est in cœlo Ecclesiæ ex reuerberatione diuini amoris in nubem roridam in ipsam plenam rore cœlestis gratiæ, habens colorem ceruleum flexibilis misericordiæ, hiacynthinum contemplationis, rubicundum gratiæ, ex qua funditur sanguis rubeus si expedit. Cùm autem Deus multoties propter peccata hominum minatus fuerit immittere diluuium diuersorum flagellorum, apparens arcus iste in nubibus, id est, inter sanctos coram Deo ad intercedendum, quasi recordatus misericordiæ suæ subtraxit se à flagellis immittendis communitus ex arcu isto, ecce quàm dulcius vinum istud, & magis lætificatiuum, quàm aqua illa.

§. III.

TErtia hydria, tertia ætas ab Abraham vsque ad Dauid, in qua habetur, quòd Moyses in deserto manens ad pascendum oues, vidit rubum ardere, & non consumit, ad quem pergens, vt cerneret, dictum est ei, vt solueret calceamentum de pedibus eius. Cui accedenti Dominus dixit, quòd descenderet visitare Israel, & liberare de seruitute dura Pharaonis per signa magna. Ad aquam pertinet huius hydriæ considerare, quod Dominus, ait per Osee. Ducam eam in solitudinem, scilicet, animam, & loquar ad cor eius; oportet enim semotum esse à tumultu occupationum mundi, & fantasiarum, qui vult vacare simplicitati, pascendo oues, innocuas cogitationes, & affectiones, & tunc in contemplatione videtur, quoniam Deus noster ignis consumens est malitias nostras, & accedentem ad eum oportet solutum esse ab operibus mortuis. Sed gusta vinum ex aqua ista muratum, quod suauius est. Ignis enim in spineto est diuinitas in humanitate nostra spinosa, seu pungitiua pœnalitate, quæ coniunctio facta fuit in incarnatione, in qua nec ignis consumpsit rubum, nec rubus extinxit ignem: quia nec diuinitas consumpsit humanitatem, scilicet, eam conuertendo in substantiam Deitatis, nec diuinitas conuersa est in humanitatem, sed saluata est vtriusque naturæ proprietas in vna persona, indeque per hoc mysterium visitatus est populus Dei, erutus de seruitute Diaboli, ad quod mysterium intelligẽdum, pũ oportet exuere rationes mortalium, & affectus. *Et erat ibi Mater IESV MARIA*. Nam, vt canit Ecclesia, ipse idem rubus incombustus signi-

ficat

ficat virginitatem MARIÆ seruatam: quia ipsa ex spinis orta Iudæorum non est combusta in conceptu suo ardore concupiscentiæ, vt aliæ mulieres, sed vitor in ea permansit virginitatis.

§. IIII.

QVarta hydria, id est, quarta ætas fuit à Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis, in qua habes historiam sanationis Ezechiæ ęgrotantis ad mortem propter peccatum suum, & secundùm demerita sua moriendum prænunciatum. Cui pœnitenti verè collata est sanitas signo huius sanationis consequendæ sibi dato, quòd *Sol in horologio Achaz* retrocederet decem lineis, seu gradibus, quod & factum est. Aqua ista suauis est pœnitentibus, qui cùm propter delicta sua mereantur mortem æternam, si verè pœnitent, Deus sanat, & vbi Sol iustitiæ eis tendebat ad occasum, vt eos sequerentur tenebræ infernales, elongantur ab eis tenebræ, & tendit ad ortum gratiæ. Gustet Architriclinus quilibet Prælatus, vel Doctor in his nuptijs aquam istam vinum factũ, & dicat. Tu Christe *seruasti bonum vinum vsque adhuc*. Infirmato enim genere humano ad mortem animæ, & corporis propter peccatum sanatur, qui tamen ex eo pœnitentiam agit, in qua est virtus passionis insita. Sed quo signo, vel modo Sole iustitiæ Deo nostro reuertente retro decem lineis, seu gradibus. Nouem lineæ rectæ sunt nouem ordines Angelorum iusti creati. Nam decima est natura humana recta, & ipsa creata in iustitia originali. Reuersus est Sol retro decem istis lineis: quia minor factus est nouem ordinibus Angelorum, iuxta illud Psal. 8. *Minuisti eum paulominus ab Angelis*, scilicet, propter mortalitatem assumptam, & in decima se locauit naturam assumens humanam, immo & in ea ipsam videtur etiã desecẽdere, dicens per Psal. 21. *Ego sum vermis, & non homo*, & erat ibi mater IESV: quia significat per horologiũ Achaz Regis, de cuius Regali progenie descendit per quam transiuit Sol ipse homo factus.

4. *Reg.* 20
Isai. 38.

Psalm. 8.

Psal. 21.

§. V.

QVinta hydria, id est, quinta ætas est à transmigratione Babylonis vsque ad Christum, & in hac habes historiam, vt aquã conuiuium magnum, quod fecit Assuerus Monarcha mundi Principibus suis, & populo tertio anno Imperij sui, in quo, quia vxor eius Vasthi noluit accedere vocata ab eo per eunuchos ire contempsit, priuata fuit propter superbiam suam Regno, & coniugio, & sponsa assumpta Esther pulcherrima, & humilis, quę persecutionem populi sui sentiens precibus suis impetrauit liberationem eius, & hostium perditionem, vt habetur Esther in diuersis cap. Mundare facit aqua ista mentes à superbia, & consolari in eo, quòd superbis Deus resistit, & reprobat, & humiles exaltat, ac afflictos se inuocantes à malis liberat, impios, & inuidos prosternens. Sed gusta vinum eius, & suauis erit. Nam Assuerus, qui interpretatur beatitudo, scilicet, gloriosus Deus Dominus tertio anno Regni sui, id est, sub tertio statu, scilicet, gratiæ nõ naturæ, vel legis Mosaicæ, parauit cõuiuium cunctis Principibus, id est, Apostolis, discipulis, & alijs refectionem sacrosanctorum, & doctrinæ suæ. Ad hoc inuitata Vasthi, id est, Synagoga, quæ olim erat vxor, quasi Dei propter cultum veri Dei, qui erat in ea, quæ propter superbiam suam accedere noluit credendo, vnde ipsa reprobata, eligitur in vxorem Gentilitas conuersa ad fidem humilis. Vnde Esther humilis interpretatur pulcherrima virtutibus, quæ etsi persecutiones patiatur in populo suo fideli, tandem liberatur ab hostibus suis. *Et erat ibi Mater IESV.* Ipsa enim figuratur in Esther, quę humillima fit sponsa Dei in mysterio incarnationis, & ipsa est, quæ sua intercessione liberationem obtinet à Deo ab oppressionibus, persecutionibus, & tentationibus populi sui fidelis.

§. VI.

SExta hydria, id est, sexta ætas est à Christo vsque ad Antichristum. In hac, vt aqua est parabola Regis, qui fecit nuptias filio suo ad quas multos vocauit, sed pauci venerunt, vnde tales non gustauerunt refectionem nuptiarum. Ex venientibus, qui impręparatus accessit non vestitus veste nuptiali, cum sui magna confusione eiectus est. Alij autem, qui accesserunt in decenti habitu, gustarunt suauitatem conuiuij. Secundùm corticem litterę docemur, vt vocati ad aliquam refectionem spiritualem non debeamus renuere nos reperire in aliqua congregatione facta ad bonum faciendum, & multò minùs non persequi, vel nocere talibus, & contemnere, sed conueniendo ad huiusmodi non vti fictione, & indecenter ibi manere non conueniendo cum alijs: quia tales confundũtur. Sed vinum eius est: quia Rex vniuersi Deus nuptias fecit filio suo, quando eum incarnari constituit, huius sponsa est Ecclesia, nuptiæ, seu conuiuium huius coniugij est refectio spiritualis, quæ habetur ex varijs epulis, puta doctrinis, exemplis sanctorum, & sacramentis, miraculis, & huiusmodi. Vocantur ad has nuptias multi per Apostolos, & alios prædicatores. Et aliqui nec venire dignantur: quia ad fidem non conuertuntur. Et horum aliqui ex negligentia non curantes de sui salute, sed terrenis totaliter dediti. Alij non solùm venire non contemnunt, sed ad nuptias vocantes eos persequuntur, & occidunt, vt Iudæi, & Gentiles persecutores Chri-

Christianorum, qui omnes in anima, & demum in corpore consumpti, & confusi sunt, veniunt autem ad has nuptias, qui credunt, sed non habentes vestem nuptialem cum dedecore à Rege demum expelluntur, & puniuntur, qui scilicet, fidem etsi habeant, non habent charitatem. Qui verò fidem habent, quæ per dilectionem operatur, hi fruuntur his nuptijs, hìc per gratiã, & postea per gloriam. *Et erat Mater IESV ibi*, quia vt dicit Gregor. thalamus, vbi celebratũ est istud coniugium, seu coniunctio Dei cum humana natura, in qua est Ecclesia, fuit vterus Virginis, vnde Psalm. *Ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo*. Et ipsa est mediatrix, quæ procurat nobis in his nuptijs vinum dilectionis, & deuotionis, Amen.

Psal. 18.

De nuptijs pœnitentium. Cap. 39.

ERAT *Mater IESV ibi*, Ioan. 2. Vltrà nuptias, seu matrimonium allegoricum inter Christum, & Ecclesiam in generali, est aliud matrimonium morale, quod celebratur quotidie inter Deum, & animam, vnde Dominus per Prophetam Osee. 2. ait cuilibet animæ. *Desponsabo te mihi in fide*. Et quia fides suscipitur in baptismo, ideo tunc desponsatur anima Christo, & fit in Chana Galileæ, id est, ex zelo intensi amoris ad animam, ex quo ipsa anima transmigrat de morte peccati originalis ad gratiã. Chana enim interpretatur zelus, & Galileæ transmigratio. Interest IESVS, vt gratiam merito suæ passionis conferens, & mater eius, vt mediatrix eam procurãs. Sed cùm puer peruenit ad vsum rationis, vt in pluribus recedit anima eius à legitimo spõso Deo per peccatum mortale, & fornicatur, seu adulterium committit cum diuersis, videlicet inhærendo se, & coniungendo per inordinatum affectum variis creaturis, diuitijs, voluptatibus, honoribus, & huiusmodi. Cùm autem reuertitur ad pœnitentiam, dimittendo vitia, & peccata, Deus sua pietate, & dilectione iterum sibi desponsat, sed in iustitia. Vnde per Osee. cap. 2. ait. *Desponsabo te mihi in iustitia, in iudicio, & in misericordia*. In fide etiam desponsata erat per baptismum, quæ fides non amittitur per peccata, etsi informis maneat. Desponsatur ergo per pœnitentiam, quæ est pars iustitiæ ex parte animæ, & miserationibus, ex parte Dei: quia sola misericordia iustificat peccatorem. Vnde Dominus per Hierem. cap. 3. Vulgo dicitur, *si dimiserit vir vxorem suam*, scilicet, propter adulterium, vel suspectionem, *& recedens ab eo*, scilicet, vxor à viro *duxerit virum alterum, nunquid reuertetur ad eum vltra? nunquid non contaminata erit?* Priùs anima desponsata Deo dimittit sponsum Deum, scilicet, per peccatum, adulterando spiritualiter, quàm Deus dimittit animam gratiam subtrahendo, & recedendo ab ea. Et cum tot fornicatur, quot creaturas inordinatè diligit, & tamen si homo dedignaretur talem reassumere in vxorem, Deus non dedignatur. Vnde subdit. Tu autem, scilicet, anima fornicata es cum amatoribus multis, & tamen reuertere ad me, scilicet, per pœnitentiam, & ego suscipiam te iterum in sponsam. Vocatur ad hoc coniugium Christus: quia gratia, quam dimittit in Sacramento pœnitentiæ, merito suæ passionis ibi operatur. *Et erat ibi Mater IESV*, præcipuè vocata, & inuocata, si peccator habet deuotionem ad eam, vt procuret sibi salutem.

Ioan. 2. *Osee.* 2. *Osee.* 2. *Hierem* 3

§. I.

SEX sunt hydriæ in his nuptijs positæ aquæ ad purificandum. De quibus Bernard. in sermone in Epiphania Domini ait. Sex hydriæ positæ sunt his, qui post baptismum in peccata labuntur. Exuimus tunicam veterem, scilicet, per baptismum. Sed heu peius reinduimus eam. Lauimus pedes nostros, & peius inquinauimus eos, scilicet, per actualia peccata mortalia. Prima ergo hydria est compunctio, de qua legimus. In quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor. Et Chrysost. Lachrymæ lauant delictum. Secunda est confessio. Omnia siquidem in confessione lauantur, ait quidam. Tertia est eleemosynarum largitio. Vnde in Euangelio. *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis*. Sed nota, quod ait Gregor. 1. quæst 1. non est. Non est putanda eleemosyna, si pauperibus dispensetur quod ex illicitis rebus acquiritur, quod scilicet, debet restitui. Nam qui malè accipit, vt benè dispẽset, potiùs grauatur, quàm iuuetur. Quarta est iniuriarum remissio, secundùm, quòd orantes dicimus. *Dimitte nobis debita nostra sicut*, &c. Beatus August. de pœnit. dist. 4. dixit Dominus, ait. *Dimitte, & dimittetur tibi*, dimisi priùs, dimitte vel postea. Nam si non dimiseris, reuocabo te, & quidquid dimiseram, imputabo tibi. Quinta est afflictio corporis, vnde oramus. Mundi per abstinentiam ipsi canamus gloriam, ac etiam afflictio flagellorum Dei cũ patienter ferimus. Sexta est obedientia præceptorum, sicut audierunt discipuli, quod vtinam, & nos mereamur audire. *Vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis*.

Lucæ 11. *Matth.* 6 *Mar.* 11.

§. II.

HÆ sex hydriæ positæ sunt in purificationem nostram, quæ vacuæ sunt, & plenæ vento, si pro inani gloria obseruantur, aqua replentur, si timore custodiantur, ait Bernar. quoniam timor Domini fons est vitę. Aqua

(in-

(inquam) timor Domini etsi minùs sapida, scilicet, quàm vinum, optimè tamen refrigerans animam noxijs desiderijs æstuantem. Aqua est, quæ possit ignita inimici iacula extinguere; nec illud dissonat, quòd aqua semper ima petit, & timor ad ima cogitationem deijcit, & in inferioribus immoratur, atque horrenda loca pauida mente perlustrat, iuxta illud. Vadam ad portas inferi. Hæc Beatus Bernard. Sed diuina virtute aqua mutatur in vinum, quando perfecta charitas foras mittit timorem. Deficiente ergo vino perfectæ charitatis, & feruoris dicit Mater Christi ad Filium. *Vinum non habent* isti, scilicet, pœnitentes perfectæ charitatis, sed aquam timoris. Compatitur ei sicut misericors, sicut benignissima Beata MARIA. Quid à fonte pietatis procedere potest, nisi pietas? Quid mirum, si pietatem exhibent viscera pietatis, inquit, Beatus Bernard. Nonne qui pomum tenuerit in manu dimidia die, reliqua diei parte pomi seruabit odorem? Quantùm ergo viscera pietatis illa affecit, in quibus nouem mensibus requieuit? Nam ante repleuit mentem, quàm ventrem, scilicet, pietate. Optat ergo, & tacitè petit pœnitentibus ex timore, qui aqua est vinum dari perfectæ charitatis, & lætitiæ, cui etsi Christus visus est durè loqui, dicens. *Quid mihi, & tibi est mulier*? nouerat tamè illa, cui loquebatur, non se despexisse. Sed & si non sibi, sed alijs, quia illud sciebat non esse suæ humanitatis, ostendit infundere charitatem perfectam, quæ excludit timorem, sed diuinitatis, quòd intelligens ipsa, iussit ministris, vt facerent quod iubere filius, vt disponeretur materia ad aquam in vinum conuertendam. Ad quod facit, quod Dominus iubet ministris Sacramentorum, vt impleant hydrias aqua, scilicet, timore per prædicationem, & admonitionem. Quæ hydriæ dicuntur lapideæ, non propter duritiem, sed propter stabilitatem perseuerantiæ. Capiunt autem metretas binas, quia est timor pœnæ temporalis, scilicet, punitionis legis per hominem, vel flagellorum Dei per ipsum timorem, & timor gehennæ, ne tradatur in eam, hæ sunt duæ metretæ, propter quæ duo quis abstinet à malis, & dicta sex de genere bonorum agit. Nam tertia metreta erit timor priuari, seu excludi à gloria illa, & bono gloriç quod videtur ad amorem mercenarij pertinere. Sed si perseuerauerit pulsans, aqua mutatur in vinum: quia conuertitur timor in perfectam charitatem. Ex hoc Deus glorificatur, & magis firmantur discipuli Christi veri fideles. Erat ergo ibi Mater IESV ad huiusmodi vinum deuotionis, & perfectæ charitatis pœnitentibus procurandum. Vnde & legitur de quadam moniali deuota Virginis MARIÆ, quòd cum seducta à Diabolo apostatasset, facta publica meretrix, post multos annos ad pœnitentiam reuersa monasterium repetens stabat in magnis lamentis, & abstinentijs, timens pœnas inferni propter scelera sua. Et cùm rogasset vna dierum Beatam MARIAM, vt impetraret à filio remissionem peccatorum, locuta est sibi, dicens hoc obtinuisse, & sic aquam conuertit in vinum.

De nuptijs mundum deserentium, & se Deo dedicantium quomodo Beata MARIA præsens est. Cap. 40.

ERAT *Mater IESV ibi*, scilicet, in nuptijs, Ioan. 2. Post nuptias spirituales cõmunes etiam laicis sunt aliæ nuptiæ, quæ (vt perfectiores) his solis conueniunt, qui Deo anima, & corpore totaliter se dedicauerunt, vt dicere valeat talis anima illud Beatæ Agnetis. Ipsi sum desponsata, cui Angeli seruiunt, cuius pulchritudinem Sol, & Luna mirantur, anulo suo subarrhauit me fidelis amoris, vt nullum alium præter eum amatorem admittam, tradidit auribus meis inæstimabiles margaritas verborum suorum inter cætera dicens. *Audi filia.* Omnia mandata mea, filia per creationem præcipuam: quia particeps veritatis, cognitionis, amoris, & bonitatis, audi voces internas, quibus in te loquitur Dominus, vide, considera quanta sit erga te dignatio Dei tui, qui pro te à Deo exiuit, & venit in mundum, pro te mortis somnum accepit in cruce, te lauit sanguine suo à peccatis tuis, vt decorem acciperes, te fecit sociam mensæ, sociam Regni sui, sociam thalami, vt te introducat demum Rex in cubiculum suum. Vide quid iam de sponso Deo tuo sentias, quantùm de Deo præsumas, vide quibus brachijs charitatis vicariæ reamandus, & amplectendus sit, qui tanti te æstimauit, immo qui tanti te fecit. Inclina aurem tuam ad obediendum parata, & & prona ad omnem voluntatem eius. *Obliuiscere populum tuum*, scilicet, carnales affectus, seculares mores dedisce, & domum patris tui, amorem consanguineorum, superbiam in qua Diabolus habitat, consuetudines noxias, & vitia obliuiscere, & *concupiscet Rex decorem tuum* adeo, vt te sponsam speciali modo accipiat per statum perfectionis, vt religionis. Factæ sunt hæ nuptiæ *in Cbana Galileæ*, id est, in magno zelo amoris, ex quo quis transit de seculo ad Dei totale obsequium. In his est IESVS, id est, conuersatio eius cum discipulis eius, scilicet, castitatis, paupertatis, & obedientiæ. Est & ibi Mater IESV magistra humilitatis. Iam autem desponsata anima religiosa illi nuptiarum prandium celebratur. Nam cœ-

Ioan. 2.

Psal. 44.

ña

na quidem in cœlo in aula æterna præparatur, vbi vinum feruoris charitatis perfectæ lætificans cor non deficiet: quia ibi *inebriabuntur ab vbertate domus* illius, ait Psal. 35. Hic autem in vitæ præsentis nuptijs aliquando deficit vinum, scilicet, deuotionis, & feruentis charitatis, ita vt nos *tæderet viuere*, ait Apostolus Paulus perfectissimus. B. Bern. in serm. ad fratres suos ait. Quoties mihi necesse est, fratres, & post lachrymas, querimonias vestras exorare Matrem misericordiæ, vt suggerat benignissimo filio suo, quoniam vinum non habeatis, & ipsa, dico vobis charissimi, si piè à nobis pulsata fuerit, non deerit necessitati nostræ, quoniam misericors est, & Mater misericordiæ. Nam si compassa est verecundiæ illorum, à quibus fuit inuitata, multò magis comparietur nobis, si piè fuerit inuocata, placent enim illi nuptiæ nostræ, & pertinent ad eam, multò magis illis. Sed quē non moueat id, quod in nuptijs illis respondit benignissimus Dominus sanctissimæ matri suæ. *Quid mihi, & tibi est mulier?* Quid pertinēs ad illam quæris, cùm sis benedictus fructus ventris eius immaculati? Nonne ipsa est, quæ saluo pudore concepit, & sine corruptione te peperit? Nonne ipsa est in cuius vtero 9. mensibus es moratus? cuius virgineis vberibus lactatus es, cum qua cùm 12. esses annorum de Hierusalem cum ea descēdisti, & eras subditus illi? Nunc ergo quid molestus es illi, dicens, *quid mihi, & tibi?* Sed manifestè iam video: quia non velut indignans, aut confundere volens Virginis, & Matris teneram verecundiam dixeris, quid mihi, & tibi, cùm venientibus ad te iuxta præceptum eius ministris quando ais. *Quodcunque dixerit vobis facite*, nihil cunctatus facias quod suggesserit. Vt quid ergo fratres, vt quid sic respondérat? prius vtique propter nos, vt conuersos ad Dominum, iam non solicitet carnalium cura parentum, & necessitudines illæ non impediant exercitium spirituale. Quandiù enim de mundo sumus, debitores nos constat esse parentibus. At postquam reliquerimus nosmetipsos, multò magis ab eorū solicitudine liberi sumus. Vnde & legimus fratrem quendam in eremo conuersantem, cùm ad eum carnalis frater auxilij gratia aduentasset, vt scilicet, egrediens de cella ad subleuandum asellum suum qui in foueam ciderat, adiuuaret respondisse, vt alium fratrem eorum adiret, cùm ille vtique iam obijsset. Cùmque admiratus qui venerat, respondisset, quia ille obierat. Eremita quoque se obijsse respondit. Optimè ergo nos docuit Dominus, ne soliciti simus super propinquis carnis nostræ plusquam religio postulet, quoniam ipse matri, & tali matri sic respondit. *Quid mihi, & tibi est mulier?*

§. I.

SED videamus iam quid sequitur. *Erant ibi*, inquit, *sex hydriæ positæ secundùm purificationem Iudæorum.* Vel ex hoc potes manifestiùs aduertere, non plenitudinem, sed præparationem esse nuptiarum, vbi nimirum adhuc opus est purificatione. Desponsationis nuptiæ istæ sunt, non copulationis, abiit enim, vt in illis nuptijs, scilicet, gloriæ trium phãtis Ecclesiæ foret vasa purificationis. *Sine macula enim sunt ante thronũ Dei.* Apoc. 14. Nunc itaque lauandi tempus est, nunc purificationem patet esse necessariam, quando nemo mundus à sorde, nec infans vnius diei super terram. Nunc igitur abluitur sponsa, nunc purificatur, vt in cœlestibus nuptijs sponso sine macula præsentetur. Quæramus igitur sex hydrias, in quibus purificatio Iudæorum, id est, confitentiū ablutio fiat. Nam si dixerimus: quia peccatum non habemus veritas in nobis non est. Veritas, inquam, quæ nos liberat, nos lauat, nos saluat, quòd si confiteamur peccata nostra, non deerunt veris Iudæis, id est, confitentibus purificationis hydriæ, quoniam fidelis est Deus, qui remittat peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Ego sex hydrias, sex obseruantias arbitror esse, quas ad purificandum confitentium corda sancti Patres instituere. Prima ergo est continentia castitatis, qua diluitur quidquid ante luxuria inquinauit. Secunda est ieiunium, vt quod maculauerat crapula, nunc abstinentia mundet, & mundi per abstinentiam Christo canamus gloriam. Per segnitiem, & otiositatem, quæ inimica est animæ, multas contraximus sordes contra Dei sententiam, in sudore vultus nostri non alieno pane vescentes propter hoc tertia hydria nobis apponitur, vt sordes illæ in labore manuum diluantur, vel exercitio lectionis sacræ. Sic & per somnolentiam cæteraque noctium, & tenebrarum opera multa deliquimus. Ideo quarta hydria vigiliarum, scilicet obseruantia ponitur, vt nocte surgentes ad confitendum Deo nunc bonas noctes præteriti temporis redimamus. Iam verò de lingua quis nesciat, quantùm inquinauerit nos per vani loquia, & mendacia, per detractiones, & adulationes, per verba malitiæ, siue iactantiæ? Pro his omnibus necessaria est hydria quinta, silentium, scilicet, custodia religionis, & in quo est fortitudo nostra. Sexta quoque hydria disciplina est, quā non nostro arbitrio viuimus, sed alieno, vt totum deleatur quidquid indisciplinatè viuendo deliquimus. Lapidea sunt hæc durā quidem, sed necesse habemus in his lauari. Attamen eò quòd dicuntur hydriæ lapideæ, non solùm duritia, sed multò meliùs soliditas potest intelligi, quoniam non

lauant

lauant, nisi firma stabilitate permanserint, vt scilicet, quis in his perseueret.

§. II.

AIT autem Dominus ministris. *Implete hydrias aqua*, quid sibi vult istud Dominicum dictum? Ministri soliciti sunt de vini penuria, & tu dicis implete hydrias aqua, illi de poculis cogitãt, & quomodo præcipis, vt vasa purificationis impleãt aqua? nobis, qui ministri sumus, & serui, propter Christum præcipitur implere hydrias aqua, quoties deest vinum. Ac si dicatur, illi deuotionem desiderant, vinum requirunt feruorem flagitant, sed nondum venit hora mea. Et ideo implete hydrias aqua. Quæ est enim aqua sapientię salutaris, etsi non adeo suauis, nisi fons vitæ, & initium sapientiæ timor Domini? Dicit ergo ministris. Incutite metum, & spiritu timoris non tam vasa, quàm corda implete, quia vt ad charitatem, scilicet, feruentem perueniant, initiandi sunt à timore, vt dicant, & ipsi. A timore tuo Domine concepimus, & peperimus spiritum, id est, feruorem salutis. Sed quomodo implebuntur hydriæ, prædixerat Euangelista, *capientes singulæ*, scilicet, hydriæ *metretas binas, & ternas*. Quæ sunt duæ metretæ, quæ tertiæ? vtique duplex timor communis omnibus notus. Tertius minùs communis, & minùs notus. Primus timor est, ne cruciemur in gehenna, id est, timor pœnæ infernalis. Secundus, ne excluſi à visione Dei priuemur illa ineffabili gloria. Tertius replet animã omni solicitudine timidam, ne fortè repellantur à gratia. Equidem omnis timor, sicut aqua extinguit ignem, ita extinguit peccati concupiscentiam, sed his maximè, cùm ad omnem tentationem occurrerit, ne forte contingat amittere gratiam, vt sibi derelictus homo labatur de malo in peius. Præcepit ergo Dominus hydrias aqua impleri. Sunt enim aliquando vacuæ, & plenæ vento, cùm scilicet, illa sex obseruantur propter vanam gloriam, vt fatuæ virgines, in quarum vasis oleũ non habetur. Interdum quod peius est, plenæ sunt, sed veneno, quod est inuidia, murmur, rancor animi, detractio, & huiusmodi; propterea, ne subintrent ista, dum vinum deest: iubemur, scilicet, Prælati, & Doctores implere hydrias aqua, vt scilicet, obseruentur mandata in timore Domini, quæ tunc mutantur in vinum, cùm perfecta charitas foras mittit timorem, & implentur omnia feruore spiritus, & verenda deuotione. Hæc omnia in secundo, & tertio, §. Beatus Bernardus, in sermone illo. Cooperatur ad ista Mater IESV dicendo, suggerendo mentibus præsidentium, vt faciant, quod dicit filius, proni in procuratione, & eius etiam supplicatione, aqua mutatur in vinum à Christo, tamen etsi erat ibi mater IESV spiritualiter in his nuptijs, quibus, qui se totum dedicant Deo, vnde & sæpe apparet eis consolans eos. Sicut Beato Dominico, cùm vidit in cœlo fratres suos sub chlamyde sua. Beato Thomæ de Aquino, cùm Dei Mater eum mulcet alloquio. Beato FRANCISCO cùm apparuit in Ecclesia Sanctæ MARIÆ de Angelis. Ioanni Damasc. Monacho, cùm manum sibi abscissam: quia fuerat accusatus, sed falso, quòd proditionem tractauerat scribendo Epistolam inimico cuidam Principi Imperatoris sibi restituit, & famam recuperauit.

De dolore maximo Beatæ MARIÆ in passione filij, & etiam hic de contrarijs ad salutationem. Cap. 41.

STabat iuxta Crucem Mater IESV. Ioan. 19. Tanta est pietas huius Virginis Matris, non solùm erga filium naturalem, iuxta cuius crucem stabat, sed & erga filios suos adoptiuos; tanta facultas impetrandi quod velit, apud Deum Patrem, vt sermocinantes quique nutrices Populorum non aliunde confidant lac doctrinæ per eos propinandum, nisi meritis eius, & precibus procuratum, ad quod efficiendum cithara dulcisonæ salutationis ad eam vtuntur. Sed consuetudo Ecclesiæ, cùm de passione Filij eius IESV est sermo, prædicanti dicere videtur illud, quod Helisæus Propheta ait Giezi discipulo suo de Sunamite mortem vnigeniti sui deplorãte 4. Reg 4. scilicet, *dimitte eam, anima enim eius in amaritudine est*, quasi dicat, non salutes. Nam cithara illa Angelicæ salutationis in luctum versa apparet. Nam quomodo aue ei nunc dicere vellemus ab à quod est fine, & væ deriuatum, quæ doloribus plena est, vt dicere valeat illud Micheę. *Væ animæ, quia defecit timoratus à terra*, filius meus, quem impleuit spiritus timoris Domini. MARIAM aptè nuncupare non possumus, prout Domina, vel illuminatrix interpretatur, cùm satis obscura, quasi Luna eclipsata inuentiatur. *Nolite ergo vocare me Noemi*, id est, *pulchrã sed vocate me Mara*, id est, amaram, *quia amaritudine repleuit me Dominus*. Dicere potest cum illa Noemi quæ de fœlicitate ad infortunium deuenerat Ruth, non gratia plena, sed vacua iudicor hodie: flecto enim genua mea ad Patrem Domini mei IESV, vt misereatur filij communis, & me non audit. Deprecor ipsum filium, vt suis verbis mellifluis me consoletur, mihi non loquitur, nisi illud. *Ecce filius tuus*, quod verbum, vt gladius pertransiuit animam meam, cùm pro magistro, & filio mihi datur discipulus. Iudæis supplico, vt amo-

Ioan. 19.

4. Reg. 4.

Mich.

Rud. 1.

Ioan. 19.

do

do filio meo compatiantur, & ipsi contumelias, & subsannationes adimunt. Mortem innoco, vt post filium non superstes remaneam, & fugit à me. Iuxta crucem sita ad ipsam clamo. Flecte ramos arbor alta, tensa laxa viscera, vt deosculer filium meum, & rigida, & immobilis persteterat. Dominus tecum, vtique in me hucusque Dominus filius fuit mecum me cõfortans, me reficiens, & ego secum ipsum sequens, verba eius dulciora super mel, & fauum audiens, miracula eius videns, & gloriam Dei ex eius operibus magnificari perspiciens, nunc autem me reliquit animam corpore egredientem patri recommendans. Benedictam me in mulieribus Angelus dixit, quæ nunc infœlicior cunctis mulieribus inuenior. Nam quæ mater vnquam fuit, quæ in præsentia filij constituta, angustijs, & afflictionibus circumdati non valuerit, vel in aliquo refrigerium præstare? Audio eum ad mortem vsque sitientem ex maximis pœnis, nec potum aquæ frigidæ porrigere valeo, sed video spongiam aceto plenam, & felle ad os eius apponi. Et si fœlix fui, & benedicta in mulieribus in partu eius non sentiens dolorem, sed mihi video reseruatos, & nunc adauctos, quoniam nulla mater tantum dolorem vnquam sensit in partu filij, sicut nunc ego in passione Christi. Sed nec martyr aliquis, vel aliqua in suis varijs cruciatibus vnquam tantam pœnam passus est, vt nunc ego. Est & benedictus fructus ventris mei IESVS, cui omnes maledicunt Iudæi, & Gentiles, vnus eum appellat malefactorem, alius seditiosum, alter blasphematorem, multi ambitiosum Regnum vsurpare volentem, reliqui mendacem, aut seductorem, vt vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis est effectus, quia & secundùm legem *Deut.21.* *maledictus omnis, qui pendet in ligno*, id est, infamis. Ex quo ergo in luctum conuersa apparet cithara illa Angelicæ salutationis, dimitte eam, vt non salutes, sed nihilominus cum ea iuxta crucem maneas, ipsam meditando, ipsam adorando, ipsam salutando, & eius auxilium implorando, & dicendo. O crux aue spes vnica hoc passionis tempore, auge pijs iustitiam, reisque dona veniam. Stabat igitur iuxta crucem eius Mater IESV. In quibus verbis tria possunt notari de Virgine MARIA. Sanctitatis excellentia incomparabilis. *Stabat.* Pœnalitatis eminentia ineffabilis. *Iuxta crucem.* Propinquitatis attinentia venerabilis. *Mater IESV.*

A ter. Nam stare de creatore dicitur propter immutabilitatem. De creatura autem propter virtuositatem, seu sanctitatem. *Stat ad iudicandum Dominus*, dicit Isaias de Deo vero: quia etiam Deus ait per Ioan. Apocal. 3. *Ego sto ad ostium*, scilicet, animæ, *& pulso*, scilicet, inspirando, & illustrando intellectum, qui est ostium animæ, siquis aperuerit mihi tanquam hic acceptando, intrabo ad illum per gratiam, & cœnabo cum illo, & ipse mecum, præcipuè de agno assato in cruce igne charitatis reficiendo. In his tamen ego sto semper immotus, & inuariabilis. *Ego enim Deus, qui non mutor*, dicit ipse Malach. 3. Creatura verò stare dicitur, cùm iustè, & sanctè viuit B non cadendo in peccata. Vnde Eccles. 2. dicitur. *Sta in iustitia, & timore*, scilicet, non cadendi, secundùm illud Apostoli. *Qui stat*, scilicet, in virtute, *videat, ne cadat.* Et Boetius de Deo ait. Stabilisque manens das cuncta moueri. Stabat ergo Beata Virgo MARIA non insensibilitate, vel immutabilitate, sed sanctitate. Et hoc tripliciter. *Stabat* fide eleuata. *Stabat* peccato non inclinata. *Stabat* Dei voluntati conformata. De primo dicit Apostolus ad Roman. 9. de quolibet fideli. *Tu fide sta.* Prima enim rectitudo mentis est vera fides, fundamentum virtutum. Tempore quidem passionis C omnes Apostoli, & discipuli Christi, qui priùs stabant fide eleuati ad Christum credendum, non solùm verum hominem, sed & verum Deum, vnde Petrus pro omnibus dixerat. *Tu es Christus filius Dei viui.* Matth. 16. omnes prostrati sunt in infidelitatem. Et sicut cùm captus fuit Christus in horto Iudæi omnes corpore ab eo fugerunt (vt dicunt Euangelistæ) ita & mente credentes quidem eum esse verum hominem sanctum, & iustum virum Prophetam in opere, & sermone, sed non verum Deum, cernentes passionem eius tam ignominiosam. Quamuis enim Petrus, & Ioannes post fugam reuersi sint ad eundum post Magistrum captum. Petrus tamen sequebatur eum à longè, ne agnosceretur vt discipulus, quinimmo, & ipsum cum iuramento negauit se non esse. Ioannes etsi vsque ad crucem securus iuxta crucem *stabat* corpore, à longè tamen mente, nec ipse agnoscens diuinitatem. Sola Beata Virgo stabat fide eleuata, & fixa de eius diuinitate expectans indubiè suam tertia die resurrectionem, vt meritò dicatur maris stella à stando, & lumen fidei mundo naufrago retinendo. In huius signum triduano officio Dominicæ Passionis cùm 15. candelæ accensæ firmentur ante altare paulatim, & successiuè omnes extinguuntur, sola vna accensa absconditur, quæ post officium omnibus profertur ad illuminãdum 15. can-

Matt.16 *Mal.3.* *Eccl.3.* *1.Cor.10* *Rom. 9.*

§. I.

QVantùm ad primum cùm dicitur, *stabat*. Repetimus in scripturis stare dici de creatore, & de creatura, sed aliter, & ali-

delæ accensæ designant 12. Apostolos, & tres Marias, Magdalene, Salome, & Alphei, quæ præ cæteris cum Apostolis videbantur fide illustratæ, & firmatæ. Sed in illo triduo omnes extincti sunt lumine fidei Deitatis Christi, solùm in Virgine remansit lumen fidei occultum, quod postea omnibus patefactum est ad omnes suo exemplo illuminandum, & hinc est, quòd non accessit mane Dominica suæ Resurrectionis ad monumentum cum præfatis Marijs, non quia minùs arderet amore ad filium, sed quia expectabat eum resuscitatum se esse visuram ante omnes, & ideo non quærebat viuentem cum mortuis, vt illæ. Quantùm ad secundum *stabat*, à peccato non inclinata, non iacebat, non sedebat non curua erat, sed *stabat*. Iacet quis in peccato per prauam operationem, sedet per mētis consensionem, inclinatur per sensualem delectationem. Omnes nos cecidimus quasi folium, scilicet, à perfectione virtutum, saltem quoad complacentiam sensualem, vbi consistit veniale. Nam vt ait Beatus Augustus. Si omnes sancti, & sanctæ interrogati fuissent, dum hic viuerent, vtrum peccatum haberent? omnes responderent illud Ioan. in Cant. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, veritas in nobis non est*, excepta hac sancta Virgine, de qua, cùm de peccatis agitur, nullam prorsus de ea volo habere mentionem. Non ergo cecidit, nec in veniale, de quo Salom. *Septies in die cadit iustus*, sed semper stabat, ad quod etiam hortabatur Apostolus discipulos, dicens. *State ergo succincti lumbos vestros in veritate*, scilicet, ne delectatio venialis sit in vobis pro posse. Et tamen cùm Beata Virgo fuerit immunis ab omni peccato, voluit Deus ipsam experiri tantam passionem in morte filij quantam nunquam vllus martyrum sustinuit in sua passione, vt dicit Beatus Hieron. Hinc discas non turbari, non mirari, si videas sanctos, & sanctas multa aduersa sustinere in mundo. Sed intellige verbum Salom. in Prouerb. 3. *Quem diligit Deus corripi, & flagellat, omnem filium, quem recipit*, nam vt ait Apostolus ad Rom. 8. *Proprio filio suo non peperit* Deus, ita nec matri eius, cùm tamen nullum haberent peccatum. Et siquis benè consideret, inueniet, quòd qui acceptior fuit Deo, & sanctior, ille magis afflictus est in mundo, non quidem ad purgationem peccatorum, quæ habeat, cùm nullum habuerit Virgo Beata, sed ad maius meritum, & præmium consequendum. *Sta ergo super pedes tuos* dicit Dominus Ezech. 2. id est, super affectus, ne cadas. Quantùm ad tertium stabat Beata MARIA firma voluntati Dei conformans se. Ad quod hortatur Apostolus fideles ad Phil. 4. dicens. *Sic state in Domino charissimi*, scilicet, conformando vos voluntati Dei. Sciebat Beata Virgo, quòd Dei voluntas erat, filium suum pati. Et propter hoc in mundum venerat, & scripturæ, quæ sibi satis notæ erant, hoc prænuntiabant, quæ falli non poterant. Et cùm in omnibus requiem quæreret, vt de ipsa canitur, quæ non aliter verè quęritur, & possidetur, nisi conformando se diuinæ voluntati secundùm rationem, ideo *stabat* non murmurabat, quòd filius innocentissimus pateretur, non blasphemabat Iudæos, quòd ab eis, quibus tot fecerat beneficia, tam crudeliter tractaretur. Non vindictam à Deo petebat, quòd illi à terra viui absorberentur, vt merebantur, non capillos, vel vultum scindebat: quia vidua, & sine filio consolatore remanebat, sed *stabat* verecunda, modesta, lachrymis plena, doloribus immersa. Ansel. O Domina, quos fontes lachrymarum dicam erupisse de pudicissimis oculis tuis, cùm attenderes vnicum tuum innocentem coram te flagellari, ligari, mactari, & carnē de carne tua ab impijs crudeliter dissecari? Et tamen ita diuinæ voluntati conformis fuisti, vt salutis humani generis auidissima esses, vt dicere audeam, quòd si nullus fuisset repertus, qui filium crucifigeret, ad hoc, vt sequeretur salus hominum, & adimpleretur voluntas Dei secundùm rationem, si oportuisset, ipsa posuisses in crucem. Neque enim credendum est minoris fuisse perfectionis, & obedientiæ ad Deum, quã Abraham, qui proprium filium obtulit Deo in sacrificium proprijs manibus occidendum, & comburendum. *Stabat* ergo fixa in Dei voluntate.

1. *Ioan.* 1

Prou. 24

Eph. 6.

Prou. 3.

Dom. 8.

Ezec. 2.

Phil. 4.

§. II.

IN secunda parte notatur pœnalitatis eminentia ineffabilis: quia *iuxta crucem*. Vbi aduertēdum: quia aliquis stat in cruce. Stat aliquis iuxta crucem. Aliquis longè à cruce. In cruce fuit solus Christus, id est, in maximo cruciatu totus. Crux enim dicitur à cruciatu, & magnum cruciatum sustinet, qui vim sustinet 3. quæst. 1. nulli dubium. Dicit autem Psal. 37. in persona Christi. *Vim faciebant, qui quærebant animam meam*, id est, vitam tollere, in omnibus enim illis locis in quibus æstimatum est vitam hominis consistere, fecerunt maximam vim. Nam cùm aliqui dicant vitam reperiri in capite, alij in corde, vel epate, alij in sanguine, in omnibus illis locis fecerunt maximam vim. In capite per coronam spineam, in corde per apertionem lateris, in epate, vel sanguine per flagella, in dorso, per clauos in manibus, & in pedibus, vnde totus sanguis exiret. In cruce ergo totus in vi cruciatus, & solus, vnde ipse ait Isai. 53. *Torcular*, scilicet, *crucis, calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum*. Et Psalm.

Psal. 37.

Isai. 53.

Psal. 104. Psalm. 104. *Singulariter sum ego donec transeam*, scilicet, ex hoc mundo ad patrem: quia ipse solus non erat subditus morti ex debito, tamen ipse solus peccata nostra super lignum crucis in corpore suo, id est, pœnam peccatorum portauit. Ipse solus fuit in passione sine consolatione, cùm alij, qui passi sunt, habuerunt aliquod refrigerium, vt dicetur, vnde quando in horto orauit pro calice passionis transferendo *auulsus est à discipulis quantùm iactus est lapidis*, vt dicitur Lucæ 22. ad innuendum, quòd tanta distantia est inter cruciatum Christi in passione, & cruciatum aliorum sanctorum quantùm distat purus homo à Christo. *Petra enim*, seu lapis (ait Apostolus) *est Christus*, qui quasi in infinitum distat in perfectione ab alijs. Remoti a cruce sunt omnes illi, qui nolunt sustinere aduersa in mundo, sed murmurant contra Deum. Nec compatiuntur Christo, & si sustineat, inuiti hoc agunt, isti etsi iuxta crucem esse videantur in quantùm patiuntur, corpore quidem sunt iuxta, sed non mente. Et similes sunt latroni a sinistris Christi, qui crucifixus cum Christo blasphemabat eum cum alijs, eò quòd non liberaret eum à pœna, quam inuitus sustinebat, vnde & reprobatus. Similes Simoni Cyreneo, qui angariatus fuit portare crucem post Christum. *Iuxta crucem* verò stant omnes electi, qui vt membra Christi *carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs*, vt ait Apostolus. Qui non solùm patienter aduersa ferunt, sed gaudent, quoniam digni habiti sunt pro nomine IESV contumelias pati. Qui compatiuntur doloribus, & afflictionibus eius, quas pro eis est passus, imitantur hi latronem, qui iuxta crucem fuit à dextris arguentem socium eò, quòd non patienter ferebat crucem, & se dignum proclamantem tantis pœnis. *Et nos quidem iustè, nam digna factis recipimus*, excusantem Christum, & compatientem tantæ innocentiæ. *Hic verò nil mali egit* rogantem illum, vt Deum pro salute animæ. *Memento mei Domine dum veneris in Regnum tuum*. Lucæ 23. hoc igitur sentientes, quod in Christo IESV fuit, cùm non deceat sub capite spinoso membrum fieri delicatum, dicunt cum affectu, & effectu illud Psalm. 115. *Calicem salutaris accipiam*, & voluntariè bibendo, *& nomen Domini inuocabo*, vt me adiuuet ad sumendum, & non horrendum, vt sim iuxta crucem, & inde à dextris eius collocatus. Nullus fuit cum Christo in cruce sustinendo, scilicet, tantam pœnam quantam ipse, sed nec Paulus; quamuis enim dicat crucifixus sum, non dicit, quòd sit affixus cruci Christi, sed suæ, quis enim ferre posset crucem Christi? certè nullus. Omnes igitur sancti

Lucæ 22. Galat. 5. Lucæ 23. Psal. 115

A iuxta crucem stant, propinquiùs tamen alter altero. Nullus autem propinquior ad eam matre eius, & meritò, cùm esset illud corpus de eius substantia licet alia persona ab ea, permaximè igitur stabat iuxta crucem mater eius propinquissima in doloribus, vt dicere posset illud Thren. 1. *O vos omnes, qui transitis per viam*, scilicet, vitæ præsentis, vnde dicimur viatores, *attendite, & videte si est dolor sicut dolor meus*. Tunc impleta est in ea propheria Simeonis dicentis. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*. Lucæ 2. Animam siquidem intellectiuam pertransiuit gladius verbi Dei penetrabilior omni gladio ancipiti, tunc ruminando, B & intelligendo scripturas, quæ ostendunt immensitatem doloris Christi in passione. Ita videtur exponere Beatus Ambros. Et ex huius meditatione gladius doloris eius pertransiuit animam sensitiuam, nec istud est contra id, quod dictum est supra, scilicet, quòd Beata MARIA erat conformis voluntati Dei, quæ volebat filium suum pati. Nam sicut de Christo eius filio dicemus, quòd secundùm voluntatem rationalem volebat pati, & tamen secundùm partem sensitiuam summè doluit, & acerbissimos passus est dolores: quia vt ait Isai. 53. *Verè dolores nostros ipse portauit*, ita & mater eius, cùm stabat iuxta crucem secundùm rationalem C assentiebat, quòd filius pateretur, & quieta erat, secundùm sensualitatem summè dolebat, vt meritò dicat. *Attendite, & videte si est dolor similis sicut dolor meus*. Nouerat vtique sacras litteras, & Spiritu Sancto reuelante optimè intelligebat. Et ex his, & naturali ratione tripliciter poterant deprehendere immensitatem doloris in filio patiente. Qui erat sibi gladius summæ afflictionis, nec ei similis. Ex passionis causalitate. Ex afflictionis puritate. Ex cruciationis circunstantialitate. Considerando causam passionis filij mei, *videte si est dolor sicut dolor meus*. Considero enim, quòd causa huius passionis est, vt redimatur genus humanum, & satisfiat Deo pro peccatis humani D generis totius, & pro peccatis dico, non solùm originalibus, sed etiam actualibus, mortalibus, & venialibus totius humani generis, non solùm pro electis, sed & pro reprobis, dicit enim Isai. 53. cap. *Omnes quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit*, scilicet, per diuersa peccata commissa, *& Dominus posuit eo in iniquitate omnium nostrum*, id est, pœnam peccatorum omnium nostrorum. Et ipse Dominus IESVS dixerat. *Venit filius hominis saluare quod perierat*. Lucæ 19. Sed totum perierat, totum ergo saluauit, quantùm in eo fuit, scilicet, sustinendo pœnam pro peccatis omnium. Deus autem sicut omnium

Thren. 1. Lucæ 2. Isai. 53. Isai. 53. Lucæ 19.

rerum, ita & culparum, & pœnarum eis debitarum habet notitiam, & nil impunitum sua iustitia dimittit. Cùm ergo pro quolibet mortali debeatur pœna infinita, id est, infernalis, nec homo, cùm sit virtutis finitæ, possit per se satisfacere debito infinito, vt Deo satisfieret de tantis offensis, oportet, quòd Christus filius meus, qui infinitus est, sua diuinitate in humanitate assumpta patiendo sic satisfaceret pro omnibus per passionem meriti infiniti. Vnde pœnam sustinebit pro omnibus peccatis nostris, & sic pœna eius erit, quasi infernalis. Et propterea Psalm. 87. dicit in eius persona, *repleta est malis anima mea*, scilicet, sensitiua, malis, scilicet, pœnarum, *& vita mea in inferno appropinquauit*, propter similes pœnas, & hoc pro peccatis hominum: *quia quæ non rapui* (ait idem Psalm.) *tunc*, scilicet, in passione *exoluebam*. Fecerunt primi parentes, & alij succedentes furtum, se subtrahendo, & suum obsequium Deo, & ego hanc rapinam exolui, me ipsum exinaniui, vermis exinanitus, & non homo vsque ad mortem crucis totum me exhibendo. Cùm ergo filius meus sustineat tales cruciatus, ego, quæ sum mater, & pater eius, quia non alium patrem habet in terris optimus, amantissimus, *videte si est dolor, sicut dolor meus*, vt & ego dicere valeam, *dolores inferni circumdederunt me gemitus mortis, & dolores inferni circumdederunt me*. Et quod adanget dolorem meum, est: quia cùm filius meus sustineat tot immensos dolores, & tantam pœnam, quæ sufficiat pro omnibus satisfacere, & omnium debita soluere, tamen plurimi propter suam cæcitatem, & ingratitudinem se priuabunt tanto fructu. Secundò, ostenditur magnitudo doloris in Virgine ex puritate afflictionis in filij sui passione, puritatem autem dico: quia non habuit mixturam consolationis, sicut vinum dicitur purum, quod non habet mixturam alterius liquoris. Dolor fundatur in amore, tantò enim quis dolet de amissione, vel læsione alicuius rei, quantò ipsam diligit. Et quia summè diligebat Mater Virgo filium dilectione, & naturali, & gratuita, & quia filius, & quia optimus, vt dici posset vtriusque vna anima, vnum cor. Ideo benè dictum fuit à Simeone. *Tuam ipsius animam*, id est, animam tuam, quæ est quasi anima eius propter summam adinuicem dilectionem, *pertransibit gladius* afflictionis, pertransibit, id est, per totum transibit absque refrigerij admixtione. Siquidem quantò quis est delicatior, & complexionem habet corporis meliùs dispositam, tantò magis affligitur, & dolorem sentit ex aliqua læsione corporis ipsius. Et hinc est, quòd de eadem persecutione, & omnino simili infirmitate magis grauatur, & dolet delicatus, quàm rusticus, quantò etiam pars corporis, quæ patitur læsionem est, magis sensibilis, tantò læsio magis affligit. Vnde videmus per experientiam, quòd frigus, vel alia læsio magis affligit in manibus, vel pedibus, quàm in reliquis partibus corporis, ex eo quia est pars magis sensibilis propter concurrentiam plurium ossium, neruorum, & venarum. Cùm autem præcipuè passio Christi fuerit in manibus, & pedibus facta propter confixuram eorum cum clauis in cruce, & suspensionem totius corporis in illis. Ideo quando Virgo mater vidit impleri illud Psalm. 21. in persona filij dictum *Foderunt manus meas, & pedes meos, & dinumerauerunt omnia ossa mea*, id est, ita violenter extenderunt in cruce, vt possent sigillatim omnia ossa mea dinumerari, maximè doluit filius per passionem ipsa per compassionem. In tanta passione nullam habuit ab alio consolationem, vnde dicebat per Prophetam, *qui me consolaretur, non inueni*. Non eum consolabantur, sicut fieri solet morti adiudicatis à ducentibus eos. Non Iudæi, sed illudebant ei cum Principibus Sacerdotum, & blasphemabant. Non Gentiles, sed coronam spineam imponentes capiti percutiebant eum. Non discipuli, qui fugerant secundùm illud. *Longè fecisti notos meos à me*. Non MARIÆ cum Ioanne, qui fidem diuinitatis eius amiserant. Non Pater Æternus consolatus est eum, scilicet, ad liberandum eum de manibus inimicorum, *sed pro nobis tradidit illum*, ait Apostolus, scilicet, voluntati eorum permittendo agere quæcunque crudelia voluerunt. Et quod plus est, & omni admiratione, & compassione dignissimum: quia & ipsa pars intellectiua Christi, quæ fruebatur continuè Deo, non est consolata eum, sed dereliquit illam partem sensitiuam tantis doloribus immersam, & propterea ipse in cruce clamauit *cum lachrymis, & clamore valido*, vt ait Apostolus ad Hebr. 5. *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me*. Matth. 27. *Clamauerunt iusti, & Dominus exaudiuit eos*, ait Psal. 33. Patres veteris, & noui testamenti in tribulationibus suis, & cruciatibus Dominus exaudiuit, etsi non semper liberando ab illis pœnis, tamen semper consolando mentem eorum, vt in virtute persisterent respectu præmij, & diuini beneplaciti. Ego autem *clamabo per diem, & non exaudies*, dicendo, Deus meus, &c. Clamans se derelictum, non ex eo, quòd diuinitas separata esset ab illa humanitate, quia quod semel accepit Dei filius, nunquam dimisit, ait Damasc. sed se derelictum dicebat: quia pars eius intellectiua eius gaudij, & consolationis quo fruebatur in verbo, nil influebat, aut com-

Psal. 87.

Psal. 21.

Psal. 68.

Psal. 87.

Roman. 8

Hebr. 5.
Matt. 27
Psal. 33.

Psal. 21.

mu-

municabit sensitiuę ad consolationem, & in hoc non exaudiebatur, quod in nullo sanctorum accidit. Et ideo dictum est, quòd hæc afflictio, vel passio fuit pura, scilicet, sine admixtione consolationis. Hæc autem verba audiens mater, gladius pertransiuit animam eius, intelligens eum non derelictum per separationem Deitatis, sed per subtractionem omnis refrigerij, & suauitatis. *Attendite ergo, & videte si est dolor sicut dolor meus.* Nam etsi præsens fui, & iuxta crucem steti, & hoc totum ad augmentum doloris. Quæ enim mater, quæ habens filium præsentem etiam in tormentis, non valeat, vel in aliquo consolari, ipsum amplexari, osculari, potum porrigere sitienti? Ecce filius meus dilectus ad mortem sitit, hoc exprimens, vt refocilletur, nec stillam aquæ possum præbere, sed si offertur in mei præsentia acetum, & fel, vulnera video, nec possum alligare, sanguinem effluere, nec possum ipsum extergere, caput ex grauamine inclinatum, nec valeo illum brachijs sustentare à me remotum, vnde nec amplexari. Et si audio verbum ex ore eius. *Ecce filius tuus*, scilicet, Ioannes, & hoc vtique verbum Dei gladius acutus, quod pertransiuit animam meam. Reuera inquit Beatus Bernard. hoc verbum, ecce filius tuus plusquàm gladius fuit, quod pertransiuit animam eius vsque ad diuisionem animæ, & spiritus. O quam commutationem! Ioannes pro IESV traditur, seruus pro Domino, discipulus pro Magistro, filius Zebedei pro filio Dei, purus homo pro vero Deo, quomodo tuam affectuosissimam animam non pertransiuit gladius hoc audito, quando, & nostra licèt saxea, licèt ferrea pectora scindat sola huius recordatio? Anselm. O Domina mea, quibus singultibus æstimabo purissimum pectus tuum vexatum, cùm audires, *mulier ecce filius tuus?* vnde congruè dicere poterat illud Ierem. 15. *Amaritudine replesti me, &c.* Quantùm ad certum, scilicet, de circunstantijs ipsius passionis, potest perpendi immensitas doloris Virginis matris, quæ stabat iuxta crucem. Notandum, quòd septem sunt circunstantiæ circa ipsam passionem Christi. Ex patientis dignitate. Ex inferentis peruersitate. Ex temporis solemnitate. Ex loci vilitate. Ex afflictionis vniuersitate. Ex consustinentis societate. Ex fructus paucitate. Quantùm ad primum manifestum est, quòd quantò dignior est persona, quæ offenditur, tantò maior est offensa, & per consequens sustinens sustinenti, & omni attinenti ei, & si diligit eum, occasio est maioris doloris. Dominus IESVS Deus erat, & homo, vnde dignior persona esse non

Ioann. 19

Ierem. 15

potuerat, & quamuis diuinitas sua pati non posset, nec aliquis attingeret ad eam offendendam, tamen quia humanitas illa erat organum quoddam, & vestimentum quasi diuinitatis. Vnde Apostolus ait. *Habitu inuentus est, vt homo*, ad Philip. 2. Ideo omnis iniuria facta illi humanitati, & corpori potest dici facta Deo, sicut qui frangeret, vel spueret in vestem qua indutus est Imperator, non diceretur facere iniuriam vesti, sed Imperatori, quia ea indutus est. In quantùm etiam, homo erat de progenie Regali, & Sacerdotali genitus, Rex & Sacerdos summus, innocentissimus, sapientissimus, ex miraculis, sanctitate, & doctrina famosissimus. Cùm igitur ei fuerint illatæ tot contumeliæ, irrisiones, maledictiones, infamationes, & afflictiones corporis inde sibi magnus exurgebat dolor, & matri eius, quę stabat *iuxta crucem* omnia illa audiens, & videns, dicere poterat illud Iob 30. *Os meum perforatur doloribus*, ossa sunt potentiæ animæ, quibus consistit robur eius. Os autem dicit in singulari: quia potentia sensitiua. Nam vt ait Beatus Bernard. Captiuorum libertas capitur, gloria Angelorum illuditur, Deus omnium flagellatur, candor lucis æternæ, & speculum sine macula conspuitur. Et cùm vita omnium occidatur quid restat nobis miseris agendum nisi, vt eamus & nos, & moriamur cum eo per compassionem eius, & ad matrem eius? Dolebat siquidem de iniurijs tanti filij tam sancti, tam innocentis, sed non minùs de offensa Dei. Et ideo *attendite, & videte si est dolor sicut dolor meus.* Sed dicere posset, quod ait Beatus Bernard. in persona Christi patientis. Cùm sit tantus dolor, quem patior, tantò plus crucior, cùm te ingratum experior, scilicet, de tantò beneficio. Ostenditur secundò magnitudo doloris in Virgine ex circunstantia inferentis istam passionem filio. Quantò enim plures concurrunt, & diuersorum statuum, & magistratuum, & amici, & valde beneficiati ad inferendum iniuriam, & mortem valde ignominiosam alicui, tantò maior dolor, & afflictio sequitur in passo, & in quolibet attinente, & amico eius. Sed ad inferendam passionem tam amaram, & opprobriosam Christo concurrunt de omni genere, & statu, ac etiam, qui priùs erant discipuli, ac etiam summè beneficiati. Et ideo Virgo mater eius dilectissima summè doluit, stans iuxta crucē. *Astiterūt Reges terræ*, ait Ps. 2. *& Principes cōuenerūt in vnū aduersùs Dominū, & aduersùs Christum eius*, scilicet, ad mortem ei inferendā. Reges quidem astiterunt, scilicet, Herodes Rex Galileæ, qui spreuit illū cū exercitu suo indutū veste alba, &

Philip. 2.

Iob 30.

Psal. 2.

vt fatuũ remisit illũ ad Pilatum, vt iudicaret eũ. Rex Romanorũ Monarcha, scilicet, Tyberius Imperator, etsi non in persona, tamen per locum̃ suum tenentem Pilatum, scilicet, Præsidem Iudeæ, qui dedit sententiam mortis contra eum ad tumultum populi clamantis, scilicet, crucifige, crucifige eum, Principes quoque Sacerdotum omnes isti astiterunt, id est, ante alios omnes, & Gentiles, & populos Iudæorum, vt principaliores. Nam Principes Sacerdotum *colligentes concilium* propter hoc, & principales eorum summo Sacerdoti Cayphe consulente, & decernente. *quia expedit vobis, vt vnus moriatur pro populo*, exinde quæsierunt opportunitatem capiendi eum. Quem cùm cepissent nocte, proditionem faciente Iuda discipulo suo, iterum summo mane conuenerunt ad inquirendum falsum testimonium contra eum, & cùm non inuenire possent testimonia conuenientia, multa falsa dicentibus ad interrogationem, & adiurationem Cayphæ summi Sacerdotis, cùm diceret se esse Christum Filium Dei benedicti, ad expressionem tantæ veritatis, & tantis miraculis suis approbatæ doctrinæ iudicauerunt eum reum mortis, & post sputa, alapas, & contumelias, vt malefactorem Pilato præsentarunt occidendum, & cùm in ipsa passione sexus fœmineus deesset, & vilissima ancilla ostiaria, quæ eũ non potuit adire IESVM propter multitudinem aliorum eum irridentium, & affligentium ostendit discipulum, quærens, vt caperetur tanquam discipulus Christi. Sed quia hoc inconsultè negauit, euasit capturam. Milites autem Pilati, qui Gentiles erant, post sententiam latam à Pilato, postquam illuserunt satis, indutum veste coccinea ad crucis patibulum deduxerunt. Et sic omnes conuenerunt in vnum aduersùs Christum. Quantùm autem fuerunt beneficiati ab eo, non posset etiam prolixo tempore explicari; aliquid tamen, vel breuiter perstringam, vtens verbis Prophetæ. Mich. 6. in persona Christi ad populum illum sceleratum, & ingratissimum. *Populo meus quid feci tibi, & in quo? &c.* Hoc boni tibi feci. Patres tuos Iacob cum filijs in Ægypto per Ioseph enutrui famis tempore, ne perires. Et post tempora multiplicatos supra numerum de dura seruitute Ægyptiorum te eduxi. A flagellis, quibus Ægyptum totam percussi, te liberum feci. Mare rubrum tibi aperui, vt per illud sicco vestigio transires. Pharaonem autem cum exercitibus suis ibi submersi. Manna de cœlo præstito per 40. annos te paui. Aquam tibi de petra fluxi, insurgentes contra te hostes prostraui. Seon Regem Amorrem, & Og Gygantem Regem Basan. Terram fluentem mel, & lac patribus tuis à me promissam exterminatis 30. inde Regibus, & plurimis nationibus, tibi largitus sum. Et prius in monte Sina legem seruandam tibi tradidi. A captiuitate diutina, scilicet, per 70. annos propter scelera tua in Babylonia portata te liberans ad propria sub Esdra, Nee mia, & Zorobabel reduxi. De graui oppressione Antiochi Regis per Iudam Machabæum cum fratribus te excussi. Ecce quid feci tibi. Responde ergo mihi, si tanta beneficia à me tibi collata hanc talem retributionem meruerint, vt me crucifigeres? In quo molestus fui? Responde mihi. Ego ex genere tuo carnem sumens Regale solium cœli dimisi, vt tibi frater essem. Ego per ciuitates tuas, castra, & vicos discurri in tui vtilitatem laborans. Ego semper in templo docui, quæ te saluum facere possent. Ego cæcos tuos illuminaui, lęprosos mundaui, claudos erexi, obsessos à Dæmonibus liberaui, surdis auditum restitui, mutis loquelam, infirmis varijs sanitatem, mortuis vitam. Nunquid in istis molestus fui? Præcepta declaraui, errores confutaui, vitia reprehendi, consilia perfectionis adieci. Sed quia veritas odium parit apud insipientes, quæ gignere debet dilectionem, ideo in his tibi molestus fui, nolenti veritatem audire. Quid vltra tibi facere potui, & non feci? Heccine reddis Domino populeste stulte, & insipiens? Considerans Virgo Mater beneficia facta à filio suo populo illi, & nunc ab eo tanta peruersitate, tanta crudelitate cruci affigi, valde dolebat, vt dicere posset illud Psalm. 30. *Defecit in dolore vita mea. Attendite ergo, & videte, si est dolor sicut dolor meus.* Ex temporis solemnitate etiam ampliatus est dolor in Virgine Matre. Erat enim solemnitas Phase, seu azymorum, quæ erat præcipua super omnes alias, in qua tenebantur ex lege omnes Iudæi venire de quibuscumque ciuitatibus, & locis ad templum in Ierosolymis situm, vel constructum ad sacrificium offerendum, nisi legitimum haberent impedimentum. Et quia per varias captiuitates eorum erant satis dispersi per orbem, & in Italia, & Asia, & Aphrica, vt patet. Actor. 2. *de omni pene natione* conuenerant Hierusalem ad illud festum. Quantò autem quis condemnatur ad mortem propter maleficium concurrente maiori cursu populi, tantò maior ei insurgit pœna confusionis, & erubescentiæ. Considerat enim, quòd quilibet videns narrat alijs, & si peregrinus est, reuersus in patriam suam, refert, & diuulgat ciuitati suæ de illo malefactore, & ignominiosa punitione, & sic vbique infamis abominatur. De graui autem crimine

Ioan. 12

Mich. 6.

Psal. 30.

Actor. 2.

mine calumniosè accusarunt, de blasphemia Dei grauissima apud Iudæos: quia Dei filium se dixerat. De crimine læsæ maiestatis maxima apud leges Gentilium. Vnde in titulo super crucem scribi fecit ipse Pilatus. *IESVS Nazarenus Rex Iudæorum*, quasi dicat. Hæc est causa passionis huius: quia vsurpauit sibi Regnum Iudæorum, faciendo se Regem, & prohibendo tributa dari Cæsari, & per hoc quasi rebellare faciens populum Tyberio Imperatori. Et vt omnes possent legere, ex quo de omni gente ibi erant, scilicet, Iudæorum, Græcorum, & Latinorum, scribi fecit litteris Græcis, Hebraicis, & Latinis. Considerans igitur Virgo Mater, quæ stabat iuxta crucem tantam B confusionem tam publicandam per orbem, & filij sui diffamationē, non poterat nonvalde dolere. Sed & de offensa Dei in tantæ solemnitatis tempore, in quo magis debebant Deum venerari pro beneficijs collatis illi populo. Erat enim festum illud institutum in recognitionem liberationis illius populi de seruitute Ægypti per sanguinem agni. Vbi ergo debebant Sacerdotes templum Dei ornare, vasa Dei mundare, sacrificia præparare, omnibus dimissis ad hoc totum studium ponunt, vt agnus immaculatus, qui tollit peccata mundi, occidatur, non vt sanguine eius fuso mundus redimatur, sed ne terrena amittamus, *ne veniant Romani*, C *& tollant locum nostrum, & gentem*, ne correctorem vitiorum nostrorum habeamus, ne eum magis honoratum quā nos à populo videamus. Quòd autem dicunt. *Non in die festo* hoc agamus, non ob reuerentiam festi conueniunt hoc facere, ne Deus offendatur, sed ne tumultus populi congregati fieret, & de manibus eorum auferatur. Et ideo dicere poterat Virgo Mater illud Thren.

Thren. 1. 1. *Posuit me Dominus desolatam tota die mœrore confectam*, & infra. *Audite obsecro vniuersi populi, & videte dolorem meum, scilicet, si est similis.* Quartò ostenditur ex loci vilitate augmentatio doloris eius: quia in loco vilissimo crucifixus est. Nam D vt narrant Euangelistæ, duxerunt eum in Golgotha, quod est Caluariæ locus, & ibi eum crucifixerunt. Qui locus ideo dicebatur Caluariæ: quia ibi erant ossa mortuorum, & Caluariæ, & alia cadauera, & ibi occidebantur vilissimi homines, & magni malefactores. Ibi *stabat iuxta crucem Mater eius*, & videns locum tam vilem, ac filium eius Regem Regum, & Dominum dominantium factum opprobrium hominum,

Thren. 1. & obiectionem plebis, dicere poterat illud Thren. 1. *Ideirco ego plorans, & oculus meus deducens lachrymas: quia longè factus est a me consolator.* Sed iste locus fuit vltimus terminus passionis. Considerem⁹, & alia loca in quibus passus est, & quàm vilia. Et primus quidem fuit in horto, vel prope hortum, in quo fecit orationem, ne biberet calicem passionis secundùm instinctum sensualitatis, non secundùm determinationem rationis. In horto deliciarum, scilicet, Paradisi fuit furtum perpetratum à primo Adam de fructu arboris interdictæ, & prope hortum fuit principium, & finis passionis, qua à secundo Adam Christo solutum est furtum in arbore crucis. Vnde in Cant. dicitur. *Sub arbore mala suscitaui te mortuam in peccatis. Ibi corrupta est genitrix tua* Eua, scilicet, per fructum decepta. Ad illum locum accedens prope hortum multitudo magna cum fustibus, & gladijs, & lanternis, vt ad latronem magnum capiendum duce eorum Iuda proditore, cùm appropinquasset ei, ostendit Dominus IESVS, & potentiam suam, & beneuolentiam. Potentiam quidem: quia eo dicente. Ego sum quem quæritis, subitò omnes ceciderunt in terram retrorsum, amissis corporis viribus, vt pateret omnibus: quia non coactus patiebatur. Beneuolentiam, quia etsi tanta crudelitate ad capiendum venerant, abscissam auriculam Malcho à Petro, quia primus iniecerat manum in magistrum, ei restituit. Eo autem capto ex discipulis eius fugientibus vnus fortè Ioannes, vt piè credi potest, etsi Euangelium non ponat, venit in Bethaniam, vbi Mater IESV erat cum alijs Marijs, nuncians cum lachrymis capturam filij. Quo audito, pertransiuit doloris gladius animam eius, noctem ducens insomnem, & lachrymis plenam. Et quid orare aptius poterat, quam illud. *Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Iacob. Mittat tibi auxilium de sancto, &c.* Ligatus autem IESVS, vt à vinculis peccatorum solueremur; de loco illo ductus fuit ad Annam primum socerum Cayphæ, vbi à ministro eius crudeliter exalapatus est. Indeque ad atrium Cayphæ Principis Sacerdotum ductus est, & tota nocte afflictus, secundùm illud Psalm. 52. *Castigatio mea in matutinis.* Mane autem facto matre eius ciuitatem intrante, plurimis deuotis mulieribus associata, lachrymis plena omnes inclinabat ad fletum mulieres occurrentes. Videnſque filium iam afflictum sputis, manibus ligatum duci ad Pilatum, gladius pertransiuit animam eius. Ipsumque sequens, nec loqui valens, impedita à militibus peruenit ad plateam domus Pilati, vbi iudicium de eo exercebatur, flagellari filiū plurimis, & durissimis ictibus audiens, nec flagellis satiatos adhùc clamare. Crucifige crucifige eum, & non hunc, sed Barrabam nobis dimitte. O quot de pudicissimis oculis suis lachrymarum fontes exibant! cer

Cant. 8.

Psal. 19.

Psal. 52.

tè gladius pertransibat animam eius. Demum sententia iniquissimè data, cùm duceretur ad locum Caluariæ, sequebatur eum multitudo mulierum plângentium, & lamentantium de morte eius, quarum ipsa prima erat. Videnique filium cum corona spinea, quam capiti infixerant milites Pilati, faciemquè illam speciosam præ filijs hominum sanguine de puncturis spinarum fluente cruentatam, sputis deturpatam, crucem sibi impositam in humeris præ lassitudine ferre non valentem, dicere poterat, quis det mihi pro te mori fili? O fili mi lumen non solum oculorum meorum, sed gloria omnium populorum. Ad eos autem, qui eum
Lucæ 23. sequebantur, & illas conuersus, recompensans affectum, & consolatus est, dicens. *Filiæ Hierusalem nolite flere super me* prænuntians eis futurum excidium, vt sibi prouideant, subdens. *Sed super vos ipsas flete, & super filios vestros, &c.* Demum in illo vilissimo loco Caluariæ crucifixerunt eum. Vnde stans ibi iuxta crucem dicere poterat. *Attendite, & videte si est dolor* simililes *sicut dolor meus.* Quintò ex afflictionis generalitate ostenditur magnitudo afflictionis in Christo patiente, & matre compatiente. Ad
Isai. 1. litteram verificatum est in eo illud Isai. 1. *A planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas.* Et à vertice inchoando caput illud sanctissimum gazophylacium sapientiæ Dei puncturis acutissimis coronæ spineæ penetrantibus vsque ad os perforatum fuit. *Egredimini filiæ Sion* animæ fideles ab alijs mundi cogitationibus, *& videte* meditando
Cant. 3. *Regem Salomonem* sapientissimum, qui dedit sapientiam Salomoni in *diademate* spineo, *in quo coronauit eum mater sua* Synagoga Iudæorum, ex qua secundum carnem natus est. Oculi piissimi, à quibus intuitus Petrus cognoscens peccatũ suum, fleuit amarè, in derisum velati sunt, facies eius plena gratiarum, deturpata est sputis, & san-
Isai. 53. guine, vt leprosus videretur. Isai. 53. *Nos vidimus eum quasi leprosum vnde nec reputauimus eum.* Genæ eius candidæ, & rubicundæ alapis percussæ sunt. *Ecce dedi corpus*
Isai. 50. *meum percutientibus*, ait ipse per Isai. 50. cap. *& genas meas vellentibus.* Aures illæ quæ melos audiunt Angelorum, repletæ sunt blasphemijs, detractionibus, contumelijs, irrisionibus populorum. Propheta inquit in eius persona. Factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die. Et iterum omnes maledicunt mihi. Nares beatissimæ eius, ad cuius odorem reuiuiscunt mortui, vt balsamum aromatizans fatigantur fœtoribus cadauerum Caluariæ loci. Capilli eius capitis, & barbæ delicatissimi violentia tracti, aut euulsi sunt. Os eius, quod tam sanam, tam sapientissimam,

A tam vtilissimam, & veridicissimam doctrinam protulerat, percussum est, & tanquam ouis ad occisionem ductus non aperuit os suum ad excusandum, sed benedicendum, & orandum pro inimicis. Collum eius suauissimum colaphis attritum est. Manus eius potentissimæ, ex quarum contactu infirmi plurimi sanati sunt, & leprosi mundati, clauis durissimis cruci affixæ sunt. Pedes eius quorum terra scabellum est, quique discurrentes per ciuitates, villas, & castra, tantùm laborauerunt pro hominum salute, in cruce extensi sunt, secundùm illud Psalm. 21. *Foderunt manus meas, & pedes, &c.* *Psal.* 21.
Totum corpus illud dulcissimum, quod in
B cibum illum salutiferum nobis reliquit, flagellis multis, & diris cæsum, dilaceratum, & sanguine cruentatum, secundùm illud Psalm. 72. *Fui flagellatus tota die.* Ossa illa *Psal.* 72.
confracta sunt, remanserat sola lingua, & cor integra. Sed ne, & illa sine vlla læsione manerent, Lingua eius aceto, & felle in siti mortis amaricata est, vt impleretur illud. *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.* Psalm. 68. Demum eo mortuo, non satiatis de cruciatibus viuentis, & morte eius spiritu tradito, latus eius lancea apertum est, vnde exierunt sanguis, & aqua medicinæ nostrarum animarum. Sed & in rebus sibi adhærentibus, sci-
C licet, vestibus iniuriati sunt. *Nam diuiserunt sibi vestimenta mea*, ait ipse per Psal. 21. *& super vestem meam* illam, scilicet, in- *Psal.* 21.
consutilem, quam fecerat ei mater sua *miserunt sortem.* Cõuersantes quoque cum eo discipulos eum derelinquere compulerunt, capere cupientes adolescentem, qui eum sequebatur sindone supernudo indutum, nisi fugisset. *Stabat ergo iuxta crucem mater eius*, & hæc videns, & scripta, & prænunciata recolens dicere poterat illud, Thren.
2. *Oculus meus affligit eus est, nec tacuit eò,* *Thren.* 2.
quòd non esset requies, donec aspiceret, & videret Dominus de cœlis, id est, non tacuit à
D fletu eò, quòd non esset requies alicui membro filij mei, donec aspiceret Dominus, scilicet, resuscitando ipsum à mortuis. *Attendite* igitur, *& videte ò vos omnes si est dolor sicut dolor meus.* Sextò, non modica causa doloris sicut fuit in Christo patiente, ita & in matre compatiente, hoc, scilicet, quòd cum latronibus crucifixus est. Sicut enim pati iustum, & innocentem cum alijs sanctis, & probis virtis, & iniustè condemnari ad mortem est aliquid refrigerium, ita è contra condemnari cum sceleratis est augmentum pœnæ, cùm ex hoc videntes iudicent illum scelestum. Vnde & pro speciali iniuria, & crudelitate erga eum prædixit. Isai. 53. *Isai.* 53.
Et cum sceleratis deputatus est, scilicet, ad mortem, quod videns Virgo Mater in filio

impleri, cum in medio latronum Crucifixus est, valde doluit. Hoc etiam Christus horrens, secundùm sensitiuam orabat per Psal. 25. dicens *Ne perdas cum impijs Deus animam meam*, id est, vitam, vnde & subdit quasi declarans se, *neque cum viris sanguinum vitam meam.* Erat siquidem Crux illo tempore supplicium Latronum, licèt nunc propter Christum in ea extensum cum summa veneratione transeat ad frontes Imperatorum, & omnium Christianorum. Erat mors maximæ infamiæ, & acerbissimæ pœnæ. Vnde in lege dictum est. *Maledictus omnis, qui pendet in ligno*, maledictione, scilicet, infamiæ. Quod intelligentes ipsi maligni Iudæi, vt refert quidam sapiès hoc prænunciando, dixerunt non rectè, sed peruersè cogitantes *morte turpissima condenemus eum.* Hoc genus mortis ideo Christus elegit potiùs, quã aliam mortem, vt doceret, & confortaret, quemlibet propter nullum genus mortis, quantumcumque ignominiosum, quantumcumque asperum Deum, seu mandatum eius quodcumque deserendum, vt notat Beatus Thomas post Augustinum in 3. parte, cum & ipse Rex Regum, & Dominus Dominantium mortem sustinuit immaturam, quia in flore iuuentutis, violentam, quia ab alijs, & beneficiatis, acerbissimam, quia Crucis, vilissimam, quia in medio latronum. *Humiliauit*, (inquit Apostolus,) *semetipsum.* Philip. 2. Philip. 2. vsque ad Incarnationem, inquit, Glossa, vsque ad humanæ mortalitatis participationem, vsque ad Diaboli tentationem, vsque ad populi derisionem, vsque ad sputa, vincula, flagella, alapas, & si hoc parum, aliquid de genere mortis addendum est non cuiuscumque, sed Crucis, quæ cęteris ignominiosior est. Et quantò, (ait Beatus Bernardus,) minorem se fecit humilitate tantò se ostendit maiorem bonitate. Et quantò vilior, tantò indecharior, idem super Cantic. cor. O humilem, & sublimem, ò Altissimum, & nouissimum, ò opprobriũ hominum, & gloriã Angelorum! Nemo sublimior, nemo despectior. Esto vilis quantùm vis: nunquam Christo vilior eris. Ipse si quidem Rex Regum, & Dominus Dominantium fuit vilissimo pretio venalis expositus, à vilissimo populo vilissima passus, vilissimo loco crucifixus, Crucis supplicio traditus, inter latrones positus, cum iniquissimis, & vilissimis hominibus deputatus, modo vilissimo tractatus. Etenim tanquam malefactor, bonus Dominus capitur, tamquam furiosus, mansuetus vinculis astringitur, tamquam pestifer, saluator accusatur, tamquam fatuus, Dei sapientia irridetur, tamquam homicida, vita hominum morti damnatur, tamquam leprosus, & immundus mundator criminum extra mœnia ejicitur, tamquam latro crucifigitur, tamquam flagitiosissimus confutandus ab omnibus, & intuendus nudatur, & tamquam vermis vilis, & vilissimus, summus Deus conspuitur, abijcitur, & conculcatur. Hæc ille. Et tamen inter tantas iniurias, & vilificationes pro crucifixoribus deprecatur. Latroni etsi propter scelera crucifixo ad pœnitentiam conuerso non solùm veniam, sed paradisum pollicetur dicens. *Hodie mecum eris in paradiso.* Lucæ 23. Stabat iuxta Crucem Mater IESV hæc meditans, & doloribus quasi defecta, ait ad Crucem, vt piè credi potest. Flectè ramos arbor alta, tensa laxa viscera, & rigor tenescat ille, quem dedit natiuitas, vt superni membra Regis miti tendas stipite. Ad filium autem: Mihi non loqueris, pro Iudęis intercedis, latronem consolaris. Ad quã ille. *Ecce filius tuus*, ex quo ad Patrem per Ioan. 19. mortem vado loco, mei Ioannem dimitto. Sed ista commutatio adauget dolorem, cũ filius hominis mihi detur pro filio Virginis immo & Dei. *Attendite ergo, & videte, &c.* Septimò ostenditur magnitudo doloris sicut in Christo patiente, ita & in matre compatiente, ratione paucitatis fructus, seu vtilitatis ipsius passionis, ex parte miseriæ peruersitatis, & ingratitudinis hominum. Nam cùm copiosa fuerit apud Deum redemptio, adeo quòd pretium sanguinis eius, nedum omnes homines erat sufficiens ad redimendum, sed & mille mundos, si fuissent, & tamen pauci sunt, qui se faciant participes fructus ipsius passionis propter desidiam, & ingratitudinem hominum. Sicut autem ex magno lucro, quod quis vidit se consequi ex suo labore multùm consolatur, ita è contra cum maximo labore, quem quis tolerat videt consequi modicum fructum, vel nullum, multum contristatur, & dolet. Clamabat IESVS in Cruce. *Sitio.* Et licèt ad literam propter intensum dolorem sitiret corporaliter, maior tamen erat sitis spiritualis desiderij saluationis humanæ generationis. Et cùm videret ipse, & mater eius penè nullum fructum tunc sequi, sed potiùs ruinam præparari Iudæorum propter perfidiam suã casum contigisse Apostolorum, & in futurum multos perituros Christianorum, dicere poterat cum dolore illud Mich. 7. *Væ mihi, quia factus sum, sicut qui colligit racemum in autumno* Mich. 7. Nam tunc vindemiata vinea, non reperitur, nisi aliquis racemus. Ita & in tempore passionis totam pene vineam humani generis vindemianerat diabolus, vt sibi subditam, remansit aliquis paruus racemus, vt latro conuersus. Centurio fidem Christi cõfessus, & aliquis alius, quem Christus collegit. Multùm ergo dolet Christus, & mater eius de tanta ingratitudine. Vnde clamat per Beatum Bernard. At te clamo,

qui

qui pro te morior. Te exhortor, qui in cru- A
ce patior. Vide clauos, quibus confodior. Vide latus, quo aperior, & cùm sit tantus dolor interior, & exterior, plus tamen me cruciat, quòd te ingratum experior, hæc ille. Et per Augustinum. Cùm esses inimicus patri meo, reconciliaui te per me, & cùm longè esses, veni, vt redimerem te, & inter montes, & syluas, cùm errares, quæsiui te, inter lapides, & ligna inueni te, & ne luporum, ferarum quo rabido ore laniareris, collegi te, labo rani, sudaui, caput meum spinis opposui. Latus meum perforari permisi, tot iniurijs lacessitus sum, vt coniungerem te mihi, & tu diuideris à me, tanta, scilicet, est ingratitudo tua, & Oseæ. 6. conquærens Dominus, B
Oseæ.6. ait: *Misericordia vestra, quasi nubes matutina, & quasi ros mane pertransiens.* Misericordia vestra, id est, quam vobis feci in redimendo, quasi nebula matutina, quæ scilicet, citò pertransit, ita illud à memoria vestra, & quasi ros, qui adueniente Sole subitò desiccatur, ita adueniente calore tentationum, & tribulationum subitò perijt à vobis memoria passionis, & gratia per eam recepta. Sed anima deuota dicit illud, Thren. 3.
Thren.3. *Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea ex compassione.*

§. III.

DE tertio principali, cùm dicitur: *Mater IESV*: Mater immaculata, Mater intacta, Mater vnigeniti dicta, Mater Dei, & plasmatoris omnium, eius, qui in cœlis est sine Matre, in terris sine Patre, Mater vnici Filij IESV, & ideo plus amans, & plus dolens. Mater sola genitrix totius IESV, & ideo plus amans, quàm si Patrem habuisset, quia plus sua res, & inde plus dolens. Vnde Ierem. 31. *Fœmina circundabit virum.* So-
Ierem.31 let homo circundare quod suum est propriũ non quod alienũ. In alijs filijs substãtia filij non est tota propria Matris, sed Patris. Et ideo nulla Mater circundat filium, vt Virgo MARIA. Omnis alia figura pluribus lineis formatur. Circularis Virgo figura vna linea clauditur. Sic Beata Virgo MARIA sola D
clausit intra viscera sua Christum. Alij filij duabus lineis figurantur, scilicet, Patre, & Matre. Quod circundatur, ex nulla parte est apertum, sed vndique clausum. Sic Beata Virgo MARIA ante partum, & in partu, & post partum. Sed dolores partus, quos euasit pariendo, sibi reseruati fuerunt in passione filij, vt dicit Ioannes Damascenus. Nec vlla vnquam pariendo experta est tantum dolorem, sicut ipsa iuxta Crucem in compatiendo. Ex ipsa autem maternitate, id est, generatione IESV facti sumus fratres IESV, propter quod non confunditur homines vocare fratres, ait Apostolus ad Hebræos, di-
cens per Psalm. 21. Narrabo nomen tuum fratribus meis. Et ideo sicut debemus compati fratri nostro IESV in tanta eius passione pro nobis, ita & Matri nostræ de morte fratris nostri, & filij sui, vnde vt dicit Beatus Augustinus. Cùm annuatim Christi passio ab Ecclesia recolitur, ita debet nos mouere ad compassionem, sicut nunc videmus impleri. Sic & matri nostræ compati, quæ stabat iuxta Crucem. Ipsum autem vespere depositum sacratissimum corpus per Nicodemum, & Ioseph suscipiens in gremio Mater, quot flumina lachrymarum, quàm amarissimos singultus, quam altas suspiria, quæ verba mœstitiæ plena ex ea processerint, quis possit exprimere, cùm singula membra perquireret, tam dirè cruciata, tam turpiter delusa oscularetur, & lachrymis irrigaret, sociata Maria Magdalena, & alijs Marijs, & deuotis mulieribus? Cùm autem ferofactum esset, deuoti homines piè, & deuotè corpus illud de brachijs accipientes posuerunt in monumento mente consepulta cum eo. Reminiscens ergo beati sanguinis (ait Dominus Latinus, Ordinis Prædicatorum, Cardinalis,) quem profudit amator hominis, perfudit lachrymis. Non est locus ingratitudinis, vbi torrens tantæ dulcedinis attingit animas. IESV bone cur tanta pateris, cũ peccati nihil commiseris flos innocentiæ? C
Ego latro, tu cruce moreris, ego reus, tu pœna plecteris nostræ nequitiæ, ante fecit sic amor ebrium, vt nec crucem putes opprobrium amoris gratia? Sed væ mihi misero si non recognouero, væ mihi misero, si non recompensauero dignis operibus. Regnum quæritis, non intrabitis, sine crucis clani, portum petitis, non venietis sine crucis naui. Sola enim digna fuit ferre secli pretium, atque portum præparare nauta mundo naufragovitę æternæ. Quam ipse concedat, qui est benedictus in secula seculorum, Amen.

De Aduentu Spiritus sancti in Virginem MARIAM cum Apostolis.
Capit. 42.

HI *omnes erant perseuerantes in oratione cum MARIA Matre IESV.* Act. 1. *Actio.1.*
Hæc dicuntur de his, scilicet, Apostolis post ascensionem Christi, cùm congregati in vnum expectabant Spiritum sanctum promissum à Christo, cùm ait Ioann. 16. ibi. *Ioann.16*
Mittam vobis à Patre spiritum veritatis, vnde Beatus Hieronymus in sermone. Ecce IESV ascendente, cum quibus Virgo vacat in schola virtutum, & meditatur in lege mãdatorum Dei, vt & ipsa sit forma disciplinæ Christi, & exemplum perfectionis. Conuersatur cum testibus resurrectionis, & ipsa testis. Conuersatur cum senatoribus cœli infra

Cu-

Curiam paradisi sub Spiritus sancti disciplina, & magisterio totius diuinę maiestatis. Inuenitur prima glorioſa Virgo MARIA inter primas ſummi Regis cohortes, quorum vita non erat iam de terra. *Vinum non habent*: dixit Beata MARIA in nuptijs exiſtens ad filium. Quia nuptiæ iſtæ celebratæ inter Chriſtum, & Eccleſiam erant publicandæ per Apoſtolos, qui ibi erant cum ea. Et vinũ illud perfectiſsimę gratiæ nõdũ aderat in eis, quia nondũ erat Spiritus ſanctus datus in illa copia. Ideo hoc orans, ait, *vinũ nõ habent*. Hoc autem propinato, & hauſto, ita incaluerunt, & feruidè locuti ſunt, vt vino ebrij ab incredulis dicerentur. Planè ebrij, (ait Beatus Bernardus) ſed vino nouo, quod veteres vtres nec mererentur accipere, nec continere valerent. Hoc enim vinum vera illa vitis fuderat de excelſo, vinum lætificans, non ſtatum mentis euertens, vinum germinans virgines, non apoſtatare faciens etiã ſapientes. Nouum vinum, ſed habitantibus ſuper terram. Nam in cœlis quidem olim copioſiſsimè redundabat, non in vitreis, nec in vaſis teſteis, ſed in cella vinaria, in ſpiritualibus apothecis, fluebat per vicos, & plateas omnes ciuitatis illius. Vinum, in quo eſt lætitia cordis, non carnis luxuria. Sic igitur cœlum vino proprio fruebatur, quod terra interim neſciebat, factumque eſt gratiſsimũ commercium inter cœlum & terram, inter Angelos, & Apoſtolos, vt exhiberetur illis caro Chriſti Angelis, iſtis, ſcilicet, Apoſtolis vinum cœli. Eſſetque in terra ſpiritus, caro in cœlis, & deinceps omnia communia in omnibus in æternum, vnde & Chriſtus dixit. *Niſi abiero, Paracletus nõ veniet ad vos* hæc Beatus Bernardus. Quantùm potens ſit iſtud vinum, oſtenſum eſt per figuram in illa quæſtione, quæ propoſita fuit coram Dario Rege per tres cubicularios eius, ſcilicet, quid ſit fortiùs omnibus, è quibus vnus dixit de Rege, ſecundus de vino, tertius perfectiùs de muliere, quartus de veritate. Omnia hæc vtique potentia ſunt. Et ad literam vtique Reges potentes ſunt ad multa facienda, ſed vinum ſpirituale gratiæ, ſcilicet, potentius eſt adeo, quòd ipſos Reges, & Tyrannos deuicerit, qui non valuerunt martyribus illam gratiam per tormenta auferre, immo demum & ipſos deebriauit, & vicit, vinum ipſius gratiæ conuerſos ad fidem. Fortior tamen quodammodo, ſcilicet, Virgo MARIA inquantum, ſcilicet, ipſa procurauit congregatis Apoſtolis, & alijs in quibus, tunc erant nuptiæ Eccleſiæ, vinum ipſius gratiæ, quod intendit, dum ait. Vinum non habent, ſcilicet, in illa plenitudine, & perfectione, quæ neceſſaria erat Eccleſiæ. Fortiſsima omnium veritas Chriſtus, qui potuit mittere, & miſit quod promiſit, vinum ipſum ſpirituale, dicens. *Mittam vobis à patre ſpiritum veritatis.*

Ioann. 2.

Ioan. 16.

Ioann. 15

§. I.

SCiendum autem, ſecundùm Thom. ſuper Ioannem, quòd ante incarnationem Chriſti triplex vinum deficiebat, ſeu vinum gratiæ, quod habet triplicem effectum. Eſt primò mortificatiuum, in quo ſignatur iuſtitia. Eſt ſecundò lætificatiuum, in quo notatur ſapientia. Eſt tertiò inebriatiuum, in quo inſinuatur charitatis benenolentia. Primò vinum eſt mortificatiuum, ſeu pungitiuum. Vnde Samaritanus ad ſanandum, in vulneribus ſauciati immiſit, *vinum & oleum*, vinum vt abſtergeret ſaniem vulnerum, oleum, vt liniret. Sic in pœnitẽtia, & in regendo, oportet in corrigendis exceſsibus immiſcere ſeueritatem punitionis cum lenitate miſericordiæ, vnde Beatus Auguſtinus, ſuper Pſalmus. Duo iſta nomina non fruſtra dicuntur, homo, & peccator. Nam quia peccator eſt, corrige, quia homo eſt, miſerere. Neque enim liberabis hominem, ſi non correxeris peccatorem, &c. 23. quæſt. 4. duo ſunt, & Gregor. in libro morale. Miſcenda eſt lenitas cum ſeueritate, faciendum eſt quoddam ex vtroque temperamentum, vt neque nimia ſeueritate exulcerentur ſubditi, neque nimia lenitate ſoluantur. diſtinct. 45. diſciplina, quod ibi diffusè proſequitur, & ſic in pœnitentia, quæ ad iuſtitiam pertinet, ſi vera eſt, vinum habetur compunctionis, ſecundùm illud. *Potaſti nos vino compunctionis*, & oleum lenitiuum ſpei remiſsionis, Iob 13. *Si occiderit me*, ſcilicet, quo ad peccata, *ſperabo in eum*. Hoc autem vinum deficiebat in veteri lege, in qua iuſtitia imperfecta erat, vnde & Chriſtus dixit: *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus, quàm Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum cœlorum*. Sed in noua lege perfecta iuſtitia *finis legis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti*, ait Apoſtolus, & alio loco. *Iuſtificati gratis gratia ipſius*, ſcilicet, Chriſti ſine iuſtitia enim vera non poteſt homini eſſe ſalus, vnde Matth. 25. *Iuſti in vitam æternam*. Sed ſine gratia, & fide non poteſt eſſe vera iuſtitia. Vnde quia Spiritus ſanctus dabatur Apoſtolis ad perfectam iuſtitiam, ideo apparuit in die Pentecoſtes ſuper Apoſtolos in ſpecie ignis, qui vrit, & purgat ſcoriam metallorum. Quod poſtea per effectum oſtenderunt zelantes pro fide, & corrigentes iniquos, vnde Petrus Ananiam, & Saphyram verbo occidit increpatorio, quia ei mendacium dixerunt, & Simonem Magum propter ſimoniã perditioni adiudicauit. Paulus Corinthium inceſtuoſum excommunicans tradidit Sathanæ, & viſum ad tempus ſubtraxit. Vinũ ergo iuſtitiæ Beata MARIA à filio procu-

Loann. 2.

Lucæ 10.

Pſalm. 59

Iob 13.

Matt. 5.

Rom. 10. *Romã.* 3.

Matt. 25

ra-

Ioann. 2. rat Prælatis dicens. *Vinum non habent.* Pauci enim sunt Prælati, & Rectores seculi, qui puniant scelera, vt iustitia dictat diuersis de causis, siue timore, siue amore. Pauci sunt peccatores, qui habeant vinum veræ compunctionis de malis suis perpetratis. Secundò vinum est lætificatiuum, Psal. 103. *Vinum lætificat cor hominis.* Et secundùm hoc sapientia dicitur vinum, cuius sapientiæ meditatio maximè lætificat cor hominis, secundùm illud Sap. 8. *Non habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus illius sed gaudium.* Hoc sapientię vino vacuus erat mundus. Nam etsi aliquid sapientiæ videbatur esse in libris Philosophorum, & Poetarum, non vera sapientia erat, sed apparens propter eloquentiam, & mundi gloriam, quæ secum trahebat, à quo abstinendum docet Salomon in prouerbijs dicens. *Noli respicere vinum, cùm flauescit in vitro,* id est, sapientiam, cùm apparet ex claritate eloquentiæ pulchra, *nouissimè enim mordebit, vt coluber, & sicut regulus venena diffundet.* Sed vt dicit idem Cant. 1. *Meliora sunt vbera eius,* (scilicet sponsæ quæ verba eius duo sunt testamenta,) *vino.* Omnis ratio supernæ scientiæ, & terrenæ creaturæ in eo est, qui est caput eorum, & auctor, quem qui nouit nihil vltra quærat, quia hic est perfecta Dei virtus & sapientia, quicquid alibi quæritur, hic perfectè inuenitur, &c. Deficiebat etiam ista sapientia ante Christi aduentum, quia occultata erat, & figuralis. *Omnia enim,* (vt ait Apostolus, 1. Corinth. 10.) *in figuram contingebant illis.* Vnde Moyses loquens, & legem illam populo docens, ponebat velamen ante faciē suam, sed Christo passo, velum Templi scissum est, & Spiritu sancto de cœlo misso, illa mysteria Apostolis, & per eos toti Ecclesiæ declarata. Vnde & in linguis igneis missus est. Ignis habet illuminare, & lingua abscondita cordis declarare, & immediatè piscatores illi prius idiotæ loquebantur magnalia Dei. Istud vinum sapientiæ Virgo procurat Prædicatoribus. Et ideo ipsi inuocant eam. Exemplum in Noe, qui primus plantauit vineam, & bibens vinum, inebriatus est. Tertiò vinum inebriat, Cantic. 5. *Bibite amici, & inebriamini.* Ibidem: *Bibi vinum cum lacte meo.* Ebrietas obliuiosum facit, sic vinum charitatis inebrians hominem, obliuionem facit omnium terrenorum, audacem facit, & securum, nil timentem, vt dicitur, 2. Esd. 3. Deficiebat vinum istud plenitudinis charitatis, quia acceperant illi spiritum seruitutis in timore. Conuertit autem aquam timoris Christus in vinum amoris, & benevolentiæ, quando charitas *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis,* ad Romanos 5. Etiam ipsi Christi Discipuli antea timidi erant, vt ad vocē ancillæ Princeps eorum Petrus Christum negaret. Et post Resurrectionem in cœnaculo clausi manerent propter timorem Iudæorum. Sed hausto vino Spiritus sancti ita audaces, securi, intrepidi, & feruentes sunt effecti, vt coram Principibus Sacerdotum, & Regibus mundi feruenter Christi doctrinam eis exosam prædicarent. Nec prohibiti ab eis, nec cæsi poterant reticere, omniumque terrenorum obliti in communi omnes viuebant. Et ideo in linguis igneis missus est, qui ignis habet calefacere, vt legem igneam corda ignea linguis igneis populis prędicarent. Deficiente ergo vino illo spirituali, Beata MARIA congregata cum Apostolis in cœnaculo mente dicit. *Vinum non habent* viri isti nuptiarum. Vnde orans cum illis, inquit. *Emitte spiritum tuum, & creabuntur,* scilicet in esse spirituali perfecto,) *& renouabis faciem terræ.* Psal. 103

Sap. 8. Prou. 23 Cant. 1. 1. Cor. 10 Cant. 5. 2. Esdr. 3. Romã. 5.

A B C D

§. II.

TErtia in magno huius mundi opere cogitare debemus, cùm creatus sit, videlicet, quid, sit quomodo sit, & ad quid sit institutus? Bernar. Et in esse quidem rerum inæstimabilis potentia commendatur, quòd tam multa, tam magna, tam multipliciter, tam magnificè sunt creata. Sanè in modo ipsa sapientia singularis relucet, quòd hæc quidem sursum, hæc verò deorsum, hæc in medio ordinatissimè sunt locata. Si verò, ad quid factus, sit mediteris, occurrit tam vtilis benignitas, tam benigna vtilitas, quæ & ingratissimos quosque multitudine, & magnitudine beneficiorum possit obruere. Potentissimè siquidem ex nihilo omnia, sapientissimè pulchra, benignissimè vtilia creata sunt. Verumtamen & fuisse nouimus ab initio, & adhuc multos esse in filijs hominum, qui in bonis inferioribus sensibilibus mundi huius tota sensualitate depressi totos se dederunt his, quæ facta sunt quodāmodo, vel ad quid facta sunt negligentes, quid istos nisi carnales dicamus? *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, qui caro est,* ait Dominus Genes. 6. Paucissimos esse iam arbitror: legimus tamen nonnullos quandoque fuisse, quibus summum studium fuit, atque vnica solicitudo modum, & ordinem inuestigare factorum, adeo vt plærique non modò vtilitatem rerum perquirere dissimulauerint, sed & ipsas magnanimiter spreuerint cibo paruissimo, vilissimoque contenti. Ipsi siquidem Philosophos sese vocant, sed curiosi à nobis, & vani rectiùs appellantur, vtrisque igitur successerunt viri prudentiores vtrisque, quòd nimirum & quæ facta sunt, & quomodo facta sunt transilientes, intenderunt aciem mentis, vt ad quid facta sunt Genes. 6.

sunt, viderent. Nec latuit eos, quoniam omnia propter semetipsum fecit Deus, omnia propter suos, aliter tamen propter se, aliter propter suos. Omnia fecit propter semetipsum, grauita, videlicet bonitate. Omnia propter electos suos, pro eorum, scilicet vtilitate. Hi sunt spirituales viri hoc mundo vtentes, tamquam non vtantur, in simplicitate cordis quærentes eum. Primi voluntate vel voluptate, secundi vanitate, tertij veritate impleti, hæc Beatus Bernardus. Pro his orat. *Emitte spiritum tuum & creabuntur.* Creantur autem homines in esse spirituali per fidem, spem, & charitatem, propter hoc
Psalm. 50 orat Psalm. 50. dicens: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis*, scilicet per spiritum fidei, in qua est rectitudo iustitiæ, quia iustus ex fide viuit. *Spiritum sanctum ne auferas à me.* sanctum scilicet spei, qui firmat hominem per sapientiam, & gustum supernorum. *Red de mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me*, scilicet charitatis, quæ principalis est virtus, ita exponit Isido. libr. Etymo. Et quia Beata MARIA dicitur: *Mater pulchræ dilectionis, timoris, &*
Eccles. 24 *agnitionis, & sanctæ spei.* Eccles. 24. Et pulchra dilectio spectat ad feruorem charitatis. Timor autem effectus sit fidei secundùm Thom. in summ. Agnitio autem pertineat ad ipsam fidem, & sancta spes. Et ideo meritò intelligens, & dicens: *vinum non habent.* Et propter ea. *Emitte spiritum tuum, & creabuntur.*

De Assumptione Beatæ MARIÆ, & quòd optimum est præomnibus diligere Deum. Cap. 43.

Lucæ 10. *Psal. 72.* *Optimam partem elegit sibi MARIA.* Lucæ 10. Psalm. 72. *Quid mihi est in cœlo, aut à te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Considerant primo homines diuersas partes eligere, ex his, quæ inter eos proponuntur. Dicit enim
Eccles. 15 Sapiens. Eccle. 15. *Deus ab initio constituit hominem, & dimisit eum in manu consilij sui,* id est, libertate, & potestate arbitrij sui. *Posuit ante eum malum, & bonum, vitam, & mortem. Ad quodcumque voluerit, extendat manum suam.* Habet enim quisquam inclinationem ex sensualitate ad malum concupiscentiæ, & ex ratione inclinationem ad bonum virtutum. Mors animæ ex peccato, & vita gratiæ ex bonis operibus posita sunt ante eum, & secundùm quod placet sibi, voluntariè eligit bonam, vel malam partem. Quilibet igitur electus cum Psalmista considerat istas partes mundi, quid debeat eligere, & videns, quòd nil ex creaturis mundi potest animum quietare, sed solus Deus, quia vt ait Beatus Augustinus, in lib. confes. Inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te, ipsum vt optimam patrem elegit. Dicit ergo. *Quid mihi est in cœlo?* scilicet in quo quiescam, appetendo, & habendo. Multa sunt in eo magnifica. Ibi est Sol cum sua claritate lætifica. Ibi est Luna, & stellæ cum sua pulchritudine. Ibi virtutes cœlorum, quæ influunt in ista inferiora mirabilia producentes. In cœlo quoque empyreo est natura Angelica, cum multis sanctis maximarum virtutum nunc, etsi non tempore Dauid. In Angelis magna potentia, magna sapientia, magna innocentia. In Sanctis multæ virtutes, & perfectiones. Sed certè nil horum reperis replere animum meum, quia non sunt etsi bona, non tamen optima, & infinita, quod appetit animus, vt quiescat. Quid volui ò Deus à te dè his, quæ sunt super terram? ibi multa bona, ibi diuitiæ, ibi aurum, & argentum, ibi dulcissimi fructus terræ, frumenti, vini, & olei, pomorum confectionis, & huiusmodi. Ibi palatia, & possessiones magnæ. Ibi animalia varia, aues in aere, pisces in mari & fluminibus. Ibi honores, & potētiæ, seu dominia lata Regum, & Principum, ibi vestium ornatus varius, ibi pulchritudo hominum, sapiētia quoque, eloquentia, cum scientijs & artibus multis. Quæ omnia vtique bona, quia à Deo facta sunt. Sed quia omnia ista finita sunt, nec animum meum, qui infinitus est, potentia implere, aut quietare possunt, quia nō sunt optimum. Ideo *defecit caro mea* pars sensitiua quoad appetitum eorum, quæ sunt super terram, & nil horum volui pro fine vltimo. *Et cor meum*, id est, mens mea pars intellectiua, seu volitiua ab affectu finali eorum, quæ sunt in cœlo, *Quia satiabor, cùm apparuerit gloria tua, &c. Et Deus cordis mei*, qui scilicet est auctor, & possessor cordis mei, est pars, quam ex omnibus eligo, Deus dico, qui est in æternum, vel sic, non solùm nunc, sed eligam in æternum, id est, semper hanc partem, quia optima est. Hanc semper elegit Beata MARIA super omnes alios, & ideo congruè dicitur. *Optimam partem elegit sibi MARIA.* Sed mirum potest videri aliquibus, quomodo in præcipua ista solemnitate Virginis non legatur Euangelium aliquod pertinens ad Virginem MARIAM, sed ad Martham, & Mariam Magdalenam? Ad quod tamen respondetur, quòd quantùm ad sensum literalem, verum est, quòd non pertinet ad Beatam Virginē MARIAM, sed quantùm ad sensum spiritualem & allegoricum congruentissimè pertinet totum ad Beatam Virginem plus, quā alteri. Notandum igitur, quòd triplex est vita spiritualis. Vita actiua, gratia informata. Vita contemplatiua, Deo associata. Vita fruitiua,

tiua in gloria firmata. Vitam naturalem dimitto, quæ est communis bonis, & malis, & benè, & malè vti potest. Vitam voluptuosam non nomino, quia bestialis est, & non humana, id est, secundùm rationem. Sed de vita rationali virtuosa loquimur. Et prima est bona, secunda melior, tertia optima inter partes vitæ spiritualis. Et hanc sibi hodie elegit MARIA. Quamuis enim in vita actiua, & contemplatiua sint gradus, & in qualibet elegit sibi partem optimam. A

§. I.

QVantùm ad primum, scilicet, de vita actiua, quæ secundùm Beatum Gregorium, & Augustinum figuratur per Marthã tria dicuntur de Martha opera pertinentia ad actiuam, quæ inueniuntur peroptimè in Beata Virgine MARIA. Primum est, quòd Martha excepit eum in domum suam. Secundum, quòd satagebat circa frequens ministerium. Tertium, quòd solicita erat, & turbabatur circa plurima. Primum igitur opus significat conceptionem Christi factã in vtero virginali. Quod ergo dicitur in Euangelio, quia *intrauit IESVS in queddam castellum*, signat ingressum filij Dei in hunc mundum. Dicitur autem mundus castellum, quia habet conditiones castelli rebellis. Primò, quia fundamentum eius positum instar castri in alto monte superbiæ, & pompæ. Et ab ipsa superbia, vt dicitur Tob. 4. *sumpsit initium omnis proditio*. Secundò est munitum lapidibus duris, qui frangi non possunt auaritiæ, vsuræ, fraudulentiæ, simoniæ, quia ita duri sunt tales defectus, vt frangi non possint per malleum Verbi Dei. Quis est enim, qui velit restituere vsuras, rapinas, & beneficia simoniaca relinquere? quasi dicat nullus. Tertiò, quia habet fossatum plenum aquis immundis, & fetidis luxuriæ, cum ranis clamantibus, & persuadentibus in eis permanere. Quartò quia est clausum non recipiens dilectionem proximi per inuidiam. Quintòquia habet prouisionem diuersarum escarum per gulam. Sextò quia habet arma diuersorum generum per iram, vt blasphemiam, contumeliam, maledictionem. Septimò est quietus, & securus per accidiam. Et quia istud castrum mundi erat inobediens, & rebelle Deo Patri, ideo ipse misit filium suum ad ipsum subiugandum, quasi dicat Deus pater. Mi fili ite in castellum, quod contra vos est. Hoc autem castrum intrauit mundi in die Incarnationis. *Et mulier quædam Martha nomine excepit eum in domum suam.* Martha autem interpretatur Domina seu prouocans. Hæc est enim Beata MARIA, quæ per suam maximam humilitatem prouocauit Dei filium venire in domum vteri virginalis. Et ipsa domina aptissimè dicitur, quæ super omnes alias damnata est suæ sensualitati, & corpori. Nec aliqua creatura alia digna fuit recipere Deum in vteri sui domum, nisi Beata MARIA. Vnde canit Ecclesia: Domus pudici pectoris, templum repentè fit Dei, intacta nesciens virum Verbo concepit filium. Nunquam fuit factum tam excellens opus actiuæ, sicut fecit Virgo in ipsa conceptione filij sui de corpore suo. Secundum opus actiuæ, quod Euangelium notat de Martha est, quia *Martha satagebat circa frequens ministerium*. Hoc opus fecit Beata MARIA in Christi conuersatione, & primò in eius natiuitate. Non credatis, quòd ibi fuerint obstetrices, dicit enim Hieronymus. Nulla credatis, quòd ibi fuerit obstetrix, nullius mulierculæ sedulitas interfuit, ipsa Beata Virgo de terra eũ leuauit, ipsa nudum natum pannis inuoluit, ipsa famescentem lacte cibauit, & potauit, ipsa vestiebat, & denudabat, & infirmum ęta te brachijs suis portabat. O quàm frequẽter vt filium suum osculabatur, vt Deum amplexando venerabatur. Ipsa ei fecit tunicam inconsutilem, ipsa vsque ad passionem sequebatur eum cum alijs, ministrans ei vt pia mater. Ecce quomodo Martha, id est, domina mundi MARIA, *satagebat circa frequens ministerium*. Vnde in hodierna Epistola, quæ habetur Eccles. 24. dicit: *In habitatione sancta coram ipso ministraui*. Clerici, seu Religiosi, qui seruãt ceremonias, & ordinationes suæ Relgionis, & Ecclesiarum & benè officium dicunt in Ecclesia, in bona nota, & benè prædicant, si hoc faciant, vt honorificentur ab hominibus, non ministrãt coram Deo, quia non vt placeant Deo hoc faciũt, sed coram mundo. Laici, qui faciunt ieiunia, & eleemosynas, vel etiam capellas, Ecclesias, & Hospitalia, vt laudentur ab hominibus, non ministrant coram Deo, sed coram hominibus, & ideo receperunt mercedem suam de operibus vitæ actiuæ suæ. Tertium opus, quod dicitur de Martha est, quia *Martha Martha solicita es*, (ait Dominus) *& turbaris erga plurima*, hoc fecit Beata Virgo Domina nostra in passione filij, tunc enim turbata est secundùm sensitiuam, & solicita est circa plurima. Nam cùm Ioannes Euangelista venit ad nunciandum ei, quòd filius erat captus, non remansit penè in ea spiritus præ dolore. Et ad se reuersa solicitabatur, quomodo posset eum videre ante mortem. Cùmque pergens de Bethania in Ierusalem manè obuiauit filio, qui ducebatur ad Pilatum, cernens faciem eius sputis illitam, alapis tumefactam, ligatis post tergum manibus more latronis duci, vix valens formare sermonem, lachrymis plena dicebat. Heu fili ego expectabam vos isto mane ad prandium, sed video, quòd oportet

Tob. 4.

Eccles. 24.

nos

nos simul prandere in mensa doloris. Quando verò ductus est ad Calvariæ locum, baiulans sibi crucem, dicebat, vt piè imaginari potest, etsi in Euangelio scriptum non sit. Heu me fili. An te sic fecit amor humani generis ebrium, vt nec Crucem putes opprobrium amoris gratia? vtinam daretur mihi ista Crux ad portandum, sicut te portaui in vtero meo. Quando autem in cruce clamauit, sitio, multùm solicitabatur, vt posset ei vel aquam ad bibendum tradere. Bis autem dicit. Martha Martha, quia affligebatur, in vtroque, scilicet, corpore, & mente, secundùm sensitiuam. Turbabatur dolore erga plurima, quia videbat Apostolos fidem perdidisse de Christi diuinitate. Sicut turbaretur quilibet perfectus Christianus, cùm videret omnes Christianos fidem relinquere. Turbabatur de Iudæis, de quorum progenie erat, quòd filium suum crucifigerent, vnde reprobarentur. Turbabatur de latrone malo & Iudæis, qui Christum blasphemabant. Turbata est in apertione lateris, cùm exiuit sanguis, & aqua. Vnde dicere poterat illud *Psalm. 6.* Psalm. 6. *Turbata sunt omnia ossa mea*, id est Apostoli, qui dicuntur ossa, quia sustentabant corpus Ecclesiæ, suaque ossa erant, quia in ipsa erat tunc Ecclesia. *Et anima mea turbata est valde.* Sic & Rectores, & Domini ciuitatum, quando vident, quòd populi non rectè incedunt in his, quæ sunt fidei, vt quando recurrunt ad diuinos, quando peterant quotidie, non celebrant festa, &c. corrigere debent omnia peccata notoria, & non faciunt, dicere potest Ecclesia, & timentes Deum. Turbata sunt omnia ossa mea ex dolore, & compassione. Sic igitur in vita actiua Beata MARIA elegit sibi optimam partem inter gradus operum eius.

A

B

C

§. II.

QVantùm ad opera vitæ contemplatiuæ tria etiam notantur. Et primum est quod dicitur. *MARIA autem sedens circa pedes Domini audiebat verbum illius.* Hoc opus vitæ contemplatiuæ tenetis modo vos attentè audiendo sermonem meum, & deuotè meditando. Hoc opus fecit Beata Virgo plus, quàm omnis creatura. Nam Magdalena audiebat verbum Domini in paucis sermonibus respectiuè. Sed Beata MARIA nõ solùm in publico, quando cœpit prædicare, sed etiam in priuato, quando puer erat, audiebat ab eo secreta alterius vitæ ad sui consolationem. Sciens enim Beata Mater, quòd tantam scientiam tunc puer habebat, quantam nunc habet in cœlis, verisimile est, quòd interrogabat eum aliquando de secretis cœlestibus. Vnde & piè imaginari potest, quòd ponebat Beata Mater dulcissimum filium suum ad sedendum, & ipsa se ponebat ad pedes eius dicens. O dilectè fili mi rogo vos dicite mihi ordinationem Angelorum, quomodo stant in cœlis, quoniam Moyses, & alij Prophetæ de his nil dicunt, & de sanctis animabus, vbi collocabuntur? Et quis bonus filius, qui interrogatus à Matre de re bona non responderet ei ad consolandum eam? Respondens ergo filius ad interrogata agebat, se cum patre, & Spiritu sancto ab initio mundi creasse cœlum empyreum, & ipsum repletum Angelis, quos distinxerat in nouem ordinibus, scilicet, Angelis, Archangelis, Principatibus, Potestatibus, Virtutibus, Dominationibus, Trhonis, Cherubin, & Seraphin, & in istis ordinibus Angelorum collocabuntur animæ beatæ, similiter cum Angelis sanctis. Et in primo ordine erunt, qui pœnitentiam faciunt. Vnde quando Christus cœpit prædicare, primum thema fuit. *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim Regnum cœlorum*, & vt cum Angelis sitis. Secundus ordo, Mater mea, est multò pulchrior, & perfectior, scilicet Archangelorum, de quo ordine fuit ille Gabriel, qui vobis annunciauit conceptionem meam. Et Beata Virgo. O fili mi, & quis stabit in tam pulchro ordine? Pulcherrimus enim fuit ille qui mihi conceptum tuum nunciauit. Et Christus ait ad eam. Illi ibi collocabuntur, qui vltra pœnitentiam actualem deuotionẽ habebunt, quæ plus est, quàm pœnitentia. Tertius ordo, scilicet, Principatuum adhuc maior, & perfectior est, de quorum numero est ille Michael ductor populi Israel per desertum, qui consurget, & stabit pro populo Christianorum in fine mundi ad iuuandum Ecclesiam. Ad quem ordinem ascendent misericordes in operibus corporalibus, & spiritualibus. Et Virgo Beata. Beati ergo verè misericordes. In quarto ordine, scilicet Potestatum erunt patientes, qui multa aduersa æquanimiter tolerauerũt pro Christo, etiam ad mortem vsque certando pro iustitia. In quinto ordine, scilicet, Virtutum erunt pacifici, qui cum omnibus, quantùm in eis fuit pacem habentes, & nulli malum pro malo reddentes, quæsierunt etiam inter alios pacem ponere. In sexto, scilicet Dominationũ erunt Prælati, & Domini Gubernatores Ecclesiæ, & seculi, qui per portam intrauerunt ad dignitatem, non per simoniam, vel ambitionem, & benè gubernauerũt subditos suos cum rigore iustitiæ puniendo malos, & dulcore misericordiæ, adiuuando oppressos, & æquitate exaltando bonos, non expoliando subditos, sed miseros eleemosynis subleuando. Ad septimum ordinem Thronorum ascẽdent, qui seculum deserentes, perfectè paupertatem amplectentes voluntariam, cum Christo mundum iudicabunt, vt Throni in eis requiescendo. In octaua erunt sapientes vera

Matt. 3.

D

verasapientia, qui illuminati fide, & doctrina Catholica alios docuerunt ea, quæ sunt fidei, & illa, quibus possent homines Regnum cœlorum ingredi. Cherubin enim isti qui interpretantur plenitudo scientiæ, cum scientia habentes perfecta operum exempla. In vltimo ordine, scilicet Seraphin, qui incendentes interpretantur, erunt perfecti in ardenti charitate super omnes alios, sicut Apostoli, & alij similes. Et Virgo Mater ad eum. O fili dilectissime, ego in quo horum ordine ero? Et filius ad eam. O Mater mea, vos non eritis in aliquo horum ordinum, sed super omnes ordines eritis collocata. Hæc enim cathedræ sunt nobis præparatæ in cœlis, vna mihi, altera vobis, super omnes choros Angelorum sedet Rex, & tu Mater mea in alia, iuxta illud, quod figuratè habetur de *Salomone*, & Matre eius, cum accessit ad eum quia *assurrexit ei filius*, honorabiliter, & fecit præparari sibi sedem, *iuxta sedem eius*, 3. *Reg.* 2. 3. Reg. 2. Vnde cantat hodie Ecclesia. Exaltata es sancta Dei genitrix super choros Angelorum. Altera die interrogabat Mater filium de locis, & pœnis inferni, & Christus edocebat, & ad quæ loca varia eius pergunt diuersi propter varia genera peccatorum, & sic de alijs. Quando autem Christus cœpit publicè prædicare, sequebatur eum sedens secus pedes Domini ad audiendum. Et ideo Beda *Lucæ* 11. super illo verbo. *Beati, qui audiunt verbum Dei, &c.* dicit: Beatam esse Matrem Saluator dixit, quę verbum audiuit, & plusquam omnes mortales custodiuit. Secundum opus vitæ contemplatiuæ ostendit Euangelium in eo, quod Martha dixit. *Soror mea reliquit me solam ministrare.* Hoc opus fecit MARIA, præcipuè post Christi Ascensionem. Licèt enim gauisa fuisset de honore filij, cùm ascendit in cœlum, quia ascenderat regnare, & aduocare pro peccatoribus apud Patrè, & aperire portas paradisi, tamè de sua absentia tristabatur. Licèt enim spiritualis summè esset, & perfectissima, in corpore tamen existens mouebatur motibus sensitiuæ naturalibus, (vt dicit Hieronymus,) ad affectum, scilicet præsentiæ filij, & ad tristitiam de absentia filij. Summè enim diligebat, & filium & meritò, quia sanctissimum hominem, & Deum gloriosum, qui in conceptu eius non abstulit decorem virginitatis, nec in partu attulerat dolorem, quasi mortis, qui accidit alijs mulieribus. Videns ergo se priuatam præsentia filij, frequenter orabat. O fili, quando egrediens de hac valle lachrimarum ero tecum, & videbo faciem tuam? Sitiuit anima mea ad Deum viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Domini? Voluit tamen filius, vt post ascensionem remaneret ad tempus in mundo doctrix, & illuminatrix Apostolorum. Vnde quandoque ipsa determinabat quæstiones de factis Dei, & morum, si quæ oriebantur in Ecclesia primitiua. Et propterea dicitur, Lucæ 2 quòd *MARIA conseruabat omnia verba hæc*, quæ scilicet dicebantur, & fiebant circa paruulum IESVM, conferens in corde suo, cum his scilicet, quæ sciebat prænuntiata de eo à Prophetis meditando, contemplando mysteria scripturarum, & menti commendando, vt postea tempore suo, (vt dicit Beda) posset Apostolos instruere, & Euangelistas de his, ad quæ præsentes non fuerunt circa natiuitatem Christi, & alia, quæ ipsi scripserunt, præcipuè Lucas, qui magis particulariter de natiuitate, annunciatione, & alijs scripsit, vnde & à quibusdam notarius Virginis dicitur, & de ea cantatur. Gaude MARIA Virgo, cunctas hæreses sola interemisti in vniuerso mundo, dum, scilicet, Apostolos docuit, quæ sua doctrina errores confutarunt. Sicut autem Mater, cùm habet filium mortuum, vel absentem, cum fletibus sæpe respicit vestes filij. Sic Beata MARIA, (vt notat beatus Hieronymus, in sermone de Assumptione,) visitabat loca, in quibus filius fecerat aliquod opus mirabile, contemplando illa sacra mysteria. Aliquando in Nazareth ibat ad locum, vbi fuit annunciata, & conceperat filium Dei, ibi contemplando Dei immensam charitatem. Aliquando in Bethleem meditando Dei humilitatem, quàm humiliter ibi natus est. Aliquando ad Templum in Ierusalem, vbi fuerat præsentatus 40. die & vbi postea prædicauerat rememorãdo doctrinã eius suauissimam, & mirabilem, speculãdo sapientiam suam. Aliquãdo ad fluuium Iordanis, in quo baptizatus aquas omnes sacrificauerat ad mundandum peccata baptisma recipientium, ibique audita est à Ioanne vox paterna. *Hic est filius meus dilectus*, & Spiritus sanctus in specie columbæ visus est. Consideransque tantam largitatem Domini, in excessu mentis rapiebatur, vt credi potest. Ad montem Caluarię trãsiens, vbi filius cum tanto opprobrio pro salute hominum crucifixus est, & tota resoluebatur in lachrymas ex dulcedine immensi diuini amoris ibi ostensi. Indeque ad sepulchrum pergens, quòd ex eo egressus resuscitatus tertia die sibi apparuit, tota gaudebat. Ad montem quoque olinarum ascendens, & memorans inde filium suum in cœlum ascendisse, auidissimè cupiebat esse, cum Christo. Vnde meritò dicere poterat vita actiua tunc in MARIA Virgine. *Soror mea*, scilicet contemplatiua, *reliquit me solam ministrare*, quia tunc non curabat contemplatiua de actiua, sicut nec Maria Magdalena de Martha. Vita eius actiua, & contemplatiua duę sorores sunt, secũdũ Augustũ. *Lucæ* 2. *Matt.* 3.

&

& Gregorius in 6. moral. filiæ vnius Patris cœlestis, & vnius Matris Ecclesiæ, vel gratiæ. Hæc tamen peregrinatio dicta Beatæ Virginis ad loca sancta, secundùm Beatum Ambrosium, magis intelligenda est secundùm spiritum, quàm secundùm locum, quòd scilicet, domi manens contemplaretur quæ filius fecerat in illo, vel illo loco. Hæc omnia primæ, & secundæ partis diuisionis principalis sunt tracta ex prædicatione Beati Vincentij, & quæ sequuntur, superaddita. Tertium igitur opus, quod potest notari de contemplatiua est in hoc, quod dicitur. *Porro vnum est necessarium*, quasi dicatur Christus: Martha circa plurima occupatur, id est actiua, & immo turbatur, quia non vacat vni, sed multis. Nam in cibando esurientem, sitienti præbendo potum, vestiendo nudum, & alijs indigentijs proximi subueniendo, oportet, quòd soliciteturcirca plurima tractando, procurando, colloquendo, operando. Similiter si exercet se in operibus misericordiæ spiritualis in docendo ignorantem, corripiendo delinquentem, supportando defectuosum, in dimittendo iniurias, oportet multùm solicitari, & cogitare varia, & diuersa, vt ista aptè fiant. Et quia sæpe non sequitur effectus intentus, quia non emendatur correctus, non habetur modus ad subueniendum hinc varie turbatur, & dum ista cogitat, & occupatur circa plurima, etsi pia intentione tamè separatur ab vno summo bono, quod summè est necessarium, aliquando, quoad gustum, quia tædiosus efficitur, & tepidus. Sed vita contemplatiua, dum vnum solum cogitat, cupit, & diligit, quod necessarium est perfectioni vltimæ humanæ abstracta à pluralitate temporalium, & occupationum exteriorum, inuenit magnam quietem, & dulcedinem non perturbationem: *quia non habet amaritudinem conuersatio eius, neque tædium conuictus illius, sed gaudium, & lætitiam*, Sap. 8. Et loquitur de sapientia, quæ reperitur in contemplatione. *Super omnia charitatem habete, quod est vinculum perfectionis*, Colos. 3. Charitas dicitur chara vnitas, quia vnit nos cum Deo. Vnde idem Apostolus, 1. Corinth. 6. *Qui adhæret Deo*, quod fit per charitatem *vnus spiritus est cum eo*. Habet enim amor secundùm Dionysium, vim adhæsiuam, vnitiuam, & transformatiuam diligentis in dilectum, vt vna voluntas sit amborum. Propter quod dicit Sapiens, quòd amicorum est idem velle, & nolle. Porro, id est finaliter, vnum est necessarium homini, id est, vt vnum sit cum Deo, conformis in omnibus voluntati suæ, & ita cogitatione, & affectu quantùm potest, directus in eum, vt dicat cum Apostolo ad Galatas 2. *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus*. Et quantò plenius hoc agit, tantò magis perficitur in contemplatiua, & magis appropinquat statui Beatorum. Hoc perfectissimè egit Beata Virgo MARIA vnum facta, cum Christo per maximam dilectionem. Vnde Hieronymus in Sermone de Assumptione, ait de ea. Puto quicquid cordis est, quicquid virtutis humanæ, si totum adhibeas, non sufficiat, vt cogitare valeas, quantò indesinenter cremabatur ardore pij amoris, quantis mouebatur repleta Spiritu sancto cœlestium secretorum incitamentis, dum reuolueret animo cuncta, quæ audierat, quæ viderat, quæ cognouerat, nouis quippe quotidie inflammabatur desiderijs affectibus, totam eam incanduerat diuinus amor, & cætera. Hæc Beatus Hieronymus. In vita ergo contemplatiua, quæ habet plures gradus in vita præsenti, ipsa optimam partem elegit super omnes.

Galat. 2.

§. III.

QVantùm ad tertium genus vitæ, scilicet, fruitiuæ, quæ est in superna patria de qua Dominus, ait de ouibus suis. *Ego vitam æternam do eis*. Ioann. 10. Potest dici, quòd habeat tres partes siue gradus. Primus gradus est decedere de præsenti tempore, ita purgata anima, quod nullum cremabile secum portet, sed subitò euolet, de quibus Apoc. 13. cap. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, quia requiescunt à laboribus suis*, quod intelligitur de euolantibus ad cœlum. Nam qui vadunt ad purgatorium, nõ requiescunt à laboribus suis, sed multòmaiores habent, quàm hic dum purgantur. Est autem hoc valde paucorum. Vnde & sancti viri, qui hìc claruerunt miraculis, visi sunt in pœnis purgatorij, vt refert Gregor. in lib. 4. dial. de Pascasio. Certum est autem Beatam MARIAM, nil expiabile detulisse, cùm in nullo vnquam peccauerit. Secundus gradus est esse in gloria in anima, & corpore, quod de Christo sine dubio certum est, & articulus fidei. De illis Patribus, qui surrexerunt cum Christo, & multis apparuerunt in Ierusalem, vt refert B. Matth. Euangelista, cap. penul. B. Hieron. in dubio reliquit, si in cœlo sint in anima, & corpore; an in anima tantùm, vt alij sancti communiter. Sed de Virgine gloriosa piè creditur ab omni Ecclesia, & Doctoribus in corpore, & anima glorificata in cœlis. Vnde Augustinus in Sermone. Quia profundissimo, sic ait. Memores conditionis humanæ mortem Beatam MARIAM subijsse temporalem dicere non metuimus. Sed si dicimus eam resolutam in communem putredinem, vermem, ac cine-

Apoc. 13.

Ioann. 10

nerem, deliberandum est si tantæ cõueniat sanctitati, tantæ aulæ Dei prærogatiuæ. Scimus enim dictum primo parenti, quia pulnises, & in pulueren ibis, hanc conditionem Christi caro euasit, quæ corruptionem non sustinuit. Excipitur ergo ab illa generali sententia de Virgine sumpta natura. Et infra: Si voluit Dominus integram Matrem virginitatis seruare pudorẽ, cur non velit incorruptam, & à putredinis seruare fœtore? Nunquid non pertinet ad benignitatem Domini Matris seruare honorem, qui legem non venit soluere, sed adimplere? Qui enim in vita illam præ cæteris gratia sui conceptus honorauit, pium est credere ea, in morte singulari saluatione, & speciali gratia ipsã honorasse. Putredo, & vermis opprobrium est humanæ conditionis ab hoc opprobrio, cùm Christus sit alienus, natura MARIÆ excipitur, quam Christus de ea assumpsisse probatur. Caro enim IESV est caro MARIÆ, quam super astra transuexit, honorans omnem humanam naturam, & multò magis maternam. Si natura Matris est filius, conueniens est, vt sit filij natura, non quantùm ad vnitatem personæ, sed quantùm ad vnitatem corporalis naturæ. Hæc Augustinus. Et hic igitur est melior gradus in vita fruitiua, scilicet esse in cœlis, non solùm in anima, sed etiam in corpore. Sed tertius gradus adhuc est potior, vnde & optimus, videlicet esse in altissimo gradu gloriæ super omnẽ puram creaturam. Sic canit Ecclesia. Exaltata est sancta Dei genitrix super omnes choros Angelorum Quamuis sancti in diuersis ordinibus Angelorum collocentur superioribus, vel inferioribus secundùm maiorem, vel minorem charitatem, & perfectionem, hic acquisitam, nullus tamen, vel nulla est super omnes ordines, nisi sola MARIA Virgo, quæ omnes sicut dilectione, & perfectione gratiæ transcendit, ita in gloria super omnes sublimata est. Vnde & Beatus Hieronymus in Sermone Assumptionis ait. Creditur, quòd ipse Saluator per se totus festiuus occurrerit, & cum gaudio Matrem secum in throno collocauit, id est, iuxta se, præ omnibus. Aliàs quomodo implesse creditur, quòd ipse in lege mandauit: *honora patrem tuum, & matrem?* Aduenies autem dicere potuit. *Veni electa mea*, scilicet Mater, *veni de Libano*, qui interpretatur candidatio. Erat enim dealbata, niue candidior, Spiritus Sancti muneribus, *veni coronaberis* corona gloriæ, quæ non auferetur. Vita actiua auferetur post mortem. Vita etiam contemplatiua huius seculi, quæ per speculum, & ænigmata est, non facie ad faciem, sed fruitionis vita, & corona non auferetur à quoquã. Et

Exod.20.
Cantic.4

A Beatissima Virgo. *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus*, id est anima mea extra corpus saltauit in Deo saluatari meo, id est, IESV requiescens, iam ergo non sum in mundo. Et hi Discipuli tui id est, electi in mundo sunt, pro quibus rogo, vt non tollas eos de mundo, quem habent doctrina illustrare, & ad te trahere, sed vt serues eos à malo. Et ego ad te venio ad te Deum fontem viuum, quem semper totis affectibus concupiui. *Luc. 1.*

Alius Sermo Assumptionis. Cap. 44.

B QVasi cedrus exaltata sum in Libano. Ecclesiast. 24. Regula est data à Saluatore Matthæi 23. *Qui se humiliat, exaltabitur*. Quam etiam expresserat priùs Mater eius Virgo sanctissima in cantico suo dicens. Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Illos quoque superbos Angelos, qui arbitrabantur se posse Deo æquari, quorum primus dixit in corde suo. *Super astra Dei exaltabo solium meum. Sedebo in monte Testamenti, similis ero altissimo*. Isaias 14. Deposuit de sede cœlesti, & detracta est ad inferos superbia sua. Potentes etiam in gratia, & virtute naturali primos parentes nostros C deposuit de sede Regni paradisi terrestris, vbi perfectæ sensualitati dominabantur, & animalibus cunctis propter superbiam eorum, & exilio tradidit mundi huius. Humiles verò Angelos exaltauit Deus, gloriam perpetuam adhibendo, homines quoque humiles exaltauit ad eandem gloriam perducendo, secundùm illud. Qui humiliatus fuerit erit in gloria. Quantò enim quis magis humiliatur, tantò magis à Deo exaltatur. Et quia secundus Adam, Dominus IESVS *humiliauit* seipsum, vt ait Apostolus ad Philippen. 2. profundissimè vsque *ad mortem* ignominiosam *crucis*, & vsque ad inferos D descendendo. Ideo Deus Pater *exaltauit illum* super omnes Cœlos: *vt in nomine IESV omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus IESVS in gloria est Dei Patris*. Ita sanctissima Mater eius naturalis, & Mater nostra spiritualis, quæ viuificat nos, quos prima Mater occiderat, quia post filium suum benedictum super omnes Angelos, & Sanctos se humiliauit, ideo exaltata est hodie super omnes choros Angelorũ, vnde & sanctorũ, quia vitra nõ ascendunt, & ideo aptissimè dicere potest, *quasi cedrus exaltata sum in Libano*. Pro cuius declaratione sciendum, quòd Liba-

Ecclesi.24
Matt.23
Isai.14.
Philip.2.

nus

nus est quidam mons in partibus Iudææ, A in quo reperiuntur arbores cedri dictæ altissimæ super omnes arbores, de quibus sæpe
Psal. 36. sit mentio in Scriptura. Vnde & Psalm. 36. altitudinem potentiæ, & prosperitatis temporalis comparat altitudini cedrorum, dicēs *Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani. Et transiui*, subdit, scilicet cōsideratione finis eius, *& ecce non erat*. In his partibus occidentalibus non reperiūtur tales arboles. Nam cedri, quæ reperiuntur iuxta loca marina, facientes fructus grossos, vt depones, non sunt illæ cedri, cum sint arbores paruę minores alijs. Libanus ergo mons, quæ interpretatur candidatio, designat statum gloriæ, vbi est perfecta candida B tio, seu albedo innocentiæ, & puritatis in
Apoc. 7. sanctis, quos Ioannes in Apocalip. vidit, quòd erant *amicti stolis albis*. Quæ quidem albedo charitatis, & puritatis ex Verbo incarnato in eis procedit, qui vt dicitur Sap. 7.
Sap. 7. *Est candor lucis æternæ speculum sine macula, & imago bonitatis Dei*. Cedrus altissima est diuina maiestas, quæ in Libano gloriæ à sanctis cernitur, etiam sua altitudine. Ad hanc cedrum altissimam euolauit ad Libanum Aquila illa grandis magnarum alarum Ioannes Euangelista, per speculationem, & tulit medullam huius cedri, quæ est alba, id est, Verbum æternum afferens nobis in suo Euangelio, cùm ait. *In principio erat* C *Verbum*, &c. Et demum *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*. Ioann. 1. De
Ioann. 1. hac cedro canit Ecclesia in sequentia. Cedrus alta Libani coformatur hysopo valle nostra. Quod exponens subdit. Verbum ens Altissimi, corporali passum est carne sumpta. In isto ergo Libano monte gloriæ exaltata est, non vt cedrus, quæ est IESVS, sed quasi cedrus, quia super omnes Angelos, & sanctos eleuata. Vnde Beatus Hieronymus in sermone hodierno. Credendum est, quòd ipse Saluator per se totus festiuus occurrerit, & eam secum in throno collocauerit. Idem in principio Sermonis. Hæc est dies præclara, in qua meruit exaltari super cho- D ros Angelorum, & peruenire vltra quàm nostræ humanitatis est natura, cùm eleuatur in dexteram patris. Hæc est, inquā, dies in qua vsque ad Throni celsitudinem intemerata Mater, & Virgo processit, atque in Regni solio sublimata post Christum gloriosa resedit. Vnde *quasi cedrus exaltata sum in Libano*. Hæc ille. Et Bernardus in Sermone de assumptio. Quis cogitare sufficiat, quàm gloriosa hodie mundi Regina processerit, & quantò deuotiōnis affectu tota in eius occursum cœlestium legionum occurrerit multitudo? Quis explicare queat quibus ad Thronum gloriæ canticis sit deducta, quàm placito vultu, quàm serena facie, quàm lætis amplexibus susceptà à filio, & super omnem creaturam exaltata sit, cum eo honore, quo tanta Mater digna fuit, cum ea gloria, quæ tantum decuit filium? Hæc Beatus Bernardus. Et in huius figuram habes, quod cùm Bersabæe, quæ interpretatur puteus septimus, quia plena fuit septiformi aqua gratiæ Spiritus Sancti, accederet ad intercedendum apud filium suum Salomonem, ipse occurrit ei reuerenter, 3. Regum 2. & fecit thronum ei præparari iuxta thronum suum dicens. *Fas non esse*, quicquā de- 3. Reg. 2.
negare sibi petitum. Sic Christus verus Salomon thronum suæ Matri præparauit hodie. Et cum ad Christum accedit mente pro aliquo postulando, nihil sibi potest denegari. Vnde Beatus Bernardus. Securum accessum ad Deum habes, ò homo, vbi Mater stat ante filium, scilicet ad orandum, pro nobis. Filius stat ante Patrem ad supplicandum. Mater ostendit filio pectus, & vbera. Filius Patri latus, & vulnera. Nulla ergo poterit ibi esse repulsa, vbi sunt tot amoris insignia. De huiusmodi etiam exaltatione, ait Beatus Augustinus, ad Virginem ipsam alloquens. Tibi thronus gloriæ Regis collocatur in aula Regni, teque ipse Rex gloriæ, vt Matrem veram, & decoram sponsam præ omnibus diligens amoris amplexu associat. Sibi dicat ergo. *Quasi cedrus exaltata sum in Libano*, Non tolùm autem auctoritatibus Sanctorum, & Ecclesiæ, ac figura Scripturæ, sed & ratione probatur exaltatam Beatam MARIAM super omnes Angelos, & Sanctos. Manet etiam regula firma tradita per Psalm. 61. & confirmata per Christum, quòd reddet Deus vnicuique *secundùm opera sua*. Ita autem, quòd sicut *Psalm. 61*
nullum malum impunitum, quia Deus pec- *Matt. 16*
catum sine vltione non patitur, ait Beatus Gregorius de pœnitentia distinct. 1. si peccatum, ita nullum bonum irremuneratum, ita quòd etiam, qui dederit potum aquæ frigidæ in nomine Discipuli non perdet mercedem. Matth. 9. Sicut autem vnus- *Matt. 9.*
quisque *propriam mercedem accipiet*, se- *1. Cor. 3.*
cundùm proprium laborem, vt ait Apostolus, quod Theologi intelligunt de præmio accidentali, ita vnusquisque qualitatem præmij essentialis recipiet à Deo, quod consistit in visione, & fruitione eius secundùm gradum charitatis hìc habitæ, vt qui cum maiori charitate Deo seruierit in quocumque statu etiam infimo laicali, maius præmium recipiet, quàm alter in maxima dignitate, vel scientia, cum minori charitate. Itaque cùm Beata MARIA fuerit plena charitate, & dilectione, vt canit Ecclesia, sicut & plena gratia super omnem puram creaturam, etiam supremi ordinis Seraphin. Vnde & ipsa, ait

Cantic.1. Cantic.1. cap. *Introduxit me Rex in cellam vinariam*, scilicet gratiarum, & virtutum, *& ordinauit in me charitatem.* Nullus sanctus adeo fuit, quin aliquando aliqua egerit, etsi non contra, saltem præter ordinem charitatis, nisi Beata MARIA. Cùm autem nouem sint ordines Angelorum, super quos omnes fuit exaltata, ad quos Sancti assumuntur in diuersis ordinibus secundùm varietatem meritorum. Omnes proprietates ipsorum ordinum reperiuntur in Beata MARIA, & officia cum maiori excellentia charitatis. Ideo meritò exaltata fuit, ait, sicut cedrus Libani. Vnde & ad singulos ordines procedamus, ad quos hodie peruenit, & trãscendit. Assumpta est MARIA in cœlum gaudent Angeli, & collaudant Filium Dei.

B

§. I.

ASCendens ergo in cœlum, peruenit ad primum ordinem Angelorum. Horum tres sunt proprietates, secundùm Albertum, vbi supra. Prima est, quòd immediatè ordinantur ad humanam Hierarchiam, quasi magis ei propinqui, perfectiores tamẽ homini bus in natura. Vnde Christus. *Qui minor est in Regno cœlorum*, scilicet Ioanne Baptista, Mat. 11. quo maior nemo surrexit. Matt. 11. Ista proprietas conuenit Beatæ MARIÆ, sed cum excellentia, ipsa enim super nos inmediatior nobis, quàm Angeli, quia etiam conuenit nobiscum in natura humana, quod Angeli non habent, cùm non habeant corpora. Vnde Angeli, etsi sint nobis prælati, non tamen fratres, vel filij. Sed Beata MARIA simul prælata, mater filia, & soror est nostra. Secunda proprietas Angelorum est, quia maximè sunt nobis noti magis, quàm alij, quia frequenter visitant sanctos, & apparent eis in diuersis formis, & hæc proprietas conuenit Beatæ MARIÆ, cum existentia. Nam Angeli etiam infimi sunt nobis tantùm noti, & paucis personis, & nos eis per intelligentiam, & imperfectè. Sicut enim oculus noctuæ se habet ad lumen Solis, ita intellectus noster ad illa manifestissima naturæ, & substantias separatas, ait Philosophus. Sed Beata MARIA est nobis nota etiam per experientiam. *Ex te*, (ait Ecclesi.21 Sapiens,) *cognosce, qui sunt proximi tui.* Cùm ergo habuerit veras conditiones naturales hominis per similitudinem nostram, possumus, & ipsam cognoscere. Similiter, & ipsa cognoscit infirmitatem nostram per experientiam ex his, quæ passa est hìc, & didicit. Vnde sicut non habemus Pontificem, scilicet, Christum, qui non possit compati infirmitatibus nostris, ita nec deficit nobis patrona, quæ compatiatur miserijs nostris. Tertia proprietas est, quia singuli eorum singulos homines custodiunt, secundùm illud Psal. 90. *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis.* Et Beatus Hieronymus super Matth. dicit. Magna Psal. 90. prorsus dignitas animarum, vt vnaquæque ab exordio natiuitatis suæ habeat Angelum sibi delegatum. Et hanc proprietatem custodiæ Beata MARIA habet cum excellentia. Nam vbi Angeli custodiunt singuli singulos homines, ipsa custodit vniuersaliter singulos, & singulariter vniuersos. Singuli enim seruorum prosunt sibi commissis. Dominæ autem, & Domini est custodia, & prouidentia vniuersalis. Et quia omne simile suum appetit simile, videntes eam Angeli eis similem in huiusmodi virtutibus, ei dicunt. Quo progrederis Virgo prudentissima, noli nos derelinquere ò Domina, sed super nos sedem tuam colloca. Quibus ipsa. Non vos, ò filij desero, sed maiora mihi sunt gaudiorum præmia reseruata.

A

B

C

D

§. II.

ASCendit ergo ad ordinem Archangelorum secundum, qui secundum Dionysium, vt refert Albertus, vbi supra, tres videntur habere proprietates. Harum prima est à superioribus communicare, id est, ab Angelis superioribus recipere illuminationem, hanc habuit Beata MARIA, ipsa enim maximè cõmunicationem bonorum spiritualium donorum accepit à superioribus. Vnde Luc.1. dictum fuit ei ab Archangelo. *Spiritus sanctus superueniet in te*, ad instruẽdum modum Dominicæ Incarnationis, & plus, Lucæ 1. quàm in omnibus alijs sanctis veniet in te. Alij enim sancti acceperunt à superioribus gratiam creatam, ideſt à Deo particulariter. Ipsa Beata MARIA gratiam creatam vniuersaliter, increatã, id est Deũ singulariter, scilicet de ea carnẽ assumẽdo. Secunda proprietas est super inferiores esse Angelos, vel homines illuminãdo, & regẽdo, scilicet, Præsidẽtes ciuitatum, vnde & Gabriel Danielẽ instruxit, & docuit de liberatione futura populi Israel, de captiuitate temporali, & spirituali, de potestate diaboli. Hãc cõditionẽ B MARIA habuit cum prœeminẽtia. Nam alij ex ordine isto sũt super aliquos, & nullus super omnes, ipsa autem est super omnes Archangelos, & Angelos, & homnes. Item, quòd Angeli, & aliqui sancti sint super alios hoc est ex gratia tamẽ collata eis à Deo. Ipsa autem Beata MARIA ex gratia hoc habet, & iustitia, & natura. Naturaliter enim Mater Regis est Regina, & non solùm ex gratia sed natura instigante, iustitia hoc dictãte est super omnes, qui sunt in Regno filij. Filius eius Dominus IESVS, qui est *Rex Regũ, & Dominus Dominantium*, vt dicit Ioannes Apoc.16. in Apocalip. cap. 19. Ergo & ipsa super omnes de Regno eius, cui data est omnis potestas in cœlo, & in terra. Aue (canit Ecclesia)

Re-

Regina Cœlorum, Mater Regis Angelorum. Tertia proprietas est inferiores ad superiores reducere ad contemplanda, & diligenda cœlestia, & exequenda diuina mãdata. Hoc operata est Beata MARIA in summo. Nam ipsa sola habuit omnes inferiores reducere, & reduxit tamquam mediatrix reconciliationis, & adiutrix redemptionis, & Angelorum numerum restaurauit, & subuenit ruinæ *ante conspectum Domini*, vt dicitur in figura de sancta Iudith. 13. Et hominem lapsum reuocauit ad superos. Transeũte ergo ea per ordinem istum exultat, præcæteris Gabriel ille Archangelus, qui eam in mundo officiosissimè salutauerat, dicens. *Aue gratia plena*, & omnes prouocat ad eã laudandam, & magnificandam, dicens. Hæc est illa sanctissima, quæ dum fidem humiliter dedit verbis meis missis ex hac cœlesti Curia, cœli opificem in se corporauit, & homines ad societatem nostram perduxit, & benedicamus Patrem, & Filium, cum Sancto Spiritu, qui hoc in ea operatus est, & laudemus, & superexaltemus eum in secula.

Iudith. 13

Lucæ 1.

§. III.

EX eo ordine ad tertium euolauit, scilicet Principatuum. Et hi secundùm Albertũ, vbi supra habent tres proprietates. Prima est primi principij habere imitationem, id est, Dei. Hi super Prouincias, & Regna disponunt, è quibus vnus fuit Michael ille, qui armatus apparuit Iosue in adiutorium populi Dei. Istam proprietatem habuit Beata MARIA supereminenter. Imitatur enim primum principium Deum, in mali immunitate, in boni communicatione, in communicanda communitate. Fuit enim immunis ab omni corruptione peccati, *& incorruptio facit proximum Deo*, vt dicitur Sap. 6. Communicauit bona sua, filium suum sapiẽtiam, de qua dicitur Sap. 7. cap. *Omnium bonorum mater est, quam sine inuidia communico, & honestatem eius non abscondo. Infinitus thesaurus*, ipsa sapientia *est hominibus*. In communicanda, & exhibenda pietate. Eccles. 24. *Quasi oliua speciosa in campis*, quæ oleum producit, significans lenitatem, & pietatem, & in campis patenter. Secunda proprietas est inferiorum ad primum principium reductiuum, id est, reducere ea, quæ habent disponere ad Deum, qui est principium principiorum, id est, causarum. Hoc habuit Beata MARIA in summo, quia ipsa de vltimo fecit primum, & de primo vltimum, immo omnia, & omnem creaturam in homine reduxit ad illum, à quo exierunt, & ipsi personaliter vniendo. Vnde ipsa est illa fortis mulier, de qua Prouerb. vlt. *Cuius pretium de vltimis finibus*, id est diuinitate, & humanitate coniunctis hominẽ perditum redemit, ad Regnaque cœlestia perduxit.

Sap. 6.

Sap. 7.

Eccles. 24

Prou. 31.

A Tertia proprietas est principalium virtutum ornatus, & plus cæteris inferioribus, vt sapientiæ, charitatis, prudentiæ, & huiusmodi, quod pleniùs habuit Beata MARIA. Vnde Beatus Bernardus in sermone ait. Ipsi cœlestis Curiæ Principes in consideratione tantæ nouitatis, scilicet, huius exaltationis clamant non sine admiratione. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delitijs affluens*, quasi manifestiùs dicant: Quæ est ista, quæ sub Sole, vbi nihil nisi labor, & dolor, & afflictio spiritus, ascendit delitijs spiritualibus affluens. Quid delitias dixerim, nisi virginitatis decus, cum munere fœcunditatis, humilitatis insigne, distillantem charitatis fauum, misericordiæ viscera, plenitudinem gratiæ, prærogatiuam gloriæ singularis? Hæc ille. O domina nostra si inuenimus gratiam in conspectu tuo, etsi multæ filiæ sanctarum animarum congregauerunt diuitias virtutum, tu tamen supergressa es vniuersas, ex quo ornatum præcipuum virtutum habes, quod nostri est proprium placeat in ordine nostro, vt Principissa residere. Ad quos illa. Ego quidem vobiscum sum omnibus diebus, ad brauium tamen sequar supernæ vocationis mihi à Domino præparatum.

Cantic. 6

B

§. IV.

AD secundam Hierarchiam perueniens venit primò ad ordinem Potestatum, quorum tres sunt proprietates, secundùm Albertum. Prima est ordinis, & dignitatis custoditiuum, horum officium dignitatis est coercere diabolicas potestates ne hominibus noceant, quantùm vellent. Et cùm maligni spiritus percusserunt, occidentes omnia primogenita Ægyptiorum, secundum illud Psalm. 77. *Immissiones per Angelos malos*, Potestates Angelicæ represserunt malitiam eorum, ne contingere possent familias Hebræorum. Istam conditionem habuit Beata MARIA excellentissimè, quia dignitatem virginitatis custodiuit ante, & post, & dæmones coercet quotidie à nocumento hominum, vt patet in multis exemplis, in quibus ipsa Beata MARIA eripuit maximos peccatores de manibus diaboli, quoad corpus, & quoad animã. Vnde Ecclesia quotidie ei dicit orando, tu nos ab hoste protege, in hora mortis suscipe, quando sunt maiores eius insidiæ. Secunda proprietas Potestatum est esse aliorum ordinatiuum, & hoc in summo habuit Beata MARIA; nam fuit prima ordinis Virginum inuentrix, fecit enim prima solemne votum virginitatis. Ordinum etiam Angelorum fuit reparatrix, & restauratrix, præcipuè autem Virgines ostendunt magnã potestatẽ super sensualitate sua, superãdo delectationes venereas, quæ maximè impugnant,

C

Psalm. 77

D

gnant, & vbi, vt dicit B. Hieron. est frequēs pugna, & rara victoria, vnde, vt ipse ait. In carne esse, & præter carnem viuere Angelicum est, & non humanum, immo & maioris potestatis videtur, quia hìc est ex carne pugna, ibi cùm nulla sit caro, nullum eius prælium. Et ideo virginitas dicitur à virtute, seu virore, quia habet magnā potestatem in se, vt vir tutus sit, & non cōbustus igne cōcupiscentiæ. Tertia proprietas est esse actiuum in his, ad quæ exequenda mittuntur, quod Beata MARIA in summo habuit. Nam actus virtutum exercuit secūdùm modum patriæ, quantùm ad perfectionem, sed secundùm statum viæ, quātùm ad cōditionem meriti. Fuit etiam reductiuum per exemplum, quia sui exemplo virtutum alios reduxit ad operationem virtutum, vnde dicitur stella maris, vidētes ergo eam filiæ Sion Angelicæ potestates, dixerunt. Mane nobiscum, ò Domina potētissima, tu enim terribilis es dæmonijs vt castrorū acies ordinata, & ideo iuuare homines nobiscum poteris contra malignos spiritus, eos sine cessatione infestātes. At illa. Expedit hominibus, vt ego vadam superiùs, quò mihi locum parauit dilectissimus filius, & iuxta eum residens copiosiùs contra dæmones pro hominibus prævalebo.

§. V.

POst illos ergo ingreditur chorum Virtutū, de quibus potest intelligi, quod Christus ait Lucæ 21. *Virtutes cœlorum mouebūtur*, scilicet in aduentu secundo Christi Iudicis, id est, amouebuntur ab officio mouendi cœlos. Philosophi enim ponunt substantias separatas, ideſt, Angelos mouere cœlos, & ad quorū motum cœli, & planetæ influūt in ista inferiora, & corrumpuntur, & generātur res inferiores, & corporales. Extūc enim cessabit omnis motus cœlorum, & ideo remouebūtur Angeli, qui dicūtur Virtutes ab huiusmodi exercitio. Horum secūdùm Albertum triplex est proprietas. Prima est incommunicabilis virilitas, quæ consistit in resistētia cōtrarij, in aggressione ardui, & tolerātia mali. Per has Virtutes Angelicas, vt dicit B. Gregor. fiunt miracula, in quibus resistit naturalis proprietas rei, sicut quòd cęcus videat mortuus resurgat, hoc natura non habet, sed consuetudo naturæ est in cōtrariū, & tamen, viriliter, vt ministri Dei hoc agunt. Ardua etiam sunt, & insolita, quæ faciunt. Tolerāt etiam hæc fieri per malos ipsis cooperantibus. Vnde reprobi dicent in die iudicij. *Domine in nomine tuo virtutes multas fecimus*. Matth. 7. Hoc B. MARIA habuit in summo. Nam licèt non legamus in vita sua feciſſe miracula, nunc quotidie innumera facit, sed & vita sua tota miraculosa. Vnde enim dicit B. Greg. Maius miraculum est, id

Lucæ 21.

Matt. 7.

A est vtilius sibi patientem esse, quàm dæmones eijcere, & carnē vincere, quàm Gigātes, vt Dauid occidere. Omne contrarium, id est peccatum ipsa vicit, arduum altissimæ paupertatis assumpsit, tolerantiam summam in filij passione sustinuit. Secunda proprietas Virtutū, nullius imbecillitatis tarditas, id est, nullam imbecillitatem habēt, ex qua tardi sint ad Dei voluntatem exequendam, vel cœlos mouēdos, vnde Psal. 102. *Benedicite Domino omnes Angeli eius, potētes virtute, qui facitis verbum eius ad audiēdam vocem sermonum eius*, scilicet Dei. Vox Dei ad eos est insinuatio voluntatis eius ad eos circa aliquid agēdum, qua facta, subitò exequuntur, B hoc & B. MARIA perfectissimè egit, vnde cōcepto filio, & audito cōceptu Elisabeth ab Angelo. *Exurgens MARIA abijt cum festinatione in montana*, vt visitaret ea, & ei in partu seruiret. Audito, quod futurum erat, quòd Herodes quęreret IESVM recēter natū *ad perdēdū eū*, subitò nocte surrexit, *& secessit in Ægyptū*, vt admonerat Angelus. Mat. 2. Tertia proprietas Virtutū est ad inferiores largitas, siue Angelos inferiores illuminādo, siue homines adiuuādo, & subueniēdo in diuersis miserijs cōstitutos infirmitatū & huiusmodi, sed nulla pura creatura largior reperitur B. MARIA. Virtutes quidē dāt domina Dei, hæc dedit ipsum Deū. Hęc enim (vt C ait B. Hier,) dedit cœlis gloriā, terris Deū, pacemquè refudit, finem vitijs, vitæ ordinem, moribus disciplinam. Videntes ergo virtuosissimam per castra eorum transeuntem, Beatissimam prædicauerunt, cupientes eius frui societate familiari. At illa. Congratulor valde de vestris virtutibus, sed virtus altissimi, quæ obumbrauit mihi, id est, filius, qui vmbra, carnis contexit lucem suę Deitatis ad superiora me vocat.

Lucæ 1.

Matt. 2.

§. VI.

AD sextum igitur ordinem ascendit, qui Dominationes dicūtur, qui primi sunt ex assistētibus Cōsistorio diuinæ maiestatis, & nunquam ad nos missi, sed alios inferiores ipsi mittentes, & de mysterijs eorum disponētes, qualis fortè fuit Angelus ille, qui misit alium Angelum ad Zachariam vnū ex 12. Prophetis minoribus, qui diceret ei, *hæc ciuitas absq; muro erit præ multitudine populi*. Horū proprietates ponit Diō. in lib. de cœl. Hier. c. 8. & declarat Alber. vbi supra ex verbis ipsius Dion. elici Dominationum proprietates, & videntur per contrarium ad defectus, qui reperiūtur in Dominationibus, seu dominijs huius mūdi, quia tales defectus non sunt in istis Dominationibus cœlestibus, & tales proprietates decem perfectas ostendit fuisse in Beata Virgine MARIA, sed tantùm tres ponam. Est ergo prima harum trium ab hostibus inuencibilitas.

Zach. 2.

Do-

Domini temporales aliqui sunt ita potētes, A quòd multa prælia vincunt, & multis nationibus dominantur, vt Alexander Magnus, Iulius Cæsar, Iudas Machabæus, Iosaphat Rex, & alij: nullus tamen fuit, qui aliquando non vinceretur, sed Dominationes Angelicę nunquam superantur ab aliquo, quòd ab aliquo impediantur à dispositione eorum. Beatissima autem Virgo omnes superat Dominationes: non enim solùm vicit Serpentem antiquum, & Draconem rufum, cuius potentiæ non est similis super terram in seipsa, & capita eius, 7. contriuit, scilicet, principia vitiorum, sed & prædam totius humani generis ab eo abstulit, & in natura corporea spiritum naturæ Angelicæ superauit. Superbiam victricem diaboli vicit, B & tam de Diabolo, quàm de mundo, quàm de seipsa, quàm de omnibus Angelis supergrediens triumphauit, & quòd omnibus alijs altius est, contra ipsum Deum fortis fuit, quia Deum de cœlis ad terram vinculis carnis ligatum, & charitate vulneratum in gremio vteri sui Beatissimæ virginitatis carcere captiuauit. Secunda proprietas Dominationis est liberalis seueritas, per quod potest intelligi, vel medium inter auaritiam, & prodigalitatem, vel medium inter excessum iustitiæ, qui dicitur rigor, & excessum misericordiæ, quæ dicitur remissio. Quidam enim Domini sunt nimis liberales, id est prodigi, & quidam sunt nimis seueri, id est auari. Sed medium est liberalis seueritas, quæ vtique est in dominationibus cœlestibus. Similiter quidam Domini temporales sunt nimis iusti per rigorem, quidam nimis misericordes per remissionem, medium est liberalis seueritas, in omnibus his excellit Dominationes MARIA. Nunquam enim dedit MARIA, cui vel quando non esset dandum, quod pertinet ad prodigalitatem prout faciunt Domini temporales in pompis, ludis, mimis, & huiusmodi. Beata enim MARIA dedit omne dandum, Deo mundum, Deum mundo, homo hominibus cœlum. Alij Domini mundi suat nimis auari, non subuenientes pauperibus, D sed aliena à subditis rapientes, & tallois aggrauantes, sed Beata MARIA nō fuit tenax substantiæ, sed aurum sibi à Magis oblatum citò, (vt ait beatus Bernardus,) pauperibus erogauit. Quidam Domini temporales sunt nimis seueri, & crudeles in puniendo, & quidam nimis misericordes, seu remissi in non puniendo alios, vel etiam sibi ipsis nimis condescendentes, & complacentes sensualitati suæ, alij nimis indiscreti, sed in omnibus medium tenuit Beata MARIA, nullam admittens delectationem corpori indebitam, necessitatem sibi non subtrahens, ita misericors peccatoribus conuersus, quòd iustitia pœnitentiæ à nullo deseratur, si misericordiam consequi desiderat. Tertia proprietas est nullius subiectionis egestas, & in nullo vanitas. Domini temporales ita dominantur subditis, quòd ipsi etiam indigent seruitio subditorum, nullus est ita potens Dominus, quin egeat alijs, quinimmo, quātò maius dominium habet, tantò pluribus aliorum seruitijs eget. Dominationes autem Angelicæ non habent istam indigentiam seruitutis, quoad suos inferiores, quia non ab eis illuminantur, egent tamen auxilio, & seruitio illuminationis in multis, quo ad superiores suos Angelos. Sed in hoc excellit, Beata MARIA, quia cùm sit superior omni creatura Angelica, non eget seruitio creaturæ, sed solius Creatoris. Ex dominio frequenter insurgit multa vanitas in Dominis temporalis gloriæ, vt patet per exemplum Dauid facientis populum numerare vt gloriaretur in multitudine eius, sed Dominationes Angelicæ nullam huiusmodi vanitatem sentiunt. Et multò magis Beata MARIA, quæ quantò plus cæteris gratiæ habuit, tantò se magis humiliauit, Matrem Dei factam se ancillam vocās. Et ideo si Dominationes in ordine suo, vt Dominatricem omnium collocari peterēt, diceretis. *Quasi cedrus exaltata sum in Libano*, scriptum est de me, & ideo vt impleatur Scriptura, oportet super omnes vos eleuari, sicut cedrus super omnes arbores eleuatur. C

§. VII.

PErueniens inde ad tertiam Hierarchiam, primò occurrit septimo ordini, qui Throni dicuntur, id est sedes Dei. Hi sunt, (secūdùm Beatum Gregorium,) per quos Deus sua iudicia nobis occulta decernit, quibus de mundo disponit, Psal. 9. de eo ait. *Qui sedes super thronū, & iudicas equitatē.* Horū inter cæteras ponit Albertus tres proprietates. Et prima est celsitudo. Thronum Regis ponitur in altum super alias sedes, & isti Throni sunt inferioribus Angelis sublimiores perfectione. Iudicia etiam de eis attributa sunt, valde alta, & à notitia nostra remota, Psalm. 35. *Iudicia Dei abyssus multa.* Abyssus importat profundum aquarum, cuius non est inuenire finem. Vnde & Eccles. 7. *Alta profunditas*, scilicet, iudiciorum, Dei *quis inuestigabit eam?* vt scilicet, inueniat rationem eorum, quod intelligens Apostolus ad Romanos 11. clamat dicens: *O altitudo sapientiæ, & scientiæ Dei, quā incōprehēsibilia sūt iudicia eius!* Nōest ergo in trādū istā abyssū, & causas, aut rationes quæ rere ipsorū iudiciorū, quare istū trahat, illū nō trahat, vni prosperitatem tribuat, alij aduersitatem, sed sapientiæ eius relinquere, qui omnia benefecit. Hæc proprietas habetur à B. MARIA. Ipsa enim est illa *sedes* *Psalm.* *Psal.* 35. *Eccles.* 7. *Rom.* 11.

seraphina, quàm vidit Ezechiel Propheta *super firmamentum*, cap. 1. hoc est omnium
Ezech. 1. sanctorum altitudinem in gloria confirmatorum, vtpote exaltata super choros Angelorum. Et hic Augustinus dicit. Si cœlum te vocem, altior existis. Secunda proprietas est Regis delatio. Sedes enim defert Regem ibi sedentem hinc inde, & per sua iudicia in diuersis locis, gentibus, & modis, quodammodo Deus defertur circumquaque. Et Beata Virgo, vt verus thronus Salomonis detulit eum de cœlo in mundum, & in mundo de loco ad locum, quia de Nazareth, vbi conceptus, in Bethleem, vbi natus est, de Bethleem in Ierusalem in Templo præsentatus, postea in Ægyptum translatus, & huiusmodi, hoc
B est ferculum, id est, sedes à ferendo dictum
Cantic. 3 quod *fecit sibi Rex Salomon*, vt dicitur Cant. 3. *de lignis Libani*, id est, de virtutibus, quasi patriæ cœlestis. Libanus enim, vt dictum est supra, significat statum gloriæ. Interpretatur enim candidatio. Habuit enim perfectionem virtutum, quasi ad modum patriæ: *reclinatorium fecit argenteum.* Hæc est puritas eius, per quam in ea requieuit. *Ascensum purpureum*, id est charitatem, per quam ad eam accessit, *media charitate constrauit*, quia totum hoc egit ex sua dilectione. Tertia proprietas thronorum est familiaris apertio, quia Deus aperit eis, vt magis propinquis & familiaribus secreta iudiciorum suorum.
C Sed certè nulli magis occulta sapientiæ suæ manifestauit, quàm virginitati Matri suæ, vnde Bernardus. Qualiter splendor ille inaccessibilis Virgineis se infunderit visceribus soli datum est scire, cui solùm datum est experiri. Et hoc est illud quartum, de quo dicitur Prouerb. 30. per Salomonem sapientissimum. *Tria sunt*, inquit, *mihi difficilia* ad
Prou. 30. cognoscendum, *& quartum penitus ignoro* scilicet, *viam viri in adolescentia sua*, id est, Virgine, quomodo, scilicet, de ea incarnatus sit. Vnde & Ioann. plus, quàm Propheta
Ioann. 1. dicit, se non dignum *soluere corrigiam calceamentorum*, Christi, id est, declarare mysterium incarnationis. Nam hic se firmat
D Virgo Beatissima, dicens: Ego in altissimis habito, & Thronus meus in columna nubis, id est, iuxta nubem humanitatis Christi, quæ Sole tegitur diuinitatis, quæ columna est Ecclesiæ.

§. VIII.

IN ordinem Cherubin ingreditur, qui interpretantur plenitudo scientiæ, quia maiorem de diuinis notitiam habent omnibus inferioribus, & hi in circumitu diuinæ maiestatis assistentes tres habent proprietates secundùm Dionysium, scilicet, esse reductiuum, actiuum, & exemplatiuum. Et primum, scilicet esse reductiuum intelligitur,
A secundùm Commentatorem, quia ad Deum tendunt, & reducunt omnes cogitatus suos, & affectus circa alia, & licèt omnes Angeli hoc faciant, ipsa tamen quodam excellentiori modo; non defuit hoc Beatæ MARIÆ, sed omnia reducibilia ad Deum reduxit. Ipsa enim est *mulier*, illa Euangelica quæ *Lucæ 13.*
triasata, scilicet corpus, animam, & diuinitatem in vna persona Christi coniunxit, per quod naturam in primum, immo super primum statum institutionis reduxit, quia etsi innocentiam, & perfectam gratiam habebat in illo statu de humana natura, non tamè Deitatem vnitam. Hæc est *mulier, quæ lucernam accendit*, per quam *drachma* decima *Lucæ 15.*
B reperta est, Lucæ 15. Secunda proprietas est esse actiuum, quod secundùm Commentatorem intelligitur, quia secundùm Deum incedunt, id est, Deum imitantur in actibus suis. Quodam excellentiori modo hoc egit Beata MARIA. Vnde Odilio ait. Vnum pro certo scimus, quia omnis MARIÆ actio, & intentio semper intenta fuit, in Domino. Et vt dicit Albertus. Deiformissimos actus habuit, in summo actu Deum imitata est, quando Deum genuit, & ipsa Deum & hominem generauit. Tertia proprietas est esse exemplatiuum, quod secundùm Commentatorem intelligitur, vt secundùm exemplũ suum hoc faciant, siue ipsi Cherubin secun-
C dùm exemplar diuinæ sapientiæ, quod est Verbum Dei, faciant actus suos, quod exemplar limpidiùs intuentur, siue inferiores faciant, secundùm exemplum, quod habent à Cherubin in multis. Hanc etiam proprietatem habuit Beata MARIA, quæ omnibus recreandis speculum, & exemplar omnis sanctitatis extitit. Vnde Beatus Ambrosius, in libro de Virginitate. Sit vobis tanquam in imagine descripta vita MARIÆ, in qua tamquam in speculo relucet insigne probitatis, & forma virtutis, hinc sumatis exempla viuendi. Exultante autem gloriosa Virgine de tanta plenitudine scientiæ, horum agminum ipsa Mater sapientiæ non se in-
D ter se collocat, sed *ascendit super Cherubin,* *Psalm. 17*
& volauit, vt ait Psalmus 17. *volauit super pennas ventorum*, id est, super omnes vtilitates perfectiorum animarum sanctarum.

§. IX.

ET supremum ordinem Seraphin intuens circundata ab eis ardentissimam charitatem eorum ad Deum collaudat, propterea Seraphin dicuntur, id est, incendentes, quia super omnes ordines Angelorum sanctorum diuino amore incensi sunt, qui est vinculum perfectionis. His assignat Dionysius octo proprietates. Sed tantùm hic tres ponentur, quæ omnes fuerunt eminenter in Beata MARIA. Prima proprietas est incessabile, sicut enim

enim ignis à quo denominantur, inceſſanter agit in materiam ſibi appoſitam, & nunquã dicit ſufficit, vt habetur Prouerbiorũ penultimo, ita amor Dei nunquam eſt otioſus, id eſt, non permittit hominẽ eſſe otioſum, operatur enim magna ſi eſt. Sic Seraphim incenſi diuino amore non ceſſant clamare quotidie vna voce dicentes. Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Deus Sabaoth, perfectiùs cæteris Deum contemplantes, & laudantes. Sed inceſſabilitatem habuit Beata MARIA ſuper Seraphim, quod ſic probat Albertus. Magis inceſſabile eſt quod non ceſſat, & non poteſt modò ceſſare, nec vnquam potuit ceſſare, quàm quòd non ceſſat, & non poteſt modò ceſſare, ſed tamen potuit aliquando ceſſare. Sed charitas Seraphim etſi non poteſt modò, potuit tamen aliquando ceſſare, ſcilicet, in prima eorũ cõditione, quod patet per exemplum Luciferi, qui ſecundùm Beatum Gregorium ſupremus fuit de ordine Seraphim, qui à charitate ſibi collata cecidit de cœlo. Sed charitas Beatæ MARIÆ nunquam potuit ceſſare, quod oſtenditur per hoc: quia charitas non poteſt ceſſare, niſi per mortale peccatum, ſed ipſa nunquam potuit peccare mortaliter: quia in vtero ſanctificata ante quàm poſſet peccare; per ipſam ſanctificationem ita fuit confirmata in gratia, & charitate, quòd poſtea peccare non potuit etiam venialiter, vnde nec amittere charitatẽ, quod tamen potuerunt Seraphim agere, & de facto aliqui amiſerunt, ſcilicet, Lucifer cum ſuis; ergo Beata MARIA in hoc omnes excellit. Secunda proprietas eſt acutum, & exponit Comment. iſtam acuitatem ſapientiæ ſublimitatem. Sicut enim cognitio bonitatis rei mouet ad amandum eam, ita & amor eius dilatat cognitionem, & inducit penetrationem ad intima rei, & in hac acuitate ſapientiæ Beata MARIA Seraphim ſuperat, vnde *& mater dicitur agnitionis.* Eccleſ. 24. quod & Beatus Auguſt. ſic probat. In Chriſto ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, Chriſtus autem in MARIA, ergo omnes theſauri ſapientiæ in MARIA. Et vbi alij participant ſapientiam creatam accidentaliter, ipſa mater eſt ſapientiæ increatæ eſſentialiter. Tertia proprietas eſt non ſolùm calidum, ſed & ſuperferuidum. Et calidum quidem dicitur, quia facit ſopitum animum à tumultu, & ſtrepitu aliarum rerum, quod fuit magis in Beata MARIA. Nam ſecundùm Albert. fortior eſt virtus cæteris paribus, quæ tantundem operatur cum reſiſtentia contrarij, quantùm illa, quæ ſine reſiſtentia, & in tranquillitate, & quiete poſita, ſed cùm Beata MARIA fuerit omnino ſopita ab omni paſſione vitioſa in tumultu poſita tribulationum, & perſecutionum, quæ in Seraphim non fuere, ideo magis calida, ſeu ſopita. Superferuidum exponit Commentator: quia dum per ignem amoris extollitur ſuper ſe per vim amoris ſe expellit à ſe. Hoc habuit Beata Virgo ſuper omnes in ſummo. Vnde canit Eccleſia: Vidi, ſcilicet, per contemplationem ſpecioſam anima, & corpore, ſicut columbam ſimplicitate, & ſanctitate gratiæ, & plenitudine, vnde Spiritus Sanctus apparuit ſuper Chriſtum in Baptiſmo in ſpecie columbæ, aſcendentem, ſcilicet, in cœlum hodie, ſuper riuos aquarum, ideſt, ſuper omnes choros Angelorum, cuius odor inæſtimabilis erat nimis, ſcilicet, fragrantia virtutum in veſtimentis eius, id eſt, conuerſatione ipſius. Item ipſa maximè fuit expulſa à ſe per amorem, quæ ſe totaliter Deo dederat, & totaliter corpore, & anima Deo plena erat, ita quòd nec corpore, nec anima plus gratię ſecundùm ſtatum pro tempore recipere poterat. Et quantò plus gratiæ habuit in ſe, tantò minus habuit de ſe, & ſic cùm gratia plena fuit, de ſe totaliter expulſa fuit. Vnde Beatus Hieron. Totam eam incanduerat diuinus amor, vt nihil eſſet in ea quod mundanus violaret affectus, ſed ardor continuus, & ebrietas perfuſi amoris. Ad hunc igitur ſupremum ordinem perueniens Seraphim Seraphica facta MARIA obſtupeſcentes de tantæ gratiæ ſublimitate, cantum eorum, quem audiuit Iſa. 6. dicentium. *Sanctus ſanctus, &c.* mutarunt in eam, dicentes. O ſancta Dei Mater, & hominum, ô ſancta Virgo Virginum, ô ſancta mediatrix hominum, ò Domina Regina cœlorum, ò Dea Deiformitate actuũ, ô Imperatrix Sabaoth exercituum cunctorum Angelorum decet te gloria, & incendio charitatis ſublimiſsimã in ſupremo ordine noſtro nobiſcum reſidere, vt te perfruamur, ò Beatiſsima. Quibus illa, valde mihi complaceo, ſummè congratulor de veſtro diuino ardore, ſed oportet impleri ſcripturam dicentem. *Non eſt bonum hominem eſſe ſolùm; faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.* Geneſ. 2. Omnes vtique ſancti, & ſanctæ aſſociati ſunt vobiſcum, & alijs ordinũ inferiorum, aut aſſociandi quoad glorificandos in poſterum, ita quòd nullus eorum ſolitarius reperitur, ſed vnus ſanctus cum vno Angelo in quocumque ordinum. *Conſtituit enim Deus terminos populorum iuxta numerum Angelorum Dei.* Deut. 22. Sed cùm filius meus, qui Deus vtique, & homo eſt: quia homo eſt, & ſi in forma Dei non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, vnde ſub Deo eſt, & quia ſummè humiliatus, ideo ſuper omnes Angelos, & Sanctos exaltatus. Non decet igitur eum eſſe ſolum, ſed me matrem ſuam ſecum iuxta eum datam ſibi in adiutorium in redemptione per compaſsionem maximam in glorificatione nunc per interceſsionem continuam pro humano gene-

re,

Eccleſ. 24

Iſai. 6.

Geneſ. 2.

Deut. 22.

re, vt cùm Deus peccatis hominum diluuio flagellorum minatus fuerit terram subuertere, ego vt arcus appaream in conspectu eius indeque recordatus fœderis sui repropitietur eisdem, ne dissipet mundum. Ascendam igitur super vos ad patrem meum, & patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum vsque ad thronum eius, ipse enim me vocat dicens. Veni electa mea mater, & ponam te in thronum meum, veni coronaberis, & regnabis mecum, sicque collocata ad dexteram filij dicere valet. *Quasi cedrus exaltata sum in Libano*, scilicet, vt cedrus super omnes arbores, sic ego super omnes Angelos, & sanctos, quam nos rogare oportet, vt procuret nobis gratiam, & gloriam.

De Assumptione alius sermo. Cap. 45.

Excepit illum in domum suam Lucæ, 10. Quamuis hoc ad litteram dicatur de Martha, tamen perfectiùs illud impletum est in Beata MARIA, quæ etsi Martha non sit nomine, vel persona, est tamen Martha interpretatione. Nam interpretatur ex Hæbreo in Latinum prouocans, & syro sermone Dominatrix, ex deriuatione à Marte, qui secundùm Gentiles est Deus belli propter fortitudinem, sed certè ipsa sua perfectione virtutum prouocauit Deum ad incarnandum de ea, ipsa est Domina cœlorum, & omnium, ipsa est potentissima ad bellandum pro nobis contra malitiam Dœmonum. Et vt dicit Beatus Hieron. in sermone huius solemnitatis. Si Deum ore prophetico in sanctis suis laudare iubemur, multò magis in veneratione Beatæ Virginis Matris eius, & quia iter salutis est in laudibus Saluatoris dicente per Psalm. Domino. Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei, & permaximè laudando matrem ipsius Saluatoris. Si ergo, vt ait Beatus Hieron. Virgo es, lauda, quia meruisti esse, & tu quod laudes, si continens es, venerare, & lauda, quia non aliunde constat, vt possis esse continens, quàm ex gratia Christi, quæ fuit plenissimè in MARIA, quam laudas. Quòd si in cõiugio, aut peccator es, nihilominus confitere, & lauda: quia inde omnibus misericordia fluxit, & gratia, vt laudent, & quamuis non sit speciosa laus in ore peccatoris, noli cessare: quia inde promittetur tibi venia, vnde & omnibus, vt laudes. Beata itaque, & gloriosa Virgo MARIA, ait idem ibi, quamuis dudum incomparabilis esset vniuersis, quæ sub cœlo sunt Virginibus, decenter posset in se suscipere Deitatis admixtionem salua vtraque natura, tamen cùm gratia repletur, cùm Spiritu Sancto perfunditur, cùm virtute altissimi obumbratur, fit pretiosior meritis celsis, A sublimior fastigijs, pulchrior sanctitate, glorioſior suorum prærogatiuis meritorum hæc ille. Ex quibus verbis colligi potest, quòd ipsa Dominatrix tripliciter excepit Christum in domum suam excellentiùs sine comparatione, quàm Martha. Excepit eum per gratiæ infusionem in domum suam animæ rationalis. Excepit eum per ipsius personæ incarnationem in domum, scilicet, vteri virginalis. Excepit eum per gloriæ receptionem in domo sua, scilicet, partis intellectualis. Omnes istas receptiones Christi à Virgine MARIA notat Psalm. in versu illo. *Domini est assumptio nostra* secundùm diuersa eius expositiones, & festum ipsum B assumptio vocatur. *Psal.* 88.

§. I.

Quantùm ad primum dicit Sap. *Nisi te- Eccl.* 27. *nueris te instanter in timore Domini, citò subuertetur domus tua*, non quidem materialis ædificij, vel corporis, sed animæ rationalis, quoad ædificium spirituale. In istã domum suam, scilicet, animæ suæ excepit Beata MARIA Christum per gratiam habitualiter in vtero matris sanctificata, & postea actualiter exercens se, & crescens in gratia Dei per actus virtutum, & sic Domini fuit assumptio sua, id est, id quod assumpsit ex rebus sibi propositis, cũ peruenit ad vsum C rationis, fuit Domini, id est, virtus, seu ipse Dominus. Et pro huius declaratione notandum secundùm Beatum Thom. in 1.2. quòd cùm quis primò attingit ad vsum rationis, primum, quod occurrit animæ agendum est, vt præstituat sibi finem in operibus suis ad quem dirigat ea, quæ fecit. Omnia enim (vt ait Philosophus) agũt propter finẽ. Et si prę stituamus nobis pro fine vltimo mundum, vel ea, quæ in mundo sunt, scilicet, voluptates, diuitias, honores, & huiusmodi, & vt vltimum finem ad illa consequenda, facimus principaliter opera nostra, postponentes Dei mandata, & salutem animæ. Sed si præstituamus, & proponamus nobis Deum, vt vltimũ finem, ad quem dirigamus opera nostra, D intendẽtes ei placere cauere à vitijs, & virtuosè operari, tunc meritoriè incipimus operari, & Christus, quem receperamus in domo animæ nostræ per gratiã in baptismo, quoad habitum, tunc eum recipimus quantum ad actum, scilicet, meritorium operandum, cuius enim finis bonus est, & ipsum quoque bonum est, sicut è contrario, cuius finis malus est, & ipsum opus malum est secundum Philosophũ. Et ex eo Christus recedit à domo animæ nostræ; vnde Beatus Hieronymus in lib. contra Iouinia. Si suscipimus Christum in hospitijs peccatoris nostri, scilicet, per gratiam, & bona opera, fugamus Diabolum. Si autem peccauerimus, & per ianuam peccati

cati Diabolus ingreſſus fuerit, illico Chriſtus recedit, de pœnitentia diſt. 2. ſi enim. Et ideo in illa ætate puerili debent pueri duci ad prædicationes, & frequenter admoneri de moribus: quia faciles ſunt ad recipiendũ omnem impreſsionem boni, vel mali, quod eis proponitur, & ad quod applicantur, vt mollis cæra. Sic MARIA, etſi in vtero matris fuerit ſanctificata, tamen ad vſum perueniens rationis, & citò propter optimam complexionem, elegit optimam partẽ Deum, & hominem pro vltimo fine in omnibus operibus ſibi præſtituens ſemper in gratia creſcens, & Dominum aſſumens pro omni ſua quiete, & fine, excepit eum in domum ſuam animæ ſuæ, dicens cum Ierem. Thren. 3. *Pars mea Dominus, propterea expectabo eum, bonus eſt Dominus ſperantibus in ſe, animæ quærenti eum.* Excepit ergo Chriſtum in domum animæ ſuæ ad virtuosè operãdum. Beatus Ambroſ. in lib. de Virg. Prima MARIÆ virtus fundamentum omnium virtutum, & cuſtos, eſt humilitas ipſa, de qua gloriatur dicens. *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatã me dicent omnes generationes.* Primum diſcendi incitamentum nobilitas eſt Magiſtri, deinde merces laboris. Merces autem laboris optimi fructus beatitudinis. Quid autem nobilius matre Domini? quid ſplendidius ea, quam ſplendor elegit paternæ gloriæ? quid caſtius ea, quæ corpus Chriſti ſine contagione corporis generauit? & tamen ſolam humilitatem reſpexiſſe Dominum profitetur Hęc ille. Merces huius laboris eſt beatitudo. Vnde *ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Qui enim fuerit humiliatus erit in gloria*, ait Salomon, de humilitate hìc practicam pone.

Thren. 3.

Lucæ 1.

Prou. 29

§. II.

QVantùm ad ſecundum dicit Apoſtolus 2. Cor. 5 *Si terreſtris domus noſtra diſſoluatur*, id eſt, corpus, *habemus in cœlis domum non manufactam.* In iſtam domum intrauit Dei filius, id eſt, vterum virginalem, quando Verbum caro factum eſt de Virgine MARIA, vnde dicere veriſimè potuit. *Domini eſt aſſumptio noſtra*, aſſumptio Domini, id eſt, id quod aſſumpſit Dominus ab homine, videlicet caro ſanctiſsima noſtrum eſt: quia de noſtris puriſsimis ſanguinibus formatum eſt illud corpus. Manifeſtum eſt autem, quòd ſapiens rem pretioſiſsimam nunquam poneret in loco ignobili. Non enim ponitur vinum ſolemne, vel maluaticum, vel balſamus in vaſe immundo, nec gemma, vel lapis pretioſus, vt carbunculus, adamas, beryllus, & huiuſmodi includeretur in anulo plumbeo, vel æneo, ſed aureo. Nec magnus Dominus eligeret humilitatem in domo lutea immunda, inornata, ſed in domo magna bene ædificata non ruinoſa, munda, & ornata. Sapientiſsimus igitur Dei filius caſtellum huius mundi ingrediens: quia vidit domum corporis, & cordis virginalis ab eo ædificatam, & fundatam firmiter: quia nec venti ſuperbiæ, nec pluuiæ concupiſcentiæ, nec flumina auaritiæ poſſent eam, vel leuiter mouere ſeptem columnis donorum Spiritus Sancti ſuſtentatam, ſecundùm illud Prouerb. 9. *Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem*, mundatam à vitijs, ornatam virtutibus perfectis, declinauit ad habitandum in ea. *Et mulier ipſa excepit illum in domum ſuam.* Vnde canit Eccleſia. Domus pudici pectoris, templum repente fit Dei, intacta neſciens virum, verbo concepit filium, quod ante per multa tempora multifariè, multiſque figuris fuerat prænunciatum, vt enim inquit Beatus Bernard. ſuper Miſſus eſt, vnus fuit ſpiritus Prophetarum, licèt diuerſis modis, ſignis, & temporibus eandem rem diuerſi, non diuerſo ſpiritu, & præuiderunt, & prædixerunt. Quod enim Moyſi monſtratum eſt in rubo, & igne, Aaron in virga, & flore, Gedeoni in vellere, & rore, hoc apertè vidit Salomon in muliere forti, in pretio eius, hoc poſtea apertiùs in fœmina, & viro, apertiſsimè Iſai. in Virgine, & Deo dicens 7. cap *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel, quod interpretatur nobiſcum Deus, butyrum, & mel comedet.* Butyrum, id eſt, innocentiam, & mel miſericordiæ, hac miſericordiã in ſummo cõmuni cauit matri ſuæ, vt ſicut ipſe eſt pater miſericordiarũ, ita & ipſa mater miſericordiæ nuncupetur. Miſericordia autem nil dulcius ſapit miſeris, nil crebrius inuocatur. Hinc Beatus Bernard. in ſerm. de Aſſumptione in ſermone Signum magnum, ſic ait. Non erat bonum nobis hominem eſſe ſolum, congruum magis erat, vt adeſſet ſexus vterque, quorum corruptioni neuter defuiſſet. Fidelis tamen, & præpotens mediator Dei, & hominum Chriſtus IESVS, ſed in eo diuinam homines reuerentur maieſtatem. Abſorpta enim videtur in Deitatem humanitas, non quòd ſit mutata ſubſtantia, ſed aſſumptio Deificata: quia, ſcilicet, ille homo eſt vna perſonà cum Deo. Non ſolà autem cantatur in illo miſericordia, cantatur pariter, & iudicium: quia etſi didicit ex his, quæ paſſus eſt compaſsionem, vt miſericors fieret, habet tamẽ, & iudiciariam poteſtatem, denique, & Deus noſter ignis conſumens eſt. Quidni vereatur homo ad illum accedere? itaque iam non videbitur ipſa mulier benedicta otioſa. Inuenietur equidem, & locus eius in hac reconciliatione. Opus enim erat mediatrice ad mediatorem iſtum. Crudelis mediatrix Eua

2. Cor. 5.

Pſal. 88.

Iſai. 7.

per

per quam serpens antiquus pestiferum, & ipsi viro virus infudit, sed fidelis MARIA, scilicet, & pia, quæ salutis antidotum viris, & mulieribus propinauit; illa suggessit præuaricationem, hæc ingessit redemptorem per conceptum suum, quo Dei filium excepit in domum suam. Quid ergo ad MARIAM accedere trepidat humana fragilitas? nihil est in ea austerum, nihil terribile, tota suauis est. Hæc Beatus Bernard. Quia igitur plena misericordia, & nil miseris dulcius, aut crebriùs inuocatur, ideo frequenter, immo continuè in nostris miserijs, quibus pleni sumus recurrendum est, & ipsa inuocanda, vt nobis subueniat. Idem Bernard. Sileat misericordiam tuam Virgo Beata siquis est, qui te inuocatam in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse. Hæc igitur domus est misericordiæ, quæ excepit patrem misericordiarum in domum suam.

§. III.

QVantùm ad tertium hodie Beata MARIA excepit Christum pleniùs, & iucundiùs in domum suam, tam animæ, quàm corporis: quia per gloriæ receptionem; ita enim fuit recepta in domo patris cœlestis vbi sunt multæ mansiones, id est, differentiæ præmiorum, quòd & ipsum recepit in domum suæ mentis per lumen gloriæ. Et impletum est illud, quod per Aggæum prædixit 2. cap. *Implebo domum istam gloria.* Si enim de dilectore suo Christus ait Ioan. 14. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*, scilicet, in domo mentis suæ, ego & pater, & Spiritus Sanctus, multò magis dicendum est de quolibet sancto perueniente ad gloriam, vbi est perfectissima dilectio, quæ hic esse non potest, quòd anima Beata recipiat Christum in domo animæ suæ per lumen gloriæ, qui enim manet in charitate in Deo manet per fruitionem, & Deus in eo per comprehensionem, & claram visionem; res enim amata dicitur esse in amante per cognitionem, & affectum. Non fuit autem ista receptio communis, sed singularis super omnes, vt dicere valeat illud per excellentiam, Domini est assumptio nostra, quasi dicat, non Angeli, vel sancti me assumpserunt, seu associarunt egredientem de mũdo, sicut legitur de Lazaro vlceroso, & de sancto Nicolao, & alijs sanctis, sed ipse Dominus me assumpsit, & associauit secundùm illud Psalm. 26. *Quoniam pater meus*, scilicet, mundus, *& mater mea*, id est, omnis concupiscentia, & mala inclinatio *dereliquerũt me*, vt nihil sui inuenirent in me, quod nulli sanctorum concessum est, ideo *Dominus assumpsit me* per se personaliter accedens, vt magis honoraret. Sic enim dicit Beatus Hieron. Credendum est, quòd ipse Saluator per se totus festiuus aduenit, & eã in throno suo collocauerit, & quia vbi Dominus, ibi & familia eius, ideo *& millia millium Angelorum*, qui Domino ministrant, vt vidit Daniel, cum Christo aduenerunt. Assumpta est MARIA in cœlum, vt canit Ecclesia, scilicet, à filio, gaudent Angeli, & cæteri eam associantes, videndum igitur circa huiusmodi assumptionem. Vnde assumpta. Quomodo assumpta. Quô assumpta.

Dan. 7.

§. IIII.

ASsumpta est vtique de hoc mundo, vnde Hieron. Hodie Regina cœli de hoc seculo nequam eripitur, sed vt nobis præberet exemplum, qui omnes habemus facere transitum istum, voluit sanctissimos viros, scilicet, Apostolos in suo transitu adesse, sacramenta suscipere, & sine dolore migratam sepulturæ Apostolos demandasse. Testatur autem Dionys. Pauli Apostoli discipulus in lib. de diuin. nominibus Apostolos interfuisse dormitioni. Beatæ MARIÆ, & Dionys. cum eis, quod, & optauerat ad sui consolationem. Communiter enim dicitur ipsam post ascensionem filij 12. annis superuixisse, vt sexagenaria esset in morte. Et in hoc nos instruit, vt in infirmitatibus grauibus, & mortalibus debeamus quærere habere præsentes seruos, & seruas Dei, quæ orationibus insistant, verbis ad patientiam, & pœnitentiam, & fiduciam de diuina misericordia hortentur. Multæ enim tunc sunt insidiæ Diaboli, sed totum fit contrarium. Non vocatur adiutor, nisi corporis. Tota cura est consanguineorum, quòd eis dimittat bona sua. Sacerdos, vel seruus Dei aliquis vix potest ingredi, ne inducat ad restituendum ablata, quamuis autem non reperiatur in sacra scriptura, vel historia, quòd ipsa susceperit sacramenta, tamen piè credi potest hoc fecisse: non quia egerit, sed vt exemplum nobis præberet, sicut filius suus, & baptismum suscepit, & Eucharistiam. Hoc etiam Alber. tenet in lib. Super Missus est. Igitur sic, & communionem in fine sumpsit, & extremam vnctionem secundùm Albert. & confessionem, non de peccatis, quæ non habebat, sed confessionem diuinæ laudis se indignam insinuans tantis beneficijs. Cuius confessor, vt dicit idem, fuit Ioan. Euang. Et hoc est de quo debent solicitari tam infirmus, quàm amici eius, & noti, vt sacramenta confessionis, & communionis, extremæ vnctionis suscipiat in tempore suo, & deuotè, & non cùm amiserit loquelam, & sensum. Migrans autem de hoc seculo dolorem non sensit, vnde in collecta dicitur, quòd in hac die mortem subijt temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, id est, doloribus mortis. Corpus autem eius ab Apostolis

Agg.

Ioan. 14.

Psal. 26.

vene-

venerabiliter fuit sepulturæ mandatum, non cum pompis mundi, quamuis mereretur omnem honorem, vtpote quia Regina non solùm mundi, sed & cœli, non clamoribus, & incisionibus faciei, vel capillorum, vt faciùt fatui, sed cum hymnis, & lachrimis pijs, non super altari collocatum, vel loco eminenti, vt in templo, sed in loco humili, scilicet, in valle Iosaphat, vbi ostenditur locus sepulchri eius, humilitatem in fine, sicut in te semper insinuans.

§. V.

QVomodo autem sit assumpta. Sciẽdum, quòd fuit assumpta in cœlum valde magnificè. Cum beatorum associatione. Cum Angelorum admiratione. Cum corporis resuscitatione. De primo, sicut de Beato Martino canit Ecclesia, quod refert Sulpitius in eius transitu, sanctorum canit numerus Angelorum, exultant chori, omniumque cœlestium virtutum occurrit psallentium exercitus, quantò magis credendum est, quòd in Assumptione Beatæ MARIÆ, concurrerit tota cœlestis Curia. Vnde in sermone, qui intitulatur Gregor. Magno. Glorificemus Virginem, quam hodie Paradisus excepit gaudens, quam Angeli cum laudibus prosequuntur, quam Angelorum chorus veneratur, scilicet, vt magistram eorum, quam Martyres beatificant candidati, vt Martyrũ Capitaneam, quam sanctorum Confessorum stolatus concelebrat numerus, vt præcipuam confessorum operum perfectionem, cui hodie sacrarum Virginum cum suis palmis victricibus exultans occurrit exercitus. Hæc est enim in cuius vtero Ecclesia coniuncta est fœdere sempiterno, hæc ille. In cuius figuram legitur, quòd *Dauid* reducens *aream* Domini in *Ierusalem* cum septem choris, & innumera multitudine hominum associauit cum magno tripudio, & lætitia, 2. Reg. 6. 2. *Reg.* 6. Arca ista, vt dicetur, est Beata MARIA, quã Dauid, id est, Dominus IESVS reduxit id Ierusalem associatus cum ingenti gaudio, in est, cum septem differentijs beatorum, scilicet, Patriarchis, vt Abraham, Isaac, & Iacob, & alijs Prophetis, vt Isaia, Dauid, Ieremia, Ezechiele, & Daniele, Apostolorum, vt Iacobi Maioris, Martyrum, vt Baptistę, Ioannis, Innocentium, Machabæorum. Stephani, & aliorum. Confessorum, vt Simeonis Gamalielis, & aliorum, Sanctarum Virginum, quæ eam imitatæ sunt post Christi ascensionem. Nam septimus chorus fuit Angelorum innumerabilium, & Beatus Hieron. in sermone. Credendum est festiuæ Genitrici Dei obuiam aduenisse militiam eamq; ingenti lumine circunfulsisse, & ad thronum eam cum laudibus, & canticis perduxisse, cœlestemque Ierusalem tunc ineffabili lætitia exultasse. Ex immensa autem gloria eius Angeli admirantes fecerunt quæstiones, sicut, & Christo in cœlum ascendente. Vnde admirans Spiritus Sanctus de ea, sic ait. *Quæ est ista, quæ sic ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij.* Cant. 2. Vt dicit Hieron. in sermone Admiratur Spiritus Sanctus: quia admirantes fecit, scilicet, Angelos eius in Assumptione. Ascendit autem de hoc seculo nequam ad cœli fastigium, sicut virgula diminutiuè per humilitatem. Erecta tamen per erectam in Deum intentionem, fumi salientis, & se dilatantis per contemplationem, & dilectionem. Ex aromatibus thuris per odoriferam orationem, myrrhæ per veram sensuum mortificationem, & vniuersi pulueris pigmentarij, omnium, scilicet, virtutum perfectionem. Quibus respondet Isaias. Hæc est illa de qua prædixi. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet*, scilicet, Christus IESVS de Virgine ista. Beatus Bernard. ad hæc. O Virgo virga sublimis in quantùm sublime verticem sanctum erigis, vsque ad sedentem in throno, vsque ad Dominum maiestatis. Virgo verè planta cœlestis planta pretiosior cunctis, sanctior vniuersis, ò verè lignum vitæ, quod solùm dignum fuit portare fructum salutis. Secunda quoque Hierarchia admirans de magnificentia gloriæ eius, inquit. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra, vt Luna, electa, vt Sol, terribilis, vt castrorum acies ordinata?* Cant. 5. Progreditur vltra nos, & supra nos graditur, quasi aurora rutilans dilectione, & sicut aurora media est inter noctem, & diem, habens satis de luce, sic ista medium tenuit inter statum viatorum, qui sunt in nocte mundi tenebrosi, & inter statum cõprehensorum, qui sunt in die claræ visionis. Supra omnes enim sanctos viatores est, satis, & propinqua perfectioni beatorum fuit, pulchra, vt Luna: quia sicut Luna plena præcipuè illuminat tenebras noctis, sic illa peccatores, & tribulatos, electa vt Sol: quia sicut Sol illuminat diem, sic illa iustos, & pios, & sicut radios suos vbique diffundit clarior, & plus influens in inferioribus, quàm cæteri planetæ, sic ista clarior cunctis sanctis beneficia sua vbique diffundit, terribilis, vt castrorum acies ordinata, terribilis Dœmonijs plus omnibus sanctis, virtutibus omnibus armata, quibus respondet Dauid Psalm. 44. dicẽs. Hæc est illa de qua prædixi. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circundata, &c.* Regina vtiq; cœli astitit semper ante Deũ, recta stetit sine inclinatione ad aliquod malum, à dextris, id est, in potioribus gloriæ in vestitu deaurato sapientiæ, & charitatis summæ, circundata varietate omniũ

Cant. 2.

Isai. 11.

Cant. 5.

priui-

priuilegiorum sanctorum. Demum, & tertia Hierarchia, & ipsa stupens ait de ea. *Quæ*
Cant. 6. *est ista, quæ ascendit de deserto, delicijs affluës innixa super dilectum suum?* Cant. 6. De deserto ascendit: quia de seculo, quod desertum est virtutibus, & quiete, ipsa tamen sanctissima sine signo alicuius peccati, sopitis omnibus in ea passionibus. Ascendit autem super Cherubim, delicijs, id est, nobilissimis virtutibus affluens, vt exponit Bernard. Innixa super dilectum suum, scilicet, filium quasi vnum cum eo, quibus respondet illa sancta Iudith formoso corpore, & casta specioſa anima, hæc est per gesta mea figurata. Nam sicut occiso Holoferne à me inimico populi Dei, facta terribilis exercitui eius occurrit mihi obuiam ciuitas Ierusalem cũ Summo Pontifice congratulans de victoria per me facta, & plurimùm laudans, & di-
Iudi. 15. cens. *Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri, benedicta eris in æternum*, cap. 15. Sic Beatissima ista MARIA pulcherrima corpore, pulchrior anima, & admirabilis oculis omnium, acta victoria de inimico humani generis infernali cùm reuersa est huc superna Hierusalem cũ Pontifice Summo Christo, qui ad eam accessit laudans, & beatificans eam, admirans tantam virtutem. Tertiò est assumpta cum corporis resuscitatione, hoc autem piè creditur à fidelibus, & à Doctoribus confirma-
Psa. 131. tur. Quod etiam videtur sensisse Psalm. 131. cùm ait. *Surge Domine in requiẽ tuam, tu & arca sanctificationis tuæ*, surrexit Dominus IESVS, nõ quoad Deitatem, quæ nunquam cecidit in aliquem defectum, nec anima eius, quæ nunquam peccauit, & in passione secundùm partem intellectiuam summam requiẽ habuit, sed quoad corpus, quod post afflictiones innumeras cadens in mortem, surrexit, & ascendens in requiem æternam iuit. Arca autem sanctificationis fuit corpus matris, in quo fuerunt, vt in arca veteri figurata, loco virgæ sceptrum Deitatis, loco legis anima sapientissima, loco mannæ dulcedo carnis. Hæc igitur arca sanctificationis, id est, plena sanctis rebus, surrexit in requiem, corpore assumpto in cœlum, hoc Augustin. testatur in sermone dicens. Putredo, & vermis opprobrium sunt humanæ cõditionis, à quo MARIÆ natura excipitur quã IESVS de ea assumpsisse probatur. Idem Thronum Dei thalamum Domini, tabernaculum Christi, id est, corpus Virginis necesse est ibi esse, vbi ipse est, hunc thesaurum congruentiùs de cœlo seruari, quam terra Beatus Bernard. autem hoc tali ratione confirmat. Si corpus Beatæ MARIÆ, remansisset in terris, videretur Christus contempsisse, vel minùs curasse de matris suæ honore, cùm tamen eam semper summè honorauerit, & dilexerit.

A Nam corpora sanctorum, quia in terris remanserunt, & locus, vbi quiescunt, notus hominibus habeatur, multi accedunt ad ea veneranda, vt patet de Apostolis Petro, Paulo, Iac. Nicol. & huiusmodi. Multò magis visitaretur à fidelibus corpus Beatæ MARIÆ si esset in terris. Non ergo passus fuisset filius locum eius ignorari, vt honoraretur à cunctis, si nõ esset in cœlis assumptum, quando autem resuscitatum assumptum fuerit ignoratur. Aliqui enim dicunt ipsa die post sepulturam eius. Alij 3. ad similitudinem filij. Alij 4. die vt legitur in reuelationibus Beatæ Elisabeth sibi ab Angelo intimatum.

§. VI.

B QVantùm ad tertium, scilicet, quò fuerit assumpta, seu vbi collocata, canit Ecclesia, asseuerant omnes Doctores: quia exaltata est super omnes choros Angelorum, vnde super omnes puras creaturas, secundùm Beatum Albertũ, sicut inter naturam increatam diuinam, & naturam creatam rationalem medium est humanitas Christi vnita Deitati, & sic de extremis participat: quia natura de extremo ad extremum transit per medium, ita inter naturam puram glorificatam, & naturam vnitam Deitati, quasi extremo ponitur medium Beata MARIA, vtpote mater eius, quod vnitum est, quæ tamẽ ipsa pura creatura est non vnita Deitati, &
C sic super omnes Angelos, & sanctos est, sed infra Christum. Et hoc ipsa innuit, dicens
Eccles. 24. *Radicaui in populo honorificato.* Eccles. 24
Populus maximè honorificatus est cœtus Angelorum, & sanctorum. Radix autem est principiũ arboris. Imaginemur ergo summitatẽ perfectionis gloriæ beatorum esse in Seraphim ordine supremo. Et ibi incipit perfectio gratiæ, & gloriæ Virginis extendens se erga filium incarnatum. De hac Gerar. in homil. suis. Solus Dominus IESVS Christus potest hanc Virginem magnificare, quemadmodum fecit, vt ab ipsa maiestate laudem continuo accipiat, & honorem, Angelicis stipata choris, Archangelorum vallata turmis,
D Thronorum hinc inde possessa iubilationibus, Dominationum circumcincta tripudijs Principatuũ circumsepta obsequijs, Potestatum amplexata plausibus, Virtutum girata honoribus, Cherubim circunstantiata hymnificationibus, Seraphim possessa vndique ineffabilibus cantionibus. Ipsa quoque ineffabilissima Trinitas hymni tripudio sibi applaudit, atque sua gratia in ea tota redundante, omnes eidem attendere facit, Apostolorum splendidus ordo ineffabiliter gloriam illam extollit, Martyrum multitudo omnimodè supplicat Dominæ tantæ. Confessorum exercitus innumerabilis continuũ sibi personat Canticum. Virginum candidissima

sima concio iugem choream ad suam celebrat gloriam. Inuitè etiam infernus sibi iubilat, & procacissimi Dæmones clamant. Hæc ille. Non autem otiosa ibi manet, sed in supremo sita polit nos commendat suæ proli, procurans, & iustis, & peccatoribus subsidia salutis mentis, & corporis. Hæc est (inquit Fulbertus Episcopus in sermone) quæ quondam in auxilium magni patris Basilij misit sanctum Angelum, qui & mortuum suscitauit, scilicet, Mercurium militem martyrem, qui egressus de tumulo lanceam suam in Ecclesia appensam arripiens ipsum Iulianum Apostatam Imperatorem persecutorem fidelium, qui minatus fuerat Basilio in reuersione sua ex bello contra Persas euersurum ciuitatem cum habitatoribus suis, vbi præsul labatur ipse Basilius, vulnerauit ad mortem, vnde & mortuus est. Ipsa Beata MARIA. Theophilum Archidiaconum, quia iniustè sua dignitate priuatus fuerat, impatiens tantæ iniuriæ per adiutorium Magi Diabolo se tradiderat, instrumentum super hoc conficiendo, & ei auferendo, vt recuperaret dignitatem, & honorem amissum, quod & secutum est; sed postea pœnitentiam agentem, & ipsam Virginem inuocantem de faucibus eripuit. Ad thronum igitur gratiæ eius, & domum gloriæ recurramus, vt inueniamus misericordiam in tempore opportuno.

De quintuplici medio in quibus Dominus IESVS Christus operatus est salutem. Cap. 2.

Psal. 23. *DEus Rex noster ante secula operatus est salutem in medio terræ.* Psalm. 23. Deus vtique Pater, Filius, & Spiritus Sanctus vnus Deus, qui est Rex noster absolutè Rex Regum, & Dominus dominantium, gubernans omnia, & regens, & nos modo speciali ante secula existens: quia ab æterno operatus est salutem terræ, id est, humano generi, quod est de terra, & quid nisi per Saluatorem IESVM. IESVS enim interpretatur Saluator. *Ipse* enim, ait Angelus ad Ioseph. *saluum faciet populum suum.* Prothomartyr Stephanus cùm cœlis apertis vidit gloriam Dei, ait. *Video filium hominis*, id est, IESVM, *stantem à dextris virtutis Dei.* Vidit ergo IESVM non sedentem, sed stantem, scilicet, ad orandum, & pugnandum pro Ecclesia, & coronandum eam. Nam vt ait Bernard. Filius stat ante Patrem, ostendens ei latus, & vulnera, *ipse enim interpellat pro nobis.* ad Rom. 8. Pugnat etiam pro Ecclesia, vnde in figurâ dixit exercitus Pharaonis in mari rubro existens. *Fugiamus Israel, Dominus enim pugnat pro eis.* Et Isai. 63. dicitur. *Ego propugnator sum ad saluandum.* Demum ipse coronat. *Esto fidelis vsque ad mortem* ait *ipse*, & *dabo tibi coronam vitæ.* Apo. 3. *Operatus est ergo Deus salutem in medio terræ*, id est, in Christo, vbi notabimus quinque media, quibus Deus operatus est salutem. Primum medium diuinale. Secundum medium virginale. Tertium medium temporale. Quartum medium locale. Quintum medium virtuale.

Rom. 8. *Exod.* 14. *Isai.* 63. *Apoc.* 3.

§. I.

MEdium diuinale est Dei filius. Ioan. 1. *Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis*, id est, Dei Filius, qui est medius in Trinitate, inter vos stetit, &c. Quãuis enim æternæ Deitati non insit quantitas, vel locus, sicut nec aliud accidens, tamen cùm in ipsa Beatissima Trinitate sint tres personæ, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, patet filium medium esse inter Patrem, & Spiritum Sanctum non localiter, sed numeraliter. Nam secunda persona, quæ est filius, est media in nominando inter primam personam, quæ est Pater, & Spiritum Sanctum, qui est tertia in Trinitate persona. *Operatus est* ergo *salutem Deus terræ*, id est, humano generi *in medio*, id est, in filio incarnato. Non enim Pater, vel Spiritus Sanctus, sed Dei Filius nostram naturam assumpsit, & licèt Deus Trinitas tota sit operata ipsam incarnationem, & salutem, ideſt, illam carnem, illam animã, & illam vnionem, & exinde salutem vitæ, gratiæ, & gloriæ, quia inseparabilia sunt opera Trinitatis ad extra, de consecr. dist. 4. omnes tamẽ sola persona filij vnita est illi de nouo formatæ humanitati. Sicut Anselm. exemplificat de tunica aliqua, quæ suitur à tribus puellis, vel personis, quam tamen vna sola ex eis illam induit, ita solus Dei filius *habitu inuentus est, vt homo* Philip. 2. Et quamuis nil Deo sit impossibile, vnde & potuit incarnari Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Decuit tamen magis Dei Filium carnem assumere tribus rationibus. Prima ex parte assumentis. Euidens est enim, quòd artifex per eandem artem, seu sapientiam mentis facit aliquod opus, & illud destructum reficit, & reformat. Est autem Dei Filius Verbum, & sapientia, & ars, vt dicit Augustinus. Dei Patris omnipotentis, per quem facta sunt omnia secundum illud. Psalm. 103. *Omnia in sapientia fecisti.* Et Ioan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt.* Sed opus eius, scilicet, mundus quasi destructus, & deformatus erat deformato homine per peccatum, propter quem hominem mundus factus erat. Ad reformandum igitur, & saluandum quod perierat, decens fuit, vt per ipsum Dei filium sapientiam, & artem patris hoc fieret, scilicet, eum incarnando. Secunda ratio est, quia cùm *homo* dicatur *factus ad imaginem Dei, & similitudinem.* Genes. 1. destructa, vel deturpata hac imagine per peccatum hominis, etsi non quo

Ioann. 1. *Phil.* 2. *Psal.* 103. *Ioann.* 1. *Genes.* 1.

ad naturam tamen quoad gratiam decebat ad ipsam renouandam, & ipsam pulchrè faciendam, vt hoc fieret per eum, qui est imago, & similitudo Dei perfecta, & hic est filius Dei. Vnde Ambros. tractans illud Psal. 82. *Deus, quis similis erit tibi*, ait. Non vtique nullus, sed filius, qui est imago patris, de pœniten. dist. 1. si Sacerdos. Tertia ratio est ex parte occasionis ruinæ humanæ. *A superbia* dicitur Tob. 4. *sumpsit initium omnis perditio*, quæ superbia fuit in appetendo inordinatè similitudinem Dei in Dei sapientia. *Eritis*, inquit serpens, *sicut dijscientes bonum, & malum* comedendo de ligno vetito. Decens ergo fuit, vt vnde mors oriebatur, inde vita resurgeret per contrarium modum, quia contraria contrarijs curantur, per sapientiam ergo elatam mortuum est genus humanum, sed per sapientiam Dei humiliatam in carne assumpta viuificatum est, & saluatum, & sic Deus operatus est salutem in medio terræ.

Psal. 82. Tob. 4.

A

B

§. II.

SEcundum est medium virginale, hæc est Virgo MARIA de qua assumpsit carnem nostram, in quo *operatus est salutem nostrã*, Vnde dicit Bernard. quòd ad ipsam Virginem tanquam ad medium concurrunt vniuersi. Qui supra sunt Angeli, vt restaurentur, scilicet, in ruinis suis. Qui infra sunt, id est, Patres in limbo, vt liberentur de tenebris. Qui autem fuerunt Patriarchæ, & Prophetæ, vt verificentur in suis, scilicet, prophetijs, & figuris de hoc. Qui post nos erũt, & nos, vt saluẽtur. Adde, qui à dextris sunt, scilicet, Iudæi, vt honorificentur, quòd de eis nata sit Mater Dei. Qui à sinistris, id est, Gentiles Idolatræ, vt illuminentur ad fidem. *Operatus est* ergo *Deus salutem in medio terræ*, id est, in Virgine, quæ est perfectio hominum. Et de hoc Psalm. 45. *Sanctificauit tabernaculum suum altissimus, Deus in medio eius non commouebitur*. Sanctificauit in vtero matris Virginem, purgando ab originali, & religando fomitem, sed magis sanctificauit tabernaculum, quando venit ad habitandum, id est, in conceptione, extinguẽdo fomitem. Vnde Deus in medio eius, id est, in vtero Virginis carnem, scilicet, assumens non commouebitur, nec ipsa Virgo ad carnis aliquam concupiscentiam, nec ipse Deus ad aliquam sui mutationem. Vnde Angelus ad MARIAM, *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi*. Lucæ 1. Vbi Ioannes Damasc. Post consensum sanctæ Virginis, Spiritus Sanctus superuenit in ipsam secundùm Verbum Domini, quod dixerat Angelus purgans ipsam in potentia Diuinitatis Verbi receptiuam præparans simul, & generatiuam, & sanctificauit tabernaculum suum altissimus, & tunc obumbrauit ipsam Dei altissimi sapientia per se, & virtus existens, & copulauit sibi ipsi ex sanctissimis, & purissimis ipsius Virginis sanguinibus carnem animatam anima rationali, & intellectiua, non antiquæ conspersionis seminans, sed per Spiritum Sanctum creans. Hæc ille. Et sic Deus in medio eius. Et secundùm Vincen. lib. 7. in spe. histor. Virtus generatiua fuit excitata in Virgine non naturaliter, sed miraculosè, scilicet, à Spiritu Sancto, qui superueniens in eam, dedit enim virtutem, qua in momento faceret hos quatuor actus, qui in aliorum conceptione fiunt per interualla dierum, scilicet, decisionem sanguinis, consolidationem illius materiæ, conuersionem, scilicet, in carnẽ, neruos, & ossa formationem, scilicet, corporis plene, scilicet, distinctũ in omnibus lineamẽtis corporis humani, sed adeo paruum, vt vix possent lineamenta discerni. Et eodem momento anima Christi de nouo creata, & corpori infusa Verbo Dei vnita fuit. Alij qui concipiuntur non subitò effigiantur distinctè per omnia membra in principio conceptionis, sed per spatium 46. dierum masculi perfectè corpus formatur, & tunc anima creata de nouo infunditur sicut dicit, August. super Ioan. vnde versus. Conceptum semen sex primis crede diebus. Fit lac, reliquisque nouem fit sanguis, ac inde Desolidat duodena dies, bis nona deinceps Effigiat, tempusque sequens augmentat in ortum. Sed omnia ista in Christi conceptione facta sunt subitò, & anima infusa. De corpore fœminæ dicuntur fieri infra octoginta dies, & licèt Virgo Mater nihil extra susceperit, fuit tamen verè, & propriè Mater Christi, plenius etiam, quàm alia quælibet fœmina mater filij, siue quia totaliter illa decisio fuit facta ex carne Virginis non mixtione virilis seminis. Et cùm tota Trinitas operata sit illam incarnationem, vt dictum est, tamen dicitur conceptus de Spiritu Sancto, non quòd de substantia eius, vel solo opere eius, sed propter potentissimum effectum gratiæ Dei, quæ attribuitur Spiritui Sancto: quia homo ille nullis meritis præcedentibus in ipso exordio naturæ suæ Verbo Dei copulatus est in vnitate personæ, & hinc verè Mater Dei dicitur. Est autem ipse Christus conceptus, & natus mediator Dei, & hominum factus ex ipsa incarnatione. Et ideo quia medium participat de extremis, ipse homo IESVS à Deo accepit summam innocentiam: quia sine peccato solus conceptus, ac etiam plenitudinem sapientiæ, & gratiæ. Ioan. 1. *Plenum gratiæ, & veritatis*. De homine accepit mortalitatem, & passiones pœnales, vt famem, sitim, calorem, frigus, & huiusmodo, tristitiam, timorem, iram & huiusmodi. Et mors quidem, & aliæ pœnæ nobis insunt

Lucæ 1.

C

D

Ioann. 1.

ex

ex necessitate in pœnam primi peccati. In Christo autem non ex necessitate: quia peccatum non habuit, sed ex voluntate: quia sua sponte ei subiectus esse voluit ad nostri redemptionem. Passiones etiam interiores, vt tristitia, timor, & huiusmodi fuerunt in eo solùm secundùm propriam passionem, non secundùm passionem, id est, non taliter fuerunt tales effectus in eo ita, vt animus eius aliqualiter à rectitudine, vel clara contemplatione declinaret; vel obfuscaretur, sed in nobis ista contingunt etiam secundùm passionem: quia quantumcunque ex zelo Dei his moueamur, animus, & ratio obfuscatur à Dei quiete speculatiua, & quia boni mediatoris est ponere pacem inter partes, & reconciliare inimicos mediator Dei, & hominum homo Christus IESVS, vt optimus mediator, nos cùm essemus inimici Dei propter iniuriam à nobis ei illatam, nos ei rebellando, & inimico Diabolo adhærendo, reconciliauit Deo, ipsi pro nobis satisfaciendo, & debitum soluendo, quod soluere non valebamus: quia infinitum, *peccata enim nostra*, id est, pœnam eis debitam, ipse *pertulit in corpore suo super lignum crucis*, vt ait Petr. in 1. can. & vitam animæ, & corporis à nobis amissam ipse per mortem suam innoxam nobis restituit. Et sicut ipse mediator dicitur noster, ita & mater eius dicitur mediatrix: quia peccatorum reconciliationem procurat ad Deum. Vnde in sequentia dicitur. Mediatrix hominum, ablutrix criminum, peccatorum venia.

1. *Pet.* 2.

§. III.

TErtium autem medium temporale, in quo Deus operatus est salutem terræ, id est, homini in medio, est determinatio temporis, quo incarnatus est Abacuc 3. *In medio annorum innotescès*, scilicet, tu Deus manifestaberis mundo in carne, scilicet, assumpta. Sed medium non sumitur hic stricte, & punctualiter, scilicet, pro eo tempore, quod æqualiter distat ab extremis, scilicet, principio, & fine temporis, sed largè pro eo quod est inter illa extrema. Nam ab incarnatione Domini, vsque ad præsens tempus fluxerunt anni. M. cccxlix. nondum completo vltimo anno, & quantùm residui sit temporis, vsque ad finem mundi solus Deus nouit, ex multis tamen signis, & prophetijs traditur communiter non multùm duraturum. Sed à principio temporis, id est, creationis rerum vsque ad incarnationem, vel natiuitatem fluxerunt anni quinque millia centum nonagintanouem, secundùm translationem 70. Interpretum, quam sequitur Beda, quam vniuersaliter tenet Ecclesia.

A Sed secundùm computationem ex translatione Hieron. quam tenemus, & ipsam sequitur Eusebius, & Hebræi, quæ etiam consonat Historicis Gentilium à principio mundi vsque ad incarnationem, vel natiuitatem Domini fluxerunt tria millia nongenti 63. anni, non plus. Procedit ista diuersitas opinionũ, vt refert Vincentius in spec. hist. lib. 8. cap. 88. qui scribit, ex eo, quòd prima opinio ponit in prima ætate, scilicet, vsque ad diluuiũ fluxisse annos duo millia 242. & in secunda ætate vsque ad Abraham ponit annos nongentos 40. qui simul fiunt trimillia 184. Sed in nostra editione, seu translatione habemus tantùm annos mille nongentos 48. vsque ad
B Abraham. Non ergo punctualiter ex quo dicitur innotuisse Deus per incarnationem in medio annorum: quia tunc per plura millia annorũ duraret mundus, sed quia inter principium, & finem temporis, quod est medium valde latum. Nõ autẽ in extremitate temporis voluit incarnari, scilicet, in principio, vel fine: quia minus vtilis fuisset medicina ægrotis. Nam si in fine tẽporis incarnatus fuisset, pauci inde fuissent saluati, cùm omnes penè detinerentur tenebris infidelitatis, & peccatorum, boni etiam amodo desperassent de remedio languoris. Nec etiam in principio temporis decuit incarnari. Ante quidẽ lapsum non oportuit. Nam vt dicit Leo Papa in
C serm. Si primus homo in suo honore mansisset, creator hominum creatura non fieret. Aug. Tolle morbos, tolle vulnera, & quæ causa veniendi medico, scilicet, filio Dei? quasi dicat non veniisset in mundum Deus, si peccatum in humana natura nõ fuisset, quod tamen quidam referunt ad passionem, quam sine dubio non sustinuisset, si homo non peccasset, sed ob dignitatem hominis incarnatus fuisset. Post lapsum autem hominis citò incarnari non fuit expediens saluti hominis: quia iam oblitus esset tanti beneficij, immo quod peius est, necdum recognouisset, sed vt superbus, & ingratus homo suo merito attribuisset incarnationem, vel sine
D ipsa æstimasset ex sua cognitione, & facultate arbitrij valuisse salutem consequi, propter quod vt conuinceretur homo de sua ignorantia, & impotentia priùs relictus fuit sub lege naturali, & postea sub scripta, sed experimento didicit, quòd neutra eorum saluare poterat, nisi per aduentum Filij Dei. Et in medio temporis venit. Vnde dicitur. Sapient. 8. *Dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus Domine de cœlis à regalibus sedibus venit.* Circa cuius expositionem Glossa continua super *illud* ad Galat. 4. *At vbi venit plenitudo temporis.* Vel or-

Sap. 8.

Galat. 4.

dinata per Angelos in manu mediatoris, notat triplex silentium. Primum, ex ignorantia languoris. Secundùm, ex desperatione sanationis. Tertium, ex plena quiete mentis. Primum silentium fuit sub lege naturali, in qua homo dimissus sibi ipsi deuenit ad tantam cæcitatem, vt idola coleret, & turpissima opera, contra naturam etiam, inclinationem, scilicet, naturalem animalium peccata non putaret, vt patet in Sodomitis. Et quia ignorabat natura humana peccatum suum, vel morbum suum, medicum non postulabat, aut desiderabat, & sic fuit primum silentium. Conuictus homo de sua ignorantia recepit legem à Deo, in qua docebatur verus Dei cultus, & declarabatur peccatum. Vnde rupto silentio cœpit homo, quærere salutem ex lege, & conari ad obseruantiam eius. Sed quia nihil ad perfectum adduxit lex, quamuis enim ostenderet morbum peccati, non tamen præstabat adimplendi potestatem. Ideo quasi desperans homo de salute sui cessauit clamare, & postulare auxilium, vnde secutum est secundùm silentium, seu medium. Dum ergo istud medium silentium tenerent, omnia omnipotens sermo Dei, scilicet, filius venit à regalibus sedibus, scilicet, de lumine cœli ad tenebras mundi, de consensu patris ad officinam peccati, de sede Regali ad infima huius mundi. Angelus magni consilij in piscinam descendit, vt sanaretur languidus. Helisæus, mortuo puero, se coaptauit, vt viuificaretur defunctus. Samaritanus sauciato vulneribus appropinquauit, vt curaretur semiuiuus, & veniens nunciauit pacem, attulit per gratiam, scilicet, in Sacramentis, quo per orbem insinuato cœperunt ægri ad medicum currere, & flagitare remedium, quo percepto, scilicet, gratia Christi in Sacramentis, peruenitur ad Regnum, vt sequitur tertium silentium, de quo Apocal. 8.

Apoc. 8. Factum est silentium in cœlo. Istud silentium est ex eo, quòd cùm sancti obtineant quidquid appetunt, nihil eis restat petendum, sed cum Domino gaudendum. *Deus igitur operatus est salutem in medio terræ*, scilicet, temporis inter tempus veteris, & noui testamenti, passus est in meridie, quæ

Cant. 1. est medium diei artificialis. Cantic. 1. *Indica mihi, vbi pascas, vbi cubes*, & subditur quasi respondendo, *in meridie*: quia hora sexta crucifixus est.

§. IIII.

QVartum etiam medium, scilicet, locale in quo Dominus operatus est salutem terræ, est Ierusalem, vbi crucifixus est Dominus, quæ dicitur esse in meditullio terræ habitabilis: quia enim Ecclesia propaganda erat vbique terrarum, & propter omnes habitantes in terra incarnatus, & passus est, ideo in medio terræ, quod ex quo respicit circũferentiã. Passus est enim in medio loco inter cœlum, & terram, id est, in aere suspensus in cruce, qui locus est medius inter cœlum, & terram, vt scilicet debellaret aereas potestates, id est, Dæmones, qui manent in aere, & vt viam nobis, seu scalam de cœlo ad terram faceret. In medio etiam latronum: quia satisfaciebat, & pœnam ferebat pro omnibus hominibus. In Adam latrones fuimus, volentes rapere diuinitatem, non enim solùm pro electis per bonum latronem signatis, sed etiam pro reprobis per malum figuratis pœnas tulit, & pro maribus, & fœminis, & Gentilibus, & Iudæis passionem sustinuit, ideo in medio loco operatus est salutem. Notandum etiam diligenter, quòd sicut Sol materialis in medio loco situatus est Planetarum: quia sub se habet Lunam, Mercurium, & Venerem, supra se habet Martem, Iouem, & Saturnum, ita Soli iustitiæ Christus Deus noster in medio ponitur Patrum, & veteris, & noui testamenti. Nam & qui præcedebant, quasi supra partes veteris testamenti, & qui sequebantur, quasi infra partes noui testamenti, tres vndique fidem sanctæ Trinitatis habentes spem, & charitatem clamant Christo, Osanna, id est, obsecro salua: quia ipse est Saluator mundi. Et sicut Sol materialis vltra cursum ad motum primi mobilis, secundùm quem mouetur de Oriente in Occidentem, & infra vnam diem naturalem perficit cursum totius cœli, de quo dicitur Eccles. 1. *Oritur Sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur, & gyrans per meridiẽ flectitur ad Aquilonem.* Habet & cursum proprij motus, qui est de Occidente in Oriẽtem, transiens per medium cœli, & discurrens post signa Zodiaci, perficit cursum totius cœli per annum integrum. Cùm enim à sapientibus mundi designentur 12. signa Zodiaci, quæ continentur in his versibus. Est Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra quoque Scorpio, Architenens Caper, Amphora, Pisces. In quolibet horum signorum stat per mensem secundùm motum proprium. Et incipit post medium Martij, hìc fuit Sol in prima sui creatione. Sic Sol iustitiæ Christus discurrit per signa cœli militantis Ecclesiæ, id est, 12. status diuersa operans secundùm aliquam proprietatem signorum, vt notat Robertus Holkot super lib. Sapientiæ Dicitur autem Aries esse dextera pars cœli, & nobilior pars vnde incipit motus. Vnde Aries est primum signum secundùm Philosophos, & secundũ Catholicos Sol creatus est in Ariete. Trãsiuit ergo

Eccles. 1.

go Sol iustitiæ Christus in signo Arietis secundùm Deitatem, quando creauit hominem, & posuit in Paradiso voluptatis. Aries est animal innocens in genere suo fortè, & potens, in specie sua dux gregis. Sic homo tunc habuit innocentiam operante Deo magnam vigorositatem in naturalibus, & Dominus cunctorum. De isto signo transiuit Christus, & citò ad signum Tauri, qui est animal magnæ ferocitatis, & hoc fit quando peccante homine, Deus ostendit magnam ferocitatem, & seueritatem in puniendo ipsum: quia expulit hominem de Paradiso, tradidit eum, & subdidit eum innumeris miserijs, & post mortem ad inferos misit, in diluuio pene omnes deleuit, in deserto multa millia prostrauit, vt meritò diceretur Deus vltionum. Dicit autem Isidorus in libr. Etymol. quòd Taurus quantumcunque ferus, si alligetur ficui, mansuescit. Ita Dei Filius alligatur virgini dulcissimæ vinculo charitatis, ex qua incarnatus effectus est mansuetus. Iuxta illud, quod prædixerat Zachar. Propheta 9. cap. *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.* Tertiò, de signo Tauri transiuit in signum Gemini, quando duas naturas, scilicet, diuinam, & humanam in vtero copulauit virginis, procedens de thalamo suo, vt canit Ecclesia. Pudoris aula Regia, Geminæ Gygas substantiæ, alacris vt currat viam, depingitur istud signum in forma duorum iuuenum se complectentium, & vt fingunt quidam, isti fuerunt Castor, & Pollux filij Iouis, qui in tantùm sese dilexerunt, quòd cum Castori data esset immortalitas, id est, posse non mori si voluissent, mori voluit pro germano ad tempus, vt vtrique daretur immortalitas, & sic ambo translati sunt, & istud signum Gemini nuncupatur. Sic IESVS Sol iustitiæ hominem germanum suum dilexit, quòd cùm haberet non mori ex conditione naturæ: quia sine peccato, voluit mori pro homine, vt nos immortalitatis suæ tribueret esse participes. Quartò de isto signo transiuit Sol ad Cancrum. Cancer est animal, seu piscis passu retrogrado vadens, & ita Sol iustitiæ Christus videbatur retrocedere quotidie dum vixit. Rectus enim incessus hominis iusti deberet esse de virtute ad honorem, de meritò ad præmium, de labore ad requiem, sed Christus quotidie retrocessit: quia de virtute ad vituperium, de vituperio ad verbera, deinde ad crucem, de cruce ad infernum. Vnde toto tempore à natiuitate vsque ad resurrectionem, Sol noster moratus est in Cancro, & sicut Sole existente in Cancro, maximus feruor mundo diffunditur, ita Christus Sol noster isto intermedio ostendit hominibus maximam charitatem. Quintò, ab isto signo Sol intrat Leonem. Dicit Isidor. libr. Etymo, quòd Catulus Leonis de nouo natus tribus diebus iacet, quasi mortuus, post tres dies rugitu Leonis suscitatur à dormitione, seu morte. Sic Christus in cruce mortuus tribus diebus iacuit mortuus secundùm figuram synedochen, & tertia die virtute patris, id est, diuinitatis surrexit. *Hic est Leo de tribu Iuda.* Apocal. 5. de quo prophetauerat Iacob, benedicens filio suo Iuda. Genes. penult. *Catulus Leonis Iuda* ait, *ad prædam ascendisti, &c.* Sextò, de Leone transiuit in Virginem, toto enim tempore medio inter resurrectionem, & ascensionem tota doctrina, & fides Ecclesiæ in Beata Virgine potissimè conseruabatur. Hæc interim Apostolos, & discipulos docuit, monuit, & consolata est, vtpote illa, quæ repleta erat Spiritu Sancto plenissimè in verbi conceptione, & quæ plus illuminata erat à diuinis, quàm aliqua pura creatura vnquam. Et ideo tunc temporis Sol mansit quoad sui virtutem, & fidem in Virgine. Septimò, transiuit de Virgine Sol Christus in Libram, quando videlicet à Virgine benedicta matre sua, suisque discipulis *videntibus eleuatus est in cœlum.* Actuum 1. tunc enim transiuit ad Libram, quando coram patre passionis suæ meritum contra primi præuaricatoris peccatum appendit, ostendit plus soluisse in pœna, quàm Adam commiserat in culpa. In cuius persona, inquit, Iob 6. cap. *Vtinam appenderentur peccata mea,* id est, grauitas peccatorum hominum *pro quibus patior, & calamitas,* scilicet, pœnæ, *quam patior, in statera, quasi arena maris hæc grauior appareret.* Octauò, de Libra transiuit in Scorpionem, quando corpus suum, quod est Ecclesia Tyrannorum, & Hæreticorum persecutionibus, quasi quorundam Scorpionum aculeis pungi permisit, qui primò per blanditias, & promissionem quoad Tyrannos Paganos, per simulatam sanctitatem, & doctrinam, quo ad Hæreticos, quasi more Scorpionis palpabant, sed post veneno caudæ occidebant, vt meritò posset tunc illud dici. Increduli, & subuersores sunt tecum, & cum Scorpionibus habitas. Nonò, de Scorpione transiuit in Sagittarium Sol, quod videtur impletum tempore Syluestri Papæ, & Constantini, qui primò introduxerunt Ecclesiæ temporalia, vnde oriuntur iudicia, placitationes, dissensiones inter Clericos, quis eorum videretur esse maior ad pascendum oues Christi. Et hæc est causa, quare volant sagittæ acutæ, nunc supplicationum ad Romanam Curiam, nunc accusationum, & diffamationum ad inferiorum Iudicum audientiam, ita quòd plena est Ecclesia aduoca-

Zacha. 9.

Actor. 1.

Iob 6.

uocatis in omni causa ad defendendum iniuriam, & ideo vsque in hodiernum diem
Prou. 25 Sol stat in signo Sagittarij. Prouerb. 25. *Iaculum gladius est sagitta acuta, homo qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium*, & hi sunt, qui Christum spoliant, & prædantur, si esset ita pauper modò sicut fuit, quando vixit in terra, non essent tales placitationes, nec tales inuasores, quando Ecclesia erat paupercula, quærebant eam homines ditare eleemosynas, nunc quia dives est, quærunt expoliare, & sagittare contumelijs, detractionibus, & prædationibus,
1. Re. 31. & aliquando mortibus, vt meritò possit illud dici. 1. Reg. 31. *Secuti sunt eum sagittarij, & vulneratus est à sagittarijs.* Transibit autem Sol iste in signum decimum Capricorni tempore Antichristi. Capricornus habet primam partem corporis caprinam, & tunc Sol est in maxima elongatione à nobis, quia in primo puncto Capricorni est solstitium hyemale, vnde significat Antichristi tempus, qui Antichristus caprinus dici potest, tum quia capra est animal valde libi-
Dan. 11. dinosum. Et de Antichristo scribitur Dan. 11. *quòd erit in concupiscentijs fœminarum*, tum quia capra generat hædos, & filij sui, at-
Matt. 25 que sequaces hædi vocantur. Matth. 25. *Statuet hædos à sinistris.* Et tempore Antichristi erit Sol Christus quasi in signo Capricorni: quia videbitur quasi maximè elongatus à nobis, id est, Ecclesia, sed non durabit, quia statim in Capricorno incipit Sol ascendere, & Christus statim occiso Antichristo in cordibus suorum fidelium refulgebit. Vndecimò transibit in Aquarij signum huiusmodi depingitur imago hominis tenentis vrnam subuersam, de qua aquam pleno ore prorumpit, & significat tempus post mortem Antichristi, quod erit ad minùs 40.
Dan. 12. dierum secundùm prophetiam Dan. 12 vbi dicit. *Beatus, qui expectat ad dies mille ducentos.* Vtrùm autem mundus plus debeat durare, & quantùm est nobis ignotum. In illo ergo tempore post mortem Antichristi pluet Christus gratiam, & misericordiam suam copiosè super illos; qui tunc erunt electi, qui prædicatione Antichristi vacillauerant. Vnde Christus Sol erit, quasi in aquario effundendo aquam gratiæ, secundùm illud Ezechie. 36. *Effundam super*
Ezec. 36. *vos aquã mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Vltimò Sol transiens ad signum Piscium, & quando Sol ad signum Piscium peruenit, tunc hyems recedit, & inchoatur ver, secundùm versum. Cedit hyems retro Cathedrato Simone Petro, quo die Sol est in piscibus, quo tempore radices herbarum, & semina in terra latentia priùs incipiunt exurgere, & terra incipit aperiri, & pandere, quæ occulta tenebat, & significat tempus, & statum vltimum resurrectionis corporum humanorum quando terra se aperiet, & reddet luci corpora ibi abscondita. Et tunc erit Christus Sol quasi in Piscibus, quando veniet ad iudicandum cum Apostolis piscatoribus suis, & tunc implebitur illa parabola. Matth. 13. *Matt. 13*
Simile est Regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti, quam cùm impleta esset, educentes elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt, sic erit in consummatione seculi. *Abac. 1.*
Abacuc. 1. *Facis homines, vt pisces maris.* Et sicut in fine piscium est ipsum oriens, quod dicitur caput Arietis, vbi Sol fuit primò creatus, & ibi stabit in perpetuum, nec mouebitur vltra circa terram, non faciens ortum, nec occasum. Ita & Sol iustitiæ Christus stabit in medio electorum suorum sine fine, *& tunc delectabile erit oculis videre Solem.* Eccles. 11. *Et Sol, & Luna*, id
Eccl. 11. est, Ecclesia *fieterunt in habitaculo suo.*
Abac. 3. Abachuc. 3. Ecce discursus Solis Christi per vnum maximum à principio mundi vsque ad finem per duodecim signa cœli, id est, per duodecim status Ecclesiæ militantis, vt veniat ad triumphantem.

§. V.

QVintum medium, in quo Deus operatur salutem terræ, id est, hominis, est medium virtuale. Et in alij, medijs operatus est Deus salutem in generali, per hoc autem vltimum operatur salutem in quolibet singulari, scilicet, vbi est medium virtutis.
Matt. 18 Matth. 18. *Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo*, id est, aliqui habentes duo præcepta charitatis, vel fidem viuam Trinitatis *congregati* ad quærendum salutem suam, quod includitur in nomine IESV *ego sum in medio eorum* ad dandam salutem. Virtus enim, quæ necessaria est cuilibet in particulari, consistit in medio. Vnde dicit sapiens, quòd virtus est medium ab vtroque extremorum participatum. Exempli gratia. Liberalitas est virtus consistens in medio, extrema eius sunt auaritia, & prodigalitas, auarus est nimis retentiùs, prodigus est nimis emissiuus pecuniæ, liberalitas autem de vtroque participat, sed debitè, nam est retentiua, sed non indebitè, vt auaritia, sed secundùm quòd debet, & est emissiua pecuniæ, sed non inordinatè, vt prodigalitas, sed quãdo debet. Philosophus in Ethicis diffinit, quòd virtus moralis in medio consistit, propter quod Poeta ait. In medio tutus ibis. Et alter. Medium tenuere Beati, & Bernard. Tene medium, si non vis per-

perdere modum, scilicet, debitè operandi. Et Horat. Est modus in rebus, sunt certi denique fines. Quos vltra, citraque nequit consistere rectum. Et Isaiæ 30. dicitur. *Hæc via,* Isai. 30. scilicet, virtutum, *ambulate in ea, quia ducit ad vitam, non declinetis ad dexteram,* per excessum, *nec ad sinistram,* per defectum, Gregor. 31. moral. Ideirco Dei filius inter nos homo factus est, vt non solùm nos sanguine fuso redimeret, sed etiam ostenso exemplo commutaret, in conuersatione nostra alia inuenit, & viuendo alia docuit. Studebant homines superbi, Adam stirpe geniti, prospera vitæ præsentis appetere, aduersa deuitare, opprobria fugere, gloriam quærere. Incarnatus Dominus aduersa appetens, gloriam fugiens, vt ergo doceret nos semper virtuosè operari, vt salutem consequamur Dominus IESVS in medio se posuit. Lactan. in 3. Instit. Discant homines, & intelligant, quare Deus Summus cum Legatum, & Nuncium suum mitteret ad erudiendum plebem præceptis iustitiæ, immortalitatem voluerit carne indui, & cruciatu affici, & morte mulctari. Nam cùm iustitia nulla esset in terra Doctorum, misit quasi viuam legem, vt nomen, ac templum nouum condere, vt verum, & pium cultum per omnem terram, & verbo, & exemplis seminaret, sed tamen, vt certum esset à Deo missum, non ita nasci oportuit, sicut homo nascitur ex mortali vtroque concretus, sed vt appareret in homine illum esse cœlestem, creatus est sine opera genitoris: habebat spiritualem Patrem Deum, & sicut Pater spiritus eius Deus sine matre, ita mater corporis eius Virgo sine patre. Fuit igitur Deus, & homo inter Deum, hominemque medius constitutus, vt hominem ad Deum perducere posset, id est, ad immortalitatem, quia si Deus tantùm fuisset, exempla homini præbere non posset virtutis; si homo tãtùm, non posset hominem ad iustitiam cogere, nisi authoritas, & virtus maior hominem accederet. In natiuitate in medio brutorum, in templo in medio Doctorum, in cruce in medio latronum, in resurrectione in medio discipulorum, vt patet in Euangelijs. Primum medium innuit prudentiam. Nam duorum animalium, inter quæ natus dicitur positus, iuxta illud. *In medio duorum animalium innotescet.* Asinus significat nimiam simplicitatem, seu stoliditatem. Bos ruminans, & morosus nimiam sapientiam, sed quia vtrumque extremum vitiosum, ideo Christus non stetit sub asino, vel boue, sed in medio: quia in virtute prudentiæ reperitur, qui nec sibi nimis acquiescit, nec nimis credulus est, & incautus. Secundum medium insinuat iustitiam; nam Doctores illi in templo in alijs quibus erant nimis iusti, id est, seueri, vt in decimando rutam, & anetum, & omne olus, vt Christus inuehit contra eos. In alij nimis remissi; vnde Christus dixit eis. Quæ grauiora sunt legis, relinquitis, vt mandata, sed Christus in medio se locat: quia iniustitia. Tertium medium est temperantiæ. Vnde Christus in cruce, per quam homo se temperantia mortificat, quasi crucifigens carnem suam, in medio latronum positus fuit. E quibus qui à sinistris erat, nimis compatiens corpori suo, nolebat pati, sed liber esse à pœna. Alter quasi sibi austerus, non curans de pœna sua. Sic aliqui sunt intemperati, qui nil mali, & austeritatis volunt in corpore ferre, sed deliciari, hi cõmuniter reprobi, alij qui licèt boni nimis sibi austeri sunt indiscretè affligentes se, sed Christus in medio inuenitur docens, vt scilicet, castigati, & non mortificati *exhibeant corpora sua hostiam sanctam, Deo viuentem,* vt ait Apostolus ad Roman. 12. Quartum est medium fortitudinis. Resurgens IESVS, & discipulis apparens *stetit in medio eorum.* Ioan. 20. Ex his discipulis aliqui, vel aliquando videbantur, & erãt nimis timidi, quod patuit, quando relicto eo, fugerunt, & sic in naui, quando clamauerunt dicentes: *quia phantasma est.* Ioan. 20. Matth. 24. Aliquando, vel aliqui videbantur præsumptuosi, & audaces, vt Petrus, qui dixit: *Etiam si oportuerit me mori tecũ, non te negabo.* Matt. 24 Matt. 26 Christus non se posuit iuxta Petrum, vel alium, sed in medio, vt discamus fortes esse, non audaces, & præsumptuosi, nimis de nobis confidentes: quia tales sunt primi ruentes, nec nimis timidi, dimittendo aggredi ardua, & bona opera. Sic igitur operatur salutem in medio virtutis.

Rom. 12.

De Virgine MARIA per modum doctrinæ. Cap. 2.

OMnis gloria eius filiæ Regis ab intus in fimbrijs aureis, circumamicta varietatibus. Psalm. 44. Filia Regis fuit Virgo MARIA: quia Regali ex progenie MARIA exorta refulget, sed spiritualiter filia Regis æterni, non solùm per creationem, sed per adoptionem gratiæ super omnes alios sanctos; vnde de ipsa intelligitur dictum. Omnis gloria eius, &c. vbi tria videnda sunt. Primò, sublimitas singularis, ibi. *Omnis gloria eius filiæ Regis.* Secundò, probitas virtualis, ibi, *Ab intus in fimbrijs aureis.* Tertiò, pluralitas priuilegialis ibi, *Circumamicta varietatibus.* Psal. 44.

§. I.

QVantùm ad primum, gloria aliquorum est, & laudantur de bonis naturæ, aliquorum gloria de bonis gratiæ, de quibus laudãtur, alij laudantur de bonis supernæ gloriæ, aliorum est gloria de bonis fortunæ. Verùm huius Virginis gloriosæ omnis gloria eius: quia est per excellentiam filia adoptiua Regis æterni. Absalon, & Rebecca multùm laudantur de pulchritudine, licèt omnis *gloria eius quasi flos fœni*. Isai. 40. Gloria ista non deficit in MARIA. *Tota pulchra es, & macula non est in te*, & pulchra, vt Luna. Et optimè in naturalibus complexionata, quod multùm iuuat ad bonitatem. De bonis gratiæ ait Apostolus. *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ*. Omnis virtutis gloria est in MARIA, de omnibus enim laudatur super omnes sanctos. Vnde dicit Ecclesiastici 24. *Et radicaui in populo honorificato*. Populus honorificatus à Deo, & hominibus sunt virtuosi. Sapien. 19. cap. *Magnificasti populum tuum* scilicet, tu Domine Deus, *& honorasti*. Vbi ergo terminatur omnis virtus, & perfectio viatorum, ibi vt radix, quæ est principium arboris, inchoat virtus MARIÆ. De bonis gloriæ. Psal. 149. *Gloria hæc est omnibus sanctis eius. Et in plenitudine sanctorum* (ait MARIA) *detentio mea*, id est, in plenitudine gloriæ beatorum ego detineor, vt glorioſior omnibus secundùm Hieronymum. Inter bona fortunæ connumeratur fama, & laudatio, omnesque gloria accenduntur ad studia. Et licèt sancti, & permaximè Beata MARIA non quærant, sed fugiant istam gloriam, sed quærant gloriam Dei, iuxta illud Matth. 5. *Luceat lux vestra coram hominibus, &c.* Tamen quantò magis fugiunt, tantò magis Deo operante, glorificantur, & laudantur. Omnis igitur gloria eius. Vnde ipsa Prophetans de se ait, *Beatam me dicent omnes generationes*, quod tractans Dominus Ioan. Dom. Cardin. super Magnificat. *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*. Vox est non dubitantis, sed affirmantis, & demonstrantis, sicut Ioannes, cùm dixit, *Ecce agnus Dei*. Fuit autem certificata de hoc futuro per triplicem viam, per quam potest sciri aliquid. Primò, per rationem discurrentem. Secundò, per testificationem competentem. Tertiò, per experientiam sufficientem. Per rationem quidem discurrentem primò probatur sic; quia ratio præteriti scire futura facit. Dicat ergo sic Beata MARIA. Me fecit castiorem vniuersis, me direxit in omnibus agendis, me præseruauit ab omnibus illicitis, me fecit in templo admirandam sodalibus, stupendam sacerdotibus, me maritauit stupentibus cunctis populis, me fecit reuerendam spiritibus Angelicis, ergo præponit me prædicandam, & venerandam omnibus generationibus. Iste inquam discursus consequentiam format, habet pro medio, quòd Deus fecit omne opus perfectum, & valde bonum, nisi ipsum opus perficiendum habeat liberum arbitrium, & taliter opifici contradicat, quòd sub obstetricante manu sua egrediatur coluber tortuosus, sicut in Angelo primo per Iob narrat Spiritus Sanctus, cuius oppositum in se erat experta, id est, totum fuerat sibi notum cum pluribus, quas referre longum foret, & impossibile. Ratio autem solùm per enthimema procedit, & consequentiam. Ad hanc certitudinem etiã arguitur à simili, quod non tenet infimum locum in argumentis. Argumentum autem dicitur à simili per figuram, sed est à maiori per naturam, & sic ait. Si edito sexto, scilicet, filio Aser Iacob moriente interpretatur panis pinguis præbens delicias regibus, quantò magis beatam me dicent omnes generationes, quæ humilis ancilla concepi, & peperi perfectum? sic numerus senarius notat Christum, qui sextæ dat initium ætati, & est verus panis, qui de cœlo descendit. Consequentialiter iterum arguit sic. Ego sum tota Deifica, ergo beatam me dicent omnes generationes, dictum est notum, quia vt supra dictum est, in ipsa habitabat plenitudo Deitatis corporaliter. Sequela autem patet, cùm non solùm omnis homo, sed omnis creatura Deum benedicat, iuxta illud Dan. 3. *Benedicite omnia opera Domini Domino* Syllogistice tamen ratiocinatur sic: omnes saluati benedicant eos, per quos principaliter saluabuntur, sed per filium meum, & me de omni generatione saluabuntur, ergo beatam me dicent cum filio meo omnes generationes. Maior est nota per viam gratitudinis sanctæ, & minor patet multipliciter. Primò, quia dedit carnem, per cuius passionem sumus liberati. Secundò, exemplum viuendi per suam præsentiam. Tertiò, viam pœnitendi per suam doctrinam. Vnde ex omni generatione aliqui sunt saluati, & saluabuntur, sicut continua miracula sua demonstrant. Sciebat præterea secundò hoc ipsum per testificationem competentem. *In ore enim duorum, vel trium testium stat omne verbum*. Nec obstat, quòd duo, vel tres, vel etiam mille simul concordes in malum testificantur falsum contra sanguinem iustum, sicut factum est contra Naboth in veteri testamento, & contra Christum in nouo, licèt enim ciuiliter

Isai. 40.
Eccles. 24
Sap. 19.
Ps. 149.
Eccles. 24
Matth. 5
Lucæ 1.
Ioann. 1.
Dan. 3.
Matt. 18

uiliter patiatur tueri, qui iustum tanquam reum damnat ad mortem, duobus, vel tribus testificantibus, coram Deo verò est culpabilis, nisi alij testes eum condemnent, quàm duo, vel tres homines, qui reputari debent pro vno, si etiam forent mille. Est ergo testis vnus homo specificè, qui dicitur accusare, & testificari suam testificationem fore legitimam, sine qua malè iudex procedit in causa. Secundus testis est veritas ipsa enucleata, & comprobata, quæ quidem ministerio Angeli in lucem procedit à Spiritu Sancto, & sic sunt duo, vel tres, id est, homo, qui accusat, & suam accusationem contestatur. Secundus veritas, qui est Angelus, vel Spiritus Sanctus vnus, vel duo, & dicitur disiunctiuè, quoniam ad veritatem ipsius sufficit alter ipsorum, scilicet, Spiritus Sanctus, vel Angelus. De his duobus, vel tribus loquitur Christus prout est veritas, secundùm Matth. 18. *Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, sum in medio eorum*, talique concordiæ se efficaciter annuit esse. Ad hunc sensum iubent leges tam canonicæ, quàm ciuiles subtilissimam, & prudentissimam examinationem faciendam præstita, si dubitatur de vita, vel fama, aut testium culpis, cautione. Hoc modo sacra Virgo MARIA certificata per Angelum dicentem. Benedicta tu in mulieribus, quòd esset ab omnibus generationibus benedicenda. Mittitur ad Elisabeth, quòd id dicat eidem, quod & fecit. Benedicta tu inquiens inter mulieres. Certificauit Angelus, qui mentiri non potest, certificauit, & homo, qui Prophetam veritatis gerebat, certificauit, & Spiritus Sanctus, qui in vtero fermonem formabat, & in scriptura sacra illas notauerat, quæ benedictiones portauerat sub figuris sancti viri veteris testamenti, quasi stellæ veri solis præmonstrabant ortum, & vitam. Sic omnes mulieres quomodolibet laudibus attollantur MARIÆ Virginis figurabant virtutes, & eius mores præfatos. Nam benedicta fuit in Eua benedictione generationis maternæ. Illa enim fœmina Mater fuit cunctorum in terra viuentium. Beata Virgo Mater est omnium in cœlum ascendentium. Matrimonium replet terram, Virginitas MARIÆ replet cœlum. Benedicta quoque est in Sara, quæ peperit risum, isti præludens, quæ gaudium genuit vniuerso mundo. Præfiguravit Rebecca prudenter vendicans benedictionem Iacob, cùm vellet Isaac Esau benedicere, MARIÆ benedictionem, sub qua, reprobato antiquo populo Hebræorum, populus Christianorum benedictionibus est repletus. Actiua Lya, cui septem adscribuntur filij nati, vitam totam actiuam præscripsit MARIÆ, quæ per septenarium numerum integratur. Inter cu-

Matt. 18

A ius opera, vt minùs describitur perfectum mortuos sepelire, quod à Christo non nominatur, cùm in iudicio de his examinat iudicandos, sicut illa inter septem edidit Dinam. Speciosissima Rachel contemplatiuam præditeat Virginis Matris, quæ pariter per augmentum virtutum in Ioseph, & dolorem, seu tædium vitæ præsentis in Beniamin matricida. In Assenem autem Phutipharis Sacerdotis Heliopoleos scimus MARIAM ex progenie Sacerdotali, & Regali, quæ illum conciperet, qui Rex erat, & Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech. In hac cantatrice MARIA cantauit Maria soror Moysi, infernali iam Pharaone

B submerso, cuius canticum trahitur in illud. *Magnificat anima mea Dominum.* Mitissimi Prophetæ conux dilecta inseparatum matrimonium inter lucidissimum Deum, & abominabilem humanam naturam, quæ tamen formosa fuit, in MARIA significauit, ipsa alibi dicente. *Nigra sum, sed formosa, filiæ Ierusalem.* Cantic. 1. Thamar iustior iustò inauditum à seculis partum dicit, quam defendit apud multos suspectos anulo matrimonij contracti cum sene Armilla pudicitiæ comprobante, & virga potestatis diuinæ, qui hoc prædixerat de Prophetis futurum. Raab non meretrix, sed honesta stabularia, sicut littera docet

C Hebraica, liberatricem populi, non sui, sed sui futuri præfigurat glorioſam MARIAM. Hæc Paradisi portas patefecit, & cum Delbora sceptrum populi tenet electi contra hostem antiquum, quem clauo Iahel prudentia Syſaram necauit. Annunciat Angelus Mannuæ Sanſonis Virginis partum, quam venustam insinuat Noemi sic interpretata. Et Angelus Ruth matrimonio iungit Booz veterano, scilicet, Ioseph. Michol à Dauid dilecta speciali decore aspectum in se trahit diuinum, & liberat iam desiderabilem ad Ægyptum deportans. Abigail humilis dicit. Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.

D Abysach antiquum dierum suo fouet in sinu, quem solo lactet vbere de cœlo pleno. Anna, quæ gratia interpretatur, votum virginitatis per matrem Samuelis bonum maritalis societatis per eam, quæ fuit Tobiæ, & donum in Deum intentæ viduitatis in veterana prophetissa MARIAM plenius declarauit. Bersabee fons, ex quo oritur illa sapientia, quæ est maior Salomone, priùs tamen sanctificata, & finem ponit legi datæ in igne deserti, Vria occiso, dum leges seruat, quæ maxima vetustate abducuntur, & ad Regem Regum transiuit, sub quo fulget lex libertatis, & gratiæ. Ecce peccatorum interuentrix potentissima Techuites, quæ non patiebatur repulsam in-

Lucæ 1.

Cant. 1.

ter Ioab, & Dauid pro pessimo, scilicet, Absalone. Sagaciter denique quis promisit Iudith fortitudinem. Helter notauit iustitiam, rectitudinem, & patientiam pro ipsius effectu. Si cupis potenter videre contra eos, qui detrahunt suæ bonitati, & maculare satagunt puritatem. Ecce noua Sara, cuius 7. amatores non casti à Dæmone sunt necati. Si charitatis viscera paupertate deliderantur, copiosa in Saraptena vidua Helias istam requirit. Et Heliseus in Sunamite deuotionem, & fidem in filij suscitatione veneratur MARIAM completa ad omnia vasa vacua, quæ sibi MARIÆ fuerint oblatæ, innuit mulier illa, cuius vnus erat mortuus, & filij creditores duo remanserant. Vidimus rosam Paradisi 30. folijs integratam, & totidem odoribus prædotatam, præter illa, quæ intrinsecus, vt dici possit, *quasi plantatio rosæ in Hiericho*. Eccles. 24. Certificatur tertiò per experientiam rerum magistram. Quis enim valeat dubitare, quin hæc Virgo plena Deo, cui omnia nuda, & aperta sunt in ipso Verbo, quod gerebat, & in pectore gerebat, in mente futura cuncta videri, & apertè agens, si quid indispositum agit indubiè, & suam formam inducit? Tam dubitabile est, quòd Virgo grauida Dei sciuerit futura dubitare, quã Angeli Deo præsentes, qui omnia vidêt, videant vniuersa. Nam nec ista Virgo erat ei remotior, qui in ea essentialiter existens de anima sua fecerat cœlestis aulam Paradisi. Nec minùs illis disposita, quæ per maiorem gratiam possidebat Deum, quàm ipsi. Ecce agens dispositum ad agendum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et ecce disposita stella, quæ tantæ lucis recipiat radios fulgentes, quæ quidem eclipsim pati non potest, cùm nil interueniat medium inter agens, & passum, nimirum ante conceptum tanti splendoris magis videbat, quàm cæteri viatores, eò quòd esset disposita magis, nec aliquid ignorat quodammodo fons sapientiæ facta. Quatuor enim actus viatorem disponunt ad clariùs intuenda. Primum est castitas, & puritas hominis veriùs: *quia non introibit sapientia in malenolam animam, &c.* Sap. 1. Sed *transfert se in animas sanctas* Sap 7. Secundum obedientia vera, ipso dicente. *Si quis voluerit voluntatem eius facere, qui misit me, sciet de doctrina mea, &c.* Tertium est doctrinæ sanctæ magistra paupertas voluntaria, quæ in monte locat Petrum, Iacobum, & Ioannem, vt in gloria sui videant Dominum cum Prophetis. Quartum humilitas secundùm illud Matth. 11. *Abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Sed quòd ista sint Virginis matris, patet. Quis enim narrabit obedientiam suam, quæ etiam quinquennis, & ante se totam regendam subiecit? Pollebat quoad secundum tanta puritate, qua maior sub cœlo nequit intelligi. Paupertatem etiam Regiæ Virginis in partu peregre constitutæ. Quoad tertium tantùm vide, quod pro tanto filio agnum non valens offerre *par turturum, vel columbarum* obtulit, Lucæ 2. Humilitas autem eius quoad quartum Deum traxit de cœlis, sed istud prosequendum in sequenti. §. vide.

Ecclesiast. 24.

Sap. 1.

Sap. 7.

Ioann. 7.

Matt. 11.

Lucæ 2.

§. II.

QVantùm ad secundùm probitas virtutis eius notatur ibi, *ab intus in fimbrijs aureis.* Fundamentum si quidem omnium virtutum humilitas est secundùm Hieron. & complementum charitas, *quæ est vinculum perfectionis.* Colos 3. Primum notatur in MARIA ibi. *Ab intus.* Est enim vera humilitas *ab intus* non ab extra. Consistit enim secundùm Bernard. in vera sui ipsius cognitione, sibi vilescens ex ea. Vnde & Christus dicit Matth. 11. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*, & non dicit corpore, sed corde, quod est ab intus. Prima MARIÆ virtus, ait Ambros. fuit humilitas, vnde & ipsa de hac singulariter gloriatur, dicens. *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Exemplo Virginis tantæ ratione quilibet vtens discet ab ea se hominem esse, non Deum, vbi Dea facta immo deifera, cui subderetur humiliter Deus, dixit. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Et hoc, *quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Sciat vnusquisque se nõ esse Seraphum exemplo MARIÆ quo charitas immobiliter manet, & non prę sumit de amore cœpto, cum ipsa iuxta crucem manens fuerit absoluta à Ioseph, & amorem vnigeniti patienter transtulit in Euangelistam Ioannem, quem patienter recepit in suum crucifixo iubente loco tanti Christi dilecti. Videant omnes stellam maris MARIAM se non habere sapientiam Cherubim profitientem, cùm post triduum in templo reperto filio, coram omnibus dixit. *Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus, & ego dolens, &c.* Lucæ 2. Thronorum quoque iustitiam non esse, nec habere professa est, quando filio dixit in nuptijs, *vinum non habent*, auditura exemplo. *Quid mihi, & tibi est mulier? nondum venit hora mea?* A Dominationum speculatione sublimi alienam se monstrauit, cum Angelo seruo suo disputans, & dicens *quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Lucæ 1. Virtutum authoritatem ad facienda miracula se negat habere, cùm sine dubio requisita per seruos, vt de-

Colos. 3.

Matt. 11.

Lucæ 1.

Lucæ 2.

Ioan. 2.

Lucæ 1.

deficientis vini suppleret ærumnosos defectus. Respondit: *Quodcumque dixerit vobis*
Ioann. 2. *facite*, Ioann. 2. quoniam mihi facere miracula non incumbit. Quòd se longè fore monstrauit à potẽtia Potestatum in arcendis dęmonibus, cùm è prȩsẽti sęculo migratura, ne dæmones videret, suppliciter postulauit. Si cupis nosse quãtùm cum Principibus se Principissam putaret, quamquam esset Regina mundi, ancillatus officium etiam in domo Elisabeth, cui parienti seruiuit, pleniùs intuere. Et quia ad Archangelos nouerat loquelæ pertinere virtutem, velut eliguis ra-
Lucæ 2. rò loquebatur, & parum, apud se conseruans omnia diuina *conferens in corde suo*, Lucæ 2. Ioseph autem castissimum virum
B velut sui custodem exteriorem nunquam deseruit quocumque pergeret necessitate compulsa, non cupiditate vagandi, ne sibi vsurparet Angelorum officium, quo inuisibiliter creaturas custodiunt sibi commissas, sed nec isto gradu contenta, minus homine se dixit, & exhibuit, ancillæ nomen imponens, & opus, sicque factum est, vt cùm negauit se esse quod erat, ex se facta est talis, ac tanta, qualem mens non capit creata. Vnde autem ista ita hominem locat, sita est supra choros omnium spirituum beatorum. Et huiusmodi potentiæ nulla creatura resistere potest, nec vult resistere Deus suæ vehementissimæ charitati. Ardentia Seraphim nõ æquã
C tur, excedit quoque lumen, quamuis omnem notitiam Cherubim, & sua misericordia Thronorum superat æquissimæ iustitiæ tenacem rigorem, de qua speculatione Dominationes illustrantur, & Virtutes eius imperio obsequuntur ad nutum. Tentatæ ipsius contra dæmones Potestatum vires fiunt robustæ animæ, & non solum vni Prouinciæ, vel Regno, sed totius machinæ mundialis in cœlis, in terra simul, & abysso vniuersali prę ponitur Monarchiæ, sumunt Archangeli verbum de verbo suo, etiam Angeli in tãto speculo practicè nosceunt ad quid debeant dirigere subditos eis. Sic ergo omni homini
D venienti est norma sine defectu, dicens se ancillam. Quia ergo inclyta humilis Mater, & Virgo erat digna mater Dei, iustè electa à iustissimo Deo, si dixisset, sum digna Mater vnigeniti Dei, falsa veritatem fuisset, & humilitatem non seruasset, sed quia decebat eam excellentissimè cunctas habere virtutes, & in ipsis transcendere cunctos etiam
Lucæ 1. Angelos, se humilem fatetur, & ancillam dicens. *Respexit humilitatem ancillæ, &c.* Tanta denique humilitate nullus vsus est Angelorum. Interrogantibus enim, quod esset nomen ipsius? Respondit: Cur quæritis nomen meum, quod est admirabile? neque ille, qui dixit. Sum Azarias Ananiæ magni filius, qui sui magnum conceptum in mentis
A conceptum formauit. Non simili vsi sunt Abraham dicens. *Sumpuluis, & cinis*, Aut Iob aiens *Ventus est vita mea*. Vel Dauid protestans, quòd esset *canis mortuus*, & vnus pulex. Siue Baptista, qui falsus est, se esse labilẽ vocẽ. Nam hi omnes dixerunt id, quod erant, & non minus, hæc autem multò minus, quàm sit. Quantum enim distant inter se Regina cœlorum, & ancilla, Domina Angelorum, & ancilla; Mater Dei, & ancilla Domini? veritatem tamen dixit, nam licèt Virgo MARIA ex parte generationis fuerit Mater Christi, tamẽ sciens, quia filius eius erat genitor eius, & vniuersorum Deus & Dominus, non se exhibebat, vt matrem, sed vt ancillam, quamquam ille verus filius eam reueretur, vt matrem, hæc reuerentiã non requirebat, sed exhibitam renuebat, & exhibebat repulsam. Quàm pium erat videre istum, certamẽ in secretis duorum filij, & matris, illa præuenire volebat genuflexionibus sibi genuflectẽtem, sed ille, cui futura erant prætentia, præoccupat reuerentia tali præuenire volentem, illa genuflexa filium adorabat, sed ille ante adoratricem humiliter se inclinabat. Illa dicebat, Deus meus non decet Deum fœminæ inclinare, sed ipse respondebat, tamen istud decens est, matri filium subdi. Sine me, ò fili præceptum im- *Deute. 6.*
plere, quod dixisti. *Dominum Deum tuum adorabis, &c.* Ipse verò inferebat. Sine & tu
C mater filium tuum mandatum implere, quo *Exod. 20*
dixit, præscius Incarnationis suæ, *honora patrem, & matrem*. Ne videant te Angeli, quẽ adorant, coram muliercula prostratum, surge dilecte, personabat MARIA. Et ne filij hominum coram filio videant matrem inclinatã, charissima sursum te eleua, intonabat IESVS filius eius. Me itaque Deus, & Angeli arguant, si non adorauero, & sustinuero, quasi adorantem, & ego coram Deo Angelis, & hominibus reprehensibilis essem si reuerentiam non seruarem maternam. Talia, profundioraque, & omni spiritus mellitia dulcedine versabantur inter filium, matremque, genitorem, & genitricem. Illa di-
D cente, quòd saltem in occulto, vbi non videt nisi pater cœlestis, à tali veneratione se abstineret filius. Et illo respõdete, quòd nil opertum, quod non reueletur. Istas duas conclusiones, quas persuadet euidens ratio sacrę literæ probant, nam quòd filius esset matri subditus, & reuerens, testatur, cùm de ipso duodeni loquitur. Descendit cum illis Nazareth, & erat subditus eis, id est MARIÆ, & Ioseph. Firmissimè credo, nũquam filium, ita honorasse matrem, sicut Christus Virginem Matrem suam, & quòd Mater summè veneraretur, & diligeret filium. Vnde cùm eo prædicante, Mater eius superueniret, expectabat reuerenter, audiens prędicationem

eius. Fimbriæ aureæ designant eius perfectã charitatem. Aurum enim excedens omnia metalla in valore, charitatem significat omnes superantem virtutes in perfectione. Fimbria est extrema pars vestimenti, vestimentum, quod circundat corpus eius, significat conuersationem eius, quæ videtur ab hominibus. Nam interior dispositio videri non potest. Ad hunc intellectum dicebat Apostolus ad Romanos 13. *Induimini Dominum nostrum IESVM Christum*, id est, sequimini conuersationem eius. Fimbriæ ergo vestimenti Virginis fuerunt aureæ, quia etiam minima opera eius hæc sunt fimbriæ, quæ fuerunt plenæ perfecta charitate. Minora opera dico in se, quæ, scilicet, deseruiũt corporis necessitati, vt comedere, dormire, laborare manibus, & huiusmodi. Ex his potest elici in operibus magnis, vt in orationibus, & contemplationibus, & huiusmodi, quàm fuerit excellens charitas eius. *Exultauit*, inquit, *spiritus meus in Deo salutari meo*, id est, extra saltauit per extasim. Diuinus enim amor extasim facit, vt Dionysius ait, totam eam incanduerat diuinus amor, ardor continuus, & ebrietas perfusi amoris, vt nihil esset in ea, quod mundanus violaret affectus, & sic fimbriæ, quæ sunt iuxta terram, non tangebãt terram, sed aureæ, id est, liberæ ab omni mundano amore, operationes etiam eius circa corpus versantes.

Rom. 13.

A

B

C

D

§. III.

QVantùm ad tertium. Pluralitas priuilegiorum notatur in eo, cùm dicitur. *Circumamicta varietate*, siue intelligatur de vestimento de varijs coloribus contexto, siue varijs pluribus vestimentis induta. Plura vtique, & varia, & singula priuilegia reperiuntur in Virgine MARIA, quæ nõ sunt ex alijs sanctis, ex quibus deprehenditur omnis gloria eius, & sunt 12. significata per 12. stellas coronæ, quam vidit Ioannes in Apoc. 12. cap. in capite mulierem habere, dicens. *Signum magnum apparuit in cœlo* Ecclesiæ militantis, & triumphantis. *Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius*, quia omnis defectus sub ea est, nullos habet in se, vel mũdus sub ea, vt Regina mundi. Corona 12. stellarum sunt 12. varia priuilegia, quibus circumamicta est varietate. Primum fuit, quia extat multipliciter præsignata non solùm in mulieribus veteris testamẽti, de quibus dictum est, sed etiam in alijs figuris, & prophetijs. Hæc enim est lux primò facta. Hæc fluuius paradisi Ecclesię ad irrigandum ligna fructifera Ecclesiæ, qui extenditur in quatuor capita. Hæc Arca Noe, ex qua euadit diluuium infernale, qui in ea permanere inuenitur per deuotionem. Hæc virga Moysis, qua facta sunt tot miracula. Hæc virga Aarõ, quæ frõduit, floruit, & fructificauit sine opere humano, virga enim Iesse floruit, de qua Isai. 11. *Egredietur virga de radice Iesse, &c.* Hæc virga Regis Assueri, qua tãgitur anima in signum clementiæ Dei. *Hac virga percussus pauebit Assur*, id est, diabolus. Isai. 30. Hanc virgam portare iussi à Christo ad prædicandum missi. Hoc lignum aquas amaras dulcorat. Hæc vellus Gedeonis. Hęc thronus Salomonis. Hęc hortus conclusus, & fons signatus, de qua Isai. 7. Ecce Virgo concipiet. Et breuiter totum vetus testamentum plenum est figuris, & prophetijs eius. Secundum priuilegium est, quia plenius omnibus alijs in vtero sanctificata, in cuius figuram sanctificatum fuit tabernaculum Domini per Moysen. Ego puto, ait Bernardus, quòd copiosior gratia sanctificationis in ea descenderit, quam in alijs ab vtero sanctificatis, quæ totius vitæ conuersationem immunem redderet ab omni peccato, quod nulli extat concessum; nam alij sanctificati in vtero materno, vt Ioannes Baptista & Ieremias, commiserunt venialia, etsi non mortalia. Hæc autem secundùm omnes Doctos, nunquam venialia admisit, & piè credi potest, quòd ea die, qua fuit animata anima rationali, ea die fuit sanctificata. Tertium priuilegium, quia ab Archangelo gloriosè salutata. *Aue*, inquit, *gratia plena*, quamuis multi in veteri, & nouo Testamento fuerint visitati, & salutati. Et si Angelus Gabriel etiam Zachariæ nunciauit natiuitatem ex eo Baptistæ, tamen timorem incussit, & punitionem subdidit, faciens eum mutum. Hãc autem etsi ex inusitata salutatione, propter humilitatem eius primò exterruit, postea summo gaudio replenit. Et opinio est aliquorum, quòd fuerit vnus de supremo ordine, scilicet Seraphim ad annunciandum tantum mysterium. Nec obstat, si dicatur, quòd ex assistentibus Angelis nullus mittitur, quia hoc verum est de lege communi, sed ob causam singularem Deus, qui mutat leges, & tempora, & officia, ad placitum de quocumque ordine mittere potest. Et quod maius nuncium esse poterat hac nouitate maxima? Nec obstat, quòd si dicatur Archangelus, quia quoad interpretationem etiam Seraphim est Archangelus, interpretatur enim Princeps Angelorum. Quartum singulare priuilegium est, quia veritas increata, Psal. 84. *Veritas de terra orta est*, id est in Virgine gloriosa, terra per profundam humilitatem. Hoc est illud nouum, quod Ieremias dixit Dominum facturum super terram, quia *fœmina circundabit virum*. Hoc est omnium nouitatum mundi maximum, quod nũquam fuit, nec ampliùs erit, fœmina, quæ est terra formata in origine primo, circundabit non aliunde accipiat, nisi à Deo. Virum non

Apoc. 12.

Isai. 11.

Isai. 30.

Isai. 7.

Psal. 84.

Ierem. 3

paruulum, sed perfectum omni virtute, & sapientia, quia vnitum Deo, sic enim canit Ecclesia. Quem terra, pontus, æthera, & cętera. Quintum, quia cum summo gaudio filium
Isai. 35. parturiuit. Isai. 35. *Germinans germinabit lætabunda, & laudans*, sicut terra germinãs fructus sine sui apertione imperceptibiliter, sic Virgo MARIA filium clausa pudoris aula regia, & hoc lætabunda. Aliæ etiam omnes cum dolore magno pariunt, hæc peperit sine dolore Saluatore seculorum, vbere lactans de cœlo pleno, immo cum summo gaudio. Sextum priuilegium, quia simul Mater, & Virgo, quis vnquam audiuit talia, vt Virgo esset, & intacta generaret? vnde canit Ecclesia. Gaudium Matris habens, cum virginitatis honore, nec prima similem visa est nec habere sequentem. De hoc solicita fuit
Luc. 2. interrogare, quando dixit Angelo, *quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* id est, vnii me non cognituram, quod Angelus declarauit, quia mater simul, & Virgo esset, de Spiritu sancto, non ab homine concipiẽs. Septimum priuilegium, quia resurgens primò ei apparuit, vt piè creditur, & testatur Ambrosius, etsi Euangelistæ taceant, quasi vt per se notum præsupponendo. Sed cui dubium est, quia non apparuit ei in habitu transfigurato peregrini, vel hortulani, vt Mariæ Magdalenæ, & duobus Discipulis eũtibus in Emaus propter incredulitatem eorum? Sed ipsa cùm firmiter crederet resurgentem, & sciret Deum esse omnipotentem, & solùm in ea fides remansisset, manifestissimè, & gaudiosissimè ei apparuit. Vnde cum Propheta dicere potuit *secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, cõsolationes tuæ lætificauerunt animam meam.*
Psal. 93. Psalm. 93. Et quia super omnes doluit in passione filij, super omnes fuit consolata, cũ apparuit ei resuscitatus. Octauum, quia ascẽdente Christo remansit magistra Doctorum Ecclesiæ Apostolorum, & Euangelistarum.
Act. 1. Vnde dicitur Act. 1. *Hi omnes erant perseuerantes in oratione cum MARIA Matre IESV.* Conuersabatur, inquit, Hieronymus, post filij sui ascensionem cum Senatoribus cœli in schola virtutum, ipsa de multis mysterijs informanit Apostolos, & Euangelistas. Nonum priuilegium fuit glorificatio eius in corpore, non solùm in anima, vt dicunt Augustinus, & Bernardus, quod ex eo potest elici, quia dicitur amicta sole. Dicit enim Christus de iustis in vltima resurrectione, quòd *fulgebunt sicut Sol in Regno patris*
Matt. 13 *eorum*, Matth. 13. Amictus ergo Solis est gloria corporis, & cætera. Multa circa hoc in legenda assumptionis. Decimum priuilegium, quòd fuit associata à tota cœlesti Curia in assumptione. In cuius figuram ha-
2. Reg. 6. betur, 2. Reg. 6. quòd Dauid *reduxit Arcã*,

A quæ significat Virginem MARIAM, cum sex choris in magna solemnitate in Ierusalem, quæ significat patriam supernã. Dauid est Christus. Credendum est, ait Hieronymus in sermone, quòd ipse Saluator per se totus festiuus occurrit, & eam in Throno suo collocauit. Sex chori sex differentiæ beatorum, scilicet, Angeli, Prophetæ, & Apostoli, Martyres, Confessores, & Virgines, quibus circundata super omnes exaltata. Vndecimum priuilegium, quòd est exaltata super choros Angelorum, scilicet, sancta Dei genitrix, canit Ecclesia. Vnde Eccles. 24. po- *Eccles. 24*
nuntur sex exaltationes. Prima *quasi cedrus exaltata sum in Libano.* Libanus interpreta
B tur candidatio, & apertè significat Angelorum statum, qui semper fuerunt candidi puritate, & sine peccato. Sicut ergo cedrus in Libano est altior omni arbore, ita Virgo sublimior est omni Angelo. Secunda exaltatio quasi *cypressus in monte Sion.* Sion interpretatur speculatio, & significat altum statum Prophetarum, sub quo continentur Patriarchæ, quia gesta eorum fuerunt prophetica, aspiciebant per speculum figurarum, & non clarè Christi mysteria. Sicut ergo in monte Sion cypressus odorifera super alias arbores ascendit; ita MARIA super omnes Prophetas. Tertia est, quasi *palma exaltata sum in Cades*, principales victoriosi de mũdo, cũ
C palma martyrij fuerunt Apostoli. Ecclesiarum Principes, belli triumphales duces, canitur de ipsis, sed maxima victoriosa Virgo MARIA super Apostolos. Quarta, quasi *plantatio rosæ in Hiericho.* Rosa pulcherrimus florum est, sed in spinis nascitur, & significat Martyres inter spinas ortos tormentorum, super quos Virgo MARIA exaltatur. Quinta, quasi *oliua speciosa in campis*, significat Confessores operibus misericordiæ deditos, quos excedit. Sexta, quasi *platanus, &c.* quæ herba semper viriditatem retinet, & Virginis virorem perfectę castitatis demonstrat. Duodecimum priuilegium, quòd est
D super omnes venerata, & exaltata, & collaudata, mirabiliter omnes deuotione efficiuntur ad omnia, facientes multa ad honorem eius, &c.

De multiplici misericordia, quam accepimus à Deo, mediante B. MARIA.
Capit. 4.

SVscepimus Deus misericordiam tuam in medio Templi tui. Psalm. 47. Templum *Psal. 47.*
Dei esse Virginem gloriosam declarat Ecclesia, cùm de ea cantet. Beata es Dei genitrix MARIA Virgo perpetua, Templũ Domini, sacrarium Spiritus sancti. Et in sequẽtia quadam. Aue decus virginale, Templum Dei speciale, nobile triclinium, Templum

est

est locus immunitatis, & securitatis. Ita inquit Bernardus. Securum accessum habes ad Deū, o homo, vbi Mater stat ante filium, Filius ante Patrem, ostendit filio pectus, & vbera, & ideo nulla poterit esse repulsa, vbi sunt tot amoris insignia. Templum est locus summę venerationis. Videte, ait idem Bernardus, quanto deuotionis affectu vult eam à nobis venerari, & honorari, qui totius boni plenitudinem posuerit in MARIA, vt si quid gratiæ, si quid salutis in nobis est, ab ea nouerimus redundare. Ad Templum fit oblatio, si quid autem, ò homo, Deo offerre desideras, testatur Bernardus, in manibus Beatæ MARIÆ commendare memento, quia manus eius mundissimæ sunt, nostræ autem plenæ sunt sanguine, & ideo per manus eius non nostras acceptabuntur. Denique ipsa Virgo est prima post Christum in Ecclesia triumphante, quæ procurat, vt Regina Esther apud Assuerum, scilicet, Deum salutem Ecclesiæ militantis, & sententias mortis reuocat ab inimicis, à manu diaboli, & ab alijs nos defendens; per hanc multipliciter suscepimus misericordiam, & in hac, quæ est Templum Dei, sed præcipuè tripliciter. Primò enim, *suscepimus misericordiam* saluationis per incarnationem. Secūdò, *suscepimus misericordiam* directionis per eius conuersationem. Tertiò, *suscepimus misericordiam* subleuationis per eius interuentionem.

A

B

C

§. I.

MAxima misericordia Deus fuit vsus erga nos, quia dignatus est incarnari. Vnde ipsa Virgo in cantico suo ait: *Suscepit Israel puerum suum*, id est seruum, quia scilicet sursum accepit naturam humanam, de Israel Deo vniendo, & in hoc recordatus misericordiæ suæ, quam fuit quasi priùs oblitus ante incarnationem. Istam misericordiā suscepimus, Deus, in medio Templi tui, id est, in vtero Virginis, de qua incarnatus es, quod ergo natura non habuit, vsus non obtinet, ratio ignorauit, mens non capit humana, pauet cœlum, stupet terra, creatura omnis etiam cœlestis miratur, hoc totum MARIÆ per Gabrielem nunciatur, & per Christum adimpletur, testatur Hieronymus in Sermone. In cuius figuram extat, quia in medio Templi Salomonis in ea parte, quæ dicebatur Sancta sanctorum, posita fuit Arca Domini cum propitiatorio desuper, quæ significat Christi humanitatem cum Deitate. Arca enim de lignis Sethim facta imputrescibilibus, auro tecta, significat corpus Christi compactum ex purissimis sanguinibus Virginis, cum anima eius diuinitati coniuncta. In qua humanitate tria erant, virga iustitiæ, & iudiciariæ potestatis, lex sapientię, & veritatis, manna mansuetudinis, & pietatis. Propitiatorium desuper Deitas supereminēs, ipsi tamen humanitati vnita. Duo Cherubim de oliuis respicientia in Propitiatorium mutuis vultibus, sunt duo testamenta plena sapientia, quæ testantur de Christo adinuicem, quod enim vnum prædicit futurum, scilicet, vetus testamentum, aliud, id est, nouum exprimit factum, & totum hoc, quod per viscera misericordiæ suæ visitauit nos oriens ex alto. Fuit ergo in isto Templi medio, id est, vtero virginali Arca, id est, Deus incarnatus, fuit & notitia testamētorum in mente. Vnde & Beda tractans illud Lucæ 2. *MARIA conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo*, quia Scripturas legebat, & sciebat prophetias, conferebat, quæ secum erant acta cum Domino de his, quæ nouerat scripta à Prophetis de Domino, & collata adinuicem cognouit instar cœlestiū Cherubim socia sui vultus luce cōcordia, & seruabat ea in mente, vt Euangelistis, & Apostolis deferret describentibus nouum Testamentum. Augustinus in Sermone. Quid dicam, Beata Virgo, cùm de te quicquid dixero, minor est laus tua, quàm dignitas tua meretur, si cœlum te vocem, altior es si matrem gentium dicam, præcellis, si formam Dei appellem, digna existis, si dominam Angelorum vocem, per omnia esse probaris. Hæc ille. Sicut ergo locus dictus Sancta sanctorum, erat solemnissimus, ita quòd nulli licebat accedere, nisi summo Sacerdoti. Ita & Beata Virgo MARIA, cum gratia repletur, cùm Spiritu sancto perfunditur, cùm virtute altissimi obumbratur, fit pretiosior meritis, celsis sublimior fastigijs, pulchrior sanctitate, glorioſior suorum meritorum prærogatiuis, ita vt nullis sit vsibus iam mancipanda, nisi diuinis. Hieronymus in Sermone: Hinc & Maximus in sermone. Scientes fratres dilectissimi auctori nostro multum nos debere cōditos, plus redemptos veneremur illum sacratissimum vterum, ex quo Deus vnitus homini apparuit. O fœlix MARIA, ò genitrix gloriæ, & puerpera sublimis, cuius visceribus auctor cœli, terræque committitur. O fœlicia oscula labijs impressa lactentibus; cùm inter crebra indicia crepitantis infantiæ verus ex te filius tibi MARIA alluderet, verus ex patre tibi Dominus imperaret, fœlix puerperium, lætabile Angelis, expectabile Sanctis, necessarium profligatis. Hæc ille: Augustinus quoque sic ait in Sermone. O quàm immaculata virginitas, quæ omnes Angelos in cœlestia Regna præcellit. O quàm Beata Mater, quæ Christum Dominum sanctum Regem gloriæ meruit generare. O quàm beati pedes, qui Christum meruerunt sustinere. O quàm fœlicia vbera, quæ auctorem, & Redemptorem

D

Lucæ 1.

Lucæ 2.

rem mundi lactauerunt. O ineffabilis Virgo in cuius continebatur gremio, qui regebat vniuerſum mundum. Hæc ille: Bernardus in Sermone. Fac ò benedicta per gratiam, quã inueniſti, per miſericordiam, quàm peperiſti, vt qui mediante te fieri particeps dignatus eſt infirmitatis, & miſeriæ noſtræ, te quoque intercedente, participes faciat nos gloriæ, & beatitudinis ſuæ.

§. II.

SEcundò, *in medio Templi Dei*, id eſt, cõuerſatione Virginis glorioſæ Templum Dei exiſtentis, quæ conuerſatio ſemper fuit in medio, id eſt, in virtutibus, & ſecundùm rationem, *ſuſcepimus miſericordiam*, directionis, ſeu regulam bene viuendi. Si quidem magna miſericordia eſt deuium, & errantem ad viam ſalutis reducere, & iter rectum oſtendere. Equidem errabant penè omnes in inuio, & non in via mandatorum, & virtutum incedentes, quæ ducit ad vitam, ſed per viam latam, quæ ducit ad mortem, ſed nata eſt Virgo MARIA, cuius vita glorioſa lucem dedit ſeculo. Vnde MARIA interpretatur illuminatrix, & maris ſtella dicitur, quæ ducit nauigantes ad portum. Habetis in ea magiſteria probitatis, & virtutis vt ſciatis quid eligere, quid vitare debeatis,
Eccleſ. 24 inquit Ambroſius. *In me*, (ait ipſa Eccle. 24 *omnis gratia viæ, & veritatis, in me omnis ſpes vitæ, & virtutis*, vt ſciatis quid eligere & quid vitare debeatis. Talibus enim, teſte Hieronymo in Sermone, decebat Virginem oppignorari muneribus, vt plena eſſet gratia, quæ cœlis dedit gloriam, terris Deũ pacemque refudit, fidem gentibus, finem vitijs, vitæ ordinem, moribus diſciplinam. Abũdantia autem gratiæ, & virtutum eius in Templo ipſo figurata fuit. Nam in medio eius in loco, qui dicitur ſancta, erant ibi ex vno latere menſa aurea cum duodecim panibus propoſitionis, ex alio latere altare aureum, ac etiam candelabrum aureum, cum ſeptem lucernis, velum quoque, quod diuidebat Sancta ſanctorum quadricolore. Sic in Templo mentis virginalis fuit menſa fidei perfectiſsimæ duodecim articulorum deſignatorum per panes, fuit & altare aureum ſummæ dilectionis, cum thuribulo ſpei, vnde fumus aromatum, id eſt, deuotiſsimarum orationum, & contemplationum aſcẽdebat ad cœlum, candelabrum quoque gratiæ ſeptem donorum Spiritus Sancti, virtutes quoque cardinales deſignatę per velum quatuor colorum, ſecundùm Magiſtrum in 3. ſenten. vtique fuerũt in ea. Prudẽtia qua prudenter ſe habuit ad Angelum, recogitans qualis illa eſſet ſalutatio, non ſubitò reſpondens, poſtea quærens. Fortitudo, qua aduerſa ſuſtinuit in paſſione filij. Iuſtitia in conſeruando legem de purificatione, ad quam non tenebatur de acceſſu ad Templum cum filio, & alijs legalibus. Temperantia in ieiunijs, vigilijs, & modeſtia, & omni caſtitate. Et de ſcendendo ad particularia. De ea ſic loquitur Ambroſius in libr. de virginitate. Quid exequar de Beatę MARIÆ virtutibus? Virgo erat non ſolùm corpore, ſed & mente, qua nullo doli ambitu ſyncerum violaſſet affectũ, corde humilis, verbo grauis, animo prudens, loquendi parcior, legẽdi ſtudioſior intenta operi, verecunda ſermone, arbitrũ mentis non hominem, ſed Deum quærens, nõ in incerto diuitiarum, ſed in prece pauperis ſpem reponens. Benè velle omnibus, aſſurgere maioribus, natu æqualibus non inuidere, fugere iactantiam, ſequi rationem, amare virtutem; quando iſta vel vultu læſit parentes, quando diſceſsit à propinquis, quando faſtidiuit humiles, quando vitauit inopem? eos ſolos ſolita inuiſere cœtus virorum, quos miſericordia non erubeſceret, nec præteriret verecundia; nihil toruum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inuerecũdum, non geſtus fractior, nõ inceſſus ſolutior, non vox petulantior, vt ipſa corporis ſpecies ſimulacrum fuerit mentis, & figura probitatis. Quid autem exequar Beatæ MARIÆ ciborum parſimoniam, officiorum redundantiam, alterum pene ipſi naturæ defuiſſe? Illic nulla intermiſſa tempora, ſcilicet, quoad officia, id eſt exercitia, & ſeruitia, hìc cõgeminatus ieiunio dies, & ſi aliquando reficiendi ſucceſsit voluntas, cibus plerumque obuius, qui mortem arceret, non delicias miniſtraret, dormire non prius cupiditas, quàm neceſsitas fuit, & tamẽ cùm quieſceret corpus, vigilabat animus, quæfrequenter in ſomnis, aut ſomno interrupto cõtinuat, & aut diſpoſita gerit, aut gerenda pronunciat prodire domo neſcia, niſi cùm ad Eccleſiam conueniret, & hoc cum parentibus, & propinquis, hæc ad ipſos Angeli ingreſſus inuenta eſt domi in penetralibus ſine comite, ne quis contemplationem abrumperet, ne quis obſtreperet, nec enim fœminas comites deſiderabat, quæ bonas cogitationes comites habebat, quin etiam tunc minus ſola videbatur, cùm ſola eſſet. Nam quomodo ſola, cui tot libri adeſſent, tot Archangeli, tot Prophetæ, denique Archangelus, vbi eam reuiſere ſolebat, inuenit? Quàm religioſa in propinquis fuerit, Scriptura diuina commemorat. Nam & humilior facta eſt, vbi ſe cognouit electam, & ſtatim ad cognatam ſuam in montana perrexit, & ita cõſeruabat omnia verba hæc in corde ſuo, quãuis Mater Domini, diſcere tamen præcepta Domini deſiderabat, & quæ Deum genuerat, Domini tamen præcepta ſcire deſiderabat. Hæc omnia Ambroſius in li. de virginitate.

tate. Item Augustinus, in quodam Sermone. O dilectissimi, quis laudes Beatissimæ Virginis dignè decantare valeat? Facta est enim MARIA ianua cœlorum, sublimatio Apostolorum, laus Martyrum, iubilatio Confessorum, gloria Viduarum, gaudium Angelorum, requies animarum. Facta est MARIA salus mortuorum, mors criminum, vita virtutũ, virtus pugnantium, palma victorum. Facta est MARIA excelsa super sydera, sanctior super omnes fœminas, cuius vita inclyta, cunctas illustrat Ecclesias. Hæc Augustinus in Sermone. Et sic per exempla vitæ eius suscepimus misericordiam regulæ, & directionis benè viuendi, & per merita, & preces eius misericordiam. Item Hieronymus in Sermone de Assumptione. Puto, quòd quicquid virtutis humanæ, si totum adhibeas, nõ sufficiat, vt cogitare valeas, quantò indesinenter cremabatur ardore pij amoris, quantò mouebatur repleta Sãcto spiritu secretorum cœlestium incitamentis, dum reuolueret animo cuncta, quæ viderat, quæ audierat, quæ cognouerat, nouis quotidie inflammabitur desideriorum affectibus, tantò validiùs, quantò intus diuinis illustrabatur visitationibus, totam incanduerat diuinus amor, vt in eanihil esset, quod mundanus violaret affectus, sed ardor continuus, & ebrietas perfusi amoris. Hæc Hieronymus in Sermone.

A

B

C

§. III.

SVscepimus demum & misericordiã multiplicis subleuationis in miserijs in medio Templi huius, id est, ipsa mediante, vnde & dicitur Mater gratiæ, Mater misericordiæ. Templum siquidem Salomonis, non solùm Sancta, & Sancta sanctorum, sed etiam atria, & porticus, quæ erant ante ipsum, habere dicitur, quod patet ex Euangelijs, quãdo *eiecit de Templo ementes, & vendentes,* & in Templo docebat, & miracula faciebat, Matt. 21. quod vtique intelligitur de atrijs Templi, ibi autem fiebant orationes, vt patet de Pharisæo, & Publicano, & offerebant sacrificia, quando Salomon perfecto ipso Templo dedicauit, Domino orauit, vt quãdocumque pestis, vel corruptus aer, vel bruchus, aut siccitas pluuiæ propter peccata populi superueniret in patria illa, & populus ille reuersus confiteretur peccata sua, & adoraret pro amotione plagæ, Deus liberaret eum. Item quando populus iret ad bellum contra inimicos, vel captiui ducerentur ab alijs gentibus, vel alia mala paterentur, si pœnitentes dirigerent mentem suam ad adorandum versùs Templum pro liberatione, quòd exaudirentur, qua oratione facta apparuit postmodum Deus Salomoni dicens, *se fuisse exauditũ*, vt habetur, 3. Reg. 8. & 9.

Matt. 21

3. *Reg.* 8. & 9.

D

Sic ad propositum, qui pœnitens, & deuotus accedit ad hoc Templum Virginale postulãs adiuuari pro diuersis miserijs, exauditur, misericordiam recipiens. Vnde Psalm. 17. *Exaudiuit de Templo sancto suo vocem mũ.* Vnde Bernardus in Sermone. Sileat misericordiam tuam Virgo Beata, si quis inuocatam in necessitatibus suis te inuenerit defuisse. Nos quidem seruuli in virtutibus tuis cõgaudemus tibi, sed in hac potiùs nobis ipsis laudamus humilitatem, virginitatem miramur, sed misericordia sapit dulciùs miseris, & crebriùs inuocatur. Hæc est enim, quæ totius mundi reparationem obtinuit, & salutem omnium impetrauit. Quis ergo misericordiæ tuæ, ò benedicta, longitudinem, latitudinem, sublimitatem, & profundũ queat inuestigare? Nam longitudo eius vsque ad nouissimum diem inuocantibus eam subuenit vniuersis. Latitudo eius replet orbem terrarum, vt tua quoque misericordia sit plena omnis terra, sic & sublimitas eius ciuitatis supernæ inuenit restaurationem, & profundum sedentibus in tenebris, & vmbra mortis obtinuit absolutionem, aliàs redemptionem. Hæc ille: Idem. Reuolue diligentiùs Euangelicæ historiæ seriem, & siquid increpatorium, si quid durum, si quod denique signum vel tenuis indignationis occurrerit in MARIA, de cætero suspectam habeas, & accedere verearis. Considera diligẽter, & si verè plena sunt omnia opera pietatis & gratiæ, plena mansuetudinis, & misericordiæ, quæ ad MARIAM pertinent, inueneris, age gratias ei, qui talem tibi mediatricem benignissima miseratione prouidit, denique omnibus omnia facta, omnibus misericordiæ sinum aperuit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi, captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationẽ, peccator veniam, iustus gratiam, Angeli lætitiam, denique Trinitas gloriam, filij personа carnis substantiam, vt non sit, qui se abscondat à calore eius. Hæc ille. Et quia ipsa Virgo gloriosa misericors est ad omnes, comparat se oliuæ, dicens, Eccles. 24. *Quasi oliua speciosa in campis.* Oliua significat misericordiam, quia oleum fructus est lenitiuum, & dulce. Ad oliuam, quæ est speciosa in campis, omnes possunt accedere, & accipere fructum eius, sic ad MARIAM & iusti & peccatores accedere possunt, vt inde misericordiam accipiant. Ipsa est illa sancta Iudith, quæ ex magna misericordia ad populum suum cum magna prouidentia, & fortitudine occidit Holofernem ferocissimum obsidentem, & captiuare, & exterminare volẽtem populum Dei, diabolum infernalem. Vnde & in eius laudem dixerunt Ioachin summus Sacerdos cum omni populo benedicentes. *Tu gloria Ieruſalem, tu lætitia Iſrael,*

Psal. 17.

Eccles. 24.

Iudit. 15

Israel, tu honorificentia populi nostri, quia fecisti viriliter, & confortatum est cor tuũ, eò quòd castitatem amaueris, & benedicta eris in æternum, Iudith 15. O quot sententias terribilium flagellorum, quæ meruit mundus propter peccata sua, hæc sanctissima Virgo misericorditer reuocauit! Nonne in visione ostensum est Beato Dominico, & alijs, quòd Dei filius mundum exterminare volebat tribus lanceis, sed Beatissima Mater misericordiæ pro eo intercedens ipsum placauit, asserens se duos seruos habere, scilicet, Dominicum, & FRANCISCVM, quos mittens per Orbem, cũ filijs, homines ad pœnitentiam reducerent? Nonne ipsa Mater pietatis Theophilum, qui se diabolo dederat, & chirographum scripserat, vt eum liberaret à quadam confusione iniustè sibi illata, restituit saluti, & chirographum in medio iactare coegit? Quis posset enumerare, quãtas quotidie sanitates infirmis deuotè inuocantibus eam misericorditer elargitur? à quantis periculis animæ, & corporis plurimos liberauit? quot diuersis anguſtiatos laboribus consolata fuerit? quot errantes in tenebris illuminauerit? Si igitur Deum in sanctis suis laudare iubemur, multò magis in MARIA Matre misericordiæ, quæ vt sapiens mulier *Thecuites* piè pro *Absalone* fratricida, & proteruo aduocans patri suo Dauid *reconciliauit*, & ab exilio reuocauit, 2. Reg. 14. scilicet genus humanum. Si ergo, ait Hieronymus, Virgo es, lauda, quia meruisti esse quod laudas, si continens es, lauda, quia inde tibi gratia fluxit, vt possis casta existere, quòd si coniugata, vel peccator, nihilominus venerare, & lauda, quia ex ea natus est Saluator, vnde tibi venia, & misericordia promittitur. *Suscepimus*, ergo ò Deus, & suscipimus quotidie *misericordiam tuam in medio Templi tui*, id est, per MARIAM, & ideo laus tibi in secula.

2. *Reg.* 14

SERMO.

In Sabbato Primo Quadragesimæ, quòd Beata Virgo est confidentia, spes, & auxilium nostrum.

Mare. 6. *Confidite, ego sum, nolite timere.* Marc. 6.

AD laudem, gloriam, & honorem nostrę Dominę intemeratæ Virginis miraculum recitatur de quodam latrone, qui omni Sabbato ob Virginis reuerentiam ieiunabat, & missam audiebat, ipsam rogans, vt nõ permitteret, ipsum mori sine contritione peccatorum suorum, & confessione; cui MARIA apparuit, dicens, quòd non moreretur sine contritione, propter reuerẽtiam, quam ei habuit; vnde moriens saluatus est. Quod ego considerans, more solito ipsam salutabo, & vos vnà mecum. dicentes. *Aue MARIA*, &c.

Confidite, ego sum, nolite timere. Recitat Euangelista, quòd Christus postquàm satiauit quinque millia hominum de quinque panibus, Ioan. 6. voluerunt ipsum facere Regem, æstimantes, quòd semper eos pasceret, & nihil eis deficeret. Christus autem volens superbiam mundi fugere, in exemplum nostrum in montem fugit. Et vt dicit Euangelista, facto miraculo panum, cùm esset serò, iussit Discipulos ascendere in nauiculam, & ipse solus erat in terra. Et tunc Discipuli fuerunt in magno periculo, & hoc quintuplici ratione secundùm Glossam. Primò ratione venti, quia, inquit, *erat ventus contrarius*. Secundò ratione loci, quia *in mari* erant, vbi imminent paricula. Tertiò ratione temporis, erat *serò*. Quartò ratione naucleri, quia Christus non erat cum eis. Quintô ratione Iudæ, quia erat cum eis futurus proditor, in mortali peccato scilicet. Sequitur *circa* autem *quartam vigiliam noctis venit IESVS ad eos, & dicit: Confidite, ego sum, &c.* Secundùm Albertum quatuor sunt vigiliæ noctis, & seruantur in custodia. Prima est in tribus horis, secũda in tribus alijs, tertia in tribus alijs; quarta autem, in qua Christus venit, scilicet, in aurora, dicit: *Cõfidite, ego sum.* Moraliter. Nauis hæc est anima nostra, posita in mari huius mundi, de quo Psalm. 103. *Hoc mare magnum, & spatiosum*, quæ est in periculis maximis. Sed nobis est auxilium necessarium. Sed quod? Respondeo, quòd est MARIA, quæ dicit hodie suis deuotis: *Confidite, ego sum, nolite timere*. Secundùm Iacobum de Voragine in Mariali, Albert. super Missus est. Confidẽtia, spes, & auxilium, & adiutorium est necessarium tribus generibus personarum ad præsens nostrum propositum in præsentiarum. Primi sunt cum custodibus dimicantes. Secundi sunt in mari nauigantes. Tertij sunt in infirmitate ægrotantes. Primi sunt, &c. Pro maiori notitia dicendorum nota sententiam 2. distinct. 2. quòd Deus omnipotẽs tria fecit loca. Primò cœlum empyreum pro Beatis, & Angelis. Secundò Paradisum terrestrem. Tertiò vitam præsentem pro iumentis. Sed propter peccatum, cùm esset locus animalium, factus est locus iumentorum, & locus belli est: vnde Dauid in Psalm. 48. *Homo cùm in honore esset, &c.* 1. Mac. 6. *Bellum contra nos est*, Et Psalm. 55. *Multi bellantes aduersùm me*. Bernardus Castrum animæ tuæ in terra inimicorum est, & vndique oppugnatur. Qui sunt hi bellantes? Respondeo, quòd sunt tres, cum quibus est assidua pugna, & bellum contra animam. Primò

Ioann. 6.

Psal. 103

Psal. 48. *1. Mac. 6.* *Psal. 55.*

mò cum Dęmonibus. Secundò cum mundo. A Tertiò cum carne. Primò cum Dæmonibus.

1. Pet. 5. 1. Petr. 5. *Fratres sobrij estote, &c. quia aduersarius, &c.* Iste est, qui procurat omnia

Apoc. 12 bella, & discordias, Apocalip. 12. *Væ terræ, & mari, quia descendit ad vos Diabolus habens iram magnam.* Secundò cum mundo.

Ioann. 15 Ioann. 15. *In mundo pressuram habebitis,* ò Petre, ò Iacobe, eritis tribulati; ò quantæ angustiæ sunt nobis in præsenti seculo, de filijs, de diuitijs, de honoribus. August. In valle fumus miseriæ, in qua magis flendum est, eò quòd minùs flemus. Tertia est caro, de

Galat. 5. qua Apostolus ad Galat. 5. *Caro concupiscit aduersùs spiritum, & spiritus aduersùs carnem.* Et Augustinus lib. de agone Christiano: Inter omnia Christianorum certamina duriora sunt prælia castitatis, vbi quotidiana pugna, rara victoria. Ille: & in tantis periculis positus est homo. Propterea dicit Bonauent. in 4. distinct. 17. artic. 2. quòd impossibile est hominem esse sine veniali, Christo excepto, & Matre, ideo in tantis periculis positus homo, necessarium est ei adiutorium, & confidentia, quia homo dicitur peccabilis. Ratio Alberti. Tria sunt, quæ peccare nõ possũt, Deus, bestia, lapis, ad hoc ne homo peccaret, opus erat, quòd esset aut Deus, aut lapis, aut bestia, quia verò factus est homo, oportet, quòd peccet; vnde 2. q. 2. omnis ætas prona est ad malũ ab adolescẽtia sua. Vnde benè monebat Plato, de quo Boetius 3. de cõs. Vt Platoni placuit, in minimis quoque rebus diuinum debet implorari auxilium. Si in minimis, plus in maximis. In

Iob 5. facto animæ, Iob 4. *Voca, si est, qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum conuertere.* Sed quale est adiutorium nostrum? verè est MARIA: *Confidite, ego sum.* Illa est

Genes. 3. enim, quæ Dæmonem præmit, Genes. 3. dictum fuit figuratiuè Serpenti: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, ipsa conteret caput tuum.* O Diabole, necessaria est tibi fuga, & Bernardus super Cantic. Tu pugnatrix egregia; quia omnis militia spiritualis nequitiarum ante faciem tuam in fugam est conuersa. Ille: Tribularis à mundo, à Diabolo, à carne, inuoca MARIAM. O scutum afflictæ gentis. O adiutorium miserorum mortalium. Quia sicut Eua fuit causa nostrę mortis, ita MARIA nostræ vitæ. Sicut Eua causa nostræ maledictionis, sic MARIA nostræ benedictionis. Vnde Ecclesia canit in persõna peccatoris: Dignare me laudare te Virgo sacrata, Da mihi virtutem contra hostes tuos. Et Albertus in sequentijs de peccati vinculo, hoste, carne, seculo libera nos ò MARIA, & Petrar. Ad te suspiramus, ò diua genitrix Dei, tu es consolatio cordis angustiati, per te repellitur peccatum infelicis matris Euæ, & nobis restituitur te mediante, gratia vitæ. Exemplum notabile. In Chronica ordinis de quodam Nouitio, qui à dæmone tentatus de ordine exijt, & literas misit Patri Dominico de suo recessu. Sanctus Dei ad Virginem accessit, dicens: O MARIA, non hinc recedam, donec mihi restituas ouiculam perditam, & errãtem. Statim surgens præcepit. Sacristæ, quòd aperiret portas Ecclesiæ, iuuenis autem in illa hora domi consistens, videbatur ei, quòd carnes vrerentur, ad Conuentum concitus redijt, veniam petijt, miserere mei Pater. Et ille: fili ne timeas, & cæteri peccatores, quia Mater misericordiæ, quam rogaui, te adiuuit; vnde saluus factus es, confidite, & cætera. Secundò *Confidite ego, &c.* Ecclesiast. 43. Ecclesi. 43

B *Qui nauigat mare, enarrat pericula eius, & audientes auribus nostris admirabimur,* & Pius Papa: periculosum est mare, atque infestum. Et Pittacus Philosophus fidelis terra, mare verò infidum est, mare est magni lucri, sed maximi damni, & multò plures sunt thesauri in mari, quàm in terra, nauigantes ergo indigent adiutorio. Sed quo? Respondeo, vilio stellæ tramontanæ, qua ad portum diriguntur; & quando illam amittunt, perdunt omnem spem salutis. Exemplum Pauli Act. 27. qui in Italiam ve- Act. 27.

niens de se, & alijs dicit: *Neque sole, neque sideribus apparentibus, ablata erat omnis spes saluti.* Ad propositum, quandiu sumus

C nauigantes ad portum Paradisi, per sententiam nostri ciuis Romani Pauli ad Romanos 13. *Non enim habemus hìc manentem* Rom. 13.

ciuitatem, sed futuram inquirimus. Ad Philippens. 3. *Nostra conuersatio in cœlis* Phil. 3

est, sed insurgunt nobis venti contrarij, de quibus bodie: *Erat autem ventus contrarius.* Inter tot ergo pericula nobis est necessaria stella tramontana, quæ est MARIA dicta stella, de qua Ecclesia canit: Aue Maris stella; cantat alibi: Stella MARIA maris, & in Respons. Matut. Fulgida stella maris. Quæ stella tramontana dicitur propter tres proprietates, quas habet. Prima, quia habet serenitatem in afflatu. Secunda, quia

D habet fortitudinem in suo conatu. Tertia, quia habet directionem in suo ducatu. Prima, quia habet, &c. Quando aer est nubilosus, & insurgit ventus aquilonaris, qui est à parte huius stellæ efficitur serenus. Vnde sicut ventus australis est causa pluuiæ, ita aquilonaris causa serenitatis. Eccles. 15. *Ventus* Eccles. 15

Aquilo dissipat pluuias. Albert. 9. compendij, quatuor sunt venti principales: Subsolanus ab oriente, Auster in meridie, qui est calidus, Aquilo, qui est frigidus à septentrione, Zephirus, qui flores producit. Ad propositum ergo ventus aquilonaris causat bonum tempus, & fugat turbidinem aeris; ita quãdo Deus est turbatus contra peccata luxurię,

aua-

auaritiæ, odij, & huiusmodi, & mundum flagellare intendit, insurgit tramontana stella MARIA, & ipsum placat, & quietat. O quomodo mundus staret, nisi esset supplicatio MARIÆ, quæ quotidie orat pro nobis? Bernardus, loquere Domina, quia audit filius tuus, & quæcumque volueris, impetrabis. Ille: Et Ecclesia in sequentijs. Ad te pia suspiramus, si non ducis, deuiamus; ergo doce quid agamus. Post hunc finem, vt viuamus cum sanctis perenniter. Et Petrarcha: Tota spes nostræ salutis contra diram sortem mortis in manu tua, MARIA, posita est, quæ si defendas, tua fortitudine nos saluas. Secunda conditio huius, &c. facit homines fortes commemorantes sub regione huius stellæ, vt sunt Lombardi, Italici, Romani, Vegetius libr. de re milit. Orientales non possunt nimis esse fortes, quia calidi propter Solis ardorem, Occidentales similiter, quia sunt frigidi, vt pote nimis longati à Sole, ideo pauidi; quamuis clament, Gorges, Gorges, id est, occide, occide; sed fortes sunt solùm commemorantes sub regione Tramontanæ; vnde vnus Lombardus persequitur decem infideles. Ad propositum, qui sunt deuoti MARIÆ, sunt constantes in tribulationibus mundi, vtpote ab ipsa roborati, quid dicis ò Bernarde super Cantic. Oportet omnes Christicolas per huius seculi pelagus respicere ad MARIAM maris stellam; si quis hoc egerit, non iactabitur inanis gloriæ vento, non scopulis tribulationum fatigabitur. Ille: Sine MARIA nihil agimus, quia est refugium nostrum. Tertia conditio huius stellæ: Marinarios dirigit ad portum, ita MARIA; vnde Bernardus, super Missus est: MARIA est præclara, & eximia stella super hoc mare magnum eleuata, micans meritis, coruscans exemplis. Si insurgunt vēti tentationum, respice stellam, inuoca MARIAM. In angustijs, & in periculis plurimis MARIAM cogita, MARIAM inuoca, MARIAM clami, non recedat ab ore, non recedat à corde. Ille: O peccator noli recedere à deuotione illius, die coronam, die officium Virginis, ò ciuis teiuna Sabbata. Ideo Ecclesia: Placa mare, maris stella, ne inuoluat nos procella, & tempestas obuia. Ille: Et Petrarcha, lachrymarum vita nostra plena est, & flentes luce priuamur, nisi illustremur à te, stella serena; vnde patet secunda. *Confidite* ergo, &c. Tertiò adiutorium est opus infirmis. O quot mortui sunt in miseria, quia adiutorem non habuerunt! Eccles. 3. *Væ Soli, quia si ceciderit, non habet subleuantem*, & hoc laudatur à Theologis opus misericordiæ infirmos visitare. Vnde Christus Matthæi 25. *Infirmus eram, & visitastis me*. Ad propositum. Quis est hic infirmus? verè est peccator, qui est infirmus luxuria, auaritia, iracundia, & huiusmodi. De qua infirmitate Dauid in Psalm. 6. cantatur: *Miserere mei Deus, quoniam infirmus sum*. Infirmus es, ò Dauid? Non capite, stomacho, non, sed peccato. O peccator infirme, ideo indiges adiutorio medicinæ spiritualis, quæ est MARIA dulcis, quid dicis, ò Cassiodore? Tu patrona humani generis, afflictis, & infirmis medicina singularis, quis tuo non egeat auxilio, cùm peccare sit commune: ille nota in verbo peccare commune: Ecclesiast. 7. *Non est homo, qui faciat bonum, & non peccet*. Prouerb. 20. *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato*. In autent. de Monaster. §. si verò ante triennium. Natura humana labitur ad delicta; cùm ergo homo sit infirmus peccatis, indiget adiutorio MARIÆ. Hæc est, quæ sanat infirmos, recreat morbidos. *Confidite, ego sum, &c.* scilicet, spes vestra. Vnde bene Bernardus super Cantic. Serm. 88. MARIA omnibus omnia facta sapientibus copiosissima charitate debitricem se fecit; omnibus pœnitentiæ sinum aperuit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi, captiuus redemptionem, tristis consolationem, infirmus sanitatem, iustus gratiam, Angelus lætitiam, Filius Dei humanæ carnis substantiam, ille. *Confidite, ego sum, nolite timere, &c.* adiuuabo vos. In quibus verbis meritò dubium quæritur: quare dies Sabbati dedicatur MARIÆ? Respondeo, quia triplici ratione. Primò ratione acerbæ passionis. Passio Sanctorum eo die consecrari solet, quo mortem pro Christo susceperunt. Æquissimum etiam, vt Virgini dies illa dedicetur, quo pro Christo eius filio passa est. Sed dies Veneris sancti, & Sabbati sancti passio Virginis perdurauit, igitur illi dies debent Virgini dedicari: Sed Ecclesia diem Veneris filio dedicauit, quia Sabbatum Matri dedicatur. Secundò ratione personalis dilectionis; nam sicut Virgo tempore passionis sola in vltimis doloribus mansit, sic congruè ille vltimus dies hebdomadæ cum gaudio solemniter dedicetur August. O B. MARIA, quis tibi dignè valeat iura gratiarum, & laudū preconia impēdere, quæ tuo singulari merito mundo succurristi perdito, quasi tibi laudes fragilitas humani generis persoluet, quæ tuo solo commercio recuperandi aditum inue-

Ecclesi. 3.

Matt. 25.

Psalm. 6.

Eccles. 7.

Prou. 20.

nit? Ecclesia enim, sic dispensat dies hebdomadæ. Prima dies Dominica Sanctissimæ Trinitati. Dies Lunæ Defunctis. Dies Martis peccatoribus. Dies Mercurij Angelis. Dies Iouis Spiritui sancto. Dies Veneris passioni. Dies Sabbati MARIÆ. Tertiò ratione visitationis. In Sabbato Sancto MARIA remansit vidua sine filio, & debent viduæ visitari, & consolari. Ecclesia in Sabbato ipsam visitat, quæ eadem die specialiter officium facit in sui gloriã, in horis, in Missa, in Matutinis. Est ergo nostrum auxilium. Exemplum in Chronica Ordinis. Frater quidam, cùm esset morti vicinus, cœpit fixis oculis ad certum locum tremens aspicere, quod Custos eius aduertẽs, dixit: Frater, rogo, dicas, si quid vides. In verbum desperationis Frater prorupit, perdidisse se, inquiens quod in ordine feciſſet. Custos verò eum exhortatur ad MARIÆ inuocationem, diceretquè versum illum: MARIA Mater gratiæ, Mater misericordiæ. &c. Mira res, statim vbi ipsum compleuit versum, in quodam gaudium prorupit, & dixit mente pacifica: O mi frater, nonne vidisti Dominam nostram propugnatricem, expellentem cateruam Dæmonum, qui me terrebant? Tunc conuocatis fratribus, confessus est omnem desperationem prædicatam, & dicto eum magna deuotione Symbolo, & Aue MARIA in Domino obdormiuit. MARIA ergo est nostra confidentia, vnde Petrarcha: lachrymarum vita nostra plena est, & flentes luce priuamur, nisi illustremur à te stella serena.

SERMO.

In secundo Sabbato Quadragesimæ, quòd MARIA est Aduocata nostra.

Surgite, nolite timere. Matth. 17.

EXemplum recitatur, quidam Bergomẽsis fuit, qui omni die Sabbati in honorẽ Matris Dei ieiunabat in pane, & aqua; dum faceret monetam falsam, à Prætore comprehensus, in carcere ponitur, die Sabbati, dum instaret hora mortis, oculos suos ad MARIAM conuertit, dicens: ò MARIA, vbi sunt merita ieiuniorum meorum? In his verbis miraculosè apertis carceribus, sine omni obstaculo liberatus est, fugiens de manu carnificum. Ideo ipsi salutemus: *Aue MARIA, &c. Surgite, nolite timere.* Recitat Euangelista, quòd Christus quadam vice assumpsit secum tres suos Discipulos, Petrum, Iacobum, & Ioannem, *& duxit eos in montem excelsum, & transfiguratus est ante eos.* Secundùm Nicolaum de Lyra inter alios Discipulos præcipue hos tres assumpsit duplici ratione, primo ratione prærogatiuæ, quia Petrus super alios habuit firmam fidem, propter quam datæ sunt ei claues Regni cœlorum Matth. 16. *Tu es Christus Filius Dei viui*, qui super omnes confessus est, ipsum esse Christum; vnde dictum est ei: *Tibi dabo claues Regni cœlorum.* Matt. 16 Secundò Ioannes excellebat in virginitate, ex quo Christo fuit solus familiaris, & magis dilectus, cui mater in curam commissa est. Vnde Dantis 25. Pa. Hic est ille, qui recubuit in pectus nostri Pellicani, & idem fuit ex cruce ad magnum officium electus. Tertiò Iacobus inter alios, qui primus martyrizatus est Act. 12. Secundo ratione amicitiæ, vt daret nobis exemplum, quo Act. 12. solùm amicis sunt aperienda secreta Ioan. 15. *Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæ cumque audiui à patre meo, nota feci vobis.* Ioan. 15. Et Prouerb. 26. *Cum amico causam pertracta.* Et Seneca: Omnia cum amico Prou. 26 delibera. Ideo hos assumpsit, non alios. Sequitur: *Apparuerunt autem cum IESV Moyses, & Elias*, vt dicit Thom. 3. par. q. 45. art. 3. Moyses, qui mortuus erat iam per. D. annos, qui corpus non suũ, sed aliud assumpsit. Elias autem corpus proprium assumpsit, & illuc venit de Paradiso terrestri; vnde Petrus hoc videns, exclamauit: *Domine, bonum est nos hic esse, si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum.* Ista autem transfiguratio, vt dicit Thomas, & Nicolaus de Lyra, fuit hoc modo. Anima Christi à principio suæ creationis fuit glorioſa per apertam visionem, & perfectam fruitionem. Verumtamen ex diuina dispensatione fiebat, quòd gloria animæ nõ redũdaret ad corpus, vt sic esset passibile, & mortale, adimplendum pretium Redemptionis humanæ. Et ideo ex diuina ordinatione factum est, vt gloria animæ redundaret ad corpus in hora transfigurationis, vt ostenderetur Discipulis gloria futuræ Resurrectionis, non tantùm animæ, sed corporis, vt sic animarentur, ad sequendum Christum in acerbitate passionis, ad quam eos inuitabat. Et sic patet, quòd Deitas illa in transfiguratione fuit Deitas gloriæ quantùm ad essentiam, sed non quantùm ad modum, quia fuit eiusdem rationis cum illa Deitate, quę est in corporibus glorioſis sed non fuit ibi, nisi per modum passionis transeuntis; & ideo illa Deitas non debet dici dos gloriæ, quia dos gloriæ importat qualitatem permanentem. Ille: *Domine*, inquit, *bonum est*, &c. Vnde ce-

ceciderunt in terram, quibus dixit: *Surgite, &c.*

Sabbato præcedenti egimus in laudem Virginis, quomodo est nostra auxiliatrix. Hodie declarabimus, quòd sit nostra aduocata. In aduocato autem tres sunt conditiones necessariæ, quæ fuerunt in Maria Virgine. Prima, vt sit gratissimus in verbis. Secunda, vt sit audax in causis. Tertia, vt sit feruens in ipsis. Prima, &c. C. de aduoc. diuers. iudic. l. Aduocati. Volentes aduocatum eligere, debent eligere habentes gratiosam vocé, quæ gratiosa vox facilitèr imprimit quod intendit. Et Senec. lib. de quatuor virtutibus: quatuor sunt hominis prærogatiuæ. Eius pulchritudo, eius sapientia, eius laudabilis fama, eius grata facundia: & Cicero in prolog. Rhetoricorum veterum: sapientia sine eloquentia parum prodest, & Prouerb. *Prou. 12.* 12. *Propter gratiam labiorum suorum habebit amicum*, quod probatur exemplis, Mar. Antonius sententiæ mortis adiudicatus obstupefactum sua eloquentia reddidit trucidantem. Præterea M. Torquatus, de quo Valer. lib. 6. cap. 2. adeo dissolutus fuit, quòd eius pater L. Manlius ipsum in villam misit, ad custodiendum porcos; tamen postea sua eloquentia patrem liberauit à morte. Præterea Xenocrates Philosophus tantæ fuit eloquentiæ, quòd cùm in scholis legeret, quidam iuuenis dissolutus Polemius nomine, omnibus vitijs imbutus dum ingrederetur scholas ipsius Xenocratis, & Philosophus iuuenem inspiceret, conuertit lectionem suam de vna materia in aliam de moribus adeo, vt ipsum ad bonos mores conuerteret. Præterea de Sapha muliere, quæ sua eloquentia iuuenem ad se conuertit cum versu Saphico, à qua versus Saphici inuenti sunt. Præterea de Hortensia q. Hortensij egregij Oratoris filia, quæ orandi, ac pronunciandi facundiam maximo rigore seruauit. Et Hieronymus, qui sibi duos dentes abstulit, vt liberiùs idioma Hebræum pronunciaret. MARIA autem habuit gratiam facundiæ, quia locuta est mirabiliter. Vnde Angelus ad eam: *Inuenisti* *Luca 1.* *gratiam apud Deum*, quia vt inquit Dauid: *Psal. 44.* *Diffusa est gratia in labijs tuis*. Vnde super omnes fuit Aduocata. Tres sunt differentiæ Aduocatorum: quidam pro se, quidam pro suis, quidam pro bono communi. Quidam pro se, quia prima charitas incipit à se ipso. Hoc modo fuit Paulus, sed non fuit exauditus. De quo 2. Corinth. 12. *Ter* *2. Cor. 12* *Dominum rogaui, vt discederet à me*, ista *Matt. 10.* tentatio: *Et dixit mihi: Paule sufficit tibi gratia mea*. Non fuit exauditus. Secundò quidam pro, &c. Matthæi 10. de matre filiorum Zebedæi, quæ pro suis filijs facta

A fuit aduocata. *Dic*, inquit, *vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & alius ad sinistram*. Super quo Nicolaus de Lyra: Iacobus, & Ioannes credebant Christum post Resurrectionem suam regnare in Ierusalem, vt Dominus temporalis; ideo superbia inflati cupiunt sublimari in suo Regno, vnde ex hoc matrem mittunt, cui Christus: *Nescitis quid petatis*; vnde fuerunt expulsi, nec exauditi. Tertiò quidam pro bono, &c. vt sancti Patres, qui aduentum Messiæ expectabant. Isai. 14. *Emit* *Isai. 14.* *te agnum Domine*, & Dauid: *Ostende nobis* *Psal. 84.* *Domine misericordiam tuam, & salutare, &c.* Qui tamen non fuerunt exauditi: Vi-
B xit Adam nongentis triginta annis petens Christum, Enos nongentis quinque, Enoch trecentis sexaginta quinque, Mathusalem nongentis sexaginta nouem. Quoad istà tria MARIA fuit optima aduocata. Primò pro se, quia in tenera ætate votum vouit virginitatis. Ex hoc numquam sensit stimulum carnis, vt dicit Thomas 3. parte quæst. 28. nec potuit ab aliquo concupisci, vt dicit Thomas in loco prælegato, & in 3. distinct. 3. & hoc propter quatuor, quæ Spiritus Sanctus in ea operabatur. Primò, quia sic voluit. Exempli gratia Ioannes nutrit scortum, & vxorem habet longè pulchriorem scorto, & tamen
C vxorem videre non potest, & apparet omnium mulierum speciosissima. Vnde hoc, nisi quia in oculis illius ribaldi Dæmon imprimit, vt faciat hominibus vxores turpissimas, & omnes odibiles apparere? Vnde ex oppositò arguamus: Si Dæmon est tantæ potentiæ, vt faciat sic, quantò plus Deus purissimus potuit tantam benedictionem MARIÆ Virgini infundere, vt nullus eam respiciens ad concupiscentiam moueretur? Secunda causa fuit sancta conuersatio; non enim ad fenestras ibat. Tertia sancta occultatio; quia Deus occultabat in ea quæ poterant ad libidinem esse incitamenta, & dedit illi gratiam,
D vt omnibus intuentibus in eam non inordinatè mouerentur ad malum, sed ad bonum. Quarta causa dicitur irradiatio. Ex oculis Virginis exibant radij, vt intuentium oculos confunderent, vt eam inordinatè concupiscere non possent. Ob quam causam voluit Ioseph vir eius occultè dimittere eam, vt dicit Bernardus, tamquam indignum se reputans suo consortio. Vnde Origenes: si suspicionem in ea non habebat iustus, quomodo iustus erat, vt immaculatam dimitteret? Ideo ergo dimittere volebat, quia magnum in ea Sacramentum esse cognoscebat, cui appropinquare se indignum existimabat. Ille:

Vnde legitur in historia Græcorum, quòd Dionysius supplicauit Ioanni Euangelistæ, qui erat custos Virginis, vt eam videre posset, qui cũ esset ad eam introductus, ea visa, cecidit in terram, quasi mortuus, dicens: Nisi solidatus essem in fide, non alium Deum crederem, quàm ipsam; quia tantus radius claritatis ab ea procedit. Et vt dicit Albertus, quòd sicut Christus in ingressu Ægypti extinxit omnes Idola adorantes, ita & aspectus MARIÆ omnes vitio Sodomitico laborantes; tantus erat diuinus, & Sanctus aspectus. Secundò aduocata fuit pro suis Ioann. 2. deficiente vino dixit ad *Ioann. 2.* IESVM: *Vinum non habent*. Super quo Theophilus. Hæc est Mater misericordiæ, quæ deficiente vino, dixit ad IESVM, *vinum non habent*, compassa eorum verecundiæ, sicut misericors, sicut benigna. Ille: Tertiò aduocata fuit pro, &c. O quomodo staret mundus, nisi hæc pro nobis oraret! Vnde Bernardus super Cantic. 88. Constat enim pro vniuerso fuisse sollicitam, cui dictum est: Inuenisti gratiam apud Deum. Hæc est, quæ totius mundi reparationem obtinuit, salutem omnium impetrauit. Ille: Exemplum Beati Dominici, & Francisci. In anno Domini 1211. Maxima guerra fuit inter Ianuentes, & Pisanos per mare; & tunc ciuitas Ierusalem fuit assediata ab infidelibus; & erant tunc Ierusalem milites Sancti Ioannis Rhodij, & tunc ibant, induti pannis aureis, sed amisso sepulchro induuntur de nigro. Et tunc Papa Innocentius fecit Concilium Generale dictum Lateranense, in quo fuerunt Prælati mille quingenti. Et conclusum fuit, quòd fieret pax inter Ianuenses, & Pisanos; & fuerunt missi, vnus post alium, circa triginta sex legatos; & nullus ipsorum fuit aliquando reuersus, nec propter Christum, nec propter sepulchrum, nec propter Ierusalem. Tandem Papa Innocentius se mouit in persona, vt iret pro pace fienda, & infirmatus Perusij mortuus est, & Papa Honorius successit, & voluit, vt vnusquisque veniret ad dandum ei obedientiam. Et hoc modo perdita est Ciuitas Ierusalem. Et tunc anno Domini 1216. apparuit Christus in aere cum tribus lanceis contra tria peccata, Superbiæ, Luxuriæ, Auaritiæ. Virgo autem MARIA genibus flexis prouoluta ad pedes eius, dixit: O fili, dabo tibi seruos meos, videlicet Dominicum, & Franciscum, qui mundum conuertent ad te. Dantis de his 11. Paradisi. Prouidentia Dei, qua mundus regitur eo consilio quod omne creatum superat, Deus ordinauit in hominum fauorem, qui vtrique à dextris, & sinistris duces illi essent. Alter omnino in ardore Seraphicus, reliquus sapientia veluti Cherubim in terra fuit: cui filius: Mater mea, fas non est, quippiã vobis negare. Sum contentus, & parcere volo. Vnde patet primum. Secunda conditio, &c. Audacia plurimùm adiuuat. Poeta, audaces foatuna iubat; Plinius fortes, fortuna iuuuat, & Virgilius 1. Æneid. Experti reuocate animos, mæstumque timorem mitttite. Vnde Scriptura de audacia officialis, Ecclesiast. 7. *Noli quærere fieri Iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates.* *Eccles. 7.* Audacia erit in Aduocato concurrit munus. Deut. 16. *Munera cœcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum.* *Deut. 16* Et Claudianus: Mœrentur captinæ polluto iudice leges. Ouidius lib. de artẽ in 3. Munera, credo mihi, placant homines-que, deosque. Placatur donis Iupiter ipse datis. Ad propositum. MARIA est summè audax in cœlesti Curia, & Palatio. De qua Eccles. 24. *In Ierusalem potestas mea.* Sed *Eccles. 24* quare est tam audax? Respondeo, quòd triplici ratione. Primò ratione parentelæ. Secundò ratione meriti. Tertiò ratione gratiæ inuentæ. Primò ratione, &c. Quia est mater Regis æterni Ponit Valer. Maxim. lib. 5. cap. 4. de M. Coriolano, qui fuit homo magnæ virtutis, & ingenij post multas pro Patria sua Romana res gestas, propter inuidiam plebis exul factus est, qui indignatus contulit se ad Volscos; vbi tam breui tempore gratia, & authoritate valuit, quòd eius consilio bellum Romanis indiceretur, ipse dux belli consensu omnium factus est. Vastatis primò Romanorum agris, & captis multis oppidis, & plurimis in declinationem acceptis, ad vibis tandem expugnationem duxit exercitum Romani tanta mole belli territi legatos ad eum de pace, & reditu suo miserunt, qui nihil profecerunt. Missi posta Sacerdotes nihil plus ipsi obtinuerunt. Profecta tandẽ matre sola, inuictũ eius animum fregit, & eius amore bellum à patria amauit. Quod igitur Patrum authoritas, quod Deorum reuerentia non potuit, sola filij in matrem pietas fecit. Dic ad propositum MARIÆ figura 3. Reg. 3. de Salomone, qui matri suæ Bersabee dixit, ea collocata in solio suo: *Pete à me, mater mea, quod vis, neque enim fas est, vt auertam faciem meam à te.* *3. Reg. 3* Secunda, &c. Quia super omnes creaturas in omni motu suo meruit. Vnde Augustinus vnum scimus pro certo, quôd omnis MARIÆ vita, & actio semper intenta fuit in Domino. Ille. Habent enim Theologi, quôd meritum nostrum consistit in amore Dei. MARIA super omnes Deum Filium suum amauit; nam tempore passionis Christi quidã fuerunt fortes in amore, sed debiles in

in associatione, & fide, sicut Apostoli, qui ipsum viuum dilexerunt, sed tamen ab ipso recesserunt, & fidem perdiderunt. Alij fuerunt fortes in associatione, & amore, sed tamen debiles in fide, sicut deuotæ mulieres, quæ Christum mortuum dilexerunt, & ab eius Cruce non recesserunt, sed tamen fidem perdiderũt. Beata autem Virgo fuit fortis in amore, quia filium semper dilexit, immo facilius fuisset ei mori, quàm ab eius dilectione separari. Dilectio fuit fortior in associatione, quia iuxta crucem immobilis stetit, Ioan. 19. Fuit fortissima in fide, quia fides in ipsa sola remansit, nec tempore passionis extingui potuit, vnde sic super omnes meruit. Tertiò ratione gratiæ inuentæ, quia gratiam humano generi inuenit. *Inuenisti gratiam apud Deum*. Quam gratiam? Dei, & hominum, audacia cuius dominatur, in cœlo, in purgatorio, in mundo, in inferno. Vnde Bernardus: Data est tibi omnes potestas in cœlo, & in terra, vt omnia, quæcumque volueris, valeas impetrare. Ille: Et Petrarcha: Te rogamus, oculos ne claude, sed aperi, tuique magni splẽdoris fac Diabolum omnino succumbere. Ille: Tertia conditio, &c. vt sit feruens in ipsis obtinendis. Apostolus: *Solliciti, non pigri*. Ad propositum. MARIA fuit, & est feruens, quia nec ad horam recedit. Psalm. 44. *Astitit Regina, &c.* Vnde tenuit omnes vias impetrandi, quæ sunt tres in præsentiarum. Primò per viam humilitatis. Secundò per viam improbitatis. Tertiò per viam improperationis. Primò per viã, &c. Prouerb. 15. *Responsio mollis frangit iram*. MARIA hunc modum tenuit, quia humilis ore, corde, opere, Lucæ 2. *Respexit humilitatem ancillæ suæ*. Secundò per viam, &c. importunè petit, vnde Ecclesia: Monstra te esse matrem. Et in sequentijs: Ora patrem, iube natum. Insinua illi, quæ fis. Et nihil tibi denegat. Esther 6. *Quid vis Regina, & quæ est petitio tua? etiamsi dimidiam partem Regni petieris, impetrabis*. Et Ecclesia in Sequentijs: clementior præcæteris succurre nobis miseris Mortalium spes vna. Vnde Bernard. quid ad MARIAM trepidat accedere humana fragilitas? nihil est in te austerum, tota suauis, & dulcis, omnibus offerens lac, & lanã, Tertia conditio, &c. fili recordare quid tibi feci, te portaui nouem mensibus, te lacte paui, te super asellum in Ægyptum fugi; te in triduo cũ lachrymis quæsiui, te in templo obtuli, te secuta sum in montem Caluarij, te associaui, id est, quia alijs recedẽtibus, non recessi. Vnde quidam vulgaris, quis non potest contristari Matrem Christi contemplari. In tanto supplicio. Ideo Bernardus. Securum habemus accessum ad patrem, vbi mater ante filium, filius ante patrem. Mater ostendit filio pectus, & vbera, filius ostendit patri latus, & vulnera. Nulla ergo poterit esse repulsa, vbi tot occurrunt charitatis insignia. Ille. Petrarcha. ad te miser peccator recurrit supplex, vt tuæ placeat clementiæ eum semper ex diuino furore eripere. Assimilatur rosæ, quæ redolet; de qua Eccles. 24. *Quasi rosa plantatio in Iericho*. Ecclesia in Sabbatis. Gaude rosa, pura, decens, speciosa, semper recens, flos inmarcessibilis. Secundò viti, de qua vbi supra: *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem, &c.* quæ serpentes fugat, ita & MARIA Dæmones. Die hoc exemplum, & applica illud. Refert Vincentius Historicus exemplum. Quidam Romanus Imperator fuit, cui diuina clementia vxorem genere, & moribus nobilissimam prouidit, ac pulchritudine honestissimam. O pulchrum donum, quando homo reperit bonam vxorem! Prouer. 19. *Domus, & diuitiæ dantur filijs à parentibus, vxor bona à Domino præparatur*. quasi dicat, gratia est specialis, vt quis bonam vxorem habeat. Venit autem in mentem Imperatoris, vt pergeret per Orbem, visitare loca Sanctorum. Accepto itaque consensu à coniuge, Regnum, & quendam suum fratrem adolescentem ei recommendauit, & sic discessit, adolescens autem deceptus in amorem Imperatricis sæpe petiuit ab ea de actu carnali. Imperatrix autem ipsum posuit in quadam turri custodiendum cum decenti cura vsque ad aduentum Imperatoris, ne iuuenis mulierem amplius molestaret. Determinato autem die, & tempore, videlicet post quinque annos Imperator redijt; quod vxor audiens summè gauisa est, insuperquè nobiles, & maiores in occursum eius occurrere, & vicos Ciuitatis adornari decenter, & fratrem Imperatoris iussit de carcere exire. Quàm primùm fratri obuius iuit ante aduentum Imperatricis, requisitus ab Imperatore, cur afflictus esset, & pallidus? respondit cum lachrymis. Vxor tua me tali modo, ò Imperator tractauit, eò quia increpaui eam super actu impudico, facta est meretrix tuorum nobilium, quod audiens Rex, in terram cecidit, quasi mortuus, confortatus verbis adstantium surrexit. Interim venit mulier cum puellis, volẽs dare osculum Imperatori, ipsam percussit pugno, & eam expulsit. Præcepit seruitoribus suis, vt ipsam ducerent in syluam quamdã, & eã ibi decollarẽt. Cũ fecissent, & eã tam pulchram vidissent, decreuerunt ante eius

Ecclesi. 24

Ecclesi. 24

Prou. 19

mortem accipere mutuum solatium ab ea. Clamans autem, ac se defendẽs, & omnino renuẽs, ac nomẽ Virginis inuocãs, in huius modo verbis, & clamoribus quemdam Comitem contigit illac transire, qui Romam ibat. Videns mulierem valde speciosam, ipsam inimicis liberauit. Interrogans eam, quæ esset, ex humilitate indicare noluit, sed petijt, vt ipsam abduceret in domum suam, & pro ancilla eam susciperet Dominæ suæ. Gauisus est valde Comes, qua conducta, dedit ei in curam paruulum filium, vt ipsum nutriret. Quem susciens, charè ipsum fouebat. Accidit, vt frater Comitis esset philocaptus de ea vehementer. Vna die petiuit ab ea, vt ei copularetur in matrimonio, petiuit, & secundò, & tertiò renuit satis. Nefandus homo non valens obtinere quod volebat noctu, ductus diabolico spiritu occidit puerum Comitis, quem in gremio tenebat, cùm dormiret, & currente sanguine per lectum, & clamante: heu me, Comes cum famlia hoc audientes, ac existimantes, mulierem puerum occidisse, de communi consensu data est in manu piratarum, vt ipsam in alto mari præcipitarent. Videntes ipsam tam pulchram, decreuerunt priùs accipere mutuò illecebras voluptates. Cùmquè nollet assentire, ipsam in quadam rupe altissima maris dimiserunt, vt ibi fame moreretur. Cùmquè per tres dies, & noctes cum lachrymis fuisset sine comestione, & nomen Matris MARIÆ inuocaret, (ô Christiane inuoca MARIAM,) apparuit ei Virgo, dicẽs: ô filia, noli desperare, citò accipies talem herbam, quam habes super tergum, & sub pedibus, & facies emplastrum, & sic sanabis omnes læprosos, & tua puritas manifestabitur. Cùmque herbam collegisset hora tertia tertij diei, nautæ venerunt ad ripam ab ipsa vocati, eam susceperunt, & ad portum Romanum cõduxerunt. Egressa de naui reperit læprosum totum fœtidum in ripa portus, & ipsum sanauit. Venit autem ad Vrbem istam, in qua erat impius ille frater Comitis, qui paruulum occidit huius mulieris, qui ob hoc malum læprosus erat factus. Ad hunc fuit conducta, sed ab eo minimè cognita. Rogatur obnixè à Comite, vt ipsum sanaret à morbo læprę, & quidquid mercedis velit, dabitur illi. Respondit, se facturum, si de omnibus peccatis suis coram illa, & septem personis vult cõfiteri peccata sua. Respondit ille: sum contentus: confessus est peccatum illud, se puerum occidisse Comitis fratris sui in manu mulieris nutricis. Audiens autem frater expauit, plus dolens de amissione illius mulieris. Respondit illa: ego sum illa mulier, & tibi omnipotẽs Deus parcat, vnde ipsum sanauit. Recessit à loco illo, & Romam venit, leprosos sanando. Cùmquè eò applicuisset, conducta est, vt fratrem Imperatoris sanaret, qui & ipse læpram incurrerat propter peccatum mulieris accusatæ iniustè Imperatori; respondit, vt priùs fecerat fratri Comitis, si peccata sua confiteri vellet coram Papa, promittit facere. Cùmquè omnia hoc excepto, confessus esset, respondit mulier, vnum deest; tandem propalauit peccatum factum contra mulierem de peccato infamationis in mulierem. Quo audito Papa, flere cœpit super casum illius Imperatricis, credens mortuam esse; mulier autem sancta, sanato à læpra fratre Imperatoris, dixit: Nosti me fili. Non, ait, ego sum illa Imperatrix, & omnia narrauit per ordinẽ. Tũc omnes cũ lætitia illam susceperunt. Volens autem Imperator iterum eam reassumere in vxorem, vt priùs, renuit omnino. Et ob amorem Virginis, quæ eam liberauit à tot periculis, in Monasterium Monialium, se reclusit, ibique vitam finiuit, deuota existens MARIÆ Virgini. Applica diligenter, quia pulchrum est.

SERMO.

Sabbatum tertium Quadragesimæ, quòd MARIA est Sancta sanctorum, & ipsa tota Trinitas, & est Dea nostra.

Fili, tu mecum es, & omnia mea tua sunt. Lucæ 18.

Lucæ 18.

EXemplum. Miles quidam ab inimicis est captus, qui timentes, ne eriperetur à manibus suis, decreuerunt ipsum statim occidere, quod cernens ipse, non esse aliquod remedium, supplici voce dixit illis rogo vos, vt dignemini mihi concedere paruum temporis, vt peccata mea possim confiteri; cui dixerunt, nolumus, sed caput flecte; cùm hoc ageretur, dixit, animam meam, & corpus commendo Matri illi misericordiæ MARIÆ dulcissimæ; mori nõ potuit, & omnes illi timore percussi fugerunt; & cùm interrogarentur ab amicis suis, quare nõ occiderunt ipsum, & mori nõ potuissẽt? dicũt se vidisse mulierẽ quãdam in habitu albo, quæ ipsum ad sui inuocationem manum submisit, ne moreretur. Vnde ex hoc exemplo ipsam salutabimus. *Aue gratia plena, &c. Fili tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt.* Recitat Lucas de duobus filijs, & de minore, qui à patre sub-

substantia accepta, ad longinquas partes ductus substantiam ipsam dissipauit, luxuriosè viuendo. Secundùm Albertum peccatum luxuriæ præcipuè dissipat quatuor bona. Primò substantiam temporalem, Pro. *Prou. 26* uerb. 26. *Qui nutrit scortum, perdet substantiam*. Secundò vitam corporalem. Seneca: Plures occidit voluptas, quàm gladius. Tertiò gloriam mundanam, Eccles. *Eccles. 47* 47. *Inclinasti femora tua mulieri, & dedisti maculam in gloriam tuam*. Quartò gratiam spiritualem, Genes. 6. *Genes. 6.* *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est. In se autem reuersus*, id est, cogitans mala, quæ fecit, dixit. *Pater peccaui*, scilicet male viuendo *in cœlum*, id est, coram cœlesti Curia, & Angelis Sanctis, *& coram te*, scilicet te vidente, & sciente, quia oculi tui me *Psa. 138* vident, Psalm. 138. *Imperfectum meum, & cætera*. Quem pater videns ipsum suscepit gratanter, & honorabiliter, & fecit eum indui stola prima. Maior filius audiens tot læta super iuniorem, de agro veniens indignatus erat. Respondit pater verba assumpta. *Fili tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt*. Quæ verba dicuntur à MARIA Filio suo. *Fili mecum es*. Cum MARIA est Pater per potentiam. Cum MARIA est Filius per sapientiam. Cum MARIA est Spiritus sanctus per clementiam. Vnde dicitur Sancta sanctorum, & sanctarum. Quæ Conclusio probatur triplici ratione secundùm Doctores nostros: Primò ratione sanctificationis. Secundò ratione coniunctionis. Tertiò ratione diuinalis infusionis. Primò ratione, &c. quia super omnes fuit Sancta. Pro maiori notitia dicendorum notandum est secundùm Thomam in opusc. 3. Richard. in 3. distinct. artic. 4. quæst. 4. & Albertum in 4. libro compend. cap. 4. quòd quadruplex est sanctificatio. Prima est vniuersalis. Secunda est specialis. Tertia est singularissima. Quarta singularis. Prima est vniuersalis, qua anima sanctificatur à peccato originali. Et hoc est in Baptismo, in quo gratia confertur, sed non confirmatur, quin possit recedere ab illa; hęc autem sanctificatio datur omnibus in Baptismo. Qui Baptismus, vt dicit Thomas in 4. distinct. 4. artic. 1. habet purificare baptizatum ab omni peccato originali, & actuali in adultis. Et tunc anima efficitur Christi sponsa, de qua Osee 5. *Osee. 5.* *Sponsabo te mihi in fide*. Ista est prima sanctificatio. Secunda est, &c. Qua anima purgatur à culpa ita & taliter, quòd non potest cadere in mortale. Hæc autem fuit Ioannis Baptistæ, & Ieremiæ. De Ioanne Baptista Lucæ 3. *Et Spiritu sancto replebitur,* *Luc. 3.* *Ierem. 1.* *&c.* De Ieremia 1. cap. *Antequam exires*

de vulua, sanctificaui te. Tertia est, &c. Et hæc de Christo. De qua 1. Petr. 3. *Qui* *1. Pet. 3.* *peccatum non fecit, nec dolus, &c.* Et Ioan. *Ioann. 8.* 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Quia de Spiritu sancto, &c. Quarta singularis est, & hæc fuit MARIÆ ex priuilegio speciali. De qua Psalm. 45. *Sanctificauit ta-* *Psal. 45.* *bernaculum suum Altissimus*. Quamuis Ioannes Baptista, & Ieremias non possent peccare mortaliter ratione suæ sanctificationis in vtero, tamen venialiter potuerunt. MARIA autem modo singulari est sanctificata. Et hoc dupliciter. Primò ratione modi; quia non solum non peccauit, sed nec peccare potuit, quod nulli est concessum. Secundò ratione numeri, quia quadrupliciter fuit sanctificata. Primò in sui conceptione. Bernardus: Neque enim festinis laudibus nascens honoraretur, si non sancta nasceretur. Secundò in filij conceptione. Et tunc fuit ablatus omnis fomes peccati radicitus. Vnde dixit ei Angelus: *Spiritus* *Luc. 1.* *sanctus superueniet in te*, scilicet, ad extirpandum fomitem peccati. Tertiò in missione Spiritus sancti cum alijs Apostolis. Quartò in Assumptione, quando in cœlum ascendit, quia tunc deposuit omnes pœnalitates; quando tam in anima, quàm in corpore glorificata fuit. Hoc priuilegium non est concessum alicui; vnde Augustinus lib. de nat. & grat. & Magister in 3. distinct. 3. Si omnes Sancti, & Sanctæ cùm hìc viuerent, interrogati fuissent, vtrum sine peccato essent? omnes vna voce respondissent. Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Et infra: excepta Virgine MARIA, cùm de peccatis agitur, nullam prorsus volo haberi quæstionem. Et Bernardus ad Monachos Lugdunenses. Ego puto, quòd & copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit, quàm in alijs Sanctis ab vtero sanctificatis, quæ non solum ipsius ortum sanctificaret, sed & vitam eius ab omni peccato dejnceps immunem conseruaret. Quod nemini in natis mulierum credimus esse donatum. Vbi notandum secundùm Alanum, & Archiepiscopum in 4. part. sum. quòd triplex est status hominis. Primus est posse peccare, & posse mereri. Secundus est comprehensorum, qui non possunt nec peccare, nec mereri, cùm sint extra statum viæ. Tertius est Virginis, quæ fuit viatrix simpliciter, & secundum quid de statu comprehensorum, vnde potuit mereri, & non peccare. Habuit ergo in præsenti priuilegiũ Sanctorũ, quod nulli cõcessum est, vnde benè Spiritus sanctus Cant. 4. *Tota pulchra es ami* *Cant. 4.* *ca mea, & macula non est in te*. Et Ecclesia in sequentia. O castitatis lilium tuum precare

filium, qui salus est humilium. Virgo carens simili, tu quæ mundo flebili contulisti gaudia. Et vt dicit Franciscus de Mayro. Tanta puritas, & sanctitas fuit in MARIA, quantam potuit capere aliqua pura creatura. Vnde quidam canebat. O MARIA Diana stella, quæ & cætera. Et sic patet secunda ratio, qua dicitur, & cætera. *Fili tu semper*. Secundò ratione, & cætera. Vna maxima est in Theologia, quòd illa creatura dicitur maior, & sanctior, in qua est maior fides. In MARIA super omnes fuit maior fides, Lucæ 2. *Beata, quæ credidisti, &c.* Igitur dicitur Sancta sanctorum.

Lucæ 2. Secundùm Albertum. Super Missus tempore Passionis Christi quadruplex fuit fides. Quidam nec fidem, nec compassionem habuerunt, vt Iudæi, & infideles, qui clamabant Matth. 26. *Vah qui destruis, &c.* Quidam compassionem habuerunt, sed

Matt. 26 non fidem, quòd scilicet, erat Deus, qui patiebatur, vt Apostoli, quibus dixit Matthæi 26. *Omnes vos scandalum patiemini in me, &c.* Scandalum eorum fuit, qui fidem perdiderunt. Et mulieres insuper, quæ eum sequebantur, Lucæ 27. Inter alias fuit Magdalena, quæ plus visa est dili-

Lucæ 27. gere; non credidit verum esse Deum. Vnde Ionn. 20. Christus resurgens à mortuis, & in horto apparuit, dicens: *Noli me tan-*

Ioann. 20 *gere*. Quare, ò IESV noluisti tangi? Vna est responsio Thomæ 3. distinct. 21. quæst. 2. art. 4. Magdalena prohibita est Christum tangere, quia mulier erat. Alia Augustini, & plus sapit. *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum*, id est, in corde tuo, vt credas me esse æqualem Deo Patri: quidam habuerunt fidem, sed non compassionem, vt Angeli, qui erant extra statum vitæ, in quibus non cadebat passio. Quidam fidem, & compassionem, & hoc solùm in MARIA. O felix. Sola fuit, quæ fidem seruauit, & alijs recedentibus à fide, ipsa non recessit. Vnde quidam vulgaris: Stabat Mater dolorosa, Iuxta Crucem lachrymosa, Et lugebat filium. Ideo Dauid introducit filium dicentem Patri: *Considerabam ad dexteram, & videbam, & non erat,*

Psa. 141. *&c.* Quare non dicit, ad sinistram? Respondeo propter Matrem, quæ ibi erat. Et Gloss. super illud Isai. 5. *Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir me-*

Iasi 5 *cum*. Non de mulieribus dicit propter Virginem, quæ compatiebatur ei. O fides MARIÆ! In huius exemplum in hebdomada sancta Ecclesia candelam vnicam non extinguit, quia fides MARIÆ semper vna fuit. De hac candela exemplum legitur in visione Sanctæ Elisabeth, quòd Virgo ei apparuit, dicens, quòd sibi gratissimum erat, vt sui deuoti in Sabbato hodierno hora vespertina candelam accendant in sui honorem, per quam repræsentatur eius fides. Et adiunxit, quòd quinque vicibus habuit dolores de filio. Primò cum Simeon eum occidendum dixit, Lucæ 2. *Tuam ipsius animam, & cætera*. Secundò *Lucæ 2.* cùm perdidit ipsam in triduo in Ierusalem, Lucæ 2. Tertio cùm captum, & ligatum audiuit à Ioanne in Bethania consistens. Quartò cùm crucifixum vidit in Cruce. Quintò cùm ipsum vidit poni in sepulchro de brachijs suis. Et sic patet secunda ratio *Fili tu semper mecum, &c.* Tertiò ratione, &c. Secundùm Thomam in expositione salutationis Angelicæ MARIA excessit omnes Angelos, & Sanctos in tribus. Primò in gratiæ plenitudine. Secundò in diuina familiaritate. Tertiò in mira puritate. Primò in gratiæ, &c. quæ maior fuit in MARIA, quàm in aliquo sancto, & ad hoc insinuandum dixit ei Angelus: *Aue gratia plena*. Quasi dicat. O MARIA, tibi re- *Lucæ 1.* uerentiam facio, quia me, & omnes Sanctos excellis in gratiæ plenitudine, quod patet. Gratia datur à Domino. Primò ad malum euitandum. Secundò ad benè operandum. Quoad primum peccatum omne vitauit super omnes Sanctos, & Sanctas immunis ab omni peccato. Ideo dicitur ei *Aue* ab a, quod est sine, & ue, quod est culpa. Secundò habuit gratiam ad benè operandum, quia omne bonum operata est; alij Sancti specialia habent dona. Quidam sunt virgines. Quidam Martyres. Quidam patientes. Quidam misericordes. Sed super omnes MARIA Virgo est nobis exemplum omnium virtutum. Hieron. ad Eustoch. Benè gratia plena, quia cæteris per partes præstatur. MARIÆ autem tota se infudit gratiæ plenitudo, & Prouerb. vlt. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es* *Prou. 31.* *vniuersas*. Secundò excedit, &c. Quod ostendit Angelus. *Dominus tecum*, quasi dicat: ideo tibi exhibeo reuerentiam, quia es Deo familiarior, quàm ego, & alius sanctus. *Dominus tecum*, secundùm Thomam 1. part. quæst. 8. art 3. Deus est vbique quadrupliciter in omnibus. Primò per potentiam, quia vbique est. Vnde Psalm. 138. *Si ascendero in cœlum, &c.* Secundò per essen- *Psa. 13* tiam; quia omnia creata in esse suo conseruat. Greg. Omnia in nihilum tenderent, nisi manus omnipotentis sustentarent. Tertiò per præsentiam, quia omnia sunt aperta oculis eius. Videt te ille Deus, &c. Quartò in Sanctis per gratiã. Quãuis istis modis sit in omnibus creaturis, tamẽ modo singulari est in MARIA, & modo inaudito à seculis stupendissimo. Quomodo frater? Clama, per gratiam cor-

corporalé. Vnde Angelus: *Dominus tecum*, quia in vtero tuo cõceptus est. Tecũ super Angelos. Tecum super Archangelos. Enumerare omnes Angelos, Enumerare Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Martyres, Confessores, Virgines, *Dominus tecum* Bernard. super Cantic. Plus tecum, quàm mecum. Sequitur. Pater tecum, qui filium suum fecit & tuum. Filius tecum, qui seruat tibi gentale signaculum. Spiritus Sanctus tecum, qui cum Patre, & Filio tuum sanctificat vterum. Ille. Practica, Magnũ fuit creare cœlum, & terram de nihilo. Magnum in diluuio saluare in arca homines, & de omni genere animalium. Magnum liberare populum de Ægypto tantis mirabilibus. Magnum conducere populum in tanto numero per desertũ quadraginta annis de cœlo manna præstito. Magnum omnes gentes cum Regibus suis de terra promissionis per Iosue exterminari. Magnum fuit cœcos illuminare, Dæmones effugare, infirmos sanare, mortuos suscitare. Sed omnia ista magnalia excedit opus incarnationis Christi, quod factum est in MA-
Ioann. 1. RIA, quando *Verbum caro factum est*, & in MARIA habitauit. *Dominus tecum.* Tertiò excessit Angelos, &c. Fuit enim pura quoad duo. Primo quoad pœnam, secundò
Lucæ 1. quoad culpam. Primò de culpa immunis fuit. Vnde dicitur *Benedicta tu in mulieribus.* Secundò à pœna. Tres enim maledictiones sunt datæ homini propter peccatum.
Genes. 3. Prima mulieri eius, & per consequens alijs. Genes. 3. *In dolore paries.* Quod benè sciunt
Isai. 1. mulieres, &c. Ab hac pœna fuit immunis MARIA, quia sine dolore peperit Isai. cap. 1. *Germinans germinabit lætabunda.* Et Ecclesia Nesciens Mater Virgo virum peperit sine dolore Saluatorem seculorum. Contra hanc pœnam mulièbrem tres habuit consolationes de filio suo. Prima fuit, quando concepit Christum, ò quantùm gauisa. Secunda, quando surrexit ab inferis tertia die, & Angelus ei cecinit: *Aue gratia plena.* Tertia, quando cœlum ascendit, quia ibat ad præparandum ei locum amœnum, & nobis. Secun-
Genes. 3. da pœna data est homini Genes. 3. *In sudore*
Psal. 127 *vultus tui vesceris pane tuo.* Et Dauid: *labores manuum tuarum, quia manducabis.* Ab hac pœna immunis fuit MARIA, quia soli Deo vacabat, & ab Angelo reficiebatur pane cœlesti. Tertia pœna data est omnibus creaturis, & communis, vt in puluerem re-
Genes. 3. uerterentur post mortem, Genes 3. *Cinis es, & in cinerem reuerteris.* Ab hac immunis fuit MARIA, quia cum corpore glorificato cœlum ascendit, vt probant Doctores Augustinus, Bernardus, & alij. Ideo Angelus ei: *Benedicta tu in mulieribus.* Benedicta super Michol Dauid vxorem, quæ tantum placuit ei, quòd quamdiù fuisset extra Regnum Iu-

A dæorum, noluit redire in ipsum, nisi primò ei esset præsentata 1. Reg. vlt. Sic MARIA tantùm placuit Altissimo, quòd eius filius *1. Reg. vl.* existens extra Regnum mundi, noluit in ipsum ingredi, nisi priùs nasceretur in mundo. Benedicta super Abigail, quæ Dauid placuit suis verbis, ne malum faceret Nabal viro suo. Sic MARIA placauit Deum iratum contra mundum. Benedicta fuit super Rachel, quæ fuit vxor Iacob, quæ genuit Ioseph, qui interpretatur Saluator. Sic MARIA genuit nobis Christum Saluatorem. Benedicta fuit super Iudith, quæ occidit Holophernem virtute suæ humilitatis. Sic MARIA Diabolum. Benedicta fuit super Abisaag Su-
B namitem, quæ fuit electa super omnes filias Ierusalem tanquam pulchrior, & delectabilior ad seruiendum Regi, vt patet 3. Reg. 1. *3. Reg. 1.* Sic MARIA electa est ad ministrandum Re- *Eccles. 24* gi gloriæ. De qua administratione. Eccl. 24. *In habitatione sancta coram ipso ministraui.* Exemplum in Chronica Ordinis. Erant duo iuuenes, qui dixerunt Religionem intrare tali pacto, quòd quando vnus vellet exire, alter sequeretur. Cùm intrasset vnus illorum, cœpit esse deuotus Dominæ nostræ: alius verò non, & quòd stare non posset, so-
C cio intimauit. Cui respondit. Primò licentiam accipiamus à Matre Dei, & nos ei commendemus. Iuerunt ante altare Virginis, & hìc orabat ipsam cum mira deuotione, vt cor fratris sui conuerteret. Alius, qui eum expertabat, vidit quamdam pulcherrimam Dominam lachrymas colligentem fratris orantis in panno suo, & ostendentem eas filio suo in cruce existenti, & dicebat: fili, peribunt ne lachrymæ istæ? Tunc ille, qui expectabat, compunctus corde proiecit se statim ad pedes eius cum lachrymis, & veniam petijt, narrans illud, quod factum erat, quod ille orans non videbat. Et statim gratias agens Deo deuotus, & MARIÆ regratiebatur de tanta, tantaque visione, & eiusdem confirmatione.

SERMO.

D Sabbatum quartum Quadragesimæ, quòd MARIA est Mater omnium gratiarum.

Remansit IESVS solus, & mulier in medio stans Ioan. 8. Miraculum. *Ioann. 8.*

QVidam fur ob sui turpitudinem à iustitia comprehensus est, & clamabat truncatus capite à corpore proprio confessionem. O MARIA. Pœnitentiam, ò MARIA omnes stupebant. Pro Sacerdote mittunt, & caput corpori coniungunt, & sic confessionem fecit, qui dixit omnibus. Hoc benefi-

cium

cium huius pœnitentiæ, & confessionis merui per MARIAM, cuius Sabbatum deuotè ieiunaui, quam rogaui non mori sine confessione, & contritione. Quo dicto, & Sacramentis susceptis, in pace quieuit. Aue MARIA, &c. *Remansit IESVS solus, &c.*

Recitat Euangelista, quòd Christus perrexit ad montem Oliueti ad contemplandum, quia domus Marthæ, in qua hospitabatur, erat propè montem illum. Et diluculo venit ad templum, ad ostendendum zelum animatum, vt illis prædicaret secundùm sententiam Augustini in lib. de consensu Euangelistarum. In Christo erant duæ naturæ, scilicet, natura diuina, vt Deus quoad hoc nullius ei erat contentio loci, qui vbicumque est, quoad naturam humanam, sic ei conueniebat locus pro sui contemplatione. Mons ergo iste erat Christi oratorium, & quantò plus appropinquabat eius passio, tantò plus operam dabat contemplationi. Scribæ autem adducunt ei adulteram, vt sententiam daret. Sed quare non adducunt adulterum, cùm tamen pari pœna debeat puniri capitis? vt ff. ad l. Iul. de adulteris, l. eis lege Iulia, & C. ad legẽ Iuliam de adulteris, l. Gracchus. Duplex est responsio. Prima est Chrysostomi, vt scilicet, ponant suspicionem in corde populi, quòd fuisset aliquis ex eius discipulis. Secunda quia forte erat dies; ideo propter io ipsum liberauerunt. Sed datur alia responsio secundùm Glossam; quia crimen adulterij magis punitur in fœminis, quàm in viris. Sequitur: *Magister modò hæc mulier deprehensa est in adulterio. In lege mandauit nobis Moses huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis?* Si ipsam damnasset, pro crudeli accusassent. Si soluisset, facere illum contra legem, clamassent. *IESVS in terra scribebat.* Quid scriberet, quadruplex opinio. Vide sermonem de suspicione, & dixit: *Qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mittat. Vade, & amplius noli peccare.* Glossa, Tantam in corde infudit contritionem, vt sufficeret pro pœnitentia in foro iudiciali, & pœnitentiali. Applica. MARIA Virgo est Mater omnium gratiarum, quæ conclusio probatur triplici ratione. Primò, ratione approximationis. Secundò, ratione electionis. Tertiò, ratione humiliationis. Primò ratione, &c. Conclusio est Thom. 4. part. quæst. 27. art. 5. & Philosophi 2. Metaphys. & Auerrois lib. de causis, quòd quantò aliquid magis appropinquat principio alicui in quolibet genere, tantò magis participat effectum illius principij, exempli gratia. Approxima te ad ignem, ad Solem, &c. Vnde dicit Dionys. in 4. cœlest. Hierar. quòd Angeli, qui sunt Deo propinquiores, magis participant de bonitatibus diuinis, quàm homines, quia sunt proximiores. Approximare Deo non fit corporis gressu, sed passionibus mentis. Vnde Bernard. super illud Genes. 17. *Ambula coram me, & esto perfectus*, dicit: Ambulatur autem coram Deo non passibus corporis, sed affectibus mentis, & Aug. homil. 26. super Ioan. Ad Deum nõ motu corporis, sed voluntate cordis accedimus. Hodie tribuis eleemosynam pauperi, per vnum passum accessisti ad Deum, & sic de singulis. Non motu, inquit, corporis, &c. Ad propositum MARIA Virgo fuit Deo propinquissima super omnes creaturas, quia ex ea corpus Christi formatum est ex purissimis sanguinibus Virginis MARIÆ. Et qui erat Filius Dei dicitur Filius MARIÆ. Vnde signanter dixit ei Angelus. Ecce concipies in vtero, & paries filium. Sed quem, o Gabriel? Nunquid Ieremiam, Isaiam, Danielem? Non verè. Sed IESVM flagellatum, crucifixum, mortuum, quia ergo fuit super omnes proxima Christo, super omnes gratias habet. Vnde dicere possumus illud Iudith. 8. Hæc est mulier famosissima, quia Deum timet valde. Secundùm Iacobum de Voragine in suo Mariali triplici causa aliquis dicitur famosus. Primò ratione sapientiæ. Secundò ratione potentiæ. Tertiò ratione sanctitatis. Primò ratione sapientiæ. Patet de Salomone 3. Reg. 10. *Regina Saba audita fama Salomonis.* Eius fama, scilicet, sapientia, qui locutus est tria millia parabolas, & quinque millia carmina. Et de omnibus rebus mundi habuit cognitionem, quidquid homo scire potest. Præterea de Alberto Magno. De quo Pius Papa ad Turcũ, præcipua est Alberti Magni scientia, qui nullum doctrinæ genus creditur ignorasse. Præterea de Origene, qui sex millia volumina librorum scripsit. Ad propositum MARIA fuit super omnes famosa in scientia, quia habuit scientias. Triplex est scientia secundùm Thomam super Ioan. Prima est acquisita, vt habuere Philosophi, & illi, qui studio vacant. Hanc habuit MARIA, quia in templo fuit docta plenissimè tam in grammaticalibus, quàm in coloribus Rhetoricis, vt patet in litteris, quas mittebat Sancto Ignatio, quæ sunt optimè positæ. Præterea habuit omnes scientias, quod sic probat Augustinus. MARIA sciuit scripturas; in scriptura continentur omnes scientiæ, igitur habuit omnes scientias. Secunda est infusa, quam habuere Apostoli, & alij sancti, qui miraculosè fuerunt illuminati. Hanc habuit MARIA, quia à Spiritu Sancto fuit illuminata, & meliùs sciuit scripturas, quàm aliquis Propheta, aut Patriarcha. Chrys. super illud Lucæ 2. *MARIA conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo*, quia scripturas legerat, & prophetias sciebat. Tertia est intellectualis, quæ est in Beatis, qua

Gen. 17.

Iudith 8.

3. Reg. 10

Luca 2.

omnia

omnia cognoscunt in visione Diuini Verbi, MARIA autem hanc habuit, quia viatrix existens habuit priuilegium comprehensorum. Quis docuit Apostolos de obscuris fidei post Christi ascensionem ? Certè erat MARIA. Vnde patet. Secũdò ratione, &c.

Genes. 6. Genes. 6. *Gigantes erant super terram, isti sunt potentes à seculo, viri famosi*, vt dicit Nicolaus de Lyra. Horum initium fuit à Dæmonibus sumẽtibus hominis semen, &c. De hoc semine Gigantum fuit Samson, qui centum viros percussit cum mandibula asini, & Goliath. De hoc semine fuit Alexander Magnus, Carolus Magnus, & in Curia Borsij fuit quidam frater noster Bertoldus, qui asinum cum molendinario portauit. MARIA super omnes fuit potens, tam potens, quòd cœlum aperuit, quod Eua clausit. Tam potens, quòd Dæmonem suppeditauit. Vnde Hieron. Hæc est, quæ cœlis dedit gloriam, gentibus fidem, vitijs finem, vitæ ordinem, moribus disciplinam. Vnde Cant

Cant. *Terribilis, vt castrorum acies ordinata.* Timent eam Dæmones vltra modum. Exemplum ad hoc propositum. Diues quidam habuit filium ab vxore. Mortuo viro filius cum matre dormiens ipsam impregnauit, & mater in partu occidit ipsum præ verecundia, atque sepeliuit. Dæmon autem in forma Clerici coram Imperatore dixit: Miror, quòd Roma non consumitur pro tanto scelere, quod mulier talis egit, quia filium occidit; citatur illa, & tempus inducię datur. Illa ad confessionem currit, dicens Patri, in angustijs sum, Pater. Cui ille: commenda te Virgini. Dum esset tempus, conducitur coram Iudice. Cùmque ibi esset Dæmon, clamare cœpit. Hæc non est illa mulier incestuosa, sed Virgo MARIA. Ad hanc vocem stupent omnes, & Dæmon recessit, & sic mulier honoratur. Mulier hæc fuit MARIA in forma illius mulieris, & peccatum eius occultauit. O potentia MARIÆ! Tertiò ratione, &c.

Iob 1. Iob 1. *Erat autem Iob vir magnus inter omnes, qui morabantur in terra.* Magnus sanctitate, & de Ioanne Baptista Lucæ 1. *Erit magnus coram Domino.* Secundùm Thom. super epist. Pauli. Triplex est sanctitas, vna dicitur diuinalis, scilicet, Dei, sub qua fuit MARIA. Vnde Thom. 3. part. quæst. 27. art. 1. Rationaliter credimus, quòd illa, quæ genuit vnigenitum plenum gratiæ, & veritatis, præ omnibus alijs maiora gratiæ priuilegia accepit. Ille. Et in 1. part. quæst. 25. art. 6. ad 4. Beata Virgo MARIA ex hoc quòd est Mater Dei, habet quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quòd est Deus. Et ex hac parte non potest fieri aliquid melius, sicut non potest esse aliquid melius Deo. Ille. Vnde Ecclesia. Virgo MARIA non est tibi similis nata in mundo, &

Lucæ 1.

A Asculanus lib. 4. Nunquam in muliere virtus perfecta fuit, nisi in illa, quæ ab initio fuit creata, atque in æternum electa. Secunda Angelicalis. Tertia humanalis, quas omnes MARIA superat, & hoc totum, quia Mater Dei. O magnum quid! Hieron. Maior gratia in MARIA non potest intelligi, quàm quòd sit Mater Dei. Ille, & Bonau. in 3. senten. maior namque excellentia Virginis, quòd sit Mater Dei, quàm quòd sit Domina creaturarum; hoc enim descendit ab illo, sicut ramus à sua radice. Ille. Ideo vulgaris Petrarcha: sœpe me amor ad te laudandum impellit Virgo MARIA in his leuibus vsibus meis, sed tamen valorem considerans, aliud nequeo dicere, quàm Mater

B Dei. Igitur Mater gratiæ. Secundô ratione, &c. Conclusio est Thomæ 3. part. quæst. 27. art. 5. ad 1. Vnicuique à Deo datur gratia secundùm illud, ad quod eligitur. Exemplũ de Noe in arca fabricanda, de Moyse ad Pharaonem. Ad propositum MARIA diuinitus est electa ab æterno, vt esset Mater Filij Dei

Prou. 8. Prouerb. 8. *Nondum erant abyssi*, id est, mundus cum suo ornatu; *& ego iam concepta eram*, vt scilicet suo tempore in mundo fierem. Ex hoc debuit omni gratia pollere, vt sic esset idonea mater, vnde dicitur: Mater gratiæ, ò Mater, &c. Sed nota secundùm Thomam, & Albertũ super Missus est, quòd

C qua duplex est differentia gratiæ. Prima dicitur effluens, quæ sola fuit in Christo; de qua Ioan. 1. *De plenitudine eius omnes accepimus* Secunda est sufficiens, qua pleni sunt

Ioann. 1. omnes fideles, & sancti, de qua Lucæ 1. Za-

Lucæ 1. *charias pater eius impletus est Spiritu Sancto.* Et de Stephano Actor. 2. cap. *Stephanus plenus gratia.*

Actor. 2. Tertia est abundans quæ fuit in Ioanne Baptista, & in Apostolis specialiter Actor. 1. *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto.*

Actor. 1. Quarta dicitur excelliens, quæ super omnes fuit in MARIA. Ideo Angelus ei: *Aue gratia plena, Dominus tecum.* De his gratijs

Lucæ Bernardus: legimus Stephanum plenum gratia, & Apostolos plenos Spiritu Sancto, sed

D longè dissimiliter à MARIA. In nullo tantùm alio habitauit plenitudo diuinitatis corporaliter, quemadmodum in MARIA. Ille. Et vt differentiam videamus, gratiam ipsius MARIÆ notabimus secundùm Thomam 3. part. quæst. 27. art. 5. ad 2. & in 3. dist. 3. quæst. 1. art. 2. quæst. 3. in corpore triplicem gratiam in MARIA. Prima dicitur acceptationis. Secunda dicitur habitationis. Tertia dicitur recognitionis. Prima dicitur, &c. Et est quando quis inuenit gratiam corã aliquo, sicut dicitur

Genes. 6. Genes. 6. *Noe inuenit gratiam coram Domino*, & de Ioseph, qui inuenit gratiam coram Principe carceris, id est, quia erat ei multùm gratus. MARIA autem habuit gratiam in conspectu Dei, quod

Luce quod Angelus declarauit: *Inuenisti gratiam apud Deum.* Inuenit equidem, quia ipsam gratiam perditam recuperauit humano generi. Hoc Adam non fecit; quia etsi gratiam perditam per pœnitentiam recuperauit, hoc egit tantùm pro se, non pro genere humano procurauit. Sed MARIA pro omnibus inuenit. *Inuenisti*, inquit, *gratiam*, non rapuisti, vt primus Angelus, dicens: *Similis ero Altissimo.* Isaiæ. *Inuenisti*, non perdidisti, vt primi parentes. *Inuenisti*, non emisti, vt Simon Magus, qui pecuniam obtulit Apostolis, vt emeret gratiam Spiritus Sancti. Secunda gratia, &c. Quia nulla creatura inuenta est idonea portare Regem cœlorum, nisi MARIA. Ecclesia dicit: Sancta, & immaculata Virginitas quibus te laudibus efferam, nescio, quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti. Et ipsa dicit omnibus fidelibus illud Ecclesiæ: Congratulamini mihi omnes, quia cùm essem paruula, placui Altissimo, & de meis visceribus genui Deum, & hominem. Ille. O fœlix puella, ò cœli regula. Ad ipsam solam missus est de aula Summi Dei Legatus singularis insignis, vt Filium Dei conciperet contra omnem communem cursum. Vbi dicit Albertus super Missus est, quòd quatuor sunt mundi generationes humanæ, nec est inuenire alium modum: quia dicit. Thom. in 4. dist. 3. & Damascenus. Conceptio illa fuit miraculosa. Primus modus sine fœmina, & masculo, vt Adam factus à Deo. Secunda, vt sine fœmina, ex viro, vt Eua, ex costa Adæ. Tertius ex muliere, & masculo, vt est communis omnium naturalis generatio. Quartus singularis, vt est ex fœmina sine viro; & hic est MARIÆ Virginis. Vnde fuit Mater, & Virgo simul quod est priuilegium singulare. Tertia dicitur gratia, &c. Ad quam pertinet recognoscere beneficia accepta. Quia vt dicit Philosophus 9. Ethic. Beneficiatus tenetur recognoscere benefactorem. Et Senec. lib. de benefic. Ingratus est, qui nõ recognoscit beneficium idem; beneficiorum memoria senescere non debet. Ita autem gratitudo summo Deo placet. MARIA hanc habuit, quia vitam suam expendebat in recognitionem beneficiorum Dei, vt dicit Albert. Confitebatur quotidie Ioanni Euangelistę non sua peccata, sed dicebat. O mi Ioannes, non sum digna vocari Mater Dei; quia non cognosco, fili mi, beneficia, licèt recognoscerem. Vnde Lucæ 2. MARIA autem conseruabat omnia Luca 2. verba hæc, conferens in corde suo, vnde dicimus, quòd est mater omniũ gratiarum. Petracha. O gratiarum, & omnium virtutum plena, Dominus tecum, tequè semper amat, adeo, vt omnis lingua fari hoc nequeant. Vnde patet tertia ratio. Tertiò ratione, &c. Conclusio est. Theologorum. Vbi est maior

A humilitas, ibi præcipuè maior exaltatio; Lucæ 18. *Qui se humiliat, exaltabitur*, & 1. cap. *Exaltauit humiles.* Eccles. 3. *quantò maior es, humilia te in omnibus*, de pœn. dist. 1. cap. quis aliquando vide circa finem 1. §. Taciturnitas, sine humiliate nemini potest esse salus, & Phtolomeus: Inter sapientes sapientior est, qui humilior exitit, MARIA super omnes humilior fuit, ideo super omnes meruit culmen omnium gratiarum. Fuit autem humilis tripliciter. Primò, ore, quia verbum superbum nunquam protulit. August. Reuolue diligentiùs Euangelicæ historiæ seriem, & si quid increpatorium, si quid durum occurrerit in MARIA, de cætero suspectum habeas, & accedere verearis. Ille. Secundò, B corde, quia se indignam reputabat Matrem Dei. Tertiò, opere, quia non dedignabatur seruire Elisabeth habitu. Sed dubium insurgit, quare fuit tam humilis MARIA super omnes? Respondeo secundùm Thomam super Aue MARIA, quòd triplici ratione. Prima, quia debuit illum recipere totaliter in se, qui est super omnes, ideo debuit humiliari infra omnes. Secundò, quia debuit super omnes sanctos, & sanctas, & choros Angelorum exaltari, tanquam Regina cœli, ideo debuit esse humillima. Tertiò, quia sicut per superbiam Euæ mors in mundum intrauit, sic & è contrario per MARIÆ humi- C litatem vita mundo reddita est, quia 2. Ethic. contraria cõtrarijs curantur. Vnde Ecclesia, mortem, quam fœmina intulit, fœmina fugauit. Et ex humilitate sua licèt esset sanctior omnibus in cœlo, & in terra, nunquam tamen legitur de ea in Euangelio, quòd aliquod miraculum fecerit in præsenti vita ante resurrectionẽ filij secundùm Iacobum de Voragine in Mariali. Quælibet mulier in suo partu cupit quinque, quæ omnia fugit Virgo ex humilitate sua. Primò iuuenem, & pulchrum. MARIA habuit senem despectum. Secundò diuitem. MARIA pauperem. Matth. 3. Nunquid est filius fabri? Matt. 13 Tertiò in partu pulchrum thalamum. MA- D RIA habuit stabulum. Quartò seruitores, & obstetrices. MARIA habuit pro seruitoribus bouem, & asinum, qui pro seruitio filiũ calefaciebant. Quintò vult otium post partum, & quietem MARIAM oportuit fugere cum filio in Ægyptum. *Tolle*, inquit, Angelus *puerum, & matrem eius, &c.* O humilitas sancta! de qua benè, MARIA etsi Virginitate placuit, tamen ex humilitate concepit; quia si humilis non fuisset, Spiritus Sanctus super eam non quieuisset. Ille. Nulla creatura est humilior inuenta sub cœlo. Et licèt maxima fuerit humilitas Abrahæ, cùm dixit. Genes. 18 *Loquar ad Dominum, cùm sim puluis, & cinis*, & Iob, cùm dixit: *Putredini dixi pater meus, & mater mea, & soror* Genes. 18 Iob 17.

mea vermibus. Et Ioannes Baptista, dum se vocem appellauit. Tamen MARIA humilitas superauit bonum humilitatem, & quorumcunque aliorum. Vndecim Cantico suo. *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* In verbo
Lucæ 1. ancilla. Quatuor ancillas legimus ex humilitate cecinisse Canticum, inter quas MA-
Exod. 15 RIA Principatum tenet. Prima fuit MARIA soror Moyses. De qua Exod. 15. dicitur. *Cantemus Domino, gloriosè enim ma-*
1. *Reg.* 2. *gnificatus est.* Secunda Anna 1. Reg. 2. *Exultauit cor meum in Domino, &c.* Tertia Iudith 15. *Cantate Domino in cimbalis.* Quar-
Lucæ 1. ta MARIA Virgo Lucæ 1. *Magnificat anima mea Dominum.* Vnde patet, quòd Mater gratiæ. Vnde Bernard. super Cantic. serm. 8. Sileat misericordiam tuam Virgo Beata, si quis inuocatam in necessitatibus suis meminerit defuisse. Nos quidem serui tui cæteris in virtutibus tibi congaudemus, sed in hac potius nobis ipsis, laudamus virginitatem, miramur humilitatem, sed misericordia tua ipsis miseris sapit dulciùs, & crebrius inuocatur. Ille. Petrarcha. O Virgo sine mẽsura dulcis es, nec te aerẽ, vel amaram vales ostendere, & tota dulcis es absque mixtura. Item. Te inuocantium non sunt in vanum orationes; nam confestim exaudis, antequam ad se perueniant. Exemplum in libro de septem bonis. Ioannes Damascenus Græcus, vt Deo liberiùs vacaret, factus est
C monachus, qui libentissimè laudibus Virginis, intendebat, & de ea pulchra dicta componens manu propria scribebat, cumque ad instantiam quorundam nobilium, quos docebat, legeret, & post disputationem cum scholaribus ad littus maris deambularet causa spaciandi, Pyrata Sarracenorum eum rapuerunt, & cuidam Sarracenorum vendiderunt. Cui filium suum dedit litteris imbuendum. Inuidens autem ei quem instruxerat, voci succederent, veniens Cõstantinopoli scripsit litteras sub ipsius nomine Soldano Babyloniæ, quod scilicet, Imperator Constantinus contra ipsum Damasc. gratũ habeat exercitũ Romanorũ ad partes remotas erat deuẽtus,
D si absque impedimento terrã Græciæ posset acquirere. Vnde litteras proiecit in Consistorio causarum, quæ inuentę sunt, & Imperatori exhibitæ, qui attendens modum dicta minis, vocauit Ioannem, dicens non posse negare, quòd illæ litteræ non continerent stylum, & modum, quo hoc sentiens, litteras se feciſſe negauit. Cùmquè aliqui dicerẽt, eum vt proditorem occidendum, Imperator ei manum dexteram amputauit, qua in Abbatia suspensa, vt perpetuò confunderetur, ipsum patriæ proditorem denunciari fecit. Cùm autem sexta feria diù in oratione vigilasset, & fleuisset, ei leuiter dormienti Virgo apparuit, ipsum confortans. Et cùm dicerat, maximè dolere propter vituperium Monachorum, & quòd non posset amplius scribere eius laudem, ac missam celebrare, vt solebat, Virgo manum pendentem accepit, ac brachio omni dolore remoto restituit. Mane facto, stupentibus cunctis, celebrauit. Cùmquè Imperator quæsiuisset, si aliquem suum modum docuisset? Respondit, se filium Sarraceni docuisse, qui captus suam malitiam confessus est.

Sabbatum Quintum Quadrageſimæ, Quòd Virgo MARIA est speciosissima super omnes mulieres.

B EGO *sum lux mundi qui sequitur me non ambulat in tenebris sed habebit lumen vitæ.* Ioan. 8. Recitat exemplum Vincentius hist*or.* quòd quidam miles fuit, habens castrum, qui omnes transeuntes per viam sine misericordia spoliabat. Hic Virginem quotidie salutabat. Aue MARIA, quadam vice Monachus transiens fuit, quem prædictus miles spoliari præcepit. Vir sanctus prædones rogauit, vt se ad Dominum suum conducerent, quia secreta habebat secum conferenda, quę conducto: Vocetis, inquit, omnes de familia vestra. Cùm veniſſet, quidam in medium, qui erat Camerarius, oculis reuersis, hinc inde circuibat. Adiuro te, inquit, dicas mihi, quare huc veneris? Respondit, ego sum Dæmon, & tredecim annis cum milite mansi, quia Princeps noster me huc misit, vt die, qua hic salutationem non diceret, * occiderem. Miles autem hoc audiens, expauit, & ad Monachi pedes prouolutus vitam emendauit. Igitur MARIAM salutemus. Aue MARIA gratia, &c. *Ego sum lux mũdi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, &c.* quadam hic dicit Christus: *Ego sum lux mũdi.* Secundùm Albertum super Lucam, tria luminaria contulit Deus mundo. De quibus Gen. 1. *Fecit Deus duo luminaria magna, luminare* maius, id est, Sol, & *luminare minùs*, id est, Luna, & *Stellas*, Spiritualiter maius luminare est Christus, de quo Ecclesia: Sol iustitiæ Christus Deus noster, & dicitur maius lumẽn, quia super omnes lucet perfectione vitæ. Matth. 7. *Nemo bonus, nisi solus Deus* 1. Reg. 2. *Non est sanctus, nisi Dominus.* Secundum lumen dicitur MARIA. De qua * Bernard. super Cant. Tolle corpus solare, quod illuminat mundum, & vbi dies? Tolle MARIAM maris stellam, & quid, nisi vmbra mortis, & tenebræ relinquuntur? Ille. Tertium lumen sunt sancti, qui nos illuminauerunt bonis exemplis, quos inuocare debemus in nostris aduersitatibus Iob 5. *Voca si est, qui tibi respondeat. Ad aliquem sanctorum conuertere. Ego sum*, inquit, *lux mundi.* Dixerunt Pharisæi ei. *Tu de te ipso testimo-*

Ioann. 8.

** sinceret*

** quo*

Geneſ. 1.

Matth. 7.
1. *Reg.* 2.

Iob 5.

monium perhibes, testimonium tuum non est verum, quia Prouerb. 16. *laudet te alienus*, & 2. Cor. 10. *Non enim qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed &c.* Respondit Christus: *Etsi testimonium perhibeo de me testimonium meum verum est, quia scriptum est in lege vestra*, Deuter. 19. *duorum hominum testimonium verũ est.* Secundùm Glossam Christus habuit testimonium à quatuor. Primò à patre, Matth. 17. *Hic est filius meus dilectus, &c.* Secundò à Spiritu Sancto in speciem columbæ in Iordane. Tertiò de se ipso in propria persona. Quartò à Dauid: *Dixit Dominus*, scilicet, Pater, *Domino meo*, scilicet, Christo, *sede à dextris meis.* Alibi *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te.* Sequitur *testimonium meum verum est. Hæc locutus est IESVS in Gazophylacio*, id est, in loco, vbi ponebantur pecuniæ pro Templi constructione. De MARIA prædicaturus, scilicet de eius speciositate, assũpsi verba in persona MARIÆ *Ego sum lux mundi.* Vbi tria videbimus in præsenti. Primum dicitur oppositionis, secundum dicitur declarationis. Tertium dicitur responsionis. Primum dicitur, &c. Vtrùm MARIA fuit speciosior omnibus creaturis? Arguunt quidam, quòd non, quod probant tribus medijs. Primum est tale, vna res tantò est pulchrior, quantò est miraculosior, quia miraculum naturam præcedit. Exemplum de vino in nuptijs, quod fuit mirabile, quia miraculosè productum. Eua est miraculosè producta, Virgo MARIA naturaliter, igitur Eua erat pulchrior, igitur non MARIA. Secundum est tale. Pulchritudo mulieris est magna occasio mali. Eccl. 9. *Propter speciem mulieris multi perierunt.* Et Hieron. gladius igneus est species mulieris, quia, scilicet, est causa mali. Eccl. 9. *Auerte faciem tuam à muliere compta*, id est, ornata exemplum illius patris, qui dixit: Melius est videre Demonem, quàm ornatã mulierem. Virgo MARIA debuit omnibus esse causa saluandi, & causa boni, & non mali, ac occasio pereundi, igitur non debuit esse pulchra, sed nigra. Tertium est tale. Virgo MARIA fuit humilis, igitur debuit habere omnes causas humilitatis, sed pulchritudo est causa superbiæ, & inanis gloriæ iuxta illud. Fastũ inest pulchris. Exemplum Reginæ Vasthi Esther 2. quæ superba erat propter suã pulchritudinem. Vnde Philosophus 2. Polit. melius est dicere mulierem modicam, vel mediocrem esse, quàm magnam. MARIA fuit humilis, igitur non debuit esse pulchra, ne esset causa inanis gloriæ. Alia opinio dicit, quòd fuit pulchrior omnibus creaturis. *Ego sum lux mundi* dicit hodie. Et Cant. 4. *quã pulchra es amica mea*, scilicet, quoad corpus, quàm pulchra es quoad animam. *Oculi tui columbarum*, igitur patet, &c. Ad hanc difficultatem. Respondeo secundùm Archiepiscopum in 4. part. sum. & Albertum super Missus est cap. 45. & Voraginem in Mariali, & Alexandrum super Lucam, quòd super omnes fuit pulchrior, quæ conclusio probatur tripliciter. Primò ratione. Secundò authoritate. Tertiò figura. Prima ratio est tantùm de corpore. Primò ratione compositionis. Secundò ratione exclusionis. Tertiò ratione exclamationis. Primò ratione, &c. Corpus vnum * tantò est pulchrius, & nobilius, quantò continebit in se nobiliorem animam. Ex hoc corpus humanum est pulchrius omnibus corporibus brutorum, propter vnionem ad animam rationalem; igitur corporis pulchritudo augetur ad nobilitatem animæ, ad quam ordinatur ad suum perfectibile. Sed anima Virginis fuit nobilissima super omnes animas post animã filij. Igitur, & corpus eius fuit nobilissimum, & pulcherrimum super omnia corpora post corpus filij. Corpus enim filij, quia erat vnitum Deitati, ideo fuit perfectissimum in pulchritudine. Ideo corpus immediatè ordinatum ad ipsum erat secundo loco pulcherrimum, sed illud fuit corpus Matris, vnde assumebatur id, quod vniebatur diuinitati Propter quod sequitur, quòd fuit pulcherrimum corpus MARIÆ super omnia corpora. *Ego sum lux mundi.* Quod Ioannes declarauit Apoc. 12. *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim.* Mulier hæc est MARIA Sole pulchrior, Luna, id est, Ecclesia sub eius dominio. Corona duodecim stellarum sunt duodecim priuilegia, quæ habuit. *Ego sum lux mundi.* Ad poliendum eam videbimus sex affectamenta, quibus mulier solet poliri, vt sic dicere possimus: *Ego sum lux mundi.* Primum dicitur ornamentum capitis, secundùm dicitur ornamentum vestis. Tertium dicitur ornamentum pectoris. Quartum dicitur ornamentum cinguli. Quintum dicitur ornamentum manus. Sextum dicitur ornamẽtum pedum. Primum dicitur, &c. Dum mulier affert in capite sertum, aut velum subtile cum crinibus compositis, & huiusmodi. Istud ornamentum habuit Virgo, scilicet, charitatem Dei, & proximi. Primò Dei, quia vt dicit Alexand. super Luc. Nulla creatura, Christo excepto, adimpleuit ita illud præceptum Matth. 23. *Diliges Dominum Deum tuum*, vt MARIA Virgo. Vnde de se ipsa dicit Cant. 6. *Nunciate dilecto meo, quia amore langueo.* Idem *Introduxit me Rex in cellam suam vinariam, & ordinauit in me charitatem.* Item *Vulnerata sum charitate*, & Ecclesia. Vidistis eam plenam charitate, & dilectione secundò proximi, quia tempore passionis,

Prou. 16. 2. Cor. 10 — Deut. 19 — Matt. 17 — Psal. 109. — Psalm. 2. — Eccles. 9. — Ibid. — Esther. 2. — Cant. 4.

A B C D

Nota. — * vnum — Apoc. 12 — Matt. 23. — Cant. 6.

sionis, quamuis sui dolores essent intensi, videndo filium affligi, tamen volebat filium mori pro humanæ generationis salute, & vt dicit Archiepiscopus, si alius modus non fuisset, ipsamet filium proprium occidisset, quia non minor erat charitas sua, quàm Abrahæ, qui filium suum erat paratus, &c. Secundum est, &c. Quæ cooperit totam personam de veluto de scarlato. MARIA Virgo hoc ornamentum habuit, scilicet, perseuerantiam, de qua Hieron. ad Furiam: non enim quærunt à Christianis initia, sed fines. Paulus malè incepit, sed benè finiuit. Idem ad Iulianum Eremitam. Corpisse multorum est, ad calcem peruenisse paucorum, fuit perseuerans, vt dicere posset illud Eccles. 24. *vsque ad futurum seculum non, &c.* Et Iob 27. *Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea.* Tertium dicitur, &c. Vt pectorale pretiosum in pectore. MARIA habuit hoc ornamentum, quod intelligitur fides, quæ est necessaria, de qua ad Hebr. 11. *sine fide impossibile est, &c.* Et Cicero. 1. de offic. fundamentum autem iustitiæ est fides. Hanc autem habuit MARIA plenissimè, quia passionis tempore totus mundus fidem perdidit, ista exempta, quæ se ipsam sustentauit. O felix MARIA, ò sancta, &c. Quartum dicitur, &c. Videlicet el chauo coro, & centurino, vt mulieres, quæ tot appendunt, vt videantur Maresealchi. MARIA hoc habuit, quod intelligitur iustitia, quæ clamat vnicuique reddere, quod suum est. MARIA omnes sensus mortificauit. Apostolus ad Colos. 3. cap. *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram.* Visum à lasciua consideratione. Auditum à nociua auditione. Tactum à remissa operatione. Olfactum à vana odoris requisitione. Gustum à verborum inconsideratione. Ecce quomodo, &c. Quintum dicitur, &c. Anulos, chirotecas habere in manibus. MARIA habuit hoc ornamentum, scilicet, spem de Deo, de qua Psalm. 30. *In te Domine speraui, &c.* Et idem *Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino, &c.* Sextum ornamentum, &c. Vt sunt planulæ in pedibus, de Venetis, quæ vt videantur magnæ, &c. MARIA habuit hoc ornamentum, in pede sinistro planulam habuit, videlicet vitam actiuam, quia vt dicit Hieron. ad Cromatium, & Heliodorum. Hanc regulam Virgo seruabat, vt à mane vsque ad tertiam orationi insisteret. A tertia vsque ad nonam in textrino opere se occuparet. Iterum à nona ab oratione non recedebat, quousque illi Angelus appareret, de cuius manu escam accipere solebat. In dextero contemplatiuam, vt vacare diuinis, & orationibus. Vnde Lucæ 10. *MARIA optimam partem elegit, &c. Ego sum lux mundi.* Patet prima. Secundò ratione, &c.

Nota. *Eccles. 24* *Iob 27.* *Hebr. 11* *Psal. 30.* *Psal. 27.* *Lucæ 10.*

Illa creatura, in qua nullum est peccatum, & in qua sunt omnes virtutes, tam Cardinales, quam Theologicæ, illa est pulchrior omnibus creaturis. Sed in MARIA erant huiusmodi, igitur, &c. Prouerb. vlt. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas.* Supergressa omnes. Primò in ea fuit charitas. Secundò fides. Lucæ 1. *Beata, quæ credidisti.* Tertiò spes. *In te Domine speraui.* Quartò iustitia Isai. 11. *Erit iustitia cingulum lumborum eius.* Quintò fortitudo, supportando patienter. Eccles. 24. cap. *vsque ad futurum, &c.* Sextò in ea prudentia Lucæ 1. *Cogitabat qualis esset, &c.* Septimò fuit in ea temperantia, quia parum locuta est. In 1. Polit. silentium mulieri præstat maximum ornamentum, secundùm Albertum in 4. lib. compend. Theol. cap. 3. Quinque vicibus locuta est. Et merito illius verbi miraculum semper secutum est. Primò Nazareth. Luc. 1. *Ecce ancilla Domini.* In ancilla sunt quatuor. Primo quòd sit prompta. prompta Virgo fuit in verbo: *Ecce.* Secundò quòd sit obediēs. Virgo sic in verbo. *Fiat mihi.* Tertiò, quòd sit humilis. Virgo sic in verbo: *Ancilla Domini.* Secutū est miraculum, quia filius de cœlo, &c. Secundò in templo Lucæ 2. cap. *Fili, quid fecisti nobis sic?* Secutum est miraculum, quia Christus ei obediēs fuit. *Erat,* inquit, *subditus illis.* Tertiò in nuptijs: *Vinum non habent.* Miraculum secutum est, quia de aqua, &c. Quartò quando salutauit Elisabeth, Luc. 2. *Magnificat anima mea Dominum* secutum est miraculum *Exultauit,* inquit, *spiritus meus.* Vbi dicit Franciscus de Mayronis in quodā sermone, quòd Virgo quàm primùm illa mirifica verba: *Ecce ancilla Domini,* & suum consensum verbo firmauit, tunc inuenta est excesisse merita, & perfectiones, & bona tam naturalia, quàm accidentalia omnium creaturarum propter eminentiam quatuor virtutum, quæ exprimuntur in verbo: *Ancilla.* Prima fuit obedientia. Secunda humilitas. Tertia fides, per quam captiuauit omnē intellectum in obsequiū Dei. Quarta fuit charitas, dum protulit *verbum tuum,* omne cor suum, omne esse, omne posse obtulit voluntariè Deo omnipotenti. Vnde patet secunda ratio. Tertiò ratione, &c. Quia omnis ratio eam dicit pulchram, & sanctam. Nam dicitur, ff. de offic. quæst. l. vnica. Illi opinioni standum est, quæ plurimorum testimonio probatur. Et Philosophus lib. de somno, & vigilia. Quod ab omnibus, vel pluribus dicitur, fidem habet, quòd ita sit. Et 7. Ethic. Fama, quam omnes famant, vel exclamant, non potest esse in toto falsa. Et dist. 26. * & de offic. & post. deleg. cap. Prudentia. Integrum est iudicium, quod plurimorum sententijs approbatur. Ad propositum omnis natio MARIAM

Pro. vlt. *Lucæ 1.* *Psal. 30.* *Isai. 11.* *Eccl. 24.* *Lucæ 1.* *Lucæ 1.* *Lucæ 2.* *Ioann. 2.* *Lucæ 2.* * 56.

vene-

veneratur, & collaudat; vnde ipsa dicit in Cantico. *Quia respexit, &c. Ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes.* Luc. 1. Vnde laudatur à sex generationibus. Primò à Sarracenis, & Turcis, quæ ipsam adorant in templis suis, ac thurificant, & nomen eius in tanta reuerentia est, quod blasphemantes eam graui pœna puniuntur; fatentur enim Christum de Virgine natum, cœlum viuum ascendisse, sed non mortuum fuisse, & demum in fine mundi mundum iudicaturum, vt patet in Alchorano, & ipse Macometus in eodē dicit: dixerunt Angeli ad MARIAM: Deus elegit, & purificauit te, & præelegit te super omnes mulieres mundas. Ille. Secundò à Paganis laudatur, Virg. in 4. Egloga Iam redit, & Virgo, redeunt. Saturnia regna. Iam noua progenies cœlo demittitur alto, & quamuis Hieronymus dicat, Virgilium hoc non intendisse dicere de Virgine, & ego dico, quòd hoc possibile fuit. Et ratio, quia si Caiphas prophetauit de mundi salute per mortem vnius, scilicet, Christi, tamen hoc non intelligens, ita Virgilius de Christo, & Matre eius benè dixerit, vt dicit Augustinus. Præterea ex Græcis fuerunt Sybillæ, vt Lactantius ponit earum verba in Græco, postea in Latino, laudant hanc MARIAM. Tertiò ab Hæreticis, etsi in multis errant, vt ab Ecclesia diuisi, tamen MARIAM venerantur, illis exceptis, qui dicunt habuisse alios filios ex Ioseph, in residuis eam commendant. Quartò ab Ecclesia, quæ omni Sabbato officium celebrat, & statuit singulis diebus pulsare campanas de sero, de mane, & in meridie. Ex hoc honoratur in salutatione Angelica. O secularis die Aue MARIA. Quintò ab omnibus sanctis. Quid clamant omnes scripturæ? Quid Doctores? Quid Apostoli? Quid Euangelistæ? Quid omnes Sancti? Verè bonitas, & virtus MARIÆ: *Ego sum lux mundi.* Sextò à malis laudatur. Num. 24. Balaham, qui fuit Idolatra, in spiritu prophetiæ de MARIA dicit: *Orietur stella in Iacob.* Quæ est hæc stella? Verè MARIA, quia sicut stella illuminat noctem, ita MARIA illuminat mundum præsentem tenebrosum peccatis, & hoc quidem triplici lumine. Primò lumine miraculorū. O sancta MARIA de Loreto, & de Carauagio quot miracula! Secundò exemplum: quia fuit exemplum omnium virtutū. Tertiò lumine subsidiorum, quia adiuuat omnes Christianos. Vnde Petrar. in laudem matris, qui cupit saluari, in MARIAM conuertat oculos, & illi corde humili genuflectat, non derelinquit ad eius auxilium recurrentes bono zelo, immo coronam impetrat à filio benigno cœlorum Rege. *Ego sum lux mundi.* Et sic patet secundum mysterium. Tertium dicitur, &c. Ad primum respondeo, quòd, scilicet, miraculum naturam præcedit, sed Eua, &c. Dico, quòd in naturalibus hoc est verum, sed in spiritualibus non habet locum, quia MARIA ratione maternitatis fuit pulchrior, cùm animam habuerit nobiliorem. Et sic patet primum. Ad secundum, ne scilicet, esset scandalum aliorum. Respondet Albertus, quòd pulchritudo in suo genere est bona, sed nihil est adeo bonum, quin possit ex eo malus scandalizari. Vnde Iudæi scandalizabantur in ipso Christo de ipsius doctrina. *Scis*, inquiunt Apostoli, *quia Pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt.* Matt. 15 Non debuit MARIA prætermittere pulchritudinem suam propter scandalum passiuum, quod sequi poterat. Vnde patet responsio ad secundum. Et hoc modo talis sit responsio ad tertium. Sed quæris modò, vtrùm fuit nigra, aut alba? Respondet Albertus super Missus est cap. 45. quòd non nigra simpliciter, neque rubea, neque alba, quia isti colores dant aliquam * imperfectionem in persona. Vnde dici solet: Deus meus protegat meà Lombardo Ruffo, Alemano nigro, Hispano albo, Flamengo * cuiusuis pili, fuit MARIA mixta coloribus, participans de omnibus, quia illa facies est pulchra, quæ de omnibus coloribus participat; vnde dicunt Auctores Medicinæ, quòd ille color, qui est compositus ex rubeo, & albo, est optimus cum commixtione tertij coloris, scilicet, nigri. Et hunc, inquit, Albertus, concedimus in MARIA fuisse. Fuit nigra aliquantulum. Et hoc triplici ratione. Primò ratione complexionis, quia Iudæi tendunt in brunedinem quandam, & ipsa fuit Iudæa. Secundò testificationis, quia Lucas, qui tres fecit imagines, vnam Romæ, aliam Loreto, aliam Bononiæ, sunt brunæ. Tertiò assimilationis. Filius matri communiter assimilatur, & econuerso. Sed Christi facies fuit bruna, igitur, &c. De qua nigredine Vulgaris. O Sole pulchrior, ò plena Luna, ò Mater Dei, & mortuo mari stella. O famosa, quanquam sis fusca, & Cantic. *Nigra sum sed formosa.* Et Dionysius dum MARIAM vidit, dixit: si de tuo filio non esset aliquid reuelatum, facilè crederem non esse alium Deum præter te: *Ego sum lux mundi.* Iudith, &c. *Non est talis mulier in aspectu, & pulchritudine, & sensu verborum.* Exemplum in vita Basilij legitur, quòd Iulianus Apostata cùm iret pugnare contra Persas, veniens Cæsaream Cappadociæ, petijt pro exercitu suo panes à Beato Basilio, qui Episcopatum tenebat in illa Ciuitate, qui cùm afferret, & panem hordeareum, qualem habebat, iurauit, quòd cùm rediret, frueret eum, & suos comedi, & ciuitatem destrueret. Cùmque suadente Basilio populus iuisset ad quandam Ecclesiam Virginis in vicino Monte sitam, ibique fuisset po-

* *quandam*

* *Romanole*

Cant. 1.

Iudi. 11.

populus tribus diebus, & noctibus in oratione, in hora tertia noctis vidit Basilius mulierem speciosam de cœlo descendentem in Regio apparatu, puellis circumdatam, sedentem in throno. Mercurio occiso pro fide præcepit militi, vt se vindicaret de Iuliano, qui acceptis armis, & omnibus, quæ ibi erant in Abbatia Basilij, in qua erat corpus, Iulianum est aggressus in prælio, & ipsum occidit, qui in papilione manens, clamabat: Vicisti me Galileæ, sanguinem proijciens in aera.

Sabbato ante Ramos Palmarum de Salutatione MARIÆ, quæ est per Aue, quomodo inducimur.

Rom.16. *Salutate MARIAM, quæ multùm laborat in vobis*, ad Roman. 16.

EXemplum Vincentij Historialis de Theophilo, qui pauperrimus Vice Dominus fuit cuiusdam Episcopi, qui ab ipso Episcopo depositus fuit officio suo. Desperatus super hoc Dæmonem inuocauit, & matrem cum filio negauit, & chirographum sanguine proprio fecit, ac sigillatum Dæmoni tradidit in crastinum. Theophilus in gratiam Episcopi recipitur Dæmonis procuratione, & suo officio restituitur. In se reuersus post paucos dies ad Virginem confugit. In nocte sequenti apparuit ei Virgo MARIA ipsum redarguens. Ad præceptum eius Dæmoni renunciauit, atque Matri, & filio est reconciliatus. Dæmon autem coactus est dare cartam Theophilo, & coram omni populo retulit, quod acceperat. Et cunctis admirantibus, & Virginem laudantibus, post triducem in pace quieuit. Vnde ipsam salutemus. Aue MARIA.

Salutate MARIAM, &c. Humanus sensus deficit, lingua hæret palato, omnis humanum sermo minuitur, dum mês mea venit in considerationem dignitatis, & excellentiæ ipsius MARIÆ. Qua propter meritò ipsa altis præconijs debet coli. Secundùm sententiam Iacobi de Voragine in Mariali Ecclesia Sancta salutat Virginem in officio diuino in diuersis modis. Primò salutat loco, *Lucæ 1.* & vice trium personarum, scilicet. Trinitatis dicens: *Aue gratia plena*, quæ salutatio fuit facta per Angelum. Secundò Ecclesia Virginem salutat vice, & loco omnium Angelorum, cùm dicit tempore Paschali, Regina cœli, quæ fuit facta ab Angelo Christo resuscitato. Tertiò Ecclesia salutat ipsam vice, & loco omnium Sanctorum, qui sunt in patria, omni Sabbato in Missa dicens: Salue sancta parens. Quartò Ecclesia eam salutat omni die in Completorio loco, & vice omnium peccatorum, qui sunt in mundo, dicens: Salue Regina Mater misericordiæ, quæ salutatio maximè fit in Conuentibus fratrum Prædicatorum cum magna solemnitate, & processionaliter itur cum luminaribus ante imaginem Virginis gloriosæ. Ideo assumpsi verba: *Salutate MARIAM, &c.* In quibus verbis videbimus hanc Conclusionem, quòd MARIA est salutanda à nobis. Ad quod inducimur triplici ratione. Primò ratione resalutationis. Secundò ratione inuentionis. Tertiò ratione cooperationis. Primò, &c. Naturale hoc requirit, quòd vna persona salutata resalutet. Bona vita saluus sis hodie. Saluus sis hodie, & per annum. Ad Roman. 16. *Salutate inuicem in osculo pacis.* *Rom. 16.* Alibi *Honore inuicem præuenientes.* *Rom. 12.* Ad propositum. Si nos MARIAM salutamus, ipsa resalutat nos: saluete filij, &c. Sed pro maiori notitia. Nota secundùm Thomam, super Aue MARIA opusc. 8. Quòd in testamento veteri, Angelica natura erat tantæ dignitatis, quòd à natura humana adorabatur. Et magnum erat priuilegium naturæ humanæ, si hoc agere potuisset. * Vnde ad ** posset* laudem Abrahæ scribitur Genes. 22. quòd *Genes. 22* Angelos recepit hospitio, & exhibuit eis reuerentiam, & quòd *tres vidit, & vnum adorauit.* Vnde natura humana in toto subijciebatur naturæ Angelicæ. Hæc autem subiectio erat propter hoc, quia natura Angelica erat maior natura humana quoad tria. Primò quoad dignitatem. Secundò quoad familiaritatem. Tertiò quoad plenitudinem. Primò quoad, &c. Qua Angelus est naturæ spiritualis iuxta illud Psalm. 102. *Qui facis* *Psal. 102* *Angelos tuos, &c.* Et Philosophus 12. Metaph. appellat Angelos substantias separatas; homo autem est naturæ corruptibilis. Vnde Dauid. *Ego sum vermis, &c.* Et Abraham dicit: *Loquar ad Dominum, cùm sim pul* *Psal. 21.* *uis, & cinis.* Indecens ergo erat, vt spiritualis creatura exhiberet reuerentiam corruptibili. Secundò quoad familiaritatem Angelus erat Deo familiaris, vt pote Deo assistens *Genes. 18* Dan. 7. *Millia millium assistebant ei, & de-* *Dan. 7.* *cies centena millia ministrabant ei*, homo autem erat quasi extraneus, & elongatus ab eo per peccatum. Vnde Psalm. 54. *Elongaui* *Psal. 54.* *fugiens.* Tertiò quoad plenitudinem. Angeli enim participant ipsum lumen diuinum in summa plenitudine, ideo semper cum lumine apparent, homines autem etsi aliquid participant de ipso lumine, parum tamen, & in obscuritate quadam. Quia ergo his tribus natura Angelica excedebat naturam humanam, ideo adorabatur ab ipso homine. Sed postquam in vltima ætate gratiæ inuenta est vna mulier, quæ Angelos excedebat in his tribus, & quoad dignitatem, quia Mater Dei, ex qua maternitate contrahebatur affinitas infinita, quæ melior fieri

fieri non potuit, ve habet Thom. 1. part. q. 25. art. 6. ad 4. & in 1. senten. dist. 44. art. 3. ad 3. * vbi dicit, quòd talis fuit puritas B. Virginis MARIÆ, quòd à peccato originali, & actuali immunis fuit. Et hoc est bene notandum contra detractores, qui detrahunt Doctori sancto, & filijs eius suam doctrinam sequentibus, qui inter cætera in professione faciunt votum Beatissimæ Virgini, quod est singulare, quod votum non habent aliæ Religiones. * Et Bonau. in 1. dist. 44. & Dam. in 3. & quoad familiaritatem; quia cum ipsa est tota Trinitas, Luc. 2. *Dominus tecum.* Et quoad plenitudinem, quia plena gratia. *Aue*, inquit, *gratia plena.* Ideo missus est Angelus, qui ipsam honoraret. *Aue*, inquit, *gratia plena*, quasi dicat: Exhibeo reuerentiam tibi, quia sine væ. *Aue*, inquit. Quod verbum plurimùm placet MARIÆ. Vnde Hericus de Bassia. in sum. Theolog. dicit, quòd tale gaudium habet, quando dicitur *Aue*, quale habuit, quando fuit ab Angelo salutata. Vnde Bernardus: Cœlum ridet, Angelus gaudet, mundus exultat, infernus contremiscit, Dæmones fugiunt, dum dico: Aue MARIA. Ille. Exemplum viduæ Elisabeth, quæ retulit suo Confessori, quòd nocte quadam cùm in suo lecto quiesceret, venit MARIA ad ipsam, quam assiduè salutabat per verbum Aue, & dixit sibi. Dormis ne filia? cui dixit. Non Domina mea, sed cupio informari, cur ad me peccatricẽ venisti? Respondit Virgo, veni, vt doceam te, & omnes meos fideles, vt non desistãt à salutatione Angelica, eò quòd gaudium maximum mihi præstant, & sicut ineffabile gaudium habui, quando Angelus mihi nunciauit filij mei incarnationem, sic nunc cum eadem verba à peccatoribus replicantur. Vnde quidam vulgaris: Qui cupit saluari, in MARIAM conuertat oculos. Deinde illi corde humili genuflectat. Vnde patet prima ratio. Secundò ratione, &c. Conclusio est Canonistarum 14. quæst. 5. cap. siquid, & cap. multi, quidquid inuenisti, & non reddidisti, rapuisti. Et ff. de furtis, l. falsus creditor, & ff. de iniurij, l. condi, ff. de conditione inde, l. rerũ, ff. ammotarum. Ad propositum. Ex peccato Adæ mundus gratiam perdidit. Ad Roman. 5. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundũ intrauit*, quæ gratia fuit quæsita per omnes ætates. In prima ætate per oblationem sacrificiorum in Abel. In secunda ætate per immolationem animalium in Noe. In tertia ætate per decimas in Abraham. In quarta ætate per circunciſionem tempore Moysis. Sed nullus illam inuenire poterat, MARIA sola excepta. Non Sarra, Non Rebecca. Non Iudith, &c. Quid dicis ô Gabriel? Luc. 2. *Inuenisti gratiam apud Deum*, quam gratiam, inquit, Bernardus? Dei & hominum pacem, mortis destructionem, vitæ reparationem. Ille, & Nicolaus de Lyra. Inuenisti gratiam non solum pro te, sed pro humano genere. Hæc est enim, quæ totius mundi reparationem obtinuit, salutem hominum impetrauit. Ille. Ad propositum inuenit quidem gratiam, & res inuenta debet restitui. Et sic necessariò conclude, quòd MARIA cogitur peccatores adiuuare, cùm de nostro habeat, & gratiam peccatori restituat. Aliter dicemus, ô MARIA, te esse furti notandam. Vnde Ignatius in epist. de MARIA, impossibile est aliquem peccatorem, ô Virgo, saluari, nisi per tuum auxilium, & fauorem, & Cassianus; Tota salus humani generis consistit in plenitudine gratiæ MARIÆ, & Anselmus. Sicut impossibile est, quòd illi, à quibus Virgo MARIA oculos suæ misericordiæ auertit, saluentur. Ita necessarium est, quòd ij, ad quos conuertit oculos, pro eis aduocans, iustificentur. Ille. Exemplum mulieris Romanæ, quæ filiam peperit, quam docuit Aue MARIA omni die dicere. Dedita autẽ * ornatui, vna die Dæmon apparuit post choreas, dicẽs. Veni mecum. Inquit, quis es tu? Dæmon ait, qui te ad infernum conducere volo pro tuis demeritis. Cùmque illam traheret vi, clamare cœpit Aue MARIA, replicans illa verba sæpissimè. Respondit Dæmon. Maledicta sit hæc mulier, quæ te hanc orationem docuit. Si non dixisses, iudicio Dei te certè ad infernum duxissem. O Christiane ipsam saluta. Figura 3. Reg. 2. de Bersabee, cui dixit filius eius, postquam in throno in dextera collocauit. *Pete a me quod vis, & dabo tibi; neque enim fas est, vt auertam faciem tuam.* Moraliter iste est filius Dei, qui postquam matrem suam collocauit secum in throno Regio, ei cõcedit quidquid vult pro suis deuotis eam salutantibus. O quomodo esset mundus, nisi essent MARIÆ supplicationes, quæ filium cogunt! Vnde quidam vulgaris. Piam te monstra mihi. O quães famosa? nam tantam habeo delectationem in tuis laudibus, ideo ante tuum natum intercede pro me. Vnde patet secunda ratio. Tertiò ratione, &c. Inducimur eã salutare, quia fidem sustentauit. Vnde Albertus super Missus est cap. 87. dicit, quòd priuilegium passionis Christi fuit communicatum MARIÆ in passione filij, quia sola fuit, quæ fidẽ crucifixi Dei, & hominis habuit, & sicut totus mundus obligatur Deo Christo per passionem, ita MARIA per fidei sustentationem. Vnde signanter dicitur Ioann. 19. *Stabat iuxta crucem IESV Mater eius.* Sed quid agebat? quid ô MARIA faciebas ibi? Dic per charitatem, dic mihi quid? Respondet Albertus, dicendo, quòd tria. Primò stabat doloribus plena. Secundò fide ornata. Tertiò amore

* *Nota quòd hæc verba. S. Thom. pro immaculata Conceptione fuerunt ab altero originali.*

Lucæ 2.

Roman. 5

Lucæ 2.

* *omni*

3. Reg. 2.

Ioan. 19.

amore succensa. Primò doloribus, quia omnes dolores partus, quos aliæ mulieres in partu sustinent, omnes dolores mortis, à quibus Virgo fuit immunis, fuerunt ei reseruati tempore passionis filij sui, qui dolores fuerunt intensi triplici ratione. Ratione sui, ratione filij, ratione supplicij Primò ratione sui, quia erat mater, & hoc quinque modis. Primò, mater. Secundò, tota mater. Tertiò, vnici filij mater. Quartò, quia præsens mater. Quintò, impotens mater. Primò mater, ideo dolor causabatur plus. Plus enim mater dolet de filio, quia plus laborauit, ò quantùm dilexit filium suum! de quo Cantic. 4. *Nunciate dilecto* Gant. 4. *meo, quia amore langueo.* Secundò, quia erat tota mater, quando enim dolor diuiditur in multis, minor inuenitur in singulis. Si enim aliqua mulier filium amittat, dolorem cum suo patre diuidit; ideo talis dolor ex tali diuisione minuitur. Virgo enim cum nullo homine, aut patre dolorem suum condiuidere poterat, quia nullus patet, ibi erat, quia totum corpus Christi assumptum est ex MARIA, & patrem ibi non habebat pater carnalis, quia erat putatiuus; vnde intensiùs amabat. Tertiò, quia erat vnici filij mater. Si aliqua mulier filium perdit, si alios habet, recipit consolationem, quia alios habet. MARIA autem nullum alium habebat, nec habere sperabat, vnde doluit. Quartò, quia præsens erat mater, quando mater ante oculos videt filium suum occidi, dolet. MARIA autem videbat filium suum occidi, & malè tractari, ideo doluit super omnes mulieres. Quintò, quia erat impotens mater ad eum iuuandum. Magna consolatio est matri, quando filium suum potest in morte amplexari, & osculari. MARIA autem in nullo poterat eum adiuuare; audiebat ipsum sitire, potum non poterat porrigere. Videbat eum in cruce flentem, non poterat consolari. Videbat ipsum vulneribus plenum, vulnera non poterat attingere. Vnde erat doloribus plena super omnes. Secundò dolor causabatur ratione filij, quia erat bonus. Mater multùm dolet, quando perdit filium bonum, sapientè, & in omnibus obedientem. MARIA autem perdebat filium sanctum, & bonum; vnde dolebat super omnes ratione illius bonitatis. Tertiò ratione supplicij. Videbat enim pati pœnam ignominiosam Sap. 2. cap. *Morte turpissima condemnemus eum.* Deut. 18. Sap. 2. Deut. 18 *Maledictus homo, qui pendet in ligno.* Præterea dicit Dominicus Tholosanus, quòd Martyr fuit, & eius martyrium superat martyrium aliorum martyrum triplici ratione. Prima, quia fuit martyrium amoris, aliorum autem fidei. Secunda, quia alij sunt percussi in corpore, ista autem in corde. Tertia, quia alij post Christum; ista autem cum Christo, & in Christo, & eodem ictu, quo Christus. Vnde tota lachrymosa stabat ad Crucem, Ioan. 19. *Stabat iuxta crucem IESV Mater eius.* Vbi eras, ò MARIA? Ad crucem. Secundò fide leuata, quia fidem sustentabat, à qua omnes Apostoli fuerunt prostrati. Secundum Albertum Apostoli in tribus à passione ceciderunt, in quibus MARIA stetit. Primò à fide, à qua MARIA non cecidit, quia Spiritus Sanctus eam firmauit. Vnde figuratur per stellam maris, quæ cæteris cadentibus, nunquam deficit. Secundò à gratia. Ipsa non cecidit, vt Apostoli, sed firma permansit. Tertiò à societate Christi, quia omnes fugerunt, MARIA autem cruci semper fuit coniuncta. Canta iterum. *Stabat iuxta crucem IESV Mater eius.* Et hoc dicit Leonardus de Vtino serm. de Annunc. Virg. quòd nisi tempore passionis Christi permansisset fides in MARIA, mundus tunc finisset. Tertiò stabat amore succensa, quia & ipsa pati volebat cum filio pro salute mundi. Vnde Bernard. optabat ipsa sanguinem suum addere, & cum filio sacrificium vespertinum celebrare, quod etiam patet per Ambrosium. O amor Virginis huius! Vnde ipsam salutare debemus: *Salutate MARIAM, &c.*

Ioan. 19.

Exemplum, quidam magnus peccator fuit, qui ex consuetudine volens ire ad peccandum, veniens ad altare ante imaginem Virginis, stans eam salutauit Angelica voce. Aue MARIA. Cùm semel faceret, vidit imaginem Virginis cum puero in sinu in cruce vulneratum, & cruentatum totum sanguinemque in gremio matris effundentem, sicut fuderat in cruce, quo viso obstupefactus dixit. O mater misericordiæ, quis hoc fecit? Et Virgo respondit. Tu, & cæteri peccatores, qui amplius crucifigitis filium meum, quàm Iudæi. Et peccator ille ad Virginem dicebat: O Mater misericordiæ, intercede pro me. Et illa: vos peccatores vocatis me matrem misericordiæ, qui tamen, non cessatis facere me matrem miseriæ esse, & tristitiæ. Et ille: O Mater non dicatis sic, sed memento te esse aduocatam peccatorum, & intercedere pro me. Et Mater ad filium. O pijssime fili mei amore misereré huic peccatori. Respondit: Cùm sit tuus filius, negare non possum aliquid. Vnde peccatori veniam dedit. *Salutate MARIAM, &c.*

SERMO.

In festo Conceptionis B. Virginis MARIÆ. In quo sermone exploditur, ac confutatur impia opinio quorundam vulgarum ignorantium, & vera asseritur secundùm dicta omnium sapientium, & maximè Sanctorum Doctorum Christianæ Religionis.

Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. Eccles. 24.

Eccles.24

QVanta sit MARIÆ Virginis laus, dignitas, & excellẽtia, nulla pura creatura enarrare potest. Aug. in quodam ser. De te ò Virgo MARIA, quid dicã pauper ingenio, cùm de te quidquid dixero, minor laus est, quàm tua dignitas mereatur? Si cœlũ te vocem, excelsior es. Si Matrem gratiarum dicam, præcellis. Si formam Dei appellem, digna es. Si Dominam Angelorum te clamitem, per omnia sic esse probaris. Quid ergo dicã, quidue referam, cùm non sufficiat lingua carnis tuas enarrare virtutes? Ille. Ideo ipsa de se ait: *Qui elucidant me*, hoc est, qui me venerantur, qui me laudant, qui me inuocant, *vitam æternam habebunt*. Verùm quia quidam falsò illam laudare videntur, asserentes eam sine originali conceptam, de hac conceptione erit sermo. In quo tria sunt videnda per ordinem. Primum dicitur opinionis. Secundum dicitur declarationis. Tertium dicitur cõfirmationis. Primũ dicitur, &c. Quæritur dubium, vtrùm Virgo MARIA sit concepta in peccato originali? Circa hanc difficultatem duæ sunt opiniones famosæ. Vna dicit, quòd non. Alia, quòd sic, quas videbimus per ordinem. Sed priùs videbimus breuiter quid est peccatum originale? vt sic intelligamus materiam. Ægid. in tract. de peccat. origin. & Thom. 1.2.q. 82. art. 1. in 2. dist. 30. in 4. dist 43. art. 4. Peccatum originale est, carentia iustitiæ originalis. Ille. Aduertendum est secundùm Theologos, quòd Deus fecit hominem rectum, iuxta illud Eccl. 15. *Inueni, quòd Deus fecit hominem rectum*; quia scilicet in eo omnia inferiora erant subiecta superioribus. Caro enim in eo erat subiecta, scilicet, animæ, quia nullus morbus, nulla passio, aut indispositio poterat insurgere in carnem, quæ animæ ipsius repugnaret. Præterea vires inferiores erant subiectæ superioribus, vt concupiscibilis, & irascibilis ita erant subditæ menti, & rationi, vt nihil in eis insurgeret, nisi secundùm dictamen rationis. Iste ordo dicebatur iustitia: quia iustum est, vt inferiora superioribus subijciantur. Dicitur ergo in diffinitione. Est carentia iustitiæ. Dicebatur autem hæc iustitia originalis, quia erat in posteros per originẽ trãsferẽda. Adam ergo peccante, & à suo superiore se auertente, ordo rationis poscebat, quòd cùm ipse nollet suo superiori esse subiectus, quòd eius inferiora superioribus rebellarẽt. Propter quod caro statim cœpit rebellare animæ, & insurgere in corpore contrariæ dispositiones ipsius formæ. Ideo Adam, qui potuit non mori, si non peccasset, eo peccante, necessitatem habuit moriendi: Quamdiu stetit Adam in sua rectitudine, poterat non mori, & poterat non peccare. Poterat non mori, quia eo sic stãte, nihil insurrexisset in corpore, quod repugnaret animæ. Poterat non peccare, quia vires inferiores erant omnino subiectæ superioribus. Acceperat enim Adam propter hanc originalem iustitiam, vt posset stare, poterat enim peccata vitare. Eo autem peccante, & à Deo se auertente, perdidit hanc originalem iustitiam, & hanc rectitudinem, qua inferiora superioribus erant subiecta. Et quia huiusmodi rectitudinem peccando perdidit, non potuit in posteros eam transfundere. Hoc est ergo peccatũ originale, quod diximus, quia ipsum origine contrahimus; scilicet, carentia huius rectitudinis, huius iustitiæ originalis cum debito habendi eam. Secundùm enim ordinem naturæ institutæ necessaria erat iustitia originalis ad salutem consequendam, quia ergo ea caremus, & eam tenemur habere, vt sumus membra Adæ, priuatio, vel carentia originalis iustitiæ cum debito habendi, est peccatum originale. Et sic patet denominatio huius vocabuli. Nonnulli tenent Virginem fuisse immunem ab hoc, quam Conclusionem probant tripliciter, ratione, authoritate, & exemplo. Prima ratio hæc est. Virgo MARIA in Matrem Dei electa, erat exaltanda super omnes Angelos, vt Ecclesia canit: Exaltata est Sancta Dei, &c. Sed Angeli fuerũt præseruati ab omni peccato; igitur, & Virgo MARIA à fortiori, cùm esset superior. Secunda ratio. Absurdum est credere Virginem MARIAM fuisse aliquando in odio, & indignatione filij sui Christi, & obligatam supplicio, cùm esset Mater charissima. Sed per peccatum originale persona dicitur filia iræ, & deputata æterno supplicio. Igitur, &c. Tertia ratio, &c. Virgo MARIA debebat fieri speciale habitaculum Dei; ergo debebat specialiùs præparari. Sed si concepta fuisset in peccato originali, non fuisset specialiùs præparata, igitur non fuit concepta, &c. Quarta ratio, quod Deus potuit facere, & decuit, fecit. Sed Deus potuit, & decuit facere ipsum, quòd Virgo MARIA sine peccato originali cõci

pere-

peretur, igitur fuit. Quinta ratio. MARIA dignitas conuenies Virgini est ab ea auferenda. Sed concipi sine peccato originali erat conueniens Virgini, igitur non fuit, &c. Sexta ratio. Dicitur, ff. de offic. q. l. 1. Illi opinioni standum est, quæ plurimorum testimonio probatur. Et Philosophus lib. de som. & vigil. Quod ab omnibus, vel pluribus dicitur, fidem habet, quòd ita sit. Et 1. Ethic. Fama, quam omnes famant, vel exclamant, non potest in toto esse falsa. Ad proprium. Sed quasi omnes, & maximè vulgus tenent, vel exclamant ipsam sine originali peccato conceptam, igitur, &c. De centum, nonaginta quatuor hanc tenent opinionem, igitur, &c. Septima ratio. Festum non celebratur, nisi de re sancta. Sed festum Conceptionis ipsius celebratur; igitur fuit sancta ex consequenti sine peccato originali; igitur, &c. Octaua ratio. Indulgentiæ non dantur, nisi pro re sancta. Sed Sixtus Papa Quartus dedit celebrantibus Conceptionem Indulgentiam per totam octauam; igitur fuit, &c. Nona ratio. Miracula non possunt fieri, nisi à sanctis. Sed Conceptio Virginis fecit, & continuè facit multa miracula, quæ continuè recitantur à Prædicatoribus; igitur ista Conceptio fuit Sancta. Decima ratio. Arguunt quidam. Illud, quod est per Angelum reuelatum est firmiter tenendum. Sed B. Virginem fuisse conceptam sine peccato, fuit à Deo reuelatum, vt patet de quodam Helisino Abbate, qui cùm in medio mari fluctibus mergeretur, apparuit ei Angelus dicens, quòd si voluisset annuatim celebrare, celebrandamque prædicare Conceptionem Virginis, à naufragio liberaretur. At ille, cùm se hoc facturum promisisset, statim sedata tempestate, saluus cum vniuersa comitiua in patriam reuersus est patet de primo. Secundò arguunt authoritatibus. Primò August. libr. de nat. & gratia: Excepta Virgine MARIA, cùm de peccatis agitur propter honorem Domini, nullam volo prorsus habere quæstionem. Præterea Thom. in 1. sent. dist. 44. q. 1. art. 3. ad 3. Beata Virgo semper immunis ab omni peccato originali, & actuali fuit. Præterea inducunt sanctum Dominicum de quodam libro, quem edidit de corpore Christi contra Albigenses sic dicentem. Sicut primus Adam fuit in agro Damasceno de terra virginea, & immaculata formatus, sic secundus Adam, scilicet, Christus fuit de carne virginea, & immaculata conceptus. Præterea Anselmus in epist. ad Coepiscopos Angliæ de celebranda Conceptione. Non est deuotus, nec verus amator Virginis, qui respuit colere festum Conceptionis MARIÆ, & de illo Prædicatore, qui Tholosæ prædicans contra hanc Conceptionem, exiens de pulpito, quidam canis niger adfuit, qui ipsum fratrem deuorauit. Et sic patet prima opinio nostri sermonis. Secundùm dicitur, &c. Opinio secunda dicit oppositum. Et probat intentum suum duplici modo. Primò ratione Theologicali. Secundò authoritate legali. Primò rationibus plurimis efficacissimis. Prima hæc est. Id, quod maximè resistit fidei nostræ, est impium, & crudele, & omnino non tenendum, imo respuendum, quia est resistere Spiritui Sancto. Sed dicere B. Virginem fuisse sine peccato originali conceptam, est resistere fundatissimæ fidei; igitur fuit concepta in peccato originali. Maior est vera, minor probatur. Aug. in 5. lib. contr. Iulian. Omnes homines vulneratos esse peccato Protoplasti Apostolus approbat, cùm dicit: *Omnes enim peccauerunt, & egent gratia Dei*, dicendo omnes, nullum excepit, sed totum declarauit genus humanum. Peccauerunt enim omnes, cùm ex vno peccatore omnes nascantur peccatores. Vos autem dum aliquem excipitis, resistitis fundatissimæ fidei, vbi Apostolus ait: *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors*, & ita in omnes pertransijt, in quo omnes peccauerunt nunquid hæc friuola sunt? quis audeat hoc dicere, nisi diuinorum eloquiorum apertissimus inimicus, vnde in epist. ad Optatũ de origine animę. Illud, vbi permaximè fides Christiana consistit, est, vt credamus quòd per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes pertransijt in quo omnes peccauerunt. Secũda ratio. Contradicere Sacræ Scripturæ est erroneum, & impium, vt dicitur in decret. dist. 9 cap. Ego solus, cap quis nesciat, cap. si ad scripturas sacras, & 24. quæst. 3. cap. quidam autem, & cap. Hæresis. Sed dicere Virginem fuisse conceptam sine peccato originali est contradicere Sacræ Scripturæ. Igitur fuit concepta, &c. Quid dicis Paule Rom. 3. *Omnes peccauerunt*, & cap. 5. *Per vnum*, &c. Super quo Augustinus. Apostolus dicendo omnes, nullum excepit, quin immo totum genus declarauit humanum. Ille. Cur ò Pater Augustine non excepisti hìc Matrẽ Dei, cùm de illa fueris deuotus? Respondet, non possum in hoc loco, quia in numero aliorum est. *In quo omnes*, inquit, Apostolus. Excepi eam, quando debui, & quando locutus sum de peccato actuali. Et vbi ò Pater Augustine? In lib. de nat. & grat. vt etiam ponitur à Mag. in 3. dist. 3. si omnes sancti, & sanctæ, cùm hìc viuerent, interrogati fuissent, an peccatum haberent, omnes vna voce clamassent: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos seducimus, & veritas in nobis non est*. Vbi August. de actuali, non originali peccato loquitur, vt quidam garrulant. Vnde patet ratio. Tertia ratio. Nullus damnatur pœna mortis, nisi ex peccato originali,

A

B *Roman. 3.*

Ibid. 5.

C

Roman. 3.
Ibid. 5.

D

1. Ioan. 1.

Genes. 2. patet Gen. 2. vbi dicitur, *morte moriemini,* A Virgo MARIA mortua est. Minor patet, quia Ecclesia confitetur, igitur fuit subiecta morti, mors fuit pœna peccati originalis; ipsa cum alijs mortua est, igitur fuit concepta in originali. De Christo dicitur: *Qui pro nobis,*
Phil. 2. *&c.* Quarta ratio. Attribuere Virgini quod est solius Christi, est impium, & nefarium, sed cõcipi sine originali est solius Christi, igitur, &c. Vnde Bonau. in 3. dist. q. 1. art. 2. Non enim omnis honor, qui attribuitur filio, attribuendus est matri, quia sic non esset Virginem honorare, sed ei potiùs contumeliam facere. Et Bernard. Virgo Regina falso non eget honore, rectis honorum titulis cumulata, ò pazzi seculari, qui putãt Virginem B honorare, & ipsam vituperant, &c. Quinta ratio, & vltima erit, asserere contrarium, & oppositum eius, quod ferè omnes famosi Doctores tenent, est impium, & temerarium, sed Beatam Virginem non fuisse conceptam in peccato originali est oppositũ eius, quod ferè omnes Doctores tenent; igitur dicere, Virginem non fuisse conceptam in originali est impium. Vnde Glos. super cap. decimam de decim. super verb. Magistrorum, vt dicit Innocentius, opinionibus Magistrorum non vult derogare, & de restit. spoliat. cap. litteras, & ff. de orig. iur. l. 2. § post originẽ. Vnde quod à pluribus, & præcipuè sapientibus dicitur firmiter est tenendum, & illud negare est temerarium. Ad propositum. Non solũ C antiqui Doctores, sed etiam posteriores tenuerunt, & in scriptis reliquerunt, quòd Virgo Beata, & omnes homines præter Christũ in sui conceptione peccatum contraxerunt, quod patet triplici testimonio in præsentiarum. Primò Ecclesiæ Doctorum. Secundò Canonistarum. Tertiò Religionum. Primò August in 6. contr. Iulian. Omnes ad mortem per Adam. Omnes ad vitam per Christum; quia sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificantur: vos autem dũ non omnes, sed multos siue per Adam condemnatos, siue per Christum liberatos vultis intelligi, horrenda peruersitate Christianæ Religioni D estis infesti. Ille. O Gregori, quid dicis in 12. Moral. Nullus sine peccato fuit, nisi ille, qui in hoc mundo venit sine peccato. O Hieronyme, quid dicis super illo verbo Psal. 12. *De manu canis vnicam*
Psal. 12. *meam.* Vnica est anima Christi, quia sola est sine peccato. O Ambrosi, quid super Luc. 2.
Lucæ 2. *Quod enim ex te nascetur sanctum.* Solus enim per omnia est natus de fœmina sanctus Dominus IESVS. Et Bernard. in epist. ad Lugdunẽsis deesto Conceptionis non celebrando. Libenter Virgo hoc honore carebit, quo vel peccatum honorari, vel falsa videtur induci sanctitas, nulla enim ratione placebit contrarium Ecclesiæ; præsumpta nouitas mater temeritatis, filia superstitionis, soror leuitatis. Ille. Sic tenet Leo Papa in multis suis sermonibus. Sic Anselm. in lib. cur Deus homo, & Beda in Homil. super Missus est. Cassiodor. super Psalm. Vgo in libr. de Sacram. Alanus in expositione Symboli, Guillelmus Durandi in rationali Diu. offic. Henricus de Gandauo in quodlibet. Prætereo iterum Aug. in 2. contra Iulian. Omnes, inquit, homines illi primorum parentum peccato nascuntur obnoxij; hoc qui negat, Christianæ fidei fundamenta subuertere conatur, vna est enim omnium Catholicorum firma fides, quòd per vnum hominem peccatum intrasse in mundum, & ita in omnes pertransisse vno corde credunt, vno ore fatentur, & vestras nouitias præsumptiones Catholica antiquitate subuertunt. Propter quam Catholicam veritatem sancti, ac Beatissimi diuinorum eloquiorum charissimi Sacerdotes Irenæus, Cyprianus, Olimpius, Hilarius, Ambrosius, Gregorius Theologus, Innocentius, Ioannes, Basilius; quibus, velis, nolis, addo Hieronymum Presbyterum, vt omittam eos, qui nondum dormierunt, aduersùs vos proferũt de omnium hominum peccato originali obnoxia successione sententiam. Vnde nemo excipitur, nisi solus ille, quem Virgo sine lege peccati concepit. Ille. Ad Canonistas venio. Gratian. compilator decret. de consecr. dist. 3. 4. per totum inter alia capitula in cap. Firmissimè benè, & nullatenus dubites, quòd omnis homo, qui per concubitum viri, & mulieris concipiatur, cum peccato originali nascatur. Ioannes Theutonicus Glossator decreti de consecr. dist. 3. cap. Pronunciandum, & dist. 4 super cap. per baptismum, vbi sic dicit: Festum Conceptionis Virginis MARIÆ non est celebrandum, quia fuit concepta in peccato, sicut cæteri sancti, excepta vnica persona Christi. Ioannes Andr. Doctor Bononiensis super cap. Conquestus extra de ferijs. Item D. Hostiensis in sum. sua sit de pœnit. & rem. Item D. Ioannes Calderinus Doctor Bononiensis super cap. Conquestus sup. Item D. Petrus de Butrio in suo repertorio in littera Conceptionis. Ordo Minorum Bonau. in 3. si Beata Virgo non habuisset aliquod peccatum, non fuisset Christi morte redempta, quod est impium, & nefarium. Alexander de Ales Doctor Parisiensis in 3. part. sum. dicit: si Beata Virgo MARIA non fuisset concepta in peccato originali, non fuisset obligata peccato, nec pœnæ, nec habuisset peccati reatum, sed qui non habet reatum peccati nõ indiget redẽptione, quia redemptio est solùm propter obligationem peccati, vel pœnæ, &

pro-

propter reatum peccati. Ergo Beata Virgo non indiguisset redemptione facta per Christum, quod non est secundùm Catholicam fidem ponendum. Ille. Idem tenet Ricardus de Mediavilla in 3. dist. 3. Anima, inquit, Beatæ Virginis ex sui vnione ad carnem originale peccatum contraxit, & Nicolaus de Lyra super illud: Spiritus Sanctus superueniet in te, benedixit superveniet in te, quia venerat Spiritus Sanctus super Virginem adhuc in vtero matris existentem, eam ab originali peccato purgando, vt communiter dicitur. Et Frater Iacobus Bonus de eodem ordine in laude vulgari sic eleganter, & optimè loquitur. O Virgo supra fœminas, sancta MARIA Beata, super fœminas dico. Quilibet nascitur inimicus, postquam anima in ventre clausa fuit, infusa virtus Altissimi te sanctificauit, diuina vnctio te sanctam fecit, & omnis immunditiæ fuisti expers. Ab originali peccato, quod Adam seminauit, & cum quo quisque nascitur, tota fuisti mundata. Ille. Idem dicunt Doctores sequaces, Aluarus Hispanus eiusdem ordinis. Ioannes de Rupella, Robertus Canton Reginaldus Archiepiscopus Rothomagentis, Ioannes Rigaldi, Bertrandus de Turre Cardinalis Bartholomæus de Ipsis, Giraldus Odonis in lib. de figuris. Ordo Eremitarum. Ægidius de Roma in quolibet. Beata, inquit, Virgo sine dubio originale peccatum in sui conceptione contraxit. Augustinus de Ancona super epist. Pauli. Factmus de Ast. in 3. sent. dist. 3. Gregor. de Arimino in 2. sent. dist. 30. quæst. 2. dicit secundùm authoritatem Sacræ Scripturæ, & August. & Ambr. & Anselm. firmiter tenendum est, Virginem in originali peccato fuisse conceptam. Ordo Carmelitarum. Guido Episcopus in 3. col. quæst. 13. sequendo rationes, & authoritates Canonum, & sanctorum, salua puritate Virginis teneo, quòd Beata Virgo fuit concepta in peccato originali. Et Paulus de Perusio in 3. dist. 3. firmiter tenendum est, Beatam Virginem fuisse in originali peccato conceptam, quia fuit concepta per concubitum viri, & mulieris; tum quia solus Christus fuit conceptus sine peccato. Ordo Carthusiensium, qui per totum orbem festum hoc non celebrat, nisi sub nomine sanctificationis, dicens in Prima in oratione: supplicationem seruorum tuorum Deus miserator exaudi, vt qui in sanctificatione, &c. Idum D. Ioannes Calear in serm. de Natiu. & cæteri alij. Ordo Cistercienſium. Oddo Abbas in Homil. super Euang. Stabat iuxta Crucem IESV. Et D. Ambaldus super 3. dist. 3. & alij plures. Præterea Doctores seculares deuotissimi, & in scientia famosi, Vgo de Sancto Victore lib. de Sacram. lib. 2. p. c. 6. Ricardus de Sancto Victore super illud: Spiritus Sanctus superueniet in te. Petrus Lombardus in suo 3. lib. sent. dist. 3. ad 1. Ordo Prædicatorum. Thom. in 3. p. q. 14. art. 3. in 1. 2. q. 81. art. 4. in 3. sent. dist. 3. q. 1. per totum sic Petrus de Tarantasio. in 3. dist. 3. & Vgo Gallicus in 3. dist. 3. Durand. in 3. dist. 3. Petrus de Palude in 3. dist. 3. Albertus in 2. dist. 3. dicere, inquit, Beatã Virginẽ fuisse conceptam in peccato originali est Hæresi condemnata à Beato Bernardo, & ab omnibus Magistris Parisiẽs. Hæruæus Ordinis Generalis. Nicolaus Trueto, Robertus Holcot, Martinus, qui fecit Chronicas, Vincentius, qui fecit speculà, Iacobus de Voragine. Et omnes alij, qui sunt numero quadraginta nouem huius ordinis affirmãtes hanc opinionẽ. Quid vobis videtur, ciues mei, super hoc? Quare omnes Religiones non pugnant pro Doctoribus suis? Ecce quot Doctores, quot sapientes hoc affirmant. Sed dicunt æmuli nostri, quòd fuit priuilegiata, quia à peccato præseruata. Ostendant illud priuilegium, & eis fidem dabimus. Tertium principale dicitur responsionis ad argumenta vbi supra, & ad rationes Respondeo ad singula. Ad primum de Angelis, qui præseruati fuerũt, multò magis Virgo MARIA. Angeli non habuerunt possibilitatem ad contrahendum peccatum originale, quia fuerunt omnes immediate creati à Deo, & non per originem seminaliter propagati, sicut Virgo MARIA, sed benè habuerunt possibilitatem ad peccatum actualiter, & ideo non fuerunt præseruati à peccato originali, sed ab actuali, quia præseruatio à malo præsupponit possibilitatem eius, qui præseruatur ad illud malum, quantum est in se. Et sic patet responsio ad primum. Ad secundum de indignatione filij: esse odiosum Deo potest contingere dupliciter. Vno modo per actum voluntatis propriæ, & hoc non fuit in Virgine. Alio modo non propria voluntate, sed vterina conceptione propter inordinatam voluntatem primi parentis; à quo seminaliter persona propagatur. Et hoc non est absurdum, sed necessarium credere hanc iram habuisse. Sed postquam fuit Mater Dei, vel postquàm fuit in * vtero nata, nunquam fuit Deo odiosa, vel in indignatione filij, sed semper fuit ab eo dilecta. Ad tertium de habitaculo Respondeo Virgo MARIA fuit speciale habitaculum, donato quòd in peccato originali fuerit concepta, quia præ cæteris sanctis specialiùs fuit ab originali peccato mundata. In sua sanctificatione copiosiùs cæteris munus gratiæ accipiens, vt non solùm purgaretur à peccato, sed vt etiã tota eius vita redderetur immunis à peccato actuali, mortali, & veniali, quod nulli sanctorũ concessum est. Vnde excessit omnia in sanctificatione. Ad quartũ respondeo, quòd licèt Deus de potẽtia absoluta potuisset

Luce 2.

* ex

tuisset præseruare Virginē à peccato originali, cū hoc non implicet contradictionem, quia nō erit impossibile omne verbū, non tamen potuit de potentia ordinata, quæ consideratur circa ordinem à diuina sapientia institutum, secundùm quem ordinatū fuit, vt Christus esset omnium Redemptor, quia si fuisset præseruata, non indiguisset redemptione facta per Christum. Ad quintum Respondeo secundùm Ægidium de Roma Ordinis Eremitarum in 6. quolibet. Conceptio in originali peccato nō derogat dignitati Virginis, quin immo plus commendatur, & congruit officio suo, per quod facta est, vt esset mediatrix nostra, & membrum Christi. Quamuis enim concipi in peccato originali non sit secundū se laudabile, tamen in quantum per hoc sit homo membrum Christi, prout à tali peccato liberatur, pertinet ad laudem eius. Vnde negare, Virginem originale peccatum non contraxisse, est negare, illum ad Christum ordinem habuisse, & negare illam membrum Christi fuisse. Vnde magis est laudabile cum peccato fuisse. Ad sextum Respondeo, quòd plures sunt, qui credunt, & affirmant conclusionem de originali, quàm in partem oppositam. Nam ducenti quinquaginta Doctores istud asserūt, & quamuis plures vulgares hoc teneant. Nos autem fidem præstamus doctis. Ad septimum respondet Albertus de Brixia in sum. de institutione confessionis. Quamuis Virgo in originali fuerit cōcepta, tamen creditur in vtero suæ matris sanctificata fuisse, antequàm nata ex vtero, & ideo circa celebrationem Conceptionis eius diuersa consuetudo Ecclesiarum seruatur. Romana Ecclesia considerans Virginem fuisse in originali conceptam, non celebrat festum Conceptionis eius. Aliquæ verò Ecclesiæ considerantes sanctificationem eius in vtero matris suæ post annunciationem factam, tolerante Romana Ecclesia, festum Conceptionis eius celebrant. Vnde illa celebritas non est referenda ad Conceptionem ratione Conceptionis, sed ratione sanctificationis eius in vtero factæ post Conceptionem, cuius sanctificationis festum in die Conceptionis celebratur, quia quo tempore sanctificata fuerit, ignoratur. Ille. Præterea hoc festum toleratur, in quantū refertur ad sanctificationē Virginis conceptæ, & non ad Conceptionē eius, & ita dicit oratio, quæ dicitur in hoc festo Romæ in Sancta MARIA Maiori. Deus, qui sanctificationem Virginis MARIÆ. Vnde non est festum Conceptionis, sed Sanctificationis. Concordat super hoc Ioannes Andreæ super cap. conquestus extra de ferijs, & alij quàm plures. Ad octauum de indulgentijs Respondeo, de ipso solo legitur, quòd sit istius opinionis, cùm alij sanctiores fuerint opinionis contrariæ, vt patet de suis antecessoribus. Præterea vt Vicarius Christi errare non potest, sed benè, vt talis homo, & persona, ideo, &c. Ad nonum de miraculis Respondet Thomas 2. quæst. 117. art. 2. quòd miraculorū aliqua quidem non sunt vera, sed fantastice facta, quibus, scilicet, ludificatur homo, vt videatur ei aliquid, quod non est, vt quotidie fieri cernimus per incantationes. Quædam sunt verè facta, sed non verè habent rationem miraculi, quia fiunt virtute causarum naturalium. Vnde concluditur, quòd huiusmodi miracula fortè sunt arte Dæmonum, vt Dæmones decipiant eos, & in hoc errore teneant, vt suscitent discordias inter viros Religiosos. Ad propositum ex deuotione, quam homo habet ad Virginem, erit miraculum, non ratione conceptionis, sed deuotionis Matris, quam ad illam habet, & ratione fidei. Ad decimum de reuelatione Respondeo, quòd non est verum de reuelatione illa, nec sunt ista dicenda de Anselmo, vt probat Vincentius in specul. 26. cap. 36. sed malitiosè sunt posita, Anselmo imposita. Sicut falsò Beato Bernardo de macula in fronte, quod est absurdum, immo profanum hoc asserere, immo hæreticum. Vnde scriptura in Apoc. 14. *Sine macula enim sunt ante thronum Dei.* Et alibi: *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum.* Secundò probatur authoritate. Ad verba Augustini Respondeo, quòd loquitur de actualibus contra Pelagium, à quibus immunis fuit Virgo MARIA, & non originalibus. Ad illud de Sancto Thoma Respondeo, quòd Thomas benè dicit, quòd Virgo fuit immunis ab omni peccato pro eo tempore quo incepit esse Mater Dei, & deinceps vsque in perpetuum fuit immunis à peccato originali. Cùm hoc tamen verè stat, quòd fuerit concepta in peccato originali; nam omnes Christiani sunt immunes à peccato originali, tamen fuerunt concepti in peccato originali. Non enim dicit Thomas, quòd Virgo fuerit immunis in sui conceptione à peccato originali, sed dicit, quid fuit immunis à peccato originali, quando, scilicet, præparata fuit, vt esset Mater Dei * Nota tu Lector, sub correctione tamen dixerim Domini Gabrielis Baralete, quòd non benè soluit argumentum Doctoris sancti. Nam si benè respicias solutionem Doctoris inuenies, quòd Doctor non dicit, quòd fuerit immunis solùm illo tempore, quo præparabatur Virgo, vt esset Mater Dei, sed absolutè dicit illam omni tempore immunem ab originali, & actuali. * Et sic patet responsio ad argumenta illius opinionis. Ad illud de Sancto Dominico Respondeo, quòd Vincen. histor. lib. 3. cap. 96. historiam recitat illius libri, qui in flammas proiectus ter, exiuit illæsus penitus. Sed quòd fuerit de corpore Christi nullam facit

Apoc. 14.

Apoc. 21.

facit mentionem. Vnde non præstatur fides talibus. Præterea nunquam fuit reputatum Hæreticum tenere Beatam Virginem fuisse cõceptam in originali, ideo non erat opus vt per illam auctoritatem Beatus Dominicus impugnaret Hæreticos. Præterea talia apud nos non sunt. Ad illud de Anselmo: Non est deuotus, nec verus amator Virginis. Respondeo, quòd verè non sunt verba Anselmi, sed ficta ab aliquo volente decipere stolidum vulgus. Ad illud exemplum de illo, qui comedit fratrem illum, sunt dementiæ, & fatuitates.

In Purificatione Beatæ MARIÆ Virginis, Festum est de Matre, & filio.

Psal. 47. *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio Templi tui, in* Psalm. 47.

SApida, aurea, & celebranda sententia est illa vniuersæ scholæ Theologantium, quòd Regina cœlorum, Aduocata peccatorum, Imperatrix Angelorum stella perennis * gradis maris, solidum scutum afflictarum mentium MARIA Virgo cùm fuerit electa ab æterno in matrem illius veri Dei, illi meritò fuit communicatum priuilegiũ super omnes creaturas plenitudinis, & abundantiæ omnium gratiarum. MARIA Mater gratiæ canit sancta Ecclesia. Secundùm sententiam Thomæ in Epistolis super Ioannem, & Alberti quadruplex est gratia. Prima effluens, quæ est in solo Deo. Secunda sufficiens, quæ est in sanctis. Tertia abundans, quæ fuit in Apostolis. Quarta excellens, quæ est in MARIA, per quam toti mũdo debitricem se fecit. Vnde Bernardus, super Cantic. Serm. 88. MARIA omnibus omnia facta est, sapientibus, & insipientibus copiosissima charitate debitricem se fecit, omnibus pœnitentiæ sinum aperuit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi, captiuus redemptionem, tristis consolationem, infirmus sanitatem, iustus gratiam, Angelus lætitiam, filius Dei humanæ carnis substantiam. Ille: Vulgarizatio super verbo Bernardi. Non possum lacrymas continere, inquit Bernardus, ex diuino amore charitatis, dum cogito immensam charitatem ipsius Reginæ, quæ omnibus debitricem se fecit. Gaudeat dulciter peccator, quia per MARIAM remissionem peccatorum obtinuit. Gaudeat iustus, quia per MARIAM gratiam promeruit. Gaudeat captiuus, quia per ipsam liberatur à vinculo peccati. Gaudeat Angelus, quia per eam sedes vacuæ reparantur. Gaudeat Filius Dei, quia per eam carnem de ea assumpsit, & quem cœli capere nõ poterant, eius gremium continuit; vnde pro sui humilitate, & legis obseruatione hodie obtulit filium in Templo cum muneribus. Quod Ecclesia festina, & lętabunda congratulatur sponso suo, dicens. *Suscepimus Deus &c.* In quibus verbis de hodierna solemnitate loquamur, de qua tria videbimus. Primum dicitur Purificationis. Secundum dicitur oblationis. Tertium dicitur declarationis. Primum dicitur, &c. Præcepit Deus Leuit. 12. quòd mulier, quæ *suscepto semine filium peperisset, immunda esset septem diebus* à consortio hominum, & triginta tribus ab ingressu Templi. Completis quadraginta diebus Templum intrabat, & puerum cũ muneribus offerebat, agnum, si diues; parturum, aut pullos columbarum, si pauper Et hoc modo se purificabat ab illa irregularitate contracta per partum. Quæritur modò dubium. Vtrum Virgo debuit hodie Tẽplum ingredi cum filio, & facere hanc purificationem? Verè, ò MARIA, videtur, quòd non, quia filium non peperisti de semine, sed mystico spiramine. In circumcisione purgabatur puer ab originali, quod à parentibus contraxerat. In purificatione purgabatur mater à pœnis, quia in libidine concepisset. Sed nihil horum in Christo, & in Matre. Igitur incongruum videtur purificari hodie. Alia opinio dicit, quòd sic, vt legem seruaret, licèt non teneretur. Respondeo secundùm Thomam 3. part. quæst. 37. art. 3. Bernard. Sermone hodierno, quòd triplici ratione. Primò ratione humiliationis. Secundò ratione occultationis. Tertiò ratione exemplificationis. Primò, &c. Vna est maxima omnium Theologorum, quòd omnes gratiæ, quæ sunt in MARIA, originem habuerunt à Christo, qui est fons omnium gratiarum. Vnde debuit conformari humilitati filij, qui *humilibus dat gratiam*, vt dicitur Iacob. 5. Christus IESVS ex humilitate cordiali omnia onera legis portare voluit quibus non tenebatur. In sua natiuitate habuit se, vt pauper, qui natus est in præsepio, & in vilibus pannis in nocte media, dum esset frigus. Ad Philip. 1. *Exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens*. De inuisibili, immortali, infinito, visibilis, mortalis, finitus est factus. O immensa humilitas! O miraculum! O bonitas sancta! In Circumcisione habuit se, vt peccator, quia circumcidi voluit, cùm esset illa in remedium peccati originalis, cui non tenebatur, cùm esset de Spiritu sancto conceptus. 1. Petr. 2. *Qui peccatum non fecit.* Et Ioann. 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Non de peccato oris, cordis. Præterea & baptizari voluit ex humilitate, cui non tenebatur. Vnde Ioannes Baptista tremens dixit: *Ego à te debeo baptizari, & tu venisti ad*

Tramõtana.

Leuit. 12

Iacob. 5.

Philip. 1.

1. *Petr.* 2

Ioann. 8.

Matt. 3.

ad me? Cui Christus, *sine modò: Sic enim decet implere omnem iustitiam.* Super quo Ambros. Hæc est iustitia, vt quod alterum facere velles, priùs ipse incipias. Hodie autem se habuit vt pauper in eo quòd pauperum oblationem obtulit; vt peccator, & reus in eo, quòd sacrificia, quæ erant in expiationem peccati, pro se offerre voluit. Vnde hoc ò care Domine? Clama, ex humilitate. Vnde Augustinus. Erubescat homo esse superbus, quia humilis factus est Deus. Ad propositum. Sicut ista facere voluit, quibus non tenebatur, sed ex humilitate, per eamdem rationem voluit & matrem purificari, licèt non teneretur. Vnde Bernardus Sermone hodierno. Verè Beata Virgo non habes causam, nec tibi opus est purificatione, sicut nec filio tuo circumcisione. Esto inter mulieres quasi vna illarum; nam filius tuus sic est in medio puerorum. Ideo Moyses dans præceptum de purificatione ex diuina ordinatione dixit: *Mulier si suscepto semine, &c.* Posuit hanc conditionem, sic dans intelligi, quòd mulier aliquando esset paritura masculum non suscepto semine. Ex quo Doctores dicunt, quòd Moyses fuit ita locutus, ad excipiendam Matrem Dei ab immunditia. Et Bernardus in Sermone hodierno: Timuit Moyses in Matrem Domini blasphemiam irrogare. Vnde Iacobus de Voragine in Mariali. Mulier in suo matrimonio cupit quatuor ex superbia, quæ Virgo respuit ex humilitate. Primò virum iuuenem; MARIA senem. Secundò virum pulchrum, & diuitem. MARIA autem despectum, & pauperem, Tertiò. pulchram domum; MARIA tugurium. Quartò otium, & quietem in partu, & post. MARIA autem hodie non est otiosa, properat ad Templum cum oblationibus, sollicita de legis obseruatione. O MARIÆ humilitas! Secundò ratione, &c. vt occultaret se esse Matrem Dei Diabolo. Habet Augustinus super Genes. ad literam, quòd post peccatum Adæ Lucifer scivit verbum Dei incarnandum, sed ignorabat tempus, & horam. Videns nocte Natiuitatis suæ Angelos canere: *Gloria in Altissimis, &c.* Pastores ipsum adorare, Magos de lõge venientes cum muneribus, vocem cœlitus audiens: *Hic est filius meus dilectus*, in deserto ipsum aggressus est, tribus iaculis experiri volens, an esset Messias. Sed tali modo respondit Dæmoni, quòd propter hoc ignorabat, an ille esset? vt dicit Thomas 4. distinct. 30. Dæmon cognitione clara nunquam scivit, an esset Messias; quamuis fiat mentio ab Euangelistis, quòd Dæmones cognouerunt ipsum esse Christum, vt dicitur Matth. 4. & Luc. 4. quod intelligitur quoad coniecturas, nunquam tamen scivit, nisi in Cruce. Vnde de seipso Christus Ioan. 14. *Venit enim Princeps mundi huius, & in mẽ habet quicquam.* Ad propositum: Si Virgo hodie ad Templum non iuisset cum filio, & oblationibus, in mentem Dæmonis venisset suspicio, quòd verè esset Mater Dei, ex quo legi non subijciebatur. Et per consequens impediisset eius passionem aliquo modo. Vnde Thomas in 4. distinct. 30. artic. 1. Dæmon prohibebatur diuina virtute ab inuestigatione Beatæ MARIÆ. Vbi & Albertus super Missus est, Dæmon nunquam agnouit Virginem esse Matrem Dei ante filij passionem, & dum vixit, miracula non fecit apertè, ne ipse Dæmon agnosceret eam, & per consequens impediret passionem filij sui. Vnde patet secunda ratio. Tertiò ratione, &c. In exemplum nostræ Purificationis secundùm Albertum super Luc. hodie in verb. Dies purgationis MARIÆ. Triplex est purgatio. Vna vulgaris, quæ prohibetur à iure Canonico 2. quæst. 3. per tot. & extra de purgat. vulg. Cùm quis est suspectus de aliquo crimine, vt homicidij, furti, & huiusmodi, & vult purgare suam innocentiam per aliquod experimentum per modũ suspicioſum, vt offerendo se bibere aquam bullientem, ingredi ignem sine læsione, quod est peccatum, & contra illud Matth. 4. *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Exẽplum Imperatoris Henrici, qui vxorem habens suspectam de adulterio cum quodam milite, voluit hanc purgationem facere, ita vt nudis pedibus super ignitos carbones incederet; vnde in morte anxiatus punitus est. Secunda purgatio dicitur legalis. Vt cum quis grauatur iniustè de aliquo crimine, potest purgari per aliquod iuramentum, vt se purget, vt patet 2. quæst. 3. in Gloss. Ad hanc tenebantur mulieres per legem, quæ purgabantur in Templo in capite quadraginta dierum offerendo sacrificia animaliũ, & per illa dicebantur purgari, scilicet, ab illa irregularitate contracta in partu, quia prohibebantur, vt immundæ ad Templum accedere. Hanc MARIA fecit hodie. Tertia dicitur spiritualis, quæ est necessaria, Iacob. 4. *Emundate manus peccatores, & purificate corda.* Clama: O Senensis purgate per omnes sensus in exemplum MARIÆ. Primò visum Psalm. 118. *Auerte oculos tuos, ne videant vanitatem.* Thren. 3. *Oculus meus deprædatus est animã meam.* Quintilianus Orat. oculi nostri sunt tota luxuria nostra. Secundò auditum. Eccles. 28. *Sæpi aures tuas spinis, & facito feras auribus tuis.* O socie. Tertiò linguam purifica. Prouerb. 18. *Mors, & vita in manibus linguæ.* Quartò manus, ne aliena rapiant. Augustin. Non dimittitur peccatum: nisi restituatur ablatum. Et sic per omnes sensus. Hanc purificationem Virgo fecit, Pura in oculis.

Luc. 2. *Matth. 3 & 17.* *Ioan. 14.* *Matt. 4.* *Iacob. 4.* *Psal. 118* *Thren. 3.* *Eccle. 28* *Prou. 18*

Psal.

Psal. 24. Psalm. 24. *Oculi mei semper ad Dominum.* A
Lucæ. 10 Pura in auditu. Lucæ 10. *Audiebat verbum*
Prou. 31 *illius.* Pura in manibus, quia Prouerb. vltimò *panem otiosa non comedit.* Ideo Spiritus
Cantic. 4 sanctus Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea,*
Lucæ 2. scilicet, in omnibus membris, & Luc. 2. *Dominus tecum.* Tecum in oculis. Tecum in manibus. Tecum in ore, *Dominus tecum.*
Apoc. 12. Vnde Apoc. 12. *Signum magnum apparuit* in cœlo. Quod ò Ioannes? *Mulier amicta sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim.* Vnde quidã: O Maria diana Stella, &c. & Petrarca. O Sole pulchrior, & Luna plena, Dei Mater alma, ò maris stella, ò formosa, licèt fusca sis. Vnde patet primum. Secundum dicitur, &c. B
MARIA obtulit par turturum, quia paupercula. Diues autem agnum offerebat. Quæritur dubium, vtrum conuenienter, ista sacrificia debuerunt offerri Domino Deo prout lex præcipiebat? Thom. 2. 2. quæst. 102. art. 2. & 3. quòd sic triplici ratione. Primò ratione recognitionis; Secũdò ratione reuocationis. Tertiò ratione præfigurationis. Primò, &c. vt homo recognosceret omnia bona se habere à Deo, 1. Paralip. 3. *Tua sunt*
Par. r. 3. *omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus.* Ad propositum, quòd homo non Dominus, sed dispensator rerum, omnia enim sunt Dei. Secundò ratione, &c. vt per honorem, qui Deo reddebatur, retraheretur populus à cultura Idolorum. In signum huius C
præcepta de sacrificijs non fuerunt data populo Iudæorum, nisi postquam declinauit ad Idolatriam, adorando vitulum conflatilem. Tertiò ratione, &c. quia animalibus illis, & singulariter per agnum præfigurabatur verus agnus filius Dei, qui debebat offerri pro salute mũdi. De qua oblatione Apostolus ad Ephes. 5. Canta. *Tradidit semetipsum*
Epeb. 5. *oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis.* Et verè hæc oblatio fuit necessaria ratione diuinæ placationis, vt habet Albertus super Luc. In testamento veteri inclinabatur Deus ad iustitiam, & non ad misericor
Psal. 93. diam. Vnde Psalmista. *Deus vltionum Do-*
Exod. 22. *minus, Deus vltionum.* Exod. 22. *Ego sum* D
Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem. Hic est ille Deus. Sequere valgarizationẽ. Applica per vindictas, quas fecit in testamento veteri, vt fuit de Adam, de Sennacherib, de Holoferne, de Nabucodonosor, de Dauid, &c. Videntes Sancti Patres ipsum iratum, decreuerunt ipsum placare muneribus. quia vt dicit in 3. Æneidos Virgilius, quid non mortalia pectora cogis Auri sacra fames? Quidam obtulerunt ei oblationem lachrymarum, vt Adã, qui peccatum suum fleuit quatuor mille trecentis annis, sed non fuit placatus. Quidam oblationem pecuniarum, vt Dauid, qui obtulit Templo ædificando centies millia aurea auri, & toties millia argenti pondero. Quidam vitam propriam, qua nihil pretiosius. Iob. 1. *Pellem pro pelle, & cuncta quæ* *Iob. 2.*
habet homo dabit pro anima sua, vt Isaias, qui lignea serra secatus est. Quidam decimas, vt Melchisedech. Quidam immolationem animalium, vt Noe, qui Altare construxit. Quidam humilitatem, vt Abraham. Quidam columbas, & agnos, vt Iudæi. Sed tamen placare non potuerunt. Vnde Dauid dicebat ei: *Sacrificium, & oblationem noluisti.* *Psal. 1*
Et Isai. 1. *Holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, &* *Isai. 1.*
agnorum, & byrcorum nolui. Vnde hoc? quia vera oblatio non erat ei oblata. Sed hodie in Templum ingressa cum brachijs clausis, * in quo filius erat, dixit illud 1. Reg. 25. cap. *Suscipe oblationem hanc, quam ob-* *1. Re. 25.*
tulit ancilla tua. O Pater sancte, ò vere Deus. Ecce filius tuus, qui à Prophetis, qui à Patriarchis, qui ab Angelis, qui à Pastoribus, qui à Magis honoratus est. Ecce tuus filius, qui pro mundo deridebitur, colaphizabitur, occidetur. O I E S V nate, cæse, mortue. Parce ò Deus homini per tuum filium. Quod videns Deus, misericordia motus dixit: *Non permanebit spiritus meus,* *Genes. 6.*
id est, indignatio mea *in homine in æternum quia caro est,* id est, carnalis, & infirmus. Vnde benè Ecclesia: *Suscepimus Deus misericordiam tuam.* In illa hora, vt hodie quatuor inceperunt esse placabilia, quę dura fuerant. Primò Deus, qui dulcis effectus est. Secundò Angelus, qui totus iucundus est factus. Tertiò cœlum, quia antea durum, & clausum tandiu stetit, apertum est. Quartò mors, quæ mittebat homines ad limbum, nunc ad cœlum. *Suscepimus Deus misericordiam tuam.* Misericordiam filij tui, atque misericordiam tuæ matris. O I E S V.
De qua Augustinus. * Reuolue diligentiùs diuinæ historiæ seriem, & si quid increpatorium, si quid durum occurrerit in ea, de cœtero suspectam habeas, & accedere verearis. Applica figuram Esther, & Vasthi, concludens, quòd est mater misericordiæ, & non iustitiæ. Vnde patet secundum. Tertiũ principale dicitur, &c. In præsenti Euangelio quatuor difficultates sunt videndæ. Prima, quare Deus præcepit in lege, vt in Quadragesima die puer portaretur in Templum & in fœmina duplicabantur dies, scilicet, octoginta dies? Respondeo, quia mulier plus peccauit, quàm homo. Homo enim vnum peccatum commisit, quia pomum comedit contra diuinam iustitiam, ideò duplici pœna punitur masculus. Prima in vtero, quia quadraginta diebus stat in vtero materno sine anima, quamuis Phisici dicant quadra-

** brachio clauso.*

** Bernardus.*

ginta

ginta sex. Secunda extra vterum, quia priuatur diebus quadraginta ab ingressu Templi. Mulier duo peccata committit. Primum, quia superbiuit. Genes. 3. *Erimus sicut dij, scientes bonum, & malum.* Secundum, quia hominem conduxit ad peccatum sua persuasione, ideo punitur quadruplici pœna. Prima, quia eius corpus stat sine anima octoginta diebus. Secunda, quia totidem priuabatur ab ingressu Templi. Tertia, quia subiecta viro effecta est, quia superbiuit. Vnde ad Colos. 3. *Mulieres estote subditæ viris.* Aesculanus. Illa domus mihi displiçet, cuius gallina cãtat, gallo tacẽte. Quarta pœna, vt cum dolore pariat, Genes. 3. *In dolore paries filios.* Vnde patet prima. Quæstio secunda. Quare MARIA, & Ioseph obtulerunt in Templo par turturum, & duos pullos columbarum, & non agnum, vt erat præceptum? Respondeo, quia illa oblatio agni erat diuitum; MARIA erat paupercula, licèt nobilis, & Ioseph pauper. Matthæi 4. *Nũquid est filius fabri?* Sed dices, vbi erant thesauri Magorũ? Respondet Bernar. quòd pauperibus MARIA erogauit taliter, quòd hodie oblationem pauperum oportuit offerre. Quæstio tertia, quare potiùs voluit offerri turtures, & pullos columbarum, * quàm alia animalia? Respondet Thomas 3. part. quæst. 37. art. 1. ad 4. ratione suæ significationis, & proprietatis. Turtur tres habet proprietates, quæ Christo conueniunt. Prima, quia est auis casta. Secunda, est animal solitarium. Tertia auis loquax. Quoad primam signat puritatem Christi. Quoad secundam signat eius contemplationem. Christus solitarius aliquando nauem, hortum, montem elegit ad contemplandum. Quoad tertiam significat eius prædicationem. Columba vero est animal mansuetum, & simplex, & mansuetudinem ipsius Christi signat. Quare non par columbarum, sicut pulli quærunturˀ Respondet Thomas vbi supra, quia est auis libidinosa, quæ in sacrificio non debuit offerri. Quæstio quarta. Quare candelæ portantur in manibus? Respondeo ad ostendẽdum Virginis puritatem. Aliqui enim audientes Virginem purificatam, possent credere, ipsam indiguisse Purificatione. Igitur vt ostendatur, quòd tota fuit purissima, ordinauit Ecclesia, vt luminosos cereos portemus, ac si ipso facto Ecclesia dicat. O MARIA, non indiges purificatione, quia tota splendida es, & tota pulchra, sicut lumen huius candelæ, quam in manibus gestamus, de quo lumine Damianus: Aue fulgens margaritha, per quem venit mundo vita, Christus Sol iustitiæ.

Genes. 3.

Colos. 3.

Matt. 4.

* *Columbi.*

A *Inuocatio Matris Virginis MARIÆ simul, & filij eius.*

SAncta, & inter Sanctos post Deum singulariter Sancta MARIA Mater admirabilis Virginitatis, Virgo amabilis fœcunditatis, quæ filium Altissimi genuisti, quæ perdito humano generi Saluatorem peperisti. O Mater salutis. O Templum pietatis, & misericordiæ, tibi se conatur præsentare miserabilis anima mea, morbis vitiorum languida, vulneribus facinorum scissa, vlceribus flagitiorum putrida, tibi nititur, quantùm moribunda valet, supplicare, vt potentibus tuis meritis, & pijs tuis digneris precibus eam sanare. Sic etenim pia Domina, B alienata est à se immanitate stuporis, vt vix sensum habeat enormis languoris, sic sordibus, & fœtore fœdatur, vt timeat, ne ab ipsa misericors vultus tuus auertatur, sic tabescit desperando respectus tui conuersionem, vt etiam iam obmutescat adoratione. Heu pudor sordentis iniquitatis in præsentia nitentis sanctitatis! Heu confusio immundæ conscientiæ in conspecta fulgentis munditiæ! O ta benedicta super mulieres, quæ Angelos vincis puritate, Sanctos superas pietate. Anhelat moribundus spiritus meus ad tantæ benignitatis respectum, sed erubescit ad tanti nitoris conspectum. Horreo, Domina, parere tibi in immunditijs, & horroribus meis, nè tu horreas me pro eis, & non possum (væ mihi) videri sine eis. Eadem enim peccata mea. O Domina, cognosci à te cupiunt propter curationem, parere tibi fugiunt propter execrationem. Non sanantur sine confessione, nec producuntur sine confusione, si celantur, sunt insanabilia, si videntur, sunt detestabilia. Vrunt me dolore, terrent me timore. O tu illa piè potens, & potenter pia MARIA, de qua fons est ortus misericordiæ, ne contineas precor, tam veram misericordiam, vbi tam veram agnoscis miseriam. Sana ergo, clementissima, infirmitatem, & delebis, quæ te offendit, D fœditatem. Aufer, benignissima, languorem, & non senties, quem horres, fœtorem. Sana animam serui tui peccatoris per virtutem benedicti fructus ventris tui, qui sedet in dextera omnipotentis patris sui. Nunquid tu, Domina mea, Mater spei meæ, nunquid tu obliuisceris odio mei, quod mundo tam misericorditer est intimatum, tam feliciter diuulgatum, tam amanter amplexatum? Ille bonus filius hominis venit perditum sponte saluare, & Mater Dei poterit perditum clamantem non curare? Bonus ille filius hominis venit vocare ad pœnitentiam peccantem; & Mater Dei non contemnet precantem in pœnitentia. Sed etsi pariter ambo offensi estis, nonne & ambo clementes estis?

estis? Fugiat ergo reus iusti Dei ad piam Matrem misericordis Dei, refugiatque reus offensæ matris ad pium filium benignæ Matris. Ingerat se reus vtriusque inter vtrumque. Iniciat se inter pium filium, & piam Matrem. Pie Domine parce seruo Matris tuæ. Pia Domina parce seruo filij tui. Qui me injicio inter duas tam immẽsas pietates, non incidam inter duas tam potentes seueritates. Bone fili, bona mater, non sit mihi frustra, quòd confiteor de vobis hanc veritatem. Non erubescam, quòd spero in vobis hanc pietatem. Die mundi Iudex, cui parcis. Die mundi reconciliatrix, quem reconciliabis, si tu Domine damnas, & tu Domina auerteris homunculum bona vestra cũ amore, mala sua cum mœrore confitentem?

Ex gestis Anselmi colliguntur forma, & mors Beatæ MARIÆ, & eius vnici filij IESV.

MARIA Dei Genitrix didicit Hebraicas literas, adhuc patre eius Ioachim viuente. Erat docilis, amans doctrinam, & circa Sacram Scripturam perseuerabat. Opus verò manuum eius erat lanæ, lini, & serici. Erat itaque locus distinctus in domo Domini, scilicet in Templo prope læuam altaris. Ibi stabant Virgines solæ, & diuino officio peracto, ibant omnes ad propria. MARIA verò perseuerabat, & custodiebat Altare, & Templum, Sacerdotibus ministrãs. Mos suus erat modicæ loquelæ, expeditæ obedientiæ, mundæ proximationis, sine audacia, sine ritu, sine turbatione, sine ira, benignè salutans; eloquentiam eius homines mirabantur. Fuscos habebat oculos, rectos aspectus, nigra supercilia, mediocrem nasum, vultus eius longus, longæ manus, longi digiti, mediocris staturæ, perseuerans in orationibus, ferens pannum pr. prij co-

A loris, lectioni, ieiunijs, & labori manuum, & omni bonæ, virtuosæque operationi se dederat. Quæ cùm assumpta erat in cœlum, fuit septuaginta duorum annorum. Qui sic computati sunt; septem annis educata cum parentibus, & septem annos cum dimidio ministrabat in Templo Domini. In domo Ioseph sex menses. In quarto decimo anno annunciatur ei gaudium totius seculi, & in quinto decimo anno peperit Christum, & cum eo triginta tribus annis in præsenti vita; post ascensionem Domini fuit ipsa in domo Ioannis Euangelistæ viginti quatuor annos, qui simul cõputati sunt septuaginta duo anni: Sed filius eius vnigenitus erat
B homo magnæ virtutis, nominatus IESVS Christus, qui à gentibus dicebatur Propheta veritatis, quem eius Discipuli vocauerunt filium Dei. Suscitauit mortuos, & sanauit omnes languores, homo quidem procerus, mediocris, & spectabilis. Vultum habuit venerabilem, quem intuentes possent, & diligere, & formidare. Capillos habuit coloris nucis auellanæ præmaturæ, & planos fere vsque ad aures; ab auribus verò circinos crispos aliquantulum ceruliores, & fulgentiores, ab humeris vẽtilantes; discrimen habuit in medio iuxta morem Nazareorum, frontem planam, & sereniſsimam, cum facie sine ruga, & macula aliqua, quam ruber moderatus venustat, nasi, & oris nulla, prorsusque reprehensio. Barbam habuit copiosam, & impuberem, sed in medio bifurcatam. Aspectum habuit simplicem, & maturum, oculis glaucis varijs, & claris existentibus. In increpatione terribilis. In admonitione blandus, & amabilis, Hilaris seruata granitate. Qui nunquam visus est ridere, flere autem sæpe. In statura corporis propagatus; rectas manus habuit, & brachia visu delectabilia. In colloquio grauis, rectus, & modestus. Speciosus inter filios hominum.

NOTA, Lector, quòd licèt Sermones relati sub titulo Sancti Antonini sint typis mandati, verisimile tamen est, illos fœtus non esse huius eximij Doctoris; tum quia non redolent eius stylum; tum quia in ipsis passim citatur sub nomine Archiepiscopi. Et hoc precipuè constat in Sermone de Conceptione Virginis Immaculatæ MARIÆ. Fuit enim Sermo ille compilatus post Sixtum IV. Pontificem Maximũ, hoc est post annũ M.CCCC.LXXXIV. à quo publicatæ dicuntur indulgentiæ professo Conceptionis. Sanctus verò Antoninus obijt anno M.CCCC.LIX. Nec etiam potest esse P. Gabrielis Barrileta, Tum quia iste floruit secundùm Possevinum, & alios ad annum M.CCCC.LXXII. Tum quia in ipso Sermone de Conceptione apertè eius opinio confutatur.

Fuit ergo alicuius recentioris Docti. Sed non ita modesti.

(* * *)

F. ANTONIVS BROICKVVII.

NOTA.

Hic doctissimus, Paternatione Belga, dictus Bruchius, siue Broickvvij, quæ vox Latinè reddi potest Paludo pascuus; dictus etiam à Koningstein, Guardianus Noviomagensis, Seraphicæ Religionis decus, & honor, Theologus insignis, sacrique eloquij Preco celeberrimus, & in tractandis Scripturis absolutissimus scripsit plura; nam in primis collegit breue Monatesseron è quatuor Euangelistis, quod Cõcionatoribus memoriæ iuuandæ gratia valde conducit, Coloniæ semel, & iterum typis mandatum. Scripsit etiam sententias in Euangelia totius anni, quas Enchiridion Euãgeliorum aliqui vocant, in quibus quæ sequuntur, habet de festiuitatibus B. Virginis MARIÆ omnium Reginæ, cœlique Imperatricis Maximæ, quæ licèt breues, vtilissimæ sunt. Claruit seculo decimo quinto, & ex Musæi sui Noviomagensis latebris laterali dolore arreptus, ad meliorem migrauit vitam anno salutis humanæ M. D XLI. Agunt de ipso Franciscus Swabuertius Antuerpiensis in suis Athenis Belgicis, siue Nomenclatura Scriptorum inferioris Germaniæ. Henricus Vvbilotus in suis Athenis Orthodoxorum Sodalitij Franciscani, Antonius Possevinus in suo Apparatu, Gesnerus in sua Bibliotheca. Eiusdem mentio fit in Catalogo Bibliothecæ Operini.

IN FESTO PVRIFICATIONIS MARIÆ.

Luc. 2. POstquam impleti sunt dies purgationis, &c. Lucæ 2. Saluator noster dubios discipulorum suorum sua de Resurrectione animos certificare volens, ad scripturarum remisit de ipso loquentium considerationẽ, vtpote quæ nec fallunt, nec fallere possunt, cùm Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. Secundæ Petr. 1. dicens,

Petr. 1. *Luc. 24.* Lucæ 24. *Hæc sunt verba, quæ locutus sum vobis, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me.* Mysterium enim Incarnationis, passionis, sicut prædictum erat, impleuit. Vnde & Iudæos in Scripturarum direxit indaginem,

Ioann. 5. qua verius ipsum agnoscerent. Ioan. 5. *Scrutamini*, inquit, *Scripturas, in quibus putatis vos vitam æternam habere*, id est, veram

Ioann. 17 Dei cognitionem. Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti IESVM Christum.* Signanter autem dixit *putatis*, quasi dicat,

Malac. 3 minimè tamen habetis. Ideo *scrutamini*. Vnde per Malachiam clarè suæ oblationis tam in Templo, quàm crucis in patibulo prædixit Malachiæ 3.

A *Ecce ego mittam Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, & statim veniet ad Templum sanctum suum dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti quem vos vultis.* Hic Angelus Saluatore interprete sanctus est Ioannes. Matth. 11. *Hic est, de quo scriptum est. Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Angelicam si quidem in terris duxit vitam. Vnde Ibidem *Venit Ioannes, neque manducans, neque bibens*, scilicet panem, neque vinum, dicitur Lucæ 7. *Esca enim eius erat locusta, & mel* *Luc. 7.* *syluestre*, Matth. 3. Haud dubium, quin aqua *Matt. 3.* potus idoneus, nuncius, & Præcursor Chri-

B sti viam præparauit prædicatione. Ioan. 1. *Ioann. 1.* *Ego vox clamantis in deserto, parate viam Domino, rectas facite semitas eius.* Matth. 3. *Matth. 3.* *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim Regnum cœlorum.* Item baptizatione, Ioan. *Ioann. 1.* 1. *Sed vt manifestetur in Israel, propterea ego veni in aqua baptizans* Act. 19. ait Paulus *Ioannes baptizauit baptismo pœnitentiæ populum, dicens, in eum qui venturus est* *Act. 19.* *crederent, hoc est, in IESVM. Et statim veniet*, quia ibi oblatus est hodie à matre, &

Ex Epist.

Matt. 11.

Ibidem.

plu-

pluries ibi prædicauit. *Dominator*, id est, Saluator omnium, & creator. Angelus magni consilij, & noui testamenti nuncius, quẽ vos quæritis, vt iustè iudicet, & personã hominis non accipiat. *Ecce venit*, ideſt certudinaliter veniet, *dicit dominus exercituum.* Et quis poterit cogitare diem aduẽtus eius? *Actor.* 1. Actor. 1. Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ pater in sua posuit potestate, & *quis stabit ad videndum eum*? *Iob* 26. Iob 26. Quum vix paruam scintillam sermonem eius audierimus, quis poterit tonitruũ magnitudinis eius intueri? Sicut enim primus in humilitate, ita secundus erit aduentus in maiestate. *Matt.* 25 Matth. 25. Cùm veneris filius hominis in maiestate sua, &c. *Ipse enim quasi ignis conflans*, peccata grauia grauiùs *Eccles.* 2. puniendo. Eccles. 2. In igne probatur aurum, & argentum, homines verò receptibiles in camino humiliationis, & *quasi herba Isai.* 4. *fullonum*, leuiùs leuia puniendo. Isai. 4. Si abluerit Dominus sordes filiorum Israel in spiritu iudicij, & sanguinem in spiritu ardoris. *Deut.* 4. Deuter. 4. *Deus tuus ignis consumens est*, (& *sedebit*,) in quo notatur diligentia (*conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui*,) id est, Apostolos, & eorum successores igne passionis, *vt iudi-* 1. *Petr.* 4 *cium incipiat à domo Dei.* 1. Petr. 4. vel *Ioann.* 15 igne Spiritus sancti. Ioan. 15. *Iam vos mundi estis propter sermonẽ, quem locutus sum vobis, & conflabit eos quasi aurum, & quasi argentum*, ad perfectam munditiam deducendo, vt nouum induant hominem, & *erunt* si colati, & mundati, *Domino offerentes sacrificia in iustitia.* Eucharistiam per varia legis sacrificia figuratam, sicut perfectum per plura imperfecta, & placebit Domino sacrificium Iuda, & Ierusalem, id est, fidelium confitentium, & videntium Deum per fidem, quia acceptissimum, sicut dies seculi, & sicut anni antiqui, id est, sicut [illegible], vel sacrificia illorum, qui fuerunt in diebus antiquis. Vnde in Canone dicitur. Sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & sacrificiũ nostri Abrahę. Istud tamẽ sicut, non designat æqualitatem, sed correspondentiam rei figuratæ ad figuram. Sicut enim figuratum excellit figuram, sic sacrificium nouæ legis veteris sacrificia. Cùm Propheta secundùm litteram, (Saluatore adsti- *Natt.* 11. pulante, Matthæi 11.) de aduentu loquatur Christi in carnem, nullumque nobis sit sacrificium, nisi corporis, & sanguinis in Ecclesia, claret Spiritu sancto per Prophetam testante, missam sacrificium (in qua offertur Eucharistia) esse, & dici iure.

Euangelista Lucas, post circuncisionem Saluatoris, legis ordine, purificationis (prætermissa Magorum, quam Matth. 2. ponit, *Matth.* 2 aduentu, & adoratione) MARIÆ ponit ordinem, quæ quadragesimo post partum die fiebat, dicens: *Postquam impleti sunt, &c.* Primum: Deuota mandati obseruatio. In Principio. Secundum: Exacta iusti commendatio, ibi: *Et ecce homo.* Tertium: Fausta Dei magnificatio, ibi: *Et cùm inducerent.* *Psa.* 218 Quãtum ad primum, Spiritu sancto inflatus, Psalmist. ait: In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitijs. Et meritò, cũ veræ diuitiæ sint virtutes, & ad perpetuas deducant diuitias. Ideo Prouerbiorum vicesimo primo: Gaudium *Prou.* 3 est iusto facere iustitiam. Iusti enim in perpetuum viuent, & apud Dominum merces eorum, & cogitatio illorum apud altissimum. Sapientiæ quinto: Vnde patres veteris testamenti magna cum deuotione legem *Sap.* 5. à Deo per Moysen datam obseruabant, expectantes Christi aduentum, quo iustificari, & saluari credebant, sed non per legem, quæ nihil ad perfectum adduxit. Hebreorum 7. *Hebr.* 7. Finis autem legis Christus ad iustitiam omni credenti. Romanorum 10. Nam factus est *Rom.* 10. nobis à Deo Patre sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio, 1. Corinth. 1. *1. Cor.* 1. Vnde sacrificia legis accepta non erant, nisi in fide offerentium inquantum, & figurabãt Christum verum, & perfectum sacrificium. Vnde Hebræorum 10. Impossibile est san- *Hebr.* 10. guine taurorum, & hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum dicit, hostiam de animatis, & oblationem de inanimatis noluisti, corpus autem aptasti mihi. Holocaustomata, & pro peccato, id est, sacrificium quod totum incendebatur, & hostia pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi, ecce venio per incarnationem. In capite libri scriptum est de me, Psalmorum, vel prædestinationis, vt faciam, Deus, voluntatem tuam. In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis IESV Christi semel. Hunc ergo eundem Virgo Beatissima, hodie partum immaculatis, & manibus, & affectibus obtulit. Nunquam talis patri oblatio facta est, & tanta. Sed quanta credis animi deuotione, & spiritus iucunditate? quis enim tanta fide, quanta Virgo gloriosa? cuius & credulitatem Elisabeth beatificat, Lucæ 1. *Lucæ.* 1. Ipsam autem oblationem Domino placuisse pater testatus est, filium hunc suum dilectũ, in quo sibi complacuit, affirmans Matth. 5. *Matth.* 5. & 17. Ponit autem Lucas duo, quæ lege notantur. Primum, matrem concernens. *& 17.*

Postquàm implett sunt dies purgationis MARIÆ secundùm legem Moysi, secundùm legem, Leuit. 12. post natiuitatem in- *Leuit.* 12. fantis, mulier immunda erat quadraginta diebus. Omne, inquit, sanctum non tanget, nec ingredietur sanctuarium, donec impleantur dies purificationis suæ. Sed hæc lex ipsã non tangebat. Beda: Cum lex dicat, quòd mu-

mulier, quæ suscepto semine pepererit, immunda sit, & per longa tempora simul cum prole, quam genuisset, oblatis victimis deberet mundari. Patet profectò, quia illam quæ sine virilis susceptione seminis Virgo peperit, vnà cum filio, qui natus est ei, neque immundam describebat, neque per hostias salutares docebat esse mundandam. Ipsa autem Spiritus sancti operatione concepit, & peperit, partuque suo non immunda, sed mundissima facta, & sanctificata est. Sanctificauit enim tabernaculum suum altissimus, nedum figurale, sed virginale, in quo & nouem requieuit mensibus, de quo tanquam sponsus de thalamo egressus est, & sicut radius de lucidissima Solis camera filius, vnde & omnem contraxit decorem. Figurata fuit per portam, quæ clausa principi erat. Ezechielis 44. Porta hæc clausa erit, ait Dominus, & non aperietur, quoniam Dominus Deus ingressus est per eam, eritque clausa Principi. Licèt ergo secùdũ hoc legi non esset subiecta, voluit tamẽ purificationis legẽ obseruare. Primò, ex humilitate. Vera enim humilitas nõ vult humilis prædicari, sed vilis reputari, vt dicit Bern. Beda: Sicut Dominus noster, & Saluator, qui diuinitate legem dedit, apparens in homine, fieri voluit sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus. Galat. 4. Ita etiam Beata Virgo genitrix illius, quæ singulari priuilegio supra legem fuit, pro ostendendo humilitatis exemplo legalibus non refugit subdi institutis, iuxta illud Eccles. 3. Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. Secundò, ad scandalum vitãdum. Necdum enim notum erat Spiritus sancti operatione concepisse. Vnde scandalizati fuissent Iudæi, videntes eam non purificari, & sic filium quasi sine lege repudiassent, qui tamen ait: Non veni soluere legem, sed adimplere. Matth. 5. Matthæi 5. Secundum concernit prolem, de quo duo ponuntur. Primum, quòd in Templo debebat præsentari, secundum, quia oblatio fieri. Vnde Leuit. 12. Cùmque expleti fuerint dies purificationis suæ, pro filio siue pro filia, deferat agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbæ, siue turturem pro peccato ad ostium tabernaculi testimonij, & tradet Sacerdoti, qui offeret illa coram Domino, & rogabit pro ea, & sic mundabitur, &c. Quòd si non inuenerit manus eius, nec potuerit offerre, sumet duos turtures, vel duos pullos columbarum, vnum in holocaustum, & alterum pro peccato, orabitque pro ea sacerdos, & sic mundabitur. Hæc ibi: Si autem fuerunt primogeniti, tunc supra prædicta, si de tribu Leui, reportabantur domum, & in adulta ætate redibant Domino seruientes, nec redimi poterant.

Ezec. 44.

Galat. 4.

Eccles. 3.

Matt. 5.

A Alij primogeniti redimebantur quinque siclis templi. Vnde sequitur: *Tulerunt eum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino*, quia non erat ei licitum sacrificare, nisi in loco, quem elegerat Dominus, Deuter. 12. *sicut scriptum est in lege Domini, quia omne masculinum adaperiens vuluam, Sanctum Domino vocabitur*, id est, sanctificabitur, & præsentabitur. Beda: Consueto modo loquitur Scriptura, non quòd Dominus vterum Virginis ingrediens, & egrediens deuirginasset. Exod. 13. Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vuluam in filijs Israel, tam de hominibus, quam de iumentis, mea enim sunt omnia. Vnde primogenita animalium sacerdotum erant. Immundorum animalium mutabantur in aliud, vel occidebantur. Primogenita Leuitarum Domino erant in perpetuum, quia post adultam ætatem in Templo seruiebant. Alij deferebantur ad Templum, & redimebantur quinque siclis. Exod. 34. *Et vt darent hostiam secundùm quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.* Hæc oblatio pauperum erat, vt patet Leuit. 12. Nam ipse agnus erat pro omnium salute immolandus, & figuralem impleturus, consummaturusque oblationem. Vtrum autem horum obtulerit, Euangelista non ponit, sed verba tantùm legis recensset, Leuit. 12. Beda: Dominus noster per omnia memor salutis, non solùm homo fieri, cùm Deus esset, sed etiam cùm diues esset pauper fieri dignatus est pro nobis, vt nos sua paupertate, & humanitate diuitiarum, & diuinitatis suæ donaret esse participes. Mystice autem designat fidelium gratissimam Deo per has aues oblationem. Columba simplicitatem, turtur castitatem designat: quia & simplicitatis columba, & castitatis amatrix est turtur, ita vt si coniugem casu perdat, non alium quærere curet. Vnde in laudibus Ecclesiæ loquitur Dominus, Cantic. 1. Pulchræ sunt genæ tuæ, vt turturis. (Et infrà:) Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra, oculi tui columbarum. Genas quippe turturis habet, qui ab omni impudicitiæ peste castum se custodit, & immunem. Oculos habet columbarum, qui nulli nocere desiderans, etiam inimicos simplici amore intuetur. Et quia vtraque auis gemitum pro cantu edere solet, sanctorum in hoc seculo designat ploratum, de quo Dominus Ioan. 16. Amen amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos, & Matthæi 5. Beati, qui lugent. Meritò ergo turtur, & columba Domino offeruntur in hostiam, quia nimirum simplex, & pudica fidelium conuersatio gratum est illi sacrificium iustitiæ, quia qui laborat in gemitu suo; qui lachrymis stratum suum per singulas noctes

Deut. 12

Exod. 13

Exod. 34

Leuit. 12

Leuit. 12

Cant. 1.

Ioann. 16

Matt. 5.

ab-

abluit, acceptissimam prorsus Deo victimam mactat.

Psal. 49. Quantum ad secundum dicit Psal. 49. Peccatori autẽ dicit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Beda: Non solùm Angeli, sed omnis ætas, & sexus testimonium nato reddunt puero, & sicut ab omnium seculorum fidelibus præsagiebatur, ita veniens omnium sanctorum laudibus prædicatur. Vnde & Simeon inducitur. Vnde *Lucæ 2.* Lucæ 2. *Ecce homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon.* Vnde à tribus commendatur. Primò, quia bene ordinatus erga Deum, *& homo iste iustus*, per operationem boni Sapien. 10. Iustum deduxit Dominus per vias rectas. *Et timoratus*, & sic commendatur ab altera parte iustitiæ, quæ *Prou. 15.* est declinare à malo. Prouerbiorum decimoquinto: Per timorem Domini declinat omnis à malo. Beda: Difficilè iustitia sine timore custoditur, non seruili, sed filiali: quia iustus quantò plus diligit Deum, *Eccles. 1.* tantò solertiùs offendere cauet. Eccles. 1. 1. Qui sine timore est, non poterit iustificari. Secundò, fuit benè ordinatus erga proximum: *Expectans consolationem Israel.* Quæ erat aduentus Messiæ, desiderium Prophetarum, & Sanctorum omnium. *Isai. 45.* Isai. 45. Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem 64. Vtinam disrumperes cœlum, & descenderes. Meritò ergo iustus, qui non suam, sed populi expectabat consolationem. Tertiò, quia benè ordinatus ad seipsum. *Et Spiritus Sanctus erat in eo.* Non autem fuisset iustus, & timoratus, nisi Spiritus Sanctus fuisset in eo. Deus autem superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. *Iacob. 4.* Iacobi quarto: Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum. In maleuolam quoque animam non introibit sapientia, neque habitabit in corpore subdito peccatis, Sap. 1. ergo, &c. *Et responsum acceperat à Spiritu Sancto, non visurum se mortẽ, nisi priùs videret Christum Domini.* Christus Græcè, vnctus Latinè, Messias Hebraicè. Beda: Quomodo videtur, quibusve oculis quod cuiuslibet oculos claudit, ideſt, mors? Respon. Oculis cordis, per intelligentiam; carnis, per experientiam. Vnde videre mortem, est experiri Christum in lege, & prophetis promissum. Non autem dicitur responsum, nisi respectu petitionis. Vnde intelligitur frequenter clamasse ad Dominum, vt mitteret redemptorem plebis suæ. *Et venit in Spiritu* Sancto reuelante, *in templum.* Beda: Eadem gratia qua venturum prænouerat, venientem cognouit. *Isai. 46.* Isai. 46. Occurristi lætanti, & facienti iustitiam. Veniunt

A quidam in templum in spiritu superbiæ: vt ambitiosi, dignitates, & honores cupiẽtes. Alij in spiritu auaritiæ: vt Simoniaci. Alij inanis gloriæ, & simulationis: vt hypocritę. Alij vanitatis, sicut fabulatores, &c. Sed tales nec Christum vident, nec fidei brachijs amplexantur. Simeon autem venit in spiritu humilitatis, & sanctitatis: vt aduenientem Christum videret, & susciperet.

Quoad tertiũ, ait Psal. Magnificate Do- *Psal. 33.*
minũ mecũ, & exaltem⁹ nomẽ eius in id ipsum: Benedic anima mea Dominũ, & noli obliuisci omnes retributiones eius, & quę sint subdit: Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas: Hæc cõsiderãs S. Simeõ desiderat
B videre Christũ Domini, per quẽ sanari, & saluari sciebat genus humanũ. Cũ ergo Spiritu Sancto cognouisset adesse, venit in tẽplũ: *Et cũ inducerent puerũ IESVM parẽtes eius.* Mater vera MARIA, sed pater putatiuus Ioseph. Luc. 2. vt putabatur filius *Lucæ 2.*
Ioseph. *Vt facerent secundũ consuetudinẽ legis pro eo*, scilicet, ipsum Domino præsentãdo, sacrificiũ offerẽdo: & quia primogenitus erat, ipsum quinq; siclis redimendo. Notãter Euãgelista dicit vtrobiq; secundũ consuetudinẽ legis, quia secundũ veritatẽ nec matrẽ (quæ sine virili cõmixtione genuit) nec filiũ, qui matris virginale signaculũ non aperuit, tãgebat: *Et ipse accepit eũ*
C *in vlnas suas.* O quã fœlix senex, qui tantã meruit consolationẽ, quã Prophetæ, & Patriarchæ tãto expectarũt desiderio! Si Ioãnis in vtero matris, Spiritu Sancto operante, ad prẽsentiã Saluatoris exultauit: quanta dulcedine hic sanctus repletus est, quem tãto desiderio expetierat pectori suo stringens? Vnde sequitur: *Et benè dixit Deum, & dixit*, gratias agens, cernẽdo impletum quod olim fuerat promissum. *Nunc dimittis seruum tuũ Domine secundùm verbum tuum in pace*, quasi dicat, hactenus dilatus est dies dormitionis serui tui, at modò Domine finis me seruũ tuũ (impleto iam desi-
D derio) adire in pace. Verè in pace. Nam ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum (scilicet ex Gentibus, & Iudæis.) Ephes. *Ephes. 2.*
2. Pacificans per sanguinem crucis, siue quæ in cœlis, siue quæ in terris sunt, Colos. 1. Amodo ergo in pace moriar, & *Coloss. 1.*
tranquillitate: *Quia viderunt oculi mei saluatare tuum.* Prouerb. 13. Spes quæ dif- *Prou. 13.*
fertur, affligit animam, lignum vitæ desiderium veniens. Sciebat, quia beati oculi, *Lucæ 10.*
qui visuri essent Christum. Lucæ 10. Ideo noluit dissolui morte, nisi priùs videret, quem cùm vidit mox optauit in pace dimitti. Oculi carnis hominem, mentis Deum viderunt, & cognouerunt, quia per ipsum nobis pax, & in ipso. Ioann. 16. *Ioan. 16.*

In mundo pressuram, in me pacem habebitis. Ipse & salus. Matth. 1. Ipse saluum
Lucæ 9. faciet populum suum à peccatis eorum. Non enim venit filius hominis animas perdere, sed saluare. Lucæ 9. Quid nos miseri dicimus, qui mori, ianua regni tam aperta, timemus? claret quia non seruti Dei, sed
Phil. 2. vel carnis, vel mundi, &c. Qui non dimittuntur in pace, quemadmodum boni cu-
Lucæ 12. pientes dissolui, & esse cum Christo, Philip. 2 sed rapiuntur inuiti. Lucæ 12. Stulte hac nocte rapient animam tuam, & quæ parasti cuius erunt? *Quod* (scilicet salutare) *parasti ante faciem omnium populorum.* In primo aduentu paratus est omnibus, vt crederent, & diligerent, & sanentur, in secundo parabitur, vt videant, & rationem reddant. Pro salute ergo omnium gentium paratum est istud salutare,
Isai. 59 & ante faciem, quia in promptu est omni-
Psal. 97. bus se præsentans Isaiæ 59. Videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. Psalm. 97. Notum fecit Dominus salutare suum. In conspectu gentium reuelauit iustitiam suam. Omnes enim gentes, quæ saluandæ
Actor. 4. sunt, per ipsum saluantur. Non enim est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri, Actor. 4. *Lumen ad reuelationem gentium*, differenter hoc salutare paratum est, nam gentibus nulla spe Dominici aduentus erectis, sed oculis cæcis idola pro Deo colentibus, ad reuelationem, quia in tenebris erant ad nullam veritatis lucem aspirantes. Quod autem in tenebris est, manet occultum, & ne se quidem cognoscit, cùm verò adest lu-
Isai. 9. men, reuelatur, manifestaturque, & se & alia videre potest. At hoc lumine sic reuelatæ sunt gentes (Isaiæ nono. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem (magnam) vt & Deum, & se agnoscerent. Nam
Roman. 9 cùm per ea quæ facta sunt Deum intellexissent, non tamen sicut Deum glorificauerunt, qua propter obscuratum est insipiens cor eorum. Romanorum primo. Quare in-
Ioan. 1. digebant lumine, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ioannis primo: Iudæis autem paratum est in gloriam, vt ipso glorientur excipientes
Ioan. 4. promissum, & desideratum. Magna enim ipsis gloria, quia salus ex Iudæis. Ioannis quarto. Verius tamen ipse gloria omnium est electorum Dei per fidem videntium, Ambrosius: Qui vult in pace dimitti, veniat in Ierusalem, conuersationem habens cœlestem. Veniat in templum. Imitetur exempla eorum in quibus Deus habitat, Expectet Dominum. Accipiat in manibus Verbum Dei, brachijs fidei, spei, ac charitatis amplexans, tunc dimittetur, vt non videat mortem, quia viderat vitam.

A *Annunciationis.*

MIssus est Angelus Gabriel à Deo in, &c. Lucæ 1. Saluator noster per in- *Lucæ 1.*
carnationis mysterium genus redemptu-
rus humanum, quo carius, & vtilius nihil, plurimis id quò amabiliùs, fideliùsque susciperetur, susceptumque teneretur, & ver-
bis præ nunciauit, & figuris, vnde Isaiæ 1. *Isai. 1.*

Locutus est Dominus, per Isaiam, *ad Achaz: dicens: Pete tibi signum*, liberatio-
nis tuæ, & populi de potestate duorum regum Syriæ, scilicet, & Samariæ, quæ figura fuit liberationis per Christum fiendæ,
cuius hic dat signum, *à Domino Deo tuo*, non idolis tuis, *in profundum inferni, siue*
B *in excelsum supra*, quemadmodum Moses in Exodo habuit, vel Iosue stationem solis, pugnans contra Gabaonitas. *Et dixit Achaz*, simulato corde: *Non petam, & non tentabo Dominum*, hoc pro dolo-
si cordis sui accepit velamine, nam hoc fecit, ne Deus tali signo glorificaretur, cùm esset idolatra pessimus, & idola sua per hoc vilipenderentur. Vnde in alia translatione habetur: & non exaltabo Dominum. *Et dixit*, scilicet Isaias. *Audite ergo domus Dauid*, quia Rex audire non vult: *Nunquid parum est vobis molestos esse hominibus?* Prophetis, quorum dicta, & facta
contemnitis, & impugnatis, deridendo, af-
C fligendo, &c. Et occidendo, *quia molesti estis & Deo meo*, iubenti contradicendo, & signum ab eo oblatum ob eius honorem renuendo, *propter hoc*, quia vestra malitia
ei onerosi estis inuidentes eius signis, & gloriæ, *dabit Dominus ipse vobis signum*, ex sua bonitate, qua solem suum oriri facit
super bonos, & malos, & pluit super ingra-
tos, & gratos, Matt. 5. Non meritis vestris *Matt. 5.*
signum inauditum, & nouum, salutis, & liberationis. *Ecce Virgo concipiet, & pariet*, Virgo permanens, *filium, & vocabitur nomen Emanuel*, id est, nobiscum Deus, vbi Christi insinuat diuinitatem. *Butyrum, & mel comedet*, ad probandum veram huma-
D nitatem *Vt sciat reprobare malum, & eligere bonum*, id est, superbos Pharisæos, & Scribas, humiles assumens peccatores. Christi infantia non minuit eius sapientiam, non enim plus fuit sapiens adultus quàm paruulus, sed plus ostendit sapientiam suam adultus, quàm paruulus. Hanc propheticam promissionem. Matth. 1. in *Matth. 1*
Christo completam affirmat.

Cùm Angelus peracta legatione de Ioannis cõceptione gaudium non modicũ suis in cœlo feciſſet, ad complementum gaudiorum missus est nunciare filij Dei conceptio-
nem, per quem restauranda erant, & quæ in *Colos. 1.*
cœlis, & quæ in terris erant, Col. 1. In mense, scilicet, sexto cõceptionis præcursoris.

In

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel.

Exordium nostræ redemptionis Lectio Euangelij, (commemorans Angelum de cœlis à Deo missum) insinuat ad Virginem, qui nouam in carne natiuitatem filij Dei prædicaret, per quam nos abiecta vetustate noxia, renouari, atque inter filios Dei computari possimus. Primum, Gratia Angeli legatio. In principio. Secundum, Honesta legati ruminatio, ibi: *Et ait Angelus ei.* Tertium, Interna responsi moderatio, ibi: *Dixit autem MARIA.*

Quoad primum, Psalm. 44. fidelem admonet animam ad considerationem tanti beneficij, dicens: *Audi filia*, (id est anima fidelis,) & vide (intellectu cordis) & inclina aurem tuam (humiliter obsequendo,) & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, id est, Gentilitatem, vel Iudaismum, & vitia, quorum diabolus pater. Et concupiscet Rex decorem tuum, quem ipse fecit, quoniam ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum. Quis autem sic, vt Beata Virgo diuinis se inclinauit mandatis? Vnde & præ cæteris mundi creaturis electa: Nam quia mors intrauit per fœminam, aptè redit, & vita per fœminam. Illa à diabolo seducta per serpentem, viro gustum necis obtulit: hæc à Deo edocta per Angelum, mundo salutis authorem edidit. Vnde in mente sexto.

Missus est Angelus. Ad Euam primam mulierem venit Diabolus, non missus: ideo ad secundam noua iniungitur legatio Archangelo, vt secundùm Chrisostomum, nuntiet Regis secretum, quod quidem fide cognoscitur, sed non requiritur discussione: *Gabriel à Deo*, qui fortitudo Dei dicitur, quia nascituro in carne Domino testimonium perhibet, de quo Propheta: *Dominus fortis, & potens, Dominus potēs in prælio*: illo nimirum prælio, quo potestates aereas debellare, & ab earum tyrannide mundum veniebat eripere, alligando fortem, Lucæ 11. & illi eum nuntiat, quæ caput serpentis fortitudine sua contritura erat, Genesis 3. de qua Prouerb. 13. *Mulierem fortem, quis inueniet?* Missus est autem à Deo, cui competit mittere eos, quos condidit Psalm. 102 *qui facit Angelos suos spiritus in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth*, quæ sita est in Galilæa, in sorte Zabulon, vicina tribu Neptalim, de quibus præcessit oraculum, Isai. 9. *Primo tempore alleuiata est terra Zabulon, & terra Neptalim &c.* Matth. 4. *Ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph*, Virginem, scilicet mente & corpore, & professione, non casu inuentam, sed ab æterno præordinatam, & desponsatam.

Beda: Oportebat MARIAM habere virum, qui testis eius esset integritatis certissimus, & nati ex ea Domini, ac Saluatoris nostri esset nutritius fidelissimus, quique, & pro eo paruulo secundùm legem hostias ad Templum deferret, & eum instãte persequutionis articulo, in Ægyptum cum matre deferret, ac referret, aliaquè illi per plura, quæ assumptæ humanitatis fragilitas poscebat, necessaria ministraret, & contra legis transgressionem testimonium ferret. Hęc ille. *De domo Dauid*, quæ erat regalis, non solùm Ioseph, sed & MARIA fuit de domo Dauid. 2. Timot. 2. *Tim. 3.* Memor esto Dominum Iesum Christum surrexisse à mortuis, ex semine Dauid secundùm Euangelium meum. *Et nomen Virginis MARIA.* Solet quæri de sponsæ origine, & nomine eius MARIA, *Et ingressus Angelus ad eam*, in quo eius ostenditur pudicitia, quia non foris vagantem inuenit: sed solam (vt dicit Ambros) in penetralibus, quã nemo virorum videret, solus Angelus reperit solã sine comite, solã sine teste, ne quo de genere deprauaretur affatu, ab Angelo salutatur, dixit: *Aue gratia plena.* Curialiter antequã legationem expleat, salutauit, in qua salutatione laudabiles ipsius ponit cõditiones, dicens: Aue, id est, sine væ, (rem, & nomen primæ mulieris mutans) maledictionis, sed contra, gratia plena, quæ sola gratiam, quam nulla alia meruerat, consequuta est, vt gratiæ repleretur authore: vnde sequitur, *Dominus tecum*, non sicut cum omnibus creaturis, seu etiam sanctis, sed excellentissimo quodam modo. Nam verè Dominus eum illa erat, quam & priùs noua castitatis amore, a terrenis ad cœlestia desideranda sustulit, & postmodũ mediante humana natura, omni plenitudine diuinitatis consecrauit, *benedicta tu in mulieribus*. Mulier quæ peccatum intulit mundo, quid aliud audiuit, quàm maledictionis verbum? Multiplicabo, inquit, ærũnas tuas, &c. Genes. 3. Quid ergo, quæ paritura erat mundo gaudium & salutem, audire debuit, nisi benedictionis verbum? Sicut illa fuit vniuersalis mali initium ex se ipsa facta, seipsa inferior afflatu maligni in hoc maledicta, plus quàm cæteræ mulieres, sic ista fuit non ex se, sed supra se, & Dei dona inter mulieres totius boni, totiúsque gratiæ initium, & in hoc benedicta plùs quàm cæteræ mulieres. Christus autẽ simpliciter, & absolutè totius boni initium vt & Adam potiùs nobis initium mali quàm Eua fuisse creditur. Verè ergo benedicta tu in mulieribus, quæ sine exemplo muliebris conditionis, cũ decore virgi-

Luc. 11. *Genes. 3.* *Prou. 13.* *Psal. 102* *Isai. 9.* *Matt. 4.* *Psal. 44.* *Genes. 3.*

nitatis gauisa est honore parentis, quodque Virginem Matrem decebat, Deum filium procreauit.

Psal. 84. Quoad secundùm, Psalmista in persona fidelis animæ dicit: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, non quid homines foris tumultuentur, quoniam loquetur pacem in plebem suam, & super sanctos suos, & in eos qui conuertuntur ad cor, & quæ sit illa, & vnde pax, subdit: Veruntamen prope timentes eum salutare ipsius, vt inhabitet gloria in terra nostra, id est, Christus corporaliter, qui est gloria patris. Hanc pacem, hoc salutare Angelus nunciare venit Virgini, quæ auditis toc suis præconijs, tam immodica sui commendatione, cogitabat quidnam prætenderet hæc tam rara, tam sublimis, tam insolita, & nusquam antea comperta, vel lecta salutatio. *Quæ cùm audisset* nouæ salutationis formulam, *turbata est in sermone eius.* Ambr. Trepidare virginum est, & ad omnes viri ingressus pauere, omnes viri affatus vereri. Discite mulieres propositum pudoris imitari. *Et cogitabat qualis esset ista salutatio.* Sanctæ mentes quantò magis laudibus gratuitis extolluntur, tantò amplius timent, vnde dicit in sermone eius, cogitans qualis esset, cui similem non legerat, vel audierat: Considera Virginis grauitatem, quia non fuit prompta respondere, sed tacuit: considera prudentiam, quia cogitabat, pudicitiam: quia vt dicit Ambros. quamuis esset Virgo curialis, & humilis, præ verecundia non resalutauit Angelum salutantem, nec vllum tulit responsum à Virgine. Discant cæteræ Virgines verborum vitare lasciuiam. Sed Angelus mentem eius sedauit, aperiens qualis, & gratia cuius esset ista salutatio. *Et ait Angelus ei: Ne timeas MARIA*, familiariter vocat ex nomine, proprium enim est honorum spirituum turbatos eò solari: quia licèt in primo eorum aspectu timeat humana fragilitas, consequenter tamen timorem expellunt. *Inuenisti enim gratiam apud Deum*, vt meritò plena gratia dicaris. *Ecce concipies, & paries filium, & vocabis nomen eius IESVM*, id est, salutem, Saluatorem, salutare. Rationem addit. *Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur*, naturalis, scilicet. Nemo ita intelligendum putet, quòd ante partum Virginis magnus non fuerit: sed quia potentiam quam Dei filius naturaliter habet, homo accepturus erat ex tempore. Nihil enim maius quàm esse filium omnipotentis Dei, non per adoptionis gratiam, sicut nos: sed per naturam, vt vna in duabus naturis persona esset mediatoris, & Redemptoris nostri. *Et dabit illi Dominus Deus sedem patris eius.* Sed quòd hoc non foret humanũ, temporale, & caducum regnum in fastu hominum collocatum, sed diuinum, æternũ, & verè glorioſum, ostendit, dicens: *Et regnabit in domo Iacob in æternum.* Domus Iacob, domus fidelium, & omnium qui in spiritu renouati, carnem, carnisque opera, pariter, & concupiscentias eius supplantarunt. Dedit domum Redemptori nostro sedẽ Dauid patris eius, quãdo hunc de genere Dauid incarnari dil posuit, vt populũ quẽ Dauid tẽporali rexit imperio, ipse gratia spirituali ad æternũ prouehęret regnũ, de quo Apostolus Col. 1. Qui eripuit nos de potestate tenebrarũ, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ. Vnde in die Palmarum Spiritu Sancto inspirati clamabãt: Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel. Ioan. 12. Et benedictũ quòd venit Patris nostri Regnũ. Marc. 11. Regnat in præsenti vita, cùm electorũ corda per fidẽ, & dilectionẽ suã inhabitãs, regit, atq; ad percipiẽda supernę retributionis dona, cõtinua protectione gubernat, regnabit in futuro, cũeosdẽ finito statu tẽporalis exilij, ad habitationẽ patriæ cœlestis introducit, in qua præsenti eius visione semper adiuncti, nihil aliud agere, quã eius vacare laudibus gaudent, de quo dicit, *& regni eius nõ erit finis.* Dan. 7. Potestas eius potestas æterna, & regnũ eius quod nõ corrũpetur. His auditis, sciens impleri oportere quod audiuit ab Angelo, & prius à Propheta dictum legerat quo ordine idimpleri debeat (cùm perpetuũ castitatis haberet propositum) interrogat. *Dixit autẽ MARIA ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Mira Virginis pudicitia, quæ audiens se non solũ concepturam, sed & parituram altissimum cuius regni non esset finis, de virginitatis inquirit proposito. Ambr. Videtur hìc nõ credidisse MARIA, nisi diligenter aduertas, neq; enim fas est, vt electa ad generandũ filiũ Dei vnigenitũ, fuisse credatur incredula. Vnde nõ dixit ei sicut Zacharias: vnde hoc sciã? sed quomodo fiet, nõ de effectu sicut ille dubitans, sed qualitatem ipsius effectus quærens. Non enim dubitat faciendum, quod quomodo fieri posit, inquirit. Legerat Virgo illud Isai. 7. Ecce Virgo concipiet, quod credidit futurum, sed quomodo fieret non legerat. Non enim quemadmodum fieret, vel Propheta fuerat reuelatum, vnde & audire meruit: Beata quæ credidisti. Lucæ 1. *Et respondens Angelus, dixit ei*, modum insinuans, *Spiritus Sanctus superueniet in te*, cuius virtute concipies, *& virtus altissimi*, id est, filius pa-

Coloss. 1. *Ioan. 12.* *Marc. 11* *Dan. 7.* *Isai. 7.* *Lucæ 11*

patris æterni, qui virtus Dei dicitur secundùm Apostolum 1. Corinth. 1. *obumbrabit tibi*. Beda: Cùm Christus sol dicatur, Ma-
1. Cor. 1. Mal. 4 lach. 4. Vobis timentibus nomen meum orietur sol iustitiæ. Huius solis radios Virgo concipiendo suscepit. Sed idem sol, id est, diuinitas Redemptoris nostri, tegmine humanæ naturæ, quasi obumbraculo quodam obtexit, quo mediante Virginis eam viscera ferre sufficerent. *Ideoque, & quod nascetur ex te sanctum*, immo Sanctum sanctorum. Dan. 9. Et vngatur Sanctus sancto-
Dan. 9. rum, carne, scilicet velatum, & obumbratum, *vocabitur filius Dei*, solum Deum habens patrem, & te Virginem matrem. *Et ecce Elisabeth cognata tua & ipsa concepit filium in senectute sua*, contra naturæ cursum, gratia Dei speciali, *& hic mensis est sextus* à conceptu, *illi quæ vocatur sterilis*. nam sterilitate famosa erat, & ætate annosa. Adiecit autem communem fidei regulam dicens, *quia non erat impossibile*
Psal. 113 *apud Deum omne verbum*, Psal. 113. Omnia quæcumque voluit Dominus fecit. Beda: Non quasi incredulam verbis hortatur ad fidem, sed vt benè iam credenti, quæ audierat, ampliora supernæ dispensationis miracula replicat, vt quæ Deum erat paritura præcursorem quoque Domini de anu, ac diu sterili parente cognosceret esse nasciturum, ad maiorem cumulum gaudiorum.

Quoad tertium gratulabundus de incar-
Psal. 24. nationis vtilissima operatione. Psalm. ait: Misericordia, & veritas obuiauerunt sibi, misericordia in gentium vocatione, veri-
Rom. 16. tas in promissionum impletione, Rom. 16 Dico enim Christum IESVM ministrum fuisse circumcisionis ad confirmandas promissiones patrum, gentes autem super misericordia honorare Deum. Iustitia, & pax osculatæ sunt in Christo, qui factus est no-
1. Cor. 1. bis à Deo patre iustitia, 1. Corinth. 1. Ipse est etiam pax nostra, qui fecit vtraque vnũ,
Ephes. 2. Ephes. 2. Vnde sequitur: Veritas de terra
Ioann. 14 orta est, ideſt, Christus qui est veritas. Ioã. 14. de Beata Virgine secundùm naturam humanam, & iustitia de cœlo prospexit ad iustificandum homines per fidem, per dilectionem operantem. Hoc autem totum non meritis nostris, sed misericordia diuina prouenit, vnde sequitur: Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum. Fuit enim solus benedictus fructus ventris virginalis, operatione Spir. Sancti conceptus. Cũ ergo à Gabriele audisset, quomodo Spir. S. operãte Virgo permanẽs cõciperet, paucis respõdit, sed quæ summã animi modestiam cum summa fiducia, pietateque coniunctam testarentur. Pauca, sed plena respondit ver-

A ba. *Dixit autem MARIA: Ecce ancilla Domini*, quasi dicat: Si visum est hic altissimo, me puellam omnium infimam ad huius mysterij ministerium diligere, nihil est quod hinc mihi vendicem, vel meriti, vel gratiæ, totum erit diuinæ gratiæ, totum diuinæ virtutis, me tantùm offero ancillam Domino, cui semel dicata sum, paratam ad omne obsequium? O in quanta humilitatis arce persistebat! fuit enim responsum non modò fide, sed & humilitate plenum. Prima mulier audiens à Serpente: Eritis sicut dij, statim in superbia elata contra creatoris imperium manum extendit ad ligni prohibiti fructum: hæc
B Virgo audiens se matrem saluatoris, id est Messiæ filij altissimi Matrem Regis, qui regnaturus in domo Iacob in æternum, cuius Regni non esset futurus finis, non respondit: Ecce Mater Domini, sed ecce ancilla: *fiat mihi secundum verbum tuum*, assentientis est, & toto animo sanctoque voto Domino suo gratulantis. Simulque cum dicto peractus est insensibiliter cœlestis ille conceptus, habebat in vtero filium Dei repleta est Spiritu Sancto. O quàm lætus Angelus virginalis pudicitiæ tam integrum audiens testimonium, & nihilominus tam humile veræ fidei desiderium reuertitur ad eum, cu-
C ius fideliter perfecerat legationem, totam cœlestem lætificaturus congregationem. O quanta in carne, & mente Virginis immutatio Spiritus sancti virtute facta est, cùm creatorem intra virginea clauderet viscera, non minùs mente, immo feliciùs, quàm carne concipiens Dei verbum, & suscipiens. Precemur & nos vt fiat nobis secundùm verbum Christi, illud, scilicet, quo rationem suæ incarnationis ipse di-
Ioann. 3. spposuit, dicens: Ioann. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam æternam. Nec dubitandum, quia nos deprofundis ad se clamantes citiùs exaudire dignabitur, propter quos, necdum se cognoscentes, ipse ad profundam hanc conuallem lachrymarum descendere dignatus est.

In festo Visitationis MARIÆ.

EXurgens MARIA abijt in montana, &c. Luc. 1. Saluator noster, qui mira operaturus venerat hominum pro salute verbo & opere, nondum natus hæc ostendit per Matrem, ipsam ad visitandam cognatam in montanis habitantem instigans, quò Præcursorem suum oleo gratiæ suæ inungeret, matremque ipsius Spiritu sancto
Luc. 1.

in Prophetam conſecraret, ac mutuis alloquijs aſpectibuſquè materna gaudia cumularet. Hinc Cantic. 2. *Ecce iſte venit ſaliens in montibus tranſiliens colles*, veram carnem de patribus ſumpſit, ſed ipſos tranſilijt, quia pondere peccatorum non (ſicut ipſi) preſſus, Baruch. 3. In terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. Ex ſinu patris in vterum venit Virginis, de vtero in mundum, de mundo in patibulum, de patibulo in ſepulchrum, de ſepulchro in cœlum. *Similis eſt dilectus meus capreæ hinnuloque ceruorum*, quia in ſimilitudine carnis peccati abſque peccato, formam ſerui accipiens. Philippenſium 2. Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius, 1. Petr. 2. Acutè videt cùm omnia nuda, & aperta ſint oculis eius. Hebræorum 4. & in altis habitat *excelſior* cœlis factus. Hebræorum 1. *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum*, indutus parietem carnis noſtræ ita manet in nobis, vt à nobis non videatur, diuinitas enim latet in humanitate, *reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos*. Sicut enim Sol intrat per feneſtras illuminans domum, ſic Chriſtus exemplo, & admonitione Apoſtolorum nos illuminat. Matthæi 5. Vos eſtis lux mundi. *Per cancellos*, id eſt, parua foramina lux parua intrat, ſic obſcura cognitio per Prophetas. Vnde ait, *proſpiciens*, id eſt, procul aſpiciens. *En dilectus meus loquitur mihi*. Hebræorum 1. Multifariam multiſque modis, olim Deus Loquens patribus in Prophetis, nouiſsimè diebus iſtis locutus eſt nobis in filio: loquitur per Scripturam, & inſpirationem. Sed quid? *Surge*, ab otio contemplationis ad laborem actionis, vel à ſomno peccati. Epheſ. 5. Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus, *propera*, quia tempus breue, via periculoſa, *amica mea*. Ideo meritò ſurgere debes, quia amo te, *columba mea*, ſimplex, non inuida Spiritu ſancto illuſtrata per intentionis rectitudinem, *formoſa mea*, per morum honeſtatem, *& veni*, in tuam recreationem, & meritò, quia impedimenta ſublata. *Iam enim hyems tranſijt*, congelatio infidelitatis paganorum, fidem recipere nolentium. *Imber abijt, & receſsit*, tyrannorum perſecutio infrigidans calorem charitatis, *flores apparuerunt in terra noſtra*, initia bonorum operum, vel fides operum per ſuos vſus in Eccleſia, *tempus purgationis aduenit*, reſecandi vitia, vt vites plus fructum afferant, & quòd ita ſit, probat, *vox turturis*, id eſt, Spiritus ſancti, qui gemere nos facit pro peccatis, Romanorum 8. Ipſe enim ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, id eſt, poſtulare facit: *audita eſt in terra noſtra, ficus protulit groſſos ſuos*, ludæa Apoſtolos, *vineæ florentes dederunt odorem ſuum*, gentium collectiones, famam bonæ conuerſationis. Vel Synagoga protulit groſſos ſuos ante fructum proijciendos, Eccleſia odorem bonæ famæ dedit, quæ vinea Domini alijs locata agricolis, Matthæi 21. *Surge ergo, propera amica mea*, per charitatis latitudinem, quæ amas, & amaris, *ſpecioſa mea*, non mundi, per gratiam meã, *& veni* ad me *columba mea*, ſine felle amaritudinis, *in foraminibus petræ*, pedum, & manuum Chriſti, *in cauerna maceriæ*, lateris Chriſti, *Oſtende mihi faciem tuam*, non alienam, ſicut hypocritæ, conuerſationem eam, quam in te feci. *Sonet vox tua*, obedientiæ tuæ, *in auribus meis. Vox enim tua dulcis*, quia laudem Dei cogitat, *& facies* conuerſationis tuæ, *tua decora*, Cùm Angelus accepto à Virgine reſponſo, Ecce ancilla Domini; fiat mihi ſecundùm verbum tuum, diſceſsiſſet ab ea. In illo tempore: *Exurgens MARIA.*

Oſtenditur hoc in Euangelio, quàm mira in mentibus fidelium gratia operetur diuina. Primum, Læta cognatæ ſalutatio, in principio. Secundum, Mira gratiæ operatio, ibi: *Et factum eſt*. Tertium, Nitida potentiæ magnificatio, ibi: *Et ait MARIA*. Quoad primum, dicit Pſalmiſta cap. 117. Vox exultationis, & ſalutis in tabernaculis iuſtorum, nam etſi in tabernaculis impiorum vox exultationis videatur, ſed non ſalutis, cùm lætentur ſi malefecerint, & exultent in rebus peſsimis. Prouerbiorum 2. Volens ergo Spiritus ſanctus oſtendere qualis futurus eſſet partus, mira poſt conceptionem operabatur in Matre.

Exurgens MARIa, à quiete contemplationis ad dilectionis operationem, quid enim ageret Deo plena, niſi id ad quod impellebat eam, inhabitans Spiritus ſanctus? *abijt in montana*, quia ſemper in cœleſtibus montanis deſiderio erat, vbi paſtor paſtorum nonagintanouem reliquit oues, quærens centeſimam. Abijt autem comitata quibus oportuit, ſed quàm maximè Angelis, quibus cognata eſt virginitas, qui nunquam ſimiliorem habuerunt, & iam Dominã, & ſe gratia ſuperiorem, *cum feſtinatione*, ne diu videretur in publico. Amat ſecretum virginitas, non euocatur ab æditũ intimis, niſi prouocet officiũ, in publico properat, inofficio lętior eſt. *Et intrauit in domũ Zachariæ, & ſalutauit Eliſabeth*. Eandẽ, quã Angelo exhibuerat, hominibus quoque curauit exhibere humilitatẽ, (& quod ma-

Cant. 2. Baruc. 3. Philip. 2. 1. Pet. 2. Hebr. 4. Matt. 5. Hebr. 1. Epheſ. 5. Rom. 8. Matt. 21 Luce 1. Pſal. 117 Proue. 2.

maioris est meriti, & virtutis) etiam minoribus, memor Scripturæ, quasi dicat, Ecclesiastici 3. Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam, gestans in vtero Deum seruorum Dei habitacula petijt, & requisit alloquia. Non autem perrexit, vt videret, si verum esset, quod Angelus ei nuntiauerat, quia non fuit dubia de oraculo, vt Zacharias, quam Spiritus sanctus per os Elisabeth commendat, nec incerta de nuntio, cùm sciret Angelum, non dubia de exemplo, scilicet Elisabeth, sed læta provoto, religiosa pro officio, festina præ gaudio, in montana perrexit, quatenus grandæuæ seruiret iuuencula. Mira charitatis operatio, quæ tantam pudicitiæ amatricem per tam longam, & asperam à quiete contemplationis traxit viam. Festinandum ergo exemplo eius ad operacharitatis.

Eccles. 3.

Psal. 83.

Quoad secundum, dicit Psalmista: Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum, gaudent siquidem mundani in his, quæ mundi, & carnis, sancti verò, quæ Dei sunt. Philippensium 4. Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete. Idcirco enim Paracletus, id est, consolator dicitur. Quàm ergo fuerit fœlix, & benedictione plena MARIÆ salutatio patet, neque enim vulgaris fuit ista salutatio. Creuit vtrisque mutua gratulatione fœlicitas, exuberauit spiritus diuinus. MARIA fontem omnium donum spiritualium secum ferebat in vtero, suique fœtus afflatu iam tota Deum spirabat. *Et factum est, vt audiuit salutationem MARIÆ Elisabeth, exultauit infans in vtero eius.* Ambrosius: Citò quoque aduentus MARIÆ, & præsentiæ Dominicæ beneficia declarantur. Beda: Aperiente os ad salutandum Beata MARIA, repleta est mox Spiritu sancto Elisabeth, repletus est Ioãnes, atque vno eodemque spiritu edocti ambo, illa salutantem, quæ esset, agnouit, & vt Matrem Domini sui debita cum veneratione venerata est, ille ipsum Dominum esse, qui in vtero portabatur, intellexit, & quia lingua necdum valuit, animo exultante salutauit, officiumque suæ præcursionis quàm deuotè, quam libenter iuuenis esset expleturus, antequam nasceretur adueniente Domino, quibus valebat indicijs intimauit. Aderat enim tempus, quo impleretur Angeli sermo, quo Spiritu Sancto ex vtero ipsum replendum prædixerat matris. Erat enim conceptus eius sexto mense, Lucæ 1. *Et exclamauit voce magna.* Beda: Rectè voce magna, quia magna Dei dona cognouit, quæ illum, quem vbique præsentem nouerat, etiam corporaliter adesse sentiebat. Magna voce, non tam clamosa, quàm deuota, quia vocem verbi habuit in vtero, Lucæ 3. Ego vox clamantis in deserto. Spiritus enim infantis non valens clamare voce, gestu facit clamare matrem, vt iam non valuit continere animi sui gaudia, quæ priùs latuerat tacita, conceptum pudore dissimulans, & dixit, ea promens afflatu spiritus, quæ nec ex vteri tumore suspicari poterat, nec ex homine didicerat, & perinde quasi Angelum audisset cum MARIA loquentem, ita verbis Angelicis suam gratulationem auspicatur.

Luc. 1.

Luc. 3.

Benedicta tu inter mulieres, etiam benedictas, verè inter omnes etiam laudatas mulieres benedicta, quia immunis à maledictionibus, quæ super muliere sententiantur, Genesis 3. Quia per eius partum, à natis mulierum maledictio primæ matris exclusa est, in quo benedicuntur omnes gentes, Genesis 22. Galatarum tertio. Benedicta incomparabiliter, quæ & diuini germinis susceepit gloriam, & integritatis seruauit coronam. *Et benedictus fructus ventris tui*, absolutè benedictus, & super omne benedictum benedictus, de quo olim vaticinati sunt Prophetæ. Qui ergo te ò Virgo benedicta, dicit non benedictam inter, & super mulieres, propter diuinæ electionis sortem, diuinumque beneplacitum beatissimam, & sublimis virtutis, Angelum, & spiritum sanctum facit mendacem. *Et vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me?* Ambrosius: Non quasi ignorans hoc dicit. Scit enim esse Spiritus Sancti gratiam, & operationem, vt Mater Prophetæ à Matre Domini ad profectum sui pignoris saluetur: sed quasi humani non sit hoc meriti, diuinæ gratiæ hoc munus esse cognoscat. Ipse enim spiritus, qui ei donum prophetiæ quo Matrem Domini cognouit, contulit, munus pariter humilitatis, quo se minùs dignam eius aduentu indicauit, præstitit. Sic & filius. Matthæi 3. Ego, inquit, à te debeo baptizari, & tu venis ad me? & Ioannis 1. Cuius non sum dignus calceamenta soluere, ait Ioannes. Verè Isaiæ vltimo dicitur: Super quem requiescet spiritus meus, nisi super quietum, & humilem? quasi dicat: *Vnde hoc mihi*, quantum bonum mihi accidit, vt veniat (tam humiliter, & reuerenter, non in curribus, & equis, non in auro, & argento, & gemmis pretiosis) Mater Domini mei ad me senem, & contemptam. Siquidem argumento indubitato sensi Domini mei aduentum. *Ecce enim, vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Velut occurrere gestiens Domino suo, a debitum honoris officium exhibere. Intelle-

Genes. 22. Galat. 3.

Matth. 3. Ioann. 1. Isai. vlt.

xit enim quid illud infantis gaudiũ, & exultatio signaret. O quàm mira, & cita Spiritus sancti operatio! Nulla quippè in discendo mora est, vbi Spiritus sanctus Doctor adest. En vno, eodemque momento cum voce salutantis nascitur gaudium infantis, quia cùm vox ad aures venit corporis, virtus spiritualis cor intrauit audientis, nec solam genitricem, sed & sobolem amore Dei aduenientis accendit. *Et beata, quæ credidisti, quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino.* Mirum in modum idem spiritus cùm eam repleuit, præsentium simul præteritorum, & futurorum scientia instruxit. De præsentibus, quia Matrem Domini agnouit, & præsentem redemptorem in vtero eius. Vnde & benedictum ventris eius dixit. De præteritis, quia verba Angeli ad MARIAM, & consensum MARIÆ credentis prodidit, dicens: Beata, quæ credidisti. De futuris, cùm perficienda à Domino quæ ei dicta essent, aperuit, scilicet, quòd pariturа filium altissimi. Ecce quanta virtus fidei, quam etiam in matre propria Christus voluit esse, quia sine fide impossibile est placere Deo, Hebræorum vndecimo. Quis dicere, aut æstimare sufficiat, qua tunc gratia Spiritus sancti genitricem repleuerit, cùm tanta in matre Præcursoris lux Domini cœlestis emicuit.

Hebr. 11.

Quoad tertium, totum salutis effectum Deo tribuens Psalmista ait: Fortitudo mea, & laus mea Dominus, effectiuè, & finaliter, & factus est mihi in salutem. Sic & beatissima Virgo, audita responsione Elisabeth, qua eam Beatam in mulieribus diceret, ac Matrem Domini cognominaret, fide fortem laudaret, ac ad ingressum ipsius seipsam & sobolem Spiritu sancto repletos diceret, oraculum cœlitus acceptum, & virginali pudore absconditum, videns per alienos (Spiritu sancto reuelante) patefactum, mox ipsa Spiritu sancto plenissima in magnanimitate Spiritus, quæ est profundissima sui humilitas, omnia Deo tribuit, sibi nihil, Et ait MARIA: *Magnificat anima mea Dominum.* Ambrosius: Sicut peccatum à mulieribus cœpit, ita & bona à mulieribus inchoantur. Vnde non otiosum videtur, quòd ante Ioannem Elisabeth prophetauit, & MARIA ante Domini generationem. Sequitur MARIÆ; quò persona melior, eò prophetia sit plenior. Basilius: Virgo intentione sublimi, ac speculatione profunda immensitatem contemplans mysterij, quasi profundiùs gradiens magnificat Deum. Græcus, quasi dicat: Mirabilia, quæ Deus prænuntiauit in corpore exercebit, sed anima mea infructuosa apud Deum non erit, conuenit autem mihi & voluntatis fructum afferre: nam quantùm amplo doceor miraculo, tantùm teneor glorificare in me mirabilia operantem. Ambrosius: Quis plus Deum magnificare potest, quàm anima MARIÆ, quæ & Deum secum, quem cœli, & terra capere non possunt, habebat? *Et exultauit spiritus meus*, (non in sese) sed *in Deo salutari meo*. Ambrosius: Magnificauit anima MARIÆ Dominum, & exultauit spiritus eius in Deo salutari suo, eò quòd anima & spiritu, patri, filioque deuota vnum Deũ, ex quo omnia, & vnum Dominum, per quem omnia, pio veneratur affectu. Basilius: Primus fructus spiritus est pax, & gaudium, & quia Beata Virgo totam Spiritus sancti hauserat gratiam, meritò exultauit. Consueta autem in Scripturis exultationis prolatio insinuat alacrem quendam habitũ & iucundum animæ in his, qui digni sunt. Proinde Virgo & exultauit in Domino ineffabili cordis tripudio, & resultatione in strepitu honesti effectus. Nam spiritus eius Spiritu sancto plenus, & ei agglutinatus in Deo, quem cum omnibus, sed supra omnes suum habebat salutare, vnde omne bonum suum pendere agnoscebat, exultauit. Beda: Eius anima Dominum magnificat, qui omnes interioris hominis sui affectus diuinis laudibus, ac seruitijs mancipat, qui obseruantia præceptorum Dei semper potentiam eius maiestatis se cogitare demonstrat. Eius spiritus exultat in Deo, quem nihil in terrenis libet, nulla caducarum rerum affluentia emollit, nulla aduersitas frangit, sed sola illius, à quo salus speratur, æterna sui conditoris memoria delectat. Quæ (cùm perfectis conueniãt) verba, maximè tamen Beatam Virginem decebat proferre, quæ merito priuilegij singularis spirituali ipsius dilectione flagrabat, cuius conceptione corporali gaudebat, quæ iure in IESV Spiritus sancti specialis præ cæteris sanctis gaudio potuit exultare, quia quem perpetuum salutis auctorem nouerat, hunc ipsum temporali ortu de carne sua nasciturum esse sciebat, quatenus in vna, eademque persona veraciter, & suus esset filius, & Dominus. Origenes: Priùs anima magnificat Dominum, & postea spiritus exultat in Deo, nisi enim anima crediderimus, exultare non possumus. Theophilactus: Ille Deum magnificat, qui dignè sequitur Christum, & dum Christianus vocatur, Christi non minuit dignitatem, magna, & cœlestia operando, & tunc spiritus eius, id est spirituale charisma exultabit, id est perficiet, & non mortificat. Magnificat ergo, ait, non lingua mea, sed anima Dominum ex intimis præcordijs suæ imbecillitatis conscia, gaudetque, & exultat spiritus meus in Deo salu-

Psa. 117

A B C D

tari

tari meo, qui mihi, cunctisque salutis est au-
thor. Beda: Sequentibus verbis quàm vtilia
de seipsa senserit, edocet, & quòd omne quid
quid boni meriti habuit, hoc superna gratia
largiente, perceperit, dicens: *Quia respexit
humilitatem ancillæ suæ*, pro sua bonitate,
tanto me dignatus munere, vt posthac iuxta
tuum, & Angeli sermonem, me fœlicissimã
sint prædicaturi, non solùm huius ætatis Iu-
dæis, verùmetiam seculis omnibus omnes to
tius orbis nationes, quibus contigerit ex me
seruator. *Ecce enim ex hoc beatam me dicent
omnes generationes.* Beda: Humilem se suo
iudicio Christi ancillam fuisse demonstrat,
sed respectu gratiæ cœlestis repente sublima
tam, atque in tantum glorificatam, vt sui bea
titudo præcipua meritò cunctarum gentium
voce miretur. Videamus ergo, ne excluda-
mur à generationibus, & generationibus qui
dem Dei, quæ solæ veræ sunt, dicendo eam
in aliquo maledictam, quin potiùs solam bea
titudinem eius cogitemus, quam Deus sic im
pleuit gratia, sic supra mulieres benedictam
reddidit, sic respexit, vt voluerit ab omnibus
dici beatam, quòd si ab omnibus, ergo à nul
lo maledictam. Augustinus: O vera humili-
tas, quæ Deum hominibus peperit, vitam
mortalibus edidit, cœlos innouauit, mun-
dum purificauit, Paradisum aperuit, & ho-
minum animas liberauit Facta est MARIÆ
humilitas, scala cœlestis, per quam Deus des-
cendit ad terras. Quid enim est dicere, respe
xit, nisi approbauit? Nihil ergo suis meritis
tribuit, sed totam suam magnitudinem ad
illius donum refert, qui essentialiter mag-
nus, & potens existens, fideles suos de paruis
atque infirmis fortes facere consueuit, ac
magnos, dicens: *Quia fecit mihi magna*, in
me humillima puella rem miram, & inaudi-
tam perficiens, *qui potens est*, qui immensa
virtute sua nihil non potest. Theophilactus:
Quæ magna? Credo vt creatura ederes crea-
torem, famula Dominum generares, vt per
te mundum Deus redimeret, per te illumina
ret, per te ad vitam reuocaret. Hæc ille. *Et
sanctum nomen eius*, & adorandum, ad quod
se flecteat omne genu, cœlestium, terrestriũ,
& infernorum. Philippensium 2. Per quod
vnum continget salus vniuerso mundo, Acto
rum 4. Ad hoc nomen inuocatum pellentur
morbi, torpescent venena, fugient Dæmo-
nes, reuiuiscent mortui. Marc. 16. Quicun-
que ergo sanctitatis, & æternæ salutis volunt
esse participes, ad huius nominis aduolare
in vocationem necesse est. Iohel secundò. Et
erit, omnis quicunque inuocauerit nomen
Domini, saluus erit, *& misericordia eius à
progenie in progenies, timentibus eum.* Quia
in omni gente, qui timet Deum, acceptus est
illi. Actorum 10. Græcus: Et misericordia
eius, quam habet in generatione, & genera-

Philip. 2
Actor. 4.
Marc. 16
Iohel. 2.
Acto. 10.

tionem, ego concipio, ac ipse corpori anima
to coniungitur, nostram tractans salutem so-
lius pietatis intuitu: misereretur autem non
qualitercunque, sed his quos timor eius com
pescuit in qualibet natione, qui scilicet, pœ-
nitentia ducti, & ad fidem, & pœnitentiam
conuertuntur, relictis vitijs: nam qui obsti-
nati sunt, incredulitatis vitio clauserunt sibi
ianuam pietatis. Beda: Concinit his Beatæ
MARIÆ verbis ipsius Domini sermo, quo
non tantùm matrem, quæ se corporaliter me
ruit generare, sed & omnes, qui sua præcep-
ta seruarẽt, pronunciauit esse beatos. Lucæ
11. Beati qui audiunt verbum Dei, & custo-
diunt illud, quasi dicat, quamuis singulare
priuilegium beatitudinis habeat, quæ filium
Dei incarnatum Virgo in vtero gestare, pa-
rere, & nutrire digna est: præcipuum tamen
in eadem vita perpetua beatitudinis locum
& ipsi habituri sunt, qui fidem corde conci-
piunt per verbum Dei, & custodiunt per di-
lectionem fidem operantem. Non ergo erga
se solam magna ex misericordia facta osten-
dit, sed erga omnes generationes, nõ Iudæos
tantùm, quibus tamen peculiariter hæc sa-
lus promissa, & missa. Matth. 15. Non sum
missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Is-
rael, sed qui timere cœperint Deum, ac per
fidem sese submiserint ipsi. Verùm quia ve-
nerabilis Dei genitrix misericordiam eius
omnibus per orbem, qui eum timerent, affu-
turam esse prædixit, restat, vt superbi con-
temnentes monita, veritatis quid mereantur, insinuet. *Fecit potentiam in brachio suo.*
Volens Deus deijcere supercilium sapientiç,
potentiæque mundanæ, per filium suum fa-
ctum humilem, exeruit robur brachij sui, ac
stultam fecit huius mundi sapientiam, deie-
cit, & fregit huius mundi potentiam, decla-
rans se, etiam cùm maximè sese demittit, ta
men esse potentiorem totius humanæ poten
tiæ fastigio, & quod in illo stultum esse vide-
tur, sapientius esse qualibet admirabili huius
mundi sapientia. Beda: Brachio, id est, ditio-
ne propriæ virtutis, non enim alieno ad ope
randum indiget auxilio, cui (sicut scriptum
est Sapientiæ duodecimo) subest, cùm volue
rit posse, quod ad distinctionem nostræ bonæ
operationis dicit, qui non in nostræ viribus
libertatis, sed in Deo facimus virtutem, si-
cut scriptum est: Et brachium eorum, non
saluauit eos, sed brachium tuum, & illumi-
natio vultus tui. Origc. Licèt infirmus ad
Deum accesseris, si timueris eum, promissam
virtutem consequeris. Theophylact. In fi-
lio incarnato potentiam fecit, quia natura
deuicta est, Virgine pariente, & Deo huma-
nato, *dispersit superbos mente cordis sui.*
Qui freti sua sapientia, qui confisi suis viri-
bus, ceruices suas erexerunt aduersus Deũ,
hos mirabiliter dissipauit suis ipsorum con-

Luc. 11.
Matt. 15

silijs,

filijs, sicut scriptum est: Comprehendam sapientes in astutia sua 1. Corint. 3. Dum enim
1. Cor. 3. astutia humana pugnant aduersùs consilium diuinum, & suam prodiderunt stultitiam, & diuinam sapientiam imprudentes illustrarunt. Dumque suis præsidijs huius mundi conantur opprimere iustitiam Dei, declararũt quàm nihil possit hic mundus aduersùs virtutem diuinam, quam sua rebellione confirmarunt. Beda: Quia initium omnis peccati superbia (Eccles. 10.) ob cuius meritum Do
Eccles. 10 minus genus humanum à stabili habitatione patriæ cœlestis ejiciens, in huius peregrinationem exilij longè, latèque dispulit, sed & his, qui peccatis perdurare non timent, grauiorem futuræ dispersionis vindictam reseruauit. Gregor. Dispersit quamlibet mentem elatam, non parentem eius aduentui, quin etiam aperuit, & vitiosas ostendit superbas cogitationes eorum. Cyrillus: Magis autem propriè Dæmonum hostilis caterua intelligenda est hìc, hos enim sæuientes in terra dissipauit adueniens Dominus, & compeditos ab eis obedientiæ suæ restituit. Theoph. Potest, & intelligi de Iudæis, quos dispersos videmus. *Deposuit potentes de sede*, humana sapientia turgidos, & humana potentia, & authoritate formidabiles. Beda: Eosdem potentes appellat, quos antè superbos: potentes autem, non quia verè potentes sunt, sed quia confidentes in virtute sua, conditoris auxilium quærere detractant. Illi autem verè potẽtes, qui dicere cum Apost. norunt: Omnia possum in eo, qui me confortat, Phi-
Philip. 4. lip. 4. De quibus dicit Iob 36. Deus potenIob 36. tes nõ abijcit cùm, & ipse sit potens, *& exaltauit humiles*, iuxta mundum, quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur, & omnis, qui se
Luc. 14. humiliat, exaltabitur, Luc. 14. Hoc duobus versiculis anne&endum præcedentibus, quia per omnes seculi generationes, & perire superbi, & exaltari humiles pia, iustaque diuinæ potentiæ dispensatione non cessant. Cyrillus: Magna sapiebant Dæmõnes, & gentilium sapientes, Pharisæi, & Scribæ, hos tamen deposuit, erexitque humiliantes se sub potenti manu Dei, dans illis virtutem calcãdi super serpentes, & scorpiones, omnemque
Luc. 10. potestatem inimici. Luc. 10. Erant, & quandoque Iudæi potestate superbi, sed prostrauit hoc incredulitas, ex Gentibus autem ignobiles, & humiles per fidem ad apicem conscenderunt. Græcus: Deitatis tribunal noster intellectus esse cognoscitur, sed iniquæ virtutes post transgressionem incubuerunt præcordijs protoplasti, tanquam in proprio solio. Ob hoc ergo venit Dominus, spiritus iniquos eiecit à sedibus voluntatum, & prostratos à Dæmonijs exaltauit, eorum conscientias purgans, & eorum mentem statuens propriam sedem. *Esurientes implenit bonis, & diuites dimisit inanes.* Qui suam agnoscentes iniustitiam, esuriebant iustitiam Dei, hos Deus expleuit bonis suis. Contrà, qui sibi videbantur prædiuites, & bonis operibus abundantes, ideo non esuriebant gratiam Euangelicam, hos reiecit à se famelicos. Basilius: intellectualiter sumendo, genus esuriebat humanum, exceptis Iudæis, hos namque ditauerat legis traditione, vel sanctorum dogmate Prophetarum. Quia verò non humiliter hæserunt verbo humanato, dimissi sunt inanes, nihil deferentes, non fidem, non scie̅tiam, & spe bonorum priuati sunt, & ab æterna Hierusalem, & à vita futura exclusi, quos verò de gentibus fames, & sitis contriuerat, cùm hæsissent Domino, repleti sunt spiritualibus bonis. Beda: Qui æterna perfectè nunc esuriunt, ad hæc appetenda infatigabili operum iustorum iactantia certare non desistũt, satiabuntur vtique, cùm sui Redemptoris gloria, quam desiderabunt, apparuerit. Ac quicumque cœlestibus diuitijs terrenas præponere gaudent, hi nimirum tempore vltimæ discretionis inanes totius beatitudinis dimittuntur à Domino, ideo cum Diabolo perennis miseriæ pœna plectuntur. Quod etiam in hac vita ex parte non minima videmus impleri, vt & humiles supernæ bonitatis alimonijs repleantur, virtutumque cœlestium largitate diteſcant, & qui vel terrenis diuitijs gloriantes superbiunt, vel de opibus se bonorum operum, quasi hæc à se haberent, extollunt, intus à lumine veritatis inanescunt. *Suscepit Israel puerum suum.* Beda: Post generalem diuinæ pietatis, ac iustitiæ commendationem, ad speciale nouæ incarnationis dispensationem, qua mundum Deus redimere dignatus est, confessionis verba conuertit, dicens, & cætera. Israel, vir videns Deum dicitur, quo omnis redemptorum cœtus designatur, propter quos, vt Deum videre valeant, ipse Deus homo visibilis inter homines apparuit. Suscepit quasi medicus ægrotum, quem curet, rex populum quẽ ab hostiũ incursione defenderet, ac secũ perpetuò regnare donaret. Et bene addit puerum suum, humilem, obedientemque significans, quia non nisi per virtutem humilitatis potest quis ad sortem Redemptoris attingere. Matth. 18. Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in Regnum cœlorum: *recordatus misericordiæ suæ.* Non erat oblitus sui promissi, sed ob longam moram, perinde quasi esset oblitus, obrepserat desperatio. Nunc declarauit se nequaquam immemorem populi sui, quem vt peculiariùs adamatum in sacris litteris appellat puerum suum. Barus. 3. Et dedit eam (scilicet sapientiam) puero suo Israel. Benè dicit misericordiæ suæ, quia quòd hominem (vt nos redimeret) assumpsit, non humanæ

Matt. 18

Barus. 3.

manæ meritum conditionis, sed diuinæ do- A
num pietatis extitit. *Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, & semini eius vsque in seculum.* Beda: Patrum memoriam faciens, rectè Abraham nominatim exprimit, quia, etsi multi orationis, & sanctæ Domini cæ incarnationis testimonium mystice protulerunt, ipsi tamen primò manifestè sunt eiusdem incarnationis, ac nostræ redemptionis arcana prædicta. Ipsi specialiter dictum: Atque in te benedicentur omnes cognatio-
Genes. 12 nes terræ, Genesis 12. Quod ad Dominum Saluatorem pertinere nullus fidelium dubitat, qui ad dandum nobis benedictionem perpetuam de stirpe Abrahæ ad nos venire dignatus est. Semen autem Abrahæ non illos tantùm dicit electos, qui ex Abrahæ pro genie sunt corporaliter editi, verùm etiam nos, qui de gentibus ad Christum congregati, illis fidei societate patribus sociamur, à quibus prosapiæ carnalis origine longè
Galat. 3. segregamur. Galat. 3. Si autem vos Christi, ergo semen Abrahæ estis, & secundùm promissionem hæredes. Rectè in conclusione subiungit: in secula, quia nimirum præfata promissio hæreditatis supernæ nullo vnquã fine claudetur. Nam & vsque in finem seculi huius non deerunt qui in Christo credendo semen fiant Abrahæ, & futuræ beatitudinis eidem semini manebit gloria perennis. Vnde oportet nos, quibus æterna merces promittitur, sine vlla intermissione, donec accipiamus, certare curemus. Hæc ille. Hæc MARIA Spiritu sancto prolocuta est, perinde quasi iam essent facta, quæ futura erant. *Mansit autem MARIA cum illa, quasi tribus mensibus, & reuersa est in domum suam.* Ambrosius: Non sola familiaritas est causa, quòd diu mansit, sed etiam tanti vatis profectus. Nam si primo ingressu tantus profectus extitit, quantum putamus vsu tanti temporis Sanctæ MARIÆ addidisse præsentiam? Denique tamdiu mansit, quàm diu Elisabeth pariendi tempus impleret. Etenim quæ propter officium venerat, inhærebat officio. Hæc ille.

In festo Assumptionis.

Lucæ 10. INtrauit *IESVS in quoddam castellum, &c.* Lucæ 10. Saluator noster æterna patris sapientia quò homines à corruptibilitibus ad æterna appetenda, & quærenda attolleret, mundi huius castellum (carnem de Virgine assumens) ingressus, mentes fidelium speciale gratiæ suæ habitaculum præpa
Eccles. 24 rauit. Vnde Eccles. 24.

In omnibus requiem quæsiui, quia nulli denegatur gratia Dei, cùm velit omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis
1. *Tim.* 2. venire, 1. Timoth. 2. Sed aliqui ea carent, quia non sequuntur instinctum diuinum ad supernaturale bonum, & sic non datur eis gratia habitualis, quæ datur sequentibus ipsum, *& in hæreditate Domini morabor*, id est, in Ecclesia, quæ est eius hæreditas, Psal-
Psa. 15. mista: Et hæreditas mea quàm præclara est mihi. Prouerbior 8. Deliciæ meæ esse cum
Prou. 8. filijs hominum. *Tunc præcepit, & dixit mihi creator omnium.* Secundum humanitatem intelligit patrem maiorem. Ioannis 14.
Ioan. 14. Quia pater maior me est, *& qui creauit me requieuit in tabernaculo meo*, id est, humanæ naturæ in qua habitauit plenitudo diuinitatis, Colos. 1. *& dixit mihi. In Iacob*
Colos. 1. *inhabita, & in Israel hæreditare* Nam de eo natus secundum carnem in his habitat, B
qui vere filij Iacob, qui & Israel, id est, qui vident Deum per fidem supplantantes vitia, *& in electis meis mitte radices*, firmiter radicando, fidem in Apostolis, & eorum sequacibus. Et quod ita factum sit, ostendit, *& sic in Sion firmata sum*, quia ibi primò vigebat diuinus cultus, & consequenter primitiua ibi incœpit Ecclesia, *& in ciuitate sanctificata*, id est, Ierusalem, quæ figura Ecclesiæ. *similiter requieui*, id est, Ecclesia, *& in Ierusalem potestas mea*, quia ibi voluntas eius adimpletur, *& radicaui*, dona mea firmiùs stabiliendo, *in populo honorificato*, Christiano, qui nomine Christi honorátur: non enim Synagoga, sed Ecclesia stabilita C
est, *& in partes Dei mei hæreditas illius.* Hæredes enim Dei, cohæredes autem Christi, Romanorum 8. *& in plenitudine sanctorum detentio mea*, quia illi membra sunt
Roma. 8. corporis eius, cùm sit ipse omnia in omnibus *Quasi Cedrus exaltata sum in Libano, & quasi Cypressus in monte Sion.* Arbores sunt altitudinis, & odoris præcipui, sic redemptionis sacramentum cunctis innotuit nationibus, *quasi palma exaltata sum in Cades, & quasi plantatio rosæ in Hiericho, quasi oliua speciosa in campis, & quasi platanus exaltata sum iuxta aquas*, per omnia hæc significat, quòd sicut ista in illis locis significanter fructificant, sic æterna sapiẽtia in suis effectibus exaltatur, iuxta aquas in plateis, id D
est, fluenta doctrinæ spiritualis gratiæ. *Sicut cynnamomum, & balsamum aromatizãs odorem dedi*, per diffusionem bonæ famæ, *quasi myrra electa dedi suauitatem odoris*, per membra. Vnde secunda Corinth. 2. Chri-
2. *Cor.* 2. sti bonus odor sumus in omni loco. Sicut myrrha corpora peructa nõ putrescunt, sic continentia membra nostra seruat incorrupta. Sed vbi quietiorem, firmioremque requiem inuenit, quàm in MARIA per quam salutiferum in omnes sparsit nationes odorem?

Cùm Dominus exemplo ostendisset, quomodo diligendus, & cognoscendus proximus,

mus, ascendens versùs Ierusalem iter faciés, honorificè à Martha fuit susceptus. In illo tempore: Intrauit. Ostendit Dominus in hoc Euangelio, quòd supra omnia animæ cura sit agenda, & sic naturæ necessitas curanda, ne salus negligatur æterna. Primum, Optanda Christi hospitatio, in principio: Secundùm, Plurima ministerij solicitatio, ibi: *Quæ stetit*. Tertium, Quieta verbi rumi natio, ibi: *Et respondens*

Psal. 25. Quoad primum, Considerans Psalmista sine Deo nihil esse hominem, & Deum prõptum ad subueniendum, ait: Domine, dilexi decorem domus tuæ, intus in conscientia vbi habitas, & locũ habitationis gloriæ tuæ,

Ioan. 14. quia ibi glorificatur. Vnde Ioannis 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & patet meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Augustinus: Sic susceptus est Dominus tanquam hospes, qui in sua propria venit, & sui eum non receperunt, sed quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei

Ioann. 1. fieri, Ioannis primo, adoptans seruos, & fratres faciens, redimens captiuos, & cohæredes faciens. Fœlices, qui Dominum in carne susceipere, & pascere meruerunt, nec minùs fœlices, qui eum in membris suis alere non

Matt. 25 desistunt, quibus dicit Matthæi 25. Quod ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, quorum figuram tenebat Martha. Licet autem nihil ad Beatam Virginem MARIAM istud pertineat Euangelium, quoad historiam, maximè tamen quantum ad mysterium optimè ipsi conuenit.

Intrauit IESVS in quoddam castellum. Anselmus: Castellum dicitur quælibet turris, & murus in circuitu eius, quæ duo inuicem sese defendunt, ita vt hostes per murum ab arce, & à muro per arcem arceantur. Sic MARIA habens turrim humilitatis, & murum virginitatis, nec superbiam habuit virginitatis, nec inquinationem humilitatis: sed semper in ea permansit & humilis virginitas, & virginalis humilitas. Vnde & Angelo filium promittenti de virginitate solicita respondit: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Sic & cùm audiret filium Dei se salua virginitate parituram, respondit: Ecce ancilla Domini. Et: Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. O sublimis Virgo, Mater Dei. O humilis Mater, ancilla Dei! Quid sublimius esse potest? quid humilius de se sentire potest? Porta, per quam intrauit IESVS, fides est, quia enim credidit, perfecta sunt ei à Domino quæ ab Angelo dicta sunt, sicut ait Elisa-

Lucæ 1. beth, Lucæ 1.

Nec quia intrauit castellum hoc IESVS, violatum est. IESVS enim saluat, non violat: confracta solidat, non confregit solida.

A Ipsa ergo castellũ, quòd IESVS intrauit in quo tabernaculum posuit, carnem assumens contra diabolum pugnaturus. Nihil enim vnquam iuris diabolus in hoc habuit castello. Nam fomes radicatur in carne, & ascendit vsque ad mentem, prout conqueritur Apostolus Romanorum 7. Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum. *Roman. 7* Nam velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio, non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago: si autem quod nolo, illud facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. In prima autem sanctificatione Virginis collata est ei tanta gratia perfectionis, vt

B redundaret in eius sensualitatem in tanta abundantia, vt fomitem adeo reprimeret, quod nullum effectum ad incitandum ad malum haberet. In secunda, in qua Spiritus sanctus non tantùm descendit in mentem, sed etiam in carnem, cùm de carne operatus est, de ea mirabiliter carnem sine macula fabricando, reliquam ipsius carnem reddens immaculatã, extirpando ex ea fomitem, & omnem concupiscentiam. Vnde quinque dispositiua impeccabilitatis intus habuit. Primũ, Ardor charitatis, mens enim eius in Deo continuè tenebatur. Nam Deus ei menti mirabiliter intimabat, subdens vires inferiores imperio rationis. Secundum, Mortificatio

C sensualitatis. In appetitu sensuali illius erat modificatio, & coaptatio ad partem superiorem per montem sensualis affectionis, & mortificationis ad carnem. Tertium, Sensus maternitatis, cogitando, & saporando quanti filij Mater erat. Quartum, Obiectum diuinitatis, continuè aspectans Dei beneplacitum, & vt promptè ei consentiens in rebus singulis legens, quid acceptandum, quid fugiendum. Quintum, Aspectus suæ nihilitatis. Sic & exteriùs quinque profectiua. Primum, Angelorum protectio, quia & Helisæum protegebant. 4. Reg. 6. Secundum, De- *4. Reg. 6.* monum repulsio à sua ardentissima mente,

D & claritate. Tertium, Virtutum exercitatio. Nam omnia mala exteriora, & aduersa eo modo, & non aliter ei inferebantur, quo sunt materia exercendæ virtutis, quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Romanorum 8. Quartum, Peccato- *Roman. 8* rum abominatio. Nam omnia delectabilia secundùm sensum, & à Deo retrahentia sibi auferebantur, tanquam Deo odibilia, cuius voluntati totis viribus conformabatur. Cognouit enim plenissimè quomodo mortalis culpa à Deo æternaliter separat, animam ab imagine Dei deformat, æterna gloria priuat, infernalibus supplicijs obligat. Quintum, Mundalium despectio, quæ tanquam desipientia respuebat. O inexpugnabile castellum Deo dignum ad inhabitandũ,

&

& mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam. Fœlix anima quæ IESVM hospitio meretur suscipere. Nam vita si aliquando fuerat iniqua, ipso intrante aufugit, & remanent duæ vitæ innocentes, laboriosa, & otiosa, inter eas medius est ipse fons vitæ. Vnde sequitur: *Et huic erat soror nomine Maria.* Par erat vtrique pietas in Dominum, sed diuersa vitæ ratio, diuersa pietatis functio: quemadmodum in vno corpore sunt vsus membrorum varij, & in corpore IESV (quod est Ecclesia) varia sunt dona spiritus. Sequitur: *Quæ etiam sedens secus pedes Domini*, feriata à negocijs domesticis, *audiebat verbum illius*, quo adeo rapiebatur, vt oblita cæterorum non posset auelli: *Martha autem satagebat circa frequens ministerium.*

Psalm. 4. Quoad secundum, Psalm. nimiam temporalium a Deo retrahentem solicitudinem reprehendens ait: Filij hominum vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium, quæ animam satiare non possunt. Si enim Dominus Marthæ partem, quamuis ex charitate procedentem, in comparatione partis MARIÆ non laudauit, quantò magis solicitudinem à Deo retrahentem? Eadem enim charitas erga Dominum habebat vtramque: sed Mariam non patiebatur ab illius duelli pedibus. Martham sursum deorsumque agebat, ne quid omnium deesset, quæ ad suauiter excipiendum Dominum, eiusque discipulos pertinebant, nec patiebatur adhærere Dño. Sic eadē pietas duas sorores in IESV diligendo cōcordes, ad res diuersas agebat. Martha Dominum pascere disponens, & præparans circa multum ministerium occupabatur. Maria soror eius pasci magis elegit à Dño. Qui in otio viuunt contemplationis, à solo Deo pendere debent, sedentes secus pedes eius, quoad stabilitatem, & profundam humilitatem, & viuere ex omni verbo quod procedit de ore Dei. Quantò humiliùs sedet, tantò amplius capit. Aqua confluit ad conuallem de montibus, & collibus dat gratiam, 1. Petri 5. Actiui Dominum recipiunt, contemplatiui à Domino recipiuntur. Anselmus. Quis vnquam, vt Maria IESVM susceperit, aut ei ministrauit? Nam in vtero susceperit. Ierem. 31. Nouum creauit Dominus super terram, fœmina circundabit virum. Pannis inuoluit, in Ægyptum deduxit, & inde reduxit, prædicantem, morientem secuta est. Ioan. 19. Stabat iuxta crucem IESV mater eius. Verè erga multa turbata, id est, solicita. Sed qualis fuit in ea pars

1. Petr. 5.

Ierem. 31

Ioan. 19.

A MARIÆ? O quàm magna multitudo dulcedinis Dei fuit in MARIA, quando Spiritus Sanctus in eam superuenit, & virtus altissimi obumbrauit, quid de Deo non sapiebat, in qua sapientia Dei latebat, & in cuius vtero sibi corpus aptabat. Christus enim Dei sapientia, & virtus. 1. Corinth. 1. In quo omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ reconditi. Col. 2. Hæc conseruabat omnia verba (Angelorum, Pastorum, Magorum necnon ipsius filij sui) conferens in corde suo, Lucæ 2. Qui in negotio actionis multùm rebus occupati terrenis impliciti, & distracti viuunt, pijs tamen, vt sunt opera misericordiæ, iustitiæ, rei familiaris honestæ occupationis, & similia, Marthæ negotium agunt. Martha ergo cùm ægrè sufficeret obeundis quæ pertinebant ad apparatum, & videret sororem feriatam, assidentem ad pedes IESV, non expostulat cum sorore, quam sciebat auelli non posse, sed IESVM subincusat qui illam suis sermonibus à necessaria functione remoraretur. *Quæstetit, & ait: Domine, non est tibi curæ, quòd soror mea reliquit me solam ministrare, dic ergo illi vt me adiuuet.* Alioqui scio non auelletur à te, nisi tu iusseris, tanta est dulcedo sermonum tuorum, sed interim apparandum est conuiuium, nec vna par sum omnibus obeundis. Ex persona illorum loquitur, qui adhuc diuinæ contemplationis ignati, solùm quod didicere fraternæ dilectionis opus Deo placitum ducunt, ideòque cunctos, qui Christo deuoti esse volunt, huic mancipandos autumant. MARIA autem causam suam iudici Christo committit tacens, in terra dulcedine alloquij Christi refecta.

1. Cor. 1.

Coloss. 2.

Lucæ 2.

Quoad tertium, diuinæ bonitatis dulcedinem expertus Psalmista ait: Gustate, & videte, affectu & intellectu, quoniam suauis est Dominus: Ideo, Beatus vir, qui sperat in eo. Vnde Dominus vtriusque fœminæ delectatus affectu, Marthæ sedulitatem non improbat, nec obiurgat obmurmurantem sorori: Mariam subleuat: *Et respondens dicit illi* Dominus: *Martha, Martha solicita es.* Augustinus: Repetitio nominis, iudicium est dilectionis, aut fortè mouendæ attentionis, *& turbaris erga plurima*, propter apparandum conuiuium. *Porrò vnum est necessarium*, quod semper agendum erat si liceret. Peragito tu functionem tuam. Qualis qualis erit apparatus. *Maria optimam partem elegit*, quæ oblita eorum sunt, quæ corporis, tota est in his, quæ sunt animi, *quæ non auferetur ab ea.* Non reprehenditur pars Marthæ, quia &

Psal. 33.

ipsa

ipsa bona, sed laudatur pars melior MARIÆ. Augustinus: Vnum illud supernum, vbi Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sunt, vnum ipsa Trinitas vnus Deus. Ad hoc vnum nos non perducit, nisi multi habeamus cor vnum, & animam vnam, sicut Actorum quarto. Ideo Dominus Ioannis decimoseptimo: vt sint vnum, sicut nos vnum sumus. Sed hoc quomodo nisi sicut docet Apost. primæ Corinth. 1. Obsecro autem vos fratres, vt id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu, & eadem scientia. Et Philip. secundo. Vnanimes idipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam. Audi vnde meliorem partem MARIA elegit, *quæ non* (inquit) *auferetur ab ea.* A te auferetur onus necessitatis, sed æterna est dulcedo veritatis. Non auferetur ab ea quod elegit, sed augebitur. In hac autem vita augetur, in alia vita perficietur, quum hic perfecta esse nequeat, nunquam autem auferetur. Nemo autem vnquam gustauit, sicut ista quàm suauis est Dominus. Inebriebatur verò ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis eius potabatur. Nec mirum quoniam apud eam, imò in ea erat fons vitæ, de quo manabat tanta perfectio vtriusque vitæ. Pars autem Marthæ ei aufertur, sed bono suo, quia pars MARIÆ in ea perficitur, quæ nō aufertur ab ea. Exaltata est enim super choros Angelorum. In bonis repletū est desiderium suum. Videt Deum facie ad faciem sicuti est, gaudet cum filio in æternum. Hæc est pars optima, quæ non auferetur ab ea, cuius, & nos participes sumus meritis, & precibus eius, per Iesum Christum Filium suum Dominum nostrum. Hæc Anselmus.

Ioan. 17.

1. *Cor.* 1.

Phil. 2.

A B C

De gloriosa Virgine MARIA in communi.

Lucæ 11. *Beati qui audiunt Verbum Dei, & custodiunt illud.* Lucæ 11. Saluator noster veritatis, & Author, & defensor, quia

Ioan. 14. ipse via, veritas, & vita, Ioan. 14. contra Iudæorum falsas in ipsum calumnias, veram mulieris huius, matrem gloriosam commendātis (& hoc propter ipsum, & ex ipso) exclamationem approbauit. Siquidem vt secundariò legitur, de ipsa, Eccles.

Eccles. 24 24. Ante secula præordinata Mater Dei fu-

Eph. 1. tura: *Ab initio*, ait, *& ante secula creata sum.* Nec mirum, cùm dicat Apost. Ephe. 1. Elegit nos ante mundi constitutionem, vt essemus sancti, & immaculati in conspectu eius. Quid ergo de Matre? Certè Ro-

Roman. 8 man. 8. Quos præscivit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autē iustificauit, hos & magnificauit. Nam

2. *Cor.* 3. 2. Corinth. 3. Qui & idoneos nos fecit ministros noui testamenti, ergo & Matrem, &c. Vnde Ierem. 1. Priusquā te formarem

Ierem. 1. in vtero, noui te: & antequam exires de vulua, sanctificaui te, & Prophetam in Gentibus dedi. Sequitur: *Et vsque ad futurum seculum non desinam.* Vnde in figura dicitur Iud. 11. Benedicta es tu filia à Do-

Iud. 11. mino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram. Benedictus Dominus, qui creauit cœlum, & terram; qui te direxit in vulnera capitis principis inimicorum nostrorum: quia hodie nomen tuum ita magnificauit, vt non recedat laus tua de ore hominum. Verè gladio Verbi Diuini caput amputauit serpentis venenosi, inimici generis humani, cùm ait: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm Verbum tuum. Vnde ipsa Lucæ 1. Respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc

Lucæ 1. Beatam me dicent omnes generationes. Quia (vt Psal. ait) Generatio, & generatio

Psal. 144 laudabit opera Domini. Sed non illa, quæ non direxit ad Deum cor suum, de qua Luc. 11. Generatio hæc generatio nequam est, imò pessima, vt ibidem. Nam verba, & miracula peruertit, non aduertit. *Et in habitatione sancta coram ipso ministrauit.* Nam semper in sanctis primò in templo à tertio anno vsque quartum enutrita cum alijs (vt dicit Hieron.) quo à parentibus post ablactationem fuit oblata, vbi Domino in omni humilitate, & omnium morum honestate vacabat, vt omnium oculis esset admirabilis, Angelis affabilis, Deo amabilis. Deinde cum sancto suo sponso Ioseph. Postea in sancto Apostolorum Collegio. Demum in cœlesti Collegio sedulè nobis suis deuotis ministrat suffragijs. Nam Verbum Dei audiuit, quare nunc ab eo auditur, &c.

D

Iudæis miracula Saluatoris tanquam adiutorio Dæmonum (quare mala) & circa terrena (ideo non reputanda) calumniantibus. Ipse Saluator rationibus, & similitudinibus contrarium ostendit. In illo tempore, Extollens vocem EVANG.

Primum, Accommoda malignæ deprauationis refutatio, in principio. Secundū, Beatæ Virgineæ decorationis commendatio, ibi: Beatus venter. Tertium, Certa deuotæ commendationis approbatio, ibi. At ille dixit.

Circa primum dicit Apost. 2. Corinth. 13. Non possumus aliquid aduersus veritatem, sed pro veritate: causa tangitur, 3. Esdr. 4. Magna est veritas, & præualet.

Nam

Nam maligni quantumcumque contra veritatem nitantur, finaliter veritas præualebit: & si non hic, tamen alibi, sicut Sap. 5. Stabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt, & abstulerunt labores eorum, &c. Vnde Iudæi quantumcumque odio laborarent contra veritatem verborum, & miraculorum Christi, finaliter semper fuerunt confusi. Vnde Matth. 21. Videntes Principes Sacerdotum mirabilia, quæ faciebat, & pueros clamantes in templo, & dicentes: Osanna filio Dauid, indignati sunt, & dixerunt ei: Audis quid isti dicũt? IESVS dixit eis: Vtique, numquam legistis, quia ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem. Sic & hic per hos huius mulieris obstruxit os loquentium iniqua. Nam expulsionem Dæmonis Beelzebub asscribebant. Alij tentantes, signũ quærebant de cœlo, Lucæ vndecimo, quasi alia nullius valoris, quia circa terrena.

Sap. 5. *Matt.* 21 *Isai.* 11.

Loquente IESV ad turbas, rationaliter ostendente nil se habere cum Dæmone commercij, sed diuinitatis virtute eijcere Dæmonia, ac ipsos Iudæos ob ingratitudinis vitium grauiter lapsuros, Spiritus Sanctus per os mulieris, quæ infans respectu Scribarum, & Pharisæorum, & lactans diuinæ gratiæ dulcedinem, calumnias ipsorum plenè confutauit, cùm beatum ventrem, qui ipsum portauerat, clamauit. Nam cùm fuerimus filij iræ, Eph. 2. si ipse beatificat, & saluificat, ita vt propter ipsum, & per ipsum mater beata, necesse est ipsum fore Deum, qui saluare possit de manu fortis armati, sicut ait Lucæ 11. Ideo Angelus claritatis hoc exprimens, Lucæ 11. Matth. 1. Vocabis, inquit, nomen eius IESVM. Rationem annectit, dicens: Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Et sic ista contra malignantium calumnias Deum confitebatur, & hominẽ, ventrem beatificans, in quo quieuit, & vbera quæ suxit. Ista enim duo requirebantur ad hoc, vt quis humanum saluare posset genus. Vt scilicet, esset Deus, qui posset, & homo quo posset. Ideo dictus non solùm IESVS, sed & Christus, id est, Matth. 1 vnctus, Matth. 1. De qua scilicet, Virgine MARIA, natus est IESVS, qui vocatur Christus. Vnctus enim fuit præ participibus suis oleo lætitiæ, id est, plenitudine Hebr. 1. gratiæ, Hæbr. 1. Ioan. 1. Vidimus gloriam Ioann. 1. eius, gloriam quasi vnigeniti à patre, plenum gratiæ, & veritatis. Cooperatur ergo vnctio ad redemptionem generis humani: quia nisi plenus gratia, alijs dare non posset. Ideo de plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia: quia lex per Mosen data est, gratia, & veritas per IESVM Christum facta est. Plenè ergo ostendit nullum ipsum habere cum Diabolo commercium, prout Pharisæi calumniabantur. Quæ enim conuentio Christi ad Belial? 2. Corinth. 6. Vnde ait Lucæ 11. Qui non est mecum, contra me est. Similiter miracula ipsius non spernenda, cùm ait, qui te talem ac tantum portauit. Ioan. 9. A seculo non est auditum quòd aperuit aliquis oculos cæci nati. Mira Spiritus Sancti operatio, vt mulier simplex videns supremos religione, & authoritate contradicentes, clamosa voce è contra benediceret.

2. *Cor.* 6. *Lucæ* 11 *Ioan.* 9.

Quoad secundum ait Apostolus. 1. Corinth. 1. Qui gloriatur, in Domino glorietur, secundæ Corinthiorum decimo nono: Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat. Vnde ipsa plausit. Fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius, Lucæ 1. Et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Verè sanctum, quia ipse qui sanctificat. Hebr. 2. Qui enim sanctificat, & qui sanctificatur, ex vno omnes. Commendat Spiritus Sanctus per hanc mulierem matrem Domini in suggillationem Pharisæorum à duobus. Primò. A maternitatis dignitate, *extollens*, id est, ex corde in altum, *vocem*, non erubescens Christi, matrisque eius præconia inter aduersarios proclamare: *Quædam mulier de turba*, simplex à Deo docta, *dixit: Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* Hoc contra Hæreticos veràm in Christo negantes carnem. Beatificat corpus tanquam sensibus magis notum, quo Christo ministrauerat, cùm tamen nihil habet beatitudinis, nisi ab anima. Ideo Elisabeth Spiritu Sancto illuminante primò animam, deinde ad corpus. Lucæ 1. Beata, quæ credidisti, quoniam perficientur in te quæ dicta sunt tibi à Domino. Ideo dicit Aug. Beatior fuit MARIA concipiendo Christum fide quàm carne. Et Angelus: Aue gratia plena. Hieron. In Sanctis Patribus, & Prophetis gratia fuisse creditur, non tamen eatenus, vt in MARIA. In MARIA enim totius plenitudo gratiæ, quæ est in Christo se infudit, quamquam aliter. Nam in Christo tamquam in capite influente. Ioan. 1. de plenitudine eius omnes nos accipimus. In MARIA tamquam in collo. Vnde quanto quid plus appropinquat causæ, tantò plus participat de effectu. Sed quis sic de corde, & corpore appropinquauit. 1. Corinth 6. Qui adhæret Domino vnus spiritus est. Ipse autem de ea nostrę sumpsit pretium redemptionis, quod in ara crucis pro nobis obtulit. 2. Petri 2. Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum. Isai. 53. Ipse vulneratus est propter delicta

1. *Cor.* 1. 2. *Cor.* 19 *Lucæ* 1. *Hebr* 2. *Lucæ* 1. *Ioan.* 1. 1. *Cor.* 6. 1. *Petr.* 2 *Isai.* 53.

lista nostra. Secundò: Virginitatis puritate. Non enim dixit: Beati parentes, vel pater, sed venter, quasi diceret. In quo, Spiritu Sancto operante conceptus es, Lucæ 1. Spiritus Sanctus superueniet in te. Fuit enim Virgo sancta corpore, & spiritu cogitans, quæ Domini sunt. 1. Corinth. 7. in tantum vt Angelo promittenti filij altissimi conceptum, diceret se virum non cognoscere, virginitatem Deo promissam (spe etiam tantæ prolis) violare nolens, quantò minus tali, & tanta prole habita. Verè ergo beatus venter, qui incorruptus permanens, tali ac tanto gaudere meruit filio, vnigenito, scilicet, filio Dei: Quod considerans Elisabeth admirabunda ait: Lucæ 1. Vnde hoc mihi vt veniat Mater Domini mei ad me? Gloriamur (secundũ Apost. Roman. 5.) in spe gloriæ filiorum Dei, hæc ipsa matris. Nam audacter suum nuncupat filium dicens: Lucæ 2. Fili, quid feciſti nobis sic? Vnde ipse qui non venit soluere legem, sed implere. Matth. 5. ipsi matri obediuit. Lucæ 2. Erat subditus illis. Ipsam petentem in nuptijs pro vini defectus subleuatione exaudiuit, Ioan. 2. Finaliter in cruce pendens in vltimo, Ioanni commẽdauit, Ioan. 19. Haud dubium quin magnificè in cœlis honorauit. Ioan. 12. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus qui est in cœlis.

Lucæ 1. Roman. 5 Lucæ 2. Matth. 5 Lucæ 2 Ioan. 2. Ioan. 19.

Quoad tertium: Considerans Apost. quia iuxta Verbum Saluatoris sine eo nihil possumus facere. Ioan. 15. 1. Cor. 15. Gratia Dei sum id quod sum. Volens igitur Dominus approbare verum mulieris dictum, conclusionis ipsius radicale posuit fundamentum. Et primò per locum à causa ad effectum. *At ille ait*: *Quinimo*, id est, verè beatus, quia *beati qui audiunt Verbum Dei, & custodiunt illud.* Hoc patet per Psalm. 118. Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum. Sed quomodo vel ad quid custodienda idẽ iudicat? In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Sed nunquam aliqua pura creatura sic custodiuit, quemadmodum ipsa. Si enim Ioannes, qui venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine (Ioan. 1.) sic custodiuit, vt maior eo inter natos mulierum non surrexerit. Quid illa quæ venit, vt Mater esset filij Dei? Vnde scriptum est Lucæ 2. MARIA autem conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo, scilicet, testamentum vetus cum actis noui, vt illuminaretur intellectu, & inflammaretur affectu. Si ergo beati, ergo maximè ipsa. Secundò per locum à minori. Si beati, ergo ipsa, quæ non solùm hoc fecit, scilicet, aure corporis audiendo, & corde ruminando, ac opere seruando, sed & Verbum Dei substantiale concipiendo, & carne sua sanctif. vestiendo. Eccles. 24. Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo. Verè quieuit, nec venialì turbatus, nec mortali expulsus, sed nouem mensibus dulciter fotus. Item Ioan. 1. Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, ergo si illi, quàm maximè ipsa, quę cum hoc corporaliter recepit. Vnde figuratur per aream testamenti (1. Corinth. 10. Omnia in figura contingebant illis) quæ maximę fuit apud Iudæos reputationis, non propter se, sed propter contenta: & hoc propter tria.

Ioan. 15. 1. Cor. 15. Eccles. 24. Ioan. 1. 1. Cor. 10.

Primò materiam. Fuit enim de lignis Setim, intus & foris deaurata. Exod. 25. Ligna illa dicuntur imputribilia, sic ipsa mente, & corpore incorrupta, vnde & Deo grata. Incorruptio enim Deo proximum facit. Sapien. 6. O quanta solicitudine templum filij inuiolatum seruare studuit! Nam 1. Chorint. 3. Si quis templum Dei violauerit disperdet illũ Deus. Deauratio interior dilectionem Dei, exterior proximi designat, qua plena fuit, patet ex Euangelijs.

Exod. 25. Sap. 6. 1. Cor. 3.

Secundò, Contenta. Hebr. 9. In qua erat vrna aurea, habens manna, & virga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ testamenti. Vrna humilitatem signat Christi charitate assumptam, vnde aurea. In qua fuit manna. Ipse autem ait Ioan. 6. Non Moses dedit vobis panem de cœlo, sed pater meus cœlestis dat vobis de cœlo panem verum, sequitur: Ego sum panis vitæ. Tabulæ plenitudinem signant sapientiæ, & gratiæ in Christo. Colos. 2. In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ abscõditi. Virga Aaron quæ fronduerat. Deut. 17. Quæ signat potestatem Regiam in Christo. Psalm. 109. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion. Dominare in medio inimicorum tuorum. Item dignitatem sacerdotalem, quæ germinat bonitate conscientiæ. Hæc est gloria nostra testimonium conscientiæ nostræ. 2. Corinth. 1. Frondet veritate doctrinæ. Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius. Malach. 2. Floret celebritate famæ. 2. Corinth. 2. Christi bonus odor sumus in omni loco. Fructificat sanctitate vitæ. Titum. 2. In omnibus reipsum præbe exemplum bonorum operum. Verè tali dignitas debetur sacerdotalis. Christus autem sacerdos est in æternum. Hebr. 7.

Ioan. 6. Colos. 2. Deut. 17. Psal. 109 2. Cor. 1. Malac. 2. 2. Cor. 2. Titum 2. Hebr. 7.

Tertiò, Locum. Inuenimus tria loca principalia, in quibus longo tempore fuit. Primò Sylo in monte Ephraim, vbi Iosue posuit. Iosue 17. vsque ad tempora Heli. 1. Reg. 4. Psalm. 131. Audiuimus eam in Ephrata, scilicet, fuisse. Signat statum virgi-

Iosue 17. 1. Reg. 4. Psal. 131.

virginalem MARIÆ, quo fuit in monte contemplationis. Non autem fuit ea tua Virgo, sed lampadem bonorum habuit operum oleo charitatis inflammatam. Interpretatur enim Ephrata frugifer, signans fructum bonorum operum. Notanter dicit, audiuimus. Nunquam enim similis visa. Sola enim sine exemplo placuit Virgo Christo. Ecclesiastici vigesimo quarto. Et dixit mihi: In Iacob inhabita, qui supplantator dicitur, & in Israel hæreditare, qui videns Deum dicitur. Secundò Coriathiarim. Primo Regum septimo. Et mansit vsque ad tempus Dauid. Secundo Regum sexto. In domo Aminadab. Interpretatur autem ciuitas syluarum. Psalm. 131. Inuenimus eam in campis syluæ. Signat nobis statum, quo filio ministrans per locorum varietates ambulauit. Sicut autem sylua auibus est refugium, hominibus ab æstu solatium: sic ipsa tutissima ab omni impugnatione Dæmonum æstum concupiscentiæ non sensit. Et ad se confugientibus tutissimum ab omni tentatione refugium. Ecclesia: Sub tuum præsidium confugimus. Vnde in laudum præconia: Sicut aues in syluis à rapacitate malarum liberatæ, assurgamus quemadmodum ipsa Lucæ primo, Magnificat anima mea Dominum. Tertio: Ierusalem in templo, vbi stabilem habuit mansionem. Primo Regum nono. Signans cœlum prout deducit Apostol. Hebræorum nono. Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, peramplius, & perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non huius creationis, neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum: sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta. Fuit autem maximæ reputationis locus ipse vbi area ponebatur, vt nemo nisi summus sacerdos, & hoc semel in anno tantùm illud intraret. Hebræorum nono. Sic ipsa in summo post filium loco honoris posita, meritò omni reuerentia, & laude post filium dignissima, sicut idem locus diuini cultus fuit, & laudis. Hanc igitur tantæ dignitatis eminentiæ Virginem, & Matrem Domini nos homines nullo dignabimur honore? Indigni certè haberemur æternæ hæreditatis cum benedicta Matre nostra participatione in cœlis, si nullum ei deferre volumus honorem in terris, quæ nimirum omni laude est dignissima. Nonne ipsa Angelico præconio mirificè celebrata est, & gratia plena in honorantissima salutatione, quæ è cœlo allata est, magnificè prædicata? Lucæ primo. Nonne eadem à sancta Elisabeth Spiritu Sancto repleta, benedicta esse inter mulieres, sicut, & priùs ab Angelo est pronunciata? Nonne & de eadem acclamauit filio eius benedicto in secula, mulier illa syncera fidei, & deuotionis, voces blasphemantium scribarum, & Pharisæorum hac laudatoria confessione retundens: *Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ suxisti*, quam quidem egregiam matris laudem, & ipse filius responsione sua approbauit. Non igitur ab Angelo tantoperè laudatam, & à Spiritu Sancto in Beata Elisabeth, & illa muliere de turba extollente vocem suam, tantis laudum titulis honoratam, nequaquam honorabimus, nec vlla laude celebrabimus? Absit. Quoniam teste Damasceno, honor ad ipsam matrem, in illum qui ex ipsa natus est, reuocatur. Quare è diuerso Matris Dei inhonoratio, etiam Christi ex ea nati inhonoratio est, quemadmodum in Euangelio testatur, Ioannes quinto, Dominus Iudæis, quòd qui non honorificat filium, non honorificat patrem, qui misit illum.

Ecclesiastici 24. *1. Reg. 7.* *2. Reg. 6.* *Psal. 131.* *Lucæ 1.* *1. Reg. 9.* *Hebr. 9.* *Hebr. 9.* *Lucæ 1.* *Ioan. 5.*

In festo Natiuitatis MARIÆ.

Liber generationis IESV Christi filij Dauid, &c. Matthæi primo. Saluator nostet æterna Patris sapientia, humanum genus de vijs errorum à vera æternæ vitæ via abductum, reducere ad vias vitæ volens, humanam assumpsit naturam, se viam præbens in exemplo virtutum, odorem diffundens, omnes ad se (qui vitam gratiæ tribuit, & gloria) sequendum inuitat, vnde Ecclesiastici 24. *Matt. 1.* *Eccl. 24.*

Ego quasi vitis fructificaui. Ioannis decimoquinto: Ego sum vitis vera, cuius vinum lætificat cor hominis, *suauitatem odoris*, per orbem spargendo Euangelij prædicationem, *& flores mei fructus honoris, & honestatis*, quia iucunditas, & decor virtutum eius quotidie dono eius floruit, & clarescit in fidelibus. *Ego*, sapientia æterna, *Mater pulchræ dilectionis*, veræ charitatis, *& timoris*, filialis, *& agnitionis*, supernaturalis, *& sanctæ spei*, quia omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à patre luminum, Iacobi primo. *In me gratia omnis viæ, & veritatis.* Ioannis decimoquarto: Ego sum via, veritas & vita, sequitur: *In me omnis fons vitæ, & virtutis.* Nam per ipsum vitam æternam habemus, *transite ad me*, per amorem, & cognitionem, vt filios affectuosè monet, vnde Matthæi vndecimo: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, sequitur: *Ioan. 15.* *Iacob. 1.* *Ioan. 14.* *Actor. 16* *Matt. 11.*

tur: *qui concupiscitis me.* Prouerbiorum primo: Vsquequo paruuli diligitis infantiam, & stulti ea, quæ sibi sunt noxia, cupient, & imprudentes odibunt scientiam? *Et à generationibus meis*, id est, illuminationibus *adimplemini. Spiritus enim meus*, scilicet, sanctus, per quem diffunditur charitas in cordibus nostris Rom. 8. *super mel dulcis*, quia omnem dulcedinem excedit, *& hæreditas mea*, quæ erit in clara Dei visione, *super mel, & fauum*, quia totaliter quietat appetitum. Psalmista: Satiabor cùm apparuerit gloria tua. Primæ Corinthiorum secundo: Oculus non vidit, auris non audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. *Memoria mea in generationes sæculorum*, quia nunquam delebitur de mentibus sanctorum, & sapientiam Dei, & homines, & Angeli sine fine collaudabunt. *Qui edunt me*, in præsenti spiritualiter sibi incorporando, *adhuc esurient*, vt plenius habeant in cœlo, *& qui bibunt me, adhuc sitient.* Ioannis quarto: Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Refectio spiritualis, & cœlestis per corporalem exprimitur, quia spirituales deliciæ quum non habentur, in fastidio sunt, & statim cùm habentur, desiderium accendunt. *Qui audit me*, obediendo, *non confundetur*, in conspectu iudicis, quia mercede æterna coronabitur, & *qui operantur in me*, secundùm regulam doctrinæ meæ, *non peccabunt*, quia est regula infallibilis. *Qui elucidant me*, occulta in lege, & prophetis contenta mysteria fideliter exponendo *vitam æternam habebunt*, pro præmio, quæ est clara Dei visio. Quis vnquam sic approximauit æternæ sapientiæ, ac spiritus ipsius suauitatem gustauit, & edidit sicut MARIA, quæ & ipsam patris sapientiam carne (de carne sua) velatam in lucem nobis per generationem protulit?

Volens Matthæus Euangelium prout viderat, & audierat scribere, ab humana Christi generatione exorsus est, dicens: Liber generationis IESV Christi.

Ostendit Euangelista hoc Euangelio IESVM Christum à Patribus secundùm Dei promissum Gentium, & verum Christum, id est, Messiam. Primum. Repromissa Saluatoris generatio, in principio: *Liber generationis.* Secundum, Solicita generationis ordinatio, ibi: *Abraham genuit Isaac.* Tertium, Tenera Virginis commendatio, ibi: *De qua natus est IESVS.*

Quoad primum, dicit Psalmista: Misericordias Domini in æternum cantabo, in gentium vocatione. In generatione, & generationem annunciabo veritatem tuam in ore meo, promissiones Patribus factas implendo. Romanorum decimoquinto. Dico enim Christum IESVM ministrum fuisse circuncisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum. Gentes autem super misericordia honorare Deum. Nam non fuit ipsis promissus, sicut Iudæis, & missus. Matthæi quinto. Non sum missus, nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. Fuit omne studium Euangelistarum ostendere in Christo completas promissiones patribus factas, vnde hic Matthæus exorsus est.

Liber generationis IESV Christi, breue, sed plenum salutis, & gratiæ verbum. Si mortales tam ardenti studio amplectuntur librum humana proditum industria, qui vel tuendæ faciendæ ve valitudinis rationem, vel augendæ rei familiaris viam, vel aliam aliquam disciplinam ad terrena modò commoda conducibilem, pollicetur: quantò flagrantioribus studijs hic liber est ab omnibus excipiendus, cuius vtilitas ex æquo pertinet ad omnes, nec humana commoda mox peritura promittit, sed cœlestem Philosophiam à cœlesti doctore IESV Christo mortalium generi traditam docet, & huius admirabile præmium pollicetur, non opes, non Regnum, non voluptates, sed veram, atque æternam fœlicitatem, atque ad hanc expeditam, ac facilem omnibus viam commonstrat, & authorem indicat, per quem nulli non est parata salus, extra quem nulli est speranda salus? Quis autem est hominum quem non excitet tanti boni certa spes, quantumuis barbarus sit, & idiota? Verè hic liber apotheca est gratiæ, in qua omnis anima quod necesse habet, inueniat. Inuenimus librum prædestinationis æternæ, de quo Apostolus Hebræorum decimo inducens Psalmistam in persona Christi loquentem: In capite libri scriptum est de me, vt faciam voluntatem tuam Deus meus. De hoc libro Apocalypsis vicesimo: Qui non est inuentus scriptus in libro vitæ, missus est in stagnum ignis. Ideo Dominus Lucæ decimo, Guadete (inquit) quia nomina vestra scripta sunt in cœlis. Accusationis internæ. Apocalypsis vigesimo. Vidi mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vitæ, & iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris, secundùm opera ipsorum. Romanorum secundo. Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & cogitationum inuicem, accusantium, aut etiam defendentium. Generationis terrenæ qualis, & hic IESV, id est, Saluatoris, non perditoris, sicut Adam, Christi, id est, Messiæ. Ioannis quarto: Scio quia Messias venit,

Prou. 1.
Psal. 16.
1. Cor. 2.
Ioan. 4.
Psal. 88.
Rom. 15.
Matt. 5.
Hebr. 10.
Apoc. 20.
Luca 10.
Apoc. 20.
Rom. 2.
Ioan. 4.

nit, qui dicitur Christus, cùm ergo venerit, ille annuntiabit nobis omnia. Hoc ergo Euangelium sic probat consequenter Christum, quoniam hic est qui de Patriarcharum, & Regum stirpe progenitus, de Virgine mirabiliter est editus, sicut Iudæis ante fuerat promissus: *Filij Dauid, filij Abraham.* Horum duorum specialiter dicitur filius: quia vnus primus fuit inter Patriarchas, alter inter Reges, ad quos facta est de Christo promissio, vt Iudæis Christum ex lege venturum aperiret, in quo viderent vaticinia impleri: vt
Genes. 22 Genesis vicesimo secundo: Benedicentur in semine tuo omnes gentes Galatarum 3.
Galat. 3. Non dicit, in seminibus, quasi multis, sed quasi in vno, & semini tuo, qui est Christus, & antè: Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham. Vnde
Lucæ 1. Luc. 1. Iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis,
Psal. 131. scilicet hoc est de Dauid. Psalmista: Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Lucæ primo: Et
Lucæ 1. dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris sui. Vnde in Euangelio communiter
Lucæ 18. filius Dauid nominatur à cæco. Lucæ decimo octauo. Fili Dauid miserere mei.
Matt. 12 Item à turbis. Matthæi 12. Turbæ quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant, dicentes: Osanna filio Dauid. Similiter
Matt. 21 Scribæ, & Pharisæi Christum fore filium Dauid responderunt, Matthæi vicesimo primo: Vbi Saluator ad Scripturam ducit ad intelligendum ipsum non solùm filium Dauid secundùm carnem, sed & filium Dei, & per hoc maiorem, & Dominum Dauid. Ideo dicit Apostolus Ro-
Roman. 1 manorum primo: Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem. Et de hac generatione loquitur hic Euangelista, non de
Isai. 33. æterna quæ ex patre, de qua Isaiæ 33. Generationem eius quis enarrabit? & Ioan-
Ioan. 16. nis decimo sexto: Exiui à patre, & veni in mundum, per carnis assumptionem: quia secundùm diuinam naturam in mundo erat, & mundus per ipsum factus est, Ioan-
Ioan. 1. nis 1. Hanc ergo promissionem, quam ar-
Lucæ 10. dentissimo desiderio impleri optabant patres. Lucæ decimo: Beati oculi qui vident
Ioan. 8. quæ vos videtis. Ioannis octauo: Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meum, vidit, & gauisus est, per MARIAM Deus impleuit.

Psal. 88. Quoad secundum, Psalmista misericordiam & veritatem Dei à se cantandam explicans, ait: Quoniam dixisti in æternum misericordia ædificabitur in cœlis, præparabitur veritas tua in eis. Et quæ sit, subdit: Disposui testamentum electis meis, iu-

A rauit Dauid seruo meo vsque in æternum, præparabo semen tuum, quod & semen Abrahæ, sequitur: *Abrahã genuit Isaac.* Ab eo congruè fit generationis exordium, cui promissus est primũ, in quo est benedictio omnium, & vt in hoc patre distant, qui, & quales esse debeant qui volunt in eius semine benedici. Distinguit autem per tres generationes, mystice designans fidem Trinitatis, quam concorditer astruit doctrina legalis & Euangelicæ institutionis. Ponit quadragintaduas generationes per tres septies sexdecades: quia sicut populus ille vetus sub spe intrandi in requiẽ per septies sex, id est, quadragintaduas mãsiones castrametabatur, in quarum vltima Iesu duce patefacto Iordane, requiẽ intrauit, sic noster
B IESVS quadragintaduas generationes ab Abraham credente, lauacra baptismi & cœli ianuas patefecit, sub eiusdem numeri sacramento; nos cursu virtutum ad patriam tendimus, dum quotidie præcipiendo gustu cœlestium fruimur, & patiẽter promissum expectamus. Nam per obseruantiam decem præceptorũ, Matthæi decimonono. Si vis ad vitã ingredi, serua mandata. Et quatuor *Matt* 19.
Euangelistarum, Matthæi vltimo: Docentes eos seruare omnia, quæ mandaui vobis: *Matt* 28.
in fide Trinitatis. Hebræorum vndecimo: *Hebr.* 10.
Sine fide impossibile est placere Deo. Per desertum huius mundi, per verũ IESVM
C non typicum, in æternam promissionis ducimur terram. Matthæus descendendo generationem computat, quia humanitatem Christi, per quam Deus ad homines descẽdit ascendendo, formam Sacramenti apperiens. A baptismo enim incipiens vsque ad Deum ascendit, ostendit baptizatos ascendere ad hoc vt sint filij Dei. Ponit Matthæus, *genuit*, quia naturæ tantùm filios numerat; Lucas dicit, qui fuit, qui aliquos secundùm legem, sicut Ioseph filium Heli, quẽ Matthæus dicit filium Iacob, quia isti duo fratres fuerunt, sed Heli mortuus sine liberis, ideo Iacob secũdùm legem tenebatur accipere vxorem defuncti ad suscitandum semen fratris defuncti.
D Vnde Ioseph secundùm naturam filius fuit Iacob, secundum legem dicebatur filius Heli defuncti: aliquos per adoptionem, sicut Mathan filium dicit Dauid, filios interponi. Quamuis autem IESVS non fuerit filius Ioseph, tamen Matthæus generationem deducens ad Ioseph, ostendit IESVM Christum ex semine Dauid, eò quòd MARIA esset de domo & familia Dauid, quam tanquam ex eadem Tribu, quia vnica patri suo Ioachim, ex lege accipere tenebatur, & quia non erat moris, vt mulierum generationis texeretur series, quare & virum MARIÆ

nominat, quanuis eam non cognouerit. Ideo Lucas notabiliter dicit 3. Vt putabatur filius Ioseph, scilicet IESVS cùm esset incipiens annorum quasi triginta.

Psal. 71. Quoad tertiùm, Psalmista munificentiam Saluatoris exprimens, breuibus, ait: Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ. Si omnes tribus, quid mater, de qua sumendum erat tedemptionis nostræ præmium? *De qua*, inquit, Matthæus, non de quibus, quia de sola Virgine. Ipsa sola hoc honore præ omnibus mũdi creaturis apud Deum digna est habita, imò & cœli. Nusquam enim Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit, Hebræorum secundo, vt homi- B
Hebr. 2. nis esset, & Dei verus filius, *natus est*, veram carnem assumendo, *IESVS* Saluator.
Matth. 1 Matthæi primo: Vocabis nomen eius IESVM. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum, *Qui vocatur Christus*, id est vnctus, scilicet plenitudine gratiæ. Ioannis 1. Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre, plenum gratiæ, & veritatis: de cuius plenitudine omnes nos accipimus. Huius ergo talis ac tãti Virgo MARIA vnica mater vnici, quis vel satis miretur? Vnde Elisabeth Spiritu
Lucæ 1. Sancto illuminata (Lucæ primo) obstupescens ad eius aduentum, satis mirari non C
potuit à Deo collatam dignitatem, dicés: Et vnde hoc mihi vt veniat Mater Domini mei ad me? Verè beatam dicent eam omnes generàtiones, quia respexit Dominus humilitatem ancillæ suæ, faciens ei magna, vt filij Dei esset Mater, & Virgo. Spiritus Sanctus in sanctis hic pro sanctis secundùm voluntatem Dei postulans exauditur, Romanorum octauo, quis dubitet in ea postulare pro his qui per eam facti sunt fratres filij sui, & cohæredes, & per eam tanquam matrem eorum exaudiri.

De Annunciatione Christi, Lucæ 1. Articulus IIII.

D
IN *mense autem sexto.* Immensam diuinæ dignationis, & sapientiæ abyssum, in Dominicæ Annunciationis mysterio ostẽdit, cùm appeteret tempus illud ab æterno ordinatum, vt Deus per filium suum mundum vniuersum à mortuis, ac peccati tyrãnide liberaret. Summum, ac dignissimum descripturus mysterium Incarnationis, omnia ordinatissimè, & distinctè prosequitur, quatenus singula audientes, ad deuotionem, & gratiarum actionem accendamur. In mense sexto Conceptionis præcursoris.

Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ: cui nomen Nazareth.

A Ad primam mulierem venit diabolus nõ missus. Genesi. 3. ideo ad secundam iniungitur noua legatio Archangelo, vt (secundùm Chrysostomum) nuntiet regis secretum, quod quidem fide cognoscitur, sed non requiritur discussione. Et bene Gabriel, qui fortitudo Dei dicitur, quia illum annuntiabat, de quo Psalm. 23. Dominus fortis, & potens, Dominus potens in præ- *Psal. 23.*
lio, quo potestates aereas debellare, & ab earum tyrannide mundum veniebat eripere. Lucæ. 11. Cùm fortis armatus. Ioannis 12. Nunc iudicium est mundi, nunc Prin- *Lucæ 11.*
ceps huius mundi eijcietur foras. *A Deo*, *Ioan. 12.*
immediatè, non ab alio Angelo, quemadmodum Zacha. 2. Curre, inquit Angelus
B alteri Angelo, loquere ad puerum istum. *Zacha. 2.*
Sic Daniel. 8. Audiui vocem viri in via: Gabriel, fac istum intelligere visionem, *Dan. 8.*
Post florem autem speratur fructus: sic ex Nazareth, quæ flos dicitur, benedictus fructus ventris MARIÆ prodit. Matthæi. 2. *Matth. 2*
Quoniam Nazarçus vocabitur. Isa. 11. Na- *Isai. 11.*
zarçus de radice eius conscendet. Sic habet Hebraica veritas.

Ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid.

Bernardus: virginem carne, virginem mente, & professione, virginem qualem describit Apost. 1. Corinth. 7. Mulier in-
nupta & Virgo cogitat quæ Domini sunt, *1. Cor. 7*
C vt sit sancta corpore, & spiritu. Hieron. Cùm desponsatam viro audis, suspicio tibi non subeat nuptiarum, sed recordare consuetudinis scripturarum, qua sponsæ dicuntur virgines, & sponsi viri. Beda: Oportebat MARIAM habere virum, qui testis esset integritatis ipsius certissimus, & nati ex ea Domini, & Saluatoris nostri esset nutritius fidelissimus, quique pro eo paruulo secundùm legem hostias ad templum deferret, & eum instante persecutionis articulo in Ægyptum cum matre deferret, ac referret, aliaque illi p ura quæ assumptæ humanitatis fra-
D gilitas poscebat, necessaria ministraret, & contra legis transgressionem testimonium ferret. Ambrosius: Non decuit virginibus siniſtra opinione viuentibus velamen excusationis relinqui, quòd infamata Mater Domini fuisset: & vt per Ioseph generationis Christi series texeretur, vt dicit Hieronymus: qui fuit de domo Dauid, quemadmodum Virgo: nam viri suæ tribus fœminis iungebantur, præsertim in hæreditate paterna succedentibus, Numer. 36. Et res non cogrueret *Num. 36.*
prophetiæ, quæ Messiam promiserat ex genere Dauid regis, Romanor. 1. qui
factus est ei ex semine Dauid secundùm *Rom. 1.*
carnem.

Et

Et nomen Virginis MARIA. Quæ maris stella dicitur, quia luce à se prodeunte mundum illustrauit. Dicitur & amarum mare, quia suam ipsius animam gladius doloris pertransiuit, Lucæ 2. Sic & Domina, quia Regem Regum, & Dominum Dominantium nobis peperit, Apocal. 19. Humiles delegerat Deus, ne quid in hoc cœlesti negocio sibi mundus vindicaret. Moribus inculpatissimis delegit, ne quid in hos criminis posset impingi. Casto coniugio delegerat, vt virginei partus arcanum in suum vsque tempus celaretur.

Lucæ 2.

Apoc. 19

Et ingressus Angelus ad eam. Vbi secretô patrem orabat, clauso (vt dicit Bernardus) ostio. Solent enim Angeli astare orantibus, & delectari in ijs, quos vident puras manus leuare in oratione. Quantùm autem MARIÆ placuerint orationes Domino, Angelus indicat, qui tam reuerenter eam salutauit. Vbi nos habemus, Isai. 7. Ecce Virgo, Hebræi habent Haalma, quod absconditum sonat. Ipsa autem abscondita hominibus, non Deo.

Isai. 7.

Dixit: Aue gratia plena. Curialiter ante legationis explicationem salutans, rem cum nomine primæ præuaricationis mutauit. Plena dicitur gratia, non ex parte ipsius gratiæ, quam non habuit in summa excellentia qua potest haberi, nec ad omnes gratiæ effectus, sed per comparationem ad ipsam, quæ sufficientem habuit ad illum statum ad quem fuit electa, scilicet, vt esset Mater Dei. Sic Stephanus plenus (Actor. 6.) dicitur gratia, quam sufficientem habuit, vt esset testis idoneus Christi. Sic & Apostoli, Actor. 2. Christus super omnes, quia de plenitudine eius omnes nos accipimus, Ioan. 1. Hieronymus: Cæteris datur per partes, MARIÆ autem tota se plenitudo gratiæ infudit. Aptissimum erat vt gaudij vocabulo salutaretur, quæ veræ voluptatis authorem erat conceptura: & gratiæ vocabulo compellaretur, quæ IESVM erat paritura salutaris gratiæ Principem, & authorem.

Actor. 2.

Ioan. 1.

Dominus tecum. Bernardus: Non tantum filius tecum quem concipis, sed & Dominus Spiritus Sanctus de quo concipis, & Dominus pater tecum, qui genuit quem concipis. Verè singulariter Dominus tecum, qui nouo castitatis amore, prius à terrenis ad cœlestia eleuauit, & postmodum mediante humana natura, omni plenitudine diuinitatis consecrauit.

Benedicta tu in mulieribus. Laudata, & præclara fama inter mulieres, & plus quàm omnes mulieres, ac per hoc quidquid maledictionis infusum est per Euam, totum abstulit benedictio MARIÆ. Quum benedictio Dei sit collatio munerum eius, & multiplicatio eorundem, tantò magis benedicta MARIA, quantò maiora, & singulariora diuinitus sortita est dona. Bernardus. Benedicta tu inter mulieres, quæ sola illam generalem maledictionem euasisti. Genes. 3. In tristitia paries filios tuos, & nihilo minùs illam. Exod. 23. Non erit infœcunda nec sterilis in Israel, ac singularem consecuta es benedictionem, vt nec sterilis maneas, nec cum dolore parturias. Verè benedicta, quæ sine exemplo muliebris conditionis, cum decore virginitatis, gauisa est honore parentis: quodque Virginem Matrem decebat, Deum filium procreauit.

Genes. 3.

Exod. 23.

Quæ cùm audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio. Tam excellens, inopinata, & nusquam audita. Claret virginis verecundia. Ambros. Trepidare virginum est, & ad omnes viri ingressus pauere, & omnes viri affatus vereri. Modestia, quia tacuit, & audiuit. Prudentia, quia cogitabat quanta esset salutatio, spiritu discretionis ruminans, quid prætenderet, quò tenderet, & cui esset exhibita. Quum enim minima esset in oculis suis, ac laudabiliter pudorata, vehementissimè de tanto suo præconio mirabatur, seque laudari, ac cunctis præferri mulieribus erubuit atque obstupuit, eò vtique amplius, quò minus tale quid suspicabatur, aut sentiebat. Sanctæ enim mentes quantò magis laudibus extolluntur, tantò magis timent, & humiliùs de se sentiunt. Sic Apostol. 1. Corinth. 15. Non sum dignus vocari Apostolus.

1. Cor. 15.

Et ait Angelus ei: Ne timeas MARIA, inuenisti enim gratiam apud Dominum. Turbatam familiariter consolatur, vt moris bonorum est Angelorum, vocans ex nomine. Bernardus. Dei & hominum pacem, mortis destructionem, vitæ reparationem: hæc est, inquit, gratia quam inuenisti, sed apud Deum: nam apud mundum oratio fallax. Prouerb. 31. Fallax gratia, & vana est pulchritudo, mulier timens Deum, ipsa laudabitur.

Prou. 13.

Ecce concipies in vtero. Non à viro, Matth. 1. Inuenta est in vtero habens de Spiritu Sancto.

Matt. 1.

Et paries filium: & vocabis nomen eius IESVM Non impones. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum, Matthæi 1. Isai. 49. Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei. Iure ergo suum nuncupat filium, Ioann. 2. Fili, vinum non habent. Isai. 7. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabi-

Matt. 1. Isai. 49. Ioan. 2. Isai. 7.

Ierem.31 cabitur nomen eius Emanuel. Ierem. 21. Nouum faciet Dominus super terram. Fœmina circundabit virum. Vere nouum. Olim homo fieri voluit Deus. Geneſ. 3. *Geneſ. 3.* Eritis ſicut dij, ſcientes bonum & malum, *Geneſ. 2.* ait ſerpens mulieri, nunc Deus factus eſt homo. Olim de viro facta eſt mulier, Geneſ. 2. Ædificauit Dominus Deus coſtam quam tulerat de Adam in mulierem; nunc de ſola muliere factus eſt vir. Olim virga floruit ſicca, & arida, Num. 17. nunc Vir- *Num. 17* go intacta peperit.

Hic erit magnus: & filius altiſſimi vocabitur. Quanquam ex humili loco, ex humili puella natus, tamen diuinis virtutibus erit maximus, adeò, vt poſteaquã innotuerit mundo, vocandus ſit non Prophe ta, ſed filius altiſſimi. Nihil enim maius, quàm eſſe filium omnipotentis Dei, non per adoptionis gratiam, ſicut alij: ſed per naturam, vt vna in duabus naturis perſona eſſet Redemptoris, & mediatoris noſtri, & quia vna erat hypoſtaſis, reuera filius altiſſimi erat filius Virginis.

Et dabit illi Dñs Deus ſedem Dauid patris eius: & regnabit in domo Iacob in æternum, & Regni eius non erit finis. Non occupabit ſibi mundi præſidijs Regnum mundi temporarium, ſed pater cœleſtis dabit *Pſal. 131* illi Regnum Dauid cœleſte. Pſalm. 131. Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non fruſtrabitur eum: de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. Dedit enim Redemptori ſedem Dauid, quando hunc de genere Dauid incarnari diſpoſuit. Roma- *Rom. 1.* norum 1. Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundùm carnem. Vt populum quem Dauid temporali rexit imperio, ipſe gratia ſpirituali ad æternũ proueheret Regnum. *Coloſ. 1.* Coloſ. 1. Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in Regnum filij dilectionis ſuæ. Ioan. 11. Benedictus qui venit *Ioan. 11.* in nomine Domini Rex Iſrael. Marc. 11. *Marc. 11* Benedictum quod venit Regnum patris noſtri Dauid. Regnat modò quum electorum corda per fidem, & dilectionem ſuam inhabitans regit, atque ad percipienda ſupernæ retributionis dona, continua protectione gubernat, & in futuro, quum eoſdem finito ſtatu temporalis exilij, ad habitationem patriæ cœleſtis introducit, in qua præſenti eius viſione ſemper adiuncti, nihil aliud agere quàm eius vacare laudibus gaudent. Non ergo temporale, quia quæſitus *Ioan. 6.* in Regem, fugit, Ioan. 6. ſed ſpirituale eſt Regnum. Matth. 28 Data eſt mihi omnis *Matt. 28* poteſtas in cœlo, & in terra Danielis 7. Po- *Dan. 7.* teſtas eius poteſtas æterna, & Regnum *Iſai. 9.* eius quod non corrumpetur. Iſaiæ 9. ſuper ſolium Dauid, & ſuper Regnum eius ſedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iuſtitia, amodò & vſque in ſempiternum. Domus autem Iacob ſunt ij, qui ex Iudæis, & gentibus crediderunt Romanorum 9. Non enim omnes qui ex *Roman. 9* Iſrael, hi ſunt Iſraelitæ: neque qui ſemen ſunt Abrahæ, hi filij, ſed qui filij ſunt promiſsionis, æſtimantur in ſemine.

Dixit autem MARIA: Quomodo fiet iſtud: quoniam virum non cognoſco? Ex his quæ audiuit tam magnificis Angeli promiſsis, nihilo factus eſt inſolentior animus Virginis, nec ex rerum ſublimitate concepit diffidentiam, non ignorans, nihil eſſe tam arduum, quod nutu non poſſet Deus. Tantum de Virginitatis adamato theſauro ſolicita fuit, non ſignum rei vt Zacharias, ſed modum requirens. Non ergo dubitat faciendum, quod quomodo fiat, inquirit. Legerat: Ecce Virgo concipiet, Iſai. 7. quod credidit futurum, ſed quomodo id fieret, non legit; non enim *Iſai. 7.* quemadmodum fieret, vel Prophetæ fuerat reuelatum, vnde & audire meruit: Beata quæ credidiſti Lucæ 1. & 1. Corinth. 7. Virgo cogitat quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore, & ſpiritu. *Lucæ 1.* *1. Cor. 7.*

Et reſpondens Angelus, dixit ei: Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Beda: Quum Chriſtus dicatur Sol (Malac. 4. Vobis timentibus nomen meum orietur Sol iuſtitiæ) huius ſolis radios Virgo concipiendo ſuſcepit. Sed idem Sol, id eſt, diuinitas Redemptoris noſtri, regimine humanæ naturæ, quaſi obumbraculo quodam obtexit, quo mediante, Virginis eam viſcera ferri ſufficerent. Innoteſcunt plenitudinis gradus: nam gratia plena, adhuc Spiritum Sanctum ſuperuenturum audiuit, qui ſua virtute ipſam fœcundaret. Attende quomodo Sanctam Trinitatem declarauit, dicens Spiritum Sanctum, virtutem Filium. 1. Co- *Malac. 4.* rinth. 1. altiſsimum Patrem. *1. Cor. 1.*

Ideoque, & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei. Bernardus: Non ſolum qui de ſinu Patris in vterum tuum veniet, obumbrabit tibi: ſed & quod de ſubſtantia tua naſcetur, ex hoc iam vocabitur filius Dei. Claret naturæ veritas, quia ex te: gratiæ immenſitas, quia ſanctum ſanctorum, à quo & per quem omnis ſanctitas. Exod. 11. Ego Dominus qui ſanctifico vos. Hebræorum 13. Propter quod & IESVS, vt ſanctificaret populum *Hebr. 13.* ſuum per ſanguinem, extra portam paſſus eſt.

Ecce Eliſabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua: & hic menſis eſt ſextus illi, quæ vocatur ſterilis: quia non erit impoſsibile apud Deum omne verbum.

Beda

Beda: Non quasi incredulam verbis hortatur ad fidem, sed vt benè iam credenti, quæ audierat, ampliora supernæ dispensationis miracula replicat, vt quæ Deum erat paritura, præcursorem quoque Domini de anu, & diu sterili parente cognosceret esse nasciturum, ad maiorem cumulum gaudiorum, & vt dum nunc Saluatoris, nunc præcursoris edocetur aduentum, rerum ordinem, & tempus tenens, ipsa postmodum melius Scriptoribus, & Prædicatoribus Euangelij referet veritatem. Nihil enim potest a Deo promitti tam nouum, aut magnum, quod ipse non queat præstare. Iereln. 32. Non erit tibi difficile omne verbum. Quale enim verbum illi impossibile, qui per verbum fecit omnia? Psalm. 148. Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt.

Ierem. 32

Psal. 148

Dixit autem MARIA: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secùdùm verbum tuum. Bernardus: Humiliter respondet, vt gratiæ sedes præparetur. Ecce Mater Dei eligitur, & ancillam se nominat Non mediocre reuera humilitatis insigne, nec oblata tanta gloria, obliuisci humilitatem. Non magnum est esse humilem in abiectione, magna prorsus, & rara virtus humilitas honorata. Prima mulier audiens, Eritis sicut Dij, statim in superbiam elata, contra creatoris imperium manum extendit ad ligni prohibiti fructum: hæc audiens se Matrem Filij Dei regnantis in domo Iacob in æternum, paucis, sed quæ summam animi modestiam cum summa fiducia pietateque coniunctam testarentur, respondit: Ecce ancilla Domini, cui semel dicta sum, parata ad omne obsequium, fiat mihi secundùm verbum tuum, vt Spiritu Sancto concipiam. Simùlque cum dicto peractus est insensibiliter cœlestis ille conceptus, habebat in vtero filium Dei, repleta est Spiritu Sancto. Precemur & nos, vt fiat nobis secundùm verbum suum, illud scilicet, quo rationem suæ incarnationis ipse dispossuit. Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Nec dubium quin nos de profundis clamantes ad se, citiùs exaudire dignabitur, propter quos necdum se cognoscentes, ipse se ad profundam hanc lachrymarum vallem descendere dignatus est. Ab hoc sancto Virginis cum Angelo colloquio Deus auspicari voluit restituendi generis humani negocium, quando primum illud pestiferum virginis cum serpente colloquium, exitij seminarium inuexerat mundo. Ad lapsum hominis concurrebat Angelus malum suggerens, mulier inconsultè suggestioni consentiens, & vir transgressionem diuini præcepti perficiens. Sic in reparatione Angelus nuncians, Virgo consentiens, & Christus perficiens. Bernardus: Redditur fœmina pro fœmina, prudens pro fatua, humilis pro superba, quæ pro ligno mortis, gustum tibi porrigit vitæ, & pro venenoso cibo illo amaritudinis, dulcedinem parit fructus æterni.

Ioan. 3.

Et discessit ab illa Angelus. Nimirum cum reuerentia peracto negotio, rediens ad eum qui miserat, lætum cœli ciuibus referens nuncium, ruinam in proximo fore restaurandam.

De visitatione MARIÆ. Lucæ 1.

Articulus V.

EXurgens autem MARIA in diebus illis, abijt in montana cum festinatione in ciuitatem Iudæ: & intrauit in domum Zachariæ. Mirabilem diuinæ gratiæ operationem declarat Deus, qui in omnibus suis mirabilis est operibus, maximè mirabilia, & inperscrutabilia in humanæ redemptionis operatus est mysterio. Quũ ergo Euangelista occultum Christi aduentum ostendisset Angelico testimonio vt futurum, nunc humano ostendit vt iam factum. Videns ergo se concepisse, non remorata tanta dignitate, exurgens à quiete contemplationis, ad opera charitatis festinauit. Ambrosius: Non quasi incerta de nuncio, non dubitans de exemplo, sed læta pro voto, religiosa pro officio, festina præ gaudio, in montana perrexit, quatenus grandæuæ seruiret iuuencula, quemadmodum filius non venit ministrari, sed ministrare, Matth. 20. Siquidem vera pietas potiùs gaudet de fœlicitate aliena, quàm studet iactare propriam. Congaudet enim charitas veritati. 1. Corinth. 13. & 12. Si gaudet vnum membrum, cõgaudent omnia membra. Si enim vicini congratulabantur, quãtô magis MARIA cognata? Roman. 12. Gaudete cum gaudentibus. Ascendit in montana Iudææ, quæ mente in cœlestibus habitauit, vbi pastor nonagintanouem oues reliquerat Matth. 18. Marc. 6. Vbi thesaurus tuus est, ibi & cor tuum erit. Sed quibus comitantibus? Nimirum Angelis, quibus cognata virginitas. Exod. 32. Angelus meus præcedet te, ait Dominus Moysi, & 14. Tollens se Angelus Domini qui præcedebat castra Israel, abijt post eos, & cum eo pariter columna nubis priora dimittens post tergum stetit inter castra Ægyptiorum, & Israel. Sic Eliseus montem vidit plenum equorum, & curruum igneorum, 4. Reg. 6. Sic ergo bonis ad custodiam adsunt Angeli, imô ipse Dominus. Exod. 13. Dominus præcedebat eos ad ostẽdẽdã viam. Amat autem secre-

1. *Cor.* 13. & 12.

Rom. 12.

Matt. 18. *Marc.* 6.

Exod. 32. & 14.

4. *Reg.* 6.

secretum virginitas, non euocatur ab æditu intimis, nisi prouocet officium in publico properat, in officio lentior est. Dina tardans ad videndum mulieres regionis, per Sichem filium Emor Euei corrupta fuit.
Genes. 34 Genes. 34. Ad opera pietatis festinandum. Nescit enim tarda molimina Spiritus Sancti gratia, vt dicit Ambrosius: Sic pastores festinantes venerunt in Bethlehem, Lucæ 2. Zachæus festinans descendit, & excepit IESVM gaudens, Lucæ 19. Væ accidiosis.
Lucæ 19.

Et salutauit Elisabeth. Et factum est, vt audiuit salutationem MARIÆ Elisabeth, exultauit infans in vtero eius. Eandem quam Angelo exhibuerat, hominibus quoque curauit exhibere humilitatem, & quod maioris est meriti, & virtutis, etiam minoribus. Eccles. 3. Quantò magnus es, humiliate in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. Gestans in vtero Deum, seruorum Dei habitacula petit, & requirit alloquia. Prior salutauit, sic Angelus ipsam, Christus mulieres, Matthæi 28. Væ ergo inuidis, & insidiosis, qui vt Iudas salutant, Matth. 26. Aue Rabbi. Psalm. 54. Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos. Ambrosius: Citò quoque aduentus MARIÆ, & Dominicæ præsentiæ beneficia declarantur. Neque verò vulgaris fuit ista salutatio, creuit vtriusque ex mutua gratulatione fœlicitas, exuberauit spiritus diuini vis. MARIA secum fontem omnium donum spiritualium ferebat in vtero, suique fœtus afflatu iam tota spirabat Deum. Sensit Ioannes nondum natus Domini sui modò conceptu diuinam virtutem, & intra materni vteri sinus gestu prædicat eum, quem olim erat sua voce prædicaturus, & suscepto singulari supra reliquos gaudio exultat in vtero. Ioan. 3. Amicus sponsi qui stat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Aderat enim tempus, quo impleretur Angeli sermo, quo Spiritu Sancto ex vtero ipsum replendum prædixerat. Lucæ 1. Visitent sacra prægnantes, sancta quærant alloquia.
Ecclesi. 3. *Matt.* 28 *Matt.* 26. *Psal.* 54. *Ioan.* 3.

Et repletà est Spiritu Sancto Elisabeth, & exclamauit voce magna. Beda: Rectè voce magna, quia magnâ Dei dona cognouit, quæ illum quem vbique præsentem norat, etiam corporaliter adesse sentiebat. Magna voce non tam clamosa, quàm deuota, quia vocē Verbi habuit in vtero, Ioan. 1. Ego vox clamantis in deserto. Deuotio, magnus clamor in auribus Dei. Hinc Moysi tacenti dicitur, Exod. 14. Quid clamas ad me? Si Dominus ad præsentiam arcæ benedixit domui Obededom. 2. Reg. 6. quanto magis ad præsentiam Domini realem? Hinc Spiritu Sancto repleta Elisabeth non iam continet animi sui gaudia, quæ priùs tacita latuerat, conceptum pudore dissimulans: sed ingenti voce, quam ingens affectus suppeditabat, exclamauit, ea promens afflatu spiritus, quæ nec ex vteri tumore sui picari poterat, nec ex homine didicerat, & perinde quasi Angelum audisset cum MARIA loquentem, ita verbis Angelicis suam gratulationem auspicatur.
Ioan. 1. Exod. 14. 2. *Reg.* 6.

Et dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Beda: Eadem voce ab Elisabeth, qua à Gabriele benedicitur, quatenus Angelis, & hominibus veneranda demonstretur. Et verè benedicta inter omnes laudatas mulieres: quia à maledictionibus mulierum libera. Genesis. 3. Multiplicabo ærumnas, & conceptus tuos. In dolore paries filios, & per eius partum à natis mulierum maledictio excluſa, in quo benedicendæ omnes gentes, Genes. 22. & Galat. 3. In semine tuo (ait Dominus Abrahæ) benedicentur omnes gentes. Benedicta ergo incomparabiliter, quæ & diuini germinis susceptit gloriam, & integritatis seruauit coronam. Triplici ex causa legimus sanctas mulieres benedictas ab hominibus Propter decus virginitatis, & continentiæ, quod triplicem habet gradum. Primus, continentia coniugalis, sic Ruth à Booz fuit benedicta. Ruth. 3. Benedicta es à Domino filia. Secundus, vidualis, sic Iudith. Ibidem. 15. Benedixerunt illam omnes vna voce, dicentes: Tu gloria Israel, tu honorificétia populi nostri, quia fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum, eò quòd castitatem amaueris, & post virum tuum, alterum nescieris. Tertius, virginalis, sic MARIA ab Angelo, Lucæ 1. Secundó, ob munus fœcunditatis. Cuius tres gradus. Primus, naturæ per seipsam, sic Sara vxor Tob. 9. Dicatur benedictio super vxore tua. Secundus, naturæ adiutæ gratia, sic Anna mater Samuelis. 1. Reg. 1. Vade in pace, Dominus det tibi petitionem tuam, quā rogasti eum. Tertius, gratiæ operantis supra naturam, sic MARIA ab Elisabeth Lucæ 1. Tertio, propter opus virilitatis, cuius primus gradus, vincere hostem fugientem, sic Iabel, Iudith. 5. Benedicta inter mulieres Iabel, quę clauo ferreo perforauit caput Sisaræ. Secundus, Vincere aduersarium inuadētem, sic Iudith. Ibidem 13. Benedixit te Dominus in virtute sua, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros. Tertius, vincere dominantem: sic MARIA à Simeone Lucæ 2. Benedixit illis Simeon, & ait: Ecce positus est hic in ruinam, & resurrectionē, multorum in Israel. Bernardus: Non quia tu
Genes. 3. *Genes.* 22 *Galat.* 3. *Ruth.* 3. *Iud.* 15. *Lucæ* 1. *Tob.* 9. 1. *Reg.* 1. *Lucæ* 1. *Iud.* 5. *Iudi.* 13. *Lucæ* 2.

tu benedicta, ideo benedictus fructus ventris tui: sed quia ille te præuenit in benedictionibus, ideo tu benedicta, sed inter mulieres: ille verè benedictus, non in hominibus, vel Angelis, sed vt ait Apostolus, est
Roman. 9 Deus benedictus in secula super omnia, Ro
Lucæ 11. man. 9. Luc. 11. Beatus venter qui te portauit. Omnes enim in peccato concipimur.
Psal. 50. Psalm. 50. Ecce enim in iniquitatibus con-
Ephes. 2. ceptus sum. Et natura sumus filij iræ, Eph. 2. Nam per fructum ligni vetiti mortem incurrimus, Gen. 3. per hunc vitam conse-
Genes. 3. quimur, Prouer. 3. Lignum vitæ est his qui
Prou. 3. apprehenderint eam. Hic est enim fructus
Isai. 4. terræ sublimis. Isai. 4. de quo Cant. 2. Et
Cant. 2. fructus eius dulcis gutturi meo. 1. Petr. 2.
1. Petr. 2. Si tamen gustastis quoniam suauis est Dominus. Alij filij fructus sunt parentum, hic ventris MARIÆ fructus.

Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Ambrosius: Non quasi ignorans hoc dicit, scit enim esse Spiritus Sancti gratiam, & operationem, vt mater Prophetæ à Matre Domini ad profectum sui pignoris salutetur: sed quasi humani non sit hoc meriti, sed diuinæ gratiæ hoc munus esse cognoscat. Ipse enim spiritus, qui ei donum prophetiæ, quo Matrem Domini cognouit, contulit, munus pariter humilitatis, quo se minus dignam eius aduentu iudicauit, præstitit, quasi dicat: Quę mea iustitia, quibus meis meritis accidit hoc mihi sterili, & seni, & hominum iudicio maledictæ, vt veniat tam humiliter, & reuerenter, non in curribus, & equis, non in auro, & gemmis pretiosis Mater Domini mei ad me contemptam? Sic & filius
Matt. 3. Matth. 3. Ego à te debeo baptizari, & tu
Ioan. 1. venis ad me. Ioann. 1. Cuius non sum dignus, vt soluam eius corrigiam calceamenti. Sed quod Elisabeth non debebatur, erat Virginis: quæ quantò maior, eò se humiliùs gerebat, sequens odorem, & sentiens fructum ventris sui, quia ait Lucæ 22. Ego
Lucæ 22. in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. Sed quibus fericis, gemmisve ornata ve-
Psal. 44. nit? Accepisimis quidem Deo. Psalm. 44. Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate. 1. Petr. 3.
1. Petr. 3 Quantum non sic extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri aut indumenti vestimentorum cultus, sed qui absconditus est cordis homo, incorruptibilitate quieti, & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples.

Ecce enim, vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. Siquidem argumento indubitato sensi Domini mei aduentum. O quàm mira, & cita Spiritus Sancti operatio! Nulla in discendo mora est, vbi Spiritus Sanctus Doctor adest. En vno eodemque momento cum voce salutantis, nascitur gaudium infantis: quia cùm vox intrauit aures corporis, virtus spiritualis cor intrauit audientis: nec solam genitricem, sed & sobolem amore Dei aduenientis accendit. Subsilijt velut occurrere gestiens Domino suo, ac debitum honoris officiũ exhibere, & applaudens voci quam Adam in Paradiso timuit audire, & à facie Domini fugit, sed non aufugit. Genes. 3. Domine audiui vocẽ tuam, & timui, eò quòd nudus essem. Adam de publico in abscondi rum fugit, Ioannes de abscõdito in lucem gestit omnibus indicare agnum, qui tollit peccata mundi, Ioan. 1. *Genes. 3.*

Et beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino. Hoc certè nomine fœlix es, quòd non fis diffisa quàmlibet incredibilibus Angeli verbis. Mirum in modum idem spiritus cum eam impleuit, præsentiam simul, & præteritorum, ac futurorum scientiam instruxit. De præsentibus, quia matrem Domini agnouit, & præsentem redemptorem in vtero eius: & de præteritis, quia verba Angeli ad MARIAM, & consensum MARIÆ prodidit, dicens: Beata quæ credidisti: aperuit de futuris, cùm perficienda à Domino, quæ ei dicta essent. Sed quæ? Nã gratia plena, Dominus tecum, & in mente, & in vtero, benedicta inter mulieres, benedictum fructum ventris baiulat, quid igitur restat? Certè quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei, & dabit illi Dominus Deus sedem Dauid. Hebr. 2. Nec
Hebr. 2. dum videmus ei subiecta omnia. Ecce quia
Hebr. 11. est virtus fidei, quæ etiam in matre Domini commendatur. Heb. 11. Sine fide impossibile est placere Deo. Demus ergo magnificentiam Deo nostro, quia Dei perfecta sunt opera (Deutor. 12.) redemptionis, sicut, & creationis: & speremus quod & perficientur in nobis glorificationis, vt occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christ. Ephes. 4.
Deut. 12.
Eph. 4.

Et ait MARIA. Videns per alios spiritu Dei afflatos, arcana in se peracta mysteria reuelari, quæ hactenus virginali pudore texerat animi sui gaudia, Spiritu Sancto correpta, quo iam dudum erat plena, non sibi temperat, quin hymno gratulabundo prorumpat in laudem Dei, cuius bonitati tribuendum quidquid præclari contingit hominibus. Ambrosius: Sicut peccatum à mulieribus cœpit, ita & bona à mulieribus inchoantur: vnde non otiosum videtur, quòd ante Ioannem Elesabeth prophetauit, & MARIA ante Domini generationem, sequitur: MARIÆ persona quò melior, eò prophetia sit plenior. Concinuit

MA-

MARIA soror Aaron canticum, quam transissent filij Israel mare rubrum, subuerso Pharaone, Exod. 15. Debora, deuicto Sisara, Iudith. 5. Meritò hæc, quæ liberatorem gestabat per baptismum de manu Diaboli saluantem. Cantauit, & Moyses legem donans, per canticum populum ad obseruandum contestans. Cecinit, & Anna, prophetam enixa fidelem. 1. Reg. 2. Dignius MARIA, quæ & ipsum legislatorem, & Dominum prophetarum protulit. Exceditquidem omnia cantica ex parte concinentis, quæ superuentione Spiritus Sancti illuminatissima, lucem ipsam gestabat in vtero totius mundi: & ex parte ipsius canticipræterita, præsentia, & futura complectentis, non vmbræ, & figuræ, sed veritatis, & exhibitionis, nedum gentis Iudaicæ salutem, sed & gentium fidissimè promittentis.

Exod. 15 *Iud.* 5. 1. *Reg.* 2.

Magnificat anima mea Dominum. O Elisabeth, tu magnificas in me quod vides: sed hoc totum diuini muneris est, vnde nihil est quod meis arrogem meritis. Iacob. 1. cob. 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum. Et ideo non lingua tantũ, sed & ex intimis præcordijs, anima mea Dominum extollit laudibus. Isai. 29. Matth. 15. Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me. Ideo Psalm. 68. Laudabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum cum laude. Eccles. 43. Exaltate illum quantum potestis, maior est enim omni laude. Ambros. Quis plus magnificare potest Deum, anima MARIÆ, quæ & Deum secum, quem cœli, & terræ capere non possunt, habebat? Psalm. 33. Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipsum. Quemadmodum nomen Domini blasphematur mala vita (Roman. 3. Quotidie nomen meum per vos blasphematur inter gentes) sic bonis operibus magnificatur. Philip. 1. Nunc magnificabitur Christus in corpore meo, siue per vitam, siue per mortem. Et quia Dei laudem sequitur exultatio mentis, subdit.

Iacob. 1. *Isai.* 29. *Matt.* 15 *Psal.* 68. *Eccles.* 43 *Psal.* 33. *Roman.* 3 *Phil.* 1.

Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Basilius. Primus fructus spiritus est pax & gaudium, & quia Beata Virgo totam Spiritus Sancti hauserat gratiam, meritò exultauit. Gaudio ineffabili gestit spiritus meus, cœlesti afflatus spiritus, non in sese, sed in Deo, qui mihi cunctisque salutis author. Beda: Eius anima Dominum magnificat, qui omnes interioris hominis affectus, diuinis laudibus ac seruitijs mancipat, qui obseruantia mandatorum Dei semper potentiam eius maiestatis se cogitare demõstrat, Eius spiritus exultat Deo, quem nihil in terrenis libet, nulla caducarum rerum affluentia emollit, nulla aduersitas frangit, sed sola illius à quo salus speratur, æterna sui conditoris memoria delectat. Psalm. 76. Renuit consolari anima mea: memor fui Dei, & delectatus sum. Teoph. Ille Deum magnificat, qui dignè sequitur Christum: & dum Christianus vocatur, Christi non minuit dignitatem, magna & cœlestia operando. Ioannis 15. In hoc clarificatus est pater meus, vt fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei discipuli. Et tunc spiritus eius, id est, spirituale charisma exultabit, id est, proficiet. Spiritus, pars mentis nostræ est superior, qua ad superna conuertimur: Anima, inferior, quæ animat corpus, vegetando, & sensificando, à quo dicitur animalitas. Hinc 1. Thessalon. 5. Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, vt integer spiritus vester, & anima, & corpus, sine querela in aduentu Domini nostri IESV Christi seruetur. Sunt qui lætantur, cùm malefecerint, & exultauit in rebus pessimis, Prouerb. 2. de quibus Iacob. 4. Nunc autem exultatis in superbijs vestris. Omnis exultatio talis maligna est, ideo Isai. 61. Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo. Philip. 4 Gaudete in Domino semper. Hoc prædixit Abac. 3. Ego autem gaudebo in Domino, & exultabo in Deo IESV meo. Præmissa laude, subiungit beneficia, primò specialia sibi impensa.

Psal. 76. *Ioan.* 15. *Thessal.* 5. *Prou.* 2. *Iacob.* 4. *Isai.* 61. *Phil.* 4. *Abac.* 3.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Beda. Humilem se suo iudicio Christi ancillam fuisse demonstrat, sed respectu gratiæ cœlestis repẽte sublimatã, atque in tantum glorificatam, vt sua beatitudo præcipua meritò cunctarum gẽtium voce miretur, quibus ex ea contigerit seruator. Augustinus. Plus humilitas virginis, quàm castitas placuit, quia castitas sine humilitate nunquam placere potest. Matth. 25. fatuis dicitur: Amen dico vobis, nescio vos. Genes. 4. Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Hinc Matth. 11. Discite à me quia mitis sum, & humilis corde. Sic Dauid ait. 2. Reg. 6. Ludam ante Dominum qui elegit me, & vilior fiam plus quàm factus sum, & ero humilis in oculis meis. Nihil ergo suis meritis tribuit, sed totam suam magnitudinem ad illius donum refert, qui essentialiter magnus, & potens existens, fideles suos deparuit, atque infimis fortes facere consueuit, & magnos.

Matt. 25 *Genes.* 4. *Matt.* 11 2. *Reg.* 6.

Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius. In Spiritus Sancti superuentione, filij altissimi incarnatione

ne virginitatis meæ conseruatione, vt mater sim & Virgo, & filij Dei mater, vnum cum patre habens filium; immensa enim
Psal. 113. virtute sua nihil non potest. Psalm. 113. Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit. Sapien. 12. Subest enim tibi, cùm volueris, posse. Et idcirco nomen meum inter fœlices numerabitur, cæterum illius nomen erit vbique sanctum, & adorandum.
Iere. 14. Ierem. 14. Nomen tuum inuocatum est super nos, ad quod se flectet omne genu. Philip. 2. Per quod vnum contingit salus vniuersoorbi. Act. 4. Non enim est aliud nomen sub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos Saluos fieri. Ad hoc nomen inuocatũ pellentur morbi, torpescent vena, fugient Dæmones, reuiuiscent mortui. Marc. 16. In nomine meo Dæmonia eijcient. Ioel 3. Roman. 10. Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Qui cumque ergo sanctitatis, & æternæ salutis volunt esse participes, ad huius nominis aduolare inuocationem necesse est. Matth. 6. Sanctificetur nomen tuum. Consequenter ponit beneficia communia.

Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Gratuitum hoc erit, quòd nominis huius professio salutem, & sanctimoniam conferet vniuersis, non debitum misericordiæ erit, non meriti: quã largissimè profundet, non solùm Iudæis, qui illum expectarunt, quibus & missus, (Matthæi 15. Non sum missus, nisi ad oues quæ perierunt, domus Israel. Ioan. 4. Salus ex Iudæis) sed quicunque relictis vitijs timere cœperit Deum, is Israelitico consortio censebitur dignus. Act. 10. In veritate comperi quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. Rom. 15. Dico enim Christum IESVM ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum, gentes autem super misericordia honorare Deum, Act. 11. Ergo & gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam. Notanter dicit, timentibus eum. Qui enim sine timore est, non poterit iustificari, Eccles. 2. Malac. 4. Vobis timentibus nomen meum orietur Sol iustitiæ.

Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui. Deus enim volens deijcere supercilium sapientiæ potentiæque mundanæ, per filium suum factum humilem exercuit robur sui brachij, (Isai. 53. Brachium Domini cui reuelatum est?) ac stultam fecit huius mundi sapientiam. 1. Corinth. 1. deiecit ac fregit potentiam. Ioan. 12. Nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Luc. 11. Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia: si autem fortior superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet. Sic Iudæi per crucem, & mortem, Domini memoriam extinguere conantes, illum magnificarunt: & dispersionem quam timebant, incurrerunt. Foderunt enim foueam, & inciderunt in eam, Psal. 56. Iob. 5. Qui dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum, quod cœperant. Qui apprehendit sapientes in astutia eorum, & consilium prauorum dissipat. Hinc Isai. 8. Inite consilium, & dissipabitur, & 19. Dominus miscuit in eis spiritum vertiginis, & errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo. Beda: Quia initium omnis peccati superbia, Eccles. 10. ob cuius demeritum Dominus genus humanum à stabili habitatione patriæ cœlestis eijciens, in huius peregrinationem exilij longè latèquè dispulit. sed & his, qui in peccatis perdurare non timent, grauiorem futuræ dispersionis vindictam reseruauit.

Psal. 56. *Iob* 5. *Isai.* 8. & 19. *Eccles.* 10

Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Beda: Non quia verè potentes, sed quia in virtute sua confidebant, sublimes in thronis, sapientia turgidi, potentia formidabiles, conditoris auxilium quærere dedignabantur, de rerum fastigio deposuit. Sapien. 2. Sit autem fortitudo nostra lex iniustitiæ. Quod enim infirmum est, inutile inuenitur. Quid autem? Sapien. 6. Quoniam cum essetis ministri Regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundùm voluntatem Dei ambulastis. Horrendè, & citò apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum in his qui præsunt, fiet Eccles. 10. Sedes ducum superborum destruxit Dominus, & sedere fecit mites pro eis. Radices gentium superborũ arefecit Deus, & plantauit humiles ex ipsis gẽtibus. Claret. Isai. 14. Quomodo cecidisti Lucifer qui mane oriebaris? 1. Reg. 15. Cum esses humilis in oculis tuis, caput in tribus Israel factus es. Sic superbus Antiochus vermibus consumptus. 2. Macha. 9. sic & Herodes Act. 12. Illi autem verè potentes sunt, qui dicere cum Apostolo possunt: Omnia possum in eo qui me confortat, de quibus Iob. 36. Deus potentes non abijcit, cùm & ipse sit potens, sed non saluat impios. Prouer. 29. Humilem spiritu susceipiet gloria. Sic humilibus virtutem dedit calcandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem potestatẽ inimici. Luc. 10. adoptatis in filios.

Sap. 2. *Sap.* 6. *Eccles.* 10 *Isai.* 14. 1. *Reg.* 15 2. *Mac.* 9 *Act.* 12 *Iob* 36. *Prou.* 29. *Lucæ* 10.

Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Qui suam agnoscentes iniustitiam, iustitiam Dei esuriebant, hos Deus suis expleuit bonis. Contra qui sibi videbantur prædiuites, ac bonis operibus abundan-

Mitt. 15 *Ioan.* 4. *Act.* 10 *Rom.* 15. *Act.* 11 2. *Mal.* 4 1. *Cor.* 1. *Ioan.* 12. *Lucæ* 11. *Isai.* 53.

dantes, & ideo non esuriebant gratiã Euangelicã, hos reiecit à se famelicos. Apoc. 3.
Actor. 3. Dicis quia dives sum, & locupletatus, & nullius egeo, & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Non fecit, sed dimisit inanes, quales erant. Basilius: Genus sitiebat humanum, exceptis Iudæis, hos namque ditauerat legis traditione, sanctorũ dogmate prophetarum, alijsque chrismatibus, vt paneve scerentur.
Matt. 15. Matth. 15. Non est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus. Quia verò non humiliter adhæserunt Verbo humanato, dimissi sunt inanes, nihil deferentes, non fidẽ, non scientiã, & spe bonorũ priuati sunt, & ab æterna Ierusalem, & à vita futura exB
Matt. 21 clusi. Matth. 21. Auferetur à vobis Regnum, & dabitur genti facienti fructus eius.
Actor. 13 Act. 13. Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: sed quia repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes, sic enim præcepit nobis Deus. Audientes autem gentes gauisæ sunt. Quos enim de gentibus fames, & sitis contriuerat, quum hæsissent Domino, repleti sunt spiritualibus bonis. Beda. Qui æterna perfectè nunc esuriunt, ad hæc appetenda, infatigabili operum iustorũ iactantia certare non desistunt, satiabuntur vtique, quum sui redẽptoris gloria, quam desiderabant, apparuit. Psal. 16. Sattabor, cùm
Psal. 16. C
Lucæ 22. apparuerit gloria tua. Luc. 22. Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus Regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam. At qui cunque cœlestibus diuitijs terrenas præponere gaudent, hi nimirũ tẽpore vltimæ districtionis inanes totius beatitudinis dimittituntur à Domino, ideò cum Diabolo perennis miseriæ pœna plectuntur, quemadmodum dives ille Epulo.
Lucæ 16. Luc. 16. Quod etiam in hac vita ex parte non minima videmus impleri, vt & humiles supernæ bonitatis alimonijs repleãtur, virtutumque cœlestiũ vbertate ditescant, & qui vel terrenis diuitijs gloriantes superbiunt, vel de opibus se bonorum operum, quasi hæc à se haberent, extollunt intus à lumine veritatis inanescunt. Beati ergo qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur, Matth. 5.
Matth. 5

Suscepit Israel puerum suum recordatus misericordiæ suæ. Beda: post generalem diuinæ pietatis, ac iustitiæ commendationẽ, ad specialem nouæ incarnationis dispensationem, qua mundum Deus redimere dignatus est, confessionis verba conuertit. Israel, vir videns Deum dicitur, quô omnis Redemptorum cœtus designatur, propter quos, vt Deum videre valeant, ipse Deus A homo visibilis inter homines apparuit. Suscepit quasi mendicus ægrotum, quem curet, Rex populum, quem ab hostium incursione defenderet, ac secum perpetuò regnare donaret. Et benè addit, Puerum suum, quasi peculiariùs adamatum, humilem, & obedientem significans: quia non nisi per virtutem humilitatis potest quis ad consortium Redemptoris attingere. Matth. *Matt.* 18.
18. Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum cœlorum. Non erat oblitus promissi sui, sed ob longã moram, perinde quasi fuisset oblitus, obrepserat desperatio, sed nunc declarauit sese nequaquam immemorem sui populi, exhibens quod olim promiserat. Benè B
addit, *misericordiæ*: quia quòd hominem (vt nos redimeret) assumpsit, non humanæ meritum conditionis, sed diuinæ donum pietatis extitit, suscipiens eos qui vident per fidem, in cœlestem hæreditatem.

Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, & semini eius in secula. Genes. *Genes.* 3.
22. Benedicentur in semine tuo omnes gentes, Gal. 3. Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius. Non dicit in seminibus, *Galat.* 3.
quasi in multis, sed quasi in vno: & semini tuo, qui est Christus. Beda: Semen Abrahæ non tantùm illos dicit electos, qui ex Abrahæ progenie sunt corporaliter editi, verùm etiam nos qui de gentibus ad Christũ C
congregati, illis fidei societate patribus sociamur. Gal. 3. Si autem vos Christi, ergo *Galat.* 3.
& semen Abrahæ estis, secundùm promissionem hæredes. Rectè in conclusione subiungitur, *in secula:* quia nimirum præfata promissio hæreditatis supernæ, nullo vnquam fine claudetur. Nam vsque in finem seculi huius non deerunt, qui in Christum credendo, semen fiant Abrahæ, & futuræ beatitudinis eidem semini manebit gloria perennis. Vnde oportet nos quibus æterna merces promittitur, sine vlla intermissione, donec accipiamus, certare.

Mansit autem MARIA cum illa quasi mensibus tribus: & reuersa est in domum suam. Ambrosius. Non sola familiaritas D
est causa, quòd diu manserit, sed etiam tanti vatis profectus. Nam si primo ingressu tantus profectus extitit, quantum putamus, vsu tanti temporis sanctissimæ MARIÆ addidisse præsentiam? Mansit ferme tribus, sanctis colloquijs, & amicis obsequijs sublenans anum: & quia paritura Elisabeth discedit propter multitudinem, qui ad partum conuenturi erant.

F. AN-

F. ANTONIVS BRIXIENSIS.

NOTA.

Hic Doctissimus Pater Dominicanæ familiæ S. P. N. Dominici Alumnus Antonius Brixiensis, siue de Brixia dictus, vir vndequaque doctus, & in Sacra Scriptura eximiè versatus, & in dogmatibus catholicis luculẽter exercitus, Hæreticorumquè censor acerrimus & Inquisitor Brixiæ insignis extitit, ac in tota Italia celebris, ac fructuosus verbi Dei Declamator, & vbique acceptissimus fuit. Claruit à Dominica Annunciat. & Virgineo partu anno M. CCCCXC. secundùm aliquos; licèt hoc meo videri non sit verũ, cùm ipse Sermone primo asserat se cõtemporaneum extitisse Nostri Aluari Pelagij, qui ad annum M. CCCXX. floruit. Sed hoc etiam videtur impossibile, quia tunc Inquisitores non erant. Scripsit vtile volumen Contionum, siue: Sermones Aureos Quadragesimales vnà cum Sermonibus de Sãctis. *Quos Benedictus Britãnicus auulsis gramimbus, mendis, & erroribus resignauit, primoque decori, & dignitati restituit. Brixiæ impressos per Angelum Britanicum anno à Christo nato, & humana redemptione M. D III. Horum quinque pro Quadragesimæ Sabbatis sunt de Beatissimæ Virginis Genitricisque Dei MARIÆ laudibus. Et licèt minùs piè de purissima eius, & immaculata Conceptione sit locutus. Ne tamen eius labor iam iam penè extinctus, neue Virginis encomia sub tenebris latitarent, & futuris sæculis oblita manerent, in hac Nostra Bibliotheca ad lucem iterum reuoco. De ipso agunt Antonius Lusitanus, & Alphonsus Fernandez Placentinus in Bibliothec. Prædicat. D. Antonius de Leon in sua Bibliothec. manuscript.*

SERMO I. DE EXCELLENTIA SANCTIFICATIONIS

Beatæ Virginis, contra impugnatores Sanctarum Scripturarum, Canonum, Doctorum Ecclesiæ sanctæ Dei, commentitio, ineptoquè honore.

SABBATO PRIMO.

Marc. 6. *Erat nauis in medio maris.* Marc. 6. Naturalis nostra cognitio est, vt per magis nota nobis, quæ sunt materialia, & sensibilia, ad minùs nota, quæ sunt à materia remota, procedamus. 1. Physicorum. Innata est nobis via à notioribus nobis, in certiora, & notiora naturæ procedere. Et ratio est, quia Commentator. 3. de anima, & super librum de causis. Causa nona, qui dicit. Omnis intelligentia est plena formis. Et Auicẽna in Comment. super ipsam causam nonam. Vnumquodque recipitur in aliquo secundùm modum recipientis. Et ideo intellectus noster ex habitatione carnis contrahit quandam debilitatem ad intelligendum illa, quæ sunt supra materiam corporalem. 2. Metaph. Sicut se habet oculus noctuæ ad lumen Solis, ita & intellectus noster ad ea, quæ manifestissima in natura 3. de anima. Phantasmata sunt intellectui, sicut sensibilia sensui. Lib. de sen. & sen. Necesse est intelligentem aliquod phantasma speculari, & hoc quia. Dionys. 1. capite cœlestis Hyerarchiæ. Impossibile est nobis aliter lucere diuinum radium, nisi varietate velaminum circumvelatum. Inde est, quòd circa excellentiam triumphorum Beatissimæ Reginæ cœli MARIÆ Beatus Bernardus volens intendere, dicebat. Nihil est, quòd tãtũ me terreat, sicut de Beata MARIA habere Sermonem, quia magna laude dignam parum laudare, vituperare est: & Hieronymus ad Eustochium. Timeo satis, ne dum eam laudare volo, indignus laudator inueniar. Profectò cùm nec sanctitas, nec facundia supperat, vt Beatam, & gloriosam Virginem MARIAM dignè laudare queam, quoniam quicquid humanis dici po-

potest verbis, minùs est à laude reginæ cœli, Vnde meritò sacratissimus Euãgelista, Mar. 6. c. eius excellentiam sublimilitudine nauis, in hodierna lectione proponit. *Erat nauis in*
Prou. 31. *medio mari, &c.* De qua & Salomon. Prouer. vltim. *Facta est quasi nauis institoris, de longè portans panem suum*, id est, Christum, qui
Ioan. 6. dicit. Ioan. 6. *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi.* Duo ergo in verbis præmissis innuit Euang. de Beata Virgine MARIA, integritatem sanctificationis: *Erat nauis.* Resistentiã impulsionis, *In medio mari.* Pro quorum declaratione in commendatione Beatæ Reginæ cœli MARIÆ erit ista pulcherrima, & digna conclusio hodie ventilanda. Beatissima Virgo MARIA in vtero matris sanctificata, nunquam peccauit, nec peccare potuit. Benè ergo nauis integerrima, quæ nullis vnquam impulsionibus submersa fuit. Dictã conclusionem disputat subtiliter Doctor Paradisi Sanctus Thomas de Aquino 3. senten. dist. 43. art. 3. q. 1. ad 3. 3. part. q. 14. art. 3. ad primum, quodlibeto 6. q. 5. arti. 1. Cùm quo etiã conueniunt Sanctus Bonauentura Card. ex Ordine Minorum cum Alexandro de Ales, & Ricardo, & Domino Magistro Aluaro Hyspano, &c. Dominus etiam Albertus Magnus cum supradictis in 3. sententiarum, dist. 3. & super Missus est, Ægidius de Roma, in quodlibetis, Augustinus de Ancona super Missus est Angelus, &c. Quæ quidem conclusio pro ornatu, & dignitate sua deducitur hoc modo. Nam habet Plato in titulo, quòd optimus est mundi Auctor. & Aristo. 11. Metaph. Deum dicimus sempiternum, & optimum, & secundùm hanc bonitatem produxerit mundum Plato in Titulo. Bonitas Dei causa fuit factionis mundi, & generationis omnium rerũ.
Prou. 16. Et Prouerb. 16. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.* Et sic omnia debuerunt creari, & fieri per eum bona, & perfecta. Quia Dionysius 4. capit. de diuinis nominibus. Optimè est, optima facere 10. Ethim. Vnusquisque dirigere debet operationem suam secundùm optimũ eorũ, quæ sunt in ipso. Et Boetius 4. de cons. Agit cuiusque natura secundũ id quod proprium est illi. Propterea creato vniuerso: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, &*
Genes. 1. *erant valdè bona.* Genes. 1. cap. & de homine
Eccles. 7. dicitur, Eccles. 7. *Inueni quòd Deus fecerit hominem rectum, sed ipse infinitis se miscuit quæstionibus.* De sanctissima Trinitate, & Fide Catholica. c. firmiter in decretali paragrapho. * Diabolus enim, & alij Dæmones à Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali; homo verò diaboli suggestione peccauit. Verùm, quia 1. de anima omnem artem vti organis, animam verò corpore, necesse fuit corpus humanum esse organũ præcipuè sensus tactus, quia 3. de anima sensus tactus primus est sensuum, quia sine eo

A non potest esse animal. Et per consequẽs medium inter tangibilia 3. de anima. Quod non poterat esse, nisi esset compositum ex contrarijs 3. de anima. Impossibile est corpus animal esse simplex elementum, & 2. de generatione. Necesse est corpora mixta ex omnibus constare elementis, & non ex vno. Et quia iterum 2. de generatione. Ignis est contrarius aquæ, & aer terræ. Ideo libro de Lon. & breuitate vitæ dicit Aristoteles. Impossibile est habenti materiã nõ esse corruptibile. Et propter hoc Deus fecit, sicut faceret artifex circa ferram ad secandũ, quæ licèt ex auro, vel argẽto dignior, quàm ferro esset, tamen ad secandum oportet, quod sit ex ferro, quod ru-
B biginem contrahit, sicut docet S. Thom. 2. 2. q. 164. ar. 1. Inde prouidit huic corruptioni per donum iustitiæ originalis, vt ex gratia haberet homo, quod nõ habebat ex natura, vt scilicet, quandiù mens primi hominis esset Deo subiecta, inferiores vires animæ subijcerentur rationali menti, & corpus subijceretur animæ, sed quia mens primi hominis, per peccatum à diuina subiectione recessit, consecutum est, vt nec inferiores vires totaliter rationi subijcerentur. Vnde tanta est rebellio carnalis appetitus ad rationẽ, * & trãsfusus fuit in omnes ab Adam descendentes * fomes peccati, id est, in ordinata concupiscẽtia appetitus sensitiui contra rationem, 3. p.
C q. 27. art. 3. de quo dicitur. Galat. 5. *Caro cõcupiscit aduersùs spiritum*, Romano. 5 *Vi-* Galat. 5.
deo aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati. Et per consequens. Rom. 7. *Sicut* Rom. 5.
per vnum hominem peccatum intrauit in hũc mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertrãsijt, in quo omnes peccauerunt. Vnde S. Thomas dicit 3 sent. dist. 3. quæst. 2. arti. 2. quòd corruptio istius fomitis est causa quare dicere non possumus, Peccatum non habemus, sed iste fomes, & inordinatus appetitus in prima sanctificatione fuit ligatus, vt non posset insurgere contra ra-
D tionem, & in secunda sanctificatione, quando concepit Christum, fuit totaliter extinctus, & eradicatus. Et hanc sententiam sequuntur omnes infrascripti sancti Doctores Theologi. Ambrosius, Augustinus, Ioannes Damascenus, Fulgentius, Gregorius, Bernardus, Beda, Hugo de Sancto Victore, Magister sententiarum in 3. dist. 3. Hugo Cardinalis super Lucam, Dominus Albertus Magnus, super Missus est, & in 3. dist. 3. S. Thomas in 3. dist. 3. *Obumbrabit tibi, &c.* Significat Omni- Lucæ 1.
modam extinctionem fomitis. Sanctus Bonauentura in 3. dist. 3. Dominus Bertandus de Turre Cardinalis in postilla super Luc. Magister Vlricus de Argentina in summa. Nicolaus Gorram in postilla super verbo: *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi* Lucæ 1.
obum-

Lucæ 1. *obumbrabit tibi, &c.* Lucæ 1. Et Nicolaus de Lyra ibidem. Et sic patet quomodo Beata Virgo MARIA nunquam peccauit. Ideo

Cant. 3. Cant. 3. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Et Augustinus libro de natura, & gratia excepta Matre Domini, sed quia nonnulli præter veritatem interpretantur dictam sententiam Augustini debere intelligi de peccato originali; Notandum est, quòd Pelagius Hæreticus, contra quem Augustinus composuit dictum librum de natura, & gratia, habuit quatuor præcipuos errores. Primus. Quòd pueri non contrahunt originale peccatum. Secundus. Quòd multi homines reperti sunt, qui nunquam actualiter peccauerunt. Tertius. Quòd siue Adam peccasset, siue non, mortuus fuisset. Quartus. Quòd libido est quoddam naturale bonum non proueniens ex peccato. Vnde Augustinus in principio libri improbat primum errorem, dicés. Quòd omnes, excepto Christo, contraxerunt originale peccatum. In secunda parte libri; improbat secundum errorem, ostendens, quòd omnes homines pueri, excepta Beata Virgine peccauerunt actualiter, post vsum liberi arbitrij. Et adducit rationem Pelagij, hoc modo. Demum Pelagius commemorat eos, qui non modo non peccasse, verum etiam iustè vixisse referuntur. Abel, Enoch, Melchisedech, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Iesu Naue, Finees, Samuel, Natham, Heliam, Heliseum, Micheam, Danielem, Ananiam, Azariam, Misaelem, Ezechielem, Mardocheum, Simonem, Ioseph, Ioannem Baptistam. Adiungit etiam fœminas, Deboram, Annam, Samuelem, * Iudith, Hester, Annam filiam Samuelis, * Elisabeth, & etiam ipsam Saluatoris Matrem, quam dicit sine peccato confiteri necesse esse pietati. Hæc ille. Ecce quòd Pelagius, qui dicebat omnes homines esse sine originali peccato ab actuali peccato excipiebat illos triginta enumeratos. Et hoc Augustinus respondens statim post verba prædicta subinfert. Excepta hac Virgine MARIA, de qua propter honorē Domini, cùm de peccatis agitur, nullā prorsus volo habere quæstionē. Inde enim scimus plus gratiæ ei fuisse collatum ad vincendum ex omni parte peccatum, quæ illum concipere, & parere meruit, quem nullum constat habuisse peccatum, hac ergo Virgine excepta, si omnes illos Sanctos, & Sanctas, quos enumerauit Pelagius congregare possemus, dum adhuc viuerent, & interrogare, an peccatum haberent, quid eos responsuros fuisse putamus? An, quòd Pelagius ait? An quòd Ioannes dicit? *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, &c.* Deinde subiungit: hæc dicens Pelagius non attendit, in vno homine turbam, & multitudinem esse leuium peccatorum,

** forte Sulamitem.*

** Ragueli.*

1. *Can.* 1.

A quæ non debuit, vel non potuit scriptura manifestare; non enim comemorandum fuit, si Abel, quamuis meritò iustus appellatus paulò aliquando immoderatiùs risit, vel animi remissione iocatus est, vel viderit aliquid ad concupiscendum, vel aliquando immoderatius poma decerpsit; vel plusculo cibo crudelior fuit. Hæc ille. Et hoc modo prædictam auctoritatem exponit Magister in 3. sentent. Dominus Albertus Magnus, Alexander de Ales, Bonauentura, & Sanctus Thomas in 3. sent. Hanc Virginis excellentiam, & puritatem præuidit Moyses Exod. vlt. Postquam cuncta perfecta sunt: *Operuit nubes Tabernaculum testimonij, & gloria Domini impleuit illud.* Similiter, & Salomon Prou. 25. *Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum.* Glossa, aufer originale peccatum à Beata Virgine, & nascetur sine peccato. Et hanc Glossam sequuntur infrascripti Theologi. Dominus Hugo Cardinalis in postilla. Magister Martinus Polonus, Magister Iacobus de Beneuento, Magister Iacobus Episcopus Lausanensis, Magister Conradus Taxo cognomento Oleingarius. Magister Aluarus Hispanus Ordinis Minorum in summa sua de planctu Ecclesiæ: *Aufer rubiginem &c.* Id est, fomitem inordinatæ concupiscentiæ appetitus sensitiui, super qua sententia etiam Magister Gilbertus in sermone Natiuitatis dicit: Habuit siquidem Beata Virgo rubiginem fomitis, quæ contrahitur de vetustate transgressionis Adæ, sed igne Spiritus Sancti purgata fuit, & purissimum vas permansit, quia nec lutum actualis, peccati, nec puluerem venialis postmodum habuisse creditur. Et præfatus Magister Iacobus Lausanensis in sermone Natiuitatis Beatæ Virginis, qui incipit: *Aufer rubiginem, &c.* Dicit committitur Spiritui Sancto à tota Trinitate qui totius puritatis, & sanctitatis est author, Virginem MARIAM purificare, & mundare, cùm dicit: *Aufer rubiginem, &c.* Quia nulla de mulieribus euasit hanc rubiginem, & nullus de viris præter Christum, iuxta illud Eccles. 7. *Virum vnum de mille vix reperi, mulierem autem ex omnibus non inueni.* Et ipse Dominus Magister Aluarus, &c. Episcopus Siluenensis in summa ipsa de planctu Ecclesiæ, articulo quinquagesimo secundo, dicit de Matre Christi Beatissima tenent Sancti, maximè Augustinus, quòd non peccauit etiam venialiter in hac vita, quia excellenter sanctificata fuit in vtero matris, &c. Et hanc sententiam tenent omnes antiqui Theologi. Alexander, Thomas, Bonauentura, Ricardus, licèt quidam noui Theologi à sensu Ecclesiæ communi recedentes, teneant contrarium, indeuoti reuera Virginis, cuius deuoti apparere nituntur, eam quodammodo Deo, & filio suo comparantes:

Exo. vlt.

Prou. 25.

Eccles. 7.

Quo-

Quorum noua opinio, & phantastica, sit à fidelibus cancellata, quia sanctificationem Virginis negat, contra illud, quòd tenet Ecclesia ipsam sanctificatam fuisse. Si enim non habuisset fomitem, sanctificatio necessaria non fuisset, sicut nec in Christo. De isto eximio Doctore mentionem facit Dominus Archidiaconus in apparatu libri sexti, in titulo de regularibus, in capite, non solùm, in verbo indicijs, sicut de facto patuit in socio nostro Magistro Aluaro Doctore Decretorum Hispano, qui omnibus suis beneficijs renuntiauit expressè, & omnia sua inter pauperes dispensauit, & immediatè ingressus est ordinem Fratrum Minorum. Patet igitur quomodo Beata MARIA nunquam peccauit. Videamus quomodo peccare non potuit secundùm Dominum Albertum Magnum super Missus est. Quatuor modis dicitur aliquid non posse peccare. Primò, ex eo quòd habet naturam inuertibilem, sicut Deus. S. Thomas 1. parte quæst. 25. art 3. in responsione ad secundum articulum, quia peccare est deficere à perfecta operatione. Vnde posse peccare est posse deficere in agendo; in Decretali de summa Trinitate, & fide Catolica, firmiter, in Glossa super Verbo, omnipotens, omnia potest quæ decet eius potentiam, & quia posse est aliquid posse, ideo peccare non potest, quia peccare non est aliquid posse, vt ait Augustinus, immo est aliquid non posse, dist. 2. §. charitas, quod repugnat omnipotentiæ Dei. Deut. 36. *Deus fidelis, & absque vlla iniquitate iustus, & rectus Abraham*, id est mundi, *sunt oculi tui Domine, & respicere ad iniquitatem non potes.* Hieronym. solus Deus est, in quem peccatum non cadit, nec cadere potest. Secundò, ex eo quòd habet vnionem personalem ad naturam inuertibilem, sicut Christus. Damascenus. Impeccabilis erat homo Christus, & Ioann. 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Tertiò, ex eo quòd habet coniunctionem ad naturam inuertibilem per medium, quod est de sui natura inseparabile, sicut habitus gloriæ in Beatis, qui peccare non possunt. Psalmus: *Confortauit seras portarum tuarum.* Quartò, ex eo quòd habet coniunctionem ad naturam inuertibilem per medium, quod etsi de sui natura in se quidem est separabile, tamen omnino est separatum ab omni contrario repugnante, vel resistentes vel impediente, & ista est singularis plenitudo gratiæ, quæ fuit in Beata Virgine. Quam videns Ioseph, sicut dicit Bernardus. Credebat potiùs Virginem posse parere, quã MARIAM posse peccare. Vnde tanta fuit innocentia MARIÆ, quòd cum tantæ pulchritudinis esset, à nullo vnquam concupisci potuit. S. Thom. 3. dist. 3. quæst. 1. art. 2. & Bernardus in epistola ad Lugdunenses, quæ incipit. Miramur fratres, &c. Ego puto, quòd copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit, quàm in alijs sanctis, quæ non solùm ipsius ortum sanctificaret, sed & vitam eius deinceps ab omni peccato immunem conseruaret, quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum. Decuit nimirum Reginam Virginum singulari priuilegio sanctitatis, vitam absque omni peccato ducere, quæ dum peccati, mortisque peremptorem pareret, vitæ iustitiæque munus omnibus obtineret. Hæc Bernardus. Patet igitur conclusio: quomodo Beata Virgo nunquam peccauit, nec peccare potuit, quia nauis integerrima fuit, &c.

SERMO II.

Quòd MARIA est stella maris. Sabbato secundo.

Matt. 1. R *Esplenduit facies eius.* Matth. 17. Deuotissimus Bernardus volens innuere quanta excellentia, & prærogatiua virtutum contineatur in hoc nomine MARIA, sic dicit super Missus est. De gloria nominis huius nec dignum aliquid sterilis concipere cogitatio, nec inerudita potest locutio parturire. Vnde nec mirum si pauca dicamus, qua cogitatione deficimus; nec mirum. Quibus gustare, de tanta dulcedine non est datum, &c. Sed qui non gustat, non potest intelligere. Vnde Dauid. *Gustate, & videte.* Gustat affectus, videt intellectus, & oportet, quòd gustus præcedat ad hoc vt illuminare valeat intellectum, sicut figuratiuè habetur de Ionatha. 1. Reg. 14. Quòd gustato melle, *illuminati sunt oculi eius.* Vnde Bernardus, qui gustauerat, sic dicebat. Sicut nomen IESV mel in ore, in aure melos, in corde iubilus, sic & nomen MARIÆ. Pro hodierno ergo sermone videbimus, quomodo secundùm interpretationem Hieronymi. MARIA est maris stella, &c. Circa stellas diuinus Plato, Aristoteles 12. Methaphisicæ, & 1. & 2. de celo, & mundo. Endosus, Calippus, contemporanei Aristotelis. Ptolomeus, Albumasar, Alfarabius, Euclides, Algacel, Alcabitus, Albertucius coment. super Alcabitium. Haly Cõmento: Ptolomei, Albertus Magnus, Sanctus Thomas super 1. & 2. de cœlo, & mundo. Lyconiensis in Astrolabio, Thebit de quantitate stellarum, & cæteri Astrologi sex considerant, scilicet, materiam, formam, situm, motum, virtutem, & quantitatem. Quoad materiam, habet Aristoteles, 2. de cœlo, quòd stellæ eiusdem sunt naturæ, cuius est cœlum, & si diceretur, quare totum cœlum non apparet, vt stella? Respondetur, quòd hoc est propter differentiam in materia cœli. Nam Commentator libro de substantia orbis, & 2. de cœlo & mundo dicit, quòd in firmamento est quædam

Psal. 33. *4. Reg. 14.*

dam pars rarior, quæ est diaphana sicut vitrũ, & cristallum. Alia densior, quæ est lucida. Vnde dicit, quòd stella est densior pars cœli. Sic ergo B. MARIA tota cœlestis, & lucida, quæ melius, quàm Paulus dicere poterat. Philip.

Philp. 3. 3. *Nostra conuersatio in cœlis est.* Vnde in

Apoc. 12. Apoc. 12. cap. dicitur de B. Virgine. *Signum magnũ apparuit in cœlo, mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius*

Apoc. 22. *corona stellarum duodecim.* Et 22. cap. dicit de se ipsa. *Ego sum genus, & radix Dauid, stella splendida, & matutina*, de qua etiam dicitur Num. 24. *Orietur stella ex Iacob, & surget*

Num. 24. *virga de Israel, & percutiet duces Moab.* Si autem diceretur, quare stellæ non videntur in die, si sunt idem cum substantia cœli? Respon

B detur, quòd est propter maius lumen solis, vt ait Comment. 2. de anima. Sic ergo Beata Virgo licèt sit stella splẽdida, & glorioſa, de qua Bernardus super Missus est, dicit: MARIÆ præsentia totus illustratur orbis, adeo vt ipsa cœlestis patria solito longè clariùs rutilet, virgineæ lampadis irradiata fulgore. Similiter, & omnes sancti, licèt sint glorioſi, tamen in comparatione Christi, qui est sol iustitiæ,

Iob 25. nihil sunt, & ideo non videntur. Iob 25. *Stellæ in conspectu illius non sunt mundæ.* Ideo Ecclesiast. 7. *Virum de mille vnum reperi, mu-*

Eccles. 7. *lierem autem ex omnibus non inueni.* Ex quo fatui, & præsumptuoſi sunt, qui volunt aliquẽ

C sanctum æquiparare, vel assimilare Christo. Cùm ipse sit solus sanctus alios sanctificans, &c. Quò autem ad formam stellarum habet Aristoteles 2. de cœlo, & mũdo, quòd omnes stellæ sunt rotundæ figuræ, & ibidem dicit, quòd figura spherica est nobilior omnium figurarum, quia semper coniungit finem cum suo principio. Sic B. Virgo stella rotũda fuit, quæ semper coniunxit finem cum principio, nec vnquam ab ipso recesſit. Vnde S. Thom. 3. dist. 3. q. 1. art. 2. ad 4. dicit, quòd sãctificatio B. Virginis excellentior fuit omnibus sanctificationibus. In sanctificatione enim, quæ fit per legem cõmunem in Sacramentis Ecclesiæ, tollitur culpa, sed manet fomes inclinans ad mortale, & veniale. Sed in sanctificatis in vtero manet fomes inclinans solùm ad veniale, sicut patet in Ieremia, & Ioanne Baptista, sed in B. Virgine totaliter fomes extinctus fuit, vt nec ad mortale, nec ad veniale eam inclinare posset. Ideo figura spherica, & rotunda fuit. Vnde Hieronymus ad Eustochium. Fœlix MARIA, cui nec Virginitas defuit, nec humilitas, his nimirum Virgo Regia gemmis virtutum ornata, specie sua, & pulchritudine sua, in cœlestibus cognita ciuium cœlestium in se prouocauit aspectus, ita vt Regis animum in sui concupiscentiam inclinaret, & cœlestem nuntium ad se de supernis educeret. Si quis autem obijceret de cometa, quæ non videtur rotunda, dicitur primo Methaphisicæ, quòd cometa non est stella, sed im-

A pressio quædam aeris, &c. Quò autem ad situm. Sciendum est, quòd metrum, & mensura, circa situm stellarum est Polus, sed sic est, quòd stella maris sita est in summo Poli, respectu omnium stellarum. Sap. 7. *Super omnem* *Sap. 7.*
stellarum dispositionem luci comparata inuenitur prior. Et Anselmus, nihil tibi ò Domina est æquale, nihil comparabile. Omne enim quod est, aut supra te est, aut infra te est. Quod supra te est, solus Deus est. Quod infra te est, est omne quod Deus non est. Vnde Ecclesia dicit. Exaltata es sancta Dei Genitrix super choros Angelorum ad cœlestia Regna. Vbi Albertus Magnus super Missus est, dicit, quòd cùm omnes Angeli sint de aliqua

B Hierarchia, seu omnes chori, & Beata Virgo exaltata sit super omnes choros, sequitur quòd sit exaltata super omnes Hierarchias spirituum beatorum. Vnde & Ezec. 31. dicitur. *Eleuata est altitudo eius super omnia li-* *Ezec. 31.*
gna regionis. Quò autem ad motum stellarũ, &c. Aliter sentit Ptolomeus in quadripartito, & aliter Aristoteles, vt habet S. Thomas in 2. dist. 14. Nam Ptolomeus vult, quòd moueantur in suis sphæris, sicut dicit S. Thom. super 2. de cœlo, & mundo. Lec. 11. 12. 13. & 14. Sed Aristoteles dicit, quòd mouentur ad motum sui orbis 2. de cœlo, & mundo: sola ergo stella maris de loco nescia moueri, circuit immobile punctum, quòd est principium

C cœli, vnde immediatè versatur circa Polum, & est norma infalibillis nauigantibus. Vnde Bernardus super Missus est, dicit. Hæc est illa præclara, & eximia stella super hoc mare magnum, & spacioſum necessariò sublimata, micans meritis, illustrans exemplis, si ergo insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationũ, respice stellã, voca MARIAM; si iactaris superbiæ vndis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis, respice stellã, voca MARIAM. In periculis, in angustijs, in rebus dubijs MARIAM cogita, MARIAM inuoca, non recedat à corde, nõ recedat ab ore, & vt eius impetres orationis suffragiũ, ne dereliquas cõuersationis exemplũ. Quoniã meritò

D dictum est, & nomen Virginis MARIA. Audi ergo stellã circumuolubilem. Ierem. 31. *Ierem. 31.*
Creauit Dominus nouum super terram fœmina circumdabit virũ, &c. Audi pũctũ immobile: Stabiliſq; manẽs dat cuncta moueri, &c. Quò autẽ ad virtutem. Inter alias virtutes ipsius stellæ, vna est, quòd trahit ferrum. Sic & B. Virgo trahit peccatores duros, & frigidos. Bernardus super Missus est. Percurre totam Euangelij seriẽ, & siquid increpatoriũ, siquid durum, siquid vel modicũ habens indignationis inueneris in MARIA, de cætero suspectã eã habeas, & ad eã accedere verearis. Quòd si omnia mansuetudinis plena sunt, sicut sunt, gratias ei age, qui tibi talem dedit mediatricem, in qua nihil tibi possit esse suspectum. Et alibi; Tristatur aliquis, cõtinuò ad nomẽ MA-

RIÆ recurrat, cedit nubilum, serenum redit, & iterum. Bernardus. Sileat misericordiam tuam Virgo Beata, siquis est, qui in necessitatibus suis te inuocatam sibi meminerit defuisse. Nos quidem serui tui cæteris in virtutibus tuis congaudemus tibi, sed in hac potiùs nobis ipsis laudamus virginitatem, humilitatem miramur, sed misericordia miseris sapit dulciùs, & crebriùs inuocatur. Quis ergo misericordiæ tuæ, ò benedicta, longitudinem, latitudinem, sublimitatem, & profundũ queat inuestigare? Nam longitudo eius vsque in nouissimum diem inuocantibus eam subuenit vniuersis. Latitudo eius replet orbem terrarum, vt tua quoque misericordia plena sit omnis terra, sic & sublimitas eius, ciuitatis supernæ inuenit restaurationem. Profundum verò eius sedentibus in tenebris, & in vmbra mortis obtinuit redemptionem, per te enim cœlum repletum est, infernus euacuatus. Quo autem ad quantitatem stellarum. Thebit. in libro de quãtitate stellarum dicit, quòd diuersæ sunt magnitudines stellarum, & ponit sex gradus magnitudinis, & dicit quòd illæ, quæ sunt in magnitudine prima sunt centum, & octo vicibus tantùm quantùm tota terra. Illæ autem quæ sunt in secunda magnitudine, nonaginta vicibus. In tertia magnitudine septuaginta duabus. In quarta, magnitudine quinquaginta quatuor vicibus, In quinta magnitudine triginta sex vicibus. In sexta autem, & vltima magnitudine decem, & octo vicibus tantùm, quantùm terra, & dicit, quòd si quæ stellæ minores sunt, non videntur. Stella ergo maris MARIA, in veritate magna est. Luc. 1. *Qui fecit mihi magna, &c.* parua autem in sui æstimatione: *Ecce ancilla Domini.* De ista ergo Virgine stella maris dicit Bernardus super Missus est. Lætare Pater noster Adam, sed magis tu Eua mater exulta, qui sicut omnium parentes, ita omniũ fuistis peremptores. Et, quod in felicius est, priùs peremptores, quã parentes, ambo inquã consolemini super filia, & tali filia, sed illa amplius de qua malum ortum est priùs, cuius opprobriũ transit in omnes mulieres. Propterea curre Eua ad MARIAM, curre mater ad filiam, filia pro matre respondeat, ipsa matris opprobrium auferat, ipsa patri pro matre satisfaciat. Quia si vir cecidit per fœminã, iam non erigitur, nisi per fœminã. Ecce redditur fœmina pro fœmina, prudens pro fatua, humilis pro superba, quæ pro ligno mortis gustum tibi porrigat vitæ, & pro venenoso cibo illo amaritudinis, dulcedinẽ pariat fructus æterni. Muta ergo verbum excusationis invocem gratiarum actionis, & dic. Domine: *Mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi*, & dulce fuit ori meo super mel, quia in ipso viuificasti me. Hæc Bernardus.

Luc. 1.

Genes. 2.

SERMO III.

De plenitudine gratiæ Beatæ Virginis. Sabbato Tertio.

Elli tu semper mecum es. Luc. 15. Mirantur nonnulli, cùm gloria sit perfectior, quã gratia, quare Angelus Gabriel salutando B. Virginem, non dixerit potiùs, gloria plena, quàm gratia plena. Cùm etiam 5. Methaphisicè dicatur, quòd omne attingẽs finem sit plenum, & perfectum. Ad quod respondet stupor naturæ Dominus Albertus Magnus super Missus est, dicens: Plenitudo gratiæ congruit annunciatæ MARIÆ, quæ est origo, mediũ, & causa omnis gratiæ in humanum genus transfundendo. Eccles. 24 *In me omnis gratia vitæ, & veritatis, in me omnis spes vitæ, & virtutis, transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini.* Quia verò initiũ beatitudinis significatur per gratiam, consumatio autẽ per gloriam, Angelus autem annunciabat initium beatitudinis, & salutis, scilicet, incarnationẽ Christi, ideo potiùs dicere debuit, gratia plena, quàm gloria plena. Vnde Hieronymus ad Eustochiũ. Verè gratia plena, per quam largo Sancti Spiritus imbre superfusa est omnis creatura, cæteris enim per partes præstatur gratia, MARIÆ verò se totã infudit gratiæ plenitudo. Videbimus ergo pro hodierno sermone, quomodo in B. Virgine fuit plenitudo gratiæ singularis, seu quomodo B. Virgo fuit gratia plena, &c. Domini Theologi, & præcipuè S. Thom. in 3. p. q. 27. art. 1. in corpore quæstionis ponit istã conclusionẽ. Rationabiliter creditur, quòd illa, quæ genuit vnigenitũ à patre plenum gratiæ, & veritatis, præ omnibus alijs maiora priuilegia gratiæ receperit. Vnde Luc. 1. dixit ei Angelus: *Aue gratia plena, &c.* Et in eadem quæstione art. 5. in corpore quæstionis, deducitur sic ipsa conclusio. Nam 2. Metaphis. omnia entia acquirunt esse, & virtutem à prima causa. Et Boetius 3. de consolat. *Vnus enim rerũ pater est, vnus, qui cuncta ministrat. Ille dedit Phebo radios, dedit, & cornua Lunæ. Ille etiã homines terris dedit, & sydera cœlo.* Plato in Tim. Bonitas Dei causa fuit factionis mũdi, & generationis omniũ rerũ, quomodo autẽ omnia emanent à Deo, patet primo de cœlo, & mũdo. A primo ente singulis cõmunicatũ est esse, his quidẽ clariùs, his verò obscuriùs, ita quòd primo Poli. magis, & minus diuersificant speciem. Sap. 11. *Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti.* Secundò de anima. Omnium natura cõstantiũ positus est terminus, & ratio magnitudinis, & paruitatis, & ista varietas causatur ex maiori, vel minori appropinquatione ad primum. Quia 10. Metaphys. in vno quocũque genere, est dare aliquod primum, quod est metrum, & mensu

Luc. 15

Eccl. 24.

Luc. 1.

Sap. 11.

ra omnium, quæ sunt in illo genere, & lib. de causis. Quàtò aliquid est propinquius primę causæ, tantò est simplicius. 5. Meth. Prius est, quod primo principio est propinquius. 12. Meth. illud est magis simplex, quod est propinquissimum simplicissimo. Patet in corporalibus, & spiritualibus. Sicut in corporalibus aqua simplicior, & purior est terra, aer, quàm aqua; ignis, quàm aer, Cœlum Lunæ simplicius, quàm ignis, Veneris, quàm Lunæ, Mercurij, quàm Veneris, Solis quàm Mercurij, Martis, quàm Solis Iouis, quàm Martis, Saturni, quàm Iouis, Firmamenti, quàm Saturni, Crystallini, quàm Firmamenti, & Empyrei, quod est primum supremum, quàm Crystallini, &c. Similiter in spiritualibus anima sensitiua simplicior, & dignior est, quàm vegetatiua; rationalis autem, quàm sensitiua; natura Angelica, quàm rationalis, & rursum in natura Angelica, Archangeli, quàm Angeli, Principatus, quàm Archangeli, Potestates, quàm Principatus, Virtutes, quàm Potestates, Dominationes, quàm Virtutes, Throni quàm Dominationes. Cherubim, quàm Throni. Seraphim qui sunt supremi, quàm Cherubim. Vnde Dionys. 4. c. Eccles. Hierarchiæ. Angeli qui sunt Deo propinquiores magis participant de bonitatibus diuinis, quàm homines, &c. Cùm autem ad propositum nostrum Christus sit principium gratiæ secũdùm diuinitatem quidem authoritatiuè, secundùm humanitatem verò instrumentaliter. Ioan *Gratia, & veritas per IESVM Christum facta est.* Et huic principio plus fuerit coniuncta MARIA, quàm omnis creatura etiam Angelica, quia solùm ex ipsa MARIA accepit humanam naturam, ideo secundùm Dominum Albertum, super Missus est, MARIA non potuit magis cõiungi Deo, effecta Mater Dei, nisi ipsa vniretur diuinitati personali. Bernardus super Missus est. Legimus Stephanum plenum gratia, legimus Apostolos plenos Spiritu Sancto, sed longè dissimiliter à MARIA; in nullo enim vnquam habitauit omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, sicut in MARIA, & quamuis diuersæ legantur in scripturis plenitudines gratiæ, tamen vna differt ab alia. Nam Ioan 1. de Christo dicitur: *Plenum gratiæ, & veritatis*, & vocatur plenitudo superefluentiæ, quæ conuenit soli Christo, de quo Ioan. 3. *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum*, & de Apostolis dicitur. Actor. 2. *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto*, & vocatur plenitudo copiæ, & de Stephano Actor. 7. *Stephanus plenus gratia*, &c. Et vocatur sufficientiæ, & Luc. 1. de B. Virgine. *Gratia plena*, quæ plenitudo vocatur abundantiæ. Demum quomodo intelligatur illud. Col. 1. *Habitare plenitudinem diuinitatis corporaliter*. Sicut supra Bernardus dixit de B. Virgine, S. Thomas declarat in 3. P. q. 2. art. 10. ad 2. dicẽs; Diuinitas Verbi nõ

A

B

C

D

Ioan. 1.

Ioann. 1.

Ioann. 3.

Actor. 2.

Actor. 7.

Lucæ 1.

Coloss. 1.

solùm fuit vnita animæ, sed etiam corpori, & ideo dicitur corpore, seu etiam corporaliter, id est, non vmbraliter, aut figuratiuè, sicut in Sacramentis veteris legis, sed realiter, & veraciter, & ideo quia B. Virgo per incarnationem habuit in vtero suo Christum, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, sicut supra dixit Apostolus, & vnita fuit Deo super omnes creaturas, dicitur diuinitatem in ea habitasse corporaliter. Vnde tantã gratiæ obtinuit plenitudinem, vt esset propinquissima authori gratiæ. Ita quòd eum, qui est plenus omni gratia, in suo vtero reciperet, & eum pariendo, quodammodo gratiã ad omnes deriuaret. Vnde Hugo de S. Victore ad B. Virginem dicit. Rectè dicta es gratia plena, de qua ortus est Sol gratiæ, ideo totum nobis quodammodo à te, quòd per illum nobis est, qui natus est, ex te; benè enim dicta es *gratia plena*, & in tantùm plena, vt ex tua redundantia totus hauriat mundus, si enim prudentes Virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus, tu prudentissima Virgo Virginum non vnum tantùm vas habuisti oleo gratiæ repletum, quo lampadem tuã inextinguibiliter ardentẽ nutrires, sed aliud gestabas vas redundans, & indeficiens ex quo effuso oleo misericordiæ, omnium lampades illuminares, & vasa omnium vsque ad summum repleres, & in illo nihil minueres, prudens ergo fuisti, vt tibi prouideres, nec timida, vt alijs subuenires, nec dixisti: *Ne fortè nõ sufficiat mihi, & vobis*, sed sciens quia sufficeret & tibi, & nobis, & sufficienter retinuisti, & sufficienter tribuisti. Bernardus, MARIA plena sibi, nobis superplena, & superefluẽs, de cuius plenitudine omnes accepimus, gratiam pro gratia, gratiã filij, pro gratia Matris, gratiam exempli, pro gratia documenti, gratiam remissionis, pro gratia intercessionis. O diues in omnes, & super omnes MARIA, de cuius substãtia pars assumpta, totius mundi sufficit soluere debita. Hieronymus ad Eustochiũ. Talibus decebat Virginem oppignorari muneribus, vt esset gratia plena quæ cœlis dedit gloriã, terris Deũ, pacemq; refudit, Gẽtibus fidẽ, vitijs finẽ vitæ ordinẽ, moribus disciplinam. Bernardus. Verè gratia plena, quia in ventre gratia Deitatis, in corde gratia charitatis, in ore gratia affabilitatis, præ manibus gratia misericordiæ, & largitatis. Hieronymus. Totã eam repleuerat Spiritus Sancti gratia, totam incenderat diuinus amor. Bernardus. Sagitta electa amoris Christi, qui MARIÆ animũ non solũ confixit, sed & pertransiuit, ita vt nullã in pectore virginali particulã vacuam amore relinqueret, sed toto corde, tota anima, tota virtute diligeret, & esset plena gratię. Hieronymus in sermone, Si spiritu Dei omnis virtus Angelorũ constat, credimus Beatam, & gloriosam Virginem in

Mare. 25

quam superuenit Spiritus Sanctus, & in cuius vtero Deus totus illapsus nouē mensibus portatur, ampliora promeruisse virtutū priuilegia, & maiorem ab Angelis gratiā perceptisse, quare concludendo Petrus Damiani super illud Matth. 1. in *liber generationis, &c.* dicit, ad B. MARIÆ dignè efferenda præconia non Rethoricorum disserta facundia, non dialecticorū subtilia argumenta, non acutissima Philosophorum apta reperiūtur ingenia, & quid mirū, si hæc ineffabilis Virgo in suis laudibus modum humanæ vocis exuperat, cū etiam ipsam humani generis naturam excellentium meritorum dignitate transcendat? non enim ille excellentissimus Patriarcharū chorus, non prouidus Prophetarū numerus, non iudex Apostolorū Senatus, non martyrū victor exercitus, non aliquis antiquorum, nō quisquam sequentium Patrum huic Beatissimæ Virgini potest comparari, nam quid sanctitatis? quid iustitiæ? quid Religionis? Quid perfectionis singulari huic Virgini deesse potuit, quæ totius diuinæ gratiæ charismate plena fuit? sic namque ab Angelo, dum salutaretur, audiuit. Aue gratia plena; quòd ergo vitium in eius mente, vel corpore vendicare sibi potuit locum, quæ ad instar cœli plenitudinis totius diuinitatis meruit esse sacrarium. *In Christo enim* sicut per Paulū dicitur, *habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*, non ergo mirum si cunctorū merita transcendit mortaliū, quæ & ipsam superexcedit celsitudinem Angelorum. Si autem obijceretur, quòd ei quod est plenum, & perfectū, non restat aliquid addendum, quia 3. Phis. Perfectū est, cui nihil deest, sed B. Virgo postquā Angelus dixit: *Gratia plena*, additionem gratię susceptit, maximè quando Christum concepit. Luc. 1. *Spiritus Sanctus superueniet in te, &c.* Et quando in gloriam assumpta fuit, &c. Respondet S. Thom. 3. p. q. 27. art. 5. ad 2. In B. Virgine fuit triplex perfectio gratiæ. Prima dispositiua, per quā redderetur idonea ad hoc vt esset Mater Christi, & hæc fuit perfectio sanctificationis, &c. Secunda, autē perfectio fuit quasi formalis ex præsentia filij Dei in eius vtero incarnati, &c. Tertia, autem est perfectio finis; quam habet in gloria. Quòd autē secunda sit potior, quàm prima, & tertia, quā secunda patet, vno modo per liberationem à malo, nam in prima fuit liberata à culpa originali, in conceptione autem filij Dei fuit totaliter mundata à fomite. In sui verò glorificatione liberata fuit ab omni miseria. Alio modo per ordinem ad bonum, nam in prima adepta est gratiam inclinantem ad bonum. In secunda gratiam confirmantem in bono. In tertia confirmata est eius gratia, perficiens eam in fruitione omnis boni. Bernardus in sermone MARIA proprium peccatum non habuit, sed ab innocentissimo corde eius peccati pœnitentia longè fuit. Nihil enim vnquam cogitauit, locuta, vel operata est, de quo oporteret eam aliquando pœnitere, gradum tamē plenioris sanctitatis in conceptione filij habuit, vt videlicet plena gratia esset, & in gratia confirmata.

Matth. 1.

Colos. 2.

Lucæ 1.

SERMO IV.

Quomodo Virgo MARIA fuit Mater Dei. Sabbato quarto.

REmansit IESVS solus, & mulier in medio stans. Ioan. 8. Dulcissimum est mel, & tamē si quis ex illo inordinatè comedat, & incurrit dolores. Dulcissima etiā, delectabilis consideratio operum diuinorum, sed nisi habeat frenū timoris Domini, causat errores multos in intellectu hominis. Prou. 25. *Sicut qui multum comedit, non est ei bonum, ita qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria, &c.* Quare Manichæi præsumptuosi perscrutatores voluerunt, quòd solùm spiritualia, & in corporalia à Deo creata sint, & diuinæ potestati subiecta, &c. Secundò nonnulli, sicut Democritus, Epicurus, & Empedocles dixerunt ordinē vniuersi, & distinctionē eius esse à casu, & non ex intentione, aut prouidentia alicuius agentis, similiter Auerroes Comentator Aristotelis, Rabbi Moyses, & Plato negauerunt diuinā prouidentiā à rebus corruptibilibus. Vnde Comentator 11. Methaph. nō est fas diuinæ bonitati habere solicitudinē de singularibus. Quidā verò tertiò sic, vt Anaxagoras præsupposuerūt materiā increatā, & dicebāt. Omnia fieri per cōgregationē partiū, vel per segregationē, similiter Auicenna dixit Deū in mente solùm primam intelligentiam creasse, secundā verò aliam, & sic gradatim vsque ad vltima, quæ creat animas, & formas omnium naturalium, &c. Propter quos errores dixit Magister in primò sent. dist. 87. sciendū est, quòd Deus incommutabiliter semper in se existens potentialiter, præsentialiter, & essentialiter est in omni natura. Quòd declarās Sanctus Thomas in 1. dist. 27. & in 1. part. q. 8. art. 3. in corpore quæstionis dicit. Deus est in omnibus per potentiam, in quantū omnia eius potestati subduntur, contra primum errorem Manichæorum; est per præsentiam, in quantum omnia nuda sunt, & aperta oculis eius, contra secundùm errorem; est per essentiam, in quantum adest omnibus, vt causa essendi, & conseruans illud esse, quod per creationem omnibus rebus dedit, contra tertium errorem. Cū ergo per Angelum dicitur Beatæ Virgini. *Dominus tecum.* Luc. 1. Notandū est, quòd Augustinus dicit libro de præscientia. Aliter est Deus in omnibus creaturis, aliter in sanctis; in omnibus quidē creaturis est per naturam sicut dictum est; in sanctis autem per adoptionis gratiam. Vnde Gregorius super Cantica. Licet Deus communi modo sit

Ioan. 8.

Prou. 25

Luc. 1.

in

in omnibus rebus, præsentia, scilicet, potentia, & essentia, tamen familiari modo dicitur esse in sanctis per gratiam, &c. Sed adhuc excellentiori modo est in Beata Virgine, quia sicut filius in matre, quod in nulla alia creatura, etiam Angelica reperiri potest. Hebr. 2. *Nusquam enim Angelos apprehendit.* Ideo gratius verbum, quòd offerri posit Beatæ Virgini, vt habet S. Thomas in cõmentarijs super salutatione Angelica, est: Dominus tecũ. Bernardus super Missus est. Hæc est Virginis nostræ gloria singularis, & excellens prærogatiua MARIÆ, quòd filium vnum eundemque cum Deo Patre meruit habere communem. Et Ambrosius. O Beata MARIA, quis nobis tui cordis arcana referare queat, cùm hinc adorares natum tuum, vt Deum, illinc osculareris, vt filium? Augustinus in sermone de Assumpt. Beatæ MARIÆ. Lacta MARIA creatorem tuum, lacta panem cœli, lacta pretium mundi. Tu illi vt Mater temporalem ministra substantiam, vt nobis, & tibi vitã tribuat sempiternam. Nam verus ex te hominis filius tibi matri alludebat, & virtus ex patre Deus vni genitus tibi imperabat. Videbitur ergo pro præsenti, sermone quomodo MARIA est Mater Dei, &c. Contra conclusionem propositã insurrexerũt duo maximi Hæretici, scilicet, Manichæus, & Valentinus. Manichæus enim dixit Christũ non Assumpsisse verum corpus de Beata Virgine, sed phantasticũ, & per consequens ipsum non fuisse filium Virginis, nec ipsam fuisse Dei matrem, &c. Inimici enim subtilis instinctu sic arguebat. Si Christus verum corpus habuisset, &c. Habuisset etiã passiones concupiscentiæ, quæ consequuntur ex natura ipsius corporis. Galat. 5. *Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, hæc enim sibi inuicẽ aduersantur, vt non quæcumque vultis, illa faciatis.* Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati.* Genes. 8. *Sensus, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua*, 12. q. 1. omnis ætas. & Iob 7. *Militia est vita hominis super terrã*, sed in Christo huiusmodi passiones concupiscentiæ minimè fuerunt, & per consequens concluditur, quòd non habuerit verum corpus, nec fuerit filius Beatæ Virginis. Ideo benè dicebat Apostolus Rom. 8. *Misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati.* Vnde notãter dicit Manichæus: Apostolus dicit *in similitudinem, &c.* Quia non erat vera caro, sed similitudo carnis peccati. Vnde & ad Phil. 2. dixit *in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo*, id est, secundùm apparentiam, & non existentiam. Et Iacobi 6. Dicitur de Christo. *Homo erat similis nobis passibilis, &c.* Valentinus autẽ tenuit, & docuit, quòd Christus nõ habuit verum corpus humanum, & naturale, nec etiam phantasticum sicut supra volebat Manichæus, sed quòd habuit corpus cœleste, scilicet collatũ de cœlo, &c. Et fundabat errorem suum super illud Ioannis 3. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo.* Ideo 1. Cor. 15. dicitur. *Primus homo*, scilicet, Adam *de terra terrenus. Secundus autẽ*, scilicet, Christus *de cœlo cœlestis.* Et Ephes. 4. *Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cœlos.* Quia 1. Cor. 16. *Caro & sanguis Regnum Dei non possidebunt.* Et sic iste Valentinus tenuit, quòd Christus nihil sumpsit de vtero Virginis, sed solùm trãsiuit per ipsam Virginem cum corpore cœlesti delato secum de cœlo, & sic per consequens, quòd Virgo MARIA nõ fuit vera Mater Dei, &c. Responsio. Quantùm autem errauerint à veritate isti duo Hæretici, & eorum sequaces; S. Thom. declarat in 3. p. q. 5. art. 1. & 2. & in 3. sent. dist. 2. q. 1. art. 5. q. 1. & 2. & 4. contra gentes cap. 29. & in comment. super Ioannes Ioan. 1. Propter quod notandũ est, quòd definitio cõuenit cũ numeris, &c. Metaph. quia sicut in numeris contingit, quòd addita, vel subtracta vnitate fit alius numerus, ita in definitionibus si addatur, vel subtrahatur aliqua differentia, fit alia species, sicut patet in definitione hominis, &c. Et ratio est, quia differẽtiæ sumũtur ex essẽtialibus principijs, & ideo si subtrahatur à re aliquid ex essẽtialibus eius, nõ remanet eadẽ. Cùm autem fuerit Christus eiusdem speciei nobis cum oportet, quòd omnia essentialia hominis in Christo fuerint, scilicet, corpus, anima, vegetabilis, sensibilis, & rationalis, & vlteriùs forma totius resultans ex coniunctione animæ, & corporis, quæ humanitas dicitur. Augustinus libro de Agone Christian. Non eos audiamus, qui solùm humanũ corpus dicunt esse susceptum à Verbo Dei, & sic capiunt quod dictum est. Verbum caro factum est, vt negẽt illi hominem, vel aliquid hominis habuisse, nisi carnem solam. Vnde idem Augustinus in libro 83. q. dicit, Euangelistæ in Euangelica narratione narrant, quòd miratus est IESVS, & iratus, & contristatus, & quòd esurijt; quæ quidem ita demonstrant eum veram animam habuisse, sicut ex hoc quòd comedit, & dormiuit, & fatigatus est demonstratur eum habuisse verum corpus humanum. Alioquin si hæc ad metaphoram referantur, cùm similia legantur in veteri testamento de Deo, peribis fides Euangelicæ narrationis. Aliud est enim, quòd prophæticè nunciatur in figuris, aliud, quod secũdùm rerum proprietatem ab Euangelistis historicè scribitur. Ideo Sanctus Thomas 3. p. q. 5. art. 3. in responsione ad primum declarans illud Ioan. 1. *Verbum caro, &c.* dicit, cũ dicitur, Verbum caro factum est, caro ponitur pro toto homine, ac si diceret. Verbũ ho-

Isai. mo factum est, sicut etiam in *Isaia* dicitur. *Videbit omnis caro salutare Dei nostri, &c.* Vel secundùm Augustinum lib. 8. qq. In tota illa vnitate susceptionis principale est Verbum, extrema autem, atque vltima, caro. Volens itaque Euangelista commendare dilectionem humilitatis Dei pro nobis, verbum, & carnem nominauit, omittens animam, quæ est verbo inferior, carne præstantior, quæ minùs assumptibilis videbatur. Hæc Sanctus Thomas vbi supra, falsa est ergo positio Manichęi.

Luc. vlt. Vnde Christus contra eam dicit. Lucæ vltim. *Palpate, & videte, quia spiritus, scilicet,* phantasticus *carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Super quo formatur talis ratio. Nullum corpus phantasticum est verè palpabile, aut verè tangibile quod probatur. Quia omne tangibile verè est calidum, vel frigidũ, vel humidũ, sicut patet in declaratione Gen. in 2. de anima, in libro de sensu, & sentimento, 3 & 4. Phis. Exemplum patet in Strigis, &c. quando tangunt, & palpant Diabolum sibi apparentem, &c. Ideo in libro de Ecclesiasticis dogmatibus dicitur. Natus est Dei filius non habens imaginatum corpus, sed verum. Augustinus in libro de fide ad Petrum, exinaniuit seipsum formam serui accipiens, vt fieret seruus, sed formæ Dei plenitudinem non amisit; non enim filius Dei sic assumpsit verum corpus, vt formà corporis fieret, quod repugnat diuinæ simplicitati, & puritati; hoc enim esset assumere corpus in vnitate naturę, quòd est impossibile, sed salua distincta natura, assumpsit verum corpus in vnitate personæ. Ideo Bernardus super Missus est: Dominus enim, qui vbique æqualiter totus est per suam simplicem substantiam, aliter tamen est in rationalibus creaturis, quàm in cæteris, & ipsarum aliter in bonis, aliter in malis est per efficaciã, ita sanè est in irrationabilibus creaturis, vt tamen non capiatur ab eis. A rationabilibus autem omnibus capi potest per cognitionem, sed à bonis tantùm capitur per amorem. In solis ergo bonis ita est, vt etiam sit cum illis propter concordiam voluntatis, nã dum suas voluntates ita iustitiæ subdunt, vt Deum delectat velle, quod ipsi volunt, propter hoc, quòd ab eius voluntate non dissentiunt, Deum sibi spiritualiter iungunt, sed cùm ita sit cum omnibus sanctis, specialiter tamen cum MARIA, cùm qua vtique tanta ei consensio fuit, vt illius non solùm voluntatem, sed etiam carnem sibi coniungeret, ac de sua, & Virginis substantia fieret vnus Christus, qui etsi nec totus de Deo, nec totus de Virgine, totus tamen Dei, & totus Virginis esset, nec duo filij, sed vnus filius vtriusque. Fundamentum autem erroris ipsius Manichęi

Ioan. 1. fuit, quia tenebat, quòd corporalia nõ essent à Deo, quod est falsum. Ioan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt, &c.* De sanctissima Trinita-

A te, & fide Catholica. Firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quòd vnus solus est verus Deus, vnum vniuersorum principium, creator omnium visibilium spiritualium, & corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam spiritualem, & corporalem, 1. Metaph. Deus videtur omnibus esse causa, & principium, quoddam. Primo de cœlo, & mũdo. A primo ente singulis communicatum est esse, & viuere, his quidem clariùs, his verò obscuriùs, & Plato in Thimeo. Bonitas Dei causa fuit factionis mundi, & generationis omnium rerum. Respondendo ergo ad argumenta Manichęi, de concupiscentia, & rebellione

B carnis dicitur, quòd huiusmodi rebellio non est ex natura carnis, sed ex peccato, & transgressione Adæ, sicut patet expressè in ipso Adam, & Eua, qui cùm nudi essent, ante peccatum non erubescebant, nec huiusmodi rebelliones carnis, aut concupiscentias habebant, sed ex peccato insurrexit rebellio carnis, & concupiscentia contra spiritum. Vnde post peccatum fecerunt sibi perizomata de foliis arborum, &c. Sed Christus assumpsit carnem de Virgine sine peccato, & omni carnis concupiscentia, cõceptus de Virgine, operante Spiritu Sancto in ea, &c. Augustinus in 4. contra Iulianum: ego, inquit, Beati Ambrosij expressam sententiam tibi opposui, qua dicit, Chri-

C stum non aliter expertem potuisse esse delicti, nisi expers fuisset illius conceptionis, quã commixtio viri, & mulieris operatur, & ideo sola caro Christi fuit similitudo carnis peccati, non caro peccati; omnis autem alia caro, fuit caro peccati, quia genita per commixtionem viri, & fœminæ. Augustinus de fide ad Petrum, & habetur de consecratione, dist. 4. firmissimè tene, &c. Item in secundò contra Iulianum, Propter quam Catholicam veritatem sancti, ac Beati, & in diuinorum eloquiorum per tractatione clarissimi Sacerdotes. Ireneus, Cyprianus, Rethicius, Olimpius, Hilarius, Ambrosius, Gregorius, Innocentius, Ioannes, Basilius, quibus addo Præbyte-

D rum, velis, nolis, Hieronymum, vt eos omittam, qui nondum dormierunt aduersum vos proferunt de omnium hominum peccato originali obnoxia successione sententiam. Vnde nemo eruitur, nisi quem sine lege peccati Virgo concepit. Ideo notanter dicitur in Euangelio: *Remansit IESVS solus, & mulier in medio stans.* Quæ licèt carnem peccati habuerit, quia tamen supra omnem creaturam sanctificata fuit, ideo inter Deum, & hominẽ mediã dicitur. De qua sanctus Thomas in 3. p. q. 27. art. 4. in corpore quæstionis dicit. Simpliciter fatendum est, quòd Beata Virgo nullum actuale peccatum cõmisit, nec mortale, nec veniale, vt sic in ea impleatur quod dicitur. Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macu-* *Cant. 4.*

la

la non est in te. Et in responsione ad primũ argumentum dicit. In Beata Virgine post sanctificationem in vtero remansit fomes peccati, sed ligatus, & complementum illius ligationis fuit ex diuina prouidentia, quæ nõ permittebat aliquem motũ inordinatum ex fomite prouenire; similitudo igitur illa, de qua dicit Apostolus, non intelligitur circa veritatẽ naturæ, quasi non esset vera caro, sed quia videbatur caro peccati, id est, eo modo genita, quo omnis alia caro, cùm tamen non esset. Et ideo Apostolus appellauit similitudinem carnis, &c. Vnde 1. Ioan 1. *Manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ.* Error autem Valẽtini videtur habuisse originem à Platonicis, vt refert August. 10. de Ciuitate Dei, qui dicebant corpus terrestre omnino animæ fugiedũ esse, vt beatitudinem consequatur, tenentes animã vnitam corpori terrestri non posse beatificari, & ponebãt animas vnitas corporibus cœlestibus Soli, & Lunæ, &c. esse maximè beatas, sed totũ falsum est, quia quælibet forma naturalis determinatam habet materiam. Vnde primo de anima, nõ quælibet anima potest intrare quodlibet corpus, sed quælibet anima habet proprium corpus. Ideo secundo de anima dicit Aristoteles, anima est endelechia corporis physici organici potentia vitam habentis. Et sic patet, quòd nõ potest esse forma corporis cœlestis, &c. Præterea corpus cœleste est impassibile, & incorruptibile. Vnde primo de cœlo, & mundo dicitur, quòd corpora cœlestia non sunt susceptiua peregrinarum impressionum, calidi, frigidi, & humidi. Quod contrarium fuit in corpore Christi, quia Isai. 1. dicitur de corpore Christi: *A planctu pedis vsque ad verticem non erat in eo sanitas.* Et Sãctus Leo Papa in sermone dicit de Christo, omnes infirmitates nostras, quæ de peccato veniunt, absque peccati communione suscepit, vt famis, & sitis somnij, & lassitudinis, mæroris, & fletus, affectionibus non careret. Et sic patet quomodo Christus habuit verum corpus, & per consequens fuit MARIÆ filius. Vnde Bernardus super Missus est, an non Deum, & Dominum Angelorum MARIA suum audacter appellat filium dicẽs, fili quid fecisti nobis sic? Quis hoc audeat Angelorũ. MARIA verò matrem se agnoscens, maiestatem illam, cui cum summa reuerentia seruiebat, cum fiducia suum appellat filium, nec dedignatur vocari filius, qui esse dignatus est. Nam paulò pòst subdit Euangelista, & erat subditus illis quis; quibus? Deus hominibus; Deus, inquam, cui Angeli subditi sunt, cui Principatus, & Potestates obediunt, subditus erat MARIÆ, & non solùm MARIÆ, sed Cant. 2. Ioseph propter MARIAM. Vnde & in Canticis dicitur. *Dilectus meus mihi*, scilicet, subditus, & obtemperatus sicut filius matri, *& ego illi* obtemperans, & obediens, sicut filia Patri, sicut ancilla Domino, sicut creatura creatori. Patet igitur quomodo secundũ Augustinum in sermone Annunciationis multis versutijs serpens Diabolus insidiatus est caleaneo Virginis. Nam alius illam non de substantia carnis suæ Christum edidisse dogmatizabat, alius paruulum non peperisse, sed reperisse sibilabat, alius post partum Virginẽ cognitam blasphemabat, alius Dei matrem audire non sustinens, magnum illud nomen Theotochos impijssimè fugillabat, sed contriti sunt insidiatores, cõculcati supplantatores, confutati derogatores, & Beatam illam dicunt omnes generationes. Hæc Augustinus. Ad authoritates autẽ adductas per ipsum Valentinũ respondet S. Thomas in 3. p. q. 5. art. 2 ad primum, dicens, quòd Christus dicitur de cœlo descendisse dupliciter. Vno modo ratione diuinæ naturæ, non tamẽ ita, quòd natura diuina in cœlo esse desierit, sed quia in seriùs nouo modo esse cœpit, id est, secundùm naturam assumptam. Ideo Ioan. 3. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo: filius hominis, qui est in cœlo.* Quia Ierem. 23. *Cœlum, & terram ego impleo.* Aliomodo ratione corporis, non quia ipsum corpus Christi secundùm suam substantiam de cœlo descenderit, sed quia virtute cœlesti, id est, Spiritus Sancti, est eius corpus formatum. Vnde Augustinus ad Orosium exponens inductam authoritatem Ioannis dicit. Cœlestẽ dico Christum, quia non ex humano semine conceptus est, idem etiam dicit Hilarius in libro de Trinitate. Dicamus ergo de Beata Virgine pro conclusione huius sermonis quod Augustinus dicit in quoddam sermone. O fœlix MARIA, quæ talem ac tantum nobis protulit redemptorẽ. O genitrix gloriosa, natus est ex te qui fecit te, natus est ex te, qui Moysi in igne flãmæ rubi apparuit, ex te natus est, qui pedibus super mare ambulauit, & de sepulchro vt Leo surrexit, ac in cœlũ victor ascendit. Natus est ex te, cuius vultum desiderant Angeli prospicere, ex te natus est, qui in se credentibus vitam tribuit sempiternam, &c.

Ioan. 3.
Ierem. 23

SERMO V.

De benedictionibus Beatæ MARIÆ Virginis. Sabbato quinto.

Ioan. 8.

E *Ego sum lux mundi.* Ioan. 8. Quamdiu anima est in corpore nostro, necesse est vt per visibilia, & sensibilia veniamus in cognitionẽ spiritualium. Vnde Commentator primo de anima. Intellectus secũdùm essentiam est abstractus à corpore, & ideo impossibile est vt intelligat sine imaginatione, & Aristot. libro de sen. & sen. nihil est in intellectu, quin priùs fuerit in sensu. Et ratio est, quia Coment. 3. de anima, & super lib. de causis, causa 9. quæ incipit,

cipit. Omnis intelligentia, &c. Et Auicenna in comment. super ipsam causam nonam dicit. Vnūquodque recipitur in aliquo per modum recipientis, ideo Paulus ad Rom. 1. *Rom. 1.* *Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Et Sap. 13. *Sap. 3.* *A magnitudine speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri* Et Dionys. 1. Ecclesiasticæ Hierarchiæ Impossibile est nobis aliter lucere diuinū radium, nisi varietate velaminum circumuelatum. Ideo ex luce visibili, & corporali arguitur, & cognoscitur de luce inuisibili, & spirituali B. MARIÆ. Apoc. 12. *Apoc. 12.* *Signū magnū apparuit in cœlo, mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarū duodecim.* Et Dionysius in epistola ad Ioannem Euangelistam, à quo petiuit sibi ostendi B. Virginem, quam cùm vidisset, dixit. Si diuinis litteris eruditus non essem, & fide illuminatos oculos non haberem, nullum aliud lumen esse crederem. Vnde & Angelus Gabriel hodie ipsū B. Virgini in salutatione dicit: *Benedicta tu in mulieribus,* nam de Iudith 13. dicitur: *Benedicta tu filia à Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus.* Et de Iahel. Iudicum 5. *Benedicta inter mulieres Iahel.* De Hester 2. dicitur. *Habuit gratiam, & misericordiam super omnes mulieres.* Vnde B. Virgo omnes excessit in benedictionibus, & ideo pro præsenti sermone videbimus quomodo ipsa B. Virgo MARIA fuit benedicta in mulieribus. Præ omnibus mulieribus, inter mulieres, super omnes mulieres. Benedicta igitur fuit MARIA in mulieribus, eò quòd ipsa sola habuit quidquid boni fuit in mulieribus. Nam triplex bonum potest esse in mulieribus, scilicet, bonum Virginitatis, bonum coniugij, & bonum viduitatis. Virginale autem bonum excellenter fuit in MARIA, propter quod ipsa sola dicitur Virgo Virginum. Super quo Dominus Albertus Magnus super Missus est, dicit, quòd per illud genitiuum Virginum notatur duplex habitudo, scilicet, generalis, & specialis, ratione autem habitudinis generalis importat originem. Dicitur enim genitiuus à generādo, quasi à prima sui ratione à qua & nomē accepit, & notat habitudinem gignentis ad genitum. Ratione autem habitudinis specialis notat excellentem significationem super omnes Virgines, sicut rosa dicitur flos florum, & Christus dicitur Rex Regum. Ratione igitur primæ habitudinis, non conuenit Christo, vt dicatur Virgo Virginum, quia etsi Virginitas Christi excellit Virginitatem matris, ipse tamen non fuit primus Virgo, qui generauerit alios Virgines per imitationem, sed B. MARIA est Mater omnium Virginum, quia ipsa prima sine præcepto, consilio, vel exemplo glorioſum virginitatis munus Deo obtulit, & per votum virginitatis (vt dicit Augustinus) ab ea emissum

Lucæ 1. *Iudit. 13* *Iudic. 5.* *Hester.*

A 27. q. 2. Beata, opprobrium virginitatis absit ū lit, quia maledicta dicebatur in lege sterilis. Exod. 24. *Non erit infœcunda, nec sterilis in terra tua.* Deut 7. *Nō erit apud te sterilis sexus vtriusque, &c.* Et sic B. Virgo virginitatem in se consecrauit, & per imitationem sui omnes virgines gennit, & sic ei soli conuenit, quòd sit Virgo virginum, id est, mater virginum. Super quo Domini Theologi mouent dubitationem. Vtrùm B. Virgo benè fecerit vouendo virginitatem? Et videtur quibusdā, quòd non, primò quia contrariatur præcepto legis naturæ. Nam sicut est præceptū de conseruatione indiuidui. Genes. 2. *Ex omni ligno Paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas*; ita est præceptum de cōseruatione speciei Gen. 1. *Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Sicut ergo non est licitum se abstinere totaliter ab omni cibo, sic non est licitum totaliter se abstinere ab omni actu venereo, quòd fit per votum virginitatis, quia sic posset deficere species humana. Secundò sic, quia illud quod recedit à medio, potiùs sapit vitium, quàm virtutem. Vnde & Hieronymus ad Demetriadem. Nec immoderata tibi imperamus ieiunia, nec enormem ciborum abstinētiam, quibus statim corpora delicata soluūtur, & ante ægrotare incipiunt, quàm sanctæ conuersationi iacere fundamenta. Philosophorū namque sententia est, moderatas esse virtutes. Ideo 2. ethic. Qui omni voluptate potitur, & nec ab vna recedit, intemperatus est, qui autē omnes fugit, agrestis est, & insensibilis, & sic per consequēs cùm virginitas, vt dicunt, videatur recedere à medio, est potiùs vitium quā virtus, & adducunt exemplū de Platone, de quo Augustinus dicit in libro de vera Religione, quòd Plato sacrificasse dicitur, vt perpetua eius continentia tanquā peccatū aboleretur. Sed S. Thomas in 2. 2. q. 152. art. 2. probat virginitatem esse licitā, & optimam, per fundamentū Dionisij 4. cap. de diuinis nominib⁹, qui dicit, malum animæ est præter rationem esse, &c. Ratio igitur rectavult vt his, quæ sunt ad finem, vtatur homo secundùm illam mensuram, quæ congruit fini; est autem triplex hominis bonum, vt habetur. 1. ethic, & 2. Politicorum. Primū in bonis temporalibus, secundū in corporalibus, tertium animæ, inter quæ pertinentia ad animam potiora sunt, quæ pertinent ad contemplatiuam, sicut habetur 10. ethic. Et Luc. 10. *MARIA optimam partē elegit, &c.* Possumus ergo secūdùm bonum corporis vti temporalibus, & abstinere ab eis, in quantum sunt contraria conseruationi corporis, & similiter secundùm spiritualia maximè propter contemplationem vti corporalibus, & ab eis abstinere, in quantum impediunt contemplationem. Quòd optimè insinuat Lactantius in primo dicens. Magno, & excellenti ingenio viri

Exod. 24 *Deut. 7.* *Genes. 2.* *Genes. 1.* *Lucæ 10.* *Lactan.*

viri cùm se doctrinæ pœnitus dedissent, quid quid laboris poterat impendi, contẽptis omnibus priuatis, & publicis actionibus ad inquirendæ veritatis studium se contulerunt. Erãt quidem illi veritatis cognitione dignissimi, atque ita vt eã rebus omnibus anteponerẽt, nam & abiecisse quosdam res familiares suas, & renunciasse vniuersis voluptatibus constat, vt nudam solamque veritate mundi, expediti què sequerentur. Propter quam cõtemplationum veritatis, quàm plurimi omnia oblectamenta carnis, ac rerum despexerunt, sicut de Platone narrat August. 8. de ciuit. Dei. Inter discipulos Socratis non quidem immeritò excellentissima gloria claruit, qui omnino cæteros obscuraret, Plato, qui cùm esset Athenien sis, honesto apud suos natus loco, & ingenio mirabili lõgè suos condiscipulos anteiret, parum tamen putans perficiendæ Philosophiæ sufficere seipsum, ac Socratis eam disciplinã, quàm longè, latèque potuit, peregrinatus est. Itaque & in Ægypto didicit quæcumque illic magna habebãtur, atque docebantur, & inde in eas Italiæ partes veniens, qua Pithagoreorum fama celebrabatur, quidquid Italiæ Philosophiæ tunc florebat, auditis eminẽtioribus in ea Doctoribus, facillimè comprehendit, & Hieronymus, Platonici quoque, ac Stoici, &c. Require tu lector. Quærunt de virginitate, ipse Hieronymus ad filiam Mauritij dicit, vt illustriùs Virginitatis meritũ clareat, & quantùm Deo digna sit, manifestiùs intelligi possit, illud cogitetur, quòd Imperator noster Deus eũ propter humani generis salutẽ naturã hominũ dignaretur assumere, nõ aliũ quàm virginalem vterum elegerit. Et vt plurimùm huiusmodi sibi complacere monstraret, ac pudicitiæ bonum vtrique sexui intimaret, matrem virginem habuit, virgo mansurus in se viris, sed in matre fœminis præbens virginitatis exemplum. Item Ambrosius libro de virginitate: Supergreditur virginitas conditionem humanæ naturæ, qua homines Angelis assimilantur. Maior tamen est virginum, quàm Angelorum. Angeli enim sine carne viuunt, virgines verò in carne triumphãt. Et Cyprianus libro de virginitate: Nunc nobis ad virgines sermo est, quarum quò sublimior est gloria, maior est cura. Flos est enim Ecclesiastici germinis Deus, atque ornamentum gratiæ spiritualis, illustrior portio Christi gregis. Virginitas enim est soror Angelorum; victoria libidinum, Regina virtutum, possessio omnium bonorum. Quare & Beatus Ioannes Euangelista adhuc in carne positus propter meritum virginitatis eleuatus fuit vsque ad cognitionem Verbi Æterni. Vnde Petrus Damiani dicit super illud Ioan. 1. *In principio erat Verbum.* Hanc autem super eminentem diuinæ scientiæ claritatem Ioannis ex illo cœlesti Gazophilacio, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi traxit, & non immeritò, vt quæ sibi carnis computauit illecebras, cœlestium epularum delicijs frueretur, & illuc acie mentis attingeret, qua non Propheta, non Patriarcha, non denique quisquam ab ipso mundi principio adhuc in carne posius noscitur aspirasse, Vnde & Paulus 1. Corinth. 7. dicit: *Mulier innupta, & quæ Virgo est, cogitat quæ sunt Domini, quomodo placeat Deo*, quod valde difficilè est qui sunt in matrimonio cõiunctis. Ideo vt refert Hieronymus libro contra Iouinianum circa finem. Fertur Aureolus Theophrasti liber de nuptijs, in quo quærit, an vir sapiens ducat vxorem? & cùm diffinisset. Si pulchra esset, si benè morata, si honestis parentibus, si ipse sanus, ac diues, sic sapiẽtem inire aliquando matrimonium, statim intulit: Hæc autẽ rarò in nuptijs vniuersa concordant, non est igitur vxor ducenda sapienti. Primũ enim impedit studia Philosophiæ, nec posse quemquam libris, & vxori pariter inseruire. Multa esse, quæ matronarũ vsibus necessaria sunt. Prętiosa vestes, aurum, gemmæ, sumptus, ancilla, supellex varia, & lecticæ, & exhedra aurea. Deinde per totas noctes garrulæ conquæstiones. Illa ornatior procedit in publicum; hæc honoratur ab omnibus. Ego in conuentu fœminarum misella despicior: Quare aspiciebas vicinam? quid cum ancillula loquebaris de foro veniens? quid attulisti? non amicum habere possumus, non sodalem alterius amorem, suum odiũ suspicatur. Si doctissimus præceptor in qualibet vrbium fuerit, nec vxorem relinquere, nec eum farcinaire possumus. Pauperem alere difficile est, diuitem ferre tormentum, adde quòd nulla est vxoris electio, sed qualiscumque obuenerit habenda, si iracũda, si fatua, si deformis, si superba, quòdcumque vitij est, post nuptias discimus, equus, asinus, vas, canis, & vilissima mancipia, vestes quoque, & lebetes, sedile lignum, calix, & vrceolus fictilis probantur priùs, & sic emuntur, sola vxor nõ ostenditur, ne antea displiceat, quàm ducatur. Attendenda semper est facies, & pulchritudo, ne si alteram aspexeris, se existimet displicere. Vocanda Domina, celebrandus natalis eius, iurandum per salutem illius, vt sit superstes optandum, honorandi nutrix eius, & gerula seruus paternus, & alumnus, & formosas asseclã, ac procurator calamistratus, & in longam securamque libidinem exsecutus spado, sub quibus nominibus adulteri delitescũt. Quoscumque illa dilexerit, gratis amandi, si totam ei domum regendam cõmiseris, seruiendum est, si aliquid tuo arbitrio reseruaueris, fidem sibi haberi non putabit, & in odiũ vertitur, ac iurgia, & nisi citò consulueris, parat venena. Anus, & aurifices, & arioles, & institores gemmarum, sericarumque vestium si in-

1. Cor. 7.

Ioan. 1.

intromiseris, periculũ pudicitiæ est, si prohibueris, suspicionis iniuria. Verũ quid prodest etiã diligens custodia, cũ vxor seruari impudica nõ possit, pudica non debeat? Infida enim est custos castitatis necessitas. Et illa verè pudica dicenda est, cui licuit peccare, si voluit. Pulchra citò, adamatum fœda facilè cõcupiscit, difficilè custoditur, quod plures amant. Molestum est possidere quod nemo habere dignetur, minore tamen miseria deformis habetur, quã formosa seruatur. Nihil tutum est, in quo totius populi vota suspirant; alius forma, alius ingenio, alius facetijs, alius liberalitate solicitat, aliquo modo expugnatur, quod vndiq; intessitur. Quòd si propter dispensationẽ domus, & languoris solatia, & fugã solicitudinis ducuntur vxores, multò melius seruus fidelis dispensat, obediens authoritati domini, & dispensationi eius obtemperans, quã vxor, quæ in eo se æxistimat dominam, si aduersus viri faciat voluntatẽ, id est, quod placet, non quod iubetur. Assidere autẽ ægrotanti magis possunt amici, & vernaculæ beneficijs obligati, quàm illa quæ nobis imputet lachrymas suas, & hæreditatis spe vendat illuuiem, & solicitudinẽ iactans languentis animũ desperatione conturbat. Quòd si languerit, ægrotandũ est, & nunquã ab eius lectulo recedendũ, aut si bona fuerit, & suauis vxor, quæ tamen rara auis est, cum parturiente torquemur. Porro liberorum gratia vxorem ducere, vt vel nomen nostrum non intereat, vel habeamus senectutis præsidia, & certis vtamur hæredibus, stolidissimum est. Quid enim ad nos pertinet recedẽtes è mundo, si nomine nostro alius non vocetur, cùm & filius non stet patris vocabulum referat, & innumerabiles sint, qui eodem appellentur nomine? Aut quæ senectutis auxilia sunt nutrire domi, qui amplior te fortè moriatur, aut peruersissimis moribus sit, aut certè cùm ad maturam ætatem venerit, tardè ei videaris mori? Hæredes autẽ meliores, & certiores sunt amici, & propinqui, quos iudicio eligas, quã quos, velis nolis, habere cogaris. Hæc ille. Vnde Apostolus Paulus 1. Corinth. 7. meritò subiunxit. 1. Cor. 7. *Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mũdi, & quomodo placeat viro suo.* Patet ergo quomodo virginitas non repugnat rationi, sed sit virtus præcipua propter contemplationẽ. Ad rationes autẽ in oppositum, dicitur, quòd præceptum habet rationẽ debiti, sed dupliciter aliquid est debitum, vt dicit S. Thomas vbi supra. Vno modo, vt impleatur ab vno, & hoc debitum sine peccato præteriri non potest, alio modo, vt impleatur à multitudine, & ad tale debitum implendum non tenetur quilibet de multitudine. Multa enim sunt multitudini necessaria, ad quæ implenda vnus non sufficit, sed implentur à multitudine. Præceptum igitur datum de comestione necesse est, A quòd ab vnoquoque impleatur, quia aliter in diuiduũ conseruari nõ posset; præceptum autem datum de generatione respicit totam multitudinem hominũm, cui necessariũ est nõ solùm, quòd multiplicetur corporaliter, sed etiam, quòd spiritualiter proficiat. Vnde Augustinus dicit. Nuptiæ replent terram, virginitas autem replet Paradisum, & ideo sufficiẽter prodest humanæ multitudini si quidã carnali operationi operã dent, quidam verò ab ea abstinentes contemplationi diuinorum vacent, ad totius humani generis pulchritudinẽ, & salutem. Ad secũdum autem dicitur, quòd virgo non abstinet ab omni delectatione, sed solùm à delectatione venerea, & ab hac abstinet secundùm rationem rectã, vt dictum est. B Quia medium virtutis non secundùm quantitatem, sed secundũ rationem rectam determinatur, vt dicitur in 2. Ethic. Plato autem non sacrificauit quasi hoc peccatũ reputaret, sed peruersæ opinioni ciuium cedens, quia rarum fuit apud antiquos, vt aliquis amore veritatis contemplandæ ab omni delectatione venerea se abstineret. De Beata igitur Virgine congruè dici potest illud Sap. 3. *Felix sterilis, & incoinquinata, & quæ nescíuit thorum in delicto.* Sap. 3. Coniugalem autem statum habuit Virgo Beata post desponsationem: *Cùm esset desponsata Mater IESV MARIA, Ioseph.* Matthæi 1. Vidualem autem post filij passionem, Matth. 1. C quia nonnisi defuncto Ioseph cõmendaretur discipulo Ioanni per Christum in cruce, quia sibi Ioseph credita, cùm esset iuuencula, tolli ab eo non debuit ferè iam quinquagenaria, Eccles. 24 &c. Propter hoc igitur triplex bonum dicitur MARIÆ. Eccles. 24. *In Iacob inhabita*, id est, in coniugatis, qui sunt in lucta, &c. *Et in Israel hæreditare*, id est, in viduis, & *in electis meis*, id est, virginibus, *mitte radices.* Patet ergo, quomodo ipsa sola habuit quidquid boni fuit in mulieribus. Et ideo benedicta in mulieribus, &c. Fuit etiam benèdicta MARIA præ omnibus mulieribus, quia omnia illa habuit excellentiùs; omnes enim aliæ virgines haberunt castitatem cum sterilitate; coniugatæ autem habuerunt fœcunditatẽ cum corruptione; similiter viduæ cũ corruptione præcedẽte. Sola ergo Virgo MARIA seperauit pretiosum à vili, quia statum virginalem habuit cũ fœcunditate, coniugalem autẽ, & vidualem cùm virginitate. Bernardus, A sæculo non est auditum, vt Virgo esset, quæ genuit, & mater esset, quæ Virgo permansit. Nam partus, & integritas discordes tempore longo, virginis in gremio fœdera pacis habẽt. Ideo benedicta MARIA præ omnibus mulieribus. Fuit etiã benedicta inter mulieres, quia ipsa sola expers fuit illius maledictionis, quã omnes mulieres in Eua contraxerunt. Genes. 3 Genes. 3 *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos. In dolore paries filios, &c.* Ab ipsa ergo

mar-

maledictione MARIA immunis fuit. Vnde
Isai. 6. Isai. 6. *Antequàm parturiret, peperit, antequàm veniret partus eius peperit masculum. Quis audiuit vnquam tale?* Ideo benedicta Virgo MARIA inter mulieres. Fuit etiam vltimò benedicta MARIA super omnes mulieres, quia nulla alia vnquam accepit quod ipsa habuit, quia super omnem naturam, & omnẽ intellectum Deum genuit, & Mater Dei fuit. De qua dicit Ioannes Damascenus in sermone Natiuitatis ipsius virginis. Lætare Anna sterilis, quæ non paris, erumpe; & clama quæ non parturis. O fœlex copula Ioachim, & Annæ, è quibus nata est Virgo MARIA, Virgo in partu, Virgo post partum. O filia pulcherrima, ò filia dulcissima, ò lilium natum inter spinas ex nobilissima, & Regia stirpe Dauidica. Per te Regina ditatur Ecclesia Sacerdotio, per te fit legis translatio, per te reuelatur spiritus, latens sub littera, Sacerdotali dignitate translata è Tribu Leui ad Tribũ Iudà. O rosa nata è spinis Iudęis, qnæ diuino odore replesti omnia. O Adæ filia, & Dei Mater, beatus venter qui te portauit, & beatæ vlnæ quæ te complexæ sunt. O sacerrima filia Ioachim, & Annæ. O sacerrimus fœtus, qui maternis portaris in brachijs. O proles sanctissima, quæ materno pendens ab vbere, Angelorum obsequijs honoraris. O soboles sacerrima, parentum gloria te generationes generationum beatificant, &c. Benè igitur benedicta MARIA super omnes mulieres, &c.

D. ANTONIVS MANCINELLVS.

NOTA.

Doctissimus pariterquè pius D. D. Antonius Mancinellus Veliternus floruit anno à Christi Domini Natiuitate M. CCCCLXXXXV. vt ex scriptis eius constat, Rethoricus, & Orator insignis extitit; Decem Sermonũ libros, siue Sermonum Decas omni disciplina, & scientia exornatissimos scripsit, Argentorati Typis mandatos in Officina Matthæi Schureri Artium Doctoris, anno M. DX. In hoc ergo opere libello quinto, De Sacratissimæ Virginis MARIÆ Assumptione gloriosa Senatui Veliterno tres dixit orationes, seu decantauit Sermones, quos ipse titulos vocat, hos itaque hilari in laudem Virginis MARIÆ damus calamo, & eò alacriori, quò Author iste omnium aufugit notitiam, eiusque opera, & scripta à cunctorum celata sunt oculis. Nam neque Antonius Possevinus, neque Gesnerus, neque aliquis alius Nomenclator (quod sciam) de ipso mentionem facit.

GLORIOSÆ MARIÆ VIRGINIS SEMPER Assumptio cur celebranda? Tit. 9.

ET iure, & meritò, Sapientissimi Patres, anno quoque huiusce modi celebritatem Senatus, Populusque Veliternus & colit, & veneratur. Hodie enim semper Gloriosa Virgo MARIA cœlos ascendit, vbi cum Christo regnat in æternũ; hodie nobis omnibus, eius agentibus meritis, & salus, & virtus, honor, & gloria aucta fuit. Meritò igitur omnis orbis, nostraque Ciuitas Inclyta potissimùm gaudere, iubilare, exultare, lætari debet, Beatamque Virginem egenorum profugium, laborantium portum, & auram hymnis, & dignis præconijs laudare, extollere, venerari. Hæc enim illa est, quæ post Christi filij sui, Redemptorisque nostri abscessum virgo sancta corpore, ac mente permansit, quam Angelus Gabriel intactam custodiuit, quam Ioannes Apostolus Virgo Virginẽ seruauit. Hæc illa est, cui Angelus multo cum lumine astitit, cui etiam inquit: Aue Regina mundi: Me filius tuus ad te misit, qui te genitricem reuerendam expectat, itaque die tertio cœlestia regna ascendes. Omnes autem Apostoli ad te priùs conuenient, in quorum conspectu spiritum Deo reddas, qui & tibi funeris exequias celebrabunt. Hæc illa est, quæ Cacodæmonũ

supe-

superbiã sua humilitate contriuit, quæ Deũ, & hominem peperit; cui etiam expiranti IESVS omnipotens cum Angelorum, sanctorũque cœtu adfuit, illius modi verba dicens: veni electa mea, te in throno meo ponam, quia speciem tuam concupiui. Hæc illa, cuius Angeli exequias celebrarant; cui cœlorũ vniuersæ Curiæ congratulabantur; quam omnis cœlestis ordo colit, & veneratur, cuius anima ad cœlos vsque ab Angelis cum hymnis, & laudibus sublata fuit. Hæc Dei genitrix, cui cœlorum militia cum suis agminibus obuiam iuit, ineffabilique lætitia exultauit. Non ab re quidem; quæ enim nobis annua celebritas, illis omnibus facta est continua. Nam etsi in Vallis Iosaphat medio, quæ vallis est inter Sion, & Olueti montem posita, MARIÆ sepulchrum mõstratur, vbi etiam in eius honorem ædes miris lapidibus strata, gloriosè tamẽ cũ corpore ipso ad cœlestia Regna perrexit, vbi cum Christo beata immortalitate vestitur. Vt enim fuit præ cæteris gratiæ plena, ita & gloriæ esse debuit. Ne quæ meritò præ omnibus sanctè viuentib⁹ donata est gratia, morte minueretur. Ipsa namque fuit, quæ filio è purissimo sanguine suo corporea membra dedit. Ipsa, quæ nouem mensibus vtero portauit, quæ peperit, quæ pannis inuoluit, quæ lacte pauit. Ipsa, quæ IESVM vehementer dilexit, coluit, primaque adorauit. Ipsa ergo dignissima cum filio regnare, cum corpore etiã ad cœlum assumi; quia putredo, & vermis humanæ est opprobrium conditionis, à quo certè MARIÆ natura excipitur, quam IESVS de ea assumpsisse probatur: Itaque & nos eam laudare, & venerari quotquot annis hac maximè luce conemur, cùm illa sit, per quam omnis maledictio soluta fuit, per quam cœlestis benedictio venit in mundum; cùm illa sit, quæ pro nobis peccantibus assiduè intercedat Regina misericordiæ. Ad quam profectò cõfugientes ab omni morbo, ab omni peste, ab omni corporis, animæque periculo tuti esse valemus, inuocabimus ergo gloriosæ MARIÆ tutum præsidiũ, quò filij sui gratiam hac vita mereamur, altera verò sempiternum gaudium consequamur. Dixi.

In MARIÆ Virginis assumptione exultandum pluribus quidem causis. Tit. 10.

SI hodie cunctis Veliterna in Vrbe vijs, plateis, domibus, pueri, iuuenes, viri, seniores, nuptæ, viduæ, virgines gaudent, lætãtur, exultant, Optimi Patres, & Domini, nullus profectò, nullus indignatione aliqua affici debet; verùm tamen toto pectore vnusquisque conari vnà cum Angelis, sanctorumque cœtu B. MARIÆ summi Dei Matris optimæ ad cœlestia regna Assumptionem summa lętitia, debitisq; obsequijs celebrare. Cõtulit namq; sacrata Virgo hominibus perditis sempiterna dona, Redemptorẽ, scilicet, quẽ sacratissimo vtero portauit. Frequenter etiã inter sæculi ærumnas miseros homines aspicit, & tuetur. Pro nobis iugiter ad Dominum filium suum orationes, & preces dirigit. O gloriosa genitrix, cuius visceribus fuit cœli, terręq; author cõmissus. O felicissimum puerperiũ, lætabile Angelis expectabile sanctis, necessarium perditis! Tu ergo B. gloriosaq; MARIA, laudabilis inter omnes mulieres. Tu ad fontẽ perennis vitæ, tu ad Paradisi amœnitates, & trahis, & ducis errantes; tu gentiũ mater; tu Dei genitrix; tu nutrix. Ex te natus qui te creauit; à te gestatus qui te formauit; tua suxit vbera, quę ipse impleuit. Senatũ igitur, Populũq; Veliternũ oro, ac obsecro, vt magis ac magis gloriosissima Dei Mater aspicias, & defensis, quò tuam valeat Assumptionẽ singulis annis maiori cum gaudio celebrare, Deoq; Patri, & creatori nostro gratias agere, qui tanto nos amore prosecutus est, vt propter nos homo fieret, propter nos varijs, & acerrimis contumelijs afficeretur. Exultemus itaque vnà omnes festum Virginis solemne cum hymnis, & laudibus celebrantes Veliterni Ciues, Reique publicæ Patres Optimi. Dixi.

Immaculatæ Virginis Assumptio deuotissimè, hilariterquè celebranda. Tit. 11.

AScẽdi locum, Magnifici Domini, summa qua in Beatam Dei genitricẽ MARIAM Virginem intemeratam pietate, & veneratione afficior. Adeste igitur, & quæ in hodiernę celebritatis decus, & laudẽ narrauero, æquis, benigniſq; auribus audite quæso. Beata, gloriosaq; Virgo, cuius hodie festa colimus, diuinis est efferenda præconijs; nam hodierno die gloriosa migrauit à corpore, vbi cũ Senatoribus cœli intra Paradisi Curiã cõuersatur. Ascẽdit enim multis circumdata Sanctorũ agminibus cum laudibus, & canticis spiritualibus. Solaq; est quæ interemit vniuersam hæreticã prauitatẽ. Sola posti Deũ nos omni in veritate cõfirmat. Sola meritis, & precibus suis auxiliatur. Perseuerãtes igitur vnanimiter in oratione, & charitate meditemur mandata Dei, quò videlicet æternæ vitæ gaudia, & nos intrare possimus, ad quæ B. Virgo feliciter hodie introiuit, quæ Dei genitrix electa dedit cęlis gloriã, terris Domini pacẽ, fidẽ gẽtib⁹, finẽ vitijs, vitæ ordinẽ, moribus disciplinam. Quidquid enim maledictionis infusum erat per Euã illã, MARIÆ abstulit benedictio. Ijs itaq; meritis iure Senatus, Populusq; Veliternus ad vnũ per singulos annos hũc diẽ expendat in laudẽ, & cũ gaudio celebret deuotissimè, quia hic est dies ille pręclarus, in quo exaltari super Angelorũ choros immaculata Mater, & Virgo meruit. De qua natus est ipse, Deus & homo, saluator hominũ perditorum. De qua etiam cunctis misericordia omnibus profluxit, & gratia. Dixi.

FINIS.

S. ANASTASIVS SYNAITA.

NOTA.

OMNI virtute, sanctitateque præditus Græcus Anastasius, priùs Monachus in sacro Monte Synai (ex hoc Synaita communiter nuncupatus) deinde Patriarcha Antiochenus, ac tandem Martyr Dei Inclytus; migrauit ad Dominum, anno à virgineo partu DXCV. De quo agunt Martyrologia Latinorum, atque Græcorum ad diem 21. Aprilis, & ibi latè Baronius. Diuersus fuit ab Anastasio altero etiam Græco, Patriarcha Antiocheno, ac similiter Martyre, qui anno DXCIX. creatus, Synaitæ in dignitate successit. Primus verò noster Synaita, plura scripsit; quæ à Sigiberto, Possevino, Bellarmino, Sixto Senensi, Auberto Myræo, & alijs recensentur, quorum in Bibliotheta v. PP. aliqua inueniuntur. Inter alia scripsit Sermones duos de Annunciatione Intemeratissimæ Dei Genitricis MARIÆ, quos hoc anno MDCXLVIII. R. P. F. Frãciscus Combefis, Ordinis Prædicatorum in nouo Auctario Bibliothecæ Parisijs impresso, apud Antonium Bertier primo Tomo, fol. 849. Græco Latinos primò in lucem emisit. Et nos ad eiusdem Virginis gloriam iterum Latinos tantum typis mandamus.

SANCTI PATRIS NOSTRI ANASTASII

Archiepiscopi Antiochiæ, in Annunciationem intemeratissimæ, Deiquè Genitricis MARIÆ.

SERMO I.

VOBIS hodie, optimi filij, verbum sum narraturus, certusque sum fore, vt in medium proferens, Ecclesiam narratione lætificem. Vobis hodie Dei Verbi ad humanam carnem complexionem, ac coalitionem retegens, gaudentes vos à concione dimittam, vtilem, ac salubrem habentes gaudij materiam. Quid enim Verbo rationi charius? Quidue ad vtilitatem commodius? Hodie positus est summus lapis anguiaris in fundamentis Sion, qui ea inuicem connectat, quorum natura inconnexa est, vniatque, quæ sunt per substantiam diuersa. Iure itaque meritò, cum ea, quæ gaudium suscepit, gaudeamus, Deique nostri matrem, in hæc verba cum Gabriele salutemus: *Aue gratiosa; Dominus tecum*: quòd facta sis nobis salutis via; ascensusque ad superos, ac locus requietionis, refrigerijque tabernaculum, in quo Dominus habitauit. Quamobrem cum omnibus generationibus, te solam beatam in mulieribus dicemus; quam neque Sol, voluptatis flammam immittens, aduisit, neque

1. *Petr.* 2. *v.* 6.

Luc. 1. *v.* 28.

A fluxa vis Lunæ noctu læsit. *Non* enim, *dedisti in commotionem pedem* animi, sed eo fixo in petra, inflexa mansisti: teque Dominus custodiuit, in te solus ingrediens, ac ex te egrediens, clausamque ac obsignatam in æternum seruans. Salue sis ergo, Mater pariter, ac Virgo, Vitæque cibus, ac fons immortalitatis: ex te enim is prodijt, qui interemit corruptionem, ac mortem destruxit. Nos itaque, fratres, ijs ad Dei Matrem pro nostra facultate dictis, in nos ipsi deinceps spectemus, ac nouerimus diei virtutem, natalemque nostrum hodie dedicemus. Ita planè, hic nobis dies vocatus est sanctus, in quo formati ad antiquam vitam postliminiò reuersi sumus. Porrò videatur fortè nouum quod dicitur: dicetur tamen, Deo largiente virtutem, ac dicenti subministrante sermonem.

Psal. 120 *v.* 3.

Ezec. 40. *v.* 4.

B Vnde verò potiùs quàm ab Euangelistæ verbis ordiẽda nobis narratio sit? Ipse nimirum sermonẽ auspicetur, qui & diẽ hanc notam fecit. *In mense*, inquit, *sexto, missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatẽ Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginẽ desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo,*

Luc. 1. *v.* 26.

& familia Dauid, & nomẽ Virginis MARIA. Fortè verò quærat quis talium studiosus rimator: Quis velit sextus ille mensis, ac vnde numerandus sit. Vt verò quod res habet apertè suggeramus, ad ea recurrendum, quæ paulò superiùs dicta sunt ab Euangelista: Ait enim: *Post hos dies concepit Elisabeth vxor Zachariæ, & occultauit se mensibus quinque, &c.* Tumque subdit: *In mẽse autem sexto, missus est Angelus Gabriel ad MARIAM.* Verùm dicet, nihil minus his positis obscura manet narratio. Quòd enim Euangelista dixerit: *Post hos autem dies cõcepit Elisabeth;* haud tamen quos velit dies, significauit. Ac certè videtur rectè quærere, qui sic ait: docebitur autem, dummodò aurem auditioni accommodans, intelligenti animo, quæ dicuntur acceperit.

Semel in anno Sacerdos legalis intrat in Sancta sanctorum, expiaturus pro populo: vnde etiam solemnitas illa, *propitiatio*, seu *dies propitiationis*, ac humiliationis dies, magnumque ieiunium, ab eis appellatur. Celebratur autem die decima mensis septimi, qui nobis October, Thersi ab Hebræis vocatur. Hebræi enim, anni exordium ab Aprili ducunt. Decima ergo iuxta Lunam septimi mensis, Zacharias Sacerdotio fungens Angelicam vidit visionem, faustumque nuncium nascituri Baptistæ accepit: post quod impleta sua vice, domum redijt. Porrò impletur ea, facto iam plenilunio, ac Luna summè aucta. Tunc *concepit eius vxor Elisabeth, & se occultauit mensibus quinque.* Fortè erubescens, canitie efflorente, ac quòd eam agens ætatem, viro in cubilis societatẽ coisset. *Occultabat* autem *se mensibus quinque, dicens: Quia sic fecit mihi Dominus.* Sexto igitur mense à conceptione Elisabeth, missus est Gabriel, vti scriptum est, ad MARIAM: Non omninò finito sexto mense, sed intra eius totam latitudinẽ. Neque enim historia Euangelica impletum habet sextũ mẽsem, quo tẽpore facta est Virginis salutatio, seu annũciatio: neque Gabrielis ad eam verba, hoc indicant. Verùm, ita quidẽ historia: *In sexto mense missus est Angelus*: Angelus autem ad Virginem: *Et ecce cognata tua, & ipsa concepit Filium in senectute sua, & hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis.*

Hinc porrò maior nobis emersit difficultas, obijciatquè calentior aliquis, dicens: Siquidem ait iste, accidisse salutationem, seu Annunciationem labente mense, quis ita distribuit, vt hodie debeat celebrari? hodie est die 25. mensis, non die alia? Ad quem in promptu erat dicere; eandem illi de quouis alio die futuram quæstionem. Quia tamen videtur non insecta percontatio, respondeamus. Dicimus ergo, non sic reuera habere affirmantes, neque vt nostrum dumtaxat sermonem teneamus; sed vt, quod animũ subijt sine inuidia aperiamus, vosque ad veriorem solutionem inquirendam exerceamus: quam si inueneritis, maneat hæc obscura, nec mereatur conscribi.

Cùm hic mundus creatus sit, ac tempore mensuretur, planè oportet incæpisse ab aliquo motu: omninòque temporale quoddam principium habuit. Non enim nos sempiternum dicere nouimus, nec Ecclesiæ Dei. Nihil quippè sempiternum est, cuius partes corruptioni, ac mutationi subiacent: omninò autem, cuius corrumpuntur partes, totum quoque ipsum corruptioni obnoxium est. Quod si mundi partes corruptione intereunt, vtique interiturum est, & totum. Non ergo mundus sempiternus est: Si autem non est sempiterna, oculis hæc subiecta moles, planè habuit principium esse, ac principium creationis, vt probatum fuit. Vndenam par erat, vt Dei sapientia, quæ vniuersa ordine, ac iustitia creauit condiditque, creationem inchoaret, seu etiam tempus initiaret: nam & ipse pari cum creatis tempore ingressus est: quàm ab ipsa statim æqualitate, quod ad discriminationem, ac diuisionem temporis spectat, atque à summa partium æquabilitate, quam veris initium à prima creatione habuit, hactenusque habet: media illa frigoris, & æstus, ac quod parte vtraque excessu molestum est, fugiente: quæque postmodum plus luci tribuat dieique spatio, ac tenebras deprædetur ad lucis victoriam? Planè enim oportebat, vt præ tenebris, lux potior haberetur: siquidem tenebræ non subsistunt: lux autem, cùm priùs non esset, prima Dei voce condita est, habuitque testimonium, *Bonam esse.* Hinc etiã primum Hebræi hunc mensem dicunt; olim puto, ac ex patribus, perque Moysem eius eis sancita religione. *Hic* enim, inquit, *mensis. sit vobis primus in mensibus anni*: quẽ etiam quodam alio loco Moyses, *mensem nouorum* dicit, tanquam nouæ creationis principij, ac eorum, quæ initio facta sunt, memoriale. Sed & is à patribus accepit, vt mensem istum nosset principium temporis. Sanè in diluuij historia perspicuè expressum inuenimus, appellatum esse eum mensem secundum, qui consequitur Nisan. Sic enim apud eos primus mensis appellatur, qui apud Romanos dicitur Aprilis: apud autem Macedones Xanticus. Porrò Nisan exponitur *florens*: Quippe Nisa apud Hebræos, flos appellatur. Fortè verò etiã Xanthicus, Anthicus Græcè dicitur, ideſt, floridus, adiectione literæ X, ita appellatus. Siue autem Anthicus, siue Xanthicus, ex aëris, quæ tunc est, efflorescentia ita nuncupatur.

Gen. 1. v. 3.

Exod. 12 v. 2.

Exod. 13 v. 14.

Gen. 7. v. 11.

Itaque primus mensis ab Æquinoctio verno

verno incipit, primus natura existens, tanquam principium temporis, vna cum rerum productione creatus. Tunc verò est AEquinoctium, cùm nihil præexistentis temporis remanet in solari cursu, die vigesima Martij siue Dystri mensis. Sic enim hactenus quoque occurrit, cùm quadriennium Bisexti, quod vocant, in diem perfectum motum absoluit. In alijs enim tribus annis, propter quartam residuam, non iam vigesima, sed vigesima prima, atque adeò quadam inæqualitate AEquinoctium eiusmodi occurrit. Deinceps autem Ver incipit, omnia statim in pulchram quandam, ac genitalem speciem transmutans, ac mouens. Siquidem verò hæc ita habent, mundi visibilis primum ortum vigesima die mensis Martij intelligimus. Nam creata, omninò creari oportuit, pulcherrima anni tempestate: Atqui Ver pulcherrima est tempestatum anni, vt ipse abunde testatur sensus. Videmus enim per id tempus, moueri omnia, vt numero, ac mole augeantur, primum illud mandatum reuerita: *Gen. 1. v. 28.* *Crescite, & multiplicamini.* Siquidem ergo pulcherrima anni tempestatum Verna est, incipitquè illa ab AEquinoctio, quando Deus incæpit res creare, cùm hominem die sexta creauerit; planè intelligimus fuisse creatum hominem die vigesima quinta mẽsis Martij. Quippe sexta est à vigesima, vigesima quinta,

Cùm hæc itaque sic habeant, quam sibi magis decuit definire diem, qua se carni cõiungeret, qui à principio formarat? Siquidem enim lubens propter nostram salutem seruiuit carni, ac natiuitati, nostrisquè illis affectionibus, tentos nos sub peccato liberaturus; planè par erat, vt ipsa die compactio auspicaretur, qua incepisset hominum creatio. Fuit siquidem secundus Adam, omnibus susceptis, quæ prioris essent, modò tantùm peccatum excipias. *1. Cor. 15 v. 45.* Quod si omnibus, quorsum hoc vnum negligeret; nimirum generationis tempus, quod planè eius in genus hominum sapienti dispensatione haudquaquã indignum esset? Sanè enim tunc reformari decebat peccati reum, quando formatus fuerat.

Luc. 1. v. 26. Quo circa, ipsa die *Missus est Gabriel*, fauste Virgini, incorruptam natiuitatem annuncians, eique, futuram eius ope Gentibus salutem, prænuncians: dumque interim ille *Ioann. 1. v. 14.* salutat, *Verbum caro factum est*, figmentum reformans, quod, vna cum maligni serpentis sermonibus ingressum peccatum, corruptioni obnoxium fecerat: ac sicut per fœminam mors causata est, *1. Cor. 15 v. 22.* sic oportuit dispensari salutem per fœminam. Per illam deceptam voluptate, omnes mortui sumus; (per hanc viuificati sumus:) non ea tantùm accipientes, à quibus excideramus, sed longè maiora, ac pretiosiora, quæ neque humanus intellectus possit concipere; nec oculus eorum valeat assequi speciem; sed & auditus ferre nequeat. Hæc, quam agimus, celebritas, ac festa dies; sacræ quidem, ac venerandæ huius Virginis, Annunciatio est; mundi autem vniuersi natalitius dies: quippe vniuersa, suo quæque ordini asserta sunt; priorque deformitas decorem accepit. Quia nimirum, nostri causa, similis nobis factus sit, qui nos fecit, veteratam ipsius, ac corruptam imaginem renouans, eamquè, eximia quadam pulchritudine instaurans; in hęc ferè verba ad nos clamans: Ex quo hodie facti formatique diffluxistis, atque in mortem detracti estis; hodie vestri causa, factor ego fingor, vt mea hac carne nunc facta, in vitam vos pristinam reducam, idcircò cum morte congrediens, eamquè perimens, vti planè dignum erat. *Isai. 46. v. 4.*

Vt autem Patrum quoque auctoritate nostra confirmemus, exque illis velut quendam eis ornatum addamus, quo gratiam habeant, audi quæ Gregorius à Theologia cognomẽ habens, de verna dicat tempestate. Nos enim ad nouam Dominicam excitans, sermone in eam inscripto, sic ait: *Sic tibi cœlum nouum, & terra noua; nimirum vt alia, sic horum quoque rationem intelligenti. Vide qualia sunt, quæ oculis offeruntur. Princeps anni pars, principi dierum pompam peragit, ac quicquid pulcherrimum, ac suauissimũ habet, dono tribuit.* Multisquè vernę tempestatis in vnum collectis laudibus, ostendit, præ ea, quæ ipsam præcedit, occupasse, vt & exordium, & principium, ac quicquid dicat aliquis, remissio, inquam, ac temporis compactio sit. Enimuerò ne dicens præteream tempus, iamque ad occasum vergentem solem, faciam hic dicendi finem, vt ne longiori de his sermone vobis molestus, tædioque efficiar. Eum itaque, qui nostri causa carnem assumpsit, laudibus prosequamur; per ipsum, ac cum ipso Patri, ac Spiritui Sancto, gloriã, honorem submittẽtes: quippè quem deceat, laus, magnificentia, decor, nunc & semper, & in sæcula sæculorum: Amen.

Eiusdem, In laudatissimæ Dominæ nostræ Dei Genitricis Annunciationem.

SERMO II.

QVid nobis iterum in terra magnus vult Gabriel? Ergo ad nos rursum venit? Qualibus Dei mysterijs seruit? Non minoribus, sed verè tremendis ministrat mandatis. Magna sunt, quæ ei creduntur. Nemo alius per ipsum declarata facilè percipere possit. Ei soli cõmittuntur arcanę Dei sapiẽtiæ thesauri, ac profundum imperscrutabilium eius iudiciorũ docetur. Ad nos quãdoque venit, vt virum desideriorum sapientia eruditret, *Dan. 9. v. 23.* doceretquè Regum successiones, ac mundi

finem ; vt item resurrectionem significaret, ac indicium cuique ordine reddendum prænunciaret futuraque reuelaret. Venit iterum, vt mirabilem diuini Baptistæ natiuitatem patri annunciaret, ac eam ad Deum hominum coniunctionem, quæ per eum futura esset, indicaret. Rogo enim, qui ijs, quæ scripta sunt fidem habere digni estis, considerate, num ab ijs, quæ scripta sunt, fide dignus aduenerit: quòd nimirum steriles, suscipiant liberos; senes, procreent filios; immaturi in vtero fœtus exiliant; Sacerdos ob incredulitatem loquelam amittat.

Luc. 1. *v.* 8.

Alij alijquè sanctorum Angelorum aliud quid negotij creditur; huic vni, quod est vniuersorum caput, committitur; nimirum Deum in Virginis vulva sine semine concipi; Spiritum Sanctum edendæ proli cooperari; eum, *qui est super omnia* Pater ac *Deus*, in hæc verba iubere Virginem salutari: *Aue gratia plena. Dominus tecum.* O magnificam, ac diuinam vocem! O excellentem clementiam, ac bonitatem! O Angelicum verè ministerium! O Beatam Virginem, quæ talia verba audire meruit! seu magis, quæ rebus eiusmodi ministrare digna fuit! Concepisti absque viri vlla coitione; innupta peperisti: sola Mater simul ac Virgo effecta fuisti. Neque enim partus virginitatem prohibuit, neque conceptio integritatem sustulit. Inuiolatum seruasti virginitatis thesaurum etiam post partum. Lacte, infantis instar eum pauisti, *qui dat escam omni carni.* Sub tuam mammam tanquam paruulum eum collegisti, qui fontis instar lac puerperis scaturit, quo illæ paruulos alant. Etenim facta es mater, non puri hominis, aut alicuius Prophetæ, aut Deum in se hospitem habentes; sed vera Mater *magni Dei, ac Saluatoris nostri IESV Christi. Quis loquetur potentias Domini?* Quæ auris capere poterit? Quis sermo dignus inuenietur eorum, quæ intelliguntur, interpres? Ad vsque te audierunt mulieres: *In tristitijs parietis filios*, inque omnes, ceu hæreditaria quædam successio diuinum currebat mandatum, indissolubile manens, atque immotum. A te deinceps audiet fœmineus sexus, *Auete* fœminæ, quæ gaudij principium susceperitis, solam illam inter virgines gratiosam; pulchram, immaculatam, sanctam, Dei Genitricem MARIAM.

Rom. 9. *v.* 5.

Psal. 135 *v.* 25.

Tit. 2. *v.* 13.

Psal. 105

Gen. 3. *v.* 16.

Mat. 28. *v.* 9.

Magnus quidem Gabriel fausta eiusmodi Virgini nunciat, dumquè miscet sermones, vnigenitus Dei Filius virginalem subijt vterum; cepitquè venter, quem omninò cœlum non capit. Nostri causa, factus est vtero gestatus infans, qui nobis superior erat: paulatim crescens, ac corporaliter ad perfectum prouehens, qui ipse omnibus numeris perfectum esset Dei Verbum, ac *omnia verbo virtutis suæ portans*: annorum initium accipiens, qui conditor esset temporum, ac existeret ante sæcula. Hominum opifex, factus est homo, Matrem sibi ex nobis comparans, ipse vnicus per naturam Dei Filius, carnem ex ea nobis consubstantialem assumens.

Luc. 2. *v.* 52.

Hebr. 1. *v.* 3.

Quia verò sermo haud satis coassurgit miraculis, nec mortalis lingua, magnifica Dei opera pro dignitate enunciat; adesdum Prophetarum vocalissimè Isaia; adesdum, inquam; doce nos Dei magnalia. Iauda per Spiritum facta: iube audiri, quę sunt nuncianda: eum glorifica qui quos vult illuminat: fide maioribus, prædictione adstrue fidem: *Ecce*, inquit, *Virgo habebit in vtero, & pariet Filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel.* Dic sodes iterum Propheta, super istis laudis canticum. *Domine Deus meus glorificabo te; laudabo nomen tuum, quoniam fecisti admirabiles res, consilium antiquum verum: Fiat Domine.* Quodnam verò antiquũ erat consilium Dei, & Patris? Vtique omniũ nostrum salus. Qui enim dedisset vt essemus, qui nõ potiùs daturus erat, vt benè essemus, figmentum suum ad antiquum domicilium reuocans, ac mandati obseruationem, per quam vitæ in nobis immortalis promissio est, quam & meritò amiseramus, non seruantes eiusmodi mãdatũ. Sed, ò diuina, ac beata Virgo, extensa ad cœlum scala; paradysi porta; ingressus ad incorruptionem; hominum ad Deum vnio, ac confertio, tu nobis sermonis esto signaculum: in Christo IESV Domino nostro, per quem, ac quocum, gloria, ac potestas, Patri, cum sancto, ac viuifico Spiritu, nunc & semper, & in sæcula sæculorum: Amen.

Isai. 7. *v.* 14.

Isai. 5. *v.* 1.

Sancti Patris nostri Andreæ Archiepiscopi Cretensis, Hierosolymitani.

In sanctissimæ Dei Genitricis, ac semper Virginis MARIÆ diem Natalem.

ORATIO I.

PRæsens nobis solemnitas, festorum initiũ est: vtique prima post legem, ac vmbras; ipsaque nihilominus earum ingressus, ac ianua, quæ ad gratiã, ac veritatẽ spectãt. Quin & eadẽ, tum media est, tum extrema; cui quidẽ initium sit, legis terminus; medium autẽ, cohærentia cum extremis; ac demum finis, veritatis manifestatio. *Finis enim legis, Christus*: qui non minus abducat à lege, quàm ad spiritum prouehat. In eo enim consummatio posita est, qua ipse Legislator, confectis omnibus, ac terminatis, literam in spiritum transtulit, in se ipse summa colligens omnia, tumque ex legis, tum ex gratiæ instituto viuens; ac illam quidem subijciens, hanc autem concinnè connectens: non permixtis confusisque, quæ alterius propria erant, cum

Prætermissa, & colocãda, fol. 209.

Rom. 10. *v.* 4.

Eph. 1. *v.* 10.

cum alterius proprijs, sed diuinè admodum translato in leue, liberumquè, siquid molestum erat, seruorumquè, ac mancipiorum proprium: vt non simus iam sub elementis mundi in seruitutem adacti, quemadmodum
Gal. 4. v. 3. ait Apostolus, neque iugo seruitutis legalis literæ simus obnoxij. Hoc enim Christi in nos beneficiorum caput: hoc sacramenti manifestatio: hoc naturæ renouatio; Deus ac homo, assumptæquè carnis deificatio.

Sed & ita splendido, summèque illustri, Dei ad homines aduentu, omninò etiam gaudij præludium aliquod esse oportebat, quo magnum in nos salutis munus procederet. Id porrò, hodiernæ diei solemnitas est; cuius exordium, Dei Genitricis natiuitas est; finis verò ac terminus, Verbi cum carne concretionis editio: qua planè, inter miracula, vniuersis mirabilior, ac noua magis prædicata semper auditio, comprehensu, ac cognitu difficilis manet: quò occultatur, eò illustrior ipsa euadens; ac quò declaratur, eò euadens obscurior. Hinc sanè, diuinè gratissima, primaquè hæc festa dies, virginitatis lumen ferens in capite, velutquè ex illibatis spiritalium scripturæ pratorum floribus sibi collecto serto, communem creatis lætitiam proponit, ita dicens: Confidite: Natalitia celebritas est, ac generis reformatio. Iam enim Virgo nascitur, lactatur, ac formatur; omniumquè sæculorum Deo, Mater innupta præparatur: idquè nobis ex Dauide, cum Dauide spiritalem indixit conuentum: vt illa quidem, suam, vt Dei Matris diuino munere concessam proponat natiuitatem; hic, generis ostendat fælicitatem, Deique cum hominibus nouam maximè, atque decentem cognationem. Papæ miraculum! illa quidè, mediam agit sublimitatis Dei, ac humilitatis carnis; efficiturquè Fictoris Mater, figmenti vniuersi causa: hic autem, futurum vaticinatur tanquam iam præsens, ac iureiurando, claram generis ex lumbis à Deo ac-
Psal. 131 v. 11. cipit perennitatem, ac conseruationem. Meritò igitur festiuè celebrandum diei sacramentum, ac verbi Matri, ipsa dono offerenda verba: quòd præter Verbum, ac quem verbis habemus honorem, nihil illa acceptum habeat. Nam vt fecerimus, duplex inde nobis lucrum accedet; quà prouehens ad veritatem, quà à legali in litera seruitute, ac vitæ instituto abducens. Quomodò, quave ratione? Nimirum, cedente vmbra aduentui lucis; ac gratia, libertatem inferente pro litera: quorum præsens solemnitas confinium est, figuralibus symbolis veritatem succedaneam iungens; ac noua, veteribus substituës. Id quoque, diuina Spiritus tuba Paulus alta
2. Cor. 5. v. 17. edixit voce, dicens: *Si qua in Christo noua creatura*, renouamini: *Vetera transierunt; ecce noua facta sunt omnia.*

Quia enim *nihil ad perfectum adduxit lex: introductio verò melioris spei, per quã proximamus ad Deum*: ideò gratiæ veritas palam eluxit: nimirum, legis ipse conditor, qua nemo ratione posset dicere, seipsum exinaniens per incarnationem demisit, ac processit homo, vt impleret quod deerat, ac deteriorum loco meliora, ac perfectiora inferret: quod & sublimis Ioannes, Deitatis Verbi tuba illa, apertissimè significare velit, dicens: *De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Cùm enim sic ille exinanitus esset, tumque nostram ex nobis mirabiliter naturam induisset, plenitudinem ipsi accepimus, locoquè assumptæ conspersionis, redditæ deitatis diuitias consecuti sumus. Omnia igitur exultent hodie, ac saliat natura. *Lætetur cœlum desuper, & nubes spargant iustitiam. Stillent montes dulcedinem.* & colles exultationem; quoniã misertus est Dominus populi sui, *erexitque cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui*; nẽpè immaculatissimam hanc, innuptamque, ex qua Christus, salus ac expectatio Gentiũ.

Heb. 7. v. 19.

Ioann. 1. v. 16.

Isai. 45. v. 8.

Am. 9. v. 13.

Psal. 64. v. 13.

Luc. 1. v. 69.

Nunc ergo choros ducat, proba omnis, ac grata anima; naturaquè, creata vniuersa ad suæ ipsius renouationis, ac reformationis gaudia conuocet. Steriles concitè accurrant; nam quæ orba prole, ac sterilis erat, diuinam prolem Virginẽ, filiam suscepit. Gaudeant virgines, infœcunda enim tellus, nullo fœcundam semine terram germinauit, cuius fructus; nulla viri cultus opera existit Matres gestiant; mater namque sterilis, incorruptam matrem virginemquè peperit. Plaudant mulieres; mulier enim peccati olim vltrò auctrix, salutis modò primitias inuexit; quæque pridem fuerat rea, diuino fuit iudicio probata; innupta electa conditoris mater, ac instauratio generis. Omnia ergo creata deeantent, ac choros ducant, dignumquè aliquid diei lætitiæ inferant. Vna hodie cœlestium terrestrumque sit communis festiuitas, pariterquè quicquid inferni supernique mundi est, diem solemnem agat. Hodie namque Creatoris omnium, creatum delubrum exædificatum fuit; ac creatura, diuinum Creatori, noua decentique ratione præparatur hospitium. Hodie natura priùs è terra orta, deitatem primò accipit; puluisque, ad supremum gloriæ apicem sublimis excurrere contendit. Hodie ex nobis, nostri loco, Adamus primitias Deo offerens, MARIAM primitias facit; totiusquè conspersionis antè subacta massa, ad generis reformationem per eam in panes formatur. Hodie magnus virginitatis retegitur sinus, inuiolatũquè veræ incorruptionis margaritũ, Ecclesia vt spõsa induitur. Hodie clara hominum ingenuitas, primæ à Deo formationis munus recipit, adque seipsam postliminiò redit: quemque

vitiositatis ignobilitas speciei decorem obscurauit, nunc natura natæ eius matri adhibens, qui est *speciosus*, optimam, planeque diuinam formationem accipit, propriè que, ac verè formatio, instauratio sit; instauratioquè deificatio, illaque principalis exemplaris per similitudinem expressio.

Psal. 44. *v.* 3.

Hodie sterilis, contra spem inuenitur mater, prolisque illa sine patre, parens, ex non genitalibus lumbis germinans, naturæ genituras sacrauit. Hodie diuinæ purpuræ imbutus est color, pauperquè hominum natura, regiæ dignitatis habitum induit. Hodie iuxta quod oraculis Prophetarum editum est, Dauidis germinauit surculus; semper, inquam, virens virga Aaron; quæque *virgam virtutis* Christum efflorуit. Hodie puella virgo ex Iuda, Dauidequè procedit; regni, sacerdotijquè eius præse speciem ferens, qui secundùm ordinem Melchisedec sacerdos fuit, non secundùm ordinem Aaron. Hodie gratia, mysticum dealbans diuini sacerdotij Ephod, Leuitico typicè prætexuit semine; Deusque, regalem inficiens purpuram, Dauidicò sanguine purpurauit. Atque vt verbo dicam, hodie humani generis reformatio incipit, munduſquè veteratus summè deiformem elementationem accipiens, secundæ à Deo formationis inchoationem suscipit. Quia enim prima hominum formatio ex mundâ terrâ, ac incõtaminata Deo auctore extiterat; naturaque, per inobedientiæ lapsum, qua è vitali loco electi fueramus, gratia spoliata, cognatam dignitatem obliterauerat; atque paradisi delicijs corruptibilem vitam commutauerat, ceu quandam hæreditatem nobis obtingentem, atque ex se mortem, ac qui mortem consequitur, generis supremum interitum progignentem. Cùmque item vniuersi, terram cælo præoptassent, spes omnis salutis sublata erat; supremoque natura indigebat auxilio. Nulla verò lex erat, quæ ægritudini sanandæ foret; non innata; non quæ in litera posita est; non Prophetarum ignem spirans ac reconciliatorius sermo; non si qua humanæ naturæ vitia emendare comparata sunt, ac quibus fortè ad pristinam reducenda fore facilè videbatur ingenuitatem: tunc tandem placuit vniuersorũ opifici optimo Deo, vt velut concinnissimũ quemdam, ac recens compactũ mundũ alium exhiberet, hactenusque grassantem peccati luem, ex qua mors esset, compesceret; tumque nouam quãdam, liberamque à seruitute, atq; ab affectionibus verè vacuissimam vitam, nobis vtique diuinæ regenerationis baptismate renatis, monstraret.

Ier. 33. *v.* 13.

Num. 17. *v.* 8.

Psal. 109. *v.* 2.

Psal. 109. *v.* 4.

Hebre. 7. *v.* 15.

Quo igitur modo, magnum hoc, maximèq; nouum ac mirabile, diuinisque congruentissimũ legibus, in nos beneficiũ procedere oportebat, nisi ita vt Deus nobis per carnem appareret, ac naturæ legibus cederet, nostrisque, A vt nouit rationibus, noua decentique ratione vitam instituere annueret? Qui id verò in finem deduceretur, nisi munda ac intacta Virgo mysterio priùs ministraret; tumque lege, naturæ superante leges, eum qui substantia maior est, vtero gestaret? Hæc autem quænam alia intelligatur, præter eam, quæ ante omnes generationes, vniuersæ creaturæ auctori fuit electa? nempe, MARIA Dei Genitrix, à Deo illud vocatum nomen, ex cuius vtero processit indutus carnem maior ille deitate; quamque sibi is in templum, admirabili planè compegit ratione. Non enim corruptus fuit puerperæ vterus, nec susceptæ proli fuit necessarium semen. Quippe Deus B erat, tametsi carnali ratione voluit nasci, sine carnali concubitu, ac absque doloribus, vt & Mater, quæ matrum essent effugeret, mirabiliter lactans, quem innupta Filium susceпisset; Virgoque, nullo satam semine prolem edens, virgo casta maneret; post etiam partum integra virginitatis signacula ferens: quo planè modò, tum Deipara meritò prædicatur; tum honestatur virginitas; partusque adoratur: ac Deus se hominibus vniens, tumque carne apparens, suæ gloriæ dignitatem largitur: atque mox muliebris sexus primam emendat maledictionem, factus ipse salutis initium, qui initium peccati extitisset.

C Iam itaque ad ipsum caput nobis deuenit oratio, hincque ego laudator hodie, splendiduſque sacri huius lautissimi epuli conuiua, communem vobis apponens lætitiam, processi. Cùm enim, vt dixi Redemptor generis, nouam priori succedaneam natiuitatem ac formationem exhibere voluisset; quemadmodum illic priùs, accepto limo ex virgine ac illibata terra, primum Adam effinxit: sic & hic modò, suæ ipse Incarnationis auctor, alterius, vt sic dicam, vice terræ, mundam hanc, immaculatissimamque Virginem è tota natura eligens, nostrumque ex nobis in ea figmentum, noua ratione componens, Adæ fictor, nouus Adam effectus est, vt recens ipse, D temporibuſque nihilominus superior, veteri illi salutis causa foret. Quæ autem illa, ac quibus fata parentibus, age dicamus, succinctè, vt licuerit, gestæ rei narrationem decurrentes.

Hæc itaque, quæ eximia quædam omnium què maxima gloriatio sit, Dauidis quidem nata est filia; Ioachim autem semen, ac Euæ quidem neptis; Annæ verò proles. Ioachim enim vir mitis, modestuſque, ac diuinis innutritus legibus; cùm sobriè vixisset, Deoque constans adhæreret; ac si perseueraret, consenuerat orbus filijs; cùm natura quidem vegeta esset, nec eius tamen vigori gratiæ munus responderet. Sed & Ana Dei amans: sobria quidem, ac casta, sed sterilis; viri amans,

sed

sed liberis carens; ac cùm legis Dominicæ ho A norem vnum meditaretur, stimulantibus vndique sterilitatis in dies aculeis, atque vt par est afflici, quibus nulla sit suscepta proles, molestè ferebat; tristabatur; dolebat, non se ferens orbam liberis. Cùm sic autem Ioachim ac Anna tristitia tenerentur, quod deesset proles generis futura hęres, hactenus quidem haud omnino spei scintillam extinxere, ambo autem prolem concedi, ad suscitandum eis semen, orabant. Ambo igitur exaudibilem illam Annam imitati, templo assidui erant; Deumque, vt orbitatem solueret, ac fructum sterilitati daret, supplicibus votis exorabant. Nec priùs remiserunt contentionem, quàm vt voti compotes facti essent. Et B verò euaserunt compotes. Non enim spei donum, doni ipsi dator, remisit inane. Sic enim querulis vocibus obsecrantibus, ac Deo supplicantibus, affuit cirò, quæ non tardat, virtus; illique, quibus ederet fructum; huic, quibus prolem pareret, vires adiecit: hactenus siccatis genitalium organorum meatibus, fœcunditatis infundens humorem, ex nõ genitalibus, genitales, ac fœtificos reddidit, iamque ex infœcundis arentibusque, tanquam ex humore vegetis arboribus, generosus nobis fructus, Virgo hæc immaculatissima germinauit; suntque soluta sterilitatis vincula; ac contra spẽ, genitalis oratio fuit; fœcundaquè, prole carens; ac filijs orba, pro- C lem præclaram habens.

Quòd autem ex sterili matre prodijsset, ex cuius vulua prodijt immortalitatis spica, eam parentes primùm florentem ætatis florem, in templum adductam, Deo obtulerunt: cumque is, qui id temporis sacerdotij vice fungebatur, præeuntes, ac subsequentes comitantium virginum choreas aspexisset, gauisus est, valdèque exultauit, tanquam rerum in spe positarum diuinos euentus perspicuè cerneret: ac velut venerabilem hostiam, diuinum donarium Deo consecrauit; atque in ipsa sanctorum penetralia, magnum hunc salutis thesaurum inferens, in eis deposuit; in quibus ferunt sanctam puellam, velut in nu- D ptialibus versantem thalamis, ambrosia altam esca, vsque dum tempus desponsationis aduenit: tempus vtique ante sæculum omne præfinitum, tum ipsi, qui propter ineffabilem clemẽtiam ex ipsa voluit nasci; tum ei ex quo idem ipse ante creaturam omnem, tempusq; ac durationem, diuina natus est ratione; tum denique eiusdem naturæ, ac coæquali, adorandoque eius Spiritui; quorum vt vna Deitas, sic & natura, regnumque; nulla diuisione; nullo extraneo; nulloque ad seipsam discrimine, eo excepto, quod diuinarum personarum consistit proprietate. Idcirco lætis tripudijs festum ago, ac libor; Matrique Verbi festiuum offero munus, quod eius mihi partus, fidei Trinitatis summam declarauerit. A Eterno namque Verbo, ac Filio, suam sibi formante, ac vniente carnem; Pater quoque qui genuit, proditur, vt complacens, ac probans: sanctusq; Spiritus vt insistens, ac eius qui incomprehensum concepit, sanctificans ventrem.

Enimverò tempus, vt ex Dauide quæramus, quid ad illum iureiurando vniuersorum locutus sit Deus. Ago itaque tu hymnographe: Ades, Propheta: agita, pulsaque cytharam; sonos percute; palam edicito, quid tibi iurauerit Dominus. Quid iurauit? vtique, vt ponat de fructu lumborum membrum super sedem meam. Hoc mihi iurauit, nec est frustratus. Iurauit, ac rebus sermones obsignauit. *Semel enim*, inquit, *iuraui in sancto meo. Si Dauid mentiar: Semen eius in æternum manebit: & thronus eius sicut Sol in conspectu meo; & sicut Luna perfecta in æternum, & testis in cœlo fidelis.* Hæc cùm mihi iurasset, opere adimpleuit: cùm hæc oraculo edidisset, confirmauit. *Impossibile enim est mentiri Deum.* Ecce ergo videtur Christus secundùm carnem meus prædicatus filius; idemque Dominus meus, ac (Dei) Filius adoratus, canticis celebratur; adorantque eum omnes Gentes. Vident enim Virginali locatum sinu, tanquam in mea sedentem sede. Ecce & Virgo, ex meo iam enata est fœmore, ex cuius vtero, qui sæculis anterior est, in fine sæculorum prodijt assumpta carne, humanamque coalitionem renouauit. Atque hæc ita.

Psal. 113. *v.* 11.

Psal. 88. *v.* 38.

Hebr. 6. *v.* 18.

Psal. 71. *v.* 11.

Nos autem, Dei populus, plebs sancta, sacer conuentus, tripudio celebremus paterna: vim sacramenti honoremus. Pro concessa quisque gratia, condignum solemnitati munus conferat: Patres, generis fœlicitatem: matres, amplam, probamque prolem: steriles, peccati infœcundos partus: virgines, duplicem incorruptionem; animæ, inquam, ac corporis; coniugatæ, moderationem laudabilem. Si quis in vobis est pater patrẽ Virginis imitetur. Tametsi prole orbus est, fœcundam decerpat orationem, eius fructum ex vitæ religiosæ rationibus colligens. Si qua mater lactans, lactanti Annæ filiam pro voto ab sterilitate, congaudeat. Si qua sterilis, ac infœcunda fructum benedictionis non habet, concessum diuinitus Annæ germen fide conueniat, ac sterilitatem amputet. Si quæ casta Virgo, Verbi efficiatur mater, animi statum ratione perornans. Si quæ coniungata, Deo offerat rationalem fructum, de ijs, quæ precibus comparata sunt. *Simul in vnum, diues, & pauper; iuuenes & virgines, senes cum iunioribus*, Sacerdotes, & Leuitæ: Reges & præsides: Reginæ, ac Principissæ; vniuersi pariter, ac vniuersæ, splendido comitatu iuuenculam deducamus, Deique Matrem,

Psal. 48. *v.* 3.

Psal. 48. *v.* 18.

ac Prophetissam, ex qua ortus Propheta ille aduenit, quem Moyses scripsit, Christus Deus, veritasque.

Occupemus templi vestibula: præcurrentibus virginibus socio pariter cursu comites adiungamus: in sancta ipsa sanctorum simul ingrediamur. Illic enim post fascias; post natiuitatem, post vbera, post infantiam, primo ætatis flore pubescenti, thalami instar, ei Deus educatorium parauit; sibi ipse, quod venerabile augustumque esset conseruans. Hinc filiæ Sion, velut præeuntes Reginæ, in odorem vnguentorum eius præludunt. Hinc & templum hoc sacras expandens excussit portas. Tunc planè, tunc sanctorum illa patuerunt sancta, cùm sanctissimam sancti Matrem, intra adytorum gremium reciperent. Porrò congrua ei profertur esca; hactenusque alit nulla hominum manu comparato cibo, qui modicùm aliquãtulum eius est alendus lacte: ac Spiritus Sanctus nutricius efficitur Virginis, vsque ad tẽpus ostensionis eius in Israel; quando vtique aduenit desponsationis tempus, exquè Dauide ortã, Dauidis ortus prosapia Ioseph in sponsam accepit: illaque, Gabrielis vocem feminis vice suscepit; omnisque expers concubitus, prægnans effecta est; ac Filium genuit, quem pater non seuit; mansitque casta, nihil vteri integritate violata; seruante illi post partum eius Nato, integra virginitatis signacula. Hic est Christus IESVS Nazarenus, qui in mundum venit; hic verus Deus, ac vita æterna: ipsi gloria, honor, atque adoratio, cum Patre, ac Spiritu Sancto, nunc & semper, & in secula seculorum: Amen.

Cant. 1. *v.* 3.

Lucæ 1. *v.* 80.

Eiusdem, in sanctam Natiuitatem præsanctæ Dominæ nostræ Dei Genitricis, semperquè Virginis MARIÆ.

ORATIO. II.

VT palmo liceat metiri terram, ac funiculo mare circunscribere: vt cælum comparetur cubitis, ac stellarum copia possit numerari: vt guttæ pluuiæ, ac glebæ terræ, ventorumque pondus, ac arenæ quantitas comprehendatur; facile vtique, quod in manibus argumentum est, comprehendi queat. Porrò Dei Matris est festus dies; admirandæque puellæ natalitiorum celebritas, quam agimus; puellæ, inquam, semper Virginis; puellæ nuptiarum expertis; Reginæ, Prophetissæ, cuius regales fascias magnus ille inter Reges, Prophetasque Dauid, regali effingens obtutu, ac regio prehendens sensu, exclamauit: *Omnis gloria filiæ Regis ab intus, in fimbrijs aureis circumamicta, variegata*; à longe puto, ei statim à cunabulis diuinitus adiectum pulchritudinis decorem, per varia diuini Spiritus dona, obscuriùs designans: Sic enim mea sententia, vestem auream, ac fimbrias aureas; sed & regales puto fascias, exponent, qui nulla affectione candidè iudicauerint Lectores; quorum ille internum decorem, eamque venustatem, quæ ex externa pulchritudine circumfulgebat Virginem, prænidens, libera acclamauit voce: *Audi*, inquit, *filia, & inclina aurem tuam; & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui; & concupiscet Rex decorem tuum*: quæ quidem, etsi apertè Ecclesiam Gentium referant, haud tamen difficilè de illa intelligi queant, quæ tota toti Ecclesiæ sponso per Oeconomiæ miraculum in templum effecta est. Age igitur, qui in vnum collecti sumus, cum Dauide, Dauidis filiæ, ceu Dei Matris encomia, plausu celebremus. Veneratione colamus festæ lucis splendorem: offeramus Virgini, præclaros virginitatis titulos. Nostri Reginæ generis, ceu dona, pretiosaque vnguenta, Prophetarum oracula dono adhibeamus. Gabrielis ei acclamemus salutationem: Dicamus gaudij parenti: *Gaude, aueque gratiosa*: Gaude illustri splẽdore magnifica, per quam pulsis tenebris, lumen vicissim inductum est. *Gaude gratiosa*, per quam cessauit lex, & gratia illuxit. Gaude initium gaudij, ac maledictionis finis. *Gaude* verè *gratiosa*: *Dominus tecum*: Qui ex te postea, antea tecum: illud virtute, hoc actu; nunc quidem, tuum sibi vterum in hospitium aptans; tunc autem, carnali ex te ratione magnum Incarnationis mysterium adornans. Gaude, quæ sola benedictionem, nempè Dominum, sinu complexa es, vt primam proauia maledictionem exueret. Gaude diuinum virginitatis complexa thesaurum, vnde incorruptus prodijt partus, manseruntque nihilominus inuiolatæ virginitatis diuitiæ. Gaude casta mater, ac virgo lactans. Gaude diadema pulchritudinis, generisque, ac hominum Regina, regalibus vndique magnificè decorata prærogatiuis. Gaude sacrum Christi delubrum, qui solus singulariter in sanctis cælorum secundum ordinem Melchisedec sacerdotio defunctus sit. Gaude virga Aaron; radix Iesse; sceptrum Dauid; regale indumentum; corona gratiarum; non scriptus virginitatis typus; sanctitatis bractea; rationale manifestationum. Salue legis, ac gratiæ mediatrix; veteris, noniqnè testamenti obsignatio; totius prophetiæ perspicua plenitudo; inspiratæ à Deo veritatis scripturarum acrostichis; Dei, ac Verbi animatus, ac mundissimus tomus, in quo sine voce, ac scripto, inscriptor ipse Deus, ac Verbum, quotidie legitur. Salue sis reformationis nostræ primitiæ, Deique ad nos promissionum, ac prædictionum limes:

Psal. 44. *v.* 14.

præ-

prædictum olim diuinæ gloriæ sanctuarium; expectata Gentium salus. Salue vera scala Iacob; mons fumigans; arca sanctificationis; illa inquam, vndique circunte&a auro; nimirum, illustrante Spiritu Sancto: vrna ex auro ducta; Christum, cæleste illud manna portans, orbisquè vniuersi immortalem escam. Salue, per quam illud, *in tristitijs paries filios*, non habens amplius locum, in partum in exultatione mutatum est. *Benedicta tu in mulieribus*: per quam credentes Gentes in agnitione clamant: *Benedictus qui venit in nomine Domini; Deus Dominus, & illuxit nobis. Benedicta tu in mulieribus*, mystica, ac sata à Deo vitis, in Ecclesiæ collectis cætibus eluxurians, maturumquè nobis botrum incorruptionis è vulva efflorens, ac germinans. *Benedicta tu in mulieribus*, aruus ille à Deo cultus, quæ vitæ nobis spicam, nullo satam semine, partuquè nihilominus editam, velut in areæ cumulo in vtero gestasti: *Benedicta tu in mulieribus*, terra verè desiderabilis, de qua figulus, nostri aggeris lutum tollens, vas peccato contritum reparauit. *Benedicta tu in mulieribus*, noua illa Selon, in qua spiritalis arca Incarnationis Dei, ac Verbi requieuit; sed & *plenitudo omnis diuinitatis corporaliter inhabitauit. Benedicta tu in mulieribus*, diuinum reuera Dabir, in quo deiferi sanctæ Ecclesiæ Doctores diuinarum reuelationum oraculum habentes, futurorum responsa accipiebant. *Benedicta tu in mulieribus*, spiritalis illa Bethlehem, quæ voluntate pariter, ac natura, spiritalis omnino domus panis vitæ effecta sis, ac nuncupata. In te enim, qua ipse nouit ratione inhabitans, ac inconfusè nostræ commixtus massæ, totum sibi Adamum fermentauit, vt panis viuus, ac cælestis fieret. *Benedicta tu in mulieribus*, quæ legali atque vmbratili figuræ emines, ex qua magnus ille Beseleel; Christus, inquam, Deus; ille, *gratia*; templum sibi nulla manuum opera condidit; animatum, scilicet corpus suum; principali arte Spiritus Sancti. Nec verò, quicquid tandem dicamus, charissime, nuptiale pro meritis canticum ei absoluemus, donec etiam ex scripturæ pratis mysticè ei flores corrogantes, encomiorum coronam texamus. Nusquam enim est; nusquam est, inquam, vbi scripturam diuinitùs inspiratam lustrans, non variè perspersa eius nomina quis videat: vtquè apud te ipse studiosa exercitatione discutias, clariùs expressum inueneris, quantam donante Deo gloriam sit complexa. Vide itaquè multimodis eam honestatam nominibus, multisquè scripturæ locis perspicuè declaratam: vt cùm, v. gr. nominat virginem; iuuenculam; Prophetissam: tum nuptialem thalamum; domũ Dei; templum sanctum; secundum tabernaculum; mensam sanctam; altare; propitiatorium; thuribulum aureum; Sancta Sanctorum; Cherubin gloriæ; vrnam auream; tabulas testamenti; virgam sacerdotalem; sceptrum regni; diadema pulchritudinis; cornu olei vnctionis; alabastrum; candelabrum; vaporem; lucernulam; ellychnium; vehiculum; dumum; petram; terram; hortum; locum; aruum; fontem; agnam; guttam, ac siqua alia inclyti Spiritus Sancti Interpretes, pro mysticæ in symbolis inspectionis ratione, eam propheticè nominant: Puta, rubrum, vt cùm Moyses ait: *Vadam, & videbo visionem hãc magnam; quamobrem ardeat rubus, nec cõburatur?* Virgam autem, vt cùm Isaias dicit: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice ascendet.* Appellatur radix: *Et erit radix Iesse, & qui exurget regere Gentes; in eum Gentes sperabunt.* Terra sancta: *Moses, Moses, solue calceamentum de pedibus tuis: terra enim in qua stas, terra sancta est.* Torra desiderabilis: *Et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.* Terra veritatem producens: *Veritas de terra orta est.* Thæmam: *Deus à Thæmam veniet.* Mons: *Et Sanctus de monte vmbroso, ac condenso. Abscissus est lapis de monte sine manibus. Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.* Oliua: *Ego autem quasi oliua fructifera in domo Dei.* Arca: *Surge Domine in requiem tuam; tu & arca sanctificationis tuæ.* Thronus: *Vidi Dominum sedentem super thronum excelsum, & eleuatum; & plena omnis domus gloria eius.* Porta: *Et dixit Dominus ad me: Porta hæc clausa erit, non aperietur, & vir non transibit per eam; quoniam Dominus Deus Israel ingredietur, & egredietur per eam: Et erit clausa porta.* Sion: *Veniet ex Sion, qui liberet, & auertat impietates à Iacob. Elegit Dominus Sion; elegit eam in habitationem sibi.* Mater: *Mater Sion dicet: Homo, & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus.* Et, *Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me?* Ferculum: *Fecit sibi Rex Salomon ferculum de lignis Libani.* Lectulum: *Lectus Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortibus Israel.* Capitulum: *Et vidi, & ecce manus extenta ad me, & in ea capitulum libri: & expandit illud coram me, & erant scripta in eo anteriora, & posteriora: & dixit ad me: Fili hominis comede capitulum istud.* Liber: *Et erunt vobis verba hæc, ait Deus, vt verba libri signati; quem si dederint ipsum homini scienti litteras, dicentes, Lege hæc: & dicet, Non possum legere: signatus est enim.* Tomus: *Et dixit Dominus ad me: Sume tibi volumen noui magni, & scribe in eo hominis stylo, vt velociter deprædationem faciat spoliorum: propè est enim.* Forceps: *Et missus est ad me vnus de Sera-*

Genes. 3. *v.* 16.

Psal. 117 *v.* 26.

Eccles. 24 *v.* 13.

Col. 2. *v.* 9.

Exod. 31 *v.* 2.

Exod. 3. *v.* 3.

Isai. 11. *v.* 1.

Isai. 11. *v.* 10.

Exod. 3. *v.* 5.

Psal. 105. *v.* 24.

Psal. 84. *v.* 10.

Abac. 3. *v.* 3.

Dan. 2. *v.* 45.

Psal. 67. *v.* 17.

Psal. 51. *v.* 6.

Psal. 131. *v.* 8.

Isai. 6. *v.* 1.

Ezec. 44. *v.* 2.

Isai. 59. *v.* 20.

Psal. 131. *v.* 13.

Psal. 86. *v.* 5.

Luc. 1. *v.* 43.

Cant. 3. *v.* 9. & *v.* 7.

Ezech. 2. *v.* 9.

Isai. 29. *v.* 11.

Isai. 8.

Isai. 6. *v.* 6.

Seraphim, & in manu habebat carbonem, quem forcipe sumpsit de altari, & tetigit os meum, & dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, & peccata tua circumpurgabit. Virgo: *Ecce virgo in vtero accipiet, & pariet Filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel.* Isai. 7. v. 14.

Prophetissa: *Et accessi ad Prophetissam, & in vtero concepit, ac peperit Filium: & dixit Dominus ad me: Voca nomen eius, Citò spolia; velociter deprædare: quia antequam sciat puer vocare patrem, aut matrem, accipiet virtutem Damasci, & spolia Samariæ.* Isai. 8. v. 3.

Regina: *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumamicta, variegata.* Psal. 44. v. 10.

Proxima: *Tota pulchra es, proxima mea, tota pulchra, & macula non est in te. Surge, veni proxima mea sponsa: veni de Libano: Venies, veniesquè à principio fidei. Fauum distillant labia tua, sponsa, mel, & lac sub lingua tua; & odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.* Cant. 4. v. 7.

Soror: *Quàm pulchri facti sunt oculi tui, soror mea sponsa.* Cant. 4. v. 10.

Hortus: *Hortus conclusus, fons signatus.* Cant. 4. v. 12.

Filia: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam; & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui; & concupiscet Rex pulchritudinem tuam. Multæ filiæ acquisierunt diuitias; multæ fecerunt virtutem: tu autem eminues; supergressa es vniuersas.* Psal. 44. v. 11. Prou. 31. v. 29.

Desponsata: *Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galileæ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen Ioseph, de domo, ac familia Dauid: & nomen Virginis MARIA.* Luc. 1. v. 26.

Nubes: *Ecce Dominus sedebit super nubem leuem, & veniet in Ægyptum, & concutientur manufacta Ægypti.* Isai. 19. v. 1.

Visio: *Vidi visionem ignis & splendor eius in circuitu. velut visio arcus, cùm fuerit in nube in diebus pluuiæ: sic statio splendoris per gyrum. Hæc visio similitudinis gloriæ Domini.* Ezech. 1. v. 27. & 2. v. 1. 2.

Electrum: *Et vidi quasi speciem electri, velut aspectum ignis intrinsecus eius per circuitum; à visione lumbi, & vsque deorsum.* Dies: Nox: *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.* Psal. 18. v. 3. Psal. 32. v. 13.

Cœlum: *De cœlo respexit Dominus; vidit omnes filios hominum. Cœlum cœli Domino.* Oriens: *Regna terræ cantate Deo; psallite Domino, qui ascendit super cœlum cœli ad Orientem.* Occasus: *Iter facite Domino, qui ascendit super Occasum. Dominus nomen illi.* Psal. 113. v. 16. Psal. 67. v. 33. & 5.

Sol: *In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Psal. 18. v. 6.

Ciuitas: *Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei. Fluminis impetus lætificant ciuitatem Dei: Deus in medio eius, & non commouebitur.* Psal. 86. v. 3. Psal. 45. v. 5.

Later: *Et tu fili hominis, sume tibi laterem: & pones eum ante faciem tuam, & describes in eo ciuitatem Hierusalem; & dabis super eam obsidionem.* Ezech. 4. v. 1.

Locus. *Quàm terribilis est locus iste: non est hoc aliud, nisi domus Dei, & hæc porta cœli. Et assumpsit me spiritus, & audiui post me vocem commotionis magnæ: Benedicta gloria Domini de loco suo. Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationẽ: & requiem temporibus meis; donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.* Gen. 28. v. 17. Ezech. 3. v. 12. Psal. 131 v. 4.

Vellus: *Descendet sicut pluuia in vellus, & sicut gutta stillans super terram.* Psal. 71. v. 6.

Mulier: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus vẽtris tui.* Luc. 1. v. 42.

Nisi fuit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege. Gal. 4. v. 4.

Beata: *Beata quæ credidisti, quia perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino.* Luc. 1. v. 45.

Et, *Beatus vẽter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* Luc. 11. v. 28.

MARIA: *Ne timeas, MARIA; inuenisti enim gratiam apud Dominum.* Luc. 1. v. 30.

Et, *Ecce concipies in vtero, & paries Filium, & vocabis nomen eius IESVM: Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur: Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Et ait MARIA ad Angelum: Quomodò erit mihi istud, quoniã virum non cognosco? Et ait Angelus ad eam: Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: & ideo quod orietur Sanctum, vocabitur Filius Dei. Ait autem MARIA: Magnificat anima mea Dominum: & exultauit Spiritus meus in Deo salutari meo.*

Quis verò nõ miretur eò celsitudinis prouectam, vt etiam Dei Mater efficeretur; quæ planè summè admirabilis, nouaquè res est, ac auditio? Ac mihi credite, ad ipsam recurramus festæ diei antistitam, vt vnde sermo paululum abscessit, eodem denuò reuertatur. Age igitur, aggrediamur diei hymnodiam, ac vbi modicum quid adhuc collectam turbam fuerimus affati, orationis cursum sistamus. Egebat itaque natura humana, antiquo primi parentis collisa lapsu, eo qui reformaturus, ac instauraturus esset; ac silente voce, altùm ad Creatorem clamabat: *Vt quid Domine recessisti longè?* Psal. 9. v. 22. Penetrabiliùs verò per Prophetas lugubrem in modum quiritabatur: *Vbi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine, sicut iurasti Dauid in veritate tua?* Psal. 88. v. 50. Quid igitur ille, *qui vult misericordiã?* Ose. 6. v. 6. Non contempsit; non distulit; non in longum promissiones remisit. Quas illas? *Non te deseram, neque derelinquam.* Ioss. 1. v. 5 Hebr. 13. v. 5. Quod etiam posteà discipulis dixit, cùm à terra in cœlum reuerteretur, vnctè non discesserat: *Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos.* Ioan. 14 v. 18. Hoc quoque ante ineffabilem suam Incarnationẽ per Prophetas pollicitus est. Cùm hæc ergo sic haberent, iamque vocaret opportunum tempus, vt promissioni finem imponeret, vi-

de

de quid agat, nostræ ipse salutis; massæ, inquam, nostræ; negotium agens. Non aliunde inuexit instrumentum; non ex substantia alia vas reformauit; sed ex eodem ipso luto, atque vt iam dicam, ex eadem massa, ceu quisquilias, ac purgamenta attrahens, pretiosum sibi, adeoquè supra modum arcanæ, ac mirabilis compactionis templum, ædificauit: in quo primus ipse, ac solus Pontifex, Rexquè, dispensatione, nostram cum Patre suo reconciliationem pro more sacerdotij peragens, totam nostram substantiam, altiori supra substantiam modo, substantiali nihilominus, ex hominum substantia accepit. Itaque recordatus est Deus creatorum ab ipso: Quippe Gentes omnes eius sunt creatura.

Psal. 24. *v.* 6. *Recordatus est miserationum suarum, quæ à sæculo sunt*, Dominus ipse sæculorum: Recordatus est testamenti, quod cum hominibus pepigit: recordatus est; nec recordatus distulit; sed mox beneficium induxit. Recordatus enim Dauidis, ac eorum, quæ iureiurando olim promisisset, fore vt Christus ex eius semine exurgeret; in quo collapsum nostri generis opus, tabernaculi instar reædificaret; nouum insolensquè miraculum, noui, ac insolentis miraculi comes inuexit.

Psal. 131 *v.* 11. *Am.* 9. *v.* 11. *Act.* 15. *v.* 19.

Cùm itaque sobria, ac casta Anna, graui mæroris angore teneretur; cum primis autem, quòd etiam coniux, ob prolis carentiam amarè vexaretur; amborum Deus sterilitatem soluit; eorumquè supplicibus inflexus votis, sterili quidem fœtum tribuit, quem antè precatio seuisset; marito autem tribuit fructum, quem spes germinasset; ac demum, infœcunditatis æstu exuctis aridisquè, sempiterni viroris florem concedit: fitquè deinceps fœcunda parens, quæ priùs erat infœcũda; vitisquè semper virens, quæ germen non edidisset. Quid porrò ea prolis susceptione venerabilius? Quid verò ampliorem habens admirationem, quam vt Dei Matrem, ab experte seminis vtero; aperto quidem, sed non corrupto, castitatis fructum proferre videamus, ac Virginem ex infœcunda, ac sterili fœmina germinantem? Quorsum hæc? Nimirum, vt excellenti eius miraculo, Matris miraculum confirmaret. Altera quidẽ, quod necdum humano generi innotuerat, partum sine patre, cui nullus coitus præiuisset, naturæ præter naturam inuehens, ipsum naturæ auctorem altiori supra naturam ratione in vulva concepit; estquè effecta mater, cùm ea, quæ sunt matrum, vitasset: nec infans habebat patrem vocare super terram, qui nulla semente media conceptus fuisset, ac quem parens, vt nulla subijsset corruptio, genuisset: altera autem, quanquam olim sterilium plurium exempla habens, in omnes tamen singularis prærogatiuæ calculum reportauit. Quanquam enim etiam cum Patriarchis A coniugij iure habitarunt, similique & ipsę miraculo ab eiusmodi sterilitatis vinculis absolui non incongruè meruerunt: etenim fuerunt sacræ huius puellæ olim auiæ: remotissimè tamen, ac valde procul cognatione ad diuinæ Oeconomiæ miraculum habuerunt: hæc autem, posteà quidem; at opportunè, subque ipso termino temporum; cùm scilicet ipsis propè instaret ianuis, qui regiã drachmam quæreret; humano, inquam, generi impressam imaginem; vt puluerem, in quo primam illo delituisset, deifici Spiritus emundatione detergeret; atque vt inde in se ipse naturam humanam benignè instauraret. Quisnam ergo pulvis ille in quo ingenuitas B nostra delituisset? Nonne; ex dictis perspicuum habetis, tametsi non dicamus ipsi; vt plastes noster, illum pulverem, ex quo prius formati fuimus, ac postmodum reformati, scrutans, quod quærebatur inuenerit? Quid illud? Vtique imaginis exemplar, quod vidit passionibus obrutum, is, qui per naturam ab omni immunis passione agit. Scrutabatur illum Adami puluerem. Porrò pulvis ille, in quo inuentum est, quod quærebatur, terra quidem erat nostro similis corpori, cuius locus, virginalis sanctissima vulva est. Hunc enim inuenit arvum viuifica nostra spica, in quo sine semente, vllavè cultura, eximia quadam ratione enascens germinauit. Hic puluis: hæc spica; hæc terræ regio, in qua noua C quadam, ac decenti ratione fuimus reformati; ac per quam noster reformatus puluis, antiquam dignitatem postliminiò recepit.

Vides quàm multa Annæ partus complectatur mysteria? vt excellenti miraculo æditę ab ipsa glorioſæ prolis, omnes olim steriles superauerit? Qualem verò puella Virgo, à Deo vocatum nomen, per quam Immaculata hæc MARIA, prolem vtero meruerit suscipere? Quænam autem alia mulier, talibus totque vnquam gloriæ insignijs admirationem habuit? Postquam ergo nostra oratio imbecillior est, quàm vt ad tantum considerationis culmen attolli queat, nec D habet quò vlterius progrediatur, pauca rursus auere iubentes gaudij Matrem, ac gaudio salutantes, dicamus. Præstat enim vt gaudij ei acclamationem orationis epilogo adhibeamus. Gaude, aueque gratiosa: gaude glorificata, gaude salutis vniuersorum gaudere præstans anathema. Salue aurea verè spiritalium aromatum acerra, in qua spiritale thymiama Christus, ex diuina pariter, ac humana natura compositum; in igne; Deitate, inquam; animatæ suæ, ac intellectu præditæ carnis fragrantiam, inconfusè, indiuisè ostendit. Salve non manu factum, ac factum à Deo tabernaculum, in quod semel in consummatione sæculorum, solus Deus, ac primus Pontifex ingressus est, vt inte-

sa-

cra

era, ac arcana ratione; munus sacrum pro vniuersis obiret: Sanctorum alterum velamen, in quo mundiale propitiatorium, ac præclara Cherubinorum obumbratio, quantò etiam ipsum adytorum Dominum, intra vterum, gestans vtero in velamento operuisti: Candelabrum ellychniorum, ac lucernarum septem; nempè donorum septem; infusorijs septem illustratum Spiritus Sancti: Lucerna inextinguibilis, Luminis omnia collustrantis, quam alit mysticè oleum vnctionis. Salve fis altare, in quo Agnus Christus, viuum sacrificium spiritaliter offertur: Diuinæ mensa initiationis, mentem omnem superantis sacri ministerij, super quam panis ille cœlestis Christus, Agnus ille pro omnibus tanquam hostia, victimaquè viuus mactatus, immolatur; viuificãs omnes, qui percipiunt, ac sumunt: mystici totius cultus cimelium, quo Deus carne mactatur, ac vniuersa sanctificat, spiritaliquè ratione cum hominibus conuersans, in eis inhabitat, ac percipitur, sustinetquè, vt versetur peccatorum manibus; atque vt labris luteis admoueatur, & in nostræ carnis pulverem refundatur, commixtus, non vaporatione euanescens. O ineffabilem exinanitionem! O bonitatem! quando nobis hæc Deus per contribulem, ac eiusdem generis fœminam, supra naturam, ac gratiam cõcessit: per fœminam, inquam, cuius animi quidem decor vsque adeò immensùm prouexit, vt Christus ipse immensus ille decor, in eius decoris desiderium actus sit, secundamquè ex ea natiuitatem elegerit, eamquè adeò sine patre: sed & corporis in tantum formosa species, tantaquè præstans puritate, vt ipsam quoque incorpoream, ac incomprehensibilem supereſſentialis naturæ maiestatem; per vnam triũ ipsius personarum, capere licuerit! Hæc MARIA Dei Genitrix est, commune Christianorum omnium perfugium; prima primi lapsus primorum parentum reparatio; vitiati hominum generis ad tranquillum, ac vitio expertem, immortalemquè statum reuocatio: mysticè olim adumbrata rubi Moysi visio: Gedeonis vellus, quod ille symbolo humectatum è cœlo exili pluuia sine strepitu videns, quod gerebatur in miraculum vertens, ac pluuiam in signum, certam rei coniecturam sacrificio fecit: Diuino opere varia Dauidis purpura, assumptam carnem purpuræ instar Deo Dauidis incarnato tribuens: Thronus Cherubicus, præmagnus ille, igneus, sublimis, quæ Regem Dominum Sabaoth sinu gestet: Superliminare cœlestiũ adytorum, vbi Seraphim alis tecta, qua faciem, qua pedes; alijsquè volantia, magnum illud, ac terribile canticum stando clamant, quod importabilis gloriæ aspectum non ferant. Cœlorum porta, per quam solus transiuit cœlorum Dominus, nemini antè, postve, peruium concedens ingressum. Lætare cœlum super illa: te enim imitata, Dominum quem non capis, nihil in arctum cogens capere meruit. Gesti tellus super ea; eius enim conceptus, cœlestem tuum locum, ac situm reddens, eos qui erant terreni cœlestes effecit. Mare etiam miraculum Virginis plausu celebret: Christus enim eius partum corpore subiens, vdam * aquarum substantiã aquis ipse intinctus sanctificauit. Vniuersa itaque creatura gaudeat, ac ducat choros, plaudatquè manibus: quippè hodie nata nobis est iuuencula, ex qua est salus, ac per quam mundi totius redemptio, Christus IESVS, Deus & Verbum, *qui est, & erat, quique venturus est*, & manet in sæcula: in quo etiam, tanquam è magno Virginalis sermonis mari appulsum sermonem nostrum finiamus; Deo, qui Trinitas est, atque in Patre, ipsoque Filio, cum Spiritu Sancto adoratur, vnam in trina sanctitate offerentes gloriam, honoremquè, ac adorationem, nunc & in infinita omnia sæcula sæculorum: Amen.

Hebr. 9. v. 1.

Zach. 4. v. 2.

* vndam.

Apoc. 1. v. 4.

Epistola S. Anselmi de Conceptione B. MARIAE.

Anselmus Canturiensis Archiepiscopus, & Pastor Anglorum, Coèpiscopis suis, cunctisquè orthodoxis salutem, & perpetuam in Christo benedictionem.

CONceptio venerandæ Dei Genitricis perpetuæ Virginis MARIAE, dilectissimi fratres. Quemadmodum per multa signorum experimenta in Anglia, & in Frãcia, cæterisquè climatibus mundi celebranda sit declarata, me narrante audiat dilectio vestra.

Prætermissa, & ponenda hoc 2. tomo, folio 402. A, 1.

Tempore namque illo, quo diuinæ placuit pietati, Anglorum gentem de malis suis corrigere, suæquè seruitutis officijs arctiùs adstringere; Glorioſissimus Normanorum dux Guillelmus eandem patriam debellando subegit. Qui videlicet Guillelmus tunc temporis Rex Anglorum factus, Dei virtute, & industria sua, totius Ecclesiasticæ dignitatis honores in melius reformauit. Cuius piæ intentionis operibus inuidens bonorum omnium inimicus Diabolus, tum familiarium fraudibus, tum extraneorum incursibus multoties conatus eius obsistere successibus. Sed Domine protegente, & timentem se Regem glorificante, ad nihilum deductus est malignus. Audientes autem Daci, Angliam esse subiectam Normanis, grauiter sunt indignati, & suo quasi hæreditario iure priuati, arma parant, classem aptant, vt eos adeuntes à data sibi diuinitus patria expellãt. Hoc com-

comperto prudentissimus Guillelmus Helui num quemdam religiosum Abbatem Beccen sis, cœnobij accersitum in Daciam dirigit, vt inquirat huius rei veritatem. At ille, vt vir sa gacis ingenij, strennè Regis negotium exequitur. Quo fideliter peracto, ad Angliã reuerti cupiens, mare ingreditur; & cùm iam maximam partem maris prospero cursu trã sisset, subitò densis surgentibus vndique ventis, horrida tempestas cœlum commouit, & vndas. Fatigatis igitur nautis, nec vltrà iam obniti valentibus, fractis remis, funibùsque ruptis, cadentibus velis, spes salutis amittitur, nihil sibi nisi submersionis exitium miserabiliter expectantibus. Cùmque de salute corporum desperati, animarum solummodo magnis clamoribus salutem creatori suo cõmendarent, & Beatissimam Virginem Mariam Deigenitricem, miserorum refugium, & desperatorum spem deuotè reclamarent; ecce subitò conspiciunt quemdam admodũ reuerendæ habitudinis virum, Pontificali insula decoratum, quàsi intermedias vndas naui proximum. Qui vocans ad se Heluinum Abbatem, his verbis cœpit eum appellare. Vis (inquit) periculum maris euadere? Vis in patriam tuam sanus redire? Cùmque cum fletu id toto corde desiderare, & hoc solum expectare responderet; tunc ille: Scias (inquit) me ad te à Domina nostra Deigenitrice MARIA directum esse, ad quam dulciter reclamasti; & si dictis meis obtemperare volueris, sanus cum comitibus tuis euades imminens periculum maris. Ille verò illicò spondet se ei in omnibus obtemperaturum, si hoc euaderet naufragium. Promitte, inquit ille, Deo & mihi, quòd diem Conceptionis, & Creationis Matris Domini nostri Iesu Christi solemniter celebrabis, & celebrandum prædicabis. At ille, vt prudentissimus: Et quis, inquit, dies in hoc festo celebrandus erit? Sexto, ait, Idus Decembris, hoc festum solemnizandum tenebis. Et quo, inquit Abbas, officio vtemur in Ecclesiastico obsequio? Omne, inquit, officium quod dicitur in eius Natiuitate, dicetur in Conceptione; excepto quòd nomen Natiuitatis mutabitur in nomen Conceptionis. His dictis ille disparuit, & dicto citius sedata tempestate, Abbas incolumis, cõcito flatu applicuit litoribus Anglicanis: & quæ viderat, & audierat, quibus potuit notificauit. Statuit autem idem festũ in Beccensi cœnobio celebrari, & ipse quandiu vixit deuotis obsequijs celebrauit.

Et nos ergo, fratres dilectissimi, si portum salutis volumus apprehendere, Deigenitricis Conceptionem dignis obsequijs, & officijs celebremus, vt ab eius Filio dignã mercede remuneremur

A *Sermo S. Anselmi Episcopi in die Conceptionis B. Virginis MARIÆ.*

HOdierna die fratres charissimi, sanctæ Deigenitricis Virginis MARIAE Conceptionem celebramus, quę omnium rerum nobis genuit Creatorem, & ideo cum summis prçconijs, & summa deuotione huius est excolenda Conceptio, quæ salutem mundo perdito contulit. Quis non tantæ Conceptionis obstupescat miraculum? Hodie concepta est Virgo MARIA, quæ Altissimi Patris filium ex virginali vtero edidit nobis. Hodie concepta est stella cœli; hodie concepta est palma virtutum, hodie concepta est B ianua cœlorum. O ineffabile gaudium! ò admirabile sacramentum! ò inauditum miraculum! Deus ante sæcula ex hac virgine, cuius hodie cõceptionem colimus, carnem assummere dignatus est. Lætentur igitur cœli, quia hodie concepta est Virgo, per quam restaurantur perdita agmina Angelorum. Exultet mundus, quia hodie concepta est Virgo, per quam diluitur omnis culpa, vulpina fraude illata. Tremescat infernus, quia hodie concepta est Virgo, per quam reddit illos, quos tenebat crudeli carce clausos. Congaudeamus & nos pari consensu, fratres charissimi, & cum suauibus hymnis dulcia cantica modulemur, quia hodie concepta est Virgo, C per quam meruimus accipere Dominum nostrum Iesum Christum.

Quisquis autem paruipendendum puatat huius Virginis celebrare Conceptionem, nec meretur esse cum fidelibus, nec postea cognoscere Saluatoris aduentum. Quæ enim festiuitas huic est præponenda, per quam omnium festiuitatum est exorta deuotio? Hæc namque Virgo, est mater æterni luminis: hæc est sponsa cælestis sponsi, Angelorum gubernantis imperium: hæc est Virgo puerpera, domicilium castum, receptaculum Dei omnipotentis dignissimum; cuius Reginæ generationem ex Dauidica stirpe, Sanctorum Euangelistarum ordo nobis descripsit: vnus enim illorum, per Regiam stirpem descen- D dens (id est, descensum scribens) de huius Virginis Conceptione sic est exorsus. Liber generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraham. Nulli ergo sit pigrum, nulli onerosum celebrare eius festa.

Sciendum, quòd sicut in Ecclesia Natiuitas eius colitur, sic debet & coli Conceptio: nisi conciperetur, minimè nasceretur. Iussu Dei nascitur, & concipitur, quæ nisi nasceretur mundi Redemptor ex ea non nasceretur. Imò si diuina gratia prospiciatur, spiritualis Conceptionis eius dies, maior fore approbatur, quàm Natiuitatis. Res enim maior extitit, Adam à Deo creari, quàm filios eius de matre nasci.

Quis-

Quiſquis igitur Præſul, vel Abbas, aut Prælatus es, recole diligenter eius ſolemnia, & cunctis iube eam coli; quia ſi eam toto corde amaueris, nunquam à gradu tuo depoſitus eris. In memetipſo probaui quod aio. Erubeſcant omnino, qui tantùm diem tantaque Sacramenta, ac myſteria, tenebris ignorantiæ detenti, reſpuunt celebrare, eo quòd viri, & mulieris copula in Conceptione Virginis extitit. Et licèt eius Conceptionem, eo quòd carnalis extitit, non placeat hodie celebrare; tamen diem illum, & noctem, quanuis ſanè multis incognita, & tempus & horam ſpiritualis Conceptionis eius, hodie celebrare delectat: quia ipſe qui eſt animarum Creator, animam ſuæ matris dignam ſanctiſsimo corpori virginali eius, Angelis miniſtrantibus copulauit. Si non placet illius celebrare ſolemnia Conceptionis carnalis, Dominicæ Matris, placeat eis colere animæ eius ſpiritualem creationem, ac corporis, & animæ copulationem. O quanta eſt dies illa, qua noſtræ Reparationis anima digna creatur, & ſacratur, & ſanctiſsimo corpori vnitur! Non eſt verus amator Virginis, qui reſpuit colere diem Conceptionis.

Erubeſcant iterum, qui hanc diem colere nolunt, quoniam aliorum Sanctorum Conceptiones, ſancta minimè conſueuit Eccleſia colere. Maximæ quidem ruſticitatis eſt, eam alijs Sanctis in hoc comparare, in qua Deus humanam carnem aſſumpſit; quam ſuper omnes ſanctos, etiam & Archangelos in cœlis ſublimauit. Et quanuis cæteris Sanctis dies Conceptionis non ſit conceſſum, vt celebretur; illi tamen ab Spiritu ſancto conceſſum eſt, quæ maior, & excellentior eſt cunctis. Pulchrè, & dignè hanc dominationem ſuper cæteros Sanctos illa debet habere, quia per eam omnes Sancti beatificantur, & ſanctificantur. Quid longius? Conceptionem Dominicę Matris colere, Chriſti generationem eſt commemorare. Celebremus ergo hodie dignis officijs vtramque Conceptionem eius, ſpiritualem ſcilicet, & humanam, vt ipſius meritis, & præcibus à ſęcularibus curis, & à cunctis vitijs mereamur eripi, & ad æterna gaudia paradiſi perduci. Huius celebratoribus ſolemnitatis dicitur à Filio eius Domino noſtro Ieſu Chriſto, pax & longa ſalus & poſt tranſitum huius vitæ requies æterna.

B. ANSELMI DE QVATVOR virtutibus, quæ fuerunt in B. MARIA eiuſque ſublimitate.

De his virtutibus generatim.

CAPVT I.

Collocãda fol. 431. D, 1.

MVlti Dominæ ſanctæ MARIÆ laudes ſtylo formare conati, libenter humano generi pro viribus propoſuere quanta olim in eam confluxit copia virtutum, & quanta nunc facilitate neceſsitatibus ſuccurrat mortalium: Quanta tunc fuerit donorum gratia, ſublimis, & mirabilis, quanta nunc pietate ſit potenter ſingularis, ſingulariter dulcis. Nam cùm quatuor virtutes eſſe Philoſophi non tacuerint, Iuſtitiam, Prudentiam, Fortitudinem, Temperantiam: ex quibus quaſi ex gaudio limite omne virtutum agmen emicet, quia maiores noſtri quatuor primas in ea regnaſſe docuerunt, certas appendices in eius animo conquadraſſe perleue fuit, vt oſtenderent.

Et Iuſtitiam quidem eius ſic aſſeruerunt quòd ita tanta tenacitate Dei præceptis per legem inhærebat, vt nec illa dimittenda putaret, quæ ab eius integritate progenerari noſcuntur: verbi cauſa, purificationem poſt partum, pro ſobole ſacrificium, annum ad templum aſcenſum: hæc enim ab ea ex abundanti facta, quis fidelis ambigat?

Prudentiã, vt prima fœminarũ animaduerteret rem quæ carebat exemplo: quàm gratum Deo eſſet prudentiæ ſacrificium, quod ipſa vouerat Deo, legis maledicto relicto in medio. Præterea poſt ſalutationem Angeli, quàm prudenter locuta, quàm facile credula. Fuit enim ea fides & credulitas prudentiæ ſupellex, quòd credidit poſſe fieri per Spiritum ſanctum, vt ſine complexu maris abſque periculo pudoris, exulante vrtica libidinis, produceret filium.

Fortitudinem, vt quæ iuſtè debere fieri, prudenter intelligebat, incunctanter vouerat, & votum conſtanter perſequeretur. Iuſtum autem eſt, vt quod gratioſius, & ſpecioſius habeas, Deo omnium bonorum largitori ad eius notum offeras. Id prudens Virgo ſapienter colligens, Virginitatem ſuam, qua nihil amabilius, nihil formoſius ducebat, Deo fortiter vouit, & fortiſsimè ſeruauit.

Temperantiam, quòd ſupradictas virtutes ſtudio humilitatis continuauerit per illam cuſtodiens quicquid boni, mentis ingenuæ deuotio, & cæleſtis gratia coaceruauerant in ea. Fuit ergo Iuſtitiæ quòd bonum fecit; Prudentiæ quòd qualiter faciendum eſſet intellexit; Fortitudinis quòd perſeuerauerit; Temperantiæ quòd in tanto faſtigio locata, humili mente caſu cauit.

De Iuſtitia & eius appendicijs.

CAPVT II.

HAbent porrò hæ virtutes alias, vt dixi appendices, & comites, habent pediſſequas & collaterales. Quarum effectus in Domini Matre, ita ſi bonæ fidei memoriam habeo diſpoſuere. Iuſtitiam inquiunt comitatur religio, quæ eſt munditia vitę, vt per eum Deo

Deo placeatur. Pietas per quã diligitur proximus. Gratia quæ est beneficij accepti memoria. Obsequentia quæ obsequitur cui dignè debet. Veritas quæ docet viuere pro natura, loqui pro re. Has virtutes ita beata Domini Mater triuit, vt religiosa mundicia vitæ, Domino Deo templũ in suo ædificaret corpore, pietate proximum coleret, collatorum in se beneficiorum, Deo non ingrata, ipsi vicissim animam & corpus viua ipsa hostia libaret: obsequi maioribus & dignis sedula, adeo vt cum præconio Angelico matrem se Dei fore audisset, impigrè in montana conscenderet, anum cognatam obsequijs ad partum delinitura. Veritatis mater veritati innixa, pro natura viuere assueta, quæ ipsum naturæ opificem integris baiulauit visceribus. Pro re loqui non nescia, sponsionem Angeli diligenti rationis trutina examinauit, vt planè quomodo faciendum esset addisceret; quod fieri posse, & debere non dubitaret.

De prudentia & eius sequacibus.

CAPVT III.

PRudentiam sequuntur prouidentia, quæ prospicit quod in futuro vtiliter fiat. Intelligentia, quæ intelligit quid in præsenti vtiliter fiat. Memoria, quæ bene, vel secus actu integrè colligit, & de præterito dictat. Nullus autẽ hac Domina prouidentior, quæ antequam voueret Deo virginitatem suam, perspicaciter prouidit quantum profectus illud votum factum, & bene obseruatum sibi, & toti mundo induceret. Non enim rem voueret exoticam, nisi prouideret sibi & alijs incomparabilem inde accumulari gloriam. Nullus ea intelligentior, quæ & expedita mentis acie, & ipsius Deitatis conscia, plenè intelligeret in Domini natiuitate, passione, & resurrectione, quantum esset in præsenti bonum, quod in futuro esset incomparabiliter fructuosum. Memoriæ erat tenacis, & vnicæ, omnia quæ sola de filio sciebat, secretiori consilio sibi tantùm cognita coacernans in cumulum, conscientiæ inculcauit hominum. Vnde de ea dicitur, *MARIA autẽ cõseruabat omnia verba hæc cõferens in corde suo.* Debet ergo ei totus mũdus saluationis suæ plenam notitiam, quæ plenissimæ cognitionis Apostolis non inuiderit scientiam. Quapropter quia ad exiguum boni increscerет processus Euangelij, nisi cognosceretur tenor principi, meritò illa dicitur & *Apostolorum Apostola*, & *Euangelistarum Euangelista*, per quam principalis, ipsis fidei principibus, illuxit doctrina.

Luc. 2.

De fortitudine & eius sequacibus.

CAPVT IV.

FOrtitudini adhærens magnificentia, quæ magnificum conatur quiddam aggredi, confidentia quæ splendidè cogitata fiducialiter arripit, perseuerantia quæ bonum inchoatum stabiliter vrget, pacientia quæ vtilitatis causa difficilia tolerat: vtile autẽ quod hic & superius nominaui, eo sensu volo accipi secundùm Beatum Ambrosium de Officijs, Visu vtile quod honestum, & honestũ quod vtile; quamuis in sæcularibus scholis aliter diffiniatur.

Et per magnifice quidẽ fœlix puella egit, vt bonum rimaretur inchoandum: quod confidenter inchoauit, & perseueranter absoluit. Pacientiam nec in suis, nec in filijs contumelijs rupit. Magnificentiæ fuit quod dixit: *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit Spiritus meus in Deo salutari meo.* Confidentiæ, *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Perseuerantiæ, *Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius; & misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.* Porrò de pacientia eius dictum est, *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.*

Luc. 1.

Luc. 2.

De temperantia & eius sequacibus.

CAPVT V.

TEmperantiæ, sunt conterminæ; continẽtia, per quam præcipua cupiditas animi regitur gubernatione consilij. Clemẽtia qua refrænatur mens, temerè in alicuius odium concitata. Modestia qua fit ex vtcumque superfluo diligens & cauta recisio. Has virtutes beatam Dominam exercuisse liquet perspicuè, cùm constet eam, nec fuisse incontinẽtem alicuius voluptatis stimulo, nec præcipitem odio, nec immodestam animo. Quomodo enim illicita committeret, quæ à licitis temperabat? Accedunt ad continentiæ præcepta, mores quos virginem habere decet, sicut Ambrosius familiari illi suo, & alijs inimitabili nutare docet: *Vt sit virgo, quæ nullo doli ambitu sinceram adulteret effectum, corde humilis, verbis grauis, animo prudens, voluptatem ciborum dumtaxat, si qua fuerit, parũ redimens, carnis vitia omninò compescens, loquendi parcior, legendi studiosior. Cui sit non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, vt ipsa species corporis sit simulacrum mentis, & figura probitatis.* Quæ in Matre Domini fuisse, nemo Christianus ibit inficias: cùm eius vita inclyta, vt canitur, cunctas illustret, & informẽt Ecclesias.

Laus

Laus Sanctæ MARIÆ ex dictis colligitur.

CAPVT VI.

HVic puellæ ſic virtutum diademate redimitæ, totum ſe infudit Dei Filius, bona illa virginalis animi, ſuo potiſsimum aduentu cuſtodiens. Namque ipſe non ſolùm iuſtus, ſed & ipſa eſt iuſtitia, cui dicitur in
Pſal. 44. Pſalmo, *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem.* Matrem ergo ſuam iam iuſtam, iuſtitia Dei penetrans, vnxit eam oleo exultationis, ideſt, Spiritu Sancto, præ omnibus participibus ſuis, ideſt, omnibus virginibus. Fœcunditatem matri conferens, virginitatẽ non auferens ipſe non ſolùm ſapiens, ſed ipſa Dei ſapientia eſt, & in eo requieſcunt omnes theſauri ſapientiæ etiam corporaliter. Inueniens ergo ſapientem puellam, ſapientem ſeruauit Dei ſapientia, ideſt, mundam cuſtodiuit corde, & corpore: Siquidem ſcriptum
Sap. 1. eſt: *In maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Ipſe eſt temperans, & ipſa temperãtia, ſicut dicit in Canticis: *Ego lilium conuallium*, ideſt, flos humilium. Idemquè in
Matt. 11. Euangelio, *diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Dignatione ergo ſua humilitatem Virginis acceptans, plena diuinitate, in eius influxit gremium, vt dicit Propheta:
Iſai. 66. *Super quem requieſcã niſi ſuper humilem, & quietũ?* Itemquè ipſa in Euangelio, *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* Ipſe etiã
Lucæ 1. eſt non ſolùm fortis, ſed & fortitudo Dei, per quem fecit Deus pater omnia ex nihilo. Qui fortis diaboli, fortior ſuperueniens expoliauit atria, & diuiſit ſpolia. Nõ ergo fortitudinem matris inermem reddidit, ſed ſua potentia ſublimauit, vt eſſet imperioſa creaturæ totius hæra, cõcilians, & demulcens ſuperos, deturbans, & exterrens inferos. Eam ſcrutans corda, & renes Deus, ex omnibus Virginibus quas capiebat mundus elegit, & ſanctificauit, vt habitaret in ea corporaliter, quam iam plenam pridẽ ſupradictis virtutibus, fouebat, & circumplectebatur ſpiritualiter.

Non potuiſſe Deum ex alia Virgine, hominem effici.

CAPVT VII.

VNde mihi videntur à vero alienari, qui dicunt Deum potuiſſe ſalutem humanã procurare, vel per aliam Virginem, vel per aliud quàm per Virginem. Et illi quidẽ, qui opinatur potuiſſe Deum incorporari in aliqua altera Virgine. Reſpondeo compendio: Imò non potuit, quia non voluit. Et è conuerſo, Non voluit, quia non potuit. Quamuis enim omnipotens ſit, multa ſunt tamen, quæ dicitur non poſſe, ſicut nec mentiri poteſt, nec mori, quia non vult. Nam ſi vellet mentiri, vel mori, non eſſet omnipotens; quia mentiri non eſt potentia, ſed eſt peccatum, ideſt, boni impotentia, & mori eſt deficere à potentia. Et ideo de Deo dicitur, *Omnia quæcumque voluit fecit*, quia nihil voluit niſi quod decuit. Eodem modo dico, eum nec potuiſſe, nec debuiſſe naſci ex alia Virgine. Et propterea vt dixi, non potuit, quia voluit. Noluit porrò, quia ratio nõ fuit. Deum certè rationis auctorem, contra rationem nihil velle, nihil facere, nihil etiam poſſe, in promptu eſt. Quis verò non videat Deũ à ratione reſiluiſſe, ſi cùm omnes omnino fœminas, infra ſanctitatem Beatæ MARIÆ cerneret, alia quælibet in matrem electa, ipſam ſperneret? Ipſam autem omnes mulieres ſanctitate præcelluiſſe puto, quod intelligit, qui ſuperiora animaduertit. Nam aliæ quidem, partes gratiarum meruere, ipſa autem plena gratia ab Angelo ſalutatur. *Pſal. 113*

Amplius, qui dicit, Deum debuiſſe, vel potuiſſe aliter quàm per partum Virginis, Adæ reparare peccatum, idem eſt quaſi ſi diceret, meliùs eum facere debuiſſe, vel tam bene aliter potuiſſe. Quod ſi meliùs feciſſe debuit, vel tam bene aliter potuit, & tamen non fecit, vel noluit, vel neſciuit. Si meliùs noluit facere cùm potuiſſet, inuidus, vel ignauus fuit. Si neſciuit meliùs facere cùm debuiſſet ignarus fuit. Quantum enim à Dei natura abhorreant inuidia, ignauia, ignorantia, fatetur, qui videt quàm pudendum ſit hæc vitia cuilibet honeſto homini aſcribere. Reſtat ergo, vt qui hæc Deo aſsignare erubeſcit, nec prædictas ratiocinationes reſpuit, fateatur quòd Deus non niſi per Virginem, & per hanc potiſsimam Virginem mundum reſtaurare potuit. Non potuit aliter, quia non voluit; noluit, quia ratio non fuit. Et quia ratio non fuit, non debuit. Quam gradationem ſi quis reciprocè conuertat, non irrita erit hoc modo. Non debuit aliter ſaluare genus humanum, quia ratio non fuit, & quia ratio nõ fuit noluit, & quia noluit non potuit, quia contra rationẽ facere, nec potuit, nec voluit.

Sublimitas Beatæ Virginis, explicatur.

CAPVT VIII.

SEnſibus antiquorum Patrum de virtutibus Beatæ MARIÆ breuiter defloratis, & in vnum coaceruatis, nunc ad ſublimitatem eius commendandam, quam propter gratiam virtutum eſt adepta, vigilabit oratio. Ad quod perſpicatiuè enucleandum amorem filij in matrem, & matris in filium proponam.

Deus filius conſubſtantialis, & coæternus, & coomnipotens Patri, editus ex parte ante tem-

tempora, sine matre ; voluit nasci de matre, sine patre sub tempore, elegitquè hanc puellam pro amore quem habebat erga eam, in quam tota diuinitas influeret, & quæ Dei, & hominis genitrix fieret. Amauit ergo eam antequam ex ea nasceretur, vt esset de qua dignè nasceretur. Paruusne hic amor est, vt faceret ex filia matrem, ex creatura creatoris genitricem ? Nec post partum amor defecit, imò incomparabile augmentum accepit. Sicut enim omnes homines ex vtroque parente geniti departiuntur amorem in vtrumque parentem, ita Dominus IESVS ex matre genitus sine Patre, patris, & matris soli matri debuit, & persoluit amorem. Item duo erant in Virginis animo, inuisibili, sed magno cõcertantia prælio; Virginitatis amor, & legalis maledictionis timor. Verumtamẽ librato diù, multumquè consilio, vicit amor, qui præponderabat, & dedit terga timor. Hic occurrit Dei auxilium, qui ei, & quod timebat eriperet, & quod amabat saluo signaculo non auferret. Dedit ei ergo, vt esset, & prole fertilis, & Virginalis damni immunis.

Quid illa? Nonne tãtis filij beneficijs digno respondebat amore? Plena Spiritu Sancto, qui est amor Patris, & prolis amor suauis, & dulcis. Amor non volaticus sed æternus. Nonne eum amabat, qui eam fecit omnis creaturæ Dominam, cœli, & terræ Reginam, fertilitatem, vt dixi tribuens, integritatem non minuens ? Imò verò totis medullis, totis viribus in eius amorem suspensa erat, amoremquè quem pater, & mater soboli suæ debent, sola ista dulcis, & terrena mater Domino, & Filio suo impendebat. Nec est aliqua scientia, quæ possit penetrare, nec eloquentia, quæ possit prædicare, quanta dulcedinis sedulitate paruulum fouerit, quanta diligentia obsequioquè adolescentem, & in robur ætatis vadentem prouexerit, quanta lætitia iuuenem miracula facientem, & eorũ gloria famosum, audieret, viderit; quãta mœstitia patientem, & morientem suspicauerit. Et hæc profectò tanto nobis sunt penè incogitabilia, quanto insueta. Iam verò resurgentem, & ascendentem, quàm lætis oculis Virgo fœlix intuita; quanto tripudio beata mouebantur viscera; præsertim cùm iam intelligeret in effectum prodire, quæ tanto parturiebantur tempore ? Genus humanum ad salutem vocari per Apostolos videbat ; cuius rei gratia Dei Filium de se incorporatum, & in cruce passum ante intellexerat. Quapropter lætabatur, quòd spei, quam ante conceperat, quòdquè salutare toti mundo fore ex voto Virginitatis suæ sperauerat, iam in rem veram transibat. Gaudebãt & Angeli, qui videbant ciuium suorum olim per peccatũ diminutũ numerum, nunc per beatum eius partum redintegrari. Gaudebãt, & gaudent homines, quia quod per primam amiserunt fœminam, centuplicati pretij fœnore recipiunt per MARIAM. Corruerunt serui, resurgunt fratres, & filij. Fratres Domini, MARIÆ filij. Quod gaudium in incomparabile crementum puliulabit, cùm illorum præsentia, præsenti fruentur in cœlo lætitia, per quos tanta consecuti sunt gaudia. Gaudebat, & gaudet omnis creatura, quia quæ in initio mundi à Deo ad obsequium hominis facta; quando se homo à cognitione, & seruitio Dei remouerat, illi qui creatori suo rebellis erat, degeneri famulatu substerni dolebat. Illa, inquam, homini per Beatam MARIAM saluato, in antiquum decus euasit, in pristinum splendorem reuiruit, dum illi famulatur, qui creatori suo, & fide, & opere obsequitur. Sicut ergo Deus est Pater, & Creator omnium, ita hæc Virgo est mater, & creatrix omnium. Quia sicut nihil existit, nisi quod Deus facit, ita nihil recreatur, nisi quod filius Sanctæ MARIÆ redimit.

Ascendat ergo fidelis anima in mentis speculam, & quantum potest videat in quàm sublimi locata sit Domina MARIA. Omnis natura à Deo est facta, & Deus est factus ex MARIA. Deus omnium factor, se ex MARIA fieri, & sic cuncta refecit. Qui potuit omnia ex nihilo facere, noluit ea violata sine MARIA reficere. Deus est igitur pater rerum creatarum, & MARIA est mater rerum recreatarum. Deus illum genuit, per quem sunt omnia facta, & MARIA illum genuit per quem sunt omnia refacta, & saluata. Per hæc ergo ratiocinationes, impossibile est, vt aliquis homo ad eam conuersus, & ab ea respectus damnetur. Nam quia ipsa genuit eum per quem mortua reuiuiscunt, per quem hòmines ex peccato saluãtur, quia non est iustificatio nisi quam ipsa in vtero fouit, non est salus nisi quam ipsa peperit. Ipsa est ergo mater iustificantis, & iustificatorum ; ipsa est mater saluantis, & saluatorum. Igitur mater Dei, qui solus damnat, qui solus saluat, quem solum timemus, in quo solo speramus, est mater nostra. Iudex, & saluator noster, est frater noster. Quomodo ergo desperemus, cùm salus siue damnatio nostra ex boni fratris, & piæ matris pendeat arbitrio? Nunquid sustinebit bonus frater, puniri fratres suos quos redemit ; bona mater damnari filios suos, quorum ipsa redemptorem genuit ? Dulcis mater, rogabit dulcem filium suum, pium fratrem nostrum; filium pro filijs, vnigenitum pro adoptatis.

Pius filius libenter audiet matrem pro filijs ; vnigenitus pro ijs quos adoptauit ; Dominus pro ijs quos liberauit.

SANCTI PATRIS NOSTRI *Athanasij Alexandriæ Archiepiscopi, Dicti magni, in Domini, Deique, ac Saluatoris nostri Iesu Christi Occursum.*

Addenda infra tomo 3. fol. 277.

SAcra diei præsentis solemnia personet Euangelica tuba, nosque omnes virginali huic thalamo animi sinceritate adstantes, spiritualis auspex, ac nuptiarum instructor Lucas, ad ea bona præclaraque perspicienda, quæ in eo sita sunt, sermone ductor existat. Nec enim vlla ratione iustum æquumue, vt illo auspice, quisquam alius sermo, quæ ad ea spectant, aliunde summittat; nihil quidem ipse decoris conciliaturus; quin ad probum non leue aliquid importaturus.

Quemadmodum enim sole iam clariùs elucente, ineptus, ac inutilis existit lucernæ fulgor: sic vbi Lucas, aut alius quis Euãgelista, vel extremos reddidit sonos, sermo omnis otiosus, molestusque, ac frustraneus fit. Hic nobis ergo festæ lucis indicia dicat, eaq; nobis festi amantibus, quàm tubæ acies instructas belli cupidis, clariùs ostendat. Planè verò dicet, ac perspicuè admodum ostendet, modò ipsi beneuolè auditum præstemus. Ac sanè adhibendus animus, omnique diligentia cauendum, vt ne actorem, ipsum patronum; iudicemque, ipsum festi præducem efficientes; pœnitudine tandem; verùm id inutili, ac frustranea, ducamur.

Luc. 2. v. 22. *Tulerunt* parentes puerum Iesum *in Ierusalem, vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini.* Quænam vis orationis dicta assequi possit? Quę mens subtili miraculum cogitatu satis perspiciat? Quis auditus, rerum quę narrantur maiestatẽ capiat? O tremendas auditiones! Antiquior sæculis, nouus recensque: sub tempore, qui expers est temporis: circunscriptione finitus, qui est incircunscriptus: æternus ille, infans: quodque est maximum, Dei Filius, hominis efficitur filius, ac creditur. Quid hoc nouũ? Quid hoc insolens? quæ hæc tanta Verbi in humanum genus inclinatio?

Tulerunt parentes puerum. Quid sacrorum Euangelistarum excellentissime, ac sapientissime ais? Quid cælestis expositionis doctor, ac magister refers? Quid dicis, ò sensorum Spiritus mystice, ac spiritualis scriptor? Disseris de Deo, ac localis transitus mentionem facis? Propositum babes, vt natum ex Virgine, Dei Filium orbis vniuersi finibus declares, parentesque carnales in medium producis? Ergone Dei parens omninò in terra existit? Deusne parentes habet? autue Deus infans est? vel Deus à parentibus portatur? Quis hic sermo? Quod mysterium? *Tulerunt* parentes puerum. Quibusnam verò manibus? Quibus autem portantes vlnis? Tremunt Cherubim; Seraphim, quòd ferre non valeant, sese auertunt: horrent Angeli: stupent Archangeli; omnesque cœlorum virtutes metu facies obtegunt, tuque mortales inducis concretos materiæ, qui eum portent, exque alio in alium moueant locum, ac circumagnant? Quale hoc miraculum? Quæ res tanta? Quod huiusmodi arcanum? *Tulerunt* parentes puerum.

Ergone hæc dicebas, cum ea narrares, quæ spectant ad natiuitatem? Idcircone etiã Angelos induxisti, qui pastoribus, natum simul ac locum quo ille esset, ostenderent, ac annũtiarent? cælestemque illam multitudinem magna, ac elata clamantem voce, atque dicentem: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax?* puerperamque diligenter omnia conseruantem, ac cum virginitatis conferentem signaculis? Planè verò: neque tu modò miraculum; sed & dispensationem attende. Nec enim Deus ita vt nudus ipse natura habet, efficitur infans, ac maternarum vlnarum amplexu stringitur, ac definitur; sed quà assumpsit naturam mortalem; seu potiùs, quà prorsus sine vlla peccati labe effectus est veritate homo. Qui verò, ac qua ratione? Nequeo, inquit, dicere. Res enim est omninò inefabilis, inexplicabilisque: nedum mihi, verùm ipsi puerperæ, ac neque illi tantum: Nam etiam ipsa humanæ naturæ particeps est, quanquam dona homine maiora, diuina largitate consecuta sit: verùm etiam naturæ ipsi experti materiæ, quæque à prima, ac diuina natura, prima est. Quòd si etiam natura expers materiæ, ac eàmet ipsa quæ mysterio inseruiuit, omninò ignorauit mysteriũ, quà illud à me ratione queris discere; homine inquam, qui ne illud quidem, quod in pedibus versatur, quandoque sciam, quomodò homo factus est? *Luc. 2. v. 14.*

Dic ipse primùm de teipso, quomodò factus sis homo, tumque etiam de diuina incarnacione scrutaberis. Quin ne tunc quidẽ. Neque enim quia generatio tua, ac natiuitas nota sit, statim sit & diuina. Nam alioqui esset illa quoque hominis natiuitas, non Dei. Minimè gentium ergo illud, *Quomodò* exquirendum sit. Quantò enim Deo ipse abiector es, tantò Dei natiuitas, quàm tua arcana magis, ac inefabilis; quin & amplius. *Tulerunt* parentes puerum *in Ierusalem.* Quid porrò facturi? Num vt regnũ Israelis capesserent? aut fabricarent arma; vel exercitum cogerent, ac educerent; aliudue eiusmodi humilium, ac eorũ quæ temporanea sunt, pueri lucris compararent? Minimè, inquit, sed, *vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini.*

Quid, ò homo, loqueris? Ergone, eius qui verè Deus est, existit Deus? aut eius qui pro-

propriè, ac absolutè Dominus sit, alius est Dominus? Est sanè, inquit, nec verearis. Nec enim hoc per naturam; sed gratiæ ratione, supernæquè dispensationis. Quemadmodum enim Deus, etiam eorum, qui non sunt propriè, ac absolutè filij, dicitur Pater; *Ego* enim, inquit, *dixi: dij estis, & filij Excelsi omnes*: sic etiam eius, qui propriè, ac absolutè per naturam est Filius: (Est namque Filius eiusdem cum Patre substantiæ:) ratione gratiæ, ac Incarnationis, Deus appellatur. *Ascẽdo* enim, inquit, *ad Patrem meum, & Patrẽ vestrum; ac Deum meũ, & Deum vestrum.* Quamobrem etiam *non confunditur Filius nos vocare fratres*: ait enim: *Nunciabo nomen tuum fratribus meis; in medio Ecclesiæ laudabo te. Sicut scriptũ est in lege Domini.* O dispensationem! O imperscrutabilem Verbi in nos clementiã, ac bonitatem! Legislator, sub lege efficitur. Qui Mosaica præcepta dedit, nõ detrectat cernuè inclinare præceptis. Qui humanum genus liberauit à legis maledicto, nihil ipse cunctatus tanquam homo seruit legi.

Sicut scriptum est in lege Domini. Quisnam est, qui scripsit? Quisnã ille? Dominus. Nonne hic vnus ipse, ac idem est, qui cum Patre, ac Spiritu gloriam habet? Est planè, inquit: Id verò œconomia dictũ, ac ne Christi inimicis Dei ipse aduersarius existimaretur. *Noli* enim, inquit, *putare, quia venerim soluere legem, ac Prophetas: non veni soluere, sed adimplere.* Quid verò mirum, ac insolens, vt qui nasci voluit; in præsepio reclinari; pannis inuolui; circuncidi die octauo, in Ierusalem ascẽdat, vt Domino sistatur secundum legem cùm tantùm absit, vt eorum illum pudeat, vt & cùm Stephanus à Iudæis lapidaretur, stantem se à dextris Patris ostẽderit; quanquam stabilem, ac sempiternam ab eius dextris haberet sedem. *Dixit* enim, inquit, *Dominus Domino meo: Sede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Verùm illud quidẽ supernè, ac congruè deitati; istud verò infernè, ac ratione dispẽsationis, propter assumptam naturam, quodque idem Deus sit, & homo; vna ex ambobus persona; atque vna illa, ambo hæc existat, ac cognoscatur: quò naturarum communione, ac propriarum ipsis rationum, facillimam nobis, ac breuissimo cõpendio salutem compararet.

Quia omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur. Ergo sanctus omnis primogenitus? Planè supereſt, vt etiã Ismaèlem, & Esau; illisque prioré, Cain, ac plures alios Deo inuisos, ac diris deuotos homines, eo titulo, quòd ipsi primùm aperuerint vuluam, sanctos Domino voces. Cuiusnam verò gratia dicitur de Ismaèle: *Eijce ancillam, & filium eius*? Cur item de Esau: *Iacob dilexi: Esau autem odio habui*? Quamobrem verò, si Cain Domino sanctus erat, pro patrata ab eo cæde septuplum vlcisci oportuit? Si masculinum omne adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur, quid amplius Christo, ac Rubem? Quid verò idem abundantius habeat præ Amnon? Nam & hi, quòd primi nati iint, videantur vuluam aperuisse. Enimuerò caue, ne calentiùs scripturis insilias, longiusquè à meta excurras. Non enim, inquit, hoc dixi: quòd nimirum primogenitum omne vocandum sit sanctum Domino: alioqui enim ea ratione ad brutorum quoque naturam sanctitas transiret; sed quòd *omne masculinum adaperiens vuluam*: hoc est cùm fiet, vt nullo viri congressu proles edatur: *cùm non ex sanguinibus; neque ex voluntate viri*, sed ex Spiritu Sancto, nasciturus infans cõcipietur: cùm nemine foris pulsante, ipsa proles ab intus aperiet: cùm Virginitatis signaculis claustrisquè inconcussis intrò seruatis, extra exiliet fœtus: sic vtique, *omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur.* Nam illic quidem, ne quidem infantes adaperuerunt vuluam; sed viri cum vxore coitio: *Cognouit*, enim, inquit, *Adam, Euam vxorem suam; quæ concepit, & peperit Cain.* Hic autem, non ita: sed ipsum quod natum est. vuluæ adaperuit portas, nulla ab extra carnali consensione egens. *Antequam* enim, inquit, *conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu Sancto.* Potes quoque breuiùs vocem accipere, subaudiendo extrinsecùs illud *virginis*, vt quod sequitur in hunc modum habeat. *Omne masculinum adaperiens vuluam virginem, sanctum Domino vocabitur*: quod in Christo solùm exhibitum est: Nullus enim vniuersorum id cum eo habuit commune. Solus namque hic, vuluam virginem nascendo carne aperuit, eamque rursus virginem, velut ante partum, seruauit.

Et vt darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini; par turturum, aut duos pullos columbarũ. Quid verò? Etiamne hostias ex legis præscripto obtulit? At quomodò ait Paulus: *Talis decebat, vt nobis esset Pontifex, qui non haberet necessitatem quotidiè, quemadmodum Pontifices, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel, seipsum offerẽdo*? hoc est, per crucem sese immolãdo. Quòd si etiã ipse immolatum redit, primùm quidẽ inuenietur ea confirmare, ac statuere, quæ in melius commutaturus aduenerat. Ad hęc verò, erit & ipse vnus è multis, qui legis maledicto seruiat. At quorsum Paulus, *Christum*, ait, *nos redemisse de maledicto legis*? Verũ nõ esse hæc pro infante dicas? Planè dicat ingenuè admodum sacer Euangelista; sed pro

Psal. 81. *v.* 6. *Ioan.* 20. *v.* 17. *Hebr.* 2. *v.* 12. *Matt.* 5. *v.* 17. *Psal.* 109 *v.* 1. *Gen.* 21. *v.* 10. *Mal.* 1. *v.* 3. *Genes.* 4. *v.* 24. *Ioann.* 1. *v.* 13. *Gen.* 4. *v.* 1. *Matt.* 1. *v.* 18. *Hebr.* 7. *v.* 2. *Gal.* 3. *v.* 13.

eius puerpera matre. Liquet verò ex ijs, quæ à principio dixit: *Postquam* enim, inquit, *impleti sunt dies purgationis eorum, tulerunt puerũ in Ierusalem, vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini.* Hoc de puero. *Et vt darent hostium secundũ quod dictũ est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum*: Hoc de Virgine, ac eius sponso. Quin si etiam de puero accipias, nihil id mirum. Qui enim nõ recusasset circuncidi secundum legem, quomodò præscriptas à lege hostias offerre recusasset? qui sanè sic aberat, vt ne hæc cunctaretur implere, vt neque Ioannis quidem baptismo detrectauerit intingi: quamquam ipse Baptista necesse haberet ab eo baptizari. Sic nihilominus se nobis inclinauit, suaquè adeò clemẽtia prouocatus est, vt nedum, quæ lege sancita essent, sed & crucem mortemquè susceperit, quò nos sibi, in præuaricatione, qua prolapsi eramus, infernè iacentes, pelliceret.

Matt. 3. *v.* 14.

Et ecce homo, inquit, *erat in Ierusalem, cui nomen Symeon: & homo iste iustus, & timoratus, expectans consolationem Israel.* Quis viro, digniorem laudem, quàm paucis his verbis comprehendatur, afferre possit? *Et ecce erat homo.* Homo, vt id spectes, quod oculis subiectũ erat: supra hominem, vt quod spiritale latebat. Homo, vt substantiam; at longo interuallo hominibus præcellens, vt meritum, ac præstantiã. Natura, homo; Angelus autem, virtute: qui quidem sensile habitaculum inferiorem Ierusalem haberet; spiritale verò, supernam Ierusalem metropolim illã, *cuius artifex, & conditor Deus.* Homo, qui quidem carne cum hominibus versaretur; spiritu autem, suum cum Angelis haberet municipatum. Quinimò erat Symeon ipsis quoque superior Angelis: siquidẽ ipse, inadspectabilem Angelis meruit videre: nec videre solùm; verùm etiam, quod maius erat, ac maiori dignum admiratione, in vlnas recipere, inque illis portare. *Et homo iste iustus.* Cuique reddebat pro merito: Rationi quidem, vt cogitaret diuina, ac ea secum meditaretur: vt sensum omnem captiuaret in Christi obsequium: vt ne insipientium in ore creaturam Creatori præferret: vt ne quid à diuina exemptum prouidentia existimaret: vt à creatis per proportionem Creatorem intelligeret. Iræ verò, austeros aduersus serpentem mores; seueritatem in peccatum: aduersus impios inclementiam quandam, ac implacabilitatem. Ea, Elias quidem aduersus Achabi quinquagenarios: Phinees verò, aduersus Madianitidis scelus. Petrus autem, ac Paulus, ille quidem aduersus Ananiam, & Saphiram; hic verò, aduersus Elymam, & Alexandrum, aliosquè multos iustissimè vsus est. Cupiditate autem, vt in lege Domini perpetuò meditaretur, haberetquè Domini

Hebr. 11. *v.* 10. & 12. *v.* 22.

2. *Cor.* 10 *v.* 5.

Rom. 1.

4. *Reg.* 1 *v.* 14.

Num. 25. *v.* 7.

Act. 5. *v.* 4.

Act. 13. *v.* 8.

1. *Tim.* 1. *v.* 20.

iustificationes *desiderabiles super aurum, & lapidem pretiosum multum, & dulciores super mel, & fauum*: Vt cum Dauide diceret: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutũ! concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.* Sic erat iustus Symeon, nullo virtutis genere destitutus: siquidem eam iustitiæ rationem nouimus, vt vniuersas alias virtutes complectatur, si quæ genericis istis subiectæ sunt. At quomodò *timoratus?* Timens, ac reuerens à facie Domini, ac mandatorum eius. Sciebat enim, ac valde animo fixum illud habebat: *Super quem respiciam, nisi super mitem, & quietum, & tremẽtem sermones meos?*

Psal. 18. *v.* 11.

Psal. 83. *v.* 2.

Isai. 66. *v.* 2.

Expectans consolationem Israel. Quam consolationem? Eam nimirum quam Abraham in Angeli specie videns, diuinè adorauit. Quam consolationẽ? De qua Iacob prædixit: *Nõ deficiet Princeps de Iudà, nec dux de femore eius, donec veniat, cui repositum est; & ipse erit expectatio Gentium.* Quam enimverò consolationẽ? Illam ipsam, de qua Balaam tametsi extra Ecclesiastica septa cõstitutus, oraculo edixit: *Orietur stella ex Iacob, & consurget homo de Israel.* Illam ipsam de qua Moyses ait: *Prophetã suscitabit vobis Dominus* Deus noster *de fratribus vestris, sicut me.* Hanc Symeon expectabat cõsolationem, accepto responso à Spiritu Sancto. Quid ergo? Eamne semper expectans, spe sua frustratus est, excidit ve ab expectatione? Haudquaquam: Minimè gentium: quinimò, & vidit, & in vlnas suscepit. O viri virtutẽ! O excellentem pietatem, ac puritatem! *In quæ* B. Pauli sententia, *Angeli desiderant prospicere;* in ea Symeoni concessum est, nedum prospicere, verùm etiam ea perspicuè cernere, atque adire, & contrectare, eorumquè purè, ac sincerè mysterium discere.

Gen. 18. *v.* 2.

Gen. 49. *v.* 10.

Num. 24. *v.* 17.

Deut. 18. *v.* 15.

1. *Petr.* 1. *v.* 12.

Et venit in Spiritu in templum. O miraculum! Ne suis quidem pedibus ad sacramenti ministerium vsus est: quin ipse ei Spiritus, currus efficitur: ac velut quandam volucrem, aliumve sublimi aere incedentem Ambacum in templum inducit, ac sistit sacrario; eum planè verbis eiuscemodi compellans, atque affatus. Age, veni amice senex, vt miraculorum, quorum pridem iam accepisti responsa, euentus clarè contuearis, noueriscquè, qualium, ac quantarum rerum mystes reseruatus sis: quantam gloriam, ac claritudinem præ alijs obtinueris. Veni, præclaræ illius virtutis fructum recipe: atque ea, quæ olim Dei ille inspector; sensili quidem ratione, petra montis Sina; spiritali autem, inconcussa de Deo fide protectus, vix quasi per foramen; obscuram puto contemplationem, ac notitiam; posteriorum specie vidit; ea tu modò perspicuè liquidoquè perdisce: deincepsquè à morte, quæ in corpore est, ad

Habac. 14. *v.* 35.

Exod. 33. *v.* 21.

vitam

vitam in spiritu transi: legemque in litera positam, cui præclarè admodum, ac religiosè ministrasti, commuta in legem gratiæ. Satis namque iam figuris, ac vmbris laborasti; oportet deinceps veritate iuueneſcere, vt legalium fines obſeruationum, ad gratiæ documenta principium tibi ſint.

Aure hæc ſpiritali à Spiritu audiens admirabilis iſte ſenex, totus gaudio, ac lætitia repletus eſt, præque admiratione velut extra ſe factus, ac afflatus numine, in hæc fere verba loquenti reſpondebat. Ergo, Conſolator, venerunt illa, quæ me viſurum reſponſo accepi? Omninò venerunt illa, quorum à te videndorum accepi promiſſa? Manum itaque ſeni porrige, o Conſolator; porrige. Tuam mihi rogo gratiam ſubſterne. Nam debile corpus meum fatiſcit, nec valet ambulare. Tu illud porta, ò natura omnium opifex, ſemperquè vigens, ac vegeta. Infirmum me; me ſenem, porta, citòque ad ea me duc ſpectacula. Siquidem enim meis vti pedibus ad inceſſum voluero, planè tempus in via teram, illaquè tranſibunt, nec ea videbo: heuſque miſeriam, vt ego ab illis extraneus fiam, quorum iam olim tenues velut repræſentationes accepi! Hunc modum ſenex animo iſta informabat, dictoquè citiùs templi portis ſe præſentē ſiſtit. *Venit* enim, inquit, *in Spiritu in templum.* Eiuſmodi quippè eſt virtus Spiritus, cui ſit voluntas, opus; ac res, cogitatum indiuiduè ſequantur.

Et cùm inducerent puerum IESVM parentes eius, vt facerent ſecundum conſuetudinem legis pro eo: & ipſe accepit eum in vlnas ſuas. Vidiſti nouum occurſum, ac ſupra hominem? Occurſum, inquam, non à caſu aliquo, vel ex condicto, ſed ex Spiritus inſtinctu, ac gratia? Atque, ò rem mirabilem! ne minimum quid alter alterius aduentum occupauit: ſed ſimul Chriſtus, ſimulque Symeon; ille quidem maternis vlnis; hic, Spiritu vectus, templi liminibus aſtiterunt. Symeon itaque à curuitate, qua propendebat in terram ſeſe erigens: hactenus enim ſenio incuruus in terram vergebat: modicum aliquantulum proiecto ſcipione, pedibus nititur; tendenſque manus, Deum hominem infantem à maternis vlnis accipere conabatur.

Illa porrò paululum ſubſtitit: necdum enim liquidò nouerat ſenis in Spiritu aduētum in templum: tum verò, diuinum infantem in ſuis ipſa vlnis geſtientem videns, inque ſenis manus proſilire conantem, confeſtim cognoſcit myſterij vim, viroquè manus explicanti, natum tradit; eiuſcemodi fere vocibus alloquens: Accipe venerabiliſsime homo, in te magis, quàm in me genitricem, incitatum modò puellum: Accipe, te magis deſiderantem, quàm Ioſeph. Eum accipe, qui naturalem, qua me matrem proſequitur, amorem, amicitiæ tuæ poſthabere videatur? Accipe, vtque libuerit, deſiderato fruere. His Deipara dictis, in ſenis manibus filium infantem ponit. At ille, quàm citò licuit, vultum in eum declinans, eiuſque abundè labijs defigens lumina, eiuſcemodi ad eum vocibus vtitur.

Quæ tanta illa tua, Domine, in nos clementia, ac inclinatio? Quæ tantæ illæ miſericordiæ tuæ diuitiæ? Quid tuam prouocauit bonitatem, vt nos humiles viſitares? Quæro, quomodò ad nos veneris, benignè, ac bonorum amans Domine? Num vbi Cherubim, atque Seraphim commouiſſes, vel reliquam vniuerſam cœleſtium diſtributionem, ac beatorum Spirituum ordines adducens? Num *commotio quædam facta eſt, vel ſpiritus grandis, & fortis ſubuertens montes, & conterens petras; vel ignis facilè exterrens, ac accedentes cōſumens; vel vox auræ tenuis*, quibus te olim exhibuiſti Eliæ Theſbiti? Nequaquam, inquit, ò ſenex ſapientiſſime. Nullo horum vobis appareo. Nō enim mortalis natura, ac concreta materiæ, illa poteſt capere: ſed carnem ferens, ac vobis ſimilis; infans, vt vides, quique adhuc, quod ſpectat ad corporis ætatem, infantilibus in membris, ac imperfectus exiſtam: infans, inquam, hactenus adſtrictus faſcijs: hactenus materna vbera ambabus prehendens manibus: infans, obſcurum aliquid, ac indiſtinctū, interciſumque adhuc loquens, ob eam, quā ex MARIA ſumpſi carnem: infans, quem ipſe quidem tuis complectaris manibus; quique ad matrem, ac vbera aſpiciam. Atque hæc quidem hactenus; quique breui poſt, vbi ætatis annum trigeſimum egero, Ioannis quoque baptiſmate baptizandus ſim: atque tradendus; vinctuſque ducendus ad Caipham, ac expuendus; cædenduſque colaphis, ac flagellandus; demumque affigendus cruci, ac lancea perforandus latus, velutquè mortuus ſepulchro claudendus; ac ſeductor appellandus: ac ſi quid humanæ naturæ proprium videatur, ſimili vobis ratione acceptus ſum, vno dumtaxat excepto peccato. Nec verò mireris, aut mente excedas, ac ſtupore defigaris. Hoc namque myſterium eſt à ſæculis, ac generationibus abſconditū. Hoc patris magnum, tum conſilium, tum præſcientia, cuius ego Angelus à Deiloquis, atque Prophetis prædictus ſum. Hæc illa in vos miſericordia, & vt meam imaginem dira ſeruitute dæmonibus mancipatam videre nolim: vt non feram videre creaturæ regem, malè creatis ſeruientem: vt ne contueri ſuſtineam, apoſtatam illum, atque ſuperbum, doloſè aduerſus meum illud figmentum ſeſe efferentem. Ea me à Paterno excitarunt, vt eo tamen non exceſſerim, ſinu, atque ad vos carne proficiſci fecerunt. Hæc in cauſa fuere, vt naſ-

Iſai. 9. v. 6.

nascerer, fieremquè infans, atque vt sisterer in templo, inque tuis vlnis reclinarer. Non enim poterat fieri, vt alioqui tyrannus alligaretur, eiusque diriperentur vasa, nisi simili vobis ratione, dempto peccato, humanæ ipse naturæ particeps efficerer. Non poterat fieri, vt alioqui Adam ille à sinuosis inferni cassibus liber abire sineretur, ac primum statum reciperet, totusque efficeretur Deus, nisi ego homo fierem, eiusdemquè cum eo substãtiæ, atque naturæ inirem communionem.

Mat. 12. *v.* 29.

Meæ itaquè incarnationis edoctus causas, vade; Adamoquè mœstitia in inferno agenti, læto hilariquè vultu tete exhibe; ac loco partus in tristitijs, læta faustaquè Euæ perfer gaudij nuntia; in hæc alloquens verba: Venit redemptio: venit qui eripiat: venit remissio: venit liberator; ne amplius lugeas humanum genus: Veniet enim, qui ferat opem; veniet, & non tardabit.

Gen. 3. *v.* 16.

Vbi porrò Abrahamæus ille senex, spiritali animi aure diuinas illas audiuisset voces, velut senij oblitus, illicò exilijt, totusquè ingenti quadam repletus alacritate, vocalissima, ac clarissima voce: Confortamini, inquit, remissæ manus, confortamini; genua dissoluta erigimini; roboramini contritæ tibiæ, vt recto in infernum cursu iter conficiẽtes, talium, ac tantorum bonorum nuncij progenitoribus sitis. Tum statim, ac quàm velociter potuit, ad diuinum conuersus infantem.

Heb. 12. *v.* 12.

Nunc dimittis, inquit, *seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei Salutare tuum: quod parasti ante faciem omnium populorum: lumẽ ad reuelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.* O feruorẽ! O accensum animum! Quandoquidem tibi hæc, Domine, visa sunt, tuaquè ipsius misericordia prouocatus es, vt figmenti misereris; nihilquè ego spe mea frustratus sum, ac diuinum Spiritus responsum inuiolabile mansit: me citò dimitte: Dimitte rogo, ne ad longum me tempus detineas, Dominè: Ne tardus nuntius, primis parentibus generis plena gaudij nuntia perferam. Ne me Domine præueniant infantes, qui tui causa ab Herode necati sunt. Pueri sunt, vegetiquè ac agiles; ego autem senex, tarduſquè, ac ægrè mobilis; timeoquè ne velociùs me præcurrentes, summorum adeò, præclarorumquè, ac lætorum bonorũ nuntij, generis primis parentibus fiant. Sic sanè verè hic diuinus vir, Christiquè aduentus vocalissimus præco, gratias agens: Hoc enim vox illa significat, *benedicens Deum*; in precibus dimissus est. Puto namque inuisibili Saluatorem instinctu affecisse, ac efflasse animam, eiusquè per omnia orationem exaudisse: atque vt seruum proprium, ac cultorem assumpsisse, legis, ac vmbræ diuturno obsequio pridem fessum; diuinisquè gratiæ doctrinis nouum vegetum.

Ioseph autem, & mater eius, *mirantes*, inquit, *erant super his, quæ dicebantur de illo.* Porrò mirabãtur; cùm puto necdum perfectam eius Deitatis certitudinem accepissent; tametsi habebant satis, facta in Natiuitate miracula: nempè quæ ad Magos, ac pastores spectant: quæque insuper ad Angelorũ variam inspectionem, ac curam: ac demum maius illud miraculum omni miraculo; nimirum salua integraquè virginitas; ad rei absolutam fidem, ac consensionem. Verum enimverò, tanti illius miraculi granditatem spectantes, ac cum suam ipsi modestiam, animi sensus refrænantem haberent: (Magnum quippè reuera existimabant, vt Deus incarnaretur;) fluctuantem adhuc animum, ac hæsitantem habebant. Quocirca paucis senex velut rudimento expositis, quæ ad Deum infantem spectabant, ad illos deinceps sermonis habenas conuertit; tum benedicens, ac beatos prædicans pro eorum circa incarnationem ministerio; tum quæ ad crucem spectarent, optima ratione, ac absolutissimè prædicens.

Benedixit, enim, inquit, *illis Symeon, & dixit ad MARIAM Matrem eius: Ecce hic positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel; & in signum cui contradicetur.* Contradicetur enim, atque disceptabit de illo, ac spectante ad eum doctrina, Simon aduersus Marcionem, Ariusque aduersus Sabellium: (nec non Eutyches aduersus Nestorium:) ac vtrique aduersus Ecclesiam: vt alij quidem, solam ei Deitatem; carnem alij solam tribuant: alij quidem doceant creatum, ac alienum à Patris substantia; alij Verbum quoddam non subsistens, ac substantia vacans, quodque nihil à verbo, quod oris prolatione funditur, diuersum existat: alij eius in carne aduentum, spectri aliquid, ac imaginationem dogmate tradãt; alij, ne vllo quidem modo carnem assumpsisse contendant; aut quidem assumpsisse, verùm inanimem, nihilquè efficacem: aut denique anima quidem præditam; at eam nihilominùs mente, ac ratione destitutam. Atque vt verbo dicam, quique alia, aliaquè disceptabunt ratione, ac contradicent, concludẽtes singuli, vt cuique videbitur, quæ ad eum spectant, *Nam de secta hac*, inquiunt Iudæi ad Paulum, *notum est nobis, quia vbique ei contradicitur.* Contradicitur quidem, at nõ prosternitur · bello petitur, at non vincitur: intorquentur tela, at non vulneratur: oppugnatur, non tamen in seruitutem redigitur: Quodque maximum videatur, cadit, nec tamen conteritur; quin potius inimicos supplantat, ac fundit. Hæc enim puræ fidei nostræ eximia quædam præstãtia est, omni illa

Act. 28. *v.* 22.

maior

maior miraculo, vt nedum ipsa, tametsi omni parte hæreticorum factionibus, ac turbinibus ceu indagine cincta, ac circumstipata, incussa immotaquè permaneat; verùm etiam è contrarijs contraria sapienter conficiens, præclara aduersum eos, qui insidias struunt erigat trophæa.

Sanè quidem, inquit, eiusmodi est, ò Beata Virgo, quem ex vtero protulisti; qui facilè quidem conterat, ac disturbet eos, qui à veritate sese auulserunt; erigat verò, ac offerat Patri eos omnes, qui se illi adiũgent, eiusque iura custodient: nequaquã tamen, propterea, quia talem meruisti habere Filium, esque cõsecuta eum claritatis, ac gloriæ cumulum, vt omnem prorsus terrigenarum naturã liquidò superares; sine tentatione eris, immunisquè ab affectionibus, ac quam nihil afflictiones tangant: quin, *& tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Ne te enim, inquit, miraculi magnitudo, in tumorẽ iactantiæ efferat. Quanquam enim peperisti supra naturã, ijs tamen æqualem angustiam habitura es, quæ consuetis naturæ modis genuerunt: quin & longè maximam, summèque exuperantem: quantum nimirum, nullis illæ miraculis angustias eiusmodi liberorũ causa sustinuerunt; tu autem post multa adeò prodigia; post innumerabiles eorum euentus, quæ à Prophetis oraculo edita essent; post celebratissimam virginitatis integritatem, ac custodiam. O miraculum! *Tuam quoque ipsius animam pertransibit gladius.* Cuiusnam? *Tuam*, inquit, *ipsius*, quæ faustum nuntium Gabrielem fæliciter consecuta es, ac partus indicatorẽ. *Tuam animam*, quæ Altissimi obumbrantem virtutem, ipsumquè Spiritum Sanctum ad te venientem, tequè circunuolantem, liquidissimò habuisti. *Tuã ipsius animam*, quã Magi cũ stella, stella duce adorauerũt; quamque pastores socijs Angelis, vna cum diuino infante beatam prædicarunt, ac collaudarunt. *Tuam ipsius animã*, quã Iacob scalã vidit ad cœlos pertingentem: Moysesquè ille Dei inspector, & candelabrũ, & arcam, tabulamquè, ac mensam: quam denique Aaron, nullo humore germinantem virgam aspexit.

Tuam ipsius animam, ò intactissima impolutissimaquè, quã Dauid quidem *arcã* appelat *sanctificationis*: Salomon autẽ lectum aureũ, & thronũ, ac liliorum cõuallem: diuinarũ reor virtutũ: paradysumquè diuina plãtatum manu. *Et tuam ipsius animã pertransibit gladius.* Tuã, inquam, quę electa es antequam etiã nascereris: quæ à sæculis, ac generationibus fuisti prædestinata. *Tuã ipsius*, quã elegit Pater, Filiusquè domicilium habuit; ac Spiritus Sanctus, ratione, quæ Deum deceat, obumbrauit: quam denique omnis creatura proprijssimè, ac verissimè, Dei matrem, Deique genitricem prædicat. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.*

Quorsum, inquit, meã animam admirabilissimè senex? Nũquid ego me ipsam, Dei Filium prædicaui? Nũquid ego de templo prophetaui? Nunquid Lazarum suscitaui? vel curaui Paralyticum? vel Cœco à natiuitate visum restitui? Quamobrem ergo gladius meã animã pertransibit? Num quòd soluerim sabbatũ? quòd sim transgressa legẽ? En verò, eius seruanda causa, cùm Filium circuncidi; tum Hierosolymam veni, ac adsum in templo; pullosquè turturum, exilis, ac pauperculæ hostiæ indiciũ, diuinæ mẽsæ impono. Quodnam ergo minus, maiusve legis mandatum solui, vt ita gladius meam animam sit pertransiturus? Dic citò, ne fortè delirum senem, ac longa ætatẽ effœtum existimem.

Haud inquit admirabilis ille senex, ac prophetica plenus gratia: Nihil eiusmodi in causa est; sed, *vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* Quod, inquit, ais, ænigmati simile est. Necdum clarè mali causam, atque doloris aperuisti. Dicas oportet apertiùs. Adhuc enim obscurum manet, quod loqueris. Tum ille: Tibi, inquit, Christires, & peculiũ, ac tabernaculũ, eorum, quæ quæris vniuersam quæstionẽ soluã. Caue nihilominus ne te dolor superans, pusillanimẽ quandã, nec satis virtute auctam firmamque exhibeat: quod perinde nefas de te dicere, atque vt quis solẽ obscurum, nec habentẽ calorem dicat. Eum quẽ genueras videbis tradi; ligari; cõspui; atque percuti; flagellari, ac alapis cædi; arundine percuti; spinis coronari; chlamyde indui; à Phariseis calumnijs appeti; à Sadducæis probro affici; iudicari à Pilato: risum, ac fabulam militibus fieri; flexo genu à cohorte adorari. Barabbã videbis pluris eo fieri, ac illi anteponi; demumquè videbis affigi cruci; fellẽ, & aceto potari; sepulchro includi; seductorem appellari; signaculis adstringi; à militibus custodiri. Atque vt verbo dicã, quicquid molestiæ, ac infamiæ expresionẽ habet, tuis ipsa oculis videbis in eo exerceri. Propterea animã tuam pertransibit gladius. Eam ob rem lugebis, ac plangues, superquè Filio lamẽtaberis, qui hominũ nequam morte mulctetur: atque id maximè, cum silentiò illas apud te cogitationes versabis: puta, faustũ Gabrielis nuntium: cõceptionẽ absque semine; partũ illęsa integritate; inuiolatã virginitatẽ; impollutam castitatem: quod nihil in partu eorum perpessa sis, quæ naturæ lex habet, ac rationem matris consequuntur; quæ nimirum, tum ante, tum post partum, virgo pariter existas, ac verissimè perseueres.

Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Reuelabitur enim, Petri quidẽ accensus hactenus, ac feruentissimus zelus, tepidus quidam à negatione, ac subfrigidus. Ioannis autem, & Iacobi, ac reliquorum, à fuga, quæ eum

Luc. 1. *v.* 35.
Matt. 2. *v.* 11.
Luc. 2. *v.* 17.
Gen. 28. *v.* 12.
Exod. 25. *v.* 31.
Num. 17. *v.* 8.
Psal. 131. *v.* 8.
Cant. 3. *v.* 9.
Cant. 2. *v.* 1.

eum omnes reliquerũt; velut vniuersi maximorũ illorum miraculorũ obliti essent, Horum autẽ etiã reuelabitur Pilatus, vt pœnitudine ducatur, à manuum ablutione: eiusque vxor, vt per nocturnã visionẽ crediderit: Cẽturio, per signa: Ioseph, ac Nicodemus, à funeris cura: Iudas, à suspẽdij fune: Iudæi, à pecunijs custodibus datis. Atque vt verbo conficiã, pugna quædã, ac velut seditio, tumultusque erit cõtrariarũ cogitationũ, atque rationũ: alijs quidẽ ea reputantibus, quæ sunt Deitatis; alijs autẽ, quæ humanitatis. Mirabuntur enim, inquit, cùm videbunt pati; factũ in agonia, ac metu mortis, sudorũ emittentẽ guttas; cùm pauentẽ, ac morte deprecantẽ: simulquè cogitabunt suscitatos mortuos; visum cœcis restitutũm; mundatos leprosos; malignos fugatos, ac expulsos spiritus; reliquãque vniuersam ab eo patratorum signorũ multitudinem: Mirabuntur, inquã, ac animũ huc illuc fluctuãtem habebunt, qui hæc inconsona, nihilquè prioribus congruẽtia videant. Sed & rursum mirabuntur, qui videant terræmonũ, ac noctem die media factam: qui item scissum velum, ac diruptas petras: ad hæc autẽ, & reuelata, apertaquè monumenta, ac mortuos exurgentes rediuiuos: mirabuntur, ac stupore defixi, ad ipsum veniens dubitationis profundũ; qui hominem quidẽ videant pẽdentẽ; Deum autẽ, res eiusmodi operantem, atque complentẽ. In hunc modũ reuelabuntur ex multis cordibus cogitationes; alijs hæc; alia alijs reputantibus.

Verumtamen pugna illa cogitationũ, dissidiumquè, & confusio, ac cõtrarietas, supremæ concordiæ, cõsensionisquè, ac pacis causa Ecclesię erit: Vtrisque enim prędicabitur, quod erat Christus; idemquè ipse, Deus, ac homo innotescet: qui vnus, ac idem vellet liberè, ac operaretur; alia quidẽ, Deitate; alia, per humanæ facultatem naturæ. Hæc puto dicturus erat diuinus ille planè Abrahamæus senex, vt eum quis de illis interrogasset. Ad hæc post illum, Anna quoque referente litera sistitur, senili gressu incedens. Nam & illã mysterium vocabat, impleturam prophetiæ gratiam: vt & ipsa prophetico testaretur spiritu, vt *notum fecisset Dominus salutare suum; vtquè ante conspectum Gentiũ reuelasset iustitiã suam.* Cæterum percontemur primò ex Euangelio, quænam ista, ac cuius esset; quamobremquè, ac quando venisset in templum: tumquè demum sciutemur quænam ipsa locuta sit. Ait enim Euangelista:

Et erat Anna Prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser: hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua: & hæc vidua velut annorum octoginta quatuor; quæ non discedebat de templo, ieiunijs, & obsecrationibus seruiens nocte, ac die. Et hæc, ipsa hora superueniens vicissim confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabãt redemptionem in Ierusalem. Quænam ratio, ac causa, vt Euangelista, accuratè adeò huiusce Prophetissæ res enarrauerit, vt & patris, ac tribus fecerit mentionem; quod vix in alio vllo occurrerit? Planè rei huius certam omninò rationem, solus nouerit Sanctorum Deus, quique eius Spiritus afflatu, docti sunt loqui mysteria, vt admirabilis ait Apostolus. Hæc porrò prophetica gratia præfulgens, ijs, qui in Ierusalem redemptionem expectabant, diuini muneris cõsolationem, gaudiumquè ingerebat, dicens: Mundi totius redemptonem venisse: Adesse, ac apperuisse omnium Saluatorem, qui suam imaginem vellet redimere: qui formato ab ipso homini salutem vellet conferre. Idcircò enim appellatur Christus, eò quòd IESVS quoque exponatur Saluator.

Cùm sic autem vniuersa hæc, cùm rebus gererentur, tum verbis dicerentur, stupebat pariter Dei genitrix MARIA, quique vnà aderat Ioseph demirabatur. Postquã tamen, quæ lege præscripta erant consummassent; siquidem Christus omnia venerat implere, ac legalibus præceptis finem imponere; reuertuntur Nazareth, quo etiam loco, ab Angelo Gabriele salutata fuisset, quæ Saluatorem peperit mundo: prolem edens nullo cõceptam semine, ac post partum virgo permanens: videntibusquè vniuersis ostendens, notum factum esse Salutare Dei; lumenque, Gentibus illuxisse; ac Dei iustitiam, ac redemptionem apparuisse vniuersis terræ finibus; diuinamquè pariter, ac sempiternam gloriam induisse eos, qui expectabant: gloriam, inquam, fluxionis omnis, ac corruptionis nesciam.

Nos autem, ò desideratissimi, quemmodum illi, ita Christo in occursum eamus, sobrietatem ferentes; portantes castitatem; innocentiam offerentes: iniuriarum obliuionem præferentes; à distrahentibus animum nos ipsos abstrahentes, ac Deo puros nos exhibentes; morum lenitatem prætendentes, atque ad vniuersos mansuetudinem, ac mutuam inuicem dilectionem habentes; iugemquè commiserantis animi sobolem misericordiam, scaturientes; ita Christum ad nos venientem suscipiamus; ita Christum ad nos ingredi faciamus: ita diuina quadam ratione in vlnas amplectamur, eiquè vicissim verbis propheticis confiteamur, eius ad nos processionem canticis celebrantes: ac quam in nos misericordiam præstitit, magnificis prædicantes vocibus, vt & cœlorum regnum consequi mereamur, ac bonis illis sempiternis perfrui: in Christo Deo nostro, cum quo Patri optimo, ac sanctissimo Spiritui, gloria, potestas, honor, adoratio, ac magnificentia, nunc & semper, & in sæcula sæculorum: Amen.

Pſal. 97. v. 2.

1. Cor. 14 v. 2.

SECVNDI TOMI FINIS.

Bibliotheca Augustana

12
63

6.052